
G. VII. 60.



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu



Digitized by Google

14-9-G-8

IOANNIS COTTVNII
COMMENTARII
VNA CVM QVÆSTIONIBVS
In Octo Libros Aristotelis
DE PHYSICO AVDITV.



Bibliothecæ Collegij Romani
Societatis Iesu

[illegible] sui obsequij ergò
D.o

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE
Biblioth. Sec. Coll. Rom. Soc. J.

Digitized by Google

AVGVSTISSIMÆ MAIESTATI REIPVBLICÆ VENETAE.

SERENISSIMO DVCI

FRANCISCO MOLINO,

CELSISSIMOQ; SENATVI

Æternam felicitatem, & gloriam P.

ROMA



VÆ incomparabilis vir Aristoteles suis ipse auditoribus, ob maximam contentarum rerum difficultatem, oretenus identidem declarare solebat, & in octo libros congesta, *de Physico auditu*, nuncupata sunt, ea Commentarijs augere, & loca quamplurima, quę in latinis versionibus corrupta, diu optima quæq; defatigarunt ingenia, ex gręco fonte emendare ac restituere, & insuper Quęstiones, quot quot in omni æuo extitere celebres, interserere, laboriosè enisus sum; vt honestos studiosorum conatus non modo ore in Antenoreo Vestro Lyceo præsentes, sed absentes quoque ac remotos, (si ita optimo bonorum omnium datori Deo visum sit) pro virili parte iuuarem. Quod quidem opus, MAIESTAS AMPLISSIMA, SERENISSIME PRINCEPS, AVGVSTISSIMI PATRIÆ PATRES, venerando Vestro conspectui humiliter offero, & munificentissimo Vestrę Clementię fano supplex appendo: Donarium, precio quidem leue & exile, sed votiuæ meæ mentis obseruantia, & grato obsequij pondere sat onustum. Si annueritis, summa mei voti absoluta est, & prudentissimum Vestrum nutum, quemadmodum in quibuscunq; alijs rebus fieri amat, optimi quique sequentur.

Digitized by Google

Collegit olim Aristoteles quinquaginta octo supra centum variarum Vrbium, & Rerumpublicarum institutiones, vt quam scriptis efferret, animo deligeret Reipublicę formam perfectissimam. Pepercisset tanto labori, si sibi SERENISSIMAM VESTRAM REMPVBLICAM intueri licuisset. Quippe in hac vna largiter deprehenderet, quicquid boni, quicquid perfecti in illis omnibus vix sparsim potuit rimari. Deprehenderet hic Athenensium ęquitatem, Areopagitarum iustitiam, Lacędęmoniorum constantiam, Thessalorum in conseruandis Legibus firmitatem, Carthaginensium in designandis Magistratibus maturitatem, Macedonum magnanimitatem, Argiuorum grauitatem, Cretum comitatem, & supra omnes singularem quandam & incredibilem maiestatem. Deinde admirabundus spectaret pręclarissimam Regiam Vestram Vrbem, quę pro mœnibus vndis cingitur, in salo insidet solum, in fundo lubrico ac instabili ingentes eriguntur moles, tota cymbis æquè ac pedestribus perua, natantibus iuxta & habitantibus apta, munitissimis vicis referta, amplissimis expansa plateis, innumeris ędificiorum Mausolęis ornata, turribus sydera prope pulsantibus decorata, templis auri gemmarumq; pondere ac textu ad miraculum vsque suffulta, quauis armorum acie instructa, quouis apparatu munita, omnigena rerum vbertate conferta gestit. Huc offertur vberrim quicquid mare deuehit, quicquid in terris procreatur: Huc Asia suas opes & alimoniam mittit, huc Africa certatim mittit, huc confluunt & congeruntur Europæ deliciæ, nec est vsqueadeo remota ac seposita gens vlla, ex qua huc non aduentet spectator, admirator, cultor. Exclamaret porrò Aristoteles, νῦν ἴδε νόσφιν ἀκύμονα ἥλιος, ὑψίστου τοῖον ἐπαυγάσατο.

Deinde expenderet, AVGVSTISSIMI PATRES, Vestram potentiam, quæ terrà marique est maxima. Examinaret, quod summis iuribus Adriaticum mare possedetis, atque id idem, & totum Ionicum paribus triremum viribus tuemini, nec tam vobis, quàm vniuersæ Italiæ, cæterisq; adiacentibus oris ingruentes barbarorum classes arcetis: quod terrarum tractus vobis subiectus in latissima maximaque spacia expanditur, quamquam singulari quodam prudentiæ limite ita dominatum Vestrum contrahitis, vt Vestra tueri malitis, non protrahere: Vobis nimium vestra sufficiunt, quia vobis ipsis vos ipsi sufficitis. Recoleret animo heroica Vestra atq; æternis characteribus insculpta anteactis sęculis acta, quod sexcenties hostem fregistis, nec paucioribus vicibus alios subleuastis, quod Vrbes, & Regna, quę iure armorum in Vestram potentiam venerant, pristino domino sponte donastis, quod

qui

qui eiecti ad Veſtram tutelam confugerant, eos ſuę dignitati piè & animosè reſtituiſtis, quod plerunq; cum fortioribus Aſię, Europæq; Dynaſtis congreſſi, etſi varia quandoque Martis alea vſi, attamen nunquam ceſſiſtis euicti, neq; vllum vnquam toto bello agnouiſtis victorem: ſemper ergo victores, ſemper domini, ſemper tutam, integram, illibatamque conſeruaſtis libertatem: quemadmodum etiamnum pręſtatis, cum toto quadriennio immanem Turcarum belluam furentem audacia, & ferrum ac flammam Chriſtiano nomini minitantem, ſola Veſtra potentia terra mariq; propulſatis ac tunditis: Tam immanem autem & immenſam vim propulſare, frangere eam eſt.

Poſtea examinaret admirabilem Veſtram adminiſtrandę Reipub. rationem, quam ipſe Politiam vocat, vt in omnibus Veſtris rebus & actionibus ſpectatiſſimè emicat accuratus Numinis cultus, & auita pietas, vt omnia maturè ac ſapienter diſponitis, vt incorrupta Iuſtitiæ lance in omnes imos ęquè ac ſupremos animaduertitis, vt libertatem Veſtram, quę vobis vita ipſa carior eſt, legibus plenè ſubditam oſtenditis, vt mira lenitate ſubditos Veſtros moderamini, vt conſilijs vltro citroq; actis, nihil non præuidetis, vt conſilia Veſtra in tanta Patritiorum amplitudine adeò arctata ac tecta tenetis, vt in ijs ne lynceus oculus quicquam rimari, nedum queat introſpicere, vt antiqua ac laudabilia inſtituta in tot ſęculorum mutatione conſtantiſſimè ſeruatis immutata, vt eſtis natura munificentiſſimi, nec quicquam apud vos remanſit vnquam irremuneratum, vt neminem admittitis per ſaltus ad dignitates protrudi, ſed ordinatè per gradus euehitis, vt præcipua Reipublicę munia non niſi ętate & prudentia prouectis confertis, vt ſeniores ſumma animi teneritudine iuuenes complectuntur, ac viciſſim iſti non minori reuerentia & obſequio illos proſequuntur, vt mutua charitate deoſculamini, vt denique ad Regium Reipublicæ culmen ſemper eligitis ſupremè optimum, qualis & nunc regnat SERENISSIMVS & PIISSIMVS DVX FRANCISCVS MOLINVS, heros admirandarum & incomparabilium domi forisq; virtutum.

Præterea recordaretur, quod prudentiſſimus Macedoniæ Rex Philippus eidem Ariſtoteli ad ſe accito gratificaturus, illius patriam Stagira iam antea euerſam inſtaurari iuſſerit, & ciues, qui in exilio, aut in ſeruitute erant, reduxit domum, & ludum eis, & ſtudij locum Nymphæum prope Miezam aſſignauit. Vos Athenas in Gręcia euerſas Patauij clementiſſimè reſtitui curaſtis, & Lyceum non vnius ciuitatis incolis, vt Rex Philippus, ſed vniuerſæ Europæ aperuiſtis, Muſaſq;

antea

Digitized by Google

antea exules, atque hinc inde iactatas humanissimo excepistis sinu, & litteratos homines quamplurimos regijs planè impensis accersitos alitis, & fouetis; in quorum numero me quoque conterraneum ac pene conciuem ipsiusmet Aristotelis munificentissimè extulistis. Hæc, atq; id genus alia si Aristoteles in vna Vestra SERENISS. REPVBLICA expendere potuisset, superuacaneum porrò duxisset per alias vllas expaciari, sed ex vero concluderet, quod Veneta Respub. est Orbis terrarum Spectaculum, Europæ Ocellus, maris Adriatici Regina, totius Ionici Tutrix, Italiæ Tutamen, Pietatis Asylum, Christiani nominis Propugnaculum, veræ gloriæ Simulacrum, synceræ pacis Seminarium, Politicæ facultatis Magistra, optimorum morum Exemplum, litterarum Fauctrix, æquissima Dynastarum Trutina, omnium Rerumpublicarum Phænix, Fax, & Lux, cuius gloria meretur extendi *qua Sol habitabiles illustrat oras*: sed iam

Annuite, MAIESTAS AMPLISSIMA, SERENISSIME PRINCEPS, AVGVSTISSIMI PATRIAE PATRES, annuite huic meo obsequio, dum ego ex intimo animi recessu Deum Opt. Max. enixè veneror, vt Maiestas Vestra semper militiæ vincat, semper domi alta fruatur pace: vtrobique æternùm regnet.

Patauij Cal. Martias. A. P. V. M DC XLVIII.

Humillimus seruus: Et in Vestro Antenoreo Lyceo Philosophiæ professor ex Primo loco.

Ioannes Cottunius.

ILLV-

ILLVSTRISSIMIS
ET
EXCELLENTISSIMIS
III. VIRIS.

D. PETRO FVSCARENO) Equiti, & Senatori inclyto,
D. ANGELO CONTARENO) Equiti, & D. Marci Procuratori,
D. IOANNI PISAVRO,) Equiti, & D. Marci Procuratori,

Patauini Lycei Moderatoribus
Sapientissimis, prudentissimisq;

Dominis ac Patronis enixè colendis,
perpetuam felicitatem P.



Nter cætera Stagiritæ scripta, libri Physicæ Auscultationis ita in omni ætate æstimati sunt, vt Magnus ille Macedo post Persarum euersionem cum Aristotele conquestus sit, quòd hosce acroamaticos libros publici iuris fecisset: cui Philosophus, scias velim, *respondit*, ipsos editos, & non editos esse. Nam ijs intelligibiles sunt, qui me audierunt: *Icciro in eorum commentatione validam impenderunt operam Græci, Arabes, Latini: Veruntamen illi plerumq; Platonicæ doctrinæ addicti, complura in Peripato ex Academia commiscent: isti propter corrupta exemplaria in multis offendunt. Insudauit in hoc eodem puluere labor etiam noster: an verò cum fructu Reipublicæ litterariæ, doctorum hominum stet iudicium.*

In primis autem Vestrum, ILLVSTRISSIMI, & EXCELLENTISSIMI HEROES, litterarum ac litteratorum Antenorei Lycei, vertus dixerim, vbiuis hominum, moderatores sapientissimi, quorum tergemino quoq; splendore opus isthuc suffultum in publicam lucem prodire gestit. Quippe quis non exultet Vestrarum Celsitudinum esse liber? Vosq; tanquam sui assertores ac vindices in fronte proferre, quorum vel ipsa inclyta nomina audita venerandam quandam speciem in vniuersa excitant Europa? Vestra enimuero eximia, & supra omne præconium virtus non inter grauissima modo Aeternæ, ac Serenissimæ Vestræ Reipub. munia apprimè emicat,

emicat dum præcipua quæque eius negotia magnis Vestris consilijs & auctoritate peraguntur, sed in exteras quoque ac remotissimas gentes semet splendidè explicuit admirandam. Quis enim, ILLVSTRISSIME, & EXCELLENTISSIME FVSCARENE, hominum, quotque fuere, quotque futuri sunt humanissime, pro dignitate admirabitur singularem tuam in Deum pietatem, sublimem & æquabilem animum, eximiam in rebus gerendis prudentiam, in tractandis grauissimis quibusq; negotijs dexteritatem, in prouidendis diligentiam, in expendendis maturitatem, in conficiendis præstantiam, in congressu bonorum omnium comitatem, in flectendis animis efficaciam, incredibilem ac melle dulcius fluentem facundiam, incomparabilem ac penè diuinam erga vniuersum litteratorum catum largitatem & beneficentiam? Quis porrò vel acuminatim recensebit, quot, quàmq; præclara, & terra & mari Aeternæ ac SERENISSIMAE REIPVBLICAE munia honorificentissimè sustinuisti, in diesq; supra fidem sustines? Præfulgent domi grauissima quæcumq; dignitatum munia virtuti ac sapientia tua suffulta, sed in remotissimas quoq; Orbis terrarum oras lucem ac splendorem effundunt suum. Qua enim animi celsitudine, quàm eximio opum ac facultatum splendore, quàm magnificentissimo apparatu publicum Legationis munus pensumque Byzantij semel atq; iterum in Othomana Aula peregisti? Primates gentis illius, atq; ipse Rex alioquin ferus, venerandam tuam præsentiam, & singularem prudentiam occulta quadam admiratione prosequebantur. Quo effectum quoq; est, vt ea tempestate cuncta SERENISSIMAE REIPVBLICAE negotia ex animi ierint sententia. At prædicat etiam atq; effert illa, Imperij ac Religionis apex Roma Celsitudinis tuæ Legationem, cum insueto quasi triplicati Veneti Solis splendore, aut triplici Parelio affusa obstupuit. Fama ingens magnificentiam & prudentiam Celsitudinis tuæ ferebat: famam auida eius Vrbis expectatio, expectationem aduentus, admiratioq; superauit. Tot pariter occurrunt in ILLVSTRISSIMO, & EXCELLENTISSIMO CONTARENO, Dignissimo D. Marci Procuratore promerita, quæ sui delectum facundissimo cuiq; reddunt difficilem. Animus illi pietate erectus, æquitate firmus, fixusq; multiiuga doctrina vbertim imbutus, agendarum rerum scientia admirabilis, natura munificus, litterarum studijs genio addictus, sui propositi æquabiliter constans, veræ & antiquæ probitatis assertor, litteratorum præsidium ac tutela, qui etiam ex merito renuit laudari, quamquam eum boni omnes certatim efferunt. Cuius sapientissimo consilio maxima quæq; Aeternæ ac SERENISSIMAE REIPVBLICAE curæ librantur, auctoritateq;

tateq; innixa executioni mandantur: In quo Maiestas Veneta in varias terrarum plagas multiplici Legationis officio supra quàm dici potest honorificentissimè præfulsit. Suspexit eum Roma, & intimè admirata communi murmure plausibus commixto extulit. Nos, nos ipsi vidimus, qui eo tempore, anno videl. M. DC. XXVII. cum propter ferias Bononiens. Academ. in qua tunc profitebamur, Romam petijssemus, vidimus, quàm larga munificentia, quo aulico splendore, qua maiestate Legatum ageret: experti quoque etiamtùm incomparabilem eius comitatem. Suspexit iterum Legatum eadem Vrbs, & antiquam admirationem erga eundem ipsum adauxit. Demirata est eiusdem magnificentiam, grauitatem, & auctoritatem Germania. Alacri deinde obseruantia eundem Legatum excepit, coluitque enixè Gallia. Atque dispari & diuerso Gentium sermone, sed in hoc vno pari atque concordi vbique prædicatus est, Pius, Iustus, Verus, Reprehensionis expers. *At at iam ad se rapiunt orationem meam præclara domi militiæque merita ILLVSTRISSIMI, & EXCELLENTISSIMI PISAVRI, spectatissimi D. Marci Procuratoris: cuius singularem pietatem, excelsum animi candorem, augustam corporis speciem, incredibilem humanitatem, incomparabilem erga egenos charitatem, effusam ac planè regiam in omnes liberalitatem, vix demirari quisquam poterit, nedum examussim celebrare. Porrò quis eo in rerum difficultatibus introspiciendis acutior, quis in examinandis diligentior, in disponendis maturè ac sapienter aptior, in flectendis pro rei opportunitate accuratior, in exequendis expeditior, in iudicandis æquior, in promouendis amicorum commodis ardentior? Nemo qui eum nouit, quis autem proborum non nouit? non fert tenerrimè in corde, in ore, in oculis. Merus est Charitum fauus, Musarum delicium, Musis addictorum beneficum sydus. Cuius præclara, quæ diuersis temporibus strenuè heroicèque executus est munia, an ne pagella vna continebit? Annales vix sufficient. Quàm magnifico ornatu cultuque, & singulari prudentia, vel in ipso gliscente ætatis flore, Legatione Turini functus est? Qua animi celsitudine, & tractandi dexteritate Legatus itidem in Gallijs sui excitauit admirationem? Qua præstantia inter Britanos toto orbe diuisos enituit? Ipsa deinde magnorum apparatuum parens ac magistra Roma eum ipsum Legatum suspexit, admirata est, recordatur. Eundem ipsum iam a SERENISSIMA SVA REPVBLICA electum Legatum auidè expectauit Polonia, iterum electum expectauit Cæsarea Maiestas, tertiò electum pro communi fœdere inter Christianos Principes feriendo expectauit Colonia: sed maiora*

curarum

curarum molimina remorata sunt . Quippe commissa est ei summa armorum potestas : cuius bellica laudes celebrabuntur in omne auum .

O Magne Deus tergeminos hosce Soles , tutelaria , ac beneficentissima litterarum ac litteratorum tutamina , cùm ÆTERNÆ AC SERENISSIMÆ REIPVBLICÆ VENETÆ , tum Orbi vniuerso, & nobis quamdiutissimè conserua . Vos verò ILLVSTRISSIMI, & EXCELLENTISSIMI HEROES labores hos meos , & hoc meum colendi nominis Vestri obsequium aqui ac boni consulite , & felices , sospites , diuinaque clementia , quod ex imo pectore deprecor , in dies magis magisque bonis omnibus aucti viuite . Patauij Cal. Martias A Partu Virginis . M. DC. XLVIII.

Vestrarum Celsitudinum.

Humillimus seruus : & in Vestro Antenoreo Lyceo Philosophia Professor ex Primo loco .


Ioannes Cottunius.

COMMEN-

COMMENTARII
IOANNIS COTTVNII
VERIENSIS
IN PATAVINA ACADEMIA
Philosophi Primi.

IN

OCTO LIBROS ARISTOTELIS
STAGIRITÆ
DE PHYSICO AVDITV
Vnà cum Quæstionibus:



QVAESTIO PRIMA
De Vtilitate Philosophiæ naturalis, & de ipso Aristotele.



EXpositurus Libros Aristotelis de Physica auscultatione, summo animi nisu diuinam imploro opem, ac præsentiam, vt in hac perd fficili, ac salebrosa materia, vera, vtilia, & salutaria videam, dijudicem, promam. Et quidem mihi animus est, non plana, & in propatulo posita inani prosequi labore, vt Philosophiæ nomen, inuentores, initia, incrementa, variationes, sectas partitiones, quæ porrò ab alijs plenè congesta, ceteras implerunt capaces. Quinuerò neque in efferendis Philosophiæ laudibus cursum orationis nimium remorabor, tum quia nulla vspiam est gens, neque tam humana, ac docta, neque tam immanis, ac barbara, quæ non venerabile Philosophiæ nomen demisse suspiciat, colat, exosculetur: tum quia Philosophia ita sua præfulget luce, vt rebus omnibus, nedum omnibus disciplinis viuificam quandam vim, ac splendorem perinde elargiatur, atque mundi anima, & lucis auctor Sol, cunctis, quæ infra ipsum procreantur, vitam, & splendorem impertit: tum quia iam in confesso est, quod sicut Medicina corporum, sic Philosophia est animorum salus.

Nihilominus quoniam libri, quos interpretandos suscipimus, sunt limen, & vt Auerr. loquitur, ianua ad vniuersam Philosophiam naturalem, ne in præclarissimæ huius doctrinæ adita penitus imparati videamur irrumpere, & eam illotis, vt aiunt, manibus contrectare, partium meatum esse intelligo, in ipsis interpretationis carceribus, duo quampaucissimis explicare. Primùm aperiam, quas vnquam vtilitates Philosophia naturalis suis cultoribus, & omninò hominum vitæ suppeditet. Deinde, pauca aliqua in medium afferam de Aristotelis ingenio, doctrina, & moribus. Æquum enim est, & rationi consentaneum, nos eum intus, & in cute nosse, cui in Philosophica militia, tanquam summo imperatori fidem, & obsequium dedimus: Et quemadmodum Seneca prudenter de amico monuit, *omnia cum amico delibera, sed de ipso prius.* sic nos omnia in Philosophiç Areopago cum Aristotele decreturi, prius de ipso decernamus. Porrò vt distinctio materiæ lucem præferat, totum argumentum in duas partes secabo, est igitur.

Digitized by Google

PARS PRIOR

De Vtilitate Philosophiæ Naturalis.

I. 

Tque vt rem ab vltimis repetam, Homo ad duas res, intelligendum, & agendum natus; omninò ad tria comparati potest, nimirum ad se ipsum, ad superiora, & ad reliquum hominum cætum. Primo modo spectatus, cum ex veteri effato, sit nexus quidam naturæ intelligibilis, corporeæque, atque æternitatis, & temporis orizon, duplici coalescit parte: Hac quidem vulgari, & mutis quoque animantibus communi; hac verò præcipua, & rationis, consilijque plena; quæ porrò ab Stagirite in sexto Magnor. Moralium lib. cap. 2. distributa est in eam, quæ contemplandi, atque eam, quæ ratiocinandi, consultandique vim obtinet: illa contemplatiua, hæc actiua consueuit appellitari. Vtraque hæc hominis cognitio, ac præstantia a Naturali Philosophia & initia, & incrementa, & perfectionem desumit.

II. Desumit prior, quia cum omnis contemplatiua cognitio, vt auctor est Arist. in sexto Primæ Philosophiæ cap. 1. diuisa sit in Mathematicas, Metaphysicam, & hanc ipsam scientiam naturalem, quis est, (vt hinc initium expediam) tam impensè Mathematicarum fautor, qui non planè fateatur, eas, & materiæ soliditatem, & principiorum constantiam, & rationem tractandi, & lucem penè omnem Philosophiæ Naturali debere? Versantur Mathematicæ in ijs, quæ, vt Stagirites tertio de Anim. tex. 11. loquitur, *sunt ex abstractione*. At quo vnquam pacto, & a quanam potentia celebretur abstractio, Naturalis Philosophia declarat. Deinde, Mathematicæ occupantur in Quantitatis inspectione: Huius parsquidem existit perpetua, ac continua, pars verò disiuncta, ac discreta, hinc gemini Mathematicarum emergunt surculi, Arithmetica, & Geometria, cum suis illis pedisequis, &, vt aiunt, subalternatis facultatibus. Illa numerum a materiæ societate disiunctum ac difficiatum contemplata, aut vnumquemque seorsim expendit, aut ad alium refert. Ex ea prodit Musica, quæ numerum itidem, sed sensili materiæ applicatum dimetitur. Geometria verò, quam in Apendice Legum seu Plato, seu Philippus Opuntius ridiculè sic nuncupatam existimat, quòd Geometriæ nomen, terræ dimensionem, non doctrinam, & Mathematicarum speciem denotet, in magnitudine continua occupata, a puncto exorsa, perscrutatur lineas, superficies, corpora, figures, & inter eas æqualitatis, & inæqualitatis discrimina.

Hinc familiam ducit Stereometria, solidorum corporum contemplatrix, hinc perspectiua, cuius pars vna causas eorum visibilium inuestigat, quæ per interuallum falsa creduntur, pars altera, catoptice nuncupata, omnifarias perquirit reflexiones. Hinc Astronomia in volubili illa cælorum, ac syderum mole collocata, eorum magnitudines, traiectiones, ortus, occasus, & celeritates sublimi inuestigat indagine. Hinc Cosmographia, Chorographia, & compluitum aliarum facultatum, & artium, ingeniosom agmen. Si itaque Mathematicæ, harum omnium facultatum fontes, ac capita, quantitatis inspectione arctantur. Hanc autem a Naturali scientia accipiunt, hæc quippe disquirit, atque decernit, quomodo magnitudo haud coalescat ex impartibilibus, quomodo perpetuò diuidi queat, quomodo actu interminabilis, ac infinita non sit, qui vnquam puncta, lineæ, & extremæ, atque apertæ corporum partes, superficies, positionem obtineant, & id genus innumera alia, quibus Mathematicæ, vel vt principijs, vel tanquam materia vtuntur, quis non videat, omnes, quas recensui, facultates, apprimè Naturali Philosophiæ initia, ab eaque & initia, & incrementa mutuari?

At eoque illa, honore, ac dignitate prima Philosophia, quæ sibi Metaphysice nomen fecit, Naturalis Philosophiæ haud indiga gloriatur. Expatiatur illa quidem per altissima causarum monimenta, contemplatur supernas, ac perbeatas mentes, venatur earum naturam, rimatur simplicitatem, scrutatur degentiam, deprehendit numerum, perbitat actiones, metitur diuturnitatem, expendit supremam illam, ac summam mentem, quæ soluta, libera, segregata ab omni concretione mortali cuncta pellustrat, & firma, *stabilisque manens, dat cuncta moueri*. Verùm hæc ipsa a Naturali scientia mutuatur, quæ per effecta, & motum, quasi per quosdam scalarum gradus ad sublimia illa, ac diuina conscendit. Hinc non immerito Stoici, cum vniuersam Philosophiam tripartitò, in Logicam, Ethicam, & Naturalem distribuissent, atque eam animanti cuipiam comparassent, Logicam ossibus, Ethicam carnibus, Physicam animæ assimilarunt, quòd priores illæ, sine Physices ope, & auxilio, iacerent exanimes. Sic ergo Naturalis scientia homini ad contemplatiuam perfectionem vsui est. III.

Si verò animum ad alteram eius ipsius cognitionem, ac perfectionem, actiuam, in quam, ac moralem adijcias, ea porrò ex hac eadem doctrina, ceu ex ampla quadam & vberi scatebra profluit. Quotus enim quisque est, qui vel ex ipsa patente Naturæ inspectione non intimè eiuetur iustitiam, fortitudinem, temperantiam, prudentiam, liberalitatem, munificentiam, gran animi significationem, virtutem omnem? Enimuerò dum assiduam, sed iucundam vicissitudinem, & commutationem Naturæ intuemur, quę quidem vbi ex inerti materia vnam eliminauit formam, illicò substituit alteram, vbi per corruptionem rem aliquam ademit, actutum alteram reddit per generationem, vbi vnum Vniuersi corpus loco deturbatum IV.

tum est, omni virium nisu eò compellit aliud, vbi fontes, amnes, maria exsiccauit vspiam, sedula atque anxia aut eadem, aut consimilia parit alibi, &, ne longè abeam, vbi in homine iuuentutis demessuit florem, elargitur virium robur, vbi vires confecit senio, suppeditat prudentiam, profundæ senectæ ornamentum, dum hæc, idque genus sexcenta alia, animo pellustramus, medullitus erudimur iustitiam, quam Iuris prudentum familia Commutatiuam appellitat.

Dum verò admirabilem rerum ordinem, incredibilemque constantiam vel demissè contemplamur, vt summus ille ac præpotens Naturæ parens & auctor hanc rerum vniuersitatem, *κόσμον* ab ornatu, & elegantia dictum, disposuit, & cuique rei, quod eius naturæ, & conditioni congruum esset, sapientissimè elargitus est, alteram iustitiæ partem, Distributiuam, ab iisdem Iuris Consultis nuncupatam, haurimus. Sic enim cælestes illas, ac solidas moles, quòd sua natura neque graues, neque leues sunt, supra omnia extulit elementa, hæc verò depressa, ac difluentia, quasi perenni quodam vallo coercuit, sepsitque. Sic inter elementa, quod suapte natura leuissimum est, in extimo, ac supremo loco effudit, quod grauissimum, fixit in imo; reliqua, ancipiti grauitate, ac leuitate donata, in medijs interiecit sedibus. Sic hæc eadem corpora insitis & innatis viribus admirabili nexu colligauit, vt discordem quandam concordiam, & discretum elementalem ordinem concinne edant. Terra sua frigiditate nectitur cum aqua, hæc sua humiditate cum aere, hic sua caliditate cum igne. Rursus terra siccitate dissidet ab aqua, hæc frigiditate ab aere, hic ab igne humiditate. Sic elementa sibi inuicem cedunt, & suas sedes, ac ordinem, æqualitate, vt aiunt, geometrica, diligunt, & seruant ad amussim. Contemplare tantis per mare, vel Oceanum, ac furens, dum ventorum diripitur rabie, fit fluctuum incursus, vndarum æstus æstum vrget, totum ab ipsis sedibus auulsum, in sublime portatum frangitur, eructat ad littora immanes vndarum moles, iamque mugitibus implet aerem, iamque fremit in cælum, iamque terræ minatur perniciem; vbi tamen littus attigit, quasi verecundatum, semet contrahit, & suas repetit sedes, ne præter ius, & fas in alienum fundum irrumpat. *Ex quo monemur*, inquit Simplic. *nos etiam plurimum debere abesse ab auaritia, & iniusta cupiditate.*

Hinc Galenus cùm alibi sæpe, tum præcipuè in libris de vsu partium, cum naturæ opera in corpore animato solicita cogitatione pellustraret, vt illa varijs instruxit viribus, vt multiplici organorum munijt apparatu, vt admirabili ordine, crasi, figura, & situ discriminauit, haud semel admirabundus, *naturam ingeniosissimam, iustissimamque* appellat, quia *nulla est res naturæ*, vtor Stagiritæ verbis ea primo de Partibus animal. cap. 5. *in qua non mirandum aliquid habeatur.* Iustitiæ partes, vt est præclarorum virorum suffragium, sunt religio, pietas, obseruantia, innocentia, veritas, gratia. Quod si iustitiam tam syncerè ex naturali Philosophia haurimus, quis non videat, ex hac eadem hauriri gratiam, veritatem, innocentiam, obseruantiam, pietatem, religionem?

Ab hac eadem scientia erudimur animi robur, fortitudinem. Est illa quidem moderatio formidinis, & audaciæ, erga ea terribilia, quæ ad salutem corporis pertinent, vt inde honestæ prodeant actiones. Naturalis Philosophus dum ærumnosæ, ac vitreæ huius vitæ caducitatem æqua iudicij lance perpendit, dum omnia orta concidere, atque ineluctabili lege Libitinæ concedere cernit, dum quæ longa annorum series, & sedula hominum diligentia struxit, momento dirui, & euerti animaduertit, dum animo voluit, corpus istuc, quasi vestem, & inertiæ indumentum, tandem aliquando esse deponendum, dum denique complura animalia rationis expertia solis naturæ calcaribus acta, pro chara sobole, aliaue causa fortiter, & impensè, ad extremum vsque halitum dimicare intuetur, ipse sciens, & prudens cuiuis periculo, vbi, & quando opus est, se se exponit, *non ille pro charis amicis, aut patria timidus perire.* quinuerò quasi septemplici virtutis clypeo tectus, non tetras inimicorum insidias expauescit, non ingruente hoste terretur, non excitato classico concidit, non ciuium ardore praua iubentium, non vultu instantis tyranni, non denique fulminantis Iouis manu mente solida quatitur. V.

Testem te, Socrates, compello, qui nec patronum ad iudicium capitis quæsiuisti, nec iudicibus demissus, ac supplex fuisti, sed liberam contumaciam a magnitudine animi ductam, non a superbia adhibuisti, & paucis ante diebus, quàm supremum obires diem, cum facilè posses educi e custodia, noluisti; & cum penè in manu iam mortiferum illud teneres poculum, loquutus ita es, vt non ad mortem trudi, verùm in Cælum videreris ascendere. Testem te, Zeno Eleates, voco, qui a Nearcho immani, ac efferato tyranno varijs tormentorum generibus dilaceratus, vt conscios delendæ tyrannidis indicares, sic eum spreuisti, vt concisam dentibus linguam in ipsius os animosè expueres. Testem te, Anaxarche, sisto, qui a crudelissimo Cypriorum Rege Nicocreonte in mortarium saxeum coniectus, & ferreis malleis contusus, identidem illud repetebas, *παῖε, παῖε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον γὰρ οὐ παίεις. Tunde, tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis*: qui quidem, & sexcenti alij, ex syncera rerum naturalium contemplatione incredibili fortitudine animum obfirmarunt.

Legitimæ fortitudinis partes recensentur fiducia, securitas, constantia, tolerantia, firmitas, perseuerantia: ea hac igitur, eademque doctrina erudimur perseuerantiam, firmitatem, tolerantiam, constantiam, securitatem, fiduciam.

At forsan temperantia præterit? Hæc porrò ex veteri effato perpetua Philosophiæ comes adiudicata est, vtpote quæ circa voluptates, & ægri- VI.

Digitized by Google

tudines corporis versatur; atque eas potissimùm quæ in tactu sitæ, ac repositæ sunt: Philosophia verò primùm detegit naturam voluptatis nullum esse præcipuum bonum, sed quoddam subsequens, quod eatenus eligendum, expetendumque sit, vt quod præter naturam existit, attemperetur. Deinde, Philosophia, vt cæterarum rerum, ita voluptatum, & ægritudinum moderatur excessus, adeo vt vno verbo, φιλοσοφεῖν, *philosophari*, sit affectibus temperare, & aduersus res acerbas infracto animo esse. Accedit, quod Philosophia ita voluptatum spernit illecebras, vt hoc consilio primùm à Pythagora, deinde a Platone dicta sit *mortis meditatio*. quòd animum a corporis voluptatibus, externarumque rerum admiratione auocet, seiungatque.

VII. De Prudentia quid dicam? comparatur illa? quidem, fateor, ex frequenti rerum, & actionum contrectatione, & vsu, ad eam tamen plurimum confert admirabilis rerum gubernatio, ex qua conseruatio, & salus omnium omnis oritur, & consistit, quam cum vir Philosophus contemplatur, ad illius exemplar cuncta disponit. Tum quia ipsa Philosophiæ comes temperantia mirificè conseruat prudentiam, propterea quod voluptates, & ægritudines, quæ duo prudentissimos quoque viros haud rarò à recto rationis tramite diuellunt, regit ac moderatur. Hinc temperantia a Socrate apud Platonem vocata est σωτηρία τῆς φρονήσεως, salus, & conseruatio prudentiæ. Et Arist. σωφροσύνην, ait, dictam esse, quasi σώζουσαν τὴν φρόνησιν. conseruatricem, & custodem prudentiæ.

Porrò non hasce modo virtutum cardines, sed reliquas etiam virtutes ab naturali Philosophia haurimus. Ecquem vnquam non intimè bonitatis, & beneficentiæ admonet, vel vltimus ille omnia cingens, & coercens cæli complexus, dum assidua vertigine rerum caducarum inbecilitatem firmat, multiplici cælestium formarum varietate exornat, viuifica fouet vi, & accensa perenni illa, ac immortali face, diurnas, nocturnasque disiungit vicissitudines, apprimè rerum vtilitatibus accomodatas, atque annuis commutationibus lætificat terrarum ambitum vniuersum? Quid aer? dum fusus, & extenuatus in sublime fertur, concretus in humorem cogitur, imbribus, ac serenitate fæcundat terram, iugi agitatione temperat maria, lubricos alitum sustinet volatus, respiratione attractus vitalem spiritum præbet animantibus, in omnes mundi plagas se ipse diffundit, in secretissima quæque loca immissus, omnia purgat, tuetur, conseruat, non ne officij, promptæ operæ, & liberalitatis, plenius, & melius Chrysippo, & Crantore docet? Quid, vtilissima, & vt Pindarus loquitur, *optima aqua*? Quid ipsa rerum inertissima tellus, quæ animi, & sensus expers, sensatam grati animi significationem modo non clamitat? quam etiam in referendis gratijs imitandam hortatur Hesiod? quod.

ἐξ ὀλίγων βριαρὴν, ἀπὸ πολλῶν πλείονα δῶκεν.

Ex paucis facunda facit, & ex multis plura reddit.

His viribus ex Naturali Philosophia suffultus animus, consistit, secum moratur, seque intus ritè, ac probè componit; & amplam, atque liberam suæ naturæ præstantiam penitus contemplatus, profundam sibi parit beatitatem.

Si verò idem homo comparetur ad superiora, corpora, inquam, cælestia, beatas mentes, & ipsum rerum omnium opificem Deum, ex hac eadem doctrina vberrimos, ac mirificos decerpit fructus. Hinc discit, quomodo sublime illud, ac cæleste corpus, purum, simplex, tota substantia a quacunque caduca, ac fluxa segregatum, circulari vertigine naturaliter motum, solidum, firmum, sphæricum, ortus, interitus, & cuiusuis corruptiuæ alterationis expers perseueret in omne æuum. Hinc accipit, quomodo mortalis hic mundus, & omnis eius vis, atque virtus ex illius lationibus pendeat, & illius motu, lumine, & influxu intimè regatur. Hac facultate ornatus ad immortales illas, ac perbeatas substantias ascendit, & vt semel dicam, hac ipsa munitus, omnia, & quæ sensum pulsant, & quæ eum fugiunt, momento pellustrat. Momento terram peruolat vniuersam, ima, & abditissima terrarum penetrat, cælorum immensitates metitur, cum terra immobiliter sistit, cum sole circumfertur, supernis commiscetur mentibus, ipsum rerum apicem adit, illi arcto contemplationis vinculo vnitur. eum intuetur, in eum quodammodo vertitur: *vnde reuerentiam quoque*, vt rectè loquitur Simplicius, *& cultum erga diuinam celsitudinem, optimè concipit, & sibi accendit*. Hæc, opinor, illi voluebant animo, qui Naturalis Philosophiæ scopum asseruerunt esse quandam hominum ἀποθέωσιν, *deificationem*, quia vt Hierocles ait; ἡ φιλοσοφία θεὸν ποιεῖ ἐξ ἀνθρώπου κατὰ τὸ δυνατὸν, *Philosophia Deum facit ex homine secundum possibile*. VIII.

Si demum Philosophus ad reliquum hominum cætum, ad principes, Rerumque public. primates, populumque ipsum referatur, quæ non excogitauit (Deum immortalem) commoda ad benè, ac beatè viuendum? Ita debes existimare, quod nulla est, an agendi, an faciendi vis, quæ non ex amplissima Philosophiæ officina dimanet. Oraculum est illud Philosophi effatum, quod *veri cognitio est recta regula faciendi, & contemplatio est actionis, & principium, & finis*. Sunt qui virum Philosophum eo naturæ consilio in mundum, quasi in splendidissimum emporium, & amplas nundinas introductum existiment, vt cum ipse res sensui obuias, multitudine innumerabiles, natura diuersas, conditione varias, viribus discrepantes, incredibili Dei sapientia dispositas, ac rectas, primùm oculis, mox animo pellustrasset, earum pulchritudine captus, causas earundem inquireret, indeque regressus, quasi Ἐπίγειός τις θεὸς, *terrestris quidem Deus*. omnia humanæ vitæ necessaria, vtilia, honesta prospiceret, moderaretur, suppeditaret. Pru- IX.

denter

denter Venusinus Olor Horat. in epist. ad Pison. de hac doctrina.

Syluestres, inquit, *homines sacer, interpresque*
Deorum
Cædibus, & victu fædo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones;
Dictus, & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam
Publica priuatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

X. Hæc, quemad nodum latiaris eloquij pater Tullius in primo Tuscul. loquitur, ab initio vrbes peperit, hæc dissipatos, & dispersos homines in societatem vitæ conuocauit, hæc eos primùm inter se domicilijs, deinde coniugijs, tum vocum, & literarum communione iunxit. Hæc eadem est legum inuentrix, hæc vitæ, ac morum directrix, hæc doctrinarum, & artium excogitatrix, hæc virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, humanæ vitæ dux, & fax. O igitur te Philosophia cunctarum hominis perfectionum, ac virtutum vberrimum, ac limpidissimum fontem, O omnium facultatum, & artium parentem, ac moderatricem, O doctrinam, supra quàm a nobis, aut dici, aut cogitari potest præstantissimam.

XI. Ast audio, ceu ex orci faucibus blaterones nescio quos clamitantes, Philosophiæ studium omninò esse inutile, & damnosum. Obijciunt, quod Philosophia distrahit, ac diuellit hominem a statu suo naturali: cum enim hic sit animal suapte natura ciuile, ac sociabile, eius conditio fuerit vitam cum cæteris hominibus agitare; adeo vt, auctore Philosopho in primo Politic. cap. 2. homo solitarius καὶ ἄπολις, *& sine ciuitate per naturam, non per fortunam, aut nequam sit, aut potior quàm homo*. Philosophia autem deuitat hominum societatem, propterea quod speculatio, adstipulante eodem Philosopho in decimo Ethic cap. 1. & 7. *amat solitudinem* Deinde, Philosophia inquiunt, occupatur in rebus, quæ neque ipsi homini quicquam ad rectè viuendum vsui sunt, & longè minus ad Republ. administrationem. Ecquid vnquam vtilitatis afportet homini contemplatio materiæ, priuationis, formæ, quantitatis, vacui, infiniti, idque genus inanium theorematum? Hinc illud sensatè dictum, quod Philosophus speculatus attinentia ad Vniuersum, neglectis his, quæ ante oculos existunt, vt non ab re cum Horatio lib. Epistol. secund. Epist. 2. dixeris.

Ingenium si quod vacuis desumpsit Athenis,
Et studijs annos septem dedit, insenuitque
Libris, & curis, statua taciturnius exit.
Plerumque, & risu populum quatit.

Demum, præcipua vtilitas, quam Philosophia ostentat, est, quod purgat hominis affectus, & à vitiorum turpitudine reddit quam alienos: Atqui huic tam ampulosæ, & splendidæ professioni e regione aduersatur frequens rerum vsus, cum ex Philosophis haud pauci turpissimis vitijs extiterint coinquinati, in quos concinnè cadit illud Iuuenalis.

Quod Curios simulant, & bacchanalia viuunt.

Sed heus, quodnam scutum opponam huic telo ballistario? Contemplatio amat vtique solitudinem, at non propterea auocat hominem ab statu suo naturali, *Natura hominis*, inquit Stagirites in lib. primo de Historia animal. cap. 1., *anceps est societatis, ac solitudinis*. Vin' huius rei rationem? accipe ex Philosophiæ arcanis, quia homo præditus est duplici intellectu, actiuo, vt aiunt, & speculatiuo. Ratione huius inclinatur ad solitudinem, ratione autem illius ad societatem. Deinde, si vir Philosophus se se abdat in solitudinem quando, & vbi opus est agere, errat. Postremò, sunt, qui indita naturæ prauitate, deuitant hominum conspectum, & agresti quodam odio prosequuntur. Hos detestatur Arist. in cap. illo 2. commemorato & iure optimo *infra hominem, & nequam* apellat. Atqui se a colluuie vulgi abducit, ob maius, & excellentius bonum, is porrò *potior est, quàm homo* XII.

Quas autem vtilitates suppeditet rerum naturalium contemplatio, ex parte recensui. Porrò si nulla suppeteret alia, non ne hæc foret satis, quod veritatem, & Deum ipsum deprehendat? erga quem cum rectè sumus affecti, erga omnia sumus rectè dispositi. Quod demum vltimo loco de Philosophis obtrudunt, inane est. Fatui, non veri Philosophi ita in rerum communium, & abstractarum inspectionem se met ingurgitant, & vt cum Aristophane dicam ἀεροβατοῦσι, καὶ περιφρονοῦσι τὸν ἥλιον. vt concreta, & sua propria negligant. Et si in quibusdam, qui Philosophorum nomine malè vtuntur, nonnunquam aliqua flagitia deprehensa sunt, profectò ij culpandi veniant, non Philosophia. Hoc modo & dicendi via, & medicina, & ipsa bellandi facultas culpandæ erunt, quòd aliqui orandi viribus suffulti, pro falsis contra veritatem edisserant, & seditiones populares, & turbas plerunque excitent, ac bella etiam inexpiabilia: & in medicina permulta doceantur venena; & militari vi nonnulli malè vsi commemorentur. *Cibos*, sunt verba Quintiliani ex lib. secundo Institut. cap. 17., *aspernemur, attulerunt sæpe valetudinis causas; nunquam tecta subeamus, super habitantes aliquando procumbunt. non fabricetur militi gladius, potest vti eodem ferro latro. Quis nescit, ignes, aquas, sine quibus nulla sit vita, & (ne terrenis immorer) solem, lunamque, præcipua syderum, aliquando etiam nocere* Quapropter Philosophia non modo nulli obnoxia culpæ est, sed potius summo animi nisu expetenda, quæ meritò suo a Platone quidem dicta est, scientia rerum diuinarum, & humanarum, diuino munere hominibus concessa, vt hi, quantum eorum natura assequi potest, Deo similes efficiantur: ab Aristotele possessio diuina potius, quàm humana, a Stoicis, summa virtus, a Mercurio Tresmaximo, animi medicina, ab Olympiodoro, cæli incola. & Deorum conuiua, a Seneca, murus inexpugnabilis, a M. Tullio, Deorum munus, atque inuentum.

Digitized by Google

tum: Quæ omnia, cùm Regum ille sapientissimus Salomon alta cogitatione expenderet, ipse diuina imbutus sapientia, hortatur, atque inuitat ad Philosophiæ amorem, primates, ac principes, ad quorum deinde exemplar totus Orbis componitur, dum inquit, *Diligite lumen sapientiæ omnes, qui præestis populis: est enim candor lucis æternæ, speculum sine macula maiestatis Dei, & imago bonitatis illius*. Hanc doctrinam qui non amat, non colit, non enititur, qua re cunque potest adipisci, is, meo quidem psephismate, homo non est. Huius prima principia, & communes affectiones explicat in his Physicorum libris Aristoteles, de quo nunc est dicendum.

PARS POSTERIOR

Iudicium de ingenio Aristotelis Stagiritæ, vtrum ne fuerit omnium mortalium maximum, & qua ratione.

SECTIO PRIMA.

Quàm sit ardua proposita disceptatio: & de ortu, ac educatione Aristotelis.

I. 

Vscepta controuersia inter censenda est maxima. Primò ex parte rei, quia est de re inter homines maxima. Vetus enim estat sermo, *nihil in terris magnum præter hominem, nihil in homine, præter mentem* siue *ingenium*. Iccircò plerique omnes dotibus corporis, aut etiam opibus, haud ægrè alijs cedunt, qui verò ingenio velit *cedere, rarus erit*.

Secundò ex parte nostri; Nam qui inter aliquos de ingeniorum præstantia sententiam laturus est, eum porrò aut maiori, aut certè non inferiori ingenio præditum esse oportet. Quod vel ex ipsomet Aristotele discimus, qui sect. trigesima Probl. quæst. 11. cum quæsiuisset, *cur Veteres præmia certaminibus corporum posuerunt, sapientiæ autem nullus quicquam statuerit?* Respondet, primo quia, *iudices, quod ad ingenium attinet, vel præstantiores, vel nihilo deteriores ijs esse debent, qui inter se certant*. Quis autem est, qui quidem æquali, aut proximo ingenio ad Aristotelem, Platonem, atque alios summos viros, inter quos debet fieri comparatio, vel accedere audeat?

Tertiò, quia res est periculo plena: Nam vna quidem ex parte suppetunt illustria præclarissimorum virorum testimonia, & rationes neutiquam contemnendæ, quæ euincere, nedum suadere videntur, Aristotelem, tam acri, & excellenti ingenij acumine viguisse, vt reliquos hominum, quicunque extiterint in quacunque ætate, longa inter, expedine superarit. Ex altera verò parte terret rei magnitudo, ne dum pro vno satagimus Aristotele, reliquos omnes, viros alioquin eximios, veluti posthabitos, aduersus nos implacabiliter irritemus. Rectè hic idem Philosophus in Problemate nunc indicato ait, dum tertiam rationem ad illud idem quæsitum apponeret; *quod auctor ille præmiorum tale suis hominibus certamen proponere noluit, vnde inimicitiæ, seditionesque maximæ orirentur. Homines enim cum in aliqua re sui corporis improbantur, non molestè omninò ferunt, neque ijs infesti redduntur, qui ita iudicarint: At si stolidiores iudicati sunt, iudicibus admodum ipsis succensent, ægrèque vehementissime ferunt: quæ quidem res seditiosa, & stolida est*.

Postremò, quia hoc determinare penitus videtur impossibile. Quippè si vnus excedit alium in vna quapiam re, exceditur ab illo in alia. Hinc optimè Plin. lib. septimo, cap. 29. ait. *Ingeniorum gloriæ quis possit agere delectum per tot disciplinarum genera, & tantam rerum, operumque varietatem?*

Nihilominus in re ardua animi quoque nisus assolet laudari: Equidem adducam vtraque ex parte rationes, quod videl. ingenium Stagiritæ fuerit omnium mortalium summum: & quod fuerit infra ingenia mediocria: Deinde ingenuè subijciam quid equidem hic censeam: postea *arbitrium tuum, tua valeat existimatio*. II.

Aristoteles, vt Benedictus Perer. vir sanè doctus lib. quinto suæ Phys cap. 1. loquitur, *non modo singulare decus Græciæ, sed eximium orbis terræ ornamentum*, fuit natione Græcus, prouincia Macedo, patria Stagirites, meus conterraneus, ac penè conciuis. Stagira, vt auctor est Stephanus de Vrbibus, & Ptolom. fuit vetustissima Macedoniæ ciuitas, quam siue temporum iniurijs dirutam, ac labefactatam, Alexander Magn., vt scribit Plinius lib. septimo cap. 29. *Aristoteli præceptori gratificaturus, instaurari, & ornari curauit*, siue vt Plutarcho placet in vita Alexandri, Philippus Alexandri pater, *Stagira, quæ ipse exciderat, iterum frequentauit incolis, & ciues, qui in exilium, aut in seruitute erant, reduxit domum, & ludum eis, ac studijs locum, Nymphæum propè Miezam assignauit*. Stagira nunc est oppidum, a nobis vulgari idiomate Libanoua dictum, vt etiam adnotauit Philippus Ferrarius in suo Lexico geographico, & Ioan. Anton. Magin. in adnotat. ad Ptolom. Mihi verò Patria est Berrhæa, hodie Veria.

Editus est hanc in lucem Aristoteles anno primo nonagesimæ nonæ Olympiadis. Hic autem fuit annos ante Christi natalem primus post trecentesimum septuagesimum. Patrem habuit Nicomachum, qui quidem a Nicomacho Machaonis filio, Æsculapij nepote trahebat genus, fuitque eximius, & insignis medicus, & Amyntæ Macedonum Regis, Philippi Patris, intima familiaritate coniunctus. Medicinæ ars, vt adnotat Franc. Patricius Tom. 1. Discuss. Peripat. lib. 1. per stirpem, ac familiam eius propagata est ab Æsculapio Medicinæ III.

Deo

Digitized by Google

Deo inter Veteres existimato, vsque ad tempora eius ipsius Aristotelis. Matre vsus est Phæstiade ab Æsculapio itidem ducente originem.

Vtroque parente orbatus, paruulus, ac diues, quemadmodum scribit Ammon. in eius vita, ab Atarneo quodam Proxeno, paterno amico splendidè educatus, & liberalibus disciplinis, quibus ea ingenuorum adolescentium ætas informari solet, imbutus, annum iam septimum supra decimum agens, *monitus Oraculo Pythio, vt se studijs Philosophiæ dederet*, Athenas concessit, vbi a morte Socratis, Platonem viginti circiter annos diligentissimè audiuit, a quo quidem nunc sui Gymnasij νοῦς, *intellectus, ac mens*, nunc τῆς ἀληθείας φιλόσοφος *Veritatis Philosophus* appellabatur, nunc domus eius οἶκος τοῦ ἀναγνώστου, *domus Lectoris* vocata est.

SECTIO SECVNDA

Argumenta, quod Aristotelis ingenium fuerit omnium maximum, & summum.

IV. EX his, quæ nunc attigi, duplex, idq; haud leue erui ut argumentum pro summa Stagiritæ præstantia. Vnum, quod Pythius Apollo, nisi in Aristotele insuetum, ac summum introspexisset ingenium, neutiquam ita expressè eum commonuisset, vt se se Philosophiæ studio applicaret. Nam (si ita fari nunc lubet) in more habuit vafer ille Dæmon callidè, & obliquè loqui, vbi ambiguitas inerat, quocirca, & λοξίας dictus, quòd obliqua, & tortuosa responsa redderet. Alterum argum. est, quod dum Plato grauissimi iudicij vir, Aristotelem appellat *mentem, ac intellectum sui Gymnasij*, profectò indicat, vel in tenera illa ætate maximum eius ingenium: dum verò eundem nuncupat *Veritatis Philosophum*, affert eius iudicij grauitatem: dum denique domum ipsius vocat *domum anagnostæ*, lectoris exprimit diligentiam, Quæ porrò tria complectuntur omnia absolutissimi ingenij officia.

Deinde; Ita natura comparatum est, vt certa quadam temporum constitutione, in aliqua regione maximæ, ac veluti portentosæ aliquæ res procreentur, quæ alijs temporum intervallis neutiquam apparent. Modo tempore Aristotelis, & Alexandri Magni, *Græcia clarissima fuit, totoque terrarum orbe potentissima*, vt ait Plinius lib. 18. cap. 7. præsertim vero Macedonia, de qua, quin verba eiusdem Plinij a lib. 4. cap. 10. hic excribam, temperare mihi haud possum. *Hæc est Macedonia, terrarum imperio potita quondam: hæc Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucasum transgressa: hæc in Bactris, Medis, Persis dominata, toto oriente possessor, hæc etiam Indiæ victrix, per vestigia liberi patris, atque Herculis vagata: hæc eadem est Macedonia, cuius vno die Paulus Aemilius Imperator noster LXXII. vrbes direptas vendidit. Tantam differentiam sortis præstitere duo homines*. Hæc igitur eo tempore, non prius, nec posterius edidit vnum in re bellica naturæ portentum, Alexandrum Magnum, qui porrò in eo genere longa intercapedine omnes, quicunque armis præstiterunt, post se reliquit: Eodem tempore Græcia produxit summum in eloquentia virum, Demosthenem, quo nemo etiam in eo genere maior, Rationi itaque congruum videtur, produxisse etiam summum aliquem virum in Philosophia, qui fuit Aristoteles, nam hic, vt scribit Dionys. Halicarnas., erat triennio Demosthene maior natu.

Accedit illustre testimonium prudentissimi Regis Philippi, qui se Dijs immortalibus gratias agere professus est, non tam, quod optandum sibi natum dedissent, Alexandrum, quàm quod eo tempore illum nasci contigisset, quo posset ab Aristotele institui, atque erudiri. Qua quidem gratiarum formula visus est, Aristotelem Philosophis omnium ætatum prætulisse. Enimuero si prudentissimus Rex alio vnquam tempore præstantiorem virum vixisse, aut victurum credidisset, potius illius, quàm Aristotelis tempore filium sibi dari optasset. *Et cum Aristoteles in Macedoniam redijt*, sunt verba Guarini in vita Arist., *honore, ac dignitate longè primus habebatur, vt admiraretur eius sapientiam Rex, quasi decus ingens regni, ac felicitatem suorum temporum æstimaret*. Ab optimo parente dectecit dignus filius Alexander colere præceptorem. *Nam Alexander Aristotelem initio admiratione prosequutus est, & amore non minori (vt ipse aiebat) quam patrem; quòd propter hunc viueret, propter illum autem benè viueret*, inquit Plutarchus in vita Alex.

Tertium argumentum accipio ex auctoritate, & testimonio grauissimorum virorum, quorum hi quidem Aristotelem cæteris omnibus Philosophis sine vlla animi hæsitatione anteponunt: hi verò quamuis expressè reliquis omnibus haud præferant, nihilominus eiusmodi laudibus illum efferunt, vt eos id omninò velle facile intelligamus: Ex quibus nonnullos hic subijciam; quis enim posset omnes? V.

Agmen ducat Ammonius, vir præcipuæ, & integerrimæ auctoritatis, ac fidei, qui Aristotelis vitam litteris consignauit. Hic inter alia hæc habet. Aristoteles in *Philosophia* ὑπερβέβηκε τὰ ἀνθρώπινα μέτρα *excessit humanam mensuram*, (siue. *supergressus est mensuram ingenij humani*) *Nullam enim Philosophiæ partem attigit, quam non perfectè tractauerit; quinimmò multa ipse (qua fuit eius sagacitas, & ingenij acumen) inueniens, vniuersam absoluit Philosophiam, & consumauit*.

Simplic. in proœm. ad hos lib., conferens Aristotelem cum alijs Philosophis ait, ipsum in tribus potissimùm ab illis distare, seu potius antestare. Primò, quod illi obscuritates, & ænigmata scriptis mandarint, hic autem ea reddidit clariora additis quoque exactissimis demonstrationibus. Secundò, discriminatur a Platone, quod hic more Pythagoreorum naturalia considerat, quatenus participant diuinis rebus, ac proinde adducit probationes minus euidentes: Arist. autem adducit, ac de-

mon-

Digitized by Google

monstrationes apertas. Tertiò, differt ab omnibus simul, quòd illi solùm vnam aliquam Philosophiæ partem attigerint; hic verò absoluit omnes partes Philosophiæ Naturalis. Excipe Simplicij verba. *Genus philosophandi Aristotelis a cæteris antiquorum discrepat, quatenus obscuritates, & scirpos illorum transtulit in perspicuam, & propriam expositionem, & vim præterea probationibus, ac syllogismis adiecit. A Platone autem in eo dissentit, quod demonstrationes apertius, illustriusque inducit, & quod earum principia a sensu, & ab euidentibus rationibus sumit. Ab omnibus præterea simul in eo dissidet, quod partes omnes Philosophiæ Naturalis vsque ad maximè particularia reducit.* Consimilia habet in Præfat. ad lib. Categor. vbi loquitur de genere commentationis, Aristotelis, eum ad si lubet.

Themist. rotundo ore Aristotelem cæteris omnibus antiquioribus Philosophis præfert, cum in præfatione ad libros de Anima ita scribit. *Nam quanquam pleraque omnia Aristotelis scripta eiusmodi habeantur, vt demirari præstantiam hominis eius facilè suppetat, nulla profectò commentatio est, in qua ille perinde ingenij sui vim, atque sublimitatem ostenderit, atque in ea, quæ rationem animæ continet. Nam eiusmodi sunt eius libri de Anima, vt vni illi homini omnia, quæ ad hoc genus pertinent, innumerato fuisse, & constitisse videantur, adeo intelligitur, quæ ne numerando quidem, vel percensendo attingi illa a Veteribus potuisse.*

Auerroes, vt etiam adnotauit P. Peretius lib. quinto suæ Physic. cap. 1. videtur, Aristotelem non tanquam vnum aliquem mortalium habere, sed veluti Deum quendam Philosophorum colere, ac venerari. Eius dicta omnia, quibus Aristotelis laudationem prosequitur, congerere, prolixum admodum negotium foret: Vnum vel alterum tantum excribam. In proœm. ad hos lib. *Aristoteles*, inquit, *tres scientias inuenit, & compleuit. Logicam, Naturalem, & Metaphysicam. Inuenit quidem, quia quidquid inuenitur ab antiquis in hac scientia, non est dignum, quod sit pars huius artis: compleuit autem, quia nullus eorum, qui sequuti sunt eum vsque ad hoc tempus, quod est mille, & quingentorum annorum, aliquid addidit, nec inuenit in eius verbis errorem alicuius quantitatis: & talem virtutem esse in indiuiduo vno, miraculosum, & extraneum existit, & hæc dispositio cum in vno homine reperitur, dignus est esse diuinus magis, quàm humanus.* Mantini verò translatio sic habet, *perfecit autem &c. quia nullus potuit quicquam addere his, quæ Arist. tractauit, neque aliquid impugnare, quod sit alicuius momenti, vel considerationis. Inueniri autem hoc in vnico indiuiduo, est alienum, & maximè miraculum. Hæc autem cum reperiuntur in aliquo viro, debent potius ascribi diuino statui, quàm humano: & ideò antiqui vocabant eum diuinum.*

Idem Auerr. in tertio de Anim. comm. 14. ita scribit. *Credo, quod Arist. fuerit regula in natura, & exemplar, quod natura inuenit ad ostendendum vltimam perfectionem humanam in terris*, sic puto legendum; non *in materijs*, vt latini. codic. habent.

Et in primo de gener. animal. cap. 6. *Laudemus*, inquit, *Deum, qui separauit hunc virum*, idest Arist. *ab alijs in perfectione, & appropriauit illi vltimam dignitatem humanam, quam nullus homo potest in nulla ætate attingere.*

Et in lib. cui nomen destructio destructionum in solut. dubit. 13. *Aristotelis*, ait, *doctrina est summa veritas, quoniam eius intellectus fuit finis humani intellectus. Quare benè dicitur de illo, quod ipse fuit creatus, & datus nobis diuina prouidentia, vt non ignoremus possibilia sciri.* Sileo alia.

Age iam alios extra Peripatum lustremus. M. VI.
Tull. vno suo Platone excepto, *cum quo mauult potius errare*, vt ipse loquitur in primo Tusc. quæst. *quàm cum cæteris rectè sentire*, Aristotelem cæteris omnibus Philosophis absque vlla hæsitatione antetulit. Sic in illo primo Tusc. *Aristoteles longè omnibus, (Platonem semper excipio) præstans & ingenio, & diligentia.* Rursus, *Arist vir summo ingenio, scientia, copia.* In primo eodem de Diuin. *Aristoteles*, inquit, *singulari vir ingenio, ac penè diuino.* In secundo de orat. *Aristoteles acie mentis omnium rerum vim, naturasque viderat.* Ibidem *Quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus vel inueniendis, vel indicandis aptior Aristotele?* & alibi sæpe.

Sileo Photium, qui lib. oct. cap. 16. Aristotelem vocat *summum in omni doctrina virum*, & in lib. 18. cap. 34. *virum immensæ subtilitatis*. Sileo Macrob., qui lib. secundo de Somn. Scip. cap. 15. *Sed mihi*, inquit, *videtur vir tantus*, idest Aristoteles, *nihil ignorare potuisse*: Sileo Apulleium, qui in lib de Mundo, Aristotelem vocat *doctissimum, & prudentissimum omnium Philosophorum*: Sileo innumeros alios, qui eundem ipsum ingeniosum portentum, intellectuum apicem, & naturæ genium agnoscunt, prædicantque. Ast vnum D Hieronymum quin hic subijciam, continere me haud possum, cuius testimonium eò maiorum censendum est virium, quin ipse ab Stagiritæ doctrina abhorrebat: præferebat quippè doctrinam Stoicorum doctrinæ Peripateticæ, quemadmodum apud eum ipsum videre licet super Isaiam cap. 11. & ego multis ostendi in Opere de Triplic. Stat. Animæ. Disput. 5. circa finem: nihilominus hic tantus Doctor, in Regul. Monach. cap. 11. edisserens contra Mundi sapientiam, his omninò alloquitur Aristotelem. *Et tu fatuorum Sapientum Princeps Aristoteles, & si fueris absque dubitatione prodigium, grandeque miraculum in tota natura, cui penè videtur infusum quicquid naturaliter est capax humanum genus &c.*

In quibus quidem verbis perpendo. 1., quod Aristotelem vocat *prodigium, & grande miraculum in vniuersa natura.* ergo existimauit illius ingenium extitisse omnium summum.

Perpendo 2. ait, *absque dubitatione*, innuens non modo se, verum etiam omnes alios ita de

Aristotele sensisse, adeò vt hac de re nullus iam esset ambigendi Locus.

Perpendo 3. quod asserit, illi penè fuisse *infusum quicquid naturaliter est capax humanum genus*. Quod profectò verum non esset, si aliud ingenium daretur maius ingenio Aristotelis.

I. Quartum, idque irrefragabile argumentum desumo ex admirandis, ac penè diuinis Aristotelis libris. Nihil est, quod cuiuscunque ingenij vires, & acumen syncerius, ac penitius detegit, quàm libri, & opera ab eodem ipso elaborata. Quis autem Stagiritæ libros, vel nuda cogitatione pellustrans, non illicò, asseueret, ipsum humani ingenij limites excessisse? Siue enim multitudinem spectes, siue variam, multiplicemque in eis doctrinam, siue ordinem, & methodum, omnia sunt incomparabilia. Laertius in vita Aristotelis eius libros ad quadringentos accessisse testatur, qui tamen procul dubio non omnes retulit. Francis. autem Patritius, vir antiquarius, tomo primo Discussion. Peripat. lib. 2. colligens diligentissimè Aristotelis libros ex varijs auctoribus, & citationibus, eorum numerum deducit *vsque ad septingentos quadraginta septem*. obstupescis? ego etiam.

Tam autem variam, multiplicemque doctrinam complexus est, vt nihil omninò in re litteraria sit, quod ille reliquerit intentatum: intentatum autem? quinimmò nihil sit, quod non perfecerit, absolueritque. Naturalem Philosophiam integrè tradidit, complexus tum ea, quæ ad corpus naturale in communi, tum quæ ad omnes ipsius partes, ac species attinent. Logicam, & omnes eius partes absolutissimè compleuit. Metaphysicam planè diuinè tractauit. *In Theologia* verò, vt Ammonius in vita Aristotelis loquitur, *etsi nullum eius extet inuentum, perfectè tamen omnes eius partes est exsequutus*. Mathematicas disciplinas intimè calluit, de quibus, vt auctor est Laert., & Franc. Patrit., multa etiam conscripsit, & videmus etiamnum non modo multa Mathematica Theoremata per eius libros sparsa, sed integra quoque opera, vt est lib. de insecabilibus lineis. Medicinam optimè sciuit, & vt Plutarchus in vita Alex. scribit, *medicinæ amorem Alexandro indidit magis, quàm alius quispiam: Et amicis laborantibus auxilia tulit, & medicationes quasdam, & diætas præcepit*. Et librum etiam composuit, vt refert Patritius, *de sanitate, & morbo*. Præterea ethicam, œconomicam, ciuilem examussim² enucleauit. Quid de Rhetorica dicam? cuius tres portentosos libros terimus. Quid de Poetica, cuius fragmentum solùm habemus? Carmina etiam, & poemata, & elegos, & pæanas elaborauit, vt in Hermiam, in Democritum, in Platonem; & testatur abundè eius Peplus, qui etiamnum extat, & continet epitaphia quorumdam Heroum, quorum mentio est apud Homerum.

Siue denique ordinem, & methodum eius in disponendis, & exarandis rebus expendas, ita admirabilis est, vt eos omnes, quicunque ex omni memoria humanas artes tractarint, longo interuallo post se reliquerit. Adde eloquutionis genus, atque characterem Atticum, purum, candidum, pressum, grauem, vno verbo, vero, ac graui Philosopho dignum, vt meritò optimus syncerae eloquentiæ iudex M. Tullius dixerit, quod Aristoteles *fundit flumen orationis aureum*. Quæ si vera sunt, vt veris ipsis existunt veriora, profectò ingenium illud, quod hæc omnia ita perfectè, & examussim complexum est, non ego humanum, sed humano longè celsius iurè existimauerim.

Quintum argumentum accipio ex ijs, quæ circa ipsum, vel cum adhuc inter mortales ageret, vel paulo post contigerunt. Ac primò quidem perpendo, quod vniuersa Græcia, tunc princeps gentium, concordi voce Aristotelem vocauit δαιμόνιον, quasi maius quid, & excellentius humana mente in semet contineret. VIII.

Præterea Aristoteles in tanta existimatione, ac reuerentia apud plurimes etiam tunc fuit habitus, vt integræ ciuitates ænea cuderint numismata, in quorum altera parte Aristotelis effigies cernebatur, in altera verò Legebatur incisum NATVRÆ MIRACVLVM.

Ad hæc Stagiritæ festum, & sacra Aristoteli decreuerunt, quæ ἀριστοτέλεια vocarunt, & quotannis magno apparatu, & celebritate, quasi numini cuidam fecerunt.

Ad extremum, adde eius nomen, quod sanè diuina prouidentia sic illi videtur fuisse inditum, quod est ἄριστον τέλος optimus finis, quia diuinus hic vir cunctas facultates, ac disciplinas ab inextricabilibus vetustatis erroribus, quasi ex infamibus scopulis, ad optimum finem, & tutum portum euexit, vt in ipsum accomodatissimè cadat illud Lucretij. ex lib. tertio

Quod genus humanum ingenio superauit, & omnes
Præstrinxit stellas exortus, vti æthereus sol.

Verùm de hac parte haud plura: quanquam plurima alia addere possem, imo & vellem: sed *est modus in rebus*.

SECTIO TERTIA.

Argumenta pro contraria parte, quod videl. ingenium Aristotelis non fuerit maximum, quinimmo vix mediocre.

ALtera ex parte, ingenium Aristotelis Stagiritæ haud exiliter omnium summum, quinuero vix mediocrium ingeniorum limites attigisse, duplici via suaderi potest. Primò, per comparationem ad alios, si ostendero, complures alios longa intercapedine ipso Aristotele tum ingenio, tum doctrina præstantiores floruisse. IX.

Secundò absolutè, si detexero, Aristotelem non tanti esse, quantum nonnulli sibi ipsis persuadent.

Principio, si eos animo recolas, qui ante Aristotelem priscis ætatibus inter mortales fuere, quis vnquam credat, in tot sæculorum tractu, non extitisse multos alios inter Græcos, Ægyptios, Babylonios, Chaldæos maiori, ac celsiori ingenio, quàm Aristoteles, aut sanè eo non inferiori? Credendum est, vixisse viros quamplurimos mentis acie, doctrinaque eximios, quorum memoriam, & nomina ipsa temporum iniuriæ labefactarunt. Et quemadmodum Horat. lib. 4. carm. Od. 9. de Ducibus modulatus est.

Vixere fortes ante Agamemnona multi,

sic dixerim. Vixere Sapientes ante Aristotelem multi

Sed omnes illacbrymabiles, ignotique longa vrgentur nocte,
Vate quia sacro carent.

X. Deinde, Si Aristotelem cum ijs conferas, quorum notitia nos attigit, quid vnquam dicere audebimus de Mercurio Termaximo, de Democrito, de Anaxagora, de Empedocle, de Archimede, de Hippocrate, de Platone? vt innumeros alios silentio voluam. Mercurium Plato in Phædro scribit, *primum numeri supputandi scientiæ, & item Geometriæ, & Astronomiæ, tesserarum, calculorum, itemque litterarum repertorem fuisse*. Et in Philebo explicat, *quo artificio elementa, sermonis, ac litterarum distinxerit, artemque legendi confecerit* Subijciam verba Augustini Steuchi Eugub. ex lib. 1. de Perenni Philosophia cap. 25. *Sed nullis antiquis Theologis, ac Philosophis non diuini viri huius doctrina cognita fuit: vt eum propter inauditum ingenium, propter mirabilem, multiplicemque omnium rerum scientiam, Termaximum vocarent. Græcorum loquendi mos est, vt summum quid, ac perfectum dicturi, Ter illud ipsum esse dicant. Homerus, τρισμάκαρας, appellat ter beatos, vndequaque beatissimos, sic eum, quem vndequaque maximum, ac mirabilissimum perspicerent, termaximum appellarunt.*

Democritus omnium doctrinarum ambitum videtur esse complexus: de quo Laert. in eius vita hæc omnino litteris dedit. *Reuera Democritus in Philosophia erat πένταθλος, quinquertio. Nam & circa Physica, & Moralia, & Mathematica, & Humanos sermones, & Artes, omnem habebat experientiam.* De quibus etiam, vt patet, conscripsit. Sed inter alia elaborauit librum, cui nomen μέγας διάκοσμος, *magnus apparatus*, qui quidem, auctore eodem Laert, æstimatus est quingentis talentis. Verùm de Democrito illustre excidit elogium ipsimet Aristoteli, dum in primo de Ort., & Inter. tex. 5 *omnino*, ait, *præter ea, quæ superficietenus, de nulla aliquis instituit, præter Democritum. Hic autem videtur quidem de omnibus curasse.*

Anaxagoram prisca ætas vsque adeo venerata est, vt eum mentem, ac intellectum appellaret, quòd primus materiæ adiunxerit causam effectricem, idest primum intellectum, Deum.

Archimedem præ cæteris admiratur Cardanus in suis subtil., & Cicer. lib. secundo de Natur. Deor. *Archimedem*, ait, *arbitrantur plus valuisse in imitandis sphærarum conuersionibus, quàm naturam in efficiendis.*

De Hippocrate haud est, quod ambigas, quin summus extiterit vir. Testatur clarissima famæ illius celebritas, perpetuo subsequentium ætatum præconio decantata: Longeque luculentius contestantur præclara eius opera, quæ etiamnum summo cum fructu terimus.

De Platone vel hiscere quis audeat? Primò Plato, communi Græciæ consensione, videtur prælatus Aristoteli, cum illum Diuinum, hunc Dæmonium appellarent. Maius autem, & excellentius est, Diuinum esse, quàm Dæmonium. Secundò, Plato non videtur minora, vel pauciora opera conscripsisse, quàm Aristoteles, quinuero plura, eaque longa intercapedine sublimiora, cum se plerumque etiam ad diuina attollat, a quibus Aristoteles planè abstinuit. Tertiò Plato mirabili anteiuit eloquio, adeo vt olim dictitatum fuerit, quod si vnquam Iupiter humana lingua loqui voluisset, non alia, quàm lingua Platonis fuisset vsurus. Quartò, quia Aristoteles ipse sua sponte cessit Platoni, dum eum tanto obsequio, & reuerentia prosequutus est, vt illi, ceu numini cuidam aram erexerit, inscripseritque hoc carmen.

Βωμὸν Ἀριστοτέλης ἐνιδρύσατο τόνδε Πλάτωνος,
ἀνδρὸς, ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.
Aram Aristoteles erexit hanc Platoni,
Viro, quem neque laudare sceleslis fas est.

Quintò, quia Plato non habuit pauciores, neque inferioris notæ sectatores, ac fautores, quàm Arist. Qua de re multis etiam egi in Opere de Triplici Stat. Anim. Disput. 5. circa finem. Ad extremum Plato, dum adhuc inter viuos moraretur, summo honore communiter affectus fuit. Subijciam hic verba Marsilij Ficini ex Platonis vita; quæ sunt: *Quis dubitet, Platonem esse præcipuum, vel acumine disserendi, vel eloquendi facundia diuina quadam, & Homerica? Multum enim illius oratio supra prosam orationem, & quam pedestrem Græci vocant, surgit, vt mihi non humano ingenio, sed Delphica quodam oraculo videatur instructus: Diuina quadam sapientia, & probitate, mirabilem auctoritatem etiam in patria, quod rarissimò fieri solet, sibi comparauisse videtur. Reuersus ex Sicilia Plato, cum ad magnificentissimam illam Olympiarum celebritatem, quasi quendam orbis terrarum conuentum, vt e cælo Deus demissus videretur. Ludos deseri, Athletarum spectacula relinqui, Pugiles solos omitti cerneret: & quod admirabilius est, qui e tam longis terrarum, marisque tractibus pascendorum oculorum, animorumque, & aliorum gratia ad Olympia venerant, omnis voluptatis obliti, Platonem adibant,*

Plato-

Digitized by Google

Platonem intuebantur, in Platone perinde, atque amœnissimo diuersorio conquiescebant.

Quid verò? Vin eundem ipsum Aristotelem cum
XII. nostris, tum Græcis, tùm Latinis conferamus? Ex illis occurrent Origenes, Gregorij, Cyrilli, Basilij, Athanasij, Damasceni, agmen aliud ingens, ingenio, doctrina, eruditione vsquequaque viri conspicui, admirandique: Inter hos autem en Augustin., Hieronym., Albert. Magn., D. Thom., Subtilis Doctor, Ægidius, Occham, alij, qui porrò cum Aristotele de ingenio, & doctrina non modò contendere, sed palmam quoq; viderentur ferre. Hæc, si illum cum alijs comparemus. Si verò eumdem ipsum in se spectemus, facilè est illius mediocritatem deprehendere. Et quia abdita cuiuscunque ingenij vis, ac natura ex suis operationibus innotescit, ideircò.

Secundo loco arguunt ex ipsius doctrina. Hæc,
XIII. inquiunt, est obscura, multis contrarietatibus, ac repugnantijs implicata, incerta, multarumque rerum causas ne e longinquo quidem attingit, tum in multis rebus est apertè falsa, & denique est iniqua, & flagitiosa. Quæ omnia singillatim hunc in modum probantur. Et

Quod sit obscura, & inuoluta, ita clarum, ac dilucidum est, vt nomen σκοτεινός, *obscurus*, quod olim Heraclito datum nouimus, æquiori lance ipsi Aristoteli videatur dandum. Et quod maius est, huiusmodi obscuritatem ex industria affectauit. *Nam Aristoteles in libris acroamaticis data opera voluit obscurus esse.* inquit Themist. in proœm. posth. libr. Causa hæc recensetur, quia prospiciebat vafrum illud ingenium, suam doctrinam in varias doctorum hominum censuras, & reprehensiones venturam, ob id callidè studuit, eam obtenebrare, & huiusmodi verbis vti, quæ huc, atque illuc in varios sensus possent distorqueri. Et denique hac in re (quod est exemplum Attici apud Euseb. Cæsar. lib. 15. de Præparat. Euangel. cap 8.) imitatus est sepiarum morem, quæ dum præsentiunt sibi admoueri manus, atramentum congenitum spargunt, & inficiunt aquam, vt ab oculis, mox a manibus piscatorum aufugiant. Sic Arist. vbi tradatur dubitat, spargit aut sermonis breuitatem, aut constructionis obliquitatem, aut ambiguitatem, vt intelligentiam, & aciem eorum, qui ipsum deprehendere vellent, aufugiat.

Quod autem eadem doctrina contrarijs, ac repugnantibus sententijs implicata sit, ostendunt. Primo, quòd Arist. multa dogmata sibi repugnantia statuit. V G. caelum, primum ens, Deum, esse agens naturale, ac necessarium; & nihilominus admittit effectum contingentium, quæ duo inter se e regione pugnant, vt etiam animaduertit Scot. in 1. dist. 2. quæst. 2. Item, firmiter testatus est, animas rationis, consilijque participes esse immortales, & in singulis hominum singulas, vt in Opere de Triplic. Stat. Animæ, Disput. quota, & sexta abundè patefeci: tum statuit mundum æternum, vt patet in oct. Physic. & primo de Cælo: Et tamen absolutè negat, posse dari infinitum in actu, vt videre licet in tertio lib. eiusdem operis: Quod tamen infinitum actu ex illis positionibus apertissimè sequitur; quemadmodum etiam vidimus in dicto Opere de Triplici Stat. Anim. Disput. 6. sect. 9. Huius ipsius doctrinæ repugnantiam, & inconstantiam contestantur tot Peripateticorum contrariæ, ac discordes opiniones, quæ plerumq; de vna, atq; eadem re extant, quarum vnaquæque pertinaciter contendit, sui Præceptoris auctoritate, & testimonio tueri.

Quod verò sit lubrica, atque incerta, ex eo suadetur. Primò, quoniam plurimarum rerum nullas omninò affert causas. Hem, quam vnquam a Peripateticis acceperis, aut expectaueris causam, cur magnes ferrum attrahat? cur æstus maris excitetur? quomodo noua exoriantur sydera? & sexcenta id genus alia. Deinde ijdem auctores cum in aliquem effectum paulo a vulgari sensu remotiorem inciderint, statim se se ad illud ignorantiæ asylum recipiunt, quod illa pendet ex quadam occulta Qualitate. Perinde prorsus, atque Anaxagoras, quem reprehendit Philosophus in primo Metaphys. cap. 4. *tanquam machina vtebatur intellectu, ad mundi generationem, & cum dubitaret propter quam causam necessariò est, tunc eum attrahebat.* Accedit, quod Sagiritæa doctrina vniuersa innixa est sensibus: Hi verò sæpenumero hallucinantur. Quam ergo certitudinem, & firmitatem scientiæ poterunt suppeditare? Postremò, quia auctoritas, & fama huius doctrinæ cœpit augeri, & increbescere ex ignorantia Arabum, & Maurorum, præsertim verò ab Auerroe, qui vixit circa ann. Domini M. C.

Est præterea multis in rebus apertè falsa: V. G. motus, & mundus Aristoteli sunt vsquequaque æterni. & creatio, ac productio alicuius ex nihilo, planè pro nihilo habita est. Creatio autem cunctarum rerum in tempore, ac proinde motus, & mundus sunt fundamenta nostræ veritatis.

Tandem hæc eadem doctrina est iniqua, & flagitiosa. Iniqua quidem, quia Arist. permulta falsa, & absurda dogmata imponit antiquis Philosophis; viris alioquin doctissimis, ac celebratissimis. Imponit Parmenidi, & Melisso, quod principium rerum omnium naturalium fecerint vnum, in primo Phis. cap. 2. Democrito, quod animam conflauerit ex igne in primo de Anima tex. 30. Platoni, quod eamdem animam composuerit ex elementis, in eodem lib. tex. 26. quod ideas fecerit formas quasdam ab omni materia segregatas, & per se existentes. Adde, quod Xenophanem, & Melissum compellat agrestes, sæpenumero prioribus Philosophis inurit ruditatem, ignorantiam, inexperientiam. Quæ omnia iniqua sunt.

Est autem flagitiosa, quia ipse plurima aliorum inuenta sibi arrogat: & eos, a quibus doctrinæ suæ latices hausit, ne nominat quidem, sed inuidiosè, ac flagitiosè supprimit. Cur enim Ocello, Theagi, Meropo, Architæ, Hippocrati, (vt innumeros alios præteream) a quibus & multa dogmata, &

Digitized by Google

rationes, & periodos integras sumpsit, non agit gratias? cur non philosophico animo conficetur ea, quæ ab illis deprompsit, sed malitiosè occultat? Quid vero? Sunt, qui volunt, eum multorum Veterum Philosophorum libros auidè conquisiuisse, & vbi expoliauit, postea eos ex industria combussisse; vt ea vid. dogmata, & rationes, quas ex illis surrepuerat, posteri tanquam ab eo inuenta, admirarentur.

XIV. Tertium argumentum proferri potest ex ijs, quæ de eo, siue de eius corpore, nec non de ipsius progressu in Philosophia, & viuendi conditione memoriæ prodita sunt.

Et quidem si ex corporis charactere non obscurè internos animi motus, ipsumque mentis robur æstimari, ac introspicere possumus, quia auctore eodem Philosopho in lib: Physiogn. cap. 2. *ex figuris, & ex coloribus, & ex motibus apparentibus in facie, & ex voce, & ex carne, & ex partibus, & ex figura totius corporis colligunt Physiognomi internas animi dispositiones*. Aristoteles fuit voce balbus, oculis paruis, & cruribus tenuibus. Sic referunt Ammon., Laert., & Plutarchus. Addunt aliqui, quod fuit gibbosus, staturæ paruæ, & omninò deformis.

Modo balbuties, tantum abest, vt validam mentis vim, & acumen indicet, vt potius ingenium humile, atque hebes coarguat, quia balbuties ortum ducit ex nimia cerebri, & linguæ humiditate. Argumento sunt ebriosi, qui vbi vino maduerint, balbutiunt, & infantes, qui hanc ipsam ob causam patiuntur eamdem affectionem. Qua de re agit Aristoteles Sect. 11. Problem. quæsit. 50. Humiditas autem obtundit, atque obruit acumen, & vim ingenij. Hoc etiam contestantur dicti ebrij, & infantes, qui nec incedere, nec fari queunt.

Parui oculi exiguum itidem, atque humile produnt ingenium. Primò quia significant paucitatem spirituum animalium, qui ex cerebro ad oculos defluunt: pauca quippe spirituum copia paucos quoque exposcit canales, idest oculos. Vbi verò spiritus animales pauci sunt, credas ne magnum, & excellens adesse ingenium? Secundò, Paruitas oculorum est vitium: vt enim excessus, ita & deffectus partium corporis nostri vitia sunt. Vitium autem in oculis ostendit deffectum in cerebro: existente autem defectu in cerebro, ne mediocre quidem, ne dum magnum erit ingenium. Audi quid ipsemet Stagirites de paruitate oculorum scriptum reliquit, in primo de Histor. animal. cap. 10. *Sunt oculorum alij grandiores, alij parui, alij modici, medij verò optimi habentur*. Et in lib. Physiogn. cap. 6. hæc habet. *Quicunque oculos paruos habent, pusillanimi: referuntur ad apparentiam, & simiam: Quicumque verò habent oculos magnos, referuntur ad boues; igitur benè natum oportet, neque magnos, neque paruos habere oculos*.

Crura demum tenuia, ac gracilia id idem innuere videntur. Legimus enim in quarto de Partibus animal. cap. 10. quod *habere partem superiorem magnam, inferiorem autem, quæ pondus sustinet, & motum exercet, paruam, & minimè respondentem superiori, est proprium pumilionum, quinimmò brutorum*. Si itaque Aristoteli pars superior fuit magna, inferior autem, videl. crura, fuit tenuior, ac gracilior, vide ad quam vnquam conditionem ille referendus sit.

Confirmant ex progressu illius in philosophia, XV.
Nam Arist. iuuentam, inquiunt, suam consumpsit in paternis bonis dilapidandis, atque vbi ad egestatem redactus est, militiæ nauauit operam, qua in re, cum aduersa vteretur fortuna, pharmacopola factus est. Sic referunt ex Epicuro in quadam epistola. Quam eamdem rem recitauit etiam Athenæus lib. 8. sermon. conuiu. his verbis. *Multa adhuc habens dicere, circa quæ delirauit pharmacopola, esse: quamquam sciens Epicurum veritatis amantissimum, hæc de eo dixisse in epistola de studijs, quod paterna deglutiens, in militiam est profectus, & quod in ea malè agens, ad pharmacopolium venit*. Demum grandiori æuo prouectus claudendis, & secludendis ostijs in obscuri cuiusdam medici officina præfectus est. Quam etiam rem muniunt testimonio Timæi Tauromenitæ histor. Quinimo apud Suidam hæc etiam leges. *Timæus ait contra Aristotelem, esse eum promptum, audacem, procacem, non tamen sapientem, tarda disciplina, odibilem, qui celebri medicina clauso, in omnem aulam, & scenam insiluit. Ad hæc vasti ventris, obsoniorum conditorem, ore ad omnia propensum*.

XVI. Congerunt etiam contumelias, quod Arist. extiterit erga Platonem præceptorem ingratus; quod inuidia, ac liuore ductus, eximiam, ac diuinam illius doctrinam rabido lacerauerit dente, & cum ipsum ex nomine plusquam sexaginta locis irreuerenter insectatus est. Causa huius agrestis odij, ea, inquiunt, fuit, quòd Plato non probabat illius vitam, neque corporis habitum, ornatumque. Etenim Arist. vtebatur vestibus splendidis, ac illustribus; vtebatur calceamentis magnificis; exornabat se se contra Platonis morem κουρᾷ, tonsura, gestabat varios annulos. Quæ cum Plato videret, omnia esse viro Philosopho indigna, non sed mittebat hominem, sed ei præponebat Xenocratem, Speusippum, Amyclam, & alios. Hinc Arist. indignatus, ira, & odio inuectus est contra Platonem.

Fuit etiam ingratissimus erga discipulum Alex., a quo tot beneficijs, honoribus, facultatibus erat affectus, auctus, cumulatus, nihilominus conspirauit in illius necem, & venenum fabrefecit, quod Antipatro misit, cuius filius Iola, pincerna Alexandri venenum eidem Alexandro immiscuit, ex quo optimus Rex interijt. Hæc produnt quidam blaterones, & obtrectatores iniqui, aduersus eximium hunc, & incomparabilem virum præter omne æquum effutiunt; quorum maledicentia efficit, vt eorum nomina profectò minus mereantur a quouis synceræ mentis scriptore chartis inseri, quàm nequam illius nomen, qui nobile Dianæ Ephesiæ templum incendit. Quid? Non defuit etiam, qui Aristotelem virulento hoc præstrinxit disticho:

Docto.

Digitized by Google

Doctorem calamo ingratus, Dominumque veneno Perdidit, igne Patrum dogmata, nos tenebris.

SECTIO QVARTA.

Auctoris sententia de ingenio Aristotelis Stagiritæ.

XVII Hominum iuditia, præsertim verò Philosophorum, sunt libera. Et ex veteri effato, *tibi tuum, mibi meum placet*. Porrò quid ego de Aristotelis ingenio sentiam, hic palàm dò. Quod, vt faciam, accipio hanc distinctionem, quod aliquod ingenium tribus modis potest esse magnum, atque excellens. Vno quidem (expedit vti vocibus scholæ) solùm extensiuè ad multas, & si vis etiam ad omnes facultates, ac scientias, sed non intensiuè. Altero tantùm intensiuè in vna aliqua, ac certa scientia, at non extensiuè. Tertiò simul, & intensiuè, & extensiuè.

Magna, & præclara ingenia extensiuè tantum, illa voco, quæ habent cognitionem plurimarum rerum, ac facultatum, ita vt quasi de quacunque proposita re promptè, & eruditè edissetant, sed tamen de omnibus edisseruit superficietenus. Talis fuit verbi gratia Gorgias ille Leontinus, cui, vt scribit Quintil. lib. tertio Institut. Orat. cap. 1. *tanta fuit artis fiducia, vt de omni re, quæcunque in disceptationem, quæstionemque vocaretur, se copiosissimè dicturum esse profiteretur*. Et vt M. Tull. in lib. de Orat., & in Bruto ait; *Tota Græcia audiente, ausus est dicere, se nihil non scire*. Huius classis homines, vt vulgò dicitur, sciunt ea omnibus aliquid, & ex toto nihil. Verè dixeris cum Auicenna, quod *hi apprehendunt cortices, & non diuisiones*. Isti in præsenti disputatione de præstantia, & acumine ingenij sponte, non modo Aristotelis porrigunt herbam, sed plurimis etiam alijs.

Magna autem, sublimia, ac summa ingenia intensiuè tantùm in vna certa, ac determinata scientia, illa sunt, quæ in ea maximè excellunt, alias autem doctrinas, ac facultates, aut penitus non sciunt, aut leniter, vel vix attingunt. Hac ingenij præstantia floruere plurimi viri summi, & Aristoteli æquales. Hippocrates verbi gratia fuit summi ingenij vir in Medicina, Archimedes in construendis machinis, Euclides in Mathematicis. Atque vt e nostris quoque aliquos indicem, hac mentis acie viguere summi viri Gregor. Nazian. Magn. Basil., August., D. Thom., Scot. in Sacra Theologia; & tanta profunditate res Theologicas tractauerunt (non loquor de certitudine innixa fidei) quanta Arist. tractauit verbi gratia res naturales. Cæterùm præfati auctores neutiquam fuerunt magni, & Stagiritæ æquales etiam extensiuè. Neque enim exempli gratia Hippocr. quicquam conscripsit de Oratoria facultate, aut de carminibus, aut de rebus hilarioribus. Fuit ille, vt ex eius stylo conijcio, pauciloquus, & contractæ cuiusdam naturæ. Eodem pacto neque D. Thomas, aut Scot. aliquid de arte dicendi, aut de Poetica, aut de Medicina, vel de Mathematicis elaborarunt. Aristoteles autem nullam omnino scientiam, nullam facultatem non calluit, & ita eius ingenium fuit extensiuè magnum, & summum. Et vnamquamque singillatim tanta profunditate pertractauit, & scriptis illustrauit, vt in illa vna, omnem suam vitam insumpsisse videretur, & ita fuit etiam intensiuè magnum, & summum. Hæc vera esse vel ex pauculis illis, quæ in sectione 2. adduxi, quiuis potest facilè deprehendere. *In hoc itaque omnes alij ab Stagirite superantur, quod illi fuerunt quidem magni, eximij, summi, verùm fuerunt aut solùm extensiuè tales, aut solùm intensiuè: In Aristotele autem fuit ingenium vtroque modo magnum, excelsum, vastum;* & vt eum Guarino Veronen. in vita Aristotelis concludam, *erat in eo vertas ingenij summa, nec sanè minor, aut vigilantia, aut sedulitas*.

SECTIO QVINTA

Depelluntur duo priora argumenta in sect. tertia contra magnitudinem ingenij Aristotelis confecta.

Quæ nunc de ingenio, & conditione Stagiritæ dixi, longè conspicaciora euadent, si argumenta in contrariam partem adducta, paucis diluamus. Primum desumebatur ex comparatione Aristotelis cum alijs Philosophis, qui porrò in duplici versantur differentia. Aut enim eorum notitia ad nos aliquo pacto deuenit, aut non. De his posterioribus non est, quod dicamus, quia, vt fiat comparatio inter aliqua, debet vtrumque extremum teneri. Nos autem nullam habemus illorum cognitionem, qui in immensa temporum vastitate latuerunt. Si verò de ijs, fiat sermo, qui vel solo nomine, vel etiam aliquo dicterio, aut fragmento feruntur celebrati, præsertim qui floruerunt extra Græciam, vt Zoroaster, Mercurius Termaximus, & siqui alij; dico, eos fuisse viros eximios, & maximè admirandos, & fortasse ingenio ipsi Aristoteli pares, quæ tamen æqualitas inter illos, & Aristotelem demonstrari nequit, cum illorum opera haud extent, ex quibus intensiuam simul, & extensiuam illorum ingeniorum perfectionem, ac præstantiam possimus colligere, quemadmodum facimus de Aristotele, sed credimus famæ dumtaxat, quæ eundo mirificè crescit, & quandoque prodigaliter adauget opinionem, & laudes. XVIII

XIX Verùm contrahamus orationem ad eos, quorum vberior cognitio ad nos peruenit, qui quidem aut sunt nimis antiqui, aut ipsi Aristoteli ætate viciniores, coæui, vel etiam ipsum subsecuti. Primi sponte Aristoteli cedunt, vt potè in quibus *balbutienti assimilata fuit prima Philosophia de omnibus, tanquam in principijs noua existens*, vt loquitur idem Philosophus in primo Metaphys. cap. vlt. Sanè tum primùm fuit Philosophia inter Græcos delata: Nihil autem statim natum, statim quoque perfectum:

Ar

Digitized by Google

At verò cedunt etiam eidem Aristoteli ἐπόντες δεκον- νίγα δυμῷ Philosophi minus antiqui, & Aristoteli viciniores, vt Empedocles, Democritus, Anaxagoras, Leucippus, Epicurus, Parmenides, Melissus, Xenophanes, alij, præsertim si de vtraque ingenij præstantia sermo sit. Hoc, quod asserimus facilè deprehendes. Primò, si multa illorum Philosophorum absona, & inopinabilia dogmata consideres: Secundò, quia nemo illorum tot, & tam varia opera conscripsit, quot, & quàm varia edidit Arist., atque ea omnia exactè, & elaboratè absoluit. Tertiò, quia vt Auerr. in proœm. horum librorum ait, *postquam notuerunt libri Aristotelis, libri prædecessorum eius fuerant abnegati, & aboliti.* Hoc autem neutiquam euenisset, si illorum Philosophorum libri fuissent æquè perfecti, ac sunt Stagiritæ nostri opera, quia communis hominum censio, dum vnum postponit, & alterum præfert, non decipitur. *Singuli decipere, ac decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Quocirca sicut Iul. Cæsar. Scalig. Exercit. 324. indignatur Cardano, quòd Archimedem alijs prætulerit, *Aristoteli*, inquit, *fabrum antetulisti, non minus illis ipsis artibus erudito.* sic optimo iure quispiam ei indignabitur, qui aliquem ex recensitis Philosophis in vtraque ingenij præstantia Aristoteli contendat æquare.

XX. De Platone, & Aristotele lis est acrior. Ego distinguendum arbitror. Inter eos tria possunt, ac debent spectari: Primò, oratio, seu eloquutio, Secundò, res, de quibus ij tractant: Tertiò acumen, iudicium, & modus, quo res illas pertractant, atque exequuntur. Quod ad eloquutionem, seu eloquentiam attinet, profectò inter Platonem, & Aristotelem nequit propria, & pressa fieri comparatio. Primùm, quoniam Plato habet stylum Dialogis aptum, fusum, interrogationibus, affirmationibus, aut negationibus interloquutorum vbique interruptum, plerumque iteratum, & ex industria flosculis quibusdam etiam e medio petitis ornatum: Arist. autem vtget stylo conciso, presso, emuncto, omnino ad docendum apto.

Deinde, Plato alicubi nimium effunditur, & agit oratorem, nonnumquam fabulas, & apologos interserit. Arist. verò vbique docet, hoc vnum habet præ oculis, vt lectorem instruat, & reddat doctiorem. Porrò, quemadmodum M. Tull. in lib. de Orat. iudicauit de Herodoto, & Tucydide, *quod ille sine vllis salebris, quasi sedatus amnis fluit. Hic concitatior fertur, & de bellicis rebus canit etiam quoddammodo bellicum.* sic ipse de Platone, & Aristotele poteris iudicare. Vterque tamen elegantissimè, scitissimèque eloquitur. Audi optimum dicendi iudicem, ac Magistrum eundem Tullium, qui in lib. de Orat. hæc omninò scribit. *Cum tuas ille Stoicus sapiens syllabatim ipsa dixerit, veniet flumen orationis aureum fundens Aristoteles, qui illum desipere dicat.* Et in lib. Topicorum eiusdem M. Tullij ad Trebatium in proœm. ita scriptum leges de Rhetoribus, qui se Aristotelica ignorare dicebant: *Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus ijs, quæ ab illo dictæ, & inuentæ sunt, allici debuerunt; sed dicendi quoque incredibili quadam, cùm copia, tum etiam suauitate.* In lib. autem primo de Finib. bonorum, & malorum, *credo*, inquit idem Tull., *te minus delectari ab Epicuro, qui hæc Aristotelis, & Theophrasti ornamenta dicendi contempsit.* Vides in priori loco incredibilem suauitatem, & copiam, in posteriori autem ornamenta dicendi Aristotelis? In epistol. ad Faunium hæc scribit. *Meus autem liber totum Isocratis myrothecium, atque omnia eius discipulorum arculas, ac nonnihil & Aristotelica pigmenta consumpsit.* Et in primo ad Herennium lib. de Arte Rhetorica loquens, sic ait. *Aristoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta, atque ornamenta subministrauit.* infinita inuenies apud bonos auctores huiusmodi testimonia de Aristotele, quæ ego nunc prætereo. Subijciam tamen sensata verba P. Pererij ex lib. quinto Phys. cap. 1. *Quod si*, inquit, *aliqui in Aristotele reprehendere solent ieiunitatem, asperitatem, obscuritatemque orationis, ij profectò non Aristotelem Græcum, sed barbaras, sordidasque Latinorum interpretum versiones eius legunt.*

Secundò, inter Platonem, & Aristotelem considerari possunt res, de quibus ij ipsi agunt. Plato sæpenumero miscet naturalia cum Mathematicis, & illa per hæc explicat, vt apud eum passim inspicere licet, & satis etiam indicat Arist. in primo de Ort., & Inter. tex. 7., & declarat Simplic. in Præfat. ad Categ. Hoc verò iccircò præstitit, quoniam complura dogmata a Pythagoræis mutuatus est. *Nam post Pythagoræorum Philosophiam, disciplina Platonis superuenit, in plerisque quidem istos secuta, quædam autem etiam propria vltra Italicorum habens Philosophiam*, ait Philosophus in primo Metaphys. cap. 5. Pythagoræi verò pleraque omnia per Mathematica, vtpote in ijs enutriti, explicare consueuerunt, quemadmodum in cap. 4. lib. cit. dicitur. XXI.

Deinde Plato imitatione Pythagoræorum multa retorsit, adeò vt aliquando amplectatur rem, & mutet nomen. V.G. *Pythagorici*, sunt verba Philosophi in cap. 5. Indic., *imitatione numerorum entia esse: Plato autem nomen mutando, participatione* asseuerat, entia esse per participationem Idearum.

Preterea, Plato multa etiam accepit ex Parmenide, vt vel ex ipsius Dialog., cui nomen fecit Parmenid, videmus: Multa accepit ex Heraclito, & Cratillo, *cum quibus ex recenti conuersatus erat.* vt in eodem cap. 5. libri primi Metaphys. legimus, Multa quinimo delibauit ex sacris ipsis voluminibus, vt non incongruè Numinius Philosophus dixerit, *Quid est Plato, nisi Moyses atticisans?* Et Aristobulus Iudæus lib. ad Philometora, *legem*, inquit, *nostram in multis Plato secutus est.* Quæ quidem doctrinæ similitudo, aut deriuatio in causa fuit, cur plerique Sanctorum Patrum tam Græc., quàm Latin. doctrinam Platonis prætulerint doctrinæ Aristotelis. Qua de re multa dixi in Oper. de Triplic. Stat. Anim. Disput. 5. sect. vlt.

Acce-

Accedit, quod non pauca a poetis, & eorum traditionibus, ac fabulis accepit, nec non a cultu, & religione suæ tempestatis. Quæ porrò omnia suo modo coegesit, ideòque alicubi proprias quidem ostensiones earum rerum, de quibus tractat, subnectit, alicubi adducit solùm probabiles, nonnonquam confugit ad allegorias, aliquando ad fabulas.

In Aristotele autem nihil huiusmodi. Res naturales naturaliter tractat: In ijs constituendis, ac confirmandis, *nunquam voluit*, vtor Simplic. verbis in Præfat. ad Categor., *a natura discedere, ac degenerare. Quinimò ea, quæ naturam excedunt, per habitum, & cognitionem naturalem contemplatur: ceu, & diuinus Plato e conuerso more Pythagoræo naturalia considerat, quatenus diuinis participant, & his, quæ supra naturam sunt.*

Præterea Arist. de rebus naturalibus tales affert ostensiones, vt nemo, nisi perfractè proteruus eas possit inficiari. Excipe etiam de hoc verba Simpl. ex eodem loco. *Et in eius demonstrationibus necessitas adeo inest, vt vbi quispiam persuaderi quibusdam non temerarijs assumptionibus non poterit, saltem necessitate victus assentiat.* Postea, si vspiam suæ doctrinæ aliquid ex Mathematicis disciplinis inspergit, id summo iudicio facit, & adducit pro exemplis, tum quia exempla ex Mathematicis rebus hausta, sunt clarissima, tum etiam quoniam illa tempestate erant inter homines etiam mediocriter eruditos trita. Postremò, quia quæ ipse ab alijs Philosophis mutuatus est, ea ita probè digessit, & suis quæque collocauit sedibus, vt nullo vnquam pacto aliena, sed penitus ipsius esse videantur. Hic ego liberè iudicium Aristotelis antefero iudicio Platonis.

XXII. Tertium demum, quod inter Platonem, & Aristotelem attendi potest, est acumen, & valida quædam mentis acies, tum in peruestigandis rebus, tum in ijsdem dijudicandis: Et insuper modos, quo res inueniantur, ac iudicatæ distribuuntur; Et denique methodus, ac artificium, quibus illæ eædem res pertractantur: de quibus quisquis vtriusque opera sine ira, & odio expendit, profectò facilè poterit sententiam ferre: Equidem etiam in his eandè Stagiritem præfero Platoni. Cur autem præferam, clarissimas habeo rationes, quas quidem referre nunc, prolixum sanè negotium esset. Hæc pro confutatione primi argumenti.

XXIII. Venio ad 2. arg. in quo aduersus Stagiritæam doctrinam sex intorquentur obiurgationes. Prima erat, quod ea sit obscura, & inuoluta. Respond., doctrinam, & lectionem Aristotelis ijs esse perobscuram, ac tenebricosam, qui non adeunt Aristotelicum fontem, neque *aureum illud orationis flumen* degustant, sed ebibunt impurarum translationum lacunas. Vir hic incomparabilis in sua lingua est quidem concisus, pressusque, at non vsque adeo salebrosus, nec inuolutus, quemadmodum est alio idiomate immutatus. Hinc Dionysius Halicar. optimus Veterum scriptorum censor Aristotelem dignum iudicauit, cuius stylum in scribendo imitaremur, non modo propter multiplicem rerum cognitionem, *sed propter singularem etiam iucunditatem, & eximiam eloquutionis grauitatem, ac perspicuitatem.* Et simplic. in Præfat. ad Categ. hanc eamdem difficultatem expendens, *Sciunt* inquit, *hi etiam, qui mediocrem dicendi artem assecuti sunt, quod Arist. locutio non exiguam vim dicendi ostendat, qui paucis sæpenumero tradit ea, quæ alius multis ambagibus, & periodis, magno scilicet verborum circuitu docet.* Subijciam hanc rationem, at non meis, sed Guarini Veronensis, viri docti verbis in vita Aristotelis. *Atque ego*, inquit ille, *libenter quærerem ab his, qui Aristotelem non credunt, eloquentem fuisse, vtrum non curasse illum dicant, vt eloquens esset; at non fuisse, licet curauerit, eloquentiam consequutum? Primum non curauisse, qui dici potest, cum tanta volumina de ea arte perscripserit? Assequutum verò tanto studio eloquentiam non fuisse tam excellens ingenium, nimis stulti, atque insipidi est existimare.* Et rursus. *Diligentiam verò scribendi eius illa minutissima probant, quod pedes, ac numeros non in versu modo, verum & soluta in oratione seruandos censuit. Itaque dactylum, & tribrachum reijcit, quasi nimium elatos pedes, & altius excogitatam orationem reddentes, rursusque iambos, & trochæos, quasi nimium depressos. Probauit autem peona maximè, &c.*

Præterea, Arist. in lib. acroamaticis, data opera studuit esse breuior, concisior, obscurior, quàm in alijs suis operibus propter has causas. Primò, quoniam hac industriosa sermonis obscuritate excitat præclara quæque ingenia ad sui lectionem, atque mirum in modum exercet: quippè generosos animos ardua nutriunt. *Talem dicendi obscuritatem censet magis, nos exercere excitareque ad solertiam, & accuratam diligentiam eorum, quæ narrantur*, inquit Simplic. in illa Præfat. XXIV

Secundò. Per eam ipsam arcet ab se, & procul abigit homines ignauos, qui quidem excupiunt, cuncta sibi porrigi ad labrum. Hanc rationem reddidit Themist. in proœm. horum lib. *In auscultatorijs*, inquiens, *data opera voluit obscurus esse, ratus hunc in modum, obiter posse rudiora ingenia ab huiusmodi studio quasi reijci, ac deterreri, quibus futurum sit, perinde ac si neque scripta quidem vnquam fuissent.* Et Simplic. in eodem proœm. *In acroamaticis, data opera obscurus esse voluit, vt segniores ab huiusmodi studio repellat, ac deterreat.*

Tertiò: noluit Eximius vir a communi, & forsan laudabili priscorum Philosophorum consuetudine penitus recedere, qui quidem nefas arbitrabantur, Naturæ arcana profano & ignobili vulgo, atque vt Simplic. loquitur, *coriarijs, plebisque hominibus proponere*, atque aperire. Id in causa fuit, vt nonnulli illorum. Veterum fabulis, quidam gryphis, & ænigmatibus, alij hieroglyphicis, aliqui allegorijs, hi per numeros, illi per geometricas figuras, alij alio modo Philosophiæ arcana obtegere, & occultare, nisi sint. Arist. autem quasi mediam sectatus viam, omnia illa in Philosophica palæstra declinauit, & alicubi expresse etiam damnauit,

ample-

Digitized by Google

amplexatus verò eam ſtyli breuitatem, & obſcuritatem, quæ & ineruditis aditum arceret, & a doctis probè intelligeretur. Immò verò ob hanc ipſam, vt ego opinor, cauſam, fere ſemper difficilia, & inuoluta ſuis ipſe libris proœmia præfigit, vt ignaui, ac deſides ab illorum lectione vel a limine deterrerentur, gnaui autem ac ſtudioſi magis accenderentur. Ea iudicio itaque in acroamaticis, & non propter imbecillitatem, & vitium obſcurus eſt, alioquin in cæteris quoque ſuis operibus obſcurus eſſet: nunc autem ſecus eſt. In alijs quippè operibus, & præſertim in exotericis apparet planus, apertus, fluens, limpidus.

Poſtremò. Si nos aliquando incidimus in nonnulla Stagiritæ loca, quæ quidem valdè obſcura, & quaſi contorta videntur, id non equidem illius vitio factum exiſtimo, ſed quoniam præclara eius opera multas, & varias ſubiere calamitates. Verum enim verò Ariſtotele, & Theophraſto extinctis, vtriuſque libri in Ciuitate ſcepſi, in quadam fouea ſub terram diu concluſi, partim tineis, partim humiditate labefactati ſunt. Poſtea Apellicon. Teius librorum magis, quàm ſapientiæ ſtudioſus, volens corroſiones emendare, eos tranſcribi curauit, ſcriptura non rectè ſuppleta. Deinde Romam a C. Sylla deportati, ibique rurſus a Tirannione Grammatico in tranſcribendo lacerati, ſic in manus hominum prodibant. Quam hiſtoriam accuratè retulit Strabo lib. 13. Geogr., & nos alio loco vberius diximus. Præter hæc omnia incommoda acceſſit demum cura quædam critica Aſpaſij, hominis in Philoſophia non vſqueadeo inſtructi, qui multa Ariſtotelis loca immutauit, multa reſtituit, quemadmodum ſæpenumerò Simplic. teſtatur, veluti lib. tertio Phyſ. com. 11, & com. 15, tum lib. quarto com. 107, tum lib. ſexto, com. 7., tum alibi ſæpe; quod etiam apud Philoponum non ſemel inuenies. Quæ ſi vera ſunt, vt reipſa ecuſeri debent, immeritò Stagiritæ doctrinam propter hoc caput, ſcil. obſcuritatem obiurgatores illi rodunt, ac vellicant.

Exemplum autem ſepiæ ab Attico inductum, accomodari furſam poteſt ingenijs tetricis, cenſorijs, &, vt ita dicam, gramaticalibus, qua in claſſe etiam Atticus aſſidet, quem M. Tull. apellat *ſuarum orationum Ariſtarchum*, ideſt cenſorem, & emendatorem, quòd illi mos fuerit, ſi quæ parum in ſcriptis Ciceronis probaſſet, ca ceris rubris, (quas idem Tull. vt ſcribit lib. 16. ad eumdem Atticum extimeſcebat) notare; imitatus Ariſtarchum, qui ὀβελίσκοις, minutis verubus, aut ἀστερίσκοις, ſtellulis Homeri verſus notabat, vt explicat Adagiograph. in adag. *Theta præfigere*. Hinc M. Varro de ling. latin. Ariſtarchos appellat *criticos Grammaticos*. Et Horat. *fiet Ariſtarchus*, nempe expenſor, caſtigatorque alieni ſcripti. Et D. Hieron. quemdam ſui temporis Ariſtarchum vocat, *quòd arbitrio ſuo alia damnaret, alia probaret*. Quid itaque mirum ſi Atticus Philoſophi candorem tetro, ſepiæ, ſeu animi ſui nigrore voluit obducere? Sed iam pergo.

Secundò, in eod. arg. obijcitur, quod Ariſtote- XXV.
lis, doctrina multis contrarietatibus, & repugnantijs ſcateat. Hoc omninò nego. Non ita iudicauerunt viri magni Alex. Aphrod., Simplic., Auerr., alij. Subijciam ſolùm verba Auerr. ſecundo de Cælo com. 1. quæ ſunt. *Quia cum aliquis intuebitur ſermonem Ariſtotelis, & aduerſariorum eius in hac quæſtione, & inuenerit, ſermonem aliorum ſequi plura impoſſibilia, & inuenerit, ſermonem Ariſtotelis non ſequi aliquod impoſſibile, acquiret fidem maiorem, quàm habuerit prius ex ratione. Et ideò dixit Alex., Nos autem non ſumus ſuſtentati ſuper ſententiam huius hominis, inter omnes alios, niſi quia videmus ipſam minoris ambiguitatis, & remotiorem a contradictione*. parco referre alia huius tenoris cætero tum dicta, quæ paſſim occurrunt innumera. Ad probationes autem ibi factas. Ad. 1. reſpond., Ariſtotelem non conſtituiſſe Deum agens neceſſarium reſpectu ſublunarium, vt in oct. lib. huius operis, oſtendam. Deinde, ſac ita poſuerit, non propterea tollitur rerum ſubcæleſtium contingentia, vt in lib. ſecundo dicam. Ad 2. prob. reſpond., nullam vnquam repugnantiam inſidere in illis Philoſophi poſitionibus. Poſuit hic finitam quandam multitudinem animatum rationalium, quæ ſtatis temporibus in alia, atque alia corpora, humana tantum, immigrarent, de qua re, tum in Opere de Triplic. Stat. Anim. Diſputat. tertia, ſect. 3, tum in com. ſuper Tertium de Anim. dixi. Dici etiam poteſt, quod Philoſophus reſpuit infinitum in rebus duntaxat corporeis, de qua etiam ſolutione, vide, ſi lubet, quæ dixi in dicto opere de Triplic. Stat. Diſput. ſexta, ſect. 9. Ad 3. prob. Diſſidia Peripateticorum orta ſunt ex irrequietis illorum cogitationibus quæ res nihil Stagiritæ doctrinæ officit. Dic age, circa ſanctum noſtrum Euangelium, quot vnquam, & quàm diſſonæ, & diſcrepantes opiniones excitatæ ſunt? At non propterea illud non ſanctiſſimum & habetur, & re ipſa eſt.

Tertiò, in eod. arg. opponitur, quod Ariſt. do- XXVI
ctrina ſit incerta, ac lubrica. Etiam hoc nego. Certiorem, atque ſolidioribus fundamentis innixam (intra Naturæ ambitum) ipſa Stagiritæ doctrina hucuſque haud inueni. *In Ariſtotelis demonſtrationibus neceſſitas adeò ineſt, vt vbi quiſpiam perſuaderi quibuſdam non temerarijs aſſumptionibus non poterit, ſaltem neceſſitate victus aſſentiat*, inquit Simplic. in Præfat. cit. Ad 1. prob. ſuppetit in Peripato optima cauſa, conformitas temperamenti, cur magnes ferrum attrahat, ſuppetit lunare corpus, cur fluant, & refluant maria, ſuppetunt cauſæ cæterarum rerum (quarum homini noſſe datum eſt) quas hic congerere inſulſum omninò foret. Ad occultas verò qualitates, quas illi nobis obijciunt, non modo Peripatetici, ſed cordati quique viri recurrunt, qui ingenuè confitentur, *plurima latere abdita in maieſtate Naturæ*. At, inquiunt, hæc doctrina exiſtit incerta, quia hauritur ex ſenſibus, qui vt plurimum falluntur.

Digitized by Google

luntur. At quæ vnquam doctrina naturalis, & æquisita certior, atque apertior, quàm sensata? *Relinquere sensum, & quærere rationem, infirmitas quædam intellectus est*. vt legimus in oct. Phys. tex. 22. Atque, vt cum Auerr. loquar, sed ex doctrina eiusdem Arist. tertio de Gener. animal. cap. 10. *experimentum verorum sermonum est, vt consentiant cum rebus sensatis*. Neq; sensus circa propria sensibilia falluntur, si tres illæ conditiones affuerint, de quibus in 2. de Ani. ad tex. 66. Postremò, quod ibidem obtrudunt, doctrinam Arist. celebritatem suam ab ignorantia Arabum, ac Maurorum obtinuisse, splendidum mendacium est, & planè ex ignorantia veterum litterarum profectum. Stagiritæ doctrina semper in maximo honore habita fuit, præsertim verò ab Alex. Aphrod., qui ante Auer. sexcentis, & eo amplius annis visit; id, quod ex multis capitibus comprobare possemus, sed piget in re clarissima detineri. Franciscus Patricius Tom. primo Discus. Peripat. lib. 11. distinguit a tempore Aristotelis, vsque ad suum, quod ad hoc quoque nostrum protrahitur, decem ætates; & longa serie plurimos viros eximios recenset, qui in vnaquaque illarum ætatum floruerunt, & doctrinam Aristotelis cura, studio, & comment. excoluerunt, illustraruntque: & ait *Philosophiam viguisse inter Arabas septima ætate, & per eos vsque ad Auerroem peruenisse* Inter Latinos autem increbuisse *nona ætate*. Qua igitur fronte isti proijciunt, Aristotelis doctrinam ab Arabum, & Maurorum admiratione celebrari incepisse, cum ea inter plurimos, ac celeberrimos sea præcedentium ætatum viros, ea iterum celebrauissima?

XXVII Quartò in eod. arg. subtruditur, quod hæc eadem doctrina continet complura falsa, & absurda dogmata; V. G. astruit mundi æternitatem, negat creationem, &c. Ad quod sunt, qui absolutè asseuerant, nullam falsam sententiam in vniuersa Aristotelis doctrina insidere. Sic Auerr. qui inter alia in lib. Destruct. dispu. 3. ita scribit. *Aristotelis doctrina est summa veritas, quia eius intellectus fuit finis humani intellectus*. Et in proœm. horum lib. *Nullus inquit, eorum qui secuti sunt Aristotelem, vsque ad hoc tempus, quod est mille, & quingentorum annorum, inuenit in eius verbis errorem alicuius quantitatis*. Deinde Moyses Ægyptius, cum esset intimior Stagiritæ sectator, & fautor, conatus est ostendere, quod Peripatetica Philosophia deprompta sit ex lege, & doctrina Mosaies, ac Prophetarum: sic refert Clemens Alexandr. lib. 5. Strommatum. Ex quo videretur colligi, quod quemadmodum biblica doctrina est veritati apprimè concors, ita Peripatetica Philosophia a veritate non discedit.

Quæ opiniones admittendæ non sunt. Non prior, quia æternitas mundi, quam Arist. ex intimo animi recessu tenuit, excusari non potest, cuius oppositum asseuerat veritas nostra: Veritas autem vna est. Non posterior, tum quia sacræ paginæ luculenter contestantur, Deum in tempore creauisse omnia, tum quia Arist. non petijt eas regiones, in quibus Hebræorum vigerent res, vt inde illorum doctrinam haurire posset, quemadmodum fecit Plato, aut Pythagoras. Adde, quod si ille sacra volumina legit, profectò ijs non eam adhibuit animi assensionem, quam illa venerabiliter merebantur.

Quocirca fatendum existimo, Arist. dum affirmat mundum æternum, & dum negat creationem: (quanquam de hac re altercatio sit inter Doctores, & nos suo loco ea instituto differemus) omninò errasse. Sed tu meminisse debes, quod nobis affulsit diuina veritas, quod *in principio creauit Deus cælum, & terram*. Hoc fides est: Arist. autem superno lumine destitutus erat: solo naturali acumine philosophatus est, ideoque nullum aliud circa mundi ortum amplecti potuit dogma, quod porrò minoribus vrgeretur difficultatibus, quàm quod mundus ea omni extitit æternitate. Addo, quod si fidei nostræ veritas, quæ nec falli, nec fallere potest, abesset, aut si nunc seponatur in parte, nescio quis vnquam ab Stagiritæ opinione circa mundi constitutionem discederet. Equidem manus darem.

Deinde, non quia Arist. in hoc vno de Vniuersi sempiternitate offendit, propterea reliqua eius doctrina est explodenda. Quid enim? Non ne Origenes, Tertullianus, Lactantius, Arnobius, Durandus, alij quammulti viri grauissimi in nonnullis veritatis, & fidei nostræ dogmatibus offenderunt? Ita constat, & nihilominus illorum scripta non modo non exploduntur, sed leguntur religiosè, & illi ipsi ab omnibus æstimantur magni. Cur ergo de Aristotelis doctrina non hoc idem erit ferendum? præsertim cum illi superno lumine fuerint illustrati, hic non item? Quisquis es, si æquus es, hæc præ oculis habe, quod Arist. fuit homo: cuius est aliquando labi, & errare.

Postrema calumnia in eodem argumento erat, quod Aristotelis doctrina est iniqua, tum quia complura absurda dogmata priscis Philosophis adscribat, quæ illi ne somniarunt quidem: tum quia ab alijs plurima accepit, quæ malitiosè suppressis illorum nominibus, protulit veluti sua. Ad 1. communiter occurrunt interpr. quod Stagirites aliquando re ipsa conuellit illorum Philosophorum sententias, nonnunquam autem reprehendit eorum verba. Etsi etenim illi secus sentirent, tamen sensa, & cogitata sua non rectè explicuerunt, sed vsi sunt vocibus ambiguis, & implicatis, quæ alium penitus sensum ederent, quàm illi dicere vellent. cum itaque ex illorum dictis possent alij in errores induci, meritò Philosophus eos redarguit. Quam responsionem ego quoque admitto, & vberius ita declaro. Habeat. N. vnam aliquam opinionem, quæ eo modo, quo ab illo intelligitur, sit vera; nihilominus eam explicet huiusmodi verbis, quæ iuxta communem hominum vsum, quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi XXVIII

determinatè significent aliquid aliud. Ego, dum ea ipsa de re verba facio, haudunquam teneor explicare peculiarem illam, ac distortam verborum significationem, in qua ille pro sua sententia his abutitur, sed accipio iuxta consuetum hominum sensum, & si verè significant, amplector: sin falsò, improbo, atq; impugno. In re proposita, dum V.G. Parmenides asseuerat, omnia esse vnum ens, fac, per vnum ens intelligat solùm primum ens, Deum, qui quidem solus est ens per essentiam, & respectu cuius cuncta alia vmbra potius, quàm entia iudicantur. Vel nomine vnius entis intelligat materiam primam. Nihilominus malè asserit, simpliciter, omnia esse vnum ens; cum & præter Deum, & præter materiam, suppetant complura alia, quæ iuxta vsitatam entis significationem, re vera sunt entia. Iure itaque optimo impugnarem absolutè illam opinionem, quod omnia sint vnum ens. Sic Eximius præceptor nonnunquam summa cum cautione facit.

XXIX Dico præterea, quod Arist. syncerè, ac candidè retulit omnes Veterum Philosophorum opiniones: & illi ex animo in ijs versati sunt opinionibus, quas Arist. ijs tribuit. Hoc multis rationibus possem commonire: Verùm hæc vna omninò euincit rem, quod Arist. illis temporibus suam Philosophiam publici iuris fecit (de qua re conquestus est Alex. Mag.) quando Athenis, & in alijs Graciæ partibus florebant plurimi viri docti, apprimè addicti doctrinæ Democriti, Empedoclis, Anaxagoræ, Parmenidis, Melissi, & præcipuè Platonis, quæ tunc inter eius discipulos, & amicos vigebat, & post validius quoque increbuit. Si igitur Arist. falsò, & corruptè Veterum opiniones recensuit, cur non aliquis e sectatoribus illorum ipsum redarguit? cur non iniquum, mendacem, impostorem detexit? maximè verò cum ea tempestate magna (vt amat fieri) agitaretur æmulatio, ac simultas inter Peripateticam, & alias sectas? Nemo autem fecit. Excute vniuersam antiquitatem, nihil huiusmodi reperies. Causa igitur, cur aduersarum sectarum asseclæ obmutuerunt, ea fuit, quòd Stagirites ex vero, & candide enarrauerat Veterum illorum opiniones, easque planè labefactauerat, vt nemo Antagonista ne hiscere quidem ausus sit.

Adde, quod Arist. erat summus veritatis amator, adeò vt a Platone *Philosophus veritatis nuncuparetur*. Tum ita affectus fuit, *vt sua quoque propria confutare* paratus esset, si vnquam fuisset opus, quemadmodum ipsemet præcipit in primo Ethic. cap. 3. Præterea erat, *prudentissimus, & apprimè prouidus*; Tum *laudis maxime cupidus*. Quis igitur credat, quod is tales res, & tales opiniones serio suæ Philosophiæ intersereret, quam tum docebat publicè, & publici fecerat iuris, quarum oppositum quiuis illius temporis homo posset illi obijcere in os? & inclamare, ò Aristoteles, falsò, & impostoriè hanc, aut illam refers opinionem? Quod quidem eò promptiùs posset efficere, quòd libri illorum Veterum tunc passim extabant, & apud multos asseruabantur integerrimi. Quid? Non modo Veterum illorum placita, sed ipsa fundamenta eorumdem erant inter homines etiam mediocris litteraturæ communia, ac trita. (sicut apud nos sunt celebriores controuersiæ, quæ V.G. inter D. Thomæ, & Scoti fautores exagitantur) In cuius rei cõfirmationem hoc vnum perpende. Refert Arist. in primo Phys. cap. 2. opinionem Parmenid., & Meliss.: postea in cap. 3. edisserens contra Melissum, non ponit illius rationem, sed illam vocat φορτικωτέραν, onerosiorem. ponit autem illius rationis solutionem, vt eo loci adnotaui. Quod ideò facit, quia fundamentum opinionis Melissi eo tempore, quasi vulgò, agitaretur notum. Quæ si vera sunt, expressa fatuitas est, opinari, quod tantus, ac talis vir, vt erat Arist. alio modo, & falsò retulerit Veterum Philosophorum dogmata, ac fundamenta, quàm illi re ipsa tutati sunt.

Venio ad alteram calumniæ partem. Arist., aiunt, fuit iniquus, & plagiarius, cum plurima ab alijs Philosophis mutuatus sit, quorum nullam fecit mentionem, sed illis inuidè suppressis, veluti sua euulgauit. XXX.

Fateor, quod Stagirites Veterum Philosophorum monimenta summa ope conquisiuit, & quæcunque nancisci potuit, ea omnia versauit diligentissimè. Decerpsit ille quidem multa ex prioribus Philosophis, atque in illorum monumentis, perinde expaciatus, atque floriferis in saltibus apes, & vt cum Horat. lib. 4. carm. od 2. loquar. *Ille apis Matinæ more, modoq;, grata carpentis thyma per laborem plurimum*, futura suæ doctrinæ mella delibauit, aut certe adauxit. Cæterùm, quæ ab ijs accepit, non talia dedit nobis, qualia ab illis accepit, sed intra se ipse rectè digessit, probè concoxit, & purgauit exactè, vt non amplius aliena, sed sua omninò essent, quemadmodum mel non dicitur esse herbarum, ac florum, vnde acceptum est, sed apum.

Deinde, illius dicitur esse aliqua opinio, & doctrina, non qui eam, seu data opera, seu casu pronunciauit, sed qui illius opinionis rationem reddit, cum ratio sit anima opinionis. Non dicitur scire quisquis causam eius, quod asserit, afferre nescit. Modo Arist. accepit aliqua a vetustioribus Philosophis, veruntamen eatenus illa amplexatus est, quatenus agnouit ea esse rationi consentanea; icircò illa correxit, in bonum sensum reduxit, ratione a semet ipso excogitata communiuit, sic multis in locis in Comment. nostris indicaui, quare illa dogmata, non priscorum Philosophorum, sed Aristotelis optimo iure dicenda sunt: ob id non debui illos singillatim, & quacunque in re ex nomine compellare. Quàm verò fructuosè Veterum Scriptorum senticeta in bonam frugem reduxerit, vel ex vno M. Tullio disce, qui quidem dum verba facit de scriptoribus Rhetor. ab Stagirite compilatis, & correctis, ita scribit. *At veteres quidem scriptores huius artis, vsque a principe illo, & inuentore Ctesia repetitos, vnum in locum conclusit Aristoteles, & nominatim cuiusque præcepta magna con-*

quisq;

Digitized by Google

quisita cura perspicuè ascripsit, atque enodata diligenter exposuit, ac tantum inventoribus ipsis suauitate, & breuitate præstitit, vt nemo illorum præcepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes quicquid illi præcipiunt, si velliat intelligere, quasi ad quendam multò commodiorem explicatorem reuertantur.

At quæso, cur telum isthuc putidi isti obtrectatores in vnum Aristotelem peculiariter contorquent? Quasi verò alij scriptores nunquam ex aliorum laboribus quicquam mutuati sint. Duos duntaxat in re proposita immortalitatis alumnos subijciam, Platonem, & Virgilium: ille quidem, *etsi tenui admodum pecunia familiari fuisset, tamen tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatus est, quod precium donasse ei, quidam scripserunt, amicum eius Dionem Syracusanum. Timon autem composuit librum amarulentum, in quo Platonem contumeliosè appellat, quod impenso precio librum Pythagoricæ disciplinæ emisset, exque eo Timæum nobilem illum Dialogum contextuasset.* Verba sunt Auli Gellij lib. 3 Noct. Attic. cap. 17, vbi refert etiam versus græcos eiusdem Timonis. At nemo inter Veteres de huiusmodi re Aristotelem sugillauit.

De Virgilio si quis ambigit, eum euincit Macrob., qui totum quintum, & sextum librum suorum saturnalium consumit in recensendis poetarum antiquorum locis, tam Græcorum, quàm Latinorum, ex quibus ille ferè totam Æneidem hausit. Quinimò ipsemet Maro fatebatur, *se ex fimo Ennij colligere gemmas.* Dicesne, poetam male egisse, quod ex illis nonnulla pro suo instituto decerpserit, aut iniquè egisse, quod illos non nominarit? Cur ergo id censorio, aut iniquo iure ab vno exigis Aristotele?

XXXI Quod demum procolophone adiungunt, quod Arist. diligenter conquisiuit Veterum Philosophorum monumenta, atque vbi ex illis accepit, quæ pro sua re videbantur apta, postea illa ipsa combussit, ne sua furta in lucem venirent, sed posteri ceu propria illius inuenta demirarentur, id vel cogitare delirium est. Conquisiuit ille quidem quæcunque potuit aliorum Philosophorum scripta, quæque reperire potuit, magni emit. Siquidem, eodem Aul. Gell. loco indicato, *Arist. paucolos Speusippi Philosophi libros post eius mortem, emit tribus talentis Atticis.* At non eo consilio comparauit, vt deperderet igni. Apage: sed primò, vt aliorum labores, & ingenia exploraret. Secundò, vt ex illis, sicut vnusquisque etiam nostrum facit, in doctrina proficeret. Tertiò, vt nobilissimam suam bibliothecam construeret, locupletaretque. Nam Arist., inquit Strabo lib. 13. suæ Geogr., *primus omnium, quot scimus, & libros congregauit, & Ægypti Reges Bibliothecæ ordinem docuit.* Quartò, quia huiusmodi librorum combustionem nemo vspiam Veterum scriptorum meminit. At quæ lingua, quis calamus conticuisset vnquam, si tam fœdum, atque atrox facinus a quoquam fuisset perpetratum? Profectò auctor, ac patrator eiusmodi facinoris magis fuisset execrandus, quàm nequam ille, qui nobile Dianæ Ephesiæ templum incendit. Ille vnam ciuitatem Ephesum pulchro spectaculo priuauit; Hic vniuersam posteritatem doctrina, ac splendore priuasset.

Adde, quod Exemplaria illorum Philosophorum tempore Aristotelis haud extabant vnum tantùm, aut duo, sed plurima. Quocirca licèt ille vnum, vel alterum ex illis sustulisset, nihilominus conclusa alia suppeterent, ex quibus adhuc eius furta valerent deprehendi. Ac proinde Arist. in illa conflagratione, & laborem, & precium, & existimationem præcipitasset. Quod nemo, nisi impensè fatuus vix faceret. Hac vna ratione Clinia, & Amyclas, vt refert Diog. Laert. in vita Democr. persuaserunt Platoni, ne Democriti volumina igne consumeret, quemadmodum secum ipse facere constituerat ob inimicitias, quas cum Democrito gesserat, quia dixerunt illi, quamuis nonnulla exemplaria summoueas, extant alia apud plerosque asseruata. At Stagiritæ nulla cum Vetustioribus Philosophis simul ea, nullum odium, qui nuero in secundo Metaphys. tex. 2. ipse modo non clamat, Veteribus habendas esse gratias. *Non solum illis agendæ sunt gratiæ, quorum opinionibus quis acquiescet, sed etiam illis, qui superficietenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam isti: habitum namque nostrum exercuerunt. Si enim Timotheus non fuisset, multum melodiæ neutiquam habuissemus, si tamen Phrinus non extitisset, ne Timotheus quidem.*

At dic quæso, quibus vnquam Veteribus imposuit, quorumue deleuit scripta? An Parmenidis, aut Melissi, aut Anaxagoræ, aut Empedoclis, aut Anaximenis, aut Anaximandri, aut Democriti? hi namque præcipui celebrabantur. At quo vnquam pacto aduersus eorum siue opiniones, seu scripta quicquam molitus est, si hic ipsissima illorum verba, & carmina haud semel refert? vt videre licet octauo Phys. tex. 2. primo de gener. & corrupt. tex. 1. primo de Anim. tex. 25. & 77. tertio eiusdem Operis tex. 21. lib. primo Metaphys. cap 4. & lib. secundo cap. 4. & alibi passim? Hoccine est occultare, & comburere illorum opera? Quid? nonne illorum Veterum opiniones copiosissimè exaratas, & carmina ad verbum scripta habemus apud Simplicium, apud Athenæum, apud Diog. Laertium, apud Stobæum, apud alios, qui tot annorum curriculis post Aristotelem vixere?

Demum hoc quoque expende, quod si Stagirites dum circa Veteres versatur, fere totus est in eorum confutatione, quomodo ex illorum fontibus suam ipse sapientiam hausit?

SECTIO SEXTA.

Expenditur tertium argumentum eiusdem tertiæ sect. depromptum ex Aristotelis balbutie, oculis, cruribus, habitu, & progressu in Philosophia.

XXXII Pergunt ijdem obtrectatores: Aristoteles, aiunt, erat balbus. Fateor. Balbuties arguit humile, atque hebes ingenium, quia oritur ab excedente humiditate. Hoc valdè ruditer dictum est. Balbuties non ex vna humiditate, sed ex multis alijs causis proficiscitur. Nascitur hic vocis defectus, tum ex intemperie cerebri, aut linguæ, tum ex mala conformatione, & constitutione eiusdem linguæ, vel neruorum, vel musculorum eidem linguæ deseruientium. Ex mala linguæ conformatione. Primò, si ea fuerit breuior, ac contractior, quàm par est, quod vsuuenit, cum in eius generatione non tanta suppetat materia pro eius constitutione, quanta exigitur. Secundò, si lingua fuerit crassior, & carnosior; quo fit, vt liberè, ac expeditè moueri non queat. Tertiò, si existat longior, atque protractior, vt intempestiuè impingat ad primores dentes. Quartò, si nerui, qui a septima cerebri coniugatione prope spinalis medullæ initium deriuantur, & linguæ ad motum inseruiunt, sint impediti. Quintò, si musculi, qui famulantur eidem linguæ, contrahantur; quod fit vel a nimia caliditate, & siccitate, quemadmodum euenire conspicimus in chordis ad ignem admotis, vel propter contractam aliquam duritiem, & scabritiem, vt aliquando videmus a dura cicatrice relicta sub lingua ex aliquo vulnere, causari postea balbutiem. Sextò, denique si membrana linguæ subiecta aliquo vitio adstringatur.

Hæc eadem vocis affectio solet excitari ab intemperie, & excedente qualitate, tum cerebri, tum linguæ: quæ quidem excedens qualitas potest esse tam nimia humiditas, quàm nimius calor, ac siccitas. Quæ rursus aut sunt a natiuitate, aut ascititiæ, & in tempore ab aliquo euentu contractæ. Humiditas est causa balbuciei a natiuitate quidem, vt in pueris, & non nullis alijs. pro tempore autem, vt in ebrijs: sic excedens calor, & siccitas cerebri, & linguæ sunt veræ eiusdem affectionis causæ: ab ortu quidem, vt in quibusdam hominibus temperamenti biliosi. Vnde Hippocr. 2. Epid. ait, *balbos esse iracundos*. Balbuties autem ascititia, ac temporaria ex causa feruidiori apparet nonnunquã in febribus ardentibus, vbi ægri balbutiunt. Videmus haud rarò homines præcalidæ, ac biliosæ temperaturæ valida ira percitos balbutire. Hinc adnotant viri docti, quod dum Hippocr. in Epid. loco cit. ait, *balbos esse bonos*, intelligit de ijs, *qui sunt tales ex humiditate, nam qui ex siccitate, & magno calore balbi existunt, ij sunt iracundi, ferini, rapaces, & mali*, inquit Roder. Fonsec. in Aphor. Hippoc. sect. 6. aphor. 32. qui est, *Balbi longo alui profluuio maximè capiuntur*.

At quia de voce præstantissimi huius viri oratio est; accipe quæ scribit Ioan. Baptist. Porta lib. 2. suæ Physiogn. *Gracili fuit voce Arist., vt Laert. refert* (quamquam hic auctor id non referat) *Plutarchus non solum ad gracilitatem paululum accessisse, sed suauis, & dulcis soni vocem habuisse scribit. Pacati, & modesti animi signum, & optimorum morum*. Hinc nonnulli, vt recenset idem Plutarch. in lib. de poetis audiendis, ex industria conabantur imitari blesulam illam Aristotelis vocem, seu balbutiem, *veluti hi*, inquit Plutarch., *qui Platonis incuruitatem, & Aristotelis balbutiem imitabantur*. XXXIII

Ex his, quæ de balbutie tetigi, duo collige. Vnum, quàm male ratiocinantur præfati obtrectatores, dum de balbutie, quæ varias habet causas, ita loquuntur, ac si ea vnam duntaxat haberet: ac proindè ineptè ex ea colligunt humile alicuius ingenium. Alterum, quod balbi ex causa calida, & sicca, vt in plurimum sunt acuti ingenij, & celeris mentis. Nota est Galeni doctrina ex Arte Medicinali cap. 18. quod præditi temperatura calida, & sicca cerebri, habent hæc signa. Primò, carent superfluitatibus. Secundò, vigent sensibus, & plurimum vigilant. Tertiò, quod ijs capilli citò generantur, & citò contingit caluitium. Quartò, quod habent capillos nigros, & crispos. Quintò, quod in facie habent colorem rubicundum. Talem puto, Aristoteli fuisse temperaturam capitus. Verùm de hac re hic non plura.

Secundò, obijciunt in Aristotele paruitatem oculorum, qui, inquiunt, significant ingenium destitutum debita copia spirituum animalium, ac proinde humile, atque hebes. Etiam hoc affertur ex ignorantia. In oculis, quemadmodum in toto quoque capite, non modo paruitas, aut magnitudo, sed figura etiam, seu concinnitas, & virtus operandi expendendæ sunt, vt tradit Galen. cum sæpe alibi, tum in opere nunc citato cap. 24. & 11. Et est communis Medicorum censio. Adde, quod in oculis apprimè considerari debent eorum anguli, vt præcipiunt Physiognomi, & differit Ioan. Bapt. Porta lib. 3. suæ Physiogn. cap. 1. quod est *de oculorum quantitate*, & Camill. Bald. in Physiogn. Arist. Tu strictim sic habe. Parui oculi, si sociam habent inconcinnitatem, & operationum vitium, mali sunt, quia ostendunt paucam simul, & vitiosam substantiam: & causa eorum est debilitas virtutis formatricis, aut frigus, quod constringit. In his sunt pauci spiritus animales, atque de illis intelligit Philosophus locis in arg. adductis, quod *quibus parui oculi, vt simys, pusillanimi*, &c. Hinc Polemon, & Adamantius in suis Physiogn. inter signa auari, tribuunt ei *oculos modicos*. Sin autem parui oculi sint concinni, & in operando vegeti, denotant paucam quidem, sed benè temperatam materiam, ex qua conformati sunt. Huiusmodi oculi trahunt ortum a prædominio caloris in capite, qui quidem absumit humiditatem, nec sinit oculos augeri. Ob id huiuscemodi oculis præditi plerumque sunt acri XXXIV

ingenio,

ingenio, tum callidi, vafri, versipelles. Audi bonum hac in parte iudicem, Ioan. Bapt. Portam, qui loco, quem dixi, hæc scribit. *Arist. in suis Physiogn. ait, quod quibus parui oculi, vt simijs, pusillanimi sunt, & referuntur ad apparentiam: Ego vulpi referrem, alijsque animalibus, quæ paruos habent oculos, & omnia vafra, & calida sunt. Torpedo paruos habet oculos, & vafra est.* &c. Vtrumque vetè dici, nam oculorum paruitas tum ex defectu caloris oritur, & sunt inconcinni, & veluti conniuentes, tum ex abundantia caloris, vt dixi.

Quæ quidem veritas potest etiam ex opposito effectu ita concludi. Oculi valdè magni sunt mali: Sic asserunt Arist. in Physiogn., Galen. in lib. quod *animi mores sequuntur corporis temperamentum*, Ioan. Bap. Porta, Camill., Bald., Alb. M. g., alij. Et significant hominem pigrum, quoniam humescmodi oculorum constitutio proficiscitur ex temperamento frigido, & humido. Tales oculos videmus in hominibus phlegmaticis. Ex opposito igitur oculi parui, ex prædominio caloris, & consumptione humiditatis orti, synceré indicant ea, quæ nunc dicebam. Præterea contemplare mecum, quod oculi in animalibus, primùm (pro ratione illorum) apparent grandiores, postea subsidunt, & quodammodo contrahuntur, vt vel in infantibus licet animaduertere. Et adnotat etiam Arist. lib. quinto de Generat. animal. cap. 1. vbi multa de oculorum differentijs in animalibus edisserit. *Cerebrum*, inquit, *prægrande est in animalibus, & oculorum magnitudo maior: postea contrahuntur*. Et paucis interiectis, *In cerebro*, ait, *eodem modo euenit, vt primùm prætumidum, mollémque sit, mox humore efflato, contractoque corporatur magis, & cerebrum, & magnitudo oculorum*. Quæ omnia si vera sunt, vt veris ipsis sunt veriora, profectò oculi parui, concinni, & in operando viuidi, vegetique innuunt calidiorem, & ficciorem cerebri temperaturam, proindeque copiam spirituum animalium, & ingenium subtile, acre, tersum. Tales, existimo, fuisse Aristoteli oculos.

XXXV Dum demum in eodem arg. obtrudunt erurium exilitatem, extra septa, quod aiunt, transiliunt. Et locus ex Philosopho in quarto illo de Partibus animal. cap. 10. in arg. inductus, respicit corporis conditionem, non mentis acumen. Crura tenuia fiunt vel ob defectum materiæ, vel ex imbecillitate virtutis formatricis, qua de re verba facere, est extra aleam præsentis instituti. Porrò si crura tenuia, & gracilia quicquam Physiognomicè portendunt, profectò est id, quod idemmet Stagirites tradidit in Physiogn. videl. *Quicunque crura habent articulata, & neruosa, & robusta, fortes secundum animam; referuntur ad masculinum genus: quicunque autem crura subtilia, neruosaque habent, luxuriosi, referuntur ad aues*. Adijcio, quod si cætera corporis membra fuerint probè conformata, ac robusta, crura tenuia in causa sunt, ne calor implantatus, ac vitales spiritus ex corde diffluentes in longius effundantur, sed quasi retrocedant, contrahantur, atque adeo intendantur. Vnde partes corporis cruribus viciniæ suas operationes edant validius. Quam causam satis innuit verus illud adagium ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ.

Gibbositas nulla fuit in Aristotele naturalis. Nemo Veterum scriptorum vel leuem huius rei fecit mentionem. Quod si qua postea prouecta ætate in eo dorsi curuitas obseruata est, ea potrò contracta esset ex continuo, & pertinaci studio. Lego alicubi, & obseruauit etiam Ioan. Bapt. Port. lib. 2. cit. cap. 37. quod *Arist. fuit exerto brachio*. Quod verò gibbosus, aut deformis nusquam inter Veteres: sed finxit Franc. Patritius, qui nimio studio taxandi eximium hunc virum, non videt, se apertè sibi contradicere: cum enim Tom. 1. Discuss. Peripat. lib. 1. ex antiquis auctoribus retulisset, Stagiritem fuisse *voce balbum, paruis oculis, cruribus tenuibus*, subdit in pag. 11. *Quæ pauca tantum de eius corporis habitu inueni*. ergo quæ de eius gibbositate, statura, & deformitate addis, cum non inueneris, abs te ficta sunt. Quare nec fortasse deformis fuit, sed grauis, & venerandus: sicut etiam eius effigies, si qua earum vera est, nobis ostenditur. At porrò quid gibbositas, aut forma ad rem, de qua agimus? Plato gibbosus, Æsopus deforme naturæ monstrum: nihilominus vterque ingenio præclarissimus. Quid? Natura plerunq; quod de corporis forma detraxit, id in animo videtur rependere.

Progressus autem ille de Aristotelis vita in eodem arg. recensitus fictitius affatim est, neque vlli Veterum scriptorum respondet testimonio. Aristoteles, vt legitimi vitæ illius scriptores Dionys. Halicarnasseus, Ammonius, & Laert. memoriæ prodidere: extinctis parentibus, vixit sub diligentissima Proxemi Atarnensis tutela, a quo ingenuè, & liberaliter educatus, primam suam ætatem in humanioribus litteris honestè, ac studiosè insumpsit. Cuius quidem curæ, ac educationibus memor, gratissimus animus rependit illi ipsi Proxeno nutricalia. *Nam eius educationis memor Arist.* vt scribit Amm. *Nicanorem Proxeni filium, non modo eduxit, & omnibus honestis artibus erudijt, sed, & in filium sibi adoptauit, & cum morti propinquus testamentum faceret, mandauit, vt Nicanori filia sua nuptum daretur.* Hausit strenuè artes illas, poeticam, & Rhetoricam, quibus clarorum virorum liberi assolent erudiri. Hoc quoque attestatus est idem Amm. *Arist.* inquit, *artes, quas erudiuntur ingenij, iuuenis didicit; quod vel ex eius scriptis, quæ partim ad rem poeticam, partim ad poetas ipsos spectant, licet intelligere, itemque ex quæstionibus Homericis &c.* Quæ vitæ institutio haud est eorum, qui paterna sua bona deijciunt, atque obligurinnt, vt res ipsa clamat. XXXVI.

Deinde annum septimum supra decimum agens, oraculo Pythiæ, quemadmodum superius etiam indicaui, Athenas, grauiorum studiorumgratia, se se contulit. Vbi, si Ammon., & Laert. credimus, primum toto triennio Socratem audiuit, quo e viuis sublato, postea Platone viginti continuis

annis

Digitized by Google

annis præceptore vſus eſt : ſi vero alios auctores audias, quos inter eſt Franc. Patric. tom. c. Diſcuſſ. Peripat. lib. 3., & P. Perer. lib. 4. ſuæ Phyſ. qui in ſuum patrocinium etiam citat multos alios, ſtatim Platoni adhæſit, quòd Socrates ante natum Ariſtotelem annis ſexdecim obijſſet, (de qua re edifferere non hic locus) Athenis commoratus eſt vſque ad mortem Platonis : quo mortuo, ad Hermiam Atarnei tyrannum profectus, illi triennio ferè cohabitauit, cum Ariſtoteli neceſſitudo quædam, & affinitas cum Hermia intercederet, quòd eius neptem in matrimonio haberet, vt ſcripſit Demetrius Magneſius, & innuit Laert., & adnotauit etiam Guarin. in vita Ariſtotelis. Illinc a Philippo Macedoniæ Rege pro erudiendo filio Alexandro honorificentiſſime accitus, apud quem octo, vel, vt volunt alij, decem annos deſedit. Alexandro deinde in Aſiam cum exercitu profecto, Athenas redijt, & in Lyceo tredecim annos florentiſſimè docuit : poſtremò communi illa, quæ tunc in Philoſophos graſſabatur, inuidia accuſatus, quod non rectè de Dijs ſentiret, metuens ne, vt quondam Socrati, ita ſibi in judicio accideret, Antipatri quoque amicitiam, qui tunc Athenienſibus in odio erat, ne ſibi noceret, formidans, relictis Athenis Chalcidem abijt, ibique reliquum vitæ tempus vixit, migrauit autem e vita anno ſuæ ætatis ſexageſimo tertio. Quæ ſi vera ſunt, vt re ipſa ſunt, quis non videat, nugas, & gerrhas eſſe, quæ in progreſſu illo in arg. relato, dicuntur de militia, de officio claudendæ, ac reſerandæ ianuæ, &c. ?

XXXVII. Verùm ne ſine teſte videamur loqui, accipe Halicarnaſæi verba, qui non modo vniuerſam eius vitæ ſeriem, ſed quo etiam prætore, ſeu quo tempore vitam, & actiones ſuas ille direxerit, his omninò verbis ſiſtit ob oculos. *Ariſtoteles filius fuit Nicomachi, qui genus, & artem referebat ad Machaonem Aeſculapij F. matre natus Phæſtiade, a Chalcidenſi quodam oriunda, ex eorum numero, qui Stagira in coloniam profecti ſunt. Natus autem eſt Olympiade XCIX. triennio Demoſthene maior, prætore Athenis Diotrephe; Polyzelo autem prætore, Patre mortuo, decimum octauum annum agens, Athenas venit, & Platoni commendatus, viginti annos cum eo exegit. Platone autem, Theophilo prætore, mortuo, abijt ad Hermiam Atarnei tyrannum : ac triennium cum eo moratus, Eubulo prætore, Mitylenas receſſit : inde ad Philippum venit, Pythodoto prætore : apud quem Alexandrum inſtituens, octo annos exegit. Poſt Philippi obitum, Euæneto prætore, profectus Athenas, duodecim annos in Lyceo ſcholas habuit. Decimotertio autem, Alexandro mortuo, prætore Cephiſodoro Chalcidem migrauit, ibique ex morbo deceſſit, cum tres, & ſexaginta vixiſſet annos.* Conſimilia habet Laert. in vita Ariſt. Vbi id quoque obiter obſerua, quod Ariſt. *obijt, ex morbo*. Hinc liquidò conſpicis, quàm fœdè effuſi quidam Ariſt. obtrectatores, vel hiſce diebus, aduerſus eum conblaterant, quamq; ſe inuidè malignos oſtentant viris doctis, dum iactitant, quod Ariſt. ſeſe in mare proiecerit, propterea quod cauſam æſtus illius deprehendere non potuerit; vel quod veneno ſemet ſuſtulerit tædio vitæ. Nugæ ſunt, & gerrhæ. Audiuiſti ex Halicarnaſæo auctore grauiſſimo, & antiquiſſimo, quòd is in chalcide *deceſſit ex morbo.* Nec deſunt, qui nimio quodam contradicendi æſtro impulſi, eum ipſum redarguant impietatis. Aſt vtinam ipſi iam firma mente fidei noſtræ veræ adhæreant, qua ille fuit erga ſuam, quamquam falſam. Cognouit hic vnum, ac ſummum Deum, *a quo pendet cælum, & vniuerſa natura*, duodec. Metaph. tex. 39. de quo multa, ac præclata, quantum naturæ lumen ſufferre poteſt, prædicauit, & eius opem, & miſericordiam implorauit impensè, vt ex vltimis eius verbis, retro a nobis relatis audiuiſti. Quinuerò vota etiam quædam, iuxta patrios ritus, vouit, vt ex ipſius teſtam. apparet apud Laert. Verùm de his haud plura.

Quocirca quæ in arg. illo (redeo adhuc ad rem) contra Eximium hunc virum recenſebantur, ea ab inuidis, & turpiſſimis obtrectatoribus conficta ſunt. Talis in ſpecie fuit Epicurus, cuius auctoritate narratio illa ſuffulta graſſatur, qui quidem acri quadam, ac virulenta maledicentia in præcipuos Philoſophorum inuehebatur. Audi quid de eo Laert. in vita illius committit litteris. *Epicurus Nauſiphanem appellabat* πλεύμονα, *pulmonem, & illiteratum, ſeu rudem, & deceptorem; eos autem, qui circa Platonem erant* Διονυσοκόλακας, *Dionyſij aſſentatores. & ipſum Platonem* χρύσεον *aureum*, idest aureum adulatorem, *Ariſtotelem verò intemperantem, qui cum paternam ſubſtantiam abſumpſerit, militauit, & pharmacopolam exercuit; Protagoram vocabat* φορμοφόρον *ſportuligerum, Democritum ſcribam, & in vicis, ac villis docentem, tum* ληρόκριτον *nugarum iudicem, Pyrrhonem autem rudem, inſipientem, indoctum &c.* A tali igitur homine delumis argumentum? Huius claſſis ſunt illa, quæ a Timæo Tauronomita referuntur. Quid? Ariſtoteles, fuerunt multi, vt etiam ſcribit Euſebius lib. 14. de Præpar. euangel. cap. 7. & Thomas Giann. in ſua Phyſ. lib. 2. cap. 3. Quo factum eſt, vt quæ alterius Ariſtotelis facta fortaſsè fuerunt, ea falsò vni huic ſunt attributa.

Tandem obijciebant, quod Ariſt. extiterit erga præceptorem ingratus, & illius doctrinam irreuerenter dilacerauit. Reſpond. Ariſt. plurimum ſemper detulit Platoni, neque eum vllo vnquam incompoſito, & aſpero verbo vſpiam tetigit : quinuerò eximia quoque reuerentia expreſsè proſecutus eſt, dum illi aram, ceu numini cuidam extruxit quemadmodum ſuperius indicaui. Quod autem alicubi illius placita impugnauit, rectè ſanctèque fecit, veritatem illi anteferendo. *Sanctum enim eſt, præſertim viro Philoſopho, veritatem amicis in honore anteponere*, legimus in primo Ethic. cap. 3. Aſt ego continere me nequeo, quin hic verba Ammonij ſubijciam, quibus hoc ipſum telum confringit. *Ariſtoteles*, inquit ille, XXXI

non

non ipsi simpliciter Platoni contradicit, sed iis, qui dicta eius minus rectè sunt interpretati. Quod si & Platoni ipsi aliquando contradicit, quid mirum? Nam hic quoque Platonem sequitur auctorem, ipsius enim sententia est, Veritatem rebus omnibus esse anteponendam: quin eiusdem verba hæc sunt. Charus quidem Socrates, sed veritas charissima. Et alibi, Socrates quidem quid dicat, parum solliciti esse debemus; de veritate autem multum esse sollicitos oportet. Idem ergo ab Aristotele quoque factum, etiam sicubi præceptoris dicta labefactauit, atque conuellit: quippè in eo illi obtemperat, dum veritatis partes tuetur. Vnde necodium vllum eius in Platonem, & causa illa in arg. recensita ficticia est.

Dum verò Aristotelis habitum, ac vestitum carpunt, extra septa præcipites feruntur. Lis est de ingenio, quid vestitum, & ornatum obtrudis? Vsus quidem ille est κουρᾷ, tonsura, & vestibus magnificis; gestauit etiam annulos. Cuius rei triplex causa potest afferri. Primò. Arist. fuit in domo nobili a teneris annis splendidè educatus, quocirca quo illustri, & magnifico habitu a pueris assueuerat, eundem etiam vir continuauit; præsertim cum ei præsto esset parandi facultas, quia diues erat. Secundò, quia ferè semper cum nobilibus, & principibus viris conuersabatur, quos quidem non in habitu vili, abiectoque, sed paulò illustriori adire debemus. Quippè, quemadmodum illi supra vulgarem hominum cætum a Deo constituti suspiciuntur, ita maiori quodam apparatu a nobis adeundi sunt. Tertiò, quia mundicies, & compositus corporis ornatus innuit elatam nescio quam animi dispositionem. Veruntamen hic duo obseruo. Vnum, quod habitus Aristotelis non erat talis, qui occursantibus fastum quemdam, & insolentiam obiectaret, sed qui decus, & reuerentiam conciliaret. Alterum, quod plerique omnes illius tempestatis Philosophi humilibus, ac penè diaerim, abiectis vtebantur indumentis, existimantes id apprimè Philosophiam decere: Plato recessit aliquantum ab eo vsu: magis recessit Arist.

Eodem pacto negandum est, Aristotelem vllam vnquam ingrati animi vmbram erga Alexandrum discipulum exhibuisse. Quod autem de veneno ab eo fabrefacto obtrectatores illi comminiscuntur, merum putum mendacium est. Primùm. Nemo antiquæ, & syncera fidei auctor id retulit determinatè. Deinde hæc ratio eos mendacij constantissimè conuincit. Refert Plutarchus in vita Alexandri, quod dum Alex. supremum obijt diem, nulla tunc fuit veneni suspicio. Sexto deinde anno delatum fuit indicium ad Olympiada Alexandri matrem, quæ multos curauit interficere, tanquam illius sceleris an reos, an conscios: & præterea ossa Iolæ iam demortui, proiecit, quasi hic, vt pote Alexandri pincerna, venenum miscuisset. En Plutarchi verba. *Vigesimo octauo sub vesperam expirauit. Hæc ferè in diarijs ita perscripta ad verbum sunt. Veneni extemplo suspicionem nemo habuit. Sexto demum anno autumant indicio delato, Olympiada multos necasse, ossa etiam proiecisse mortui Iolæ, quasi venenum hic miscuisset.* Modo si Arist. vel leui cuipiam huius rei suspicioni fuisset obnoxius, pepercisset ne illi Olympias? Immò verò ante omnes alios, tanquam nefarium, scelestum, & exsecrabilem sceleris inuentorem, necisque auctorem omni ope contrucidare curasset: & honores, & indulta amplissima a se, ab Alexandro filio, nec non a Philippo illi congesta, penitus obliterasset. Nunc autem nihil eiusmodi fecit, sed semper Aristoteles fuit in ea domo in prece, & pretio, & ἀριστοτέλεια, dies festi in honorem Aristotelis instituti, singulis quibusque annis ab Stagiritis, Olympiadis subditis celebrari haud destiterunt. Iniquè igitur faciunt ij, cum quibus nunc agimus, dum eximio, & innocuo huic viro fœdam hanc inurunt notam.

XXXIX

Addit Plutarchus, ea ipsa de re hæc verba. *Qui verò auctorem Aristotelem huius facinoris perhibent Antipatro fuisse, atque omnino per illum illatum virus, hi Agnothemum quendam, qui id ex Antigono Rege audisset, narrasse referunt.* Hoc mirificè Stagiritæ innocentiam detegit, quia hac ansa protrecta, exquisiuit Olympias acrius super ea re. Nihil inuenit. Deinde neque Agnothemi fides vlla: neque rationabile, quod Antigonus, etiamsi res ita fuisset, id posset scire.

Habe etiam quæ circa eius mortem obtigere. Prodiderunt memoriæ Veteres quidam scriptores, Aristotelem, cum extrema sibi impendere præsensisset, in lachrymas profusum, primæ causæ misericordiam intentius implorasse: quin & Homeri sententiam ex Odyss. vehementer approbasse, qua pronunciatur, non esse immortalibus dijs indecorum, hominis induere naturam, quò ab erroribus seuocentur mortales. Hinc in vita eiusdem Aristotelis, quæ habetur in ipsius operibus excussis Lutetiæ Parisiorum typis Regijs ann. MDCXIX. hæc omninò leges. *Postquam in Chalcidem Eubææ vrbem venisset, & Theophrastum successorem delegisset, annum agens circiter sexagesimum tertium ex hac vita decessit. dolore simul, ac ipse in lacrymas, præcesque profusus, quibus Dei, entis entium, primæque causæ misericordiam dicitur, sic implorasse. Nudus veni, dubius vixi, incertus morior, quò vadam nescio. Tu Domine, ens entium, miserere mei.* Quid vero? Refert Cælius Rhodiginus lib 10 cap. 31. ex lib. de Pomo, quisquis eius fuerit auctor, quod discipuli Aristotelis, qui illi aderant morienti, cum is expirasset, sic eum affati sunt. *Ille, qui Philosophorum animas excipit, & tuam colligat in suis recondens thesauris, vti animam addecet recti hominis, & perfecti, qualem te nouimus.* Sed hic finis esto. Quare distichon illud mali auctoris, quod erat.

Doctorem calamo, ingratus, Dominumque veneno
Perdidit, igne Patrum dogmata, nos tenebris.

Nos æquiore malleo ita cussimus.

Doctorem ara, pergratus, Dominumque sophia
Auxit; honore Patrum dogmata, nos calamo.

Vel

Vel ſic.

Doctorem, Dominum, Patres, & ſæcula adæquit,
Arte, doctrina, conditione, ſtylo.


XL. Quæ omnia cedant in gloriam Dei benedicti, qui hunc virum, eximium, excelſum, incomparabilem, e ſuis Theſauris in mundum prouexit, vt per eum Naturæ arcana, quæ ſciri poſſunt, humano generi detegerentur. Quem bis mille, & quindecim iam annis præclara quæque ingenia, quæ te cunque potuerunt, enixè excoluerunt, excolentque, vt cum Homero dicam,

Εὖτ' ἂν ὕδωρ τε νάῃ, καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ,
ἠέλιός τε ἀνιὼν λάμπῃ, λαμπρά τε σελήνη.
. . . . dum vnda fluet, dum ſylua virebit,
Dumque oriens cælo Phœbus, dum Luna micabit.

Viden' qualisnam dux nobis in Philoſophicis caſtris anteeat? quiſnam in enodandis, atque enucleandis Naturæ arcanis præferat facem? Hunc porrò illis omninò verſibus nunc affari lubet, quibus Lucretius lib. 3. Epicurum ſuum affatus eſt.

Te ſequor, ò Graiæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis.
Tu pater es rerum inuentor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuis ex incyte chartis
Floriferis, vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſſima vita.

Verùm antequam præclariſſimum hunc virum audiamus, omninò nobis, ex communi, ac laudabili Doctorum vſu, diſcutienda ſunt nonnulla theoremata, vulgo prolegomena nuncupata. Propterea ſit.





QVAE

QVÆSTIO SECVNDA

Vtrum de rebus naturalibus scientia habeatur; Et qualis sit.





SECTIO PRIMA.

Varia Veterum Philosophorum placita de scientia naturali. Et argumenta, quod Philosophia Naturalis non sit scientia.

I. E scientia vniuersè accepta, siue de Veritatis agnitione, vehemens inter priscos Philosophos extitit contentio. Quidam pertinaciter contendebant, nihil in rerum natura reperiri verum, alij e contra, omnia omninò esse vera. Hi omnia, quæ apparent, illi nulla apparentia vera esse: Alij nihil vnquam posse cognosci, Alij omnia comprehendi; Alij ambo contradictoria simul esse vera: Alij inter ea reperiri medium: Alij vnum aliquem non posse alteri contradicere: Alij alio pacto. Quos quidem cum Arist. in quarto Metaphys. copiosè exagitasset, in tex. 21. quasi indignabundus hæc profert: *si illi qui maximè Veritatem quærunt, atque amant, tales de Veritate habent opiniones, quomodo non socordia illis sit, qui philosophari conantur? Nam quærere veritatem profectò esset volucres persequi.*

In specie verò Heraclitus, & Cratylus denegarunt posse quicquam de rebus naturalibus certò affirmari, ac sciri, propterea quod omnia collocata sub Luna, perpetuò fluerent; vt in eodem libro quarto tex. 22. legimus, quo loci duplex etiam ratio indicatur, quam hic mox apponam.

Plato autem, vna quidem ex parte adhæserat Heracliti, & Cratyli opinionibus de inconstantia, & assiduo fluxu sublunarium, ac proinde asseuerauit de his haud esse scientiam, vt refert Arist. primo Metaphys. cap. 6. Ex altera verò parte rationabile duxit, Naturalis Philosophiæ gradum, ac dignitatem tueri: propterea Pythagoricos numeroa imitatus, vt adnotat Philosophus in cap. illo 6. maximè verò Brontinum, & Archytam Pythagoricos, vt refert Marsil. Ficin. ad Theætetum Platonis, induxit quasdam formas vniuersales à materia separatas, & per se existentes, ex quarum participatione fierent omnia hæc inferiora singularia. Posuit itaque vnam vniuersalem naturam v.g. hominis, separatam ab omnibus hominibus, à cuius participatione fierent omnes homines, quemadmodum multæ sigillationes fiunt ab vno sigillo, ita de reliquis speciebus. Quas quidem formas nuncupauit Ideas, & de illis statuit haberi scientiam. Qua de re vide Platonem Dialogo sexto de Repub. versus finem, & Dial. 10. in principio, nec non in Timæo: Tum etiam Arist. primo Poster. cap. 10 & primo Metaphys. cap. 6. & 7. & lib. tertio cap. 1. & lib. septimo cap. 5. & libro duodecimo cap. 3. & lib. decimotertio cap. 3. & primo Ethic. cap. 10. & alibi sæpe.

Argumenta, quod Philosophia Naturalis non sit scientia.

Iam vero Philosophiam, quæ de natura est, haud esse verè scientiam, his argumentis potest suaderi. Primò, Scientia est de ijs, quæ impossibile II.

est, aliter se habere, vt etiam legimus in primo Poster. cap. 2. Res autem naturales omnes possunt aliter se habere, quinimò assiduò aliter, atque aliter se habent: tum quia præditæ sunt materia; *materia autem natura*; vt ait Philosophus in septimo Metaphys. tex. 53. *talis est, vt esse, & non esse contingat*, quare res omnes naturales possunt aliter esse, ac nunc sunt: Tum etiam, quia sunt mobiles, nam ex secundo Phys. tex. 17. *Quæcunque mota mouent physicæ sunt*, idest considerationis, *quæcumque autem non, non amplius*. At res mobiles necessario aliter, atque aliter assiduò se habent, quid enim aliud est moueri, quàm aliter se habere nunc, ac prius erat? vt etiam demonstrat Philosophus cùm alibi sæpe, tum in sexto Phys. Auscult. tex. 37. ergo &c.

Secundò, Philosophia naturalis versatur circa substantias sensibiles, *versatur enim ferè plurima circa corpora, & magnitudines, & horum affectiones, atque motus: adhuc autem circa principia, quæ talis substantiæ sunt*, ex primo de cœlo tex. 1. sed *substantiarum sensibilium neque definitio, neque demonstratio est*, vt scribitur in septimo Metaphys. tex. 53. quare neque scientia.

Accedit, quod de sensibilibus non est scientia, primo Poster. tex. 35. Quid ita? quia scientia cum sit habitus intellectualis, ita docente Philosopho in sexto Ethic. cap. 1. occupatur circa res intelligibiles: sensibile autem non est intelligibile, quemadmodum neque sensus est intellectus, vt manifestatur ex secundo de Anim. à tex. 150. Cum itaque res naturales sint sensibiles, de ijs scientia non habetur.

Tertiò: Quidquid habet materiam, sciri non potest, vt docet Arist. in septimo Metaphys. tex. 53 quo loci cum constituisset substantias sensibiles neque definitione, neque demonstratione comprehendi, subnectit, *propterea quia materiam habent*, Cuius dicti ratio in manu est, quia definitio, & demonstratio est necessariorum, vt in eodem tex. nec non in primo Poster. tex. 35. dicitur: omnia autem materia prædita necessariò non sunt. At res omnes naturales materiam habent, quare sciri non valent.

Quartò: de eo, quod in intellectum agere, & ipsum mouere nequit scientia, obtineri non potest. Etenimuerò cum *intelligere* nostrum *sit quodam pati*, ex tertio de Anim. tex. 2. & 11. id omne, quod intelligi debet, profectò in eum agere, ipsumque ad intellectionem moueat, necesse est: sed res naturales non possunt agere, & mouere intellectum. Quod sic ostendo, quia omne agens, ac mouens est præstantioris naturæ, ac conditionis, quàm passum, & motum; *semper enim*, inquit Arist. in tertio de Anim. tex. 19. *honorabilius est agens patiente, & principium materia*. Quod enim mouet, quà huiusmodi, actu est; quod autem mouetur, est potentia ex tertio Phys. tex. 17. & quod actu est, id longo interuallo existit perfectius eo, quod est potentia. Atqui impossibile est, res naturales esse perfectiores Intellectu: illæ enim sunt materiales, hic materiæ expers, quare impossibile est, eas intelligi, atque adeò sciri.

SECTIO II.

De rebus naturalibus verè habetur scientia, ac proinde Philosophia naturalis syncerè, ac propriè est scientia.



Ta sanxit Philosophus in sexto primæ Philosophiæ cap. 1. dum hæc omninò committit literis. III.
Cum autem Physica etiam circa quoddam entis genus scientia sit (etenim circa talem substantiam est, in qua principium est motus, & status, qui in ea est) patet quod neque actiua, neque factiua est, factiuarum enim in faciente principium est, aut intellectus, aut ars, aut aliqua potentia: Actiuarum autem in agente electio idem enim agibile, & eligibile. Quare si omnis intellectus, aut actiuus, aut factiuus, aut speculatiuus est. Physica speculatiua quadam profectò est; sed speculatiua circa tale ens, quod possibile moueri, Eadem omninò repetit libro vndecimo cap. 6. Hanc Philosophi sanctionem sequuta est posteritas omnis: explicant Simplic. Philopon. Themist. & Auerr. in proæmio ad hunc librum. D. Thom. cùm ad primum illud cap. sexti Metaphys. lect. 74 tum opusc. 70. Subtilis etiam Doctor in 1. distin. 3. quæst. 4. & alij omnes.

Ratio assertionis est manifesta: Scientia propriè dicta, quatenus est distincta ab intellectu sapientia, prudentia, & arte, est habitus conclusionis habitæ per demonstrationem ex principijs veris, proprijs, ac necessarijs, vt discimus ex sexto Ethic. cap. 6. & primo Poster. cap. 2. Sed de rebus naturalibus habemus habitum multarum conclusionum per demonstrationem ex principijs veris, proprijs, & necessarijs, quare de ijs habemus verè, & propriè scientiam: Quæ est Philosophia Naturalis. Minor patet in hac conclusione, quod omnia mixta sunt corruptibilia, quæ sic demonstratur. Quæcumque constant ex naturis, & qualitatibus contrarijs, ea sunt corruptibilia: omnia mixta constant ex naturis, & qualitatibus contrarijs: omnia igitur sunt corruptibilia. Ita de alijs, quorum exempla passim habes apud Aristotelem.

Præterea, tunc verè scimus, cū rem ita cognoscimus per

Digitized by Google

per suam causam, vt ea aliter euenire non possit, ex primo Poster. cap. 2. Atqui multa entia naturalia ita cognoscimus per eorum causas, vt ea aliter euenire haud vnquam possint. Ita cognosco terram descendere, quia est grauis, & esse grauem, quia habet plus materiæ sub minori quantitate. Ignem autem ascendere, quia est leuis, & esse leuem, quia habet minus materiæ sub maiori quantitate. Atque hæc ita teneo, vt impossibile sit, quin ita sint. Eodem pacto animaduerto, omnia corpora tam simplicia, quàm mixta moueri, quia prædita sunt natura, à qua, velùti à principio, & causa prodit motus. Hæc, & id genus alia contemplatur Philosophia naturalis, quare cognoscit multa entia naturalia per veras eorundem causas, atque ita cognoscit, vt alio modo euenire non possint, ac proinde est vera scientia.

Adde, quod eadem Physica plurimas res inuestigat, & contemplatur à posteriori, & per demonstrationem. Quia, v. g. ex motu, & sensu deprehendit Animam, itidem a motu venatur motores orbium, seu intelligentias &c. Demonstratio autem Quia, etiam ipsa parit scientiam, vt docet Arist. in primo Poster. tex. 95. quare ex hoc etiam capite Physica erit verè scientia.

IV. Dico præterea, quod etiam si darentur Platonis Ideæ, quo pacto ab Arist. recensentur, de ijs nulla ratione posset haberi scientia.

Consultò addidi (quo pacto eas Philosophus retulit) quia itane Plato suas Ideas constituit, quemadmodum illi Stagirites ascribit, an alio intellectu, haud conuenit inter Doctores; qua de re aliàs dicam. Nunc firmum accipio, Aristotelem verè, & candidè Præceptoris sui sententiã de ijs recensuisse.

Insuper dixi, (si darentur Platonis Ideæ) quia re ipsa eiusmodi portentosa naturæ molimina nec actu dantur, neque possibile est, vt consistant.

Assertio autem nostra ita probatur. De illo, quod definiri non potest, scientia non est, quia ex secundo Poster. tex. 2. & vndecimo Metaphys. cap. 6. *definitione vtuntur omnes scientiæ, vt principio ad demonstrandum*. Sed ideæ definiri non possent; quod ex professo demonstrat Philosophus in 7. primæ Philosophiæ tex. 53. & 54. Et præterea vel hac ratione conuincitur. Si definio v. g. hominem, dicam animal rationale mortale. Hæc autem definitio Ideæ hominis, à Platone inductæ, conuenire nulla ratione potest: Nam idea illa hominis erat forma, ac species interitus expers, penitusque inuariabilis, & æterna; æternum autem, inuariabile, & incorruptibile nequit appellari mortale: Ita si definio equum, dicam esse substantiam sensibilem. Atqui istorum Idea, vtpote ab omni materia segregata, non esset sensibilis; quare definiri non posset Idealis homo, aut Idealis equus, aut Idealis sanitas. Hoc plane est, quod Arist. in primo Metaphys. tex. 28. ait, quod inducentes Ideas, auferunt definitiones, *& omninò rationes ea, quæ fiunt de Ideis, ea tollunt, quæ magis esse volunt, qui Ideas inquiunt esse, quàm ipsas Ideas*. Huc etiam tendit, quod libro tertio tex. 7. scribit eos, qui Ideas ponunt duo inter alia incommoda pati. Vnum quod quidditas rei sensibilis sit separata à re sensibili. Alterum, quod sempiterna, & corruptibilia sint eiusdem speciei.

Ad hæc, singulare, siue caducum, ac fluxum illud sit, siue incorruptibile, definiri non potest: Idea esset aliquod singulare. Primò quidem, quia Ideas Plato constituebat esse particulares, vt apud eum videre licet in sexto de Republica, & refert etiam Arist. decimotertio Metaphys. cap. 10. & insuper aiebat, Ideam esse vnum aliquid, nempe vnum numero, vt explicat Philosophus in primo Poster. tex. 2. Idea dicitur vnum aliquid præter multa. Deinde illa esset aliquid existens; quandoquidem Idea de mente Platonis est Natura sui similium causa, per se subsistens, sensibilium substantiarum sui similium exemplar: Omne autem existens particulare est. Maior autem argum. ingeniosissimè ab Arist. in septimo Metaphys. tex. 53. & 54. tribus rationibus demonstratur, quas optimè extendunt Alex. & D. Thom. nec institutum meum patitur, eas hic recensere.

SECTIO III.

Philosophia Naturalis est scientia speculatiua, & non practica.



Ita docet Philosophus sexto Metaphys. cap. 1. & lib. vndecimo cap. 6. quibus in locis concludit. *Quare si omnis intellectus, aut actiuus aut factiuus, aut speculatiuus est, Physica speculatiua quadam profectò est, sed speculatiua circa tale ens, quod possibile est moueri*. Et ita est inter doctores receptum. Vt autem assertionis rationem habeas. V.

Habe in præsenti pauca hæc de speculatiuo intellectu, & habitu plura, a fante deo, habiturus in tertio de Anim. ad tex. 49. Potentiæ, & habitus distinguuntur, & cognoscuntur per actus, ex secundo de Anim. tex. 22. vlt. 33. Quare speculatiuus intellectus atque etiam speculatiuus habitus ille erit, qui respicit actum speculatiuum. Et similiter intellectus, atque etiam habitus practicus erit ille, qui tidem respicit actum practicum.

Sunt igitur in proposito tria. Actus speculatiuus: Actus practicus, & Praxis. Actus speculatiuus est actus solius intellectus non ordinatus ad dirigendam, ac regulandam operationem alicuius alterius potentiæ distinctæ ab ipso intellectu sed sistit in me-

Digitized by Google

ra, ac sola sui obiecti contemplatione, & est gratia sui cuiusmodi est actus v.g. quo Metaphysicus contemplatur ens. Actus autem practicus est itidem operatio intellectus, at non est gratia sui, sed gratia alterius: Et etiam non sistit in mera, ac sola contemplatione, sed est principium agendi: Vnde sopte natura est ordinatus ad dirigendum, & regulandum actum aut voluntatis, aut alterius potentiæ: veluti ille actus est practicus, quo intellectus dirigit v.g. voluntatem ad amandum Deum, vel ad exequendum aliquod opus: (practicum enim subdiuiditur in actiuum, & factiuum). Totum hoc docuit Eximius Præceptor in tertio de Anim. tex 49. quo loci loquens de motu locali animalium, per hæc duo secernit intellectum practicum a speculatiuo. *Vtraque igitur*, inquit, *hæc motiua sunt secundùm locum, intellectus, & appetitus. Intellectus autem is, qui alicuius gratia ratiocinatur, & qui actiuus est, differt autem à speculatiuo fine*.

Hunc autem finem expressit idem Auctor in secundo Metaphys. tex. 3. dicens, quod *finis speculatiuæ est veritas, practicæ autem opus*, & Auerr. ad eum locum. *Per speculatiuam*, inquit, *scimus, vt sciamus: per practicam verò sumus scientes, vt operemur, quia practicæ finis est opus*. Itaque vterque est actus intellectus, veruntamen actus practicus ordinatur, atque protrahitur ad aliud. Et hoc est, quod trito illo effato dicitur; *intellectum extensione fieri practicum*.

Praxis denique est actus ille elicitus a voluntate, vt amor circa Deum, vel ab aliqua alia potentia productus. Quocirca Praxis congruè describitur, quod sit actus alterius potentiæ ab intellectu, posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ ad hoc, vt rectus sit.

I. Differunt itaque intellectus, siue habitus speculatiuus, & practicus, primò, quòd speculatiuus haud exit extra se ipsum, sed intra contemplationis aream expatiatur; practicus verò dirigit operationem alterius potentiæ ab intellectu, & extensione quadam porrigitur ad praxim.

Hinc dessident 2. fine, quia finis speculatiui est sola, & mera veritatis contemplatio, vt dixi, practici autem est opus. Porrò hic finis non debet esse extrinsecus, &, vt aiunt, finis operantis, quem videl. potest quisq; sibi pro arbitratu præfigere; sed intrinsecus, qui naturam, & conditionem habitus, & scientiæ consequatur.

Hinc vlterius discriminantur 3. quòd quamuis, & speculatiuus, & practicus possint considerare aliqua etiam a nobis factibilia, practicus debet omnem suam cognitionem dirigere ad opus, & si non dirigat, non est amplius practicus, sed speculatiuis: vnde optimè S. Thom. in prim. part. quæst. 14. art. 16. *si quis*, inquit, *ædificator consideret, qualiter possit fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit, quantum ad finem, speculatiua consideratio, tamen de re operabili*.

Postremò differunt, quia in cognitione speculatiua principium cognitionis sunt res ipsæ, & tunc cognitio est vera, & perfecta, quando adæquatè cum rebus conformatur; quippè ex eo quod res est, vel non est, cognitio est vera, aut falsa, vt dicitur in cap. de substantia, & secundo Metaphys. tex. 4. Idcircò obiectum dicitur speculatiuæ cognitionis principium, & mensura. In practicis autem res e contra se habet, etenim eius principium est in nobis, & nostra cognitio, ac scientia practica est principium, ac mensura rerum producendarum: & tunc res censentur perfectæ, cum conformantur, & adæquantur scientiæ nostræ. Totum hoc docuit Stagirites in sexto illo Metaphys. cap. 1. & lib. vndec. cap. 6. Et quidem de cognitione speculatiua, dum ait, *Physica circa quoddam entis genus scientia est &c.* De practica autem, cum subiungit, *factiuarum enim in faciente principium est, aut intellectus, aut ars, aut aliqua potentia. Actiuarum autem in agente electio: idem enim agibile, & eligibile*.

Verùm de hoc argumento vide D. Thom. in sexto Metaphys. ad tex. 3. & in prim. part. quæst. 14. artic. 16. & quæst. 14. de Verit. art. 4. Scot. quæst. 4. prolog. Caietan. in prim. secund. quæst. 57. art. 1. Capreol. quæst. 2. Prolog. Ferrar. tertio contra Gent. cap. 25. Patr. Suarez. in Metaphys. Disput. 44. sect. 13. Molin. in prim. part. quæst. 1. art. 4. disput. 2. Vasquez ibid. Disput. 8. PP. Compluten. disput. 1. ad Logicam quæst. 6. Perer. lib. primo suæ Phys. cap. 2. & 3. Franc. Piccolomin. in sua introductione ad Philosophiam naturalem cap. 2. & 3. & P. Matth. Ferchium in Vestigationibus Peripat. Vestigat. 9. in qua strenuè dimicat de tripartita scientiarum partitione. Nobis hæc pro nostro instituto attigisse satis. VII.

Ex his, quæ de habitu speculatiuo tetigimus, euidenter colligitur supradicta nostra assertio, si ita subsumas. Philosophia naturalis arctatur intra solius contemplationis limites, neque cuiusquam alterius potentiæ ab intellectu actus dirigit, & pro fine habet solam veritatis circa suum obiectum agnitionem, eiusque principium hauritur à rebus ipsis, quæ omnia vnicuique vel leuiter rem expendenti apparent clarissimè, quare Philosophia naturalis est verè, & propriè speculatiua, & non practica.

Quod si obijcias, Philosophia naturalis, vt in octauo libro huius operis liquet, ex officio scrutatur, ac inuenit Intelligentias, & Deum, sed ex hoc excitat voluntatem, & dirigit ad amorem circa illas, siquidem impossibile est, cognosci bonum, & non amari; quare Philosophia naturalis erit practica: Consequutio clara est, quia scientia excitans, & dirigens ad praxim, practica est.

Occurrendum est, quod voluntas excitatur quidem ad amorem circa Intelligentias, & Deum ipsum à Philosophia naturali inuentas; sed hæc excitatio omninò se habet ex accidente ad Philosophiam naturalem, quæ quidem per se solum intendit inuenire, & contemplari intelligentias, & omnium primam Deum: Scientia autem practica

non

non ex accidente sed ex sua natura debet excitare, ac dirigite alias potentias ad opus, ideò Physica neque ex hac parte est practica.

SECTIO IV.

Diluuntur argumenta initio quæstionis proposita.

VIII. 

Rgumenta in contrarium adducta, olim priscis Philosophis magnam iniecerunt vim. At verò hodiè a quouis etiam tyrone in Philosophia nullo negotio depelluntur. Depellitur primum, quia concessa eius maiori, ad minorem triè dicitur; Res naturales spectatæ in particulari, & vt exercent actum existentiæ, vtique sunt caducæ, ac corruptibiles, & hoc pacto de ijs non est scientia: cæterùm acceptæ in vniuersali, & qua dicunt essentialem prædicati, ac subiecti connexionem, eatenus sunt æternæ veritatis, & optimè vadunt in scientiam. Sic occurritur ad probationes eiusdem minoris. Namque quæ sunt prædita materia sublunari, ea omnia in particulari sunt fluxa, & aliter se habentia, minimè autem in vniuersùm considerata.

Doctrina colligitur ex Arist. quarto Metaphys. tex. 22. quo loci occurrens Heraclito, & Cratylo asseuerantibus, de his rebus nil affirmari posse, quòd assiduò mutentur, ait, eas mutari quidem *secundum quantitatem*, non autem mutari *secundùm qualitatem*. Nomine qualitatis intelligit formam, quemadmodum idem ipse ibidem explicat: per formam autem indicat vniuersalia. Cuius dicti ratio in promptu suppetit quia totum est quædam forma, & partes comparatæ ad ipsum, sunt materia, ex secundo Phys. tex. 31. & quinto Metaphys. tex. 3. sed vniuersale est quoddam totum, singularia autem suot partes, vt dicitur in hoc primo libro tex. 3. quare vniuersale est quædam forma. Et hoc sensu in Prædicamento substantiæ, secundas substantias, aiebat Arist., propriè non tam significare *hoc aliquid*, quàm *quale quid*. Nomine autem quantitatis intelligit singularia ipsa, quæ proptijs conditionibus existunt distincta.

Sed contra sic argue. Corruptibilitas est propria passio corporis naturalis, seu rerum naturalium, ergo competit illis etiam in communi, quinimo prius illis, quàm singularibus ergo illæ etiam in communi acceptæ aliquando corrumpentur, ac proinde de illis neque in communi habetur scientia. Antecedens est verum, quia corruptibilitas fluit ab essentia corporis naturalis, vt potè conflati ex contrarijs. Prima autem consequentia probatur, quia propria affectio competit etiam speciei, & prius illi, quàm indiuiduis, auctore Philosopho in Prædicam. substantiæ. Nam ideò Petrus est risibilis, quia homo est risibilis, non autem è contra. Secunda consequentia etiam probatur, quia si corruptibilitas, quæ est potentia ad corruptionem, competit rebus naturalibus etiam in communi. ergo ijsdem competit etiam actus corruptionis, ac reipsa aliquando corrumpi, quandoquidem *eius est actus, cuius est potentia*, ex libro de somno, & vigilia, cap. 1.

Concedendum existimo antecedens; siquidem corruptibilitas fluit ex eo, quia corpus naturale etiam in communi spectatum, est aliquod compositum, idque ex contrarijs: omne autem quod ita compositum est, habet potentiam vt dissoluatur. Quare ad primam consequentiam dico, corruptibilitatem competere rebus naturalibus etiam in communi, & prius, si sermo sit, quantum ad connexionem, quæ inter essentiam, & propriam passionem intercedit, non autem competere illis quantum ad existentiam, & actuale exercitium, idest actu corrumpi. Suppetit exemplum clarissimum. Risibilitas quantum ad connexionem essentialem, priùs competit homini in communi, quàm Petro, aut Paulo; cæterùm exercitium actus, idest ridere, nunquam cadit in illum: neque enim homo in communi ridet, sed hic, aut ille, cum ex primo Metaphys. cap. 1. actiones sint singularium, siue suppositorum. Ita de corruptibilitate, & eius actu philosophandum est. Propositio autem illa, eius est actus, cuius est potentia, est vera in singularibus, ille enim videt, qui habet potentiam videndi: non autem in vniuersalibus, quæ actu operari non possunt.

Ad secundum argum. eodem fermè modo dicendum est, substantias rum sensibilium, si in particulari spectentur, neque definitionem, neque demonstrationem esse, sic intelligit Arist. septimo Metaphys. adducto. in vniuersali autem optimè definiuntur, & plurimæ de ijs efficiuntur demonstrationes. IX.

Id idem dicendum est ad illud ex primo Poster. tex. 35. sensibilia in communi spectata non sunt obiectum sensus, quia hic est singularium ex primo Phys. tex. 49. & secundo de Anim. tex. 60. sed sunt obiectum intellectus, quo circa optimè de ijs potest haberi cognitio intellectus, & scientia.

Adi omninò Aphrodisæum libro primo quæstionum Natural. cap. 3. vbi scitè declarat, *Quorum sunt definitiones*. Et inquit, *Definitiones singularium quidem non sunt, eo quod hæc cum accidentibus quibusdam, vt sint huiusmodi, habent, & non semper eisdem, sed quæ decidunt & sensu potius, quàm ratione ipsa declarante, indigentibus, sed neque alicuius communis a singularibus separati, & quod sit incorporea natura aliqua, & æterna. Nam quo pacto fuerit bipes incorporeum aliquid? aut quo pacto mortale æternum? dicimus autem hominem definientes, quandoque quidem animal gressibile bipes, quandoque verò animal rationale mortale. Sed sunt definitiones communium quidem, quæ sunt in ipsis singularibus, aut singulari-*

gularibus; aut singularium, quo ad communia, quæ in eis sunt.

Ad tertium, cum Arist. ait, quæcumque materiam habent, ea sciri non posse, propterea quod res à materia habet, vt possit esse, & non esse, proculdubio intelligit de re habente materiam in particulari, & vt exercet actum existentiæ, qua ratione omnia sunt interitui obnoxia.

Ad vltimum, intellectus intelligit res materiales per species intelligibiles, quæ sunt immateriales earumdem rerum imagines, & sic illæ dicuntur mouere intellectum, quamuis suapte natura sint inferioris notæ, quàm intellectus. Nam etiam paries per sui speciem sensibilem mouet visum, qui tamen est longè imperfectior visu. Effatum autem illud, quod *Agens est honorabilius patiente*, varias habet interpretationes, de quibus suo loco. Interea dico; agens, qua ratione præcisè agit, esse quidem nobilius patiente; nihilominus contingere posse, vt passum absolutè spectatum longa intercapedine præstet tali agenti; sicut quando ignis v. g. agit in hominem, qua ignis quidem calefacit, homo autem calesit, & patitur, respectu huius actus vtique ignis existimatur perfectior; quia nobilius est agere, quàm pati, tamen absolutè homo in infinitum excedit ignem, cum ipsum superet tribus gradibus. Ita in præsenti de rebus physicis, ac materialibus respectu intellectus moti philosophare.



QVAESTIO III.

De Obiecto Philosophiæ Naturalis.

SECTIO I.

Nomina, & conditiones Obiecti.



Nuestigauimus hucusque Physices genus, dum eam & scientiam, & speculatiuam esse patefecimus; proximum est, vt eius differentiam inuestigemus. Hoc namque pacto de ea perfectam, & completam cognitionem habebimus. Differentia autem scientiarum speculatiuarum, vt colligitur ex Arist. sexto Metaphys. cap. 1. & lib. vndecim. cap. 6. desumitur ex obiectis, quæ quidem vt in præced. quæst. exposui, sunt principium, & mensura cognitionis speculatiuæ; iccircò de obiecto eiusdem Physices hic erit agendum. I.

Recensenda autem sunt primùm varia nomina, & conditiones obiecti. Primò dicitur *obiectum scientiæ*, quia est id, quod tali scientiæ contemplandum obijcitur, vt enim sensibile est obiectum sensus, & tale sensibile est obiectum talis sensus, V. G. visibile visus, sic intelligibile constituitur obiectum intellectus, & tale intelligibile est obiectum talis scientiæ.

Secundò, & quia hoc obiectum refertur ad scientiam oppositione relatiua, quemadmodum, & sensibile ad sensum, vt docet Aristoteles secundo de Anim. tex. 63. ideo obiectum sæpe ab eo vocatur *ἀντικείμενον, oppositum*, vt videre licet in eodem secundo de Anim. tex. 136. & 144. & secundo de ort. & inter. tex. 7. & alibi sæpe.

Tertiò, dicitur *subiectum*. Primò quidem ex parte rei scitæ, quoniam est id, quod subijcitur passionibus in scientia demonstratis, secundò, ex parte nostri, quia videl. subijcitur nostræ cognitioni: Nam intellectus noster, vt auctor est Philosophus in tertio de Anim. tex. 38. *est forma formarum, sicut manus est instrumentum instrumentorum*. Quo fit, vt quemadmodum manus, dum vtitur instrumento, subijcit illud sibi, sic intellectus, dum intelligit aliquid, illud idem sibi subijcit.

Quartò, dicitur *materia scientiæ*. Porrò materia alia est materia in qua, vt hæc papyrus est materia, in qua inhæret albedo: Alia est materia ex qua,

velut

Digitized by Google

veluti materia prima; ex qua educitur forma substantialis. Alia demum est materia, circa quam versatur aliqua facultas, & operatio, ceu marmor est materia, circa quam occupatur operatio lapicidæ. Hac postrema significatione subiectum appellatur materia scientiæ.

Quintò ab Arist. in primo Poster. tex. 57. dicitur *genus scibile*. Genus quidem, quia est aliquid commune, & potestate continet multa, veluti partes, seu gradus: scibile autem dicitur ad differentiam generis logici, quod est genus prædicabile.

Sextò, appellatur etiam absolutè *scibile*, per relationem ad scientiam, perinde ac sensibile ad sensum, vt scribit Philosoph. cùm alibi, tum in Prædic. Relat.

Septimò, nuncupatur *finis*, *&* *scopus scientiæ*, tum quia est id, in quod velut in scopum omnis cognitio in ea scientia dirigitur: tum etiam quia est illud, ob cuius cognitionem optatur & acquiritur scientia. Scio, aliquos distinguere finem à scopo, sed hoc examinare non est huius loci.

Tandem, dicitur *datum*, siue, *concessum*, primo Poster. tex. 36. propterea quod eo dato, & concesso in scientia, inquiruntur eius ipsius affectiones. Hæc de obiecti synonimis.

II. Porrò obiectum aliud est adæquatum, siue attributionis, quod nec excedit scientiam, nec ab ea exceditur. Aliud principale, & est, quod inter omnia obiecta partialia illius scientiæ, principem obtinet locum. Aliud denique est minus principale.

Præterea, obiectum adæquatum vt colligitur ex Arist. secundo Physic. tex. 17. & 18. resoluitur in rem consideratam, & modum considerandi: quod alij dicunt in obiectum materiale, & formale, quæ etiam appellari solent ratio quæ, & ratio sub qua. Exemplum Stagiritæ est, quod & Physicus, & Mathematicus considerat easdem res, veluti easdem lineas, plana, & superficies, sed diuerso modo, & vt Philosophus loquitur *de his negociatur Mathematicus non quatenus physici corporis terminus est vnumquodque, neque accidentia speculatur, quatenus talibus existentibus accidunt, quapropter, & abstrahit, abstracta enim sunt intellectu a motu*.

Postremò afferendæ sunt conditiones obiecti, de quo nunc est sermo, quæ ab alijs aliæ recensentur. Ad tres tamen redigi possunt: quarum prima est, quod huiusmodi subiectum contineat omnia, quæ in ea scientia tractantur, ita vt ea, aut sint ipsum subiectum, aut eius principia, aut eius passiones. Secunda, quod sit id, cuius cognitio ab ea scientia principaliter intendatur, adeò vt quæcunque in ea tractantur, omnia ad habendam perfectam dicti obiecti cognitionem ordinentur. Tertia denique, quod per huiusmodi obiectum, formaliter sumptum illa scientia ab omnibus alijs secernatur. His itaque præhabitis, ad rem accedamus.

SECTIO II.

Referuntur octo diuersæ sententiæ de obiecto Philosophiæ Naturalis, & confutantur tres minus probabiles.



E obiecto Philosophiæ Naturalis acriter olim inter multos disputatum est, & res eò altercationis prouecta fuit, vt aliqui de hoc argumento integra volumina conscripserint, quemadmodum Caietanus, & M. Ant. Zimar. Deinde copiosissimè de eadem re tractat Fran. Piccol. in Introduct. ad Naturalem Philosophiam, à cap. 23. per octo integra capita. Federic. Pendas. in Apparatu videl. Physic. per duo cap. Iacob. Zabar. in lib. de constitutione scientiæ Naturalis à cap. 2. & inde. Multa etiam Bened. Perer. lib. 2. suæ Phys. a cap. 1. item Ioan. Bapt. Contaren. tomo primo Quæst. Perspat. Disput. 1. Deinde omnes quotquot ad Physicam scripserunt, vt Iandun. quæst. 2. PP. Conimbr. Complutens. Ant. Roccbus, Ant. Ruuio, Barthol Bonamic. Barthol. Mastr. & Bellut. Arag. Ouiedo. III.

Qua in re octo inuenio sententias. Prima asserit, obiectum adæquatum vniuersæ Philosophiæ Naturalis esse ens mobile. Ita D. Thom. in proœm. ad hos lib. cui fixè adhærent omnes eius discipuli, & videtur fuisse etiam Auerr. quarto Metaphys. com. 1. & lib. duodecim. com. 5. extra scholam D. Thom. sequuntur plurimi viri grauissimi.

Secunda sententia statuit subiectum, de quo est sermo, esse corpus naturale, siue corpus habens naturam. Ita videntur communiter asserere Græci interpretes, & sequuntur Piccolom. loco cit. cap. 28. Zabar. cap. 3. Contaren. & alij.

Tertia pro tali obiecto ponit corpus mobile. vt Auicenn. in cap. 1. suæ sufficientiæ, Alber. Magn. tract. 1. ad hos lib. cap. 3. Ægid. in princip. Physic. P. Perer. lib. indicato cap. 3.

Quarta ponit substantiam naturalem, vt Scoti asseclæ omnes. Ant. And. Trombet. Tataret. Fauent. nuper Mastrius, & Bellutus.

Quinta est Francisci Toleti in Proleg. ad Phys. quæst. 2. versus fin. vbi citat etiam alios, quod sit ens naturale.

Sexta ait, tale subiectum esse naturam: nomine autem naturæ dicunt debere intelligi omnia ad res naturales pertinentia, quæ sunt, tum composita naturalia, tum eorundem principia, tum affectiones. ita Lucill. Philalth. & Flam. Nobilius ad lib.

dcuer.

Digitized by Google

de ort. & inter. relati etiam à Franc. Piccolom.

Septima opinio iam restringit: Nam contendit adæquatum Philosophiæ Naturalis obiectum esse corpus naturale solum generabile, & corruptibile: ac proinde excludit ab hoc obiecto corpora cælestia. Sic nonnulli, quorum vestigijs inhæsit Georg. Raguseus in suis Peripateticis Disput. Disput. 1. cap. 5.

Octaua demum asseuerat, subiectum istud esse corpus naturale mistum, vt mixtum est. Ita M. Ant. Genua in suis comment. ad hos lib. Quorum omnium rationes, vel potius imaginationes, si consarcinare vellem, id quod multi factitant, exclamares merito, *Ohe iam satis est*. Quapropter omnes has opiniones in duas velut classes destribuo. Nam priores quinque, quantum ad rem significatam, conueniunt, vt in sect. sequ. dicam: posteriores autem tres dissident tum à prioribus, tum inter se in re ipsa: quocirca in hac sect. examinabo has tres opiniones: itaque.

IV. Dico 1. Opinio, quæ obiectum adæquatum vniuersæ Philosophiæ Naturalis constituit naturam, & nomine naturæ intelligit composita naturalia, tum eorum principia, & affectiones, est omninò falsa.

Primùm, falsum est, composita naturalia esse, ac dici naturam, sed benè habent naturam. Ita decernit Philosophus in secundo Phys. tex. 4. his notis: *Naturam autem habent, quæcunque huiusmodi habent principium, & sunt hæc omnia substantia, subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper.* Audis rationem? quia natura est subiectum, nimirum materia: & est in subiecto, id est forma. Quorum neutrum cadit in compositum naturale. Excipe etiam propositionem negatiuam expressè ab eodem Philosopho in tex. duodecim. eiusdem libri prolatam, quo loci cum asseruisset, alio modo formam, alio verò materiam esse naturam, subdit, *Quod autem est ex his, natura quidem non est, sed à natura; vt homo.* Et ratio quoque euincit. Nam natura definitur *principium, & causa motus, & quietis*. tex. 3. dicti lib. At compositum non est huiusmodi *principium, & causa*. Item, natura definitur principium *eius in quo est*. Quis autem mente compos dixerit, compositum esse eius in quo est?

Deinde, falsum est, quod nomine naturæ valeant omnia principia compositi naturalis intelligi. Quamuis enim materia & forma, quæ sunt dicti compositi principia, sint natura; at priuatio, quæ etiam ab Stagirite ponitur tertium rerum naturalium principium, nullo pacto censenda est natura. Quare sic collige. Obiectum adæquatum debet complecti omnia, quæcunque tractantur in ea scientia: Natura non complectitur principium, quod est priuatio, de qua agitur in Philosophia Naturali, quare natura nequit statui pro eius obiecto.

Postremò falsum est, nomine naturæ denotari affectiones rerum naturalium, quæ vel in his octo lib. enucleantur: Quis audet appellare naturam, causas, fortunam, casum, infinitum, vacuum, locum, tempus, motum ipsum? an motus, aut tempus, (vt reliqua sileam) sunt principium, & causa motus, & quietis?

At obijciunt contra auctores illius sententiæ, quia Philosophus in tex. 1. huius lib. & in principio primi de cœlo, & sæpe alibi, scientiam Physicam appellat *scientiam de natura*. ergo natura est eius obiectum.

Quodquidem fundamentum futile est: Etenim cum Stagirites scientiam Physicam appellat de natura, denotat eam esse de corpore naturali, quod per naturam constituitur, vt in ijs ipsis locis exponunt omnes Græci, & etiam Auerr. & S. Thom.

Dico 2. falsa etiam est opinio, quæ pro adæquato vniuersæ Philosophiæ Naturalis obiecto statuit corpus naturale solum generabile, & corruptibile. V.

Patet, quia Philosophia Naturalis agit de corpore cœlesti: Hoc autem est corpus naturale, nec tamen generabile, aut corruptibile. Prima propositio vel ex eo conspicua est, quia in lib. de cælo, qui sunt pars scientiæ Naturalis, ex instituto agitur de corpore cœlesti. Conspicua etiam est ex duodecim. Metaphys. tex. 5. vbi cum Arist. dixisset, substantias esse tres. Vna est sensibilis. quæ adhuc est duplex: altera quidem æterna, sed mobilis: & sunt corpora cœlestia: Altera est sensibilis, & item mobilis, sed corruptibilis: cuiusmodi sunt substantiæ sublunares: Tertia æterna, & immobilis: statim subdit, substantiam sensibilem mobilem, siue illa sit æterna, siue corruptibilis, pertinere ad physicam contemplationem; propterea quod ea in se habet principium sui motus: substantiam autem æternam immobilem esse alterius considerationis. *Illæ igitur*, inquit, *physices sunt* videl. considerationis: *cum motu namque sunt: ista autem alterius est*: Quæ verba sunt similia illis, quæ habentur in secundo Physic. tex. 71. *Quæcunque mota mouent, physices sunt*: id est considerationis: *quæcunque autem non, non amplius*. ergo contemplatio corporis cœlestis est physica, & quidem per se.

Quod autem cœlum sit corpus naturale, etiam manifestum est, nam habet naturam, quia illi competit definitio naturæ: & quia ita docet Arist. in tertio de cælo cap. 1. vbi inter substantias, quæ natura dicuntur, recenset etiam *cælum totum, & eius partes*. Et octauo Metaphys. tex. 12. *naturales*, inquit, *& sempiternæ substantiæ non habent materiam, qualem generabilia, & corruptibilia habent &c.*

At respondent auctores oppositæ sententiæ, quod de corpore cœlesti agitur quidem in lib. de cœlo, non per se, & tanquam de parte subiectiua Philosophiæ Naturalis, sed tanquam de principio corporum naturalium. Hoc autem est agi per accidens.

Quæ responsio est omninò falsa, quia in lib. de cælo agitur de corpore cælesti secundum se, id quod vel oscitanter eos libros legenti apparet.

Quidā

Digitized by Google

Quid? considerare num corpus cœleste simplex, num ortus, & interitus expers, num feratur motu simplici, ac circulari, an sit finitum, an sphæricum, an stellæ existant eiusdem, aut diuersæ substantiæ à toto cœlo, idq; genus alia, quæ theoremata exactè in eo opere executiuntur, non est considerare cœlum secundum se? hocne est considerare ipsum cœlum, vt primum corporum inferiorum?

Adde, quod cum cœlum suapte natura sit quoddam corpus naturale, & quidem perfectissimum, debet vtique ex professo alicubi considerari per se: fatuum enim esset, alia entia naturalia suis in locis diligenter & per se explicari, corpus autem perfectissimum in vniuersa Philosophia Naturali negligi. Quid vero? neque ab aliqua alia scientia cœlum hoc modo consideratur. Non enim consideratur prout est corpus naturale, neque à Mathematico, neque à Metaphysico, quare per se consideratur à Physico.

VI. Sed obyciunt primò: subiectum scientiæ debet esse vnum aliquod vniuocum: Corpus naturale haud est vniuocum ad corpus cœleste, & hæc inferiora. Quod vel ex decim. Metaphys. tex. vltimo disces, vbi dicitur, *quod æternum, & corruptibile genere differunt*.

Secundò. subiectum Naturalis Philosophiæ est illud corpus naturale, cuius natura definitur ab Arist. in secundo Phys. tex. 3. Atqui tale corpus non se extendit ad cœlum: tum quia corpus ibi definitum habet internum principium motus, & quietis: cœlum autem non est præditum principio quietis: tum quia ibi definitum corpus dicitur habere in se internum principium sui motus: cœlum autem caret interno principio sui motus, cum moueatur solum ab externa intelligentia.

Tertiò, Philosophus initio lib. secundi huius operis recensens corpora naturalia, refert solum animalia, & eorum partes, & plantas, & corpora simplicia, quæ statim nominatim, ac solicitè refert, terram, aquam, aerem, & ignem: cæli autem nullam fecit mentionem, quare illa, & non hoc erunt obiectum præsentis scientiæ.

Quartò. Illud est subiectum Philosophiæ Naturalis, cuius principia in exordio eiusdem scientiæ quæruntur: At initio Philosophiæ Naturalis, id est in primo Physicorum quæruntur, & explicantur principia corporum naturalium corruptibilium, & generabilium, non autem cœli, ergo &c.

Quæ argumenta inania sunt. Ad 1. omissis aliorum responsionibus, de quibus fusè Contaren. loco indicato, respond. corpora cœlestia, & hæc inferiora dupliciter posse spectari. Primò in esse rei, & hoc pacto differunt genere: secundò in esse obiecti: quatenus omnia conueniunt in vna abstractione, & hac ratione subeunt vnam rationem vniuocam, quæ est ratio obiecti. Est exemplum, in reliquis rebus naturalibus. Nam elementa V. G. & animalia spectata in esse rei procul dubio genere dissident nihilominus omnia conueniunt in vna abstractione physica; quo pacto omnia sunt partes obiecti Philosophiæ Naturalis: Ita si color albus, & niger spectentur in esse rei, discriminantur specie, si autem spectentur in ratione visibilis, sunt vnius speciei, cum ab vna potentia visiua attingantur.

Ad 2. Respond. etiam corpus cœleste comprehendi in definitione naturæ: vt suo loco explicabo: Ad 1. probationem dico, satis esse corpus cœleste habere principium motus, vt illi definitio naturæ conueniat. Ad. 2. probationem respond. Intelligentiam censeri internum principium motus in cœlo, quia est illi naturaliter coaptata, vt in lib. de cœlo explicabo.

Ad 3. respond. Non fuisse consilium Aristoteli eo loci recensere omnia entia naturalia, ita vt quæ ibi omissa sunt, ea non sint censenda entia naturalia, sed solum attulit illa loco exempli: Dico præterea, quod ibi etiam indicauit cœlum, tum in voce corporum simplicium, tum quia paulo post subdit, *Hæc enim, & huiusmodi, natura esse dicimus*, de qua tamen re suo loco.

Ad 4. principia in primo Physic. inuestigata, saltem duo, id est materia, & forma conueniunt etiam cælo: priuatio autem licèt ei non conueniat, quantum ad formam substantialem, conuenit nihilominus quantum ad motum localem secundum partes. Hæc de ista sententia: reuertor ad rem. Vnde.

Dico 3. Opinio asserentium obiectum vniuersæ Philosophiæ Naturalis esse corpus naturale mixtum, vt mixtum, est omnino a veritate aliena. VII.

Patet, quia magna huius scientiæ pars absumitur in contemplatione corporum simplicium, vt videre est in duobus posterioribus lib. de cœlo: in quibus expenduntur quatuor elementa secundum virtutes motrices spectata: imo eadem ipsa considerantur in lib. de ort. & inter. qua sunt qualitatibus alteratricibus prædita, vt ibi dicemus: quare non modo corpus mixtum, sed simplicia etiam sunt obiecta huius scientiæ. Præterea, in his octo lib. Phys. considerantur non solum prima principia, & communes affectiones corporum mixtorum, verùm etiam simplicium; nam etiam ista constant ex materia & forma.

Et præfata conclusio colligitur expressè ex Aristotele, qui in principio secundi Physic. enumerans ea, quæ natura constant, & circa quæ versatur scientia Naturalis, ex æquo recenset animalia, plantas, & corpora simplicia. Item eadem corpora simplicia reponit inter corpora naturalia, tum sæpe alibi, tum præcipuè in tex. 1. lib. tertij de cœlo: Quid vero? in sexto Metaphys. cap. 1. & lib. vndecim. cap. 6. decernit, *Physicam versari circa tale ens, quod possibile est moueri*. At cui vnquã dubium, quod corpora simplicia possunt moueri?

Respond. M. Ant. Genua, elementa non esse

veras partes obiecti huius scientiæ, quia non considerantur gratia sui, sed in gratiam mixtorum.

Quæ quidem euasio inanis est. Nam elementa considerantur quidem in gratiam mixtorum, sed insuper considerantur etiam in hac scientia secundum se, pro vt sunt quædam corpora naturalia simplicia. Quod vel hac ratione euinces. Illud, quod solum consideratur in gratiam alterius, dempto illo, demitur etiam illa consideratio: ablato namque fine, cessant media. At de elementis, & mixtis non ita res se habet. Si enim sola reperirentur corpora naturalia simplicia, adhuc seruaretur scientia Naturalis: quare corpora simplicia non considerantur in scientia Naturali solum in gratiam mixtorum.

SECTIO III.

Expenduntur quinque priores sententiæ, & eliguntur duæ, veluti cæteris probabiliores.

VIII. 

Riores quinque sententiæ, quarum prima pro adæquato obiecto vniuersæ Philosophiæ Naturalis constituit ens mobile, secunda corpus naturale, tertia substantiam naturalem, quarta corpus mobile, quinta ens naturale, omnes in re ipsa significata conueniunt, quia omnes illæ voces reipsa idem significant, & inuicem reciprocantur, vt mox dicam: quare præsens disputatio inter relatas opiniones, vt loquuntur PP. Complutenses, & P. Ruuius *parum de re, multum autem de nomine continet*. altercatio itaque eò reducitur, scil. quænam ex illis vocibus aptius, & melius exprimat rationem formalem obiecti huius scientiæ.

Iam verò præfata nomina, ens mobile, corpus naturale, corpus mobile, &c. reipsa idem pollere, hinc dispice: Ac primò quidem ens mobile, prout in hac disput. vsurpatur, eandem importat rem, atque corpus naturale. Quod vel hinc apparet. Ens mobile primò accipitur in ampla quadam significatione, quatenus complectitur quodcunque ens quocunque motu motum: qua ratione comprehendit etiam Angelos; hi namque & entia sunt, & (iuxta nostram Catholicam doctrinam) loco mouentur. At hic non sumitur ens mobile hoc intellectu, cum motus Angelorum non sit physicus: quippè Angeli, quemadmodum sunt in loco æquiuocè, ita etiam mouentur æquiuocè. Secundò ens mobile accipitur pro eo, quod motu physico potest moueri: Et hoc adhuc gemino modo: Vno quidem est ens mobile solum terminatiuè, Altero subiectiuè: Priori modo etiam aliqua accidentia sunt entia mobilia physica: nam qualitas V. G. aut quantitas terminant per se motum, vt ostendit Philosophus in quinto Phys. à tex. 10. at neque in hac significatione accipitur in præsen. ens mobile, sed solum posteriori modo, videl. subiectiuè: atque importat id, quod in se potest recipere motum, ac mutationem physicam, veluti alterationem, augmentationem, imminutionem, motum secundum locum &c. Quam doctrinam amplexi sunt etiam PP. Complutens. in sua Physica quæst. 1. cap. 1. Tunc subde: sed quod ita est ens mobile, id sanè est corpus naturale, quare ens mobile, vt in præsent. disput. de eo loquimur, idem pollet atque corpus naturale.

Quæ veritas ex alio quoque capite deprehenditur. Nam cum hic dicimus, ens mobile, vox illa *mobile* duo denotat. Primò potentiam, seu proximam aptitudinem mouendi, quæ vtique est qualitas quædam ipsi naturæ superaddita: secundò significat fundamentum, ac radicem, à qua præfata aptitudo emanat. quemadmodum V. G. risibilitas formaliter quidem denotat potentiam ridendi, quæ est quoddam accidens, pro radice autem, &, vt aiunt, fundamentaliter significat ipsam rationalitatem, à qua illa potentia proficiscitur. In præsent. disput. ens mobile capitur in secunda significatione, hoc est pro radice, & fundamento mouendi. At radix, à qua potentia mouendi fluit, ecquid aliud est, quàm ipsa natura rei compositæ? vel si via ipsamet res composita, & habens naturam, quæ est principium, & causa motus? hæc res composita habens naturam est corpus naturale, quare ens mobile, & corpus naturale in re idem important. IX.

Rursus corpus naturale re ipsa idem pollet atque corpus mobile. Cum enim corpus contraho ad mobile, distinguo illud à corpore, tum artificiali, tum à Mathematico, quæ duo corpora haud sunt mobilia: ac proinde, cum dico corpus *mobile*, actutum efficio corpus naturale; quia nullum aliud corpus est mobile præterquàm naturale. Postremò substantia naturalis, quinimò etiam ens naturale, in idem coeunt ac corpus naturale, ac mobile; quia dum substantiæ, & enti adiungo *naturale*, illico ea contraho ad naturam, & conditionem corporis naturalis. Rectè igitur à nobis fuit dictum, ens mobile, corpus naturale, corpus mobile, substantiam naturalem, & ens naturale in re significata conuenire.

Nunc intelligimus, cur Eximius præceptor Arist. in assignando obiecto scientiæ Naturalis indistinctè modo vtitur vno, modo altero illorum nominum. In sexto Metaphys. cap. 1. conceptis verbis X.

verbis constituit ens mobile. *Quare*, inquiens, *si omnis intellectus aut actiuus, aut factiuus, aut speculatiuus est. Physica speculatiua quædam profectò est; sed speculatiua circa tale ens, quod possibile est moueri*. In principio verò libr. de Cœlo pro eod. obiecto describit corpus naturale, dum ait, *scientia de natura ferè plurima videtur circa corpora, & magnitudines, & horum passiones, atque motus: adhuc autem circa principia, quæ talis substantiæ sunt*, & vndecimo Metaphys. cap. 6. bis hæc verba repetit, *physica verò scientia circa ea, quæ in se ipsis habent motus principium est*. Quæ verò in seipsis habent principium motus, ea porrò sunt corpora naturalia, vt patet ex secundo Physic. In eod. autem libro tex. 71. pro eod. obiecto indicat corpus mobile illis notis, *Quæcunque mota mouent, physicæ sunt*, id est considerationis, *quæcunque autem non, non amplius*: Demum in sexto Metaphys. loco iodicato exprimit substantiam naturalem, dum inquit, *Cum autem Naturalis etiam circa quoddam entis genus scientia sit, (etenim circa talem substantiam est, in qua principium est motus, & status, qui in ea est) patet, quod nec actiua, nec factiua est &c.* & paucis interiectis subdit, *scientiam naturalem versari circa substantiam secundum rationem vt plurimum inseparabilem*. quæ est forma physica, vt patet ex secundo Physic. tex. 11.

Hinc Auerr. imitatus *primum magistrum*, (sic in proœm. Physices, & primo de ort. & inter. tex. 33. & secundo de Cœlo tex. 6. & tertio de Anim. tex. 14. & alibi sæpe vocat *Aristotelem*,) hac vocum varietate ipse quoque vsus est. In proœm. ad libr. Physic. ait, subiectum Physices esse *res sensibiles, quatenus transmutantur*, & declarans quid intelligat per *quatenus transmutantur*, ait, *quatenus in se ipsas habent motus principium*, Ea porrò sunt res, seu corpora naturalia. In quinto autem Metaphys. com. 7. & lib. duodecim. com. 26. statuit subiectum scientiæ Naturalis *esse ens mobile*. At libr. sexto eiusdem operis com. 2. ait, esse *res mobiles*. lib. autem septim. com. 9. hoc subiectum vocat *substantiam mobilem*: io com. autem 12. eiusdem lib. *substantiam naturalem*: in lib. autem destruct. destruct. disput. 1. in solut. primi dub. *corpus mobile*.

Quid verò? Angelicus etiam Doctor ab hac vocum varietate minimè deprehenditur abhorruisse. Nam in Prolog. ad lib. de Cœlo statuit, subiectum huius scientiæ esse *corpus mobile*. Quod repetit in proœm. ad lib. de ort. & inter. quo loci hæc omnino scribit: *& ideò post considerationem motuum, & mobilium in communi, quæ fuit tradita in lib. Physic. primò oportuit quod tractaretur de corporibus secundum quod mouentur motu locali in lib. de Cœlo, quæ est secunda pars scientiæ Naturalis: restat igitur consideratio de motibus alijs consequentibus, qui non sunt communes omnibus corporibus, sed inueniuntur in solis inferioribus. &c.* Quid verò? in prima part. quæst. 84. art. 1. in *sed contra*, vbi eius sententia maturior extat, hæc habet. *scientia est in intellectu: si ergo intellectus non cognoscit corpora, sequitur quod nulla scientia sit de corporibus, & sic peribit scientia naturalis, quæ est de corpore mobili*. Id idem habet in quæst. 14. de Veritat. art. 8. ad 18. tum in primo Poster. lect. 41. tum alibi sæpe. In primo autem Physic. ad tex. 1. statuit *ens mobile*. Idem habet in lib. sexto Metaphys. ad tex. 1. & alibi sæpe. Porrò in comment. illius tex. 1. nunc indicati, duo habet D. Thom. Vnum, quod *ens mobile est subiectum Naturalis Philosophiæ*: Alterum, quod hoc idem subiectum sit substantia naturalis. dum hæc scribit. *Dicit ergo*, id est Aristoteles, *quod scientia naturalis non est circa ens simpliciter, sed circa quoddam genus entis, scil. circa substantiam naturalem, quæ habet in se principium motus, & quietis*: Manifestum autem est, illud circa quod est aliqua scientia, esse illius subiectum. Et quod maius est, in primo Physic. cit. vbi videtur discriminare ens mobile a corpore mobili, atque illud quidem amplecti, hoc autem respuere, postea dum explicat ens mobile, quod pro subiecto amplexus est, apertè describit corpus naturale: sic enim. *Naturalis Philosophia de naturalibus est: Naturalia autem sunt, quorum principium est natura: Natura autem est principium motus, & quietis in eo, in quo est: De his igitur quæ habent in se principium motus, est scientia Naturalis*. At extra omnem controuersiam est, ea, quæ in se habent principium motus, ac proinde naturam, quæ est eiusmodi principium, ea omnia esse corpora naturalia. Ait enim Philosophus in secundo Physic. tex. 4 quod *naturam habent, quæcunque huiusmodi habent principium*, id est motus, *& sunt hæc omnia substantia*. omnia, quæ naturam habent, sunt substantia completa naturalis: atque adeò corpora naturalia. Si igitur ad aures D. Thom. *scientia naturalis est de his, quæ habent in se principium motus*, videl. de corporibus naturalibus corpus naturale erit illius subiectum. Præterea ibidem ait, & *quia omne, quod habet materiam, mobile est, consequens est, quod ens mobile sit subiectum Naturalis Philosophiæ*. At omne, quod habet materiam, corpus est, quare ens mobile apud D. Thom. idem est atque corpus mobile. Cum itaque, vt tandem colligam, re ipsa idem polleat ens mobile, corpus naturale, corpus mobile, substantia naturalis, ens naturale (alioquin præfati auctores inconstantiæ essent redarguendi, quod ijs sine delectu vsi sint) tota altercatio fuerit, quodnam eorum explicatius, ac penitius explicet rationem formalem obiecti Naturalis Philosophiæ.

Quæ si vera sunt, vide 1. quàm ineptè X.
loquuntur nonnulli, inter quos est Pomponat. dum asserunt, quod Sanctus Thomas, cum scriberet in lib. de Cœlo Aristotelis animaduertit suam rationem, propter quam in primo Physic. reiecerat corpus mobile a subiecto Naturalis Philosophiæ, (quia videl. subiectum præsupponitur in scientia: *omne autem mobile esse corpus probatur*

batur in isto libro, nempe in lib. sexto tex. 35.) aut naduertit, inquiunt, esse vanam, & propterea resipuit, seque emendauit, constituendo pro hoc obiecto corpus mobile. At hi præter omne æquum hanc inconstantiæ notam in sanct. Doctorem effutiunt. Quippe cum apud eum te ipsa ens mobile, & corpus mobile in idem veniant, vt vidimus, modo vtitut hoc, modo illo, prout magis congruit materiæ, quam tractat. In primo Physic. quia in eo opere expendiiut ses communissima, euiusmodi sunt communia principia, & affectiones, maluit vti nomine entis mobilis, quia ens præsefert quandam maiorem communitatem, quàm corpus: quam quidem communitatem expressit D. Thom. per illam vocem, *simpliciter*, dum ait, *cuius subiectum est ens mobile simpliciter*. quam adhuc vt distingueret, addit, *Non dico autem corpus mobile, &c.* In lib. autem de Cœlo, magis congruit corpus, quàm ens mobile, quia ibi est tractatio particularis de tali corpore, nimirum cœlo, & elementis, ob id maluit vti voce corporis, quàm entis. Rationem autem illam D. Thomæ egregiè tuentur eius filij: nec mihi animus est, eam nunc examinare.

Vide 2. quàm longè a mente D. Thomæ distent aliqui Thomistæ, dum aiunt, ens mobile in supponendo, esse aliquid superius ad corpus mobile: ac proinde non conuerti cum isto. Quia, aiunt, corpus mobile supponit tantum pro composito substantiali coaflato ex materia, & forma substantiali: ens autem mobile denotat aliquid communius, & supponit non modo pro composito substantiali, sed pro composito etiam accidentali. Quo fit, vt compositum accidentale, in eorum sententia, sit reuera (& vt aiunt) in recto, pars subiectiua obiecti Physices. Ita Iauellus. Ferrari. Caietan quibus complures alij adhærent.

Qui quidem primùm non loquuntur ad mentem Angelici præceptoris, qui vt vidimus, indifferenter nunc ens mobile, nunc corpus mobile vsurpat pro subiecto, de quo sermo est.

Deinde, malè philosophantur, quia compositum accidentale est ens per accidens, cum constet ex rebus diuersorum generum: Ens autem per accidens in scientiam non cadit, quemadmodum docet Philosophus sexto Metaphys. tex. 2. & vndecim eiusdem operis cap. 8. Adde, quòd illud est subiectum in aliqua scientia, cuius principia, & passiones in ea inquiruntur, vt discimus ex primo Poster. cap. 1. At in libris Physic. inquiruntur principia, & passiones compositi naturalis, constanti ex materia, & forma substantiali, non autem compositi accidentalis. Quæ enim in primo, & secundo lib. tractantur, ea respiciunt compositum substantiale. Eodem modo à tertio lib. inquiruntur affectiones eiusdem compositi naturalis, non autem accidentalis, quare illud, & non hoc est subiectum scientiæ Naturalis.

Vides 3. falsò etiam opinari eos, tum in schola D. Thom æ, tum extra eam, interquos est Cosm. Alemann. in sua summa Philosophiæ ex doctrina D. Thom. qui volunt, D. Thomam pro adæquato quidem obiecto scientiæ Naturalis constituere ens mobile, pro principali autem corpus mobile. Falsò, inquam, opinantur, cum S. Doctor, vt apparuit, idem per vtrumque intelligat: vtatur autem hoc, aut illo, prout magis hoc, aut illud congruit materiæ, quam tractat, vt dictum est.

SECTIO IV.

Propria auctoris opinio de subiecto Naturalis Philosophiæ: & dubia aliqua depulsa.



ETsi præfatæ quinque voces, re ipsa, vt commonstraui, idem important, existimo tamen duas illarum, nempe ens mobile, & corpus naturale, conuenientius ac formalius explicare subiectum, de quo loquimur, quàm faciat vlla reliquarum trium. Hoc tamen discrimine, quod ens mobile primo quidem intuitu videtur quid implicatum, ritè autem intellectum, exprimit apertius, & proximius rationem formalem obiecti Physices, quàm corpus naturale: corpus tamen naturale dat simpliciorem intellectum. XI

Explico omnia. Primò prætuli, & amplexus sum, ens mobile, quoniam id inuenio apud Aristotelem significantius expressum, quàm vllam aliam illarum vocum. expresè enim ait in sexto Metaphys. cap. 1. *Physicam esse circa tale ens, quod possibile est moueri*. nusquam autem apud eum legimus ita expressis ac determinatis verbis, corpus mobile, aut ens naturale, &c.

Dixi deinde, ens mobile, primo intuitu videri quid inuolutum, siquidem debet explicari atque euolui: primò, quod non intelligimus ens metaphysicum, ac immateriale, non ens Mathematicum, non artefactum; sed tale entis genus, videl. quod est aptum in se suscipere motum physicum. Deinde debet exponi, quod mobile hic non significat mobile per accidens, non mobile terminatiuè, non denique mobile pro potentia proxima ad motum, sed accipitur pro radice, vt rectò exposui; quibus adminiculis non eget corpus naturale.

Vbi autem ens mobile ritè fuerit explicatum, clarius atque proximius exprimit rationem formalem obiecti Physices, quàm quoduis aliud. Quod sic ostendo: Ratio formalis, sub qua Naturalis scientia considerat, quæcunq; in eius ambitu continentur, est ordo, & aptitudo ad motum,

tum, seu mobilitas: At statim atque audio, *mobile*, obijcitur mihi hæc aptitudo ad motum, atque adeò ipsa mobilitas: quam non habeo, dum audio corpus naturale, sed debeo ratiocinari sic Hoc corpus habet naturam, Natura est principium motus: quare hoc corpus habet ordinem, & aptitudinem ad motum. quocirca clarius, & proximius ens mobile effert rationem formalem obiecti Physices, quàm corpus naturale. Prima propositio, vt pote ab Stagirite non vno in loco tradita, recepta est inter omnes, Nam in secundo Physic. tex. 71. *Quæcunque*, inquit, *mota mouent, physica sunt*, idest considerationis, *quæcunque autem non, non amplius*. In duodecim. Metaphys. tex. 6. cum tres retulisset substantias, duas sensibiles, cœlestem, videl. & sublunarem: & tertiam immobilem, subdit, priores duas *esse naturalis scientiæ*. Annectit huius asserti rationem. *cum motu enim sunt*. & lib. vndecim. eiusdem operis cap. 3. asserit, quantitatem spectari tum à primo Philosopho, tum à Mathematico, tum etiam à Physico, diuersa autem ratione. Metaphysicus eam contemplatus *quatenus ens est, & speculatur ea, quæ ei, pro vt ens est accidunt*. Mathematicus *autem pro vt quanta, & continua*: At *Physicus speculationem de ea habet, pro vt motu participat*. remanet itaque clarum, ens mobile, apertius, atque proximius efferre rationem formalem obiecti Physices, quàm quoduis aliud ex illis vocabulis, ac proinde id pro obiecto statuendum est.

XIII. Nec mihi obijcias 1. Quod illud est subiectum in scientia, ex quo emanant affectiones, quæ in ea considerantur: affectiones autem in scientia Naturali consideratæ sunt motus, & quies. Hæc ab ente mobili oriri nequit, cum ei opponatur: benè autem oritur à corpore naturali: in quo ex æquo adest principium, & causa tam motus, quàm quietis. Adde, quod non modo actualis quies, sed neque eius radix, quod appellamus quiescibile, potest ab ente mobili proficisci: cum mobile, & quiescibile sint opposita: & vnum oppositorum non profluat ab altero. Profluit autem a corpore naturali: illud igitur aptius, non illud sterni debet pro obiecto scientiæ, de qua est sermo.

Respond. 1. quod satis est, si obiectum indicet primam ac præcipuam passionem. Ratio est, quia, autore Philosopho in primo de Cœlo, vires alicuius *mensurantur per maximum*: Tale autem inter passiones physicas est motus: vnde satis est, quod ens mobile exprimat motum: quamuis non indicet quietem. Dico præterea, ens mobile formaliter quidem acceptum non indicare quietem, & in hoc sensu procedit argumentum. Cæterùm ab ente mobili pro radice, quæ nihil aliud est, quàm ipsa natura rei compositæ, vt supra exposui, emanat tam motus, quàm quies. Quinimo sicut a tali ente mobili emanat proxima aptitudo ad motum, quæ est formalis mobilitas, ita etiam emanat proxima aptitudo ad quietem, quæ est, vt ita dicam, quiescibilitas. Habe exemplum. Risibile, & flebile in homine formaliter sunt passiones: Vna non oritur ab altera, cum opponantur: At si risibile acciperetur pro fundamento, quæ est ipsa rationalitas, vtraque illa potentia profluit ab ea, sic in præsens de mobilitate, & quiescibilitate respectu entis mobilis philosophare.

Obijcies 2. Illud est subiectum in scientia, quod in ea primò intelligitur. In scientia autem Naturali primò intelligitur naturale, postea mobile; cum istud oriatur tanquam a principio, & causa a natura, atque adeo a naturali, non autem e conuerso.

Hæc obiectio nulla est. Mobile formaliter, & pro aptitudine proxima ad motum, est quidem aliquid posterius ad naturale: mobile autem pro radice, ac fundamentaliter, non est posterius, quàm naturale, vt superius exposui. Hæc pro ente mobili.

Quod si tibi magis arriserit, pro subiecto vniuersæ Philosophiæ Naturalis tueri corpus naturale, vt naturale, poteris huic fundamento inniti. XIV.
Illud est subiectum adæquatum alicuius scientiæ, cuius quæcunque per se tractantur in ea scientia, sunt aut principia, aut affectiones, aut partes, ac species, vt patet ex primo Poster. hæc enim omnis scientia perscrutatur circa suum subiectum: Atqui tale est corpus naturale, quare istud constituendum est subiectum vniuersæ Philosophiæ Naturalis. Minor vel superficietenus excurrenti Aristotelis Philosophiam fit manifesta. Nam in primo lib. Physic. quæruntur materia, & forma, quæ sunt principia interna corporis naturalis, in secundo quæritur natura, & quatuor causarum genera, quæ etiam tenent locum principij. In reliquis autem libris a tertio, & deinceps explicantur motus, quantitas, seu infinitum, locus, tempus, quæ porrò sunt affectiones, quæ per se ac primò competunt corpori naturali. Postremò, partes, ac species corporis naturalis sunt corpora simplicia, Cœli, & elementa, mixta imperfecta, mixta perfecta similaria, plantæ, animalia, homo. Quæ omnia singillatim Eximius præceptor prosequitur in subsequentibus libris Naturalis Philosophiæ, qui sunt libri de Cœlo, de ort. & inter. de Meteoris, de Anim. de animal. &c: de qua re abundè dixi in opere de Meteoris lect. 2. & in principio libr. de Cœlo.

Porrò quia in scientia duplex est subiectum: Vnum materiale, alterum formale, quæ est ratio sub qua in tali scientia considerantur res; quæ distinctio effertur etiam his verbis, quod in scientia est res considerata, & modus considerandi, & colligitur ex Arist. in secundo Phys. auscultat. tex. 16. res considerata in scientia Naturali sunt res omnes sensibiles, quæcunque in mundo sunt. est, inquam, totus corporeus mundus, singulæque eius partes in quatuor gradus distributæ, nempe corpora simplicia, mixta inanima, plantæ, & animalia. Modus verò considerandi, ac ratio formalis sub qua, in Physica exprimitur per subsequentia verba, *vt naturale*. Etenim ratio formalis

obiecti

obiecti est, per quam illud secernitur à contemplatione cuiuscunque alterius scientiæ, & contrahitur ad vnam: Præfata autem verba, *vt naturale*, secernunt eea sensibiles, seu corpora naturalia a contemplatione aliarum scientiarum: nam aliæ quoque scientiæ expendunt easdem ipsas res, & corpora naturalia, sed alio modo. quare illa verba, *vt naturale*, exprimunt modum considerandi in Physica.

Hanc sententiam tuentur viri graues, eique appendunt auctoritatem tum Theophrasti ipsiusmet Aristotelis auditoris, & successoris in illius Gymn., tum Græcorum interpretum. Præterea pro hac eadem congerunt plurima Aristotelis testimonia, & rationes, de qua re adi, si lubet, Franc. Piccolom. in Introduct. ad scientiam de Natura cap. 28. & Iacob. Zab. in lib. de constit. scientiæ Naturalis a cap. 2. & inde, Equidem claudo disputationem sensato illo Platonis effato, quod *si verba, vbi opus est, contemneremus, prudentia, eruditioneque ditiores essemus*.

QVAESTIO IV.

Cur octo libri Phisicorum inscribantur de Phisico auditu, seu de Phisica auscultatione.

1. 

Implic. in proœm. huius operis opinatus est, inscriptionem περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως, *de Physica auscultatione* ab ipsomet Aristotele huic operi impositam esse, dum ita scribit. *Reliquum causa inscriptionis patet: nam cum doceat ea, quæ communiter omnibus naturalibus insunt, quatenus naturalia sunt, meritò commune nomen indidit*, id est, Aristoteles, *ei de naturali auscultatione. Auscultatio autem dicitur ad eum modum elaborata, vt in præceptionem, auscultationemque aliorum sit proposita*. Cuius auctoritate plerique omnes innixi, supponunt, hanc inscriptionem factam esse præsenti operi ab ipso Arist. deinde torquentur afferre rationem, cur ita inscripserit. Ita D. Thom. Piccolom. & alij, quorum coniecturas inferius adducam. Alij tamen, vt Federic. Pendas. in apparatu ad Physicam. part. 11. ingenuè confitentur, se ignorare, vtrumne Arist. hoc titulo insignuerit istud opus, an verò à posteris hæc inscriptio *de Physico auditu* fuerit adiecta.

Ego firmè existimo, nullo vnquam pacto præfixam esse ab Arist. sed vel ab ipsius discipulis, vel qui postea eius opera in vnum redegerunt. Cur autem ita existimem, hæc est ratio, quia si Arist. ipse dictam inscriptionem his libris adiecisset, profectò alicubi eos hoc nomine *De Physica auscultatione* citaret: Nusquam autem inuenitur hoc nomine vsus, sed mirum in modum varijs alijs. quare incredibile est, hoc nomen esse factum huic operi ab ipso Arist.

Vide quàm diuersis nominibus in istorum allegatione gestit. Sæpe vocat absolutè *Physica*. In primo Metaphys. cap. 2. & 4. & cap. vlt. *quemadmodum*, inquit, *in Physicis ostensum est*. Id idem repetit in nono Metaphys. cap. 1. & lib. decim. cap. 5. & lib. duodecim. cap. 6. Quid verò in octau. Physic. eodem nomine citat anteriores huius istius operis. In tex. 4. *Incipiamus à determinatis à nobis prius in Physicis*. & statim subiecit definitionem motus, quam in tertio lib. ... 6. tradiderat. Item in tex. 23. *primum qui ... ctum est in Physicis, naturam esse princ... motus, ita & quietis*. Quod in secundo ... 3. fecerat. Adhæc, in tex. vlt. eiusdem ... Physic. *quod autem non posse esse infinita magnitudo demonstratum est prius in Physicis*. ... tertio lib. ita sæpe alibi.

Eosdem libros appellat *de motu*. In pri... de Cœlo tex. 38. *ostensum enim est hoc prius in ..., quæ de motu*. In tex 71. *Ratio autem est in ijs, quæ de motu*. octauo Metaphys. cap. 8. *diximus in ijs, quæ de motu*. In secundo Poster. cap. 11 *de his autem dictum est in vniuersalibus de motu*. In tertio de Cœlo tex. 38. *de quibus dictum est in ijs, de tempore, & motu*.

Vocat etiam *sermones de motu*. In tertio de cœlo tex. 5. *de his autem consideratum est prius in ijs, quæ de motu sermonibus*. Et primo de ort. & inter. tex. 24. *de illa dictum est prius in sermonibus de motu*. & in lib. de sensu, & sensibili cap. 6. *dictum autem de his in sermonibus de motu*.

Nonnunquam hoc ipsum opus vocat *primos sermones*: tum *primos sermones de motu*. In primo Cœli tex 20. *omne enim, quod generatur, fit ex contrario, quemadmodum in primis sermonibus dictum est*. & lib. quarto eiusdem operis tex. 25. *vt determinauimus in primis sermonibus*. In secundo de ort. & inter. tex. 61. loquens de quarto lib. Physic. sic ait, *quemadmodum in ijs, quæ in principio sermonibus determinatum est*. Item oct. Phys. tex. 68. *in primis ergo de motu sermonibus soluebamus*: indicans sextum lib. Phys. sic alijs in locis.

Eosdem libr. appellat de *natura*. oct. Phys. tex. 40. *hoc enim ostensum est prius in his, que vniuersaliter de natura*: videl. in secundo lib. Phys. & in primo Metaphys. cap. 3. *de his autem omnibus etsi satis in ijs, quæ de natura consideratum sit, nihilominus &c.* & cap. 4. *Hi vsque ad duas causas attigerunt, sicut nos determinauimus in ijs, quæ de natura*. Et in cap. 5. de Parmenidis ... nione loquens, *de qua*, inquit, *clarius in* ...

Digitized by Google

de natura dictum est. Idem repetit. cap. 6. & cap. 7. & alibi sæpè. Vbi hoc aduerte, quod præfata loca in multis latin. codic. sic referuntur, *vt in de naturalibus dictum est &c.* sed in græc. codic. iacent, ὥσπερ ἐν τοῖς περὶ φύσεως, *vt in ijs, quæ de natura &c.* In primo autem Cœli tex. 54. sic priores Physic. lib. alligat. *de ipsis ostensum est in ijs, quæ circa principia dicta sunt a nobis*. Arist. in principio lib. de Meteor. his notis refert. *De primis igitur caussis naturæ, & de omni motu naturali*. Prætereo alia. Quibus titulis tot locis, ac tanta varietate recensitis, nusquam vides ἀκρόασιν, & *auscultationem* tactam: non itaque eam ipse his libris dedit.

Annecto autoritatem Adrasti, relati ab ipsomet Simplicio in eod. proæm. *Verùm Adrastus in Commentario suo de ordine conscriptorum Arist. narrat, a nonnullis hanc tractationem inscriptam esse de principijs, & ab alijs de naturali auscultatione*. Quod si hæc tractatio inscripta est *ab alijs de naturali auscultatione*, non igitur ab Arist.

II. At iam audiendæ sunt eorum partes, qui præsens opus ab Arist. hoc nomine insignitum credunt. Vel, etiamsi a posteris sic appellatum sit, (quemadmodum nos existimauimus,) certe afferenda est aliqua ratio huius nomenclaturæ. Auerr. in Proæm. huius operis ait, *positum fuisse de naturali auscultatione* pro eo, quod est de naturali sermone. Et quia accidit sermoni, vt audiatur, per metaphoram, loco sermonis, dictum esse de auditione, idque propter quandam delectationem, & venustatem orationis, quæ in translatis verbis præfulget, vt docet Arist. in tertio Rhetor. Et quamuis subdit Auerr. naturales sermones non solum in his octo libris, sed in alijs quoque Naturalis Philosophiæ partibus explicentur, nihilominus hoc nomen factum est huic operi proprium, *quia iste liber est principium, & radix totius istius partis: & vocatur pars nomine totius, quia est in potentia omnes partes, sicut elementum est in potentia omnia generata ex eo*.

Quæ expositio, quantum ad rationes, quas subdit, cur nomen ἀκροάσεως, *auscultationis*, factum sit peculiare huic operi, non displicet, vt inferius explicabo: quantum verò ad translationem, quod pro sermone ponatur auditio, communiter recipitur a viris doctis. Primùm, quia dura admodum, & intolerabilis translatio est dicere auditionem, pro sermone. Deinde Arist. sæpe reprehendit translationes in doctrinis tradendis: minus ergo ferret translationem in inscriptione.

Albert. autem magn. tract. primo Physic. cap. 4. ait, volumen hoc dici de Phisico auditu, quia quæ hic tractantur auditu potius, quàm demonstratione sciuntur. Excipe eius verba. *Dicitur autem liber Physicorum, eo quod ipse in vniuersali totum complectatur negotium physicum: Dicitur etiam de Physico, quia ibi tanguntur ea, quæ auditu plus, quàm demonstratione sciuntur de physicis; hoc est principia physica vniuersalia, ex quibus habent probari alia, propter quod aliquando intitulatur de principijs physicis*. Hæc ille.

At mirum est, quod hic vir non animaduerterit tot firmissimas rationes, ac demonstrationes, quibus præsens volumen passim inspersum, refertumque est, quas olim Proclus expendens, aiebat, eas propter euidentiam, & necessitatem concludendi, reuocari posse ad formulam Mathematicarum. Deinde, mirum est, quod non senserit tot sensatas experientias ab Aristotele in hoc ipso opere pro occasione insertas, quarum aliquas hic subijcerem, nisi res videretur extra suum locum agi. Quare præter rationem ait, Alber. quæ hic traduntur, *ea auditu plus, quàm demonstratione sciri*. Prætereo, quod ait, quæ hic *tanguntur*, quasi leuiter, & non exactissimè explicantur.

D. Thom. initio suorum comm. de hac re ita scribit. *Hic est liber Physicorum, qui etiam dicitur de Physico, siue de naturali auditu, quia per modum doctrinæ ad auditores traditus fuit*.

Quæ expositio insufficiens est. Nam tradi per modum doctrinæ auditoribus est commune his octo libris, & multis alijs Aristotelis operibus: sicut enim in his docet, ita facit in libr. de Cœlo, de ort. & inter. in Logicis, in Metaphysicis: Cur itaque communis hæc ratio facta est propria huic operi, afferenda erat causa.

Alij, inter quos est etiam Franc. Picolom. in Introduction. ad scientiam de Natura cap. 30. aiunt, Aristotelem inscripsisse hoc opus de Physica auscultatione, vt ostenderet suum scribendi modum differre à modo scribendi Platonis, qui sua dogmata consueuerat efferre per dialogos, & interloquutores: Arist. autem tradebat doctrinam modo auscultatorio, ipse videl. ac solus loquebatur, quem discipuli, & alij intenti audiebant, auscultabantque.

III. At isti primùm falsò supponunt, huiuscemodi inscriptionem datam esse his libris ab Aristotele, vt iam ostendi: Deinde, eadem ratione vrgentur, atque expositio D. Thomæ. Cum enim Stagirites eodem scribendi modo, id est non per dialogos, vt Plato, vsus sit in omnibus suis operibus, omnia ipsius scripta nuncupanda forent de Physica auscultatione: nec esset maior ratio, cur potius isti octo libri, quàm reliqui ita inscriberentur. Prætereo alias aliorum imaginationes.

Et recurrendum censeo ad vulgatam illam operum Aristotelis diuisionem, quod alia essent ἐξωτερικὰ extraria, seu extranea, quæ nimirum ille communicabat etiàm ijs, qui non essent ipsius auditores, vnde etiam erant scripta populariter. Huiusmodi censentur V.G. Poetica, Rhetorica, Ethica &c. Alia erant ἀκροαματικά, auscultatoria, in quibus secretior, subtiliorque Philosophiæ disciplina continebatur: quæ ipse apud sese asseruabat, eaque suis auditoribus identidem explicabat, sic postea fecit etiam Theophrastus. Quam quidem partitionem scriptorum Aristotelis pluri-

plurimi, & grauiſſimi viri tradiderunt. Simplic. in proœm. huius operis, & in tex. 4. & lib. primo de Cœlo tex. 100. Themiſt. itidem in proœm. ad hoc opus Alexand. Aphrod. in lib. primo Topic. Ammon. ad Porphyr. Plutarch. in vita Alex. Clemens Alexandr. lib. quarto Stromatum, Euſtratius circa finem lib. primi Ethicor., M. Tull. lib. quinto de finibus, Aulus Gellius lib. 20. cap. 4. & Galenua in fragmento libri de ſubſtantia facultatis naturalium, cuius ſolum verba ſubijciam, quæ ſunt. *Ariſt. & Theophraſtus conſueuerunt dua librorum genera ſcribere: Alterum multitudini: alterum ſuis familiaribus, & ſodalibus, quos auſcultatorios vocarunt*. Quæ operum in ἐξωτερικά, & ἀκροαματικά diuiſio indicatur ab ipſomet Philoſopho lib. primo Ethic. cap. 13. lib. tertio Politic. cap. 4. lib. decimotertio Metaphyſ. cap. 1. vnde lib. primo de moribus ad Eudemum cap. 7. hæc habet. ἐπέσκεπται δὲ πολλοῖς περὶ αὐτοῖς τρόποις καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, καὶ ἐν τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν, quæ ſonant. *conſideratum autem eſt*, videl. a nobis, *de ipſa*, nempe de idea, de qua ibi ſermo, *multis modis, & in exotericis libris, & in ijs, qui de Philoſophia ſcripti ſunt*.

Hac itaque operum Ariſt. partitione ſuppoſita, dico, hos octo libros eſſe ex numero τῶν ἀκροαματικῶν, auſcultatoriorum. Præ cæteris autem omnibus Naturalis Philoſophiæ libris, dici auſcultatorios, ſiue de auſcultatione propter quatuor cauſas. Primò, quia huiuſmodi libri continent magnas, & arduas difficultates de rebus naturalibus, indicare volebant, hos eſſa viua voce audiendos a præceptore.

Secundò, quia libri iſti ſunt quaſi ianua, & aditus ad reliquos Naturalis Philoſophiæ libros, & vt Auerr. loquitur ſunt principium, & radix totius Philoſophiæ Naturalis, & virtute continent vniuerſam Philoſophiam Naturalem, ſicut elementa virtute continent ea, quæ ex ijs fiunt.

Tertiò, quia in his continentur præcipua Ariſtotelicæ doctrinæ fundamenta, propterea ſolebat Ariſt. eos præcipuè docere, & ſedula diligentia ab alijs audiebantur.

Quartò, quia cæteri tractatus cum ſint de certis quibuſdam, ac determinatis rebus, plerumq; ſumunt inſcriptionem ab ea re, de qua tractant vt de Cœlo, de Ortu, & Interitu, de Meteoris, de Anima, &c. Hic autem tractantur communia omnium rerum naturalium principia, & affectiones: propterea quaſi commune nomen adepti ſunt. Hæc de inſcriptione horum octo librorum.

Quorum adhuc ab interpretibus aliqui dicuntur de principijs, tum de cauſis, alij de motu. Qui verò hoc, aut illo nomine nuncupandi ſint, magna eſt inter eos altercatio. Plerique Græcorum exiſtimant, quatuor priores eſſe de principijs, ſubſequentes autem de motu: quinimo aliqui tres ſolum faciunt de motu: Alij demum, quibus adhæſit etiam S. Thom. in proœm. de Meteoris, cenſent duos ſolummodo priores appellari debere de principijs, ſeu de cauſis, reliquos verò ſex de motu: Quæ ſententia, ſi in rigore loquamur mihi videtur probabilior. Argumento eſt, quod Ariſt. in principio tertij libri ſtruit nouum exordium, & illico accingitur agere de motu, *quo ignorato ignoratur natura*: de qua re inferius in ſtructura totius Philoſophiæ Naturalis, ſed iam propius accedamus.



COM-

COMMENTARII
IOANNIS COTTVNII
VERIENSIS
Vnà cum Quæſtionibus

IN

PRIMVM ARISTOTELIS LIBRVM
DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.



Conſuetudo Ariſtotelis in exordiendo; & Textura omnium Octo Librorum de Phyſico Auditu.

I. 

Onſueuit Ariſtoteles ijs Philoſophiæ tractationibus, quæ ſunt partes principes, ac veluti aliarum capita exiſtunt, congrua exordia præfigere, ne ad eas ſtudioſi animi, ſine debita præparatione intromiſſi, turbentur: In illarum verò tractationum initio, quæ primates non ſunt, ſed quaſi ea alijs conſequuntur, non exordio, ſed epilogo vti conſueuit. Præſenti operi, quod vniuerſæ Phyſiologiæ limes, atque principium eſt, accommodatum appendit exordium e mole quidem, perbreue, at rerum, difficultatumque pondere grauiſſimum. Quod porrò priuſquam expendam, compendio tibi ſiſtam ob oculos ſtructuram omnium octo librorum Phyſicorum.

Vniuerſa Naturalis ſcientia in id incumbit, vt perfectè cognoſcat ſuum obiectum, ſiue id conſtituas corpus naturale, ſiue ens mobile: (vtrumque enim in idem coincidere iam patefeci,) cuius ordinatam, ac plenam notitiam vt aſſequatur, debet primùm de eo vniuersè agere, deinde ad infimos vſque gradus, & species eius ipſius deſcendere. Sic præſtat Eximius præceptor Ariſt. Quippè in octo Phyſicorum libris ea ſolùm complectitur, quæ cuiuis corpori naturali exiſtunt communia: in ſubſequentibus deinde Naturalis Philoſophiæ voluminibus, reliqua ſuo itidem ordine exſequitur, vt initio librorum de Cælo, & in lib. Meteor. lect. 2. latè oſtendi.

Communia cuicunque corpori naturali duo ſunt: Principia videl., & Affectiones. Per illa aperitur quid ſit corpus naturale: per has autem quale illud idem ſit, dignoſcitur. Hæc vtraque in hiſce octo libris adamuſſim declarat. Principia in duobus prioribus libris, quorum peculiaris inſcriptio eſt, *περὶ ἀρχῶν*, *de principijs*. Quemadmodum ſuperius in Quæſt. 4. indicaui: In reliquis autem ſex libris, communes eiuſdem corporis naturalis affectiones proſequitur. Porrò principia trifariam ſpectantur. Primò in fieri, quatenus concurrunt ad conſtituendum principiatum: Secundò in facto eſſe, prout ſunt ea, ex quibus internè principiatum conſtat: Tertiò vt ſunt illa, per quæ illud idem principiatum cognoſcitur. Cuius inſtituti ratio ea eſt, quod ordine naturæ, res primò fit, poſtea eſt, demum cognoſcitur, Qua de re vberius dicam ad tex. 1. Ducit itaq; Stagirites initium a principijs, primo modo ſpectatis. Et confutatis a tex. 6. vſq; ad 41. falſis Veterum Philoſophorum opinionibus circa principia, inde ex propria mente, decernit principia rerum naturalium eſſe tria, materiam, formam, & priuationem, eaque incomparabili artificio explicat, vt tute ipſe in progreſſu videbis.

Qua quidem tractatione abſoluta in primo lib., II.
quemadmodum ipſemet Philoſophus colligit in tex. vlt. poſtea expendit principia ſecundo modo accepta, nimirũ quatenus ſunt ea, ex quibus res naturales internè cõponuntur. Compertũ autẽ eſt, huiuſcemodi

Digitized by Google

principia componentia esse solam materiam, & formam: nam priuatio est principium tantum per accidens, respectu rei genitæ; Materia autem, & forma sunt natura, propterea a principio libri secundi, vsque ad tex. 27. sermonem agitat de Natura. Post quem quidem locum conuertit orationem ad considerationem principiorum tertio modo, quatenus videl. sunt ea, per quæ res cognoscuntur. Et quia res cognoscuntur per suas causas, & materia, ac forma sunt etiam causæ, ob id instituit tractationem de causis, aperitque, causas per se esse duntaxat quatuor, materialem, formalem, efficientem, & finem, ad quas fortuna, & casus reuocantur, vt pote causæ ex accidente, quia omne, quod est per accidens tale, reduci debet ad id, quod est per se tale: iccircò necesse habuit Arist. tractare de Casu, & Fortuna. Quibus ita peractis, videndum superest, vtrumne natura sit ex ijs, quæ agunt propter finem, & alicuius gratia, an verò feratur temerè, & casu cæco? ideò a tex. 75. commonstrat, naturam agere propter finem. Postremò, quia in eadem natura inuenitur necessitas, exponit a tex. 87. vsque in finem libri, quænam necessitas hauriatur in rebus naturalibus ex materia, & quæ ex fine, ac forma. Atque hic imponit finem tractationi principiorum, secundum triplicem illam considerationem. iccircò.

III. In principio libri tertij facit nouum proœmium, & accingitur ad communes rerum naturalium affectiones enucleandas, quæ potissimùm sunt sex. Motus, cum quo nectitur etiam Quies: Infinitum, ex cuius explicatione innotescit Finitum: Continuum, per quod detegitur & discretum: Locus, qui pro motu est necessarius: Vacuum, cui magna affinitas intercedit cum Loco: & deniq; Tempus. Quæ omnia diligentissimè in sex posterioribus libris absoluit.

Inter omnes autem hasce affectiones, principem locum obtinet motus, cum natura ipsa nil aliud sit, quàm internum principium, & causa motus, & quietis. De quo quidem motu, sicut de quauis alia dictarum affectionum, primò enucleandæ se offerunt duæ simplices quæstiones, An sit, & Quid sit. Postea duæ compositæ, Qualis sit, & Propter quid sit. Et quidem, motum esse in rerum natura, supponitur a Naturali Philosopho, ceu sensu ipso conspicuum. Hinc Stagirites in tex. 11. primi libri. *Nobis, inquit, supponatur ea, quæ sunt natura, aut omnia, aut quædam moueri.* Quid autem is sit, acri indagine incumbit inuestigandum, cum ignorato motu, naturam ipsam ignorari necesse sit: iccircò a tex. 5. lib. tertij Arist. scrutatur motus definitionem, quod sit actus entis in potentia, secundum quod in potentia, eamque vsque ad tex 23. prosequitur, in quo colligit, *Quid igitur motus sit, & vniuersaliter, & secundum partes, dictum est:*

IV. Inde ad cæteras communes itidem rerum naturalium affectiones aperiendas flectit orationem, quę cum quæstionibus simplicibus eiusdem motus associantur, ita vt vel in eius essentia includantur, vel pro ea dilucidanda sint necessariæ. Cum itaque *motus sit de genere continuorum*. continuum verò sit diuisibile in infinitum; de infinito fuit agendum. Porrò infinitum aliud quidem potentia duntaxat, aliud autem actu, hæc etiam vtraque erant explicanda; infinitum enim potentia in essentia motus clauditur, sic infinitum actu cum eiusdem essentia pugnat. A tex. igitur 24. agit de infinito, cuius tractationem ad Naturalem Philosophum spectare, vel ex eo liquet, quia hic considerat motum, magnitudinem, & tempus, vt pote accidentia corporis naturalis: *Horum autem vnumquodque necesse est, aut infinitum, aut finitum esse.* Determinat itaque primùm, non dari infinitum seiunctum, ac separatum a sensibilibus: Deinde ait, omnia separata a sensibilibus nulla magnitudine esse prædita, neque vllum habere numerum, qui consurgat ex diuisione magnitudinis, in quibus solis infinitum est. Ad hæc commonstrat, nullum dari corpus sensibile, neque simplex, neq; mixtum, actu, & categorematicè infinitum, quinimò neque numerum vllum actu esse infinitum. Nam & omne corpus superficie aliqua terminatum est, & omnis numerus potest transiri, atque percurri: Quæ vtraque infinito actu repugnant: solùm itaque datur infinitum potentia, aut diuisione, vt in magnitudine, quæ perpetuò diuidi potis est, aut additione, vt in numero, qui infinitè valet augeri; aut successione, vt in motu cæli, in tempore, & perpetua rerum generatione:

Porrò ad motum omninò exigitur locus, & res naturales existunt in aliquo loco, propterea in lib. quarto per quinque capita, a tex. 1. vsque ad tex. 50. edisserit de loco, quem quidem reperiri in rerum natura, vel motus localis corporum manifestat. Deinde ostendit, locum neq; formam quampiam, neque materiam esse, quemadmodum perperam quidam opinati erant: quippè materia, & forma a sua re neutiquam seiunguntur, ea incolumi manente, locus autem a suo locato seiungitur, perinde atque vas ab aqua. Cum autem octo modis vnum aliquid sit in altero, nihil potest primò, per se, & secundum se totum, esse in seipso, licet secundum partem, & per aliud possit. Hinc colligit in tex. 42. loci definitionem, *quod continentis terminus immobilis primus locus est.* Vnde ea duntaxat dicuntur esse in loco, quæ ab alio corpore continentur, quæ autem extra se aliud corpus non habent, propriè in loco non erunt, vt vltimum Cęlū.

Post tractationem loci edisserit Arist. per quatuor capita a tex. 50. vsq; ad tex 87. de Vacuo, quod cum loco videtur habere affinitatem, adeò vt nonnulli Veterum Philosophorum pro eodem sumpserint vacuum, atque locum. Vacuum autem propriè dictum, haud censeri debet id, in quo nihil est, aut in quo nullum graue est, aut leue, sed est locus corpore priuatus. Atque huiuscemodi vacuum in natura dari, impossibile est. Non enim propter motum localem est necessarium, quinimo si esset, profectò in eo nihil affatim moueretur, neq; V.

enim

Digitized by Google

enim ibi sursum, neque deorsum foret. Hinc etiam sequitur, nullum dari vacuum, vt separatum spatium, ac dimensionem, aut corporibus insertum, quamuis corpora alia rara sint, alia densa.

Demum a capite decimo eiusdem libri, tex. 87. per quinque capita, vsque in finem libri agit de tempore, vtpote de communi mensura rerum naturalium, & ipsiusmet motus. Ac primò aperit, tempus re ipsa in rerum natura reperiri: Deinde reiecta triplici aliorum opinione, constituit tempus esse numerum motus secundum prius, & posterius, quippè cum in motu apprehendimus priorem, & posteriorem partem, & copulamus per medium instans, distinguimus, ac numeramus motum, & hoc pacto cognoscimus tempus: propterea aiebat Philosophus in tex. 131. quod *si nihil aliud aptum natura est, quàm anima numerare, & animæ intellectus, impossibile est, tempus esse, ψυχῆς μὴ οὔσης, non existente anima*. His ita dilucidatis redit Stagirites in principio libri quinti ad contemplationem motus, iam in principio tertij libri inceptam, adhuc persistens in quæstionibus simplicibus; propterea in ipso limine libri quinti diuidit motum a mutatione. Diuisio autem alicuius rei tractandæ, procul dubio ad quæstiones simplices spectat. Tandem in tex. 21. eius lib. colligens per epilogum, quæ de simplicibus motus quæstionibus eò vsque edisseruerat, ita scribit: *Quid igitur est Motus, & Quid Quies, & Quot mutationes, & Quales motus, manifestum est ex dictis*.

VI. Nec te turbet, quod Stagirites hoc loco dicere videatur, se explicuisse etiam quæstiones compositas motus, dum inquit, *& Quales motus*.

Primùm, in quibusdam codicibus hæc verba non habentur, quæ neque etiam sunt in antiqua translatione. Deinde, existimo legendum esse in græco, non ποίας κινήσεις, *quales motus*, sed πόσας κινήσεις, quod significat *quot motus*. Quæ lectio colligitur ex verbis præcedentibus, nempe dictum est, πόσαι μεταβολαί, *quot mutationes*, καὶ πόσαι κινήσεις, *& quot motus*. Et facilè fuit πόσας, mutari in ποίας, Olfecit hoc Argyropol., & sic transtulit, *quid igitur est motus, & quid quies, & quot sunt mutationes, & quot motus*.

Vel dico, si adhuc vis communem lectionem amplecti, & *quales motus*, explicanda est sic: Dictum est, quid sit motus, & quid quies, & quot mutationes, & quales: nempe, quales motus sint ipsę mutationes: non enim omnes motus sunt mutationes.

Post illum autem 21. contextum accingitur explicare quæstiones compositas motus, videl. qualis sit motus, & propter quid sit talis: Exorditur autem ab explicatione quarumdam vocum, cuiusmodi sunt, *simul, seorsim, contigua, consequenter. &c.* quæ videntur quandam mobilium, quasi compositionem præseferre. Quia verò quicunque considerat qualisnam sit aliqua res, primùm videre debet, an ea sit vna, vel multiplex, propterea a capite quarto, vsque in finem quinti libri edisserit Arist. de vnitate, & oppositione motus; est enim motus suo modo vnus vel genere, vel specie, vel numero. Et quidem illi motus censentur vnius generis, qui ad vnum, atque idem summum genus, seu Prædicamentum tendunt: illi autem sunt eiusdem speciei, qui ad eandem specie formam progrediuntur, ille demum motus est vnus numero, qui habet vnum mobile numero, vnam numero formam, vt terminum ad quem, & vnum, atque idem tempus. Motus autem contrarij sunt, quorum termini existunt contrarij: Hinc motus opponitur motui contrariè, opponitur autē quieti priuatiuè.

Motus constitutus est vnus, & continuus, videndum itaque est, ex quibusnam componitur. VII.
Hoc declarat in lib. sexto. Confestim autem in capite primo ostendit, nullum continuum conflari ex impartibilibus, sed omninò componi ex alijs partibus, quæ perpetuò in alias, atque alias valeant diuidi: sic linea non coalescit ex punctis, sic tempus non ex instantibus, nec igitur motus ex mutatus esse, sed ex alijs partibus, quæ pariter in infinitum possunt secari. Et quia vnumquodque in ea resoluitur, ex quibus componitur, hinc nullum continuum abit in indiuisibilia. Motus, tempus, & spatium, seu magnitudo sibi respondent. Hinc sequitur primò, nihil vnquam posse moueri in instanti: sequitur secundò, nullum indiuisibile magnitudinis, V.G. punctum posse moueri, nisi solùm per accidens, seu per aliud: sequitur tertiò, magnitudinem infinitam finito tempore pertransiri neutiquam posse, neque e contra, magnitudinem finitam infinito tempore percurri, nisi illa identidem repetatur, vt fit in cœlo: sequitur quartò, omnem motum, ac mutationem inter terminos oppositos claudi.

Vnum theorema, idque arduum de hoc ipso VIII.
motu discutiendum supererat. Vtrum ne dari possit aliquis motus vnus, atque idem numero æternus, & continuus, an non? Quod quidem theorema proposuit Arist. in calce lib. sexti atque pro exacta eius intelligentia, iacit in septimo libro opportuna fundamenta; siquidem septimus ille liber est veluti quoddam præambulum ad librum octauum, in quo præfatum theorema absoluit, quem librum etiam exorditur, *vtrum autem factus est aliquando motus, cum non esset prius, & corrumpitur rursus, adeò vt moueatur nihil, an verò neque factus est, neque corrumpitur, sed semper erat, & semper erit. &c.*

In quo quidem octauo libro, vtpote omnium præstantissimo, primùm facit proœmium per tres tex. Deinde probat a tex. 4. vsque ad 20. Mundum, atque adeò motum, tum a parte ante, tum a parte post extitisse, ac fore æternum. Postea a tex. 21. vsque ad tex. 28. ostendit, ea, quæ in mundo existunt, esse trium conditionum, scil. quædam moueri semper; quædam nunquam moueri; quædam aliquando moueri, & aliquando quiescere. Vt autem plenius assequatur, duo illa membra, quod dantur aliqua, quæ semper, &

aliqua, quæ nunquam mouentur, oſtendit a tex. 28. omne, quod mouetur, moueri ab alio; ita tamen, vt in ijs in infinitum abeundum non ſit, ſed neceſſariò deueniendum ad vnum primum, quod aut moueatur a ſe ipſo, cuiuſmodi eſt cælum, aut quod omninò exiſtat immobile. Cum autem iam patefecerit, dari motum vnum, continuum, atque æternum, probat a tex. 61. huiuſcemodi motum eſſe ſolum localem, circularem, ac primum: Ex quo quidem motu, rurſus regreditur, & colligit abſoluiè, primum motorem eſſe ab omni materia liberum, indiuiſibilem, & cum mouerit tempore æterno, eſſe infinita vi præditum, qui tam per ſe, quam ex accidente immobilis, *ſtabiliſque manens, det cuncta moueri*. Sic ergo diuini ingenij vir Ariſt. exorſus in primo Phyſic. lib., veluti a fece naturæ, ideſt a materia prima, quaſi per quoſdam ſcalarum gradus, aſcendit vſque ad ſupremum eiuſdem naturæ apicem, Deum, *a quo*, vt ipſe loquitur in duodec. Metaphyſ. tex. 38. *dependet cælum, & vniuerſa natura.*

Diuiſio totius primi libri Phyſic., & iudicium de prima eius parte.

IX. VEnio nunc ad partitionem primi lib., quem habemus præ manibus, qui complectitur nouem capita, & in quatuor præcipuas partes commodè diſtribui poteſt. In quarum prima, quæ eſt primum caput, quinque liminaribus contextibus comprehenſa, Auctor abſoluit proœmium.

In ſecunda, a tex. 6. vſque ad 41. per tria integra capita recenſet, refutatque veterum Philoſophorum opiniones, qui circa rerum naturalium principia non vno modo a veritate aberrarunt, ſiue non naturaliter, vt Parmenides, & Meliſſus, ſiue phyſicè, vt alij, loquerentur.

In tertia part. per tria itidem capita, a tex. 41. vſque ad 70. ediſſerit ex ſua ſententia de iiſdem principijs in communi; videl. qualia, quæ, quot, & quomodo ſint. Et quidem in cap. 5. inueſtigat qualia ſint, dum patefacit ea eſſe contraria. Deinde in cap. 6. a tex. 50. exponit quænam, & quot ſint. Exponit quidem quot ſunt, dum tria, & non plura, neque pauciora eſſe demonſtrat. Exponit verò quæ ſint, dum aperit duo, formam ſcil., & priuationem, vt contraria. Et vnum ſubiectum: Poſtea in cap. 7. a tex. 58. declarat quo pacto ſint principia, id eſt, quem modum habeant principiandi. In tertia itaque parte declarat generatim, qualia, quæ, quot, & quomodo ſint principia.

In quarta denique parte, de ijs ipſis principijs ediſſerit in particulari ſecundum propriam vniuſcuiuſque naturam. Hinc in cap. 8. a tex. 71., diluendo Veterum Philoſophorum difficultates, decernit de Materia: in cap. autem 9. a tex. 79. amplius eam expendens, determinat etiam de Priuatione, & inſinuat non nihil etiam de Forma. Quæ omnia, quàm ſyncerè, quàmque accuratè vir hic incomparabilis exequatur, ſummo nobis afflante numine, ſuis in ſedibus conſiderabuntur.

Prima huius libri pars, quæ eſt exordium, concordi omnium interpretum conſenſione, ſemper X. exiſtimata eſt difficillima: nec immeritò; quia apprimè eſt conciſa, & præterea eſt de rebus ſuapte natura difficilibus, adeò, vt non defuerint, qui iſtud proœmium non ea puritate ad nos deueniſſe, ſuſpicati ſint, qua fuit ab Stagirite conſcriptum, ſed aliqua in parte eſſe corruptum, atque in illorum locorum numero eſſe habendum, quæ in libris Ariſtotelis diu ſepultis, & partim humiditate, partim tineis corroſis, atque labefactatis, malè emendata, ac reſtituta fuere, vel ab Apellicone Athenis, vel poſtea a Tirrannione Grammatico Romæ. Quam hiſtoriam fusè retulit Strabo lib. 13. ſuæ Geogr. Hæc illi, inter quos eſt etiam Franciſ. Vicomercatus. At hi malè ſuſpicantur, & peius intelligunt Ariſtotelem. Quippè, quod præ manibus habemus, exordium eſt ſummo artificio elaboratum, omnibuſque numeris abſolutiſſimum.

Quod vt probè comprehendas, reuoca in memoriam, proœmium Philoſophicum longe a proœmio Oratorum diſtare. In hoc auditor per eloquentiam debet reddi docilis, attentus, beneuolus: in illo autem ſat fuerit, ſi docilis efficiatur, quod quidem fit leui propoſitione, aut indicatura rei tractandæ: idque propterea quia materia philoſophica ita ſua luce, & pulchritudine nitet, vt lectorem per ſe ipſa tùm attentum, tùm beneuolum efficiat. Hoc diſcrimen docuit nos Ariſt. lib. Rhetor. tertio, cap. 14. dum de eſſentia exordij ait, eſſe, vt res, de qua agendum ſit, proponatur, reliquas autem eius conditiones cenſet quædam medicamina. Excipe verba. *Proœmij maximè neceſſarium, & perpetuum munus eſt, finem inſtitutæ orationis aperire; reliquæ autem proœmij ſpecies, quibus vtuntur oratores, medicamina quædam ſunt, & ea quidem communia, quæ ducuntur vel ab Oratore ipſo, vel ab auditore, vel a cauſa, vel ab Aduerſario &c.*

Nunc ad rem. In præſenti exordio Auctor admirabili artificio tripliciter facit lectorem docilem. Primò, proponendo intentionem ſuam, ſiue rem, de qua acturus eſt. Secundò, proponendo ordinem, quo res ipſas tractaturus ſit. Tertiò, proponendo methodum, qua, in iiſdem rebus pertractandis, vſurus ſit. Duo priora facit in primo tex. Tertium autem exequitur in reliquis quatuor contextibus. Quæ ſi vera ſunt, vt veris ipſis veriora puto, merito atque optimo iure dixi, hoc proœmium ſummo artificio elaboratum, omnibuſque numeris eſſe abſolutiſſimum. Quo pacto autem hæc omnia præſtet; age mecum perpende.

CA-

Digitized by Google

CAPVT I.

Intentio, ordo, & methodus rerum tractandarum.

TEXTVS I.



Voniam cognoscere, & scire contingit circa omnes methodos, quarum sunt principia, aut causæ, aut elementa, ex horum cognitione (tunc enim arbitramur cognoscere vnumquodque, cum causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa) manifestum est, quod & ea, quæ sunt circa principia scientiæ, quæ de natura est, primùm determinare tentandum.

I. Enitar abdita Stagiritæ sensa claris ac proprijs verbis, quo ad eius fieri potest, aperire; vt quæ ille, seu valida mentis pernicitate, siue breuitatis studio, aut penitiori quodam græcanici sermonis candore, concisè, vel alicubi implicatè videtur extulisse, ea æui nostri auribus reddam accommodata. In præs. tex. proponit suam intentionem, siue res enucleandas, & ordinem in ijs seruandum; vnde bimembrem hanc assertionem potes eruere. Tentandum est determinare de principijs, de causis, & de elementis scientiæ, quæ de Natura est; & primùm determinare ea, quæ sunt circa principia. Perinde est, ac si dicat. Nos acturi de rebus ad Naturalem scientiam attinentibus, eniti debemus explicare earum principia, causas, & elementa; & primùm explicare ea, quæ circa principia versantur.

Textui tres assigno partes. In 1. sternitur maior propositio, pro priori parte dictæ conclusionis. In 2. *tunc enim &c.* annectitur eiusdem maioris confirmatio. In 3. *manifestum &c.* colligitur præfata conclusio. Iam verò.

Prima assertionis pars gemino modo ab Interpretibus colligitur, quatenus eam alij de principijs cognitionis; alij de principijs rerum intelligunt. Equidem ita struo. In omni methodo, siue disciplina, quæ est de rebus habentibus principia, causas, & elementa, acquiritur cognitio, & scientia ex perceptione huiusmodi principiorum, causarum, & elementorum: Methodus, seu disciplina, quæ est de natura, est de rebus habentibus principia, causas, & elementa, quare in ea acquiritur cognitio, & scientia, ex perceptione huiusmodi principiorum, causarum, & elementorum: ergo *manifestum est* (ecce integra conclusio) *quod & ea, quæ sunt circa principia scientiæ, quæ de natura est, primùm determinare tentandum*. Id est, ergo nos, qui cognitionem, & scientiam de natura inquirimus, & in perscrutandis rebus naturalibus versamur, eniti debemus de omnibus his, de principijs, inquam, de causis, & de elementis earum rerum determinare. *Et primùm determinare ea, quæ sunt circa principia.*

Primam propositionem, quæ continetur in primis verbis tex. probat ex communi doctorum hominum confessione; *tunc enim arbitramur vnumquodque cognoscere, cum causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa.* II. quam etiam tradidit in primo Poster. cap. 2. De minori autem, quod scientia Naturalis sit de rebus habentibus principia, causas, & elementa, non conueniit inter Expositores. Quidam aiunt, Aristotelem eam subticuisse, veluti manifestam, nihilominus fuisse postea a Theophrasto, ita confirmatam, vt refert Philoponus: Scientia Naturalis est de rebus naturalibus: Atqui res naturales sunt compositæ; composita autem habent principia, causas, & elementa: quare scientia naturalis est de rebus habentibus principia, causas, & elementa. Porphyrius verò contendit, eam ab Stagirite hic non debuisse probari, quia non spectat ad naturalem Philosophum, sua principia probare. Simplicius autem, quod probabilius existimo, asserit, eam meritò in præsenti ab Aristotele probatam non esse, quia totus sermo in eius probatione deinceps futurus sit.

Secunda conclusionis pars, quæ est de ordine, insinuatur in dictione, *primùm*, &c. (hoc enim significat illa dictio, *primùm*,) & ita colligitur. Ea, quæ in aliqua methodo, ac facultate sunt priora, & communiora, primùm pertractanda sunt. In methodo naturali principia sunt priora, & communiora reliquis omnibus, quæ in ipsa reperiuntur: quare principia primùm pertractanda sunt: Quorum tractationem absoluit Arist. in hoc primo libro, quem etiam his omnino verbis concludit. *Quod igitur sint principia, & quæ, & quot numero, determinatum sic a nobis sit. Rursus autem aliud principium capientes, dicamus.*

Adnotationes, & Difficultates circa primam partem tex.

NVlla ferè est in hoc tex. vocula, quæ non attenta consideratione digna sit: præcipuas III. percurram. Et primò adnoto cum Philopono, consuetudinem esse Arist. a communibus quibusdam axiomatibus librorum suorum initia facere. Sic a communi dignitate exorsus est Metaphysicam: *Omnes homines natura scire desiderant: Signum autem est, sensuum dilectio.* Sic libros de Posteriori Analysi; *Omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua ex præexistente fit cognitione.* Sic libros de Moribus. *Omnis ars, omnisque methodus, actio item, atque electio bonum quoddam expetere videtur.* Sic libros Politicorum. *Quoniam videmus, omnem Ciuitatem esse societatem quandam, & omnem societatem boni alicuius gratia con-*

Digitized by Google

constitutam patet &c. Sic libros de Partibus Animalium: *In omni contemplandi genere tum nobiliori, tum ignobiliori, duos esse habitus constat; quorum alterum scientiam rei appellasse, alterum quasi peritiam quandam, bene est.* Sic in præsenti exorditur a communi, & præaccepta dignitate, quæ est. Quod omnis methodus habens principia, causas, & elementa, comprehenditur principijs, causis, & elementis comprehensis. Quo fit, vt prima tex. dictio ἐπειδή. *Quoniam*, duo præstet, vnum nectit antecedens cum consequenti; alterum denotat, dictum antecedens accipi, ceu communiter notum, vel alio loco probè patefactum, vt ce ipsa in libris Poster. ostensum est.

IV. Sequitur, *cognoscere, & scire*. D. Thom. per cognoscere intelligit cognitionem, quæ in scientijs habetur per definitionem. Per scire autem intelligit notitiam acquisitam per demonstrationem: Duo quippè sunt potissima instrumenta, quibus scientias adipiscimur, definitio, & demonstratio, atque vtraque per causas procedit: quocirca, & definitio perfecta ab Stagirite in secundo Poster. cap. 10. dicta est, *Demonstratio sola positione differens*. Vt ergo Auctor, inquit D. Thom. omnem cognitionem scientificam complecteretur, geminauit dicta verba. *Cognoscere, & scire*.

Quæ quidem expositio ingeniosa est: sed parum græcis vocibus consona & S. Thom. ad eam fortasse inductus est, quod in antiqua versione, quam ille, sicut etiam Auerr., & alij complures habent, pro cognoscere legitur, *intelligere*; sed male; siquidem græcè intelligere, est νοεῖν, non εἰδέναι, vt hic iacet.

Alij dicunt, verba illa esse synonima, atque idem in præsentia importare, cognoscere, quod scire, geminati verò, tum ornatus causa, tum etiam vt prius per posterius, quasi significantius exprimatur, ita Simplicius, & Philoponus; qui hanc responsionem auctoritate etiam Platonis confirmat, & Vicomercatus exemplis ex Arist. petitis, nisus est comprobare.

Quæ interpretatio ea potissimùm vrgetur difficultate, quòd Philosophus, vt arguit Auerr., non debet in tradendis scientijs vti vocibus synonimis, nec sine necessitate multiplicare verba. Quid ita? quia est imitator Naturæ, quæ nihil facit pluribus, quod æquè commodè paucioribus potest præstare.

Aptior itaque mihi videtur expositio Alex., Themist., & Auerr. aientium, *cognoscere* hic esse quid communius, quàm *scire*: illud veluti genus complecti quamcunque cognitionem, siue per causam, siue absque causa, siue necessariam, siue non necessariam; adiungi autem, *scire*, per quod illud ad solam cognitionem scientificam contrahatur. Quocirca sensus est. Quoniam cognoscere ita, vt sit scire, contingit &c. Pro qua quidem interpretatione suppetit mihi expressus locus ex primo Metaphys. cap. 2. vbi hæc ipsa verba Arist. repetit: τὸ δ' εἰδέναι, καὶ τὸ ἐπίστασθαι αὐτῶν ἕνεκα μάλιστα. ὑπάρχει τῇ τοῦ μάλιστα ἐπιστητοῦ ἐπιστήμῃ. *Cognoscere autem, & scire sui gratia præcipuè inest illi scientiæ, quæ est eius, quod maximè scibile est.* Vbi cognoscere pro communiore quodam, quàm scire vsurpat: quia paucis ante verbis εἰδέναι, posuit pro cognitione tam scientifica, quàm non scientifica.

Sequitur, *Contingit circa omnes methodos*. Dubitatur; cum illa propositio, quam nuper indicaui, sit quædam Dignitas, ac proinde certa, ac necessaria, cur effertur per verbum contingentiæ? *contingit*. Deinde, ex antecedenti contingenti non sequitur consequens necessarium. Auctor infert consequens manifestum, ac necessarium. *Manifestum est, quod, & ea, quæ sunt circa, &c.* Cur igitur in antecedenti vtitur verbo, *Contingit*, quod excludit necessitatem? Quippè quod necessariò non est, id dicimus contingere. V.

Communis inter Latinos responsio est illa, cui adhæsit etiam Piccolomineus. Quod methodus, & scientia perfecta ad duo comparari potest; vel ad scibilia, vel ad Iuuenes adepturos scientiam. Si ad scibilia referatur, ea non aliter sunt apta perfectè sciri, quàm ex notitia necessaria suorum principiorum. At dum refertur ad nos, qui adepturi sumus huiusmodi methodum, quia pauci eam assequuntur, & etiam contingit huic, aut illi eam addiscere; ideò iurè Arist. dixit *Contigit*.

Quæ solutio accipienda non est: quia secundum eam Arist. maiorem suam profert quoad nos. At hoc sensu propositio non est necessaria, sed contingens, vt dicta responsio asserit. Quare maior illa prolata erit in sensu contingenti, & non necessario. Quod dicendum non est.

Quapropter germana solutio petenda est ex græco tex., vbi legitur συμβαίνει, quod hic non significat, contingit, quemadmodum latinè translatum est, hoc enim exprimitur per verbum ἐνδέχεται. sed idem est, ac simul it, simul venit, seu consequitur. Hoc verò non contingentiam, sed necessariam consequutionem significat. Testis huius significationis sit ipsemet Arist., qui quidem cùm sæpè alibi, tum præcipuè lib. primo de Priori Analy. cap. 1. in ipsa Syllogismi definitione, hac voce eo sensu vtitur, dum ait, *Syllogismum esse orationem, in qua positis quibusdam, aliud quippiam ab his* ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, *necessariò euenit, eo quod hæc sunt.* At quis vnquam dicet, hic συμβαίνει, *euenit*, non significare necessariam consequutionem, cum Arist. dicat, *necessariò euenit*? Sic accipitur in præsenti; vnde propositio Philosophi est necessaria. Vide Philoponum, qui alio pacto interpretatur hanc necessitatem.

Adiungitur, *circa omnes methodos*. Methodus vox æquiuoca est, vt videre licet ex primo Topic. cap. 3., primo de Ani. tex. 4., & 5, primo Ethic. cap. 1., tum in hoc tex., tum alijs in locis, in quibus varia significatione accipitur. Porrò, quod ad propositum spectat, Methodus vno quidem modo accipitur pro tota aliqua disciplina, siue scientia: quo pacto Medicina nuncupatur methodus medendi: Et vniuersa Topica, quemadmodum Arist. in VI.

ipso

Digitized by Google

ipso Topicorum limine loquitur, *Est methodus, qua de omni quæstione proposita probabili argumentatione edisserere possumus*. Et Metaphysica in octauo Physic. auscult. lib. tex. 3. appellatur *Methodus de primo principio*. Hæc vocari solet Methodus vniuersalis. Alio modo accipitur pro methodo particulari, & est vnaquæque particularis argumentatio, in quo quidem sensu, aiebat Philoponus in primo Poster. cap. 31., quod methodi secundum Philos. sunt quatuor, quæ censentur instrumenta dialectica, Diuisio, Definitio, Demonstratio, & Resolutio: Arist. hoc loco denotat methodum vniuersalem.

VII. *Quarum sunt principia, aut causæ, aut elementa.* In quibus quidem voculis enodandis, via dici potest, quantum tenebrarum imaginationes quorundam offuderint. In primis sunt, qui omnia hæc tria vocabula trahunt ad principia cognitionis, seu scientiæ, quæ nimirum in scientia accipi, ac præcognosci debent. Hinc per principia intelligunt dignitates communes: per causas peculiares conclusionis præmissas: per elementa maiorem, & minorem extremitatem. Ita post Alpharabium nonnulli recentiorum, quamquam alij alio modo principia cognitionis explicare, aut potius implicare torqueantur: Qua de re, adi, si vacat M. Anto. Zimar. Theor. 85.

Quæ opinio, vel ex ipsa Auctoris intentione, euidenter conuincitur falsitatis, qui in præsenti intendit agere de rebus naturalibus, atque adeò de earundem principijs, causis, & elementis. Quocirca figmentum est, asserere, voces illas accipi pro principijs cognitionis, Dignitatibus, Præmissis, &c. Deinde, principia cognitionis sunt præcognitiones ad aliquam scientiam, quemadmodum illiusmet sententiæ Auctores exponunt: si itaque Arist. loqueretur de principijs cognitionis, dum ait, cognoscere, & scire contingere ex horum, nempè principiorum, causarum, & elementorum cognitione, idem esset, ac si diceret, cognitionem, & scientiam contingere, atque acquiri ex cognitione præcognitionum, quod sanè nugatorium est.

Loquitur itaque Auctor in præfatis verbis de principijs rei, quemadmodum exponunt Interpretes Græci, tum Auerr., S. Thom., & communiter alij probati auctores: quamquam deinde in aliquo dissident. Enimuerò conueniunt in eo, quod per illa tria vocabula indicentur quatuor genera causarum; discrepant autem, quæ causa per quam vocem denotetur? Simplicius opinatus est, nomen principij hic accipi communiter, prout omnia quatuor genera causarum complectitur, eaque subdiuidi per subsequentia vocabula, hoc est causa, & elementum, atque per causam denotari causas externas, efficientem, inquam, & finem: per elementa autem, internas, materiam, & formam. Cui adhæsit Philoponus: Etea eo comprobat, quod Stagirites nomine principij indifferenter pro omnibus causis vtitur sæpenumero.

Alex. autem secutus Eudemum, putat per principia hic significari causam efficientem; hæc enim, vt legimus in secundo huius operis tex. 29. & in primo de Ortu, & Interitu tex. 55. & alibi sæpe, *est id, vnde principium motus*: Per causas autem insinuari causam finalem, & formalem, ex quibus maximè dependet res secundum esse, & fieri. Per elementa demum, causam materialem. ita etiam D. Thomas, & multi alij.

Auerroes, & Albertus Mag. consentiunt Alexandro quantum ad principia, dissident autem in reliquis, quia per causas contendunt intelligi solùm finem: per elementa autem, ex æquo tam materiam, quàm formam.

Quæ quidem expositiones, quod ad differentiam spectat, quam causam vnicuique illarum vocum ascribant, ingeniosæ sunt, & omnes possunt sine piaculo defendi. Cæterùm in eo, in quo omnes illi auctores conueniunt, vid. per illa tria vocabula, *principia, causas, & elementa*, significari quatuor genera causarum, vehementer vrgentur his difficultatibus. Primò Arist. lib. quinto Metaphys. cap. 1. 2. & 3. expendens has tres voces. *Principium, Causa, & Elementum*, ostendit, Principium longè latiùs patere, quàm causam, quia principij ratio est, quod sit *primum vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur aliquid*. ideòque, licèt omnis causa sit principium, non tamen e contra, omne principium est causa; sicut licet omne elementum sit causa, non tamen e conuerso. Cum itaque Auctor in præsenti coniungat illa tria vocabula, profectò principium coarctari nequit intra genera causarum. VIII.

Secundò Arist. inter principia enumerat etiam priuationem: Atqui ea ad nullum causæ genus spectat.

Tertiò quia hic proponit primùm, agendum esse de principijs, cum tamen primùm non agat de causis.

Postremò in principio sexti Metaphys. asseritur, etiam Mathematicarum esse principia, causas, & elementa, & nihilominus Mathematicus, vt scribit hic Auerr. & D. Thomas & fusè explicat Zimar. theor. 43. demonstrat per solam causam formalem: quare dicta vocabula, principia, causæ, & elementa, etiam in præsenti non significant quatuor genera causarum, neque vnquam Aristoteli fuit mens illa significare.

IX. Quidam denique Recentiores in ea sunt opinione, quod Auctor tribus illis vocibus vtatur indefinitè, ad denotandas solummodo causas, ac proinde præfata tria vocabula in præsenti idem omninò significent. Sic autem (subdunt) Philosophus locutus est, propter Antiquos, quorum alij vtebantur nomine principij, alij vocabulo causæ, alij voce elementi. Cum itaq; ait, Methodos, quæ sunt de rebus habẽtibus principia, aut causas, aut elemẽta, &c. perinde est, ac si dicat, voca ea quomodocunque volueris, siue principia, siue causas, siue elementa, id parum refert, perpetuò verum est, quod methodus, ac scientia de re habente causam, acquiritur

ritur

Digitized by Google

ritur per causam. Cui quidem opinioni duo præcipuè fauent. Vnum est disiunctiuus loquendi modus, *quarum sunt, principia, aut causæ, aut elementa*. Alterum, quia id cohæret cum definitione scientiæ, traditæ in primo Poster. cap. 2. *tunc arbitramur scire, cum causam, propter quam res est, tenuerimus*. De hac re multa Franc. Vicomer. & Zabar.

Quæ quidem interpretatio ijsdem argumentis, atque superior labefactatur; quia principia latius patent, quàm causæ. Adde, quod non satis congruè probari potest, Veteres Philosophos sic indistinctè, & confusè dictis nominibus fuisse vsos. Tum etiam, quia inane esset Aristotelis studium, qui alioquin in scribendo, breuiloquentiam vnicè adamauit, in re nullius momenti, atque in ipso limine operis tam anxiè occupari, ac penè superuacanea verba reculcare.

X. Existimo itaque, Auctorem per illa tria vocabula aliquid artificiosius insinuare. Indicat per illa, res, quas in primo, & secundo libro explicat, quæ sunt Materia, Forma, & Priuatio, Natura, & Causæ. Adeò vt eædem res diuersificentur, & diuersis nominibus appellentur, secundum diuersos respectus, quibus ad suos effectus comparantur. Siquidem vocantur principia, quatenus sunt principia generationis, seu quatenus res ab ijs pendent in fieri appellantur elementa, quatenus ab ijsdem res componuntur in facto esse: nuncupantur causæ, quatenus per eas, res cognoscuntur. Ratio huius ordinis in promptu suppetit, quia res primò fiunt; inde sunt; demum cognoscuntur.

Quod si obijcias. Arist. non hoc ordine præfata verba recenset, sed prius ponit causas, deinde elementa, cum tamen elementa respiciant res, quoad esse, causæ autem quoad cognosci: prius autem est, (vt nuper dicebamus) rem esse, quàm cognosci.

Hoc nihil officit, quia alio loco, cum hæc ipsa vocabula de omni scientia proferet, eo, quo nos diximus, ordine ea reposuit; & elementa præposuit causis. In principio sexti Metaphys. *Sunt*, inquit, *& Mathematicorum principia, & elementa, & causæ, & omninò omnis scientia intellectiua, aut aliquo modo particeps intellectus*. Ex quo quidem loco adhuc eruitur luculenta dictæ interpretationis confirmatio, quia Mathematicus demonstrat solùm per causam formalem, vt nuper dicebam, quæ igitur apud illum erunt principia, quæ elementa, quæ causæ? Profectò eædem res dicuntur principia, elementa, & causæ, secundùm triplicem illum respectum: V. G. lineæ sunt principia figurarum, prout figuræ ex ijs in fieri coalescunt; sunt elementa, prout eædem figuræ ex ijs ipsis, veluti in facto esse componuntur; sunt denique causæ, quoniam figuræ ex illis, tanquam ex internis causis, & terminis constant, & cognoscuntur.

XI. Porrò aduerte nunc animum, quomodo Auctor hæc omnia dicto ordine ad vnguem exequatur. In primo hoc libro agit de principijs generationis rerum naturalium; ideòque in calce concludit, se iam egisse de principijs, dum ait, *Quod igitur sint principia, & quæ, & quot numero, determinatum sic à nobis sit*. Ex quo ita collige: Illud Arist. intelligit per principia in prima illarum trium vocum, quod in tertia tex. parte declarat, dum ait, se primùm acturum esse de principijs, & de quibus statim incipit agere, & in fine libri testatur, se iam egisse: Atqui in primo hoc libro declarauit principia generationis rerum naturalium, seu quoad earum fieri, & ob id ea constituit tria, Materiam, Formam, & Priuationem: quare per principia in loco, quem explicamus, nihil aliud intelligit, quam Materiam, Formam, & Priuationem, secundum respectum, quem dixi.

Progreditur, atque eas ipsas res considerat, prout referuntur ad rem genitam, siue prout eam componunt in facto esse, qua ratione rectè appellantur elementa, cum elementum ex quinto Metaphys. cap. 3. sit id, *ex quo aliquid componitur, primò inexistente*. Res autem naturales componuntur ex materia, & forma, primò inexistentibus. Hoc pacto Philosophus expendit eas ab initio secundi libri vsque ad tex. 27. vbi agit de natura, quæ materia, & forma est, ex quibus perinde intrinsecè, ac primò coalescunt res, atque syllabæ componuntur ex literis.

Pergit, & in eodem secundo libro a tex. 27. vsque ad 75. dilucidat quatuor genera causarum, quas hic nomine causæ proposuerat. A tex. autem 75. ad finem vsque libri secundi, edisserit de modo, quo Natura operatur, & sic in fine secundi libri absoluit tractationem eorum, quæ in hoc primo tex. sibi discutienda constituit.

Ex quibus duo in Peripato haud parui momenti intellige: Vnum est. Cur Arist. initio tertij libri Phys. faciat nouum exordium, dum inquit. *Quoniam autem Natura est principium motus, & mutationis; scientia autem nobis de natura est, oportet non ignorare, quid sit motus* &c. quia nimirum incipit nouam tractationem. Alterum, quod intelligimus, est, solum duos priores huius operis libros inscribendos esse *περὶ ἀρχῶν, de principijs*, reliquos autem sex appellari *περὶ κινήσεως, de motu*, vt in opere de Meteoris lect. 4. multis ostendi. Ex quibus omnibus liquidò apparet quid Auctor denotet hic per principia; quid per causas, quid per elementa.

Neque id erit silentio prætereundum, quod Auctor vsus est disiunctione, *principia, aut causæ, aut elementa*, vt innueret de quauis illarum dictionum, verum esse, quod ex eius cognitione acquiritur cognoscere, & scire.

Expenditur reliquus textus.

SEcunda pars tex. est confirmatio præfatæ maioris, *tunc enim arbitramur cognoscere vnumquodque, cum causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa*, & desumitur, seu ex communi doctorum hominum consensu firmata, repetiturque in primo Poster. cap. 2. XII.

quæ

quæ tamen vehementer turbauit omnes expositores, qui cum in ea viderent repeti easdem voces, quæ in illa maiori fuerunt positæ, repeti autem cum diuersitate. Primò, ibi positæ sunt cum disiunctione, hic autem efferuntur copulatiuè: Secundò, ibi non est vox *prima*, hic verò additur. Tertiò, hic exprimitur quidam ordo, & progressus a causis, & principijs *vsque ad elementa*, qui quidem progressus in illa maiori nullus est; propterea abierunt in varias, ac diuersas opiniones.

Ante omnia non est hoc loco audiendus Auerr. qui voces, *principia, causas, & elementa*, nunc adiectas, existimat accipi hic ab Arist. in alia, ac diuersa significatione, quàm accipiebantur in maiori propositione, & propterea eas effert cum varietate. Hoc ab omni veritate abest, quia tunc Arist. nos fœda æquiuocatione deciperet, si in tam breui contextu tribus voculis in alio quidem significatu vteretur in maiori, in alio autem in eius probatione. Capit itaque illas voces in eadem significatione, vt etiam exponunt Simplic. Philopon. & D. Thom. Quo supposito, illi qui per principia, causas, & elementa in maiori intellexerunt quatuor genera causarum, dicunt, hunc esse huius probationis sensum. Materia est propter formam, forma est ab agente, agens agit propter finem: quocirca a fine progredimur ad agens, ab agente ad formam, ab hac deinque ad materiam. Ob id tunc dicimur vnamquamque rem cognoscere, cum cognouerimus omnes eius quatuor causas, a primis vsque ad vltimas: ideòque adijcitur vox *prima*, & indicatur etiam ille progressus.

At verò cum superius patefecerim, tria illa vocabula, *principia, causas, & elementa*, nequiquam coarctari ad quatuor genera causarum, ideò hæc responsio suis auctoribus relinquatur: quemadmodum ipse relinquo permultas alias multorum imaginationes. sed vnam Iacobi Zab. quin hic subijciam, continere me nequeo, vt vel hinc dispicias, qualem, & quantam hic fidem in exponendo Eximio auctore Arist. mereatur. *Ego*, inquit, *puto, quod Arist. per hæc tria vocabula idem significet, videlicet sola prima, & remotissima principia, quæ & prima principia, & primas causas, & elementa appellat: & ideò particula, Et, in his verbis repetita, non sit coniunctiua, sed declaratiua, & pro, (idest) vt sensus verborum sit, tunc enim putamus cognoscere vnamquamque rem, quando cognouerimus causas eius primas, id est principia prima, id est, cum vsque ad elementa peruenerimus. Propterea dictio illa, vsque, non notat ordinem a causis, & principijs ad elementa, sed potius a causis proximis, quæ hic non nominantur, ad supremas, & remotas*. hæc ille.

Quibus in verbis quid confutem, aut quid omittam? Primùm falsum est, tres illas voces significare idem, vt retro etiam aperui. Deinde inauditum est, particulam, Et, esse notam declaratiuam, ac poni pro, idest. Adhæc vehementer hallucinatur hic auctor, dum causas primas, & principia prima sumit pro remotissimis, vt nunc audies. Sileo reliqua.

Existimo itaque, Aristotelem præfata verbis, XIII. *tunc enim arbitramur &c.* omninò velle nobis describere id, quod in primo Poster. tex. 6. posuerat in definitione scientiæ, *tunc arbitramur scire simpliciter, & non sophistico modo, cum causam, propter quam res est, cognouerimus*. Causa propter quam res est, proculdubio est causa propria, proxima, atque immediata, vt vel ex ipsa definitione demonstrationis, ibidem in tex. 9. tradita, animaduertere licet, quod sit *ex veris, primis, immediatis*. Hanc causam propriam proximam, immediatamque appellat Arist. in præsent. tex. *primam*, consimili ratione principia propria, proxima, & immediata vocat *prima*. Porrò scire oportet, quod, causa prima, gemino modo dicitur. Vno quidem comparatione ad causas secundas, quo pacto causa prima significat causam vniuersalem, ac remotam: Altero modo dicitur prima respectu effectus, & significat causam proximam effectui, atque immediatam, & est illa, quæ exprimit causam, propter quam res est; qua nimirum cognita atque comprehensa, nihil vlterius relinquitur interrogandum. Totum hoc luculenter explicat Stagirites lib. secundo huius operis tex. 27. dum ait. *Cum sciendi gratia hoc negotium sit, scire autem non prius arbitramur vnumquodque, quàm nouerimus propter quid de vnoquoque: Hoc autem est, cognoscere primam causam*. Hanc eandem causam in tex. 48. eiusdem lib. appellat *summam*, illis notis, *Oportet semper causam vniuscuiusq; summam quærere, vt & in alijs*. Adhibet exemplum. *vt homo ædificat, quoniam ædificator est; ædificator autem est secundum ædificandi artem. Hæc igitur prior causa est, & sic in omnibus*. In hoc ergo significatu capitur dictio *prima*, in verbis, quæ nunc interpretamur, & non in eo quod cum Auerr. imaginatur Zab. & quidam alij, quod *prima* hic sit causa remotissima. Sensus igitur est, tunc arbitramur cognoscere vnamquamq; rem, cum cognouerimus eius causas primas, idest proprias, proximas, & immediatas quæ nobis ipsum propter quid res illa est exponunt. Eodem pacto cum deprehenderimus principia rei, non quælibet, sed prima, ac immediata; atque ita processerimus vsque ad elementa, videl. vsque ad ea, quæ rem primò componunt, & in quæ ea resoluitur.

Perpende 2. quod Auctor in maiori illa absolutè XIV. dixit, principia, & causas, *Quarum sunt principia, aut causæ*, in confirmatione verò illius adiungit *prima*. Quod ea arte facit; & ratio est, quia in maiori referebat principia ad totam Methodum ac scientiam: Modo principia alicuius totius scientiæ non sunt nisi prima: iccircò non debuit adijcere *prima*, sic de causis. In probatione autem illius nõ amplius loquitur de tota facultate, sed descendit ad cognoscendum vnumquodque scibile particulare, *tunc*, inquit, *arbitramur cognoscere vnumquodque*.

Et quia quodnis scibile particulare potest habere principia tum prima,ac immediata,tum etiam remota, & codem pacto causas cùm proximas, tum remotás, propterea necessè habuit exprimere *causas primas, & principia prima*.

Perpende 3. oculatum Auctoris dicendi modum, *manifestum est, quod & ea, quæ sunt circa principia scientiæ, quæ de Natura est, determinare tentandum*. Cur non tentandum determinare ipsa principia, sed *ea, quæ sunt circa principia*? An quia esse principia rerum naturalium ceu perspectum supponitur,discutienda autē sunt alia theoremata circa ipsa, vt eorum conditio, numerus, habitudo inter se, idque genus alia?

Perpende 4. in græco codic. esse quattuor verba diuersa, *εἰδέναι, ἐπίστασθαι, γνωρίζειν*, & *γινώσκειν*, quorum tria latinitati donata sunt vnico verbo *cognoscere*: & Arist. in sua lingua ea profert cum quadam differentia, quæ tamen in latino haud apparet. Nam *γνωρίζειν*, tribuit cognitioni principiorum tum in prima propositione, tum in eius confirmatione. In illa quidem, cum ait, cognoscere, & scire nobis contingere *ἐκ τοῦ ταῦτα γνωρίζειν*, ex eo quod hæc cognouerimus: In probatione verò, tunc arbitramur cognoscere, *ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα*, quando causas cognouerimus primas. Quo quidem verbo in Analyt. quoque Poster. in cognitione principiorum ferè semper vtitur. Reliqua tria applicat cognitioni, quæ est ex principijs: inter quæ hoc etiam est discrimen, quod *εἰδέναι* datur cognitioni absolutè: *ἐπίστασθαι* autem pressè tribuitur soli cognitioni scientificæ; sic etiam accipitur hoc loco *γινώσκειν*. Porrò *γνωρίζειν*, non temerè cognitioni principiorum appropriatur, sed quia, vt Simplic. scribit ad tex. 2. principia non cognoscuntur scientificè, sed leuiori cognitione, cum non deprehenduntur per causas, sed per nobis notiora. Vel potius, vt ego existimo, quia cognitio principiorum est nobis notior, ac pænè familiarior. dicimus enim etiam vulgari lingua græca, ea *γνωρίζειν*, quæ nobis existunt familiaria. Verùm de hoc tex. plura fortasse dixi, quàm mecum ipse constitueram, sed non plura quàm vellem. Atque vtinam mihi liceret omnia Stagiritæ opera sic minutatim expendere, sed non licet, nec fortassè fieri deberet, quia opus in immensum intumesceret: & exclamaret quispiam. *Quis leget hæc?* quare sit.

TEXTVS II.



Nnata autem est ex notioribus nobis via, & manifestioribus ad notiora, & manifestiora natura: Non enim eadem sunt nobis nota, & simpliciter. Propterea necessè est, nos in hunc modum progredi, ex his, quæ natura minus sunt manifesta, nobis autem manifestiora, ad manifestiora natura: & notiora.

I. Quid in hoc, & tribus sequentibus contex. Auctor agat, non conuenit inter expositores. Sunt qui contendunt, eum velle patefacere ordinem, quem in enodandis principijs rerum naturalium seruaturus sit, ita Philopon. D. Thom. & complures Latinorum. Alij contra, non ordinem, sed methodum, aiunt, tradi inueniendi principia rerum naturalium. Vtramque interpretationem integrè subijciam, vt tuo arbitrio possis vtramque pensitare, sed prius adnotare lubet, quid ordo, & quid methodus sit.

Ordo nihil est aliud, quàm conueniens partium, siue scibilium dispositio secundum prius, & posterius, vsque ad vnum primum. Ordo autem, quantum ad præsens attinet, alius est naturæ, alius doctrinæ. Ille est, cum res ea prioritate prosequimur, & explicamus, qua illæ a natura dispositæ sunt: ordo verò doctrinæ est, cum ita progredimur in declarandis quibusdam rebus, quemadmodum illæ facilius, & commodius queunt explicari. Vtrumque vides in tractatione V. G. sensuum externorum Enimuerò ordo naturæ seruatur, si primò dicas de tactu, deinde de gustu, postea de olfactu, tum de auditu, postremò de visu, quemadmodum eos sensus explicuerunt Plato in Timæo, & Auic. lib. sexto Natural. si à primo loco expendas visum, postea auditum, deinde olfactum, tum gustatum, & deniq; tactum, vt facit Arist. in secundo de Anim. a tex. 66. ordo doctrinæ est.

Methodus autem, seu via doctrinæ significat quēdam progressum a notiori ad ignotius per illationem; sicut fit in syllogismis, cum ex præmissis progredimur ad conclusionem; Vel saltem significat necessariam progressionem, vt accidit in diuisione. Qui enim dicit, animal, aut est rationale, statim tenetur subiungere, aut irrationale; quoniam ea est probæ diuisionis lex, vt fiat per oppositas differentias. Hinc vides, methodum semper esse cum aliquali illatione, ordinem verò cum nulla. Vnde haud temerè aliqui ex eo descriminant ordinem a methodo, quod in ordine post vnum declaratur aliud, in methodo per vnum declaratur aliud. His adnotatis.

Exponitur textus secundum opinionem Philoponi, & D. Thomæ.

II. AVctores prioris opinionis textū cum præced. ita nectunt. Dixit Arist. in superiori tex. primùm in naturali Philosophia agendū esse de principijs, quia ea, quæ sunt principijs prædita, sciuntur ex perceptione illorum. Posset quispiam dubitare, cum principia multiplicis conditionis sint, nimirum alia communia, alia magis communia, a quibus vnquā principijs incipere debeamus? a communioribus ne, an verò a minus communibus? Occurrit

Arist.

Digitized by Google

Arist., & ostendit in his quattuor contex. incipiendum esse a communioribus, & ab ijs progrediendum ad minus communia: id quod etiam cum sæpe alibi, tum maximè in primo de Partib. animal. cap. 1. præcepit. Et ratio huius dicti est, quia nisi hoc pacto res explicentur, necessario eueniet, vt idem iterum, atque iterum repetatur? Hanc ergo conclusionem colligit in his quattuor contex. per tres syllogismos: in quorum vlt. in tex. 4. contento ponit expressè dictam conclusionem, dum ait, *Propterea ex vniuersalibus ad singula procedere oportet.*

Cape etiam modum, quo Philosoph. iuxta hos expositores progrediatur. In hoc secundo tex. sic arguit. Ab ijs est progrediendum in doctrinis tradendis, a quibus est nobis insitum a natura, vt progrediamur: sed a natura nobis insita via est, vt a notioribus, & manifestioribus nobis ad notiora, & manifestiora na ura progrediamur, ergo ab his est progrediendum. Primam propositionem subticuit. Minorem verò expressit in primis verbis tex. *Innata autem est* &c. consequentiam autem adiecit, *proptere a necess: est, nos in hunc modum progredi, ex his quæ natura minus sunt manifesta, nobis autem* &c. Et rationem tam minoris, quàm conseq. reddit illis verbis, *quia non eadem sunt nobis nota, & simpliciter.*

In tex. 3. *sunt autem primùm nobis nota, & manifesta confusa magis: posterius autem* &c. subsumit hoc pacto. A notioribus nobis ad ea, quæ sunt sui natura notiora, procedendum est: Notiora nobis sunt magis confusa: quare a magis confusis est procedendum. Maior probata fuit in superiori syllog smo. Minorem autem probat illis verbis, *posterius autem nota ex his fiunt elementa, & principia, diuidentibus hæc.* Nos primò cognoscimus totum, postea ipsius principia, & elementa, idest partes. Hasenim deprehendimus diuidendo totum. Nemo autè diu du id, quod non nouit th ne si, v. prius totum deinde eius partes apprehendamus. Atqui totum, est quoddam confusum respectu suarum partium: vnde colligitur, a confusis, siue a magis confusis esse nobis progrediendum.

Tandem in tex 4. *Propterea ex vniuersalibus ad singula procedere oportet*, statuit intentam conclusionem, ad quam quidem fulciendam ita quasi subsumit. A mag s confusis ad minus confusa est nobis procedendum: Communiora, & vniuersaliora sunt magis confusa, ergo a communioribus, & vniuersalioribus est procedendum. Prima propositio est conclusio præced. syllogismi: Minorem nu é non expressit, quia manifestum est, communiora, & vniuersaliora esse quædam confusa, cum sint quædam tota, & sub se ceu partes potentia contineant minus vniuersalia. Affert deinde tria exempla, vt adbuc illustret, vniuersaliora esse nobis notiora. Primum, quod sit ex toto sensibili, iacet in tex. 4., reliqua autem duo in tex. 5.

Hanc expositionem dupliciter confirmat S. Thom. in fine sui com. Primò, quia intentio Philosophi in toto hoc proæmio debet iungi & continuari ad vnum: Hanc autè cõtinuationem sola hæc expositio facit: Illa autem alia explicatio dum partem proæmij tribuit ordini, partem verò methodo, distrahit, ac diuellit ipsum proæmium.

Secundò, quia methodus procedendi in naturali Philosophia aperitur ab Arist. in secundo lib. huius operis, dum in tex. 19. enucleatur via definiendi res physicas per materiam, & formam. Et in tex. 70. declaratur modus physicè demonstrandi, nimirum per omnes quattuor causas, ergo hic a tex. 2. vsque ad totum 5. declaratur solus ordo seruandus in explicatione principiorum.

Veruntamen hæc structura haud est assecuta excellens Stagiritæ artificium in hoc exordio, in quo, quidem, vt iam aperui, Arist. tria facit. Proponit rem tractandam: tum ordinem tractationis: & insuper methodum. Priora duo absoluit in primo tex. postremum autem exequitur ab hoc 2. tex. III

Neque verò ob id exordium Stagiritæ erit distractum, vt D. Thom. arguit. Immò longè emicat excellentius, quia plura complectitur, eaque enucleat luculentius. Et si ratio D. Thom. valeret, iam omnia oratorum exordia erunt distracta, ac vitiosa, cum in ijs efficiatur auditor docilis, attentus, beneuolus, quæ plura sunt.

Ad 2. falsum est, methodum progrediendi in naturali Philosophia, & noscendi eius principia tradi in secundo lib. Dic age, nonne iam processisset in Philosophia naturali ad eum vsque locum, & iam deprehendisset eius principia, vt re ipsa deprehendit in hoc primo lib. quid ergo opus foret post factum dare consilium, & post inuenta dare methodum inueniendi? In tex. autem illo 19 nullam methodum tradit cognoscendi, & inueniendi principia, sed declarat modum definiendi res naturales. In tex. autè 70. ostendit, Physicũ resoluere sua quæsita in omnes quattuor causas. Qua autè methodo principia indaganda sint, nisi hic aperuisset, profectò nusquam aperuisset.

Vera textuum expositio.

Germanam nihilominus horum textuum interpretationem dederunt Alex. Simplic. & Auerr. IV dum aiunt, hos tex. esse de methodo inueniendorum principiorum. Quocirca & hunc secundum tex. ita cum primo nectunt. Constituit Arist. primùm agendum esse de principijs, quia prædita principijs, per principia cognoscuntur. Statim ambigeret aliquis, & quidem rationabiliter. At ipsa principia quo vnquam pacto, aut qua via assequi, & cognoscere valemus, cum ea non habeant alia principia. Occurrit, & patefacit methodum, ac viam doctrinæ hæc inueniendi & cognoscendi.

Ponit itaque in hoc tex. Primò modum naturalem nostræ cognitionis etiam in cognoscendis principijs. Deinde occurrit tacitæ petitioni. Postremò colligit methodum, qua quidem ad deprehendenda & cognoscenda principia procedi debeamus.

Primum ita concluditur. Quandocunque ignoramus aliquid, quod nobis per principia, aut causas innotescere nequit, confugiendum est ad modum naturalem nostræ cognitionis: In scientia naturali ignoramus principia, quorum nnulla per alia principia, & causas innotescere nobis nequit, ergo cõfugiendum est in eorum inuestigatione ad naturalem modum nostræ cognitionis: Modus naturalis nostræ cognitionis est, vt progrediamur *ex notioribus nobis, & manifestioribus, ad notiora & manifestiora natura*. hoc ergo pacto inuestiganda nobis, & cognoscenda sunt initia scientiæ, quæ de natura est.

III Petere aliquis: Cur Auctor ita loquatur? *ex notioribus nobis ad notiora natura*. Respondet, *quia non eadem sunt nobis nota, & simpliciter*. Ratio est in promptu, quia illa sunt simpliciter, siue natura nota, quæ sunt simpliciora, illa autem sunt nobis nota, quæ sunt sensibilia, siue composita, de quo re infra. Non eadem autem sunt simpliciora, & sensibilia, seu composita, quare non eadem sunt nobis, & simpliciter nota.

Tandem concludit methodum hic seruandam. Illa methodus in proposito seruanda est, quæ nos ducit ad cognitionem principiorum, quæ nobis sunt ignota: Methodus a notioribus nobis, & manifestioribus ad notiora, & manifestiora natura, ducit nos in cognitionem principiorum, quæ nobis sunt ignota, *quare necesse est, nos in hunc modum progredi ex his, quæ natura minus sunt manifesta &c.*

Adnotationes circa tex. 2.

V. QVæ sunt notiora natura, & quæ nobis, erit inferius ex instituto discutiendum; interea nota, methodum hic ab Arist. simpliciter appellari ὁδὸν, viam, id est, a noto ad ignotum: eamque nobis per naturam esse inditam. Non enim ex doctrina, vel assuetudine habemus, vt per notiora nobis progrediamur, sed ipsa natura doce, id facimus. Quem quidem procedendi modum idem Auctor sæpe alibi tradidit, vt in quin-

VI to Metaphys. tex. 1. in septimo eiusdem operis tex. 10. in secundo de Anim. tex. 1. in primo Poster. tex. 12. & lib. secundo in fine, in primo Ethic. cap. 2. vbi hæc omnino scribit. *Neque etiam id nos lateat, differre inter se disputationes, quæ vel a principijs sunt, vel ad principia. Recte enim etiam Plato de hoc dubitabat, quærebatque, Vtrum ne ab initijs, an ad initia via esset? perinde atque in stadio a muneratijs ne ad metam, an e contrario. Nam a notis est incipiendum, ea autem duobus modis sunt: alia enim sunt nobis, alia absolute, ac simpliciter nota. Fortassis igitur ab ijs nobis est incipiendum, quæ nobis nota sunt.* Plato autem id idem sæpenumero tradidit, vt in sexto de Repub. in Sophysta, in Epistolis, alibi. Vnde etiam præcipit ascendendum esse a nomine ad rationem, a ratione ad simulacra, ab his ad scientiam, a scientia demum ad intelligentiam. &c.

Porro vt penitus huius doctrinæ necessitatem comprehendas, aduerte quod omnia, quæ cognoscuntur, aut ex se, & sine vlla sui probatione creduntur, aut ex alijs fidem accipiunt. Prioris conditionis sunt dignitates, definitiones, propositiones immediatæ, quæ quidem simpliciter conceduntur omnibus concessa, & paruæ circumferentiæ. Posterioris autem classis sunt cuncta, quæ per syllogismum quocunque modo eruuntur. Principia rerum naturalium, de quibus incumbit sermo, non sunt in prima classe: alioquin de ijs non existerent tam variæ, & discrepantes Philosophorum opiniones. Debent itaque per alia cognosci, siue fidem ex alijs astruere. Ea, ex quibus habitura sunt fidem, proculdubio debent esse notiora, siquidem vel ipsa natura duce, semper fit progressus a notiori, ac manifestiori ad ignotius. Notiora autem, & manifestiora alia sunt simpliciter, alia solum quo ad nos. Principia non possumus deprehendere, & cognoscere per notiora natura, tum quia hæc non sunt nobis nota, tum etiam, quia cum cognoscimus aliquid per notiora natura, cognoscimus illud a priori, quod porrò est cognoscere per principia, & causas: Principia autem non habent principia: relinquitur ergo, vt illa deprehendamus, & cognoscamus solum a notioribus & manifestioribus nobis, id est a posteriori, & vt simplic. & Auere. loquuntur, a signo.

Sic ergo Philosophus Naturalis inuestigat, & deprehendit principia rerum natura constantium. Vbi autem ea deprehendit, regreditur, & ex ijs colligit, demonstratque a priori conclusiones: in quo quidem regressu imitatur progressum Naturæ, quæ proficiscitur a principijs ad principiata, & a causis ad causata: & in tali regressu propriè posita est cognitio scientifica. Doctrina est Philosophi in sexto Topic. cap. 1. de qua inferius plura.

TEXTVS III.

S*Unt aut nobis primum nota, & manifesta confusa magis: posterius autem nota ex his fiunt elementa, & principia diuidentibus hæc.*

Annectit in hoc textu minorem pro syllogismo inceptio in tex. præced. Et explicat modum, quo a confusis progredimur ad distincta, quæ quærimus. Integra Stagiritæ ratio ita struitur. Ad cognoscenda principia scientiæ de natura, quæ nobis existunt ignota, natura autem nota, progrediendum est a notioribus nobis, & manifestioribus ad notiora, & manifestiora natura: Atqui confusa magis sunt nobis primum nota, ac manifesta, proindeque notiora nobis, & manifestiora, quare a confusis magis est progre-

progrediendum ad cognitionem principiorũ scientiæ de natura. Prima propositio est in tex. proxime antegresso, omnia. Secunda vero iacet in principio huius tex.

At poster quispiam quærere. Quo vnquam pacto a confusis magis progrediemur ad eam, quam habere cupimus principiorum cognitionem?

Explicat hunc modum, *posterius autem &c.* progrediemur, inquit, & deprehendemus elementa, & principia, quæ quærimus, si diuidamus ipsa confusa. Quid ita? quia confusum est quoddam totum: nobis autem primum est notum totum, quàm eius partes, vt in tex. seq. dicitur. Si quidem cuius vnquam principia, & partes inquirat aut consideret aliquis, si ipsum totum non nouit? Si itaque confusi, ac totius elementa, & principia deprehendere cupis, diuide ipsum confusum, ac totum, & hac via peruenies, quò peruenire optabas.

Digressio circa tex. 3.

Quid Auctor intelligat per confusa: *Cur dicat* confusa magis: *Et quid hic Diuisio?*

I. QVid sibi Stagirites per confusa velit, tanta est inter expositores dissensio, vt plane confusionem pepererit. D. Thom. per confusa intelligit vniuersalia physica, quæ sunt vnum in multis. Nam illud dicitur confusum, quod in se virtute, ac indistinctè continet alia; Vniuersalia verò præhabent in se potentia, ac indistinctè suas species. Vnde etiam qui scit aliquid in vniuersali, dicitur, illud scire indistinctè, ac confusè; postea cognitio tum demum distinguitur, & absoluitur, cum vnumquodque eorum, quæ potestate ac indistinctè in vniuersali continebantur, actu, & in se ipso cognoscitur.

Simplic. nomine confusorum intelligit composita, & hæc refert ad sensum: sic enim in suo com. habet. *Quę autem principia magis exprimunt, & elementa, sunt composita ex eis, & totum vniuersum, quod suas partes consequitur, & sunt nobis longè notiora composita, & confusa, quàm componentia eorum, & simplicia. Equidem propterea quod composita sensu percipimus, & multi eandem cognitionem exploratiorem, exquisitioremque, ac ferè in manibus habent. Simplicia verò mente comprehendi apta sunt. Etenim animal vnumquodque, & plantam, mox breuique cognoscimus, quod hoc sit homo, hoc equus, hæc ficus, vel vitis, comprehenditur, & videtur. Veruntamen hæc cum quatuor elementis constent, modo non erit omnino hæc exactè cuiuslis scire &c.*

Eodem pacto Auerr. per confusa intelligit *composita causata ex elementis*. Ratio vtriusque huius positionis erit. Primò, quia composita continent partes, quæ sunt interna eorundem principia, & elementa, idest materia, & forma, de quibus Arist. proponit agendum in hoc lib. secundò quia, si tale confusum diuidas, statim inuenies principia, & elementa, quæ in scientia naturali quæruntur. Hinc aliqui, inter quos versatur etiam Franc. Vicomer. vt noui quippiam in Repub. litteraria viderentur asportasse, dixerunt in hunc Arist. locum irrepsisse mendum, & ab eo fuisse scriptum συγκείμενα, quod significat composita; scriptorum verò librariorumue incuria esse repositum συγκεχυμένα, confusa. Quæ correctio nulla est. Tum quia nulla græcorum, aut etiam latinorum codicum fide nititur; Tum quia priorem lectionem amplexati sunt legitimi interpretes omnes ad hanc vsque diem.

A supradicta confusi interpretatione haud dissidere videtur Philoponus, qui quidem per confusa intelligit particularia indeterminata, seu vaga, quæ, inde vult, ab Stagirite appellari vniuersalia in tex. sequ. quia huiusmodi particularia, inquit Philopon. pro vt significant indistinctè, ac indefinitè differunt a singularibus determinatis, quæ potiùs determinatè important hoc, aut illud indiuiduum; Rursus, quia cadunt in plura, idcirco ab se possunt nuncupari vniuersalia. Adhibet itaque illud exemplum, *vt cum aliquod animal eminus, vel hominem intuemur, indistinctè, confuseq; cognoscimus; quoniam quoddam animal potest esse homo, equus, & cæterorum animalium vnumquodque. Eodem etiam modo aliquis homo potest esse Plato, Alcibiades, vel aliquis alter. Prima igitur nobis est confusorum cognitio. Nam Socratem cum eminus ipse videam, illum prius cognosco aliquod animal esse, & hac ratione ipsius cognitio, quę animal est, confusa habetur, siquidem quoddam animal quoduis aliorum animalium esse queat. Deinde cum propius accesserit, quem dicam esse aliquem hominem, hoc rursus ratione, & si ab alijs animalibus separetur, confusam nihilominus habeo illius cognitionem; nam aliquis homo, aliorum hominum quicunque esse queat. Quamprimum tamen huic cognitioni confusæ peculiares Socratis proprietates adiunxero, mox eius exactissimam, certissimamque cognitionem assequar.* Hæc Philopon. Alij alio pacto edisserunt, quorum imaginationes in medium afferre, superuacaneum puto. II.

Equidem existimo, Aristotelem per *confusa* non intelligere solum vniuersale, vt S. Thomas exponit sed neq; intelligere solum composita, & particularia, indeterminata, vt Simplic. Auerr. & Philopon. opinantur, sed indicare aliquid vtriq; id est, & vniuersali, & particulari commune: Hoc tamen discrimine, quod secundum cognitionem sensitiuam, confusum, quod nobis est primum notum, sit compositum particulare indeterminatum: secundum intellectum autem, confusum sit ipsum vniuersale, & magis confusum sit magis vniuersale, quemadmodum infra in quæst. de Primo cognito dicam. III.

Pro qua quidem interpretatione animaduertendum est, quod ea propriè nuncupantur confusa, IV.

quæ

quæ inter se commiscentur, & confunduntur, veluti aqua, & mel in mulso. Postea confusum etiam dicitur illud, quod ex ijs ita commixtis consurgit: propterea quod continet in se illa miscibilia confusè, & indistinctè inter se se commixta. Porrò dupliciter contingit, aliquid continere in se alia. Aut continet actu, & hocpacto compositum continet principia, & elementa, ex quibus actu coalescit. quippè actu ego nunc habeo V. G. & materiam, & formam. Aut continet tantum potentia, & hoc modo vniuersale complectitur sua inferiora. Modo Philosophus per confusa vtrumq; hoc confusum intelligit, videl. & confusum actu, & confusum potentia: illud est primùm notum per sensum, hoc per intellectum, vt intellectus est.

Hanc autem esse germanam Stagiritæ mentem ostendo primò, quia ait, confusa esse primum nota *nobis*. Perpendenda est vox, *nobis*; Nos cognoscimus primùm confusa, tam per sensum, quàm per intellectum: quandoquidem præditi sumus duplici hac potentia cognoscitiua, ergo Arist. per confusa non intelligit solum vniuersalia, quæ attingimus per intellectum, sed neque intelligit solum composita, & particularia, quæ per sensum, apprehendimus, sed indicat vtrunque confusum.

Ostendo 2. Id Arist. denotat in tex. 3. per confusa, de quo statim in sequentib. texub. tractat. At in textib. immediate sequ. tractat tam de vniuersali, quàm de particulari confuso. Et quidem de confusis vniuersalibus in tex. 4. de compositis autem, ac particularibus confusis agit tum in eodem tex. 4. tum in tex. 5. vt eo loci aparebit, ergo hæc vtraque intelligit hic per confusa.

Ostendo 3. Illud in præsens nomine confusi debemus intelligere, ex cuius notitia, velut a notiori nobis inducimur in cognitionem principiorum. Sed tam ex vniuersalibus, quàm ex compositis prouehimur in cognitionem principiorum; Vtraq; igitur hæc per confusa debemus intelligere. Minor prob. Et quidem ex compositis, quia diuidendo, ac resoluendo ea, comprehendimus principia, & elementa, quemadmodum ipsemet Auctor ait in tex. Nam *sic cognoscere compositum arbitramur, cum cognoscimus ex quibus, & quot sit*. ait idem Philosophus in tex. 35. Ita vniuersalia & communia viuidè ducunt nos in eorumdem principiorum comprehensionem, quatenus ex illis, vt a communibus, ac confusis descendimus per diuisionem ad distincta, & determinata: quemadmodum ipsemet Philosoph. (ne longè abeam) facit hic a tex. 6. dum accipit principia, aut esse vnum, aut plura: aut finita, aut infinita: aut mobilia, aut immobilia. Hoc quippè confusum quippiam est: Deinde reiectis membris inutilibus, determinat, & conditionem, & numerum, & modum principiorum.

IV. Vidit, vt ego opinor, Simplic. hanc expositionem, quod videl. Arist. per confusa, quæ ait esse *primùm nobis nota*, intelligat tum composita, seu particularia, tum etiam vniuersalia. Et quidem de compositis, iam ipsius verba nuper a nobis habes exscripta. Hæc nimirùm esse nobis notiora, & *primùm nota* secundum sensum: qua de re adhibet etiam in com. 4. exemplum illud de homine, *quem eminus per aliquam intercapedinem aduenientem intuemur &c.* Post quod quidem exemplum ita subdit de vniuersalibus. *Simile autem est vniuersale ipsi toti, quatenus habet confusam compositionem, constitutionemque multorum componentium ipsum, ceu sunt prates in toto. Vniuersale igitur vt compositum, & confusum notius nobis est, & velut quo ad nostram cognitionem primùm; sicut etiam est natura posterius siquidem fiat post singularia.* Quibus in verbis liquidò conspicis, vniuersale comparari ipsi toti, & apellari confusum, quia habet compositionem, & constitutionem multorum, quæ illud componunt, & omninò id nobis esse notius, & quo ad nostram cognitionem primùm. Hic porrò sermo est de cognitione intellectiua. Verùm de confusis hæc satis.

At iam dices, cur Stagirites loquitur comparatiuè? dum ait, primùm esse nobis nota *confusa magis*. An quia confusum ad duo referri potest? Primò refertur ad distinctum, tanquam ad oppositum; secundò potest referri ad magis, aut minus confusum, vt ergo Philosoph. ambo hæc cõplecteretur, ita locutus est, ac si dicat. Si fiat comparatio inter confusum, & distinctum, primùm est nobis notum ipsum confusum: sin autem fiat inter ipsa confusa, quod magis confusum est, id erit nobis primùm notum.

Postremò nomine diuisionis, dum ait fieri nobis nota elementa, & principia *diuidentibus* hæc confusa, intelligit, & complectitur tam diuisionem propriè dictam, quàm resolutionem. Nam vt V.
refertur ad composita, propriè est resolutio, quæ quidem est reductio vniuscuiusq; rei compositæ in ea, ex quibus compositio facta est: Sic resoluimus mixtum in elementa, sic effectus in suas causas, sic conclusiones in præmissas: Et in hac significatione vtitur Arist. nomine diuisionis etiam in tex. 5. dum ait, *definitionem diuidere definitum in sua principia, & elementa*. Compertum quippe est, quod definitio non diuidit, sed resoluit definitum in ea, ex quibus definitur. Quia igitur per confusa intelligit composita, vt exposui, quæ syncerè resoluuntur, iccircò diuisionis nomen vsurpat pro resolutione. At quia per eadem confusa denotat etiam communia, & vniuersalia, quorum est propria diuisio, diuidimus enim vel genus in suas species, vel æquiuoca in sua æquiuocata, propter hanc rationem etiam posuit diuisionis vocem.

Vult itaque dicere, quod accipientes confusa, quæ nobis sunt primùm nota, eaque resoluendo, aut diuidendo, inuenimus principia, & elementa, quæ quærimus.

TEX.

TEXTVS IV.



Propterea ex vniuersalibus ad singularia procedere oportet. Totum enim secundum sensum notius est: vniuersale autem totum quoddam est, multa enim comprehendit vt partes ipsum vniuersale.

I. Contextus hic in varias distrahitur expositiones ac proinde variis quoque modis cum praeced. connectitur. Mihi propositum non est, aliorum, vt ille ait, scrinia compilare: illorum interpretamenta apud eos ipsos, si vacat, & lubet, leges. Connectam, & exponam ea, vt mihi annectendus, & exponendus videtur.

Quod ad nexum attinet, constituerat Arist. in tex. proximè antegresso, procedendum nobis esse ad inuestigandum principia ex *confusis magis*, propterea quod ea sint *nobis primùm nota*. Per confusa autem, vt iam aperui, duo intelligebat; nempe vniuersalia, quae sunt confusa potentia, & composita, seu particularia indeterminata, quae sunt confusa actu. Modo pergit vtraque haec dilucidare, quomodo videl. ista confusa sint nobis notiora: quod efficit tribus rationibus, contentis in hoc 4. tex. & in sequenti.

Vnde in praesenti contex. duo facit. Primò colligit conclusionem de vno confuso, id est de vniuersali: Id quod conspicuè denotat dictio illatiua *διὸ, propterea*, indicans id colligi ex antecedentibus. Deinde probat, hoc confusum esse nobis notius.

Primum hoc pacto eruitur. Dictum est, a confusis esse progrediendum ad inuenienda principia. Sed vniuersalia sunt confusa. ergo *ex vniuersalibus procedere oportet ad singularia*.

II. Secundum verò ita conficitur. Sicut se habet totum sensibile ad sensum, ita totum intelligibile ad intellectum. Nam, vt in tertio de Anim. tex. 3. legimus, *similiter se habet, sicut sensitiuum ad sensibilia, sic intellectus ad intelligibilia*. Sed totum sensibile est notius nobis secundum sensum, quàm eius partes. quare & totum intelligibile erit notius secundum intellectum, quàm partes illius. Vniuersale autem est quoddam totum intelligibile, ergo vniuersale est notius intellectui. Quod autem vniuersale sit quoddam totum, probat, *Multa enim comprehendit vt partes ipsum vniuersale*. sic extende. Totum est, quod continet partes: Vniuersale continet partes, quandoquidem sub se comprehendit multas species vniuersale igitur quoddam totum est.

TEXTVS V.



Ratiuntur autem hoc idem quodammodo & nomina ad definitionem, totum enim quoddam, & indistinctè significant, vt circulus. Definitio autem ipsius diuidit in singula. Et pueri primùm quidem omnes viros appellant patres. & feminas matres, postea autem determinant horum vnumquodque.

Continuatio tex. iuxta nostram expositionem, est manifesta. Constituerat in tex. 3. confusa magis esse nobis notiora: & confusorum nomine duo intelligebat; id est, vniuersalia, quae sunt confusa potentia, & particularia indeterminata, quae sunt confusa actu. Deinde aperuit primum membrum in tex. 4 ostendendo confusa vniuersalia esse nobis notiora secundum intellectum. Quare institutum eius in praes. tex. est, explicare secundum membrum videl. confusa actu esse nobis notiora secundum sensum, Quod faciet duabus rationibus. I.

Prima depromitur ex significatione, quam nomina rerum nobis faciunt. Nam res aliqua, V.G. homo, indicatur nobis tum per nomen, tum per definitionem. Per nomen, cum dico, homo. Per definitionem autem, cum effero animal rationale: Quae duo ita discriminantur, quod vox homo, significat tale compositum solummodo confusè: definitio autem illud idem resoluit in sua simplicia, & aperit distincta eius principia. *Nam ratio, cuius nomen est signum, definitio est rei*, inquit Philosophus in quinto Metaph. tex. 2. Hinc fit, vt expressio rei facta per nomen, sit nobis notior, familiarior, & rudibus etiam hominum perspecta. Indicatio verò per definitionem haud est ita trita, sed sapientibus tantum nota, & vt loquitur Arist. in sexto Topic. cap 3. *est subtilis, & excellentis cognitionis*. Hanc doctrinam illustrat Stagirites in hoc tex. exemplo circuli. Quotusquisque enim est, qui quid hoc nomen, circulus, significat, nesciat? At verò eius definitionem, quod nimirum sit figura plana, in cuius medio sit punctum, a quo omnes lineae rectae ad circumferentiam protractae, sint aequales, pauci admodum norunt. Ita quid denotet homo, neminem hominum fugit: at eius definitio non omnibus est inspecta; rudes enim homines, & rustici eam non tenent.

Ratio itaque hoc pacto formari potest. Sicut se habet nomen alicuius rei ad eiusdem definitionem, ita se habet confusum ad distinctum: Sed indicatio, quae fit per nomen, est nobis notior, & familiarior, quàm sit ea, quae fit per definitionem; Immò verò absolutè est primùm nobis nota: nam primùm debemus cognoscere aliquid, postea illud definire, ergo confusum est nobis notius, quam distin-

distinctum. Probatio maioris est ibi, *nomina totum quoddam, & indistinctè significant*. Tale autem, vt supra diximus, est ipsum confusum: definitio verò resoluendo significat seorsim, & distinctè. sic ergo se habet nomen alicuius rei ad eiusdem definitionem, sicut confusum ad distinctum.

II. Secunda ratio. *Et pueri primùm quidem &c.* desumitur a toto aggregato ex multis singularibus confusè, & indistinctè comprehensis, quod quidem vel ipsa natura duce primùm cognoscimus, quàm singulare determinatum ipsius. Et sic formatur. Tota collectio, & aggregatio ex omnibus viris est quoddam confusum, hic autem, vel ille homo determinatus est aliquid distinctum: Ita tota aggregatio ex omnibus fœminis respectu huius, aut illius feminæ determinatæ. Sed pueri, in quibus naturæ vis valida viget, in prima, ac tenella ætate primùm apprehendunt collectionem hominum, ac fœminarum, ideòque omnes viros appellant patres, & omnes fœminas matres: postea distinguunt, & determinant verum patrem, & veram matrem. ergo euidens est, confusum esse nobis primùm notum, quàm distinctum.

Adnotationes circa tex. 4. & 5.

PErpendo 1. quod dum Auctor in tex. 4. ait, *totum esse notius secundum sensum*, non opponit *secundum sensum* illi, quod est notius secundum intellectum, vt opponit cùm sæpe alibi, tum præsertim in tex. 49. huius lib. cum ait, *vniuersale secundum rationem notum est, singulare autem secundum sensum*, Sed denotat, totum esse sensu notius, quàm eius ipsius partes. Cuius dicti ratio est, quia totum validius, ac statim ferit sensum, quàm quæuis eius pars. de qua re plura inferius.

III. Perpendo 2. quod vniuersale vocat ὅλον τι. totum quoddam. Addit *quoddam*, quia vniuersale minus latè patet, quàm totum absolutè captum. Nam totum respondet confuso: confusum autem, vt retro monui, est & ipsum vniuersale, & etiam particulare compositum indeterminatum: ideò merito Arist. coarctat vniuersale per dictionem, *quoddam*, vt illud ab altero toto secernat. Vel alio pacto. Vniuersale dicitur *totum quoddam*, quia est quasi diminutè totum: siquidem totum compositum, cum sit actu partibus præditum, verè & propriè nuncupatur totum: commune autem & vniuersale actu quidem censetur aliquid simplex, solum verò potentia continet partes.

In tex. 5. considera modum dicendi Arist. qui in referendis pueris, qui omnes viros appellant patres, & omnes fœminas matres, vtitur voce τὰ παιδία, diminutiua, quia hoc faciunt puelluli, ac penè infantes, dum vix, aut ne vix fari incipiunt. Quò spectans Latinus poeta cecinit.

Incipe parue puer risu dignoscere matrem.

Perpend. vlt. quod hæc ratio est pulcherrima, quia depromitur ex ea ætate, in qua naturam sequimur; in eaque refulgent quammaximè vires, & proprietates naturæ. Hinc Epicurus pueros vocabat naturæ speculum. At neque id prætereundum quod verba illa πέπονθε δὲ ταὐτὸ τοῦτο τρόπον τινὰ καὶ τὰ ὀνόματα, parùm aptè efferuntur latine, *patiuntur autem hoc idem quodammodo, & nomina*. Dicerem. Accidit hoc idem quodammodo, & nominibus. Vel, faciunt hoc idem quodammodo, & nomina respectu definitionis. Nam πεπονθεν, & πάσχω, inter alia significata habet etiam ista. Exempla huius significationis multa attuli in lib. de Triplic. Statu Anim. Disput. 9. sect. 5. ad illa Stagiritæ verba, ex tertio de Anim. tex. 17. ὅσον ἡ τέχνη πρὸς τὴν ὕλην πέπονθε.

QVAESTIO I.

Vtrum ad perfectam alicuius rei cognitionem necesse sit cognoscere omnes illius causas.



HVic quæstioni ansam dedit Arist. dum in tex. 1. ait, *Tunc enim arbitramur cognoscere vnumquodque, cum causas primas cognouerimus; & principia prima, & vsque ad elementa*. Titulus autem quæstionis gemino modo potest intelligi. Vno quidem, Vtrumne ad habendam perfectam, ac scientificam alicuius rei cognitionem necessum sit, cognoscere omnes illius causas, videlicet omnes quatuor eius causas, materialem, formalem, efficientem, finem? Altero autem, num sit necesse, cognoscere omnes eius ipsius causas, id est, in vnoquoque genere causæ deprendere eius causas, tam proximas, quàm remotas, ad primam vsque, V. G. in genere causæ effectricis, aut formalis sit nobis ab infima causa effectrice, aut formali progrediendum, vsque ad primum efficiens, & primam formam, ad hoc, vt aliquid perfectè, & scientificè cognoscamus? I

SECTIO I.

Argumenta in vtramque partem pro vtroque sensu nunc explicato.

PArs affirmatiua in vtroque sensu his rationibus suadetur. Primò, quia sic Arist. videtur determinare. Et quidem in priori sensu, quoniam tres illæ voces, *principia, causæ, & elementa*, iuxta communem interpretum expositionem, significant quatuor genera causarum: At Philosophus ait, cognitionem, & scientiam haberi *ex horum cognitione*. quare ad perfectam, ac scientifi- II.

cam

Digitized by Google

nam cognitionem de aliqua re, necesse est cognoscere omnes quatuor illius causas.

In posteriori etiam sensu colligitur ex eiusdem probatione, videl. tunc arbitramur cognoscere vnumquodque, cum cognouerimus *causas primas, & principia prima, & vsque ad elementa.* Quibus quidem verbis Arist. non modo asseuerat, debere cognosci causas primas, & principia prima, sed indicat etiam progressum *vsque ad elementa*.

Deinde, eadem pars prob. ratione: & quidem in priori sensu. Res sicuti sunt, ita cognoscuntur, siquidem ex secundo Metaphys. tex. 4. *vt secundum esse vnumquodq; se habet, ita secundum veritatem*. Res autem præsertim naturales, sunt per omnes quatuor causas, quare per easdem etiam debent cognosci: alioqui non cognoscerentur perfectè.

In posteriori etiam sensu prob. Nemo dicitur perfectè quicquam scire, nisi illud resoluat vsq; ad prima principia, vt explicatur in primo lib. Poster. cap. 2. At rem ita resoluere, est cognoscere omnes eius causas in vnoquoq; genere, incipiendo ab infima, & progrediendo vsque ad primam, ergo &c.

Accedit, quod Arist. sæpenumero statuit, quod si principia forent infinita, nos principiata haud possemus cognoscere. Sic habet cùm alibi sæpe, tum in tex. 35. & 50. huius libri. *Infinita*, inquit, *principia non sunt, quoniam neq; scibile, quod est, erit*. Sentit igitur ad hoc, vt perfectè quippiam cognoscamus, nos debere progredi a principiatis, vsque ad prima principia, & primas causas.

III. Pars autem negatiua, in vtroq; eodem sensu, hoc pacto prob. Et quidem non requiri omnium quatuor causarum cognitionem, sic ostendo. Scientia Mathematica habet exactam cognitionem sui obiecti: Et nihilominus de tali obiecto non deprehendit omnes quatuor causas, quia Mathematica procedit solum per causam formalem, vt hoc loco affirmat Auerr., & nos etiam diximus.

Deinde, Metaphysica est omnium scientiarum regina, *cuius est*, vt loquitur Arist. in quart. Metaphys. tex. 4., *posse de omnibus speculari*. Nihilominus non expendit res per omnes quatuor causas. Quid ita? quia Metaphysica abstrahit a quacunque materia tam sensibili, quàm intelligibili, vt docemus septimo Metaphys. tex. 36. & lib. vndecimo cap. 3., non igitur considerat causam materialem: Abstrahit etiam a motu: neque igitur contemplatur efficiens, quia efficiens est, *vnde principium mutationis primum, aut quietis*. secundo Phys. tex. 29.

Præterea, definitio naturalis parit perfectam rei definitæ cognitionem: *nam definitionem habens, sine demonstratione sciet*. inquit Philosophus in secundo Poster. tex. 13. & in secundo de Anima tex. 12. legimus, *quod non solùm ipsum, quod sit oportet definitiuam rationem ostendere, sed & causam inesse, & apparere*. At definitio est per solam formam, & materiam, vt auctor est Philosophus octauo Metaphys. tex. 9. illis verbis, *Quare substantia, est quidem cuius contingit definitionem, & rationem esse, vt puta composita, siue sensibilis, siue intellectualis sit; ex quibus autem hoc primis, non est: siquidem aliquid de aliquo significat ratio definitiua: & oportet hoc quidem vt materiam, illud verò vt formam esse.* Adde, quod demonstratio gignit scientiam, *est enim demonstratio syllogismus faciens scire*. ex primo Poster. tex. 8. Demonstratio autem, etiam naturalis neutiquam exigit omnia genera causarum, sed aptè per vnum duntaxat causæ genus confici potest, quare non requiruntur omnes quatuor causæ, vt aliquid perfectè, ac scientificè cognoscatur.

In posteriori autem sensu, quod videl. neq; necessum sit deprehendere omnes causas ab infima vsq; ad primam, vel ex eo fit conspicuum, quia in definitionibus non collocantur genera remota, neq; remotæ differentiæ, vt explicat Arist. septimo Metaphys. tex 43. sed sola proxima: & nihilominus per definitionem verè scimus, quemadmodum nunc ostendi, quare non est necesse deprehendi tam propinquas, quàm remotas causas.

Ad hæc, prima rerum causa est Deus benedictus; si igitur ad perfectam cuiuscunque rei cognitionem necessarius esset huiusmodi causarum ascensus vsq; ad primam, profectò nihil omninò possemus scire, cum Deus existat nobis ignotissimus: & intellectus noster perinde se habeat ad illum, *atque oculus vespertilionis ad lumen diei* ex secundo Metaphys. tex. 2. *Ignorato autem primo, nihil reliquorum sciri potest*. primo Poster. cap. 3.

SECTIO II.

Enodatio propositæ difficultatis.

Varij extant hac in re auctorum dicendi modi, IV.
vt videre licet apud laud. hoc loco quæst. 3. Patres Conimbricen quæst. 1. art. 1. Ant. Ruui. quæst. 1., Et plerisq; eorum distinctionum multiplicitate potius inuoluunt rem, quàm enodent. Clarius sic mihi videtur progrediendum.

Accipio primò, quod perfecta alicuius rei cognitio duplex est. Vna quidem est perfecta simpliciter, omniq; ex parte, seu in omni genere: Altera est perfecta solùm in vno aliquo determinato sciendi genere. Priorem Doctores nostri appellant comprehensiuam, de qua agit D. Thomas in prima part. quæst. 12. art. 7., & quæst. 14. art. 3., & lib. secundo cont. Gent. cap. 1. & ad ea loca scholastici, & ex D. August. epistol. 112. est, *quando cognitione cognoscentis finitur res*: Vel quando *ita aliquid cognoscitur, vt nihil eius lateat videntem*. Et S. Thomas in illo art. 3. *Tunc*, inquit, *dicitur aliquid comprehendi, quando peruenitur ad finē cognitionis ipsius, & hoc est quando res cognoscitur ita perfectè, sicut cognoscibilis est, sicut propositio demonstrabilis comprehenditur, quando scitur per demonstrationem, non autem quando cognoscitur per aliquam rationem probabilem*. Eodem tenore explicat cognitionem comprehensiuam in art. 7. cit. quæst. 12. his omninò. *Illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur: perfectè autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantùm est cognoscibile. Vnde si id, quod est cognoscibile per scientiam demonstratiuam, opinione teneatur ex aliqua ratione pro-*

babili concepta, non comprehenditur: puta si hoc, quod est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, aliquis sciat per demonstrationem, comprehendit illud: si verò aliquis eius opinionem accipiat probabiliter, per hoc, quod a sapientibus, vel pluribus ita dicitur, non comprehendit ipsum: quia non pertingit ad illum perfectum modum cognitionis, quo cognoscibile est. Hæc intelliguntur de comprehensione propriè dicta, quæ significatio ducta est per metaphoram a rebus corporeis, quando vna ambit, & comprehendit aliam: comprehensio autem impropriè, vt adnotat D. Thom. in art. 7. cit. ad 1. idem pollet, atq; assequutio: sic beati dicuntur comprehensores.

Cognitio autē perfecta solùm in aliquo determinato sciendi genere attēditur penès rationē formalem obiecti talis, aut talis scientiæ. Quę cognitionis distinctio in perfectam simpliciter, & in genere, potest illustrari ex doctrina Arist. quinto Metaphys. tex. 21. quo loci recensens varias perfecti acceptiones, ait, vno modo dici perfectum simpliciter, alio autem modo dici perfectum in genere. *Quæcunque igitur per se perfecta dicuntur, toties dicuntur. Quædam, eò quod secundum benè in nullo deficiunt, nec habent in aliquo genere excessum, nec est quicquam extra*, hoc est perfectam simpliciter t subdit, *quædam autem eò quod omnino in vnoquoq; genere excessum non habent, nec quicquam est extra.*

V. Præterea, causarum aliæ quidem sunt per se, aliæ verò per accidens, vt explicat Philosophus lib. secundo huius operis tex. 50., & lib. quinto tex. 1. & lib. octau. tex. 27., & quinto Metaphys. cap. 3. Causæ per se dicuntur, a quibus per se effectus dependent. Sic homo est causa per se hominis a se generati, & pictor est causa per se picturæ, quam ille depinxit: Causæ autem ex accidente sunt, a quibus effectus non per se dependent, sed quæ accidunt causis per se, quo pacto grammaticum Sophronisci, patris Socratis, est causa per accidens Socratis; & vt Stagirites loquitur in tex. illo 50. *ipsius domus per se quidem est ædificatiuum, secundum accidens autem album, aut musicum*. His ita constitutis.

VI. Dico 1. ad perfectam rei cognitionem non requiritur perceptio causarum per accidens. Assertio est Philosophi loc. cit. Et ratio est, quia causæ per accidens possunt circa eamdem rem infinitæ contingere, *nam causa per se*, inquit Arist. in calce illius tex. 50. *est definita, quæ autem secundum accidens, indefinita: infinita enim vni accident.* Infinita autem non modo non debent, sed nec possunt cognosci, ex eodem Arist. lib. primo Phys. tex. 35. Deinde, illa requiruntur ad cognoscendum rem aliquam perfectè, a quibus res illa in esse dependet, etenim, vt colligitur ex secundo Metaphys. tex. 4. *vt res se habet ad esse, ita ad cognosci.* Nihil autem dependet in suo esse ab ijs, quæ eidem contingunt per accidens.

VII. Dico 2. Ad cognitionem alicuius rei perfectam simpliciter, & comprehensiuam, necesse est cognoscere omnes quatuor illius causas, & etiam omnes causas, tam proximas, quàm remotas, a quibus essentialiter pendet: tum omnia prædicata essentialia eiusdem, nec non omnes passiones, omnes facultates, & omnes perfectiones, & effectus, qui in naturali eius potentia continentur.

Ita colligunt Doctores ex S. Thom. in prim. part. quæst. 12. commemorata, art. 7. & lib. secundo contr. Gent. cap. 1., & lib. tertio cap. 58., de quare adi Ferrar. ad cap. illa 1. & 58. Domin. Soto in quarto sent. distin. 49. quæst. 3. P. Suarez ad illos art. 3. & 7. PP. Conimbr. quæst. 1. cit. art. 1. conclus. 4. Et ratio est euidens, quia nisi res hoc pacto cognoscatur, non finietur cognitione cognoscentis; & aliquid illius latebit videntem, & non cognoscetur quantum cognoscibilis est: ergo non comprehenderetur: debet igitur secundum omnia prædicta cognosci, si comprehendi debet.

Circa quam conclusionem aduerte 1. nos consultò addidisse, quod comprehendens teneatur cognoscere omnes perfectiones, & effectus, *qui continentur in naturali potentia* eius, quod comprehenditur vt vid. excluderemus eas perfectiones, & effectus, qui eidem conuenire possunt secundum potentiam obedientialem: illa etenim; quemadmodum existunt supra naturam, ita nec requiruntur ad naturalem eiusdem rei comprehensionem.

Aduerte 2. quod cum afferimus ad eamdem comprehensionem exigi perceptionem omnium effectuum, & perfectionum, non intelligimus, quod comprehendens debeat distinctè cognoscere omnes rei comprehendendæ effectus in numero, & omnes perfectiones itidem in numero, præsertim si sint respectiuæ, at sat fuerit, si cognoscat virtutem rei comprehensæ, & effectus in specie, quousq; vis illa potest extendi. V. G. comprehendat aliquis artem lignariam Petri, haud habet necesse distinctè deprehendere in particulari omnes formas, ac figuras artificiales, quas ille per dictam artem potest in diuersas materias introducere, hæ namq; infinitæ possent esse, sed satis est cognoscere virtutem, secundum summum illius gradum, & quod eadèm est ratio de hoc effectu, ac de alijs. Ita dum Angelus de facto comprehendit potentiam meam visiuam, aut meum intellectum, haud est necesse distinctè, & in particulari complecti omnes visiones, & intellectiones, quas aliquando possum elicere, sed abundè, sufficit si distinctè cognoscat, & comprehendat vim meam visiuam, & intellectum secundum vltimum sui, & etiam obiectum formale visus, & intellectus idest colorem, & ens, prout est obiectum intellectus. Ita qui comprehendit continuum, aut materiam primam, non obstringitur cognoscere omnia, in quæ illud continuum in particulari potest diuidi, & in particulari omnes formas substantiales, a quibus materia prima potest perfici, sed voti sui sit compos, si sua cognitione finiat quidditatem continui, & quidditatem materiæ primæ, & insuper cognoscat communem rationem formæ substantialis, a qua dicta materia perficitur. Verùm de hac re hic haud plura: quare.

Tran.

Digitized by Google

VIII. Transeo ad cognitionem perfectã limitatã in aliquo determinato sciendi genere, de qua duas profero cõclusiones. Prima est de priori quæstionis sensu, & est huiusmodi. Quando ratio formalis obiecti alicuius scientiæ includit omnia quatuor genera causarum, tunc quicunque vult perfectè rem in ea scientia cognoscere, necesse habet deprehendere omnes quatuor causas illius: si autem ratio formalis obiecti talis scientiæ non includit omnia quatuor genera causarum, sed tantum aliqua, satis est ad perfectam cognitionem in ea scientia, cognoscere rem per illa solum genera causæ, quæ in illa scientia includuntur V. G. genus sciendi Physices, seu ratio formalis obiecti eius, complectitur omnes quatuor causas, vt constat ex secundo Phys. in tractat. de causis, ob id Philosophus naturalis, vt naturalia perfectè cognoscat, debet vtique omnes quatuor eorum causas deprehendere: Quemadmodum etiam probat Philosophus ex professo in eodem secundo Phys. tex. 70. E contra autem in ratione formali obiecti Mathematicarum non comprehenduntur omnia causarum genera, sed dumtaxat causa formalis, & materialis, vt cũ Alexandro Aphrod., Auerr., & S Thom. suo loco dicam, ideircò qui per eam solam causam aliquod Mathematicum theorema cognoscit, is porrò perfectè, ac scientificè illud cognoscit.

Ratio pro vtraque assertionis parte, vel ex eo adhiberi potest, quòd *perfectum*, ex Arist. secundo de Cælo tex. 23. *illud dicitur, extra quod nihil eorum, quæ ipsius sunt, possibile est accipere*. At si in ratione formali alicuius scientiæ includuntur omnia quatuor causarum genera, & cognitio non esset per omnia illa, tunc relinqueretur extra illam aliquid eorum, quæ ipsius sunt: quare illa cognitio non esset perfecta. Ex opposito, quando ratio formalis obiecti scientiæ non complectitur omnes quatuor causas, sed solùm aliquas; & cognitio celebratur solùm per illas causas, quæ in ea ratione comprehenduntur, etiam tunc nihil est extra eam cognitionem eorum, quæ ipsius sunt; ergo etiam illa est perfecta.

Potest hæc eadem assertio ex alio quoque capite commonstrari. Tunc perfectè scimus aliquid, cum cessat quæstio propter quid. In re autem naturali cognoscenda non cessat quæstio propter quid, nisi cum fuerint acceptæ omnes quatuor illius causæ. Huc etiam spectant duæ illæ rationes ab Stagirite adductæ in secundo Phys. tex. 70. ad ostendendum Philosophum naturalem per omnes quatuor causas expatiari, quarum prima est. Philosophus naturalis considerat res naturales, prout sunt. Res autem naturales sunt per omnes quatuor causas. Secunda, Philosophus naturalis, expendit ea omnia, de quibus facit quæstionem propter quid: facit autem quæstionem propter quid, de omnibus quatuor causis. In alijs autem scientijs non debet inquiri ea causa, quæ in ea scientia nullatenus includitur.

IX. Quod si obijcias. Cum quispiam in Physica struit demonstrationem per vnam tantum causam, veluti cum dico, omne compositum ex contrarijs est dissolubile, habet perfectam, ac scientificam cognitionem, quandoquidem demonstratio facit perfectè scire: non igitur expostulatur perceptio omnium quatuor causarum.

Occurrendum est, quod habet quidem perfectam cognitionem de illo composito, solùm secundum vnam, ac particularem rationem, non autem habet perfectam in genere sciendi Physices: cur? quoniam illud compositum physicum, de quo constructa est præfata demonstratio, est adhuc physicè cognoscibile per alias rationes, & causas physicas: quæ quidem causæ nisi deprehendantur, non cessat omnis quæstio physica de illo composito: proindeque illud non est absolutè, & exactè in tali scientia cognitum. Vel dic. quod cognitio habita per demonstrationem ex vna tantum causa, est quidem perfecta ex parte cognoscentis, quia in eo gignit scientiam: at non est perfecta ex parte rei cognitæ, cum illa res possit adhuc per alias demonstrationes in eadem scientia cognosci.

Secunda nostra assertio spectat posteriorem quæstionis intellectum, & est huiusmodi. Ad perfectam cognitionem cuiuspiam rei in vno determinato sciendi genere, non est necesse retexere, ac resoluere causas illas, vsque ad eam, quæ est prima causa absolutè, sed abundè sat fuerit, si resoluas vsque ad primam, in tali genere, quæ includitur in ratione formali illius scientiæ. X.

Vtraque huius asserti pars est conspicua: Et quidem prior liquet in Mathematicis, V.G., quæ quidem exactè conficiunt suas demonstrationes absq; vllo recursu ad primam causam absolutè, quæ est Deus. Posterior quoque pars est manifesta, cum in quacunque scientia ea, quæ sunt proxima, neutiquam valeant distinctè cognosci sine priorum, ac præcedentium notitia. *Etenim*, vt loquitur Stagirites in primo Poster. tex. 16., *si scimus per prima, & credimus, & illa scimus, & credimus magis: quoniam per illa, & posteriora.* Et in tex. 19. *Si verò*, inquit, *non est prima scire, neque quæ ex his sunt, est scire simpliciter, neque propriè, sed ex suppositione, si illa sint.*

SECTIO III.

Explicantur argumenta in prima Sect. pro vtraque parte quæstionis confecta.
Quorum occasione explicatur, quasnam causas considerat Mathematicus, & quas Metaphysicus?

EX his liquet, quonam pacto depellenda sint argumenta, initio quæst. constructa. Ad 1. respond. Aristotelem per illa tria vocabula, *principia, causas, & elementa*, haud denotare quatuor genera causarum, (quamquam communis interpretum sensus censeat denotari) quemadmodum in expositione textus illius enucleaui. Præterea XI.

Digitized by Google

etiamsi præfatis verbis innueret quatuor genera causarum, adhuc est intelligendum, quando illæ causæ includuntur in ratione formali obiecti scientiæ, vt in tertia conclus. dixi. Eodem modo dicendum est ad aliud, videl. *causas primas, & principia prima, & vsque ad elementa.* intelligit quippè resoluendum esse non vsque ad primam causam absolutè, sed vsque ad primam in tali scientia, quemadmodum in vlt. conclus. ostendi. Quid? causa prima in illis verbis significat causam proximam, & immediatam, vt ibi exposui.

Ad primam rationem conspicua itidem est solutio ex tertia nostra assertione. Res naturales sunt per omnes quatuor causas, per easdem igitur a Philosopho naturali etiam deprehendendæ sunt, si ritè, scientificè, & absolutè cognosci debent. Quo fit, vt vnumquodque sicuti se habet ad esse, ita etiam ad cognitionem. Res autem Mathematicæ non comprehendunt omnia quatuor genera causarum, sed solùm causam formalem, ac materialem. Formalem, inquam, & materialem, non physicam, sed abstractam ab omni materia sensibili, & ab omni motu, propter quam rationem excludunt etiam causam efficientem, quæ ex secundo Phys. tex. 29., & tertio Metaphys. tex. 3. & alibi sæpe, *est vnde principium motus.*

Respuunt etiam causam finalem propriè dictam. Non enim Mathematicus ostendit figuram, V. G. circulum, sic esse construendam, quia sic eum strui melius sit, quemadmodum demonstramus in naturalibus, quod melius V. G. sit, vt homo habeat manus, quia hoc pacto melius potest conceptus animi sui exequi: Ita in artificialibus commonstramus, quod melius est fundamenta domus sterni firma, ac materiæ solidæ, quòd eo modo melius parietum pondus, tectique sostinebunt. In Mathematicis autem nulla huiuscemodi conficitur demonstratio, quod isthuc ita sit, quoniam melius est ita esse, aut deterius, si ita non foret; Absordè namque ratiocinaretur, qui diceret, quod angulus in semicirculo est rectus, propterea quia melius sit, eum sic esse, quàm si esset acutus, aut obtusus. *Et nugari videbitur, si quis conetur ostendere, quod circulo sit melius habere lineas æquales, quæ ex centro prodeunt, quadrato autem eas, quæ ipsum continent.* inquit Aphrodis. relatus a Simplic. in secundo Phys. com. 55 Conspicuum itaq; est, Mathematicas neque efficientem causam, neque propriè finalem obtinere.

XII. Vtramque hanc causam, effectricem, inquam, ac finalem, expressè reijcit Arist. a Mathematicis in tertio Metaphys. tex. 3. cit. Cum enim vertisset in dubium *vtrum vnius, an plurium scientiarum sit, omnia causarum genera speculari.* subnectit duas causas pro parte negatiua, quarum prima erat communis, & logica, vt eo loci animaduertit Auerr. altera autem est, *& quia multis eorum, quæ sunt, non insunt omnia;* & quia dantur complura entia, in quibus non inueniuntur omnia quatuor genera causarum. Quod quidem dictum probat; Et quod spectat ad causam effectricem, cum ait, *quomodo namque possibile est, motus principium in immobilibus esse?* Per immobilia intelligit Mathematica, & quæ ponebantur a Pythagoræis, & Platonicis seiuncta; cuiusmodi erant numeri, & ideæ. Probatio Stagiritæ est. Causa efficiens est id, vnde principium motus; quare quæcunque existunt a motu abstracta, atque immobilia, nulla vnquam ratione habebunt causam efficientem.

De fine etiam probat, neque habent *boni naturam, siquidem omne, quod bonum est, secundum se, & propter suam naturam finis est: atque ita causa, vt illius gratia cætera sint, & fiant: Finis autem, etiam id, cuius gratia cætera fiunt, actionis cuiuspiam finis: actiones autem omnes efficiuntur cum motu: Quare fieri non potest, vt in immobilibus hoc principium aut vllum sit per se bonum. Quapropter & in Mathematicis nihil omninò per hanc ostenditur causam, neque vlla prorsus ex eo fit demonstratio, quia sic est melius, aut deterius.* Dixi, Mathematicas non considerare *finem propriè dictum:* nam ipsæ habent aliquem finem, qui est contemplatio veritatis. Verùm de Mathematicis vberius in. lib. secundo huius operis. Sed reuertor ad solutionem argumentaque.

Ad alteram rationem, in posteriori quæst. sensu de resolutione ad prima vsque principia, neganda est minor, quod nimirum rem resoluere, sit cognoscere omnes eius causas in vnoquoque genere, incipiendo ab infima, & progrediendo vsque ad primam: etenim vnusquisque scientificus debet vsque suas conclusiones retexere vsque ad prima, at non absolutè prima, verùm prima in sua scientia, quemadmodum a nobis in vlt. assertione patefactum est. Hinc patet etiam solutio ad confirmationem de infinitate principiorum. Hæc de argum. pro parte affirmatiua inductis.

Ad argumenta autem pro parte negatiua ibidem confecta, & quidem in priori sensu quæst. quod scil. haud exigitur perceptio omnium quatuor causarum ad perfectam rei cuiuspiam cognitionem. XIII.
Ad 1. quod ex Metaphysica depromebatur, conuenit inter omnes, Metaphysicam considerare tria genera causarum, causam formalem, efficientem, & præcipuè finem. Ita S. Thom. ad tex. 1. huius cap., *Metaphysica*, inquit, *demonstrat per causam formalem, & finalem præcipuè, & etiam agentem.* Alber. Mag. lib. 3. tract. 3. cap. 1. P. Suarez. Tom. 1. suæ Metaphys. disput. 1. sect. 4. Peter. lib. 3. suæ Phys. cap. 5. Conimbric. in proæm. ad hos lib. quæst. 1. art. 6. Ruui. ad hoc cap. quæst. 2. Et est expressa sententia Philosophi cùm sæpe alibi, tum in primo Metaphys. cap. 2., & lib. tertio tex. 3. quo loci de Metaphysica hæc omninò scribit. *Verùm quatenus principalissima, & honorabilissima cui cæteras scientias, tanquam ancillas non contradicere debet, illa est ipsius finis, & boni. Huius enim causa cætera.* Hæc translatio est ex lectione græca, quam sequutus est Bessarion, iuxta quam Stagiritæ ratio hoc pacto struenda est. Scientia, quæ est

princi-

Digitized by Google

principalissima, & honorabilissima, (græcè *ἡγεμονικωτάτη maximè rectrix*, seu maximè *gubernatrix*,) & cui alias scientias, quæ illi veluti ancillæ, deseruiunt, non est fas contradicere, est ipsius finis, & boni: Metaphysica est scientia principalissima, & honorabilissima, cui non est fas, alias scientias, quæ illi famulantur, veluti ancillæ, contradicere: quare Metaphysica contemplatur ipsum finem, & bonum. Subnectit probationem maioris. *Huius enim causa cætera*. Gratia finis, & boni sunt alia omnia. Sic collige: vt se habent scientiæ, ita & obiecta earum, & e contra Metaphysica est scientiarum principalissima, earumque moderatrix: quare etiam eius obiectum erit omnium præcipuum: talis est finis, & bonum, cuius gratia sunt reliqua omnia.

XIV. Deinde probat, eamdem scientiam contemplari causam formalem, dum inquit; *quatenus verò primarum causarum, & eius, quod maximè scibile, definita est esse, ipsa vtique substantiæ fuerit*. Scientia, quæ est primarum causarum, & eius, quod est maximè scibile, *ipsa vtique ipsius substantiæ fuerit*, nempè ea considerat formam, quæ apprimè dicitur substantia: Metaphysica est primarum causarum, & eius, quod est maximè scibile, illa igitur considerat formam. Obiter scito, hæc duo Stagiritæ loca habere etiam aliam lectionem in græcis codd. & aliam expositionem, vt Deo auspice, suo loco dicam: attamen etiam iuxta illam habetur expressè præsens intentum, quod Metaphysica expendit tum finem, tum formam. Quod autem hæc eadem contempletur, secundum proprium modum sui itidem obiecti, causam mouentem, seu effectricem palam est, vel ex lib. duodecim. vbi de intelligentijs cælorum motricibus ex instituto edisserit. De his itaque tribus causis conueniunt auctores.

De materiali autem dissident. Et ratio dissidij est, quia causa materialis nihil est aliud quàm ipsamet materia. At Metaphysica non videtur considerare materiam: enimuero Metaphysica abstrahit ab omni materia tam sensibili, quàm intelligibili, qui igitur potest materiam contemplari?

XV. Hinc varij dicendi modi inter Doctores exorti sunt, vt videre licet apud P. P. Suarez, & Perer. loc. cit. Quidam Metaphysicam in duas scientias partiti sunt, quarum vna solum contemplaretur substantias abstractas, Deum atque intelligentias: Altera expendat decem Categorias, & quæ sub ijs materialia, & composita continentur. Metaphysica igitur hoc, inquiunt, secundo modo spectata, considerat causam materialem: non autem primo.

Alij verò, etsi non distinguunt Metaphysicam in duas scientias, nihilominùs secernunt in ea duplicem rationem, ita vt eademmet Metaphysica partim quidem accipiatur, vt quædam scientia particularis: partim verò vt est scientia vniuersalis, omniumque scientiarum domina, ac regina, vt explicat Philosophus in primo Primæ Philosophiæ cap. 4., & primo Poster. tex. 23. Qua distinctione adiecta, aiunt, Metaphysicam priori modo acceptam considerare causam materialem: posteriori autem non item.

Quæ porrò imaginationes inanes, ac vanæ sunt. Vana est prima opinio, quoniam Philosophus in quarto Metaphys. tex. 7. & lib sexto, tex. 3., & lib. vndec. cap. 1. Metaphysicam facit vnam scientiam: non debet igitur in duas distrahi. Ratio quoque euidens id idem euincit. Nam vnitas cuiuscumque scientiæ depromitur ab vnitate obiecti ipsius formaliter accepti: formale autem obiectum Metaphys. est ipsum ens, prout ens: sic est communis Doctorum sensus, & docet etiam Arist. lib. vndec. Metaphys. cap. 1. cit. Atqui ens, vt ens, comprehendit sub se tam substantias abstractas, quàm decem Categorias. quocirca omnia ista vna scientia Metaphysica contemplatur, ac proinde non debet distrahi in duas.

Sic etiam euincitur secunda sententia. Quippè si vna scientia Metaphysica expendit *omne ens*, si *sa nonit omnia*, vt Philosophus loquitur primo Metaphys. cap. 2., si *eius est*, *posse de omnibus speculari*. ex lib. quarto eiusdem operis tex. 4. si denique *Metaphysicus eodem modo, vt Mathematicus facit circa quantum, versatur circa ens, & huius accidentia, vt est ens, & circa contrarietates ipsius, vt ens*. sicut legimus in cap. 1. lib. vndec. eiusdem voluminis: quid opus est aliam Metaphysices rationem particularem, ac penè dixerim aliam Metaphysicam, seruam ipsiusmet Metaphysices, commentari, quæ contempletur materiam? quemadmodum secunda illa opinio imaginatur?

His itaque explosis, dico, quod Metaphysica, XVI. sicut contemplatur entia a materia abiuncta, sic etiam contemplatur entia materialia, atque adeò materiam ipsam, sed contemplatur eam modo immateriali; idest sub ratione formali sui obiecti, & in sua abstractione; dic vno verbo, contemplatur materiam solùm, prout est quoddam ens. Quocirca hæc duo, (quæ erat ratio difficultatis) non pugnant inter se, quod videl. Metaphysica abstrahat ab omni materia sensibili, & intelligibili, & quod consideret materiam; quia non considerat eam sub ratione materiæ, sed in sua altissima abstractione. Hinc fit, vt omnimoda illa abstractio a materia tollat quidem modum materialem eam considerandi, qualis considerationis modus est in Physica; at non tollat, quin alia sublimior scientia eam ipsam materiam sub altiori ratione contempletur. Sic ergo habes, qua ratione Prima Philosophia cuncta causarum genera speculatur: & eo etiam pacto per ea ipsa cognoscere debet, si cognitio in genere Metaphysices perfecta futura sit. Verùm iam ad solutionem argumentorum reuertamur; quare.

Ad 2. rationem in eod. quæstionis sensu, quæ erat de definitione naturali, respondet Arist. secundo Phys. tex. 70. quo loci cum decreuisset, Philosophum naturalem procedere per omnes quatuor

causas,

Digitized by Google

cauſas, occurrit inſtantia, in cuius ſolutione verſamur, quam quiſpiam poſſet ei objicere, quod definitio naturalis facit ſcire. Hæc autem haud complectitur omnes cauſas, quare Philoſophus naturalis habet ſcientiam ſine perceptione quatuor cauſarum. Et reſponſio eſt, *veniunt autem tres in vnam, &c.* Ex quatuor cauſis, inquit Ariſt. tres conueniunt in vnam. Primò namque forma, & finis ſunt idem numero, & dicitur forma, quatenus elargitur eſſe rei; dicitur autem finis, prout excitauit agens ad agendum, & terminat generationem. Forma poſtea, & efficiens ſunt idem ſpecie, ſiquidem homo generans, & homo genitus, vt loquitur Porphyrius in cap. de Specie, ſunt vnus ſpecie homo. Cum itaque in definitione naturali ſit materia, & forma, aliæ duæ cauſæ implicitæ includuntur. Quid vero? Vbicunque eſt materia phyſica, omninò neceſſè eſt, alias quoque cauſas inueniri. Primò enim materia abſque forma ſubſtantiali in natura conſiſtere haud poteſt: Deinde, forma ab aliquo agente produci debet; agens non operatur, niſi excitatum a fine, ac proinde quicunque in Phyſicis conſiderat materiam, hic porrò trahit in conſiderationem etiam alias tres cauſas. Ad minorem itaque illius arg. cum Ariſt. oct. Metaphyſ. ait, definitionem tradi per ſolam formam, & materiam, loquitur de ijs, quæ in definitione inueniuntur expreſsè.

XVII Ad alterum verò de demonſtratione, iam dixi. Qui enim nactus eſt demonſtrationem per vnam tantùm cauſam, procul dubio habet cognitionem perfectam ſecundum vnam particularem rationem, & ex parte cognoſcentis, non autem habet perfectam in genere illius ſcientiæ, & ex parte rei cognitæ, cum res illa adhuc poſſit in eadem ſcientia per alias cauſas deprehendi.

Ad alia denique duo argumenta quid dicendum ſit, patet ex dictis; & quidem ad prius dico, quod genera intermedia, tum infima includunt ſuperiora; & qui hæc ponit in definitione, etiam ſcit illa; & ſcit hæc reſoluere in ſuperiora, & vſque ad primum in tali genere: Ad poſterius autem etiam liquet, quomodo, haud ſit neceſſè quemlibet ſcientificum ſuas concluſiones retexere vſq; ad cauſam abſolutè primam, vt a nobis in vlt. concluſ. dictum eſt. Atq; de hac quæſt. hæc ſatis. Sit iam.



QVAESTIO II.

Quæ ſunt notiora natura, & quæ nobis. Et an ſemper non eadem ſint nota nobis, & ſimpliciter? *vt in tex. 2. dicitur.*

SECTIO I.

Quid per notius natura intelligi debeat: & quædam opiniones minus probabiles reiectæ.



Nte omnia ſcito, malè in pleriſq; latin. codd. legi, notiora naturæ, quê dicendi modum habet Auerr., & etiam S. Thom. tũ in ſuis codd. tum in com. ad tex. 2. Poſt hos paſſim ruunt alij; & lapſus etiam eſt Pendas. in ſua Textura Phyſica ad primum, & ſecundum lib part. 6. Qui porrò omnes ex eo, opinor, decepti ſunt, quod græcè legerint (modo legerint) τῇ φύσει, in caſu dandi. At hi conſiderare deberent, quod Græci carent ablatiuo, iccircò, τῇ φύσει, latinè verti debet in ſextum caſum, natura, non naturæ, quemadmodum dicimus, δυνάμει, potentia, ἐνεργείᾳ, actu, ἔργῳ, re ipſa, &c. Nec te turbet, quod Ariſt. vtatur articulo, dicens, τῇ φύσει, quaſi aſſerere velit, ipſi naturæ: in qua re offendit etiam Franc. Piccol. quantum ad intelligentiam Ariſt., dum in ad notat. ad tex. 2. hæc habet: *Propterea rectius loquimur, dicendo notius natura, hoc eſt ſui natura, & abſolutè, quàm dicendo, notius naturæ: Ariſt. tamen dixit, notius naturæ, vtens articulo τῇ, vt reſponderet ei, quod dixit notius nobis.* Quæ quidem adnotatio infirma eſt, nam Ariſt. hoc loquendi modo haud ſemel inuenitur vſus, & cum articulo, & ſine articulo, vt videre eſt in vno, & eodem contex. 10. libri ſeptimi Metaphyſ. quo loci, primò ait, ἡ γὰρ μάθησις οὕτω γίνεται πᾶσι, διὰ τῶν ἧττον γνωρίμων φύσει, εἰς τὰ γνώριμα μᾶλλον. *nam diſciplina ita fit omnibus, per minus nota natura ad magis nota*, vbi vides φύσει, ſine articul. deinde poſt quatuor verſus hæc adjicit, οὕτως ἐκ τῶν αὐτῷ γνωριμωτέρων, τὰ τῇ φύσει γνώριμα. *ſic ex ſibi notioribus ea, quæ natura ſunt. &c.* hic vides, τῇ φύσει, cum articulo, ſic etiam loquitur in primo Poſter. tex. 1 a., & alibi: quare conſideratio illa Piccol. inanis eſt. I.

Ex prana itaque illa verſione, & deteriori intelligentia, nonnulli abſonas quaſdam interpretationes excogitauerunt, quæ ſint *notiora natura.* Aliqui II.

conten-

Digitized by Google

contendunt ex Auerr. com. 3. quod ea sint notiora natura, quæ si natura cognosceret, prius intelligeret: quamquam Auerr. in eo com. id haud exprimat: sed solum dicat, quod *causæ sunt notiores apud naturam: quia natura facit composita ex causis: vnde videtur, quod causæ sunt notiores apud illum: sicut est dispositio in rebus artificialibus cum artifice, scil. quoniam causæ sunt cognitiores apud illum*. Alij verò opinati sunt, id dici natura notius, quod est notius Deo, qui est *natura*, (vt illi loquuntur) *naturans*, & natura melior.

Quæ interpretamenta falsa sunt, & quidem prius, quia Arist. absolutè, & sine vlla conditione asseuerat, quædam esse nota nobis; quædam nota natura. Deinde, natura non intelligit, neq; intelliget vnquam: nonquam ergo erunt aliqua notiora natura: Posterius etiam falsom est, quia Deo nihil est prius, aut posterius, nihil magis, aut minus notum. Ex æquo ille omnia tenet, comprehenditque, & vt Apostolus loquitur, *omnia sunt nuda, & aperta oculis eius. Et vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt*. quare dicendum est, quod.

III. Nota natura dicuntur ea, quæ sunt nota secundum se, atque suapte natura, ac conditione existunt conspicua: Hæc sanè contraponuntur ijs, quæ dicuntur nota per comparationem ad nos. Signum huius significationis est, quod Philosophus, quæ in prima tex. parte nuncupauit notiora natura, ea in secunda parte tex. apellat *nota simpliciter*, idest in se ipsis, & non in comparatione ad nos. Eodem pacto vocat *nota simpliciter* in primo Ethic. cap. 4. in primo Poster. tex. 12. in septim. Metaphys. tex. 10., & alibi sæpe.

Sed iam dicage: Quænam sunt huiusmodi entia, quæ secundum se, & ex sui natura sunt nota?

S. Thom. in com. 2. ait, esse ea, *quæ habent plus entitatis, quia vnumquodque cognoscibile est in quantum est ens: Magis autem entia sunt, quæ sunt magis in actu*. Fundamentom itaque S. Doctoris est, quia vnumquodque eatenus est intelligibile, quatenus est ens; ergo quod magis est ens, & habet plus entitatis, id porrò secundum se est magis intelligibile. Sed quæ sunt actu, ea sunt magis entia, & habent plus entitatis, quare quæ sunt actu, & habent plus entitatis, ea sunt secundùm se, & secundum naturam notiora.

Quæ opinio ex eo etiam confirmari potest, quod entia separata sunt maximè in actu, quemadmodum ex duodec. Metaphys. tex. 50. discimus. Illa autem sunt secundum se maximè intelligibilia: *sunt enim manifestissima omnium*, vt legimus in principio libri secundi Metaphys. Nobis autem ex aduerso accidit, quia nos procedimus intelligendo de potentia ad actum: quocirca ea nobis erunt notiora, quæ magis sunt potentia intelligibilia: Omnia autem sensata, ac materialia sunt tantùm potentia intelligibilia, ex tertio de Anim. tex. 16. vnde sensata, ac materialia sunt nobis notiora. Ad hæc, illa sunt nobis notiora, ex quibus incipit nostra cognitio: principium autem nostræ cognitionis est a sensibus, & rebus ipsis, quæ primò sensibus obijciuntur. Hæc porrò sunt sensata, ac materialia: quare hæc sunt nobis notiora.

Quæ explicatio, quantum ad priorem sui partem, IV.
(de posteriore mox audies) quod videl. ea sint natura notiora, quæ plus entitatis habent, & sunt magis in actu, vniuersaliter non est vera. Quod sic ostendo. Materia prima est notior natura, cum sit causa: causæ autem sunt notiores natura, quàm effectus, quippè ordo, & progressio naturæ est a causis ad effectus. At materia prima sortita est minimum entitatis, & secundum se nullo pacto est in actu, auctore eodem D. Thom. cùm sæpe alibi, tum in prima parte quæst. 7. art. 2. ad 3., vbi omnino hæc habet. *Materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantùm*. & secundum Arist. in hoc lib. tex. 79. *est non ens secundum accidens, & est prope, & quodammodo substantia*. quare falsum est, ea esse nota natura, quæ *plus habent entitatis, & sunt magis entia, & magis in actu*.

Secundò, ea sunt notiora natura, ad quæ quidem cognoscenda nos progredimur a notioribus, ac manifestioribus nobis, vt constat ex tex. 2. Nos autem a compositis, & confusis deprehendimus materiam primam. Quod etiam constat ex Arist. tex. 3. asserente, posterius autem ex his, (idest ex compositis, & confusis) *nota fiunt elementa, & principia diuidentibus hæc*. Quod inde etiam conspicuum est, quod nos cognoscimus materiam solùm per analogiam, quemadmodum commonstrat Philosophus in tex. 69. huius lib. materia igitur est notior natura; & enim ea minimum habeat entitatis, neque secundum se sit actu: fateamor necesse est, explicationem illam non esse vniuersaliter veram.

Tertiò, Compositum substantiale habet plus entitatis, & est longè magis in actu, quàm simplicia, ex quibus co flatur. Ecquem vnquam fugit, quod totum sit magis ens, ac aliquid perfectius qualibet sua parte? Partes autem componentes huiusmodi compositum sunt materia, & forma. si igitur illud est natura notius, quod plus entitatis, actus, & perfectionis sortitum est, profectò compositum erit notius natura, quàm simplicia, & componentia ipsum: Hoc verò dictu absurdissimum est, cum causæ, vt dixi, sint notiores natura, quàm causata: ergo &c.

Quartò, si nota natura sunt, quæ plus habent entitatis, & actus, necessè est, ex opposito, ea esse nobis notiora, quæ minus entitatis, & actualitatis habeont. Quod si dederis, tam materia prima erit quoad nos notissima, cum sit minimæ entitatis, nullaque prædita actualitate, Atqui hoc nemo concesserit. Quid verò? Illa ipsa, quæ præfata sententia in secunda sui parte ait, esse nobis notiora, idest sensibilia, ac materialia, nonne obtinent plus entitatis, & se ipsa sunt in actu? Etenim

sunt

Digitized by Google

sunt entia completa, & mouent sensus, vt in se ipsis existunt, quemadmodum declarat Philosophus in secundo de Anim. tex. 60: quare hæc iuxta tenorem primæ partis illus sent. fuerint notiora natura. Non omiserim, quod dictum D. Thom. consonat veritati, solùm secundùm vnam rationem, vt mox aperiam.

V. Ad hanc D. Thomæ opinionem complures alij, etiam extra eius scholam accessere: quorum hi quidem ijsdem penitus verbis eam efferunt, ac tuentur: hi verò diuersis quidem, sed id idem significantibus, veluti PP. Conimbr. quæst. 2. art. 5. *In primis, inquiunt, natura nota ea vocat Arist., quæ perfectiora sunt. Nec verò perfectiora vniuersim, ac simpliciter accipit, sed ea duntaxat, quæ in eadem serie talia sunt, idest minus vniuersalia comparatione magis vniuersalium &c.* Alij verò, inter quos est Ruui quest. 4. natura nota constituunt tum ea, quæ sunt generatione priora, tum ea, quæ sunt instituto, & intentione naturæ priora. Atqui quæ sunt intentione naturæ priora, ea profectò sunt perfectiora, cum natura semper intendat perfectum, vt ostenditur tum alibi, tum secundo de Partib. animal. cap. 10. Quid verò? video doctissimum quoque Piccol. in adnot. ad tex. 2. hic offendisse, cum enim validè se hac in re versasset, tandem hæc scribit. *Quod autem notius natura, & notius nobis semper distinguantur ratione, patet: aliquid enim dicitur nobis notius, quatenus magis sub sensum cadit, notius verò natura, quia absolutè sui natura, suique conditione sit primum, vel origine, vel instituto.* Pendas. autem in sua textura Physic. ad 1. & 2. lib. part. 6. alia via incessit: opinatur notiora natura esse ea, quæ sunt notiora secundum rationem, quæ rerum essentias, & quidditates contemplatur: vnde sic loquitur. *Non dicitur ergo notum natura, quia natura cognoscat, sed quia notum est secundum natura ordinem ex internis causis externum, ac sensibile quoddam edentem, composita scil. & effectus: talem enim sui notitiam rerum natura exposcit, vt perfectè habeatur, quod cum non nisi rationis vi assequamur, iure (vt dixi) natura hoc modo secundum rationem notum appellatur ab Aristotele &c.* Quas quidem opiniones ex industria impugnare, & singillatim ostendere in quo vnaquæq; deficiat, inutilis labor esset: Valida erroria confutatio est ipsa declaratio Veritatis. sit ergo.

SECTIO II.

Explicatio proposita quæst. Et quomodo se habeat via, qua a notioribus nobis, ad notiora natura gradimur.

VI. Accipio 1. notius natura, dici etiam prius natura. At prius natura est duplex. Vnum prioritate originis, vix, generationis: Alterum prioritate finis, instituti, & intentionis. Quæ duo ad inuicem opponuntur, quatenus primum in intentione, est vltimum in executione. Quæ quidem distinctio ex eo colligitur, quia natura dupliciter spectari potest. Primò vt agit propter finem, quemadmodum demonstratur ab Stagirite in secundo Phys. a tex. 75. & hoc pacto finis, siue id, quod intenditur, appellatur prius natura, quoniam finis cunctis in rebus est, qui primò appetitur, suscitatque agens ad agendum, vt explicatur in secundo Phys. tex. 29. vnde in quinto Metaphys. tex. 3. legimus, quod *finalis causa est optimum, & aliarum causarum finis.* Hoc autem, quod natura intendit, profectò est aliquid perfectum, cum ea in suis operationibus *semper intendat id, quod optimum,* vt dicitur cùm alibi, tum in secundo de Cælo tex. 34. Hoc sensu accipit Stagirites Prius natura in octau. Phys. tex. 58. & 75. & lib. primo de Cælo tex. 12. & lib. secudo tex. 25. dum ait, *perfectum prius natura esse imperfecto.* Sic in eodem octau. Phys. tex. 58., & lib. secundo de Partibus animal. cap. 1. *Quæ, inquit, sunt posteriora generatione, hæc natura sunt priora: & quod est primum natura, hoc est vltimum generatione.* Sic nono Metaphys. tex. 15. asserit, *virum esse posteriorem puero generatione, natura autem esse priorem:* sic in secundo de Ort. & Inter. tex 7. visum, & visibile constituit *priora natura ipso tactu, & tangibili.* Et nihilominus constat ex secundo de Anim. tex. 17. & lib tertio cap. vlt. quod *primò inest omnibus animalibus, tactus.* Vno itaque modo sic dicitur prius natura. Secundò eadem natura considera tur vt agens, & operans, qua ratione in suis operibus edendis, vt explicat Arist. secundo de Gener animal. cap 3. progreditur ab imperfectis ad perfectiora, a simplicibus ad composita, a causis ad causata: quo fit, vt ea, quæ sunt priora origine, ac generatione, nempe simplicia, & causæ appellentur etiam priora natura.

Scito 2. priora origine esse in duplici differentia. VII
Quædam nuncupantur priora origine, ac generatione, quoniam sunt ea, ex quibus alia oriuntur per illorum compositionem: Huiusmodi sunt materia, & forma, potentia, & actus, genus, & differentia: ex quibus componuntur, & coalescunt tota physica, Metaphysica, Logica. Quædam verò sunt priora origine, quia licet non ingrediantur compositionem cuiusquam, nihilominus existunt suapte natura priora, atque ab ijs etiam aliquo pacto dependent ea, quæ de nouo procreantur. Talia sunt æterna respectu corruptibilium. Sic nono Metaphys. tex. 17. legimus, *quod æterna priora corruptibilibus substantia sunt.*

Hinc deduc præterea, quod etiam simplicia, (quæ porrò sunt origine priora, quemadmodum indicaui) in duplici quoque existunt differentia. Quædam dicuntur simplicia, propterea quòd excludunt compositionem, sic materia, forma, elementa ipsa corporea, appellantur simplicia, quia non constant ex alijs, sed ex his mista; explicatum quippè est, *simplicia præcedere naturam compositorum.*

Digitized by Google

rum, Nonnulla autem vocantur simplicia, quia elongantur ab omni materialitate: sic intelligentias dicimus simplices formas. Quo sensu Auerr. duodecim. Metaphys. com. 49. *Simplex*, inquit, *omne est non in materia*. His ad notatis.

VIII. Dico 1. Notiora natura, quæ ab Arist. contraponuntur notioribus nobis, sunt ea, quæ sunt priora natura, prioritate originis: siue sunt simplicia, accepta in vtraque illa significatione, quam exposui. Non autem sunt ea, quæ sunt priora natura prioritate intentionis.

Prior pars huius assertionis euidenter colligitur ex his, quæ nunc adnotaui. Præterea sic prob. Et quidem illa priora origine, ex quibus alia componuntur, esse notiora natura, est expressa sententia Aristotelis in tex. 2. & 3. vbi cum constituisset, nos ad hunc modum procedere *ex immanifestioribus quidem natura, nobis autem manifestioribus ad manifestiora natura, & notiora*: dixissetque insuper, nobis primùm esse dilucida, & manifesta *confusa magis*, subdit, *posterius autem ex his nota fiunt elementa, & principia, diuidentibus hæc*. Sic in septimo Metaphys. tex. 10 dicitur, quod *disciplina fit omnibus per minus nota natura ad magis nota*. Ita collige. Principia, & elementa sunt notiora natura, quæ quidem, vt in præfatis tex. asseritur posterius cognoscimus, diuidendo nobis nota: sed principia, & elementa sunt priora origine: ergo priora origine sunt ea notiora natura, de quibus hic Arist. loquitur.

Præterea: In sexto Topic. cap. 3. ex eo probat Arist., definitionem debere constare ex notioribus natura, quoniam debet *constare ex genere, & differentia*: Sentit itaque genus, & differentiam esse notiora natura: Hæc autem sunt priora origine. Deinde Philosophus loco indic. vniuersè ita subiungit. *Quod enim prius est id eo, quod posterius est, notum est simpliciter vt punctum linea, & linea plano, & planum solido, quemadmodum vnitas numero notior est, quia prior est, itemque elementum syllaba*. Et ratio quoque in promptu suppetit. Manifestum enim est, causas, & simplicia esse notiora natura: At præfata priora origine sunt causæ, & simplicia: ergo hæc sunt notiora natura.

IX. Sin autem sermo fit de prioribus origine, & simplicibus, quæ licèt non veniant in alicuius rei compositionem, nihilominus sunt substantia priora, atque simplicia, cuiusmodi sunt entia abstracta, & æterna, etiam est expressa Philosophi mens, quod ea sint notiora natura: Patet ex secundo Metaphys. tex. 2. quo loci intellectus animæ nostræ dicitur se habere, sicut vespertilionum oculi ad lumen diei, *ad ea, quæ manifestissima omnium sunt*. Hæc autem sunt substantiæ abstractæ. Continere me nequeo, quin subijciam verba S. Thom. quæ totam hanc rem mirificè confirmant in decim. Metaphys. lect. 4. quæ sunt. *Simpliciora; quæ sunt notiora naturæ*, (corrige etiam hic, & dic notiora natura) *& priora, cadunt in cognitionem nostram per posterius: & hinc est, quod prima principia, & Deum, non definimus nisi per posteriora*.

Hinc colligo, (ex quo quidem intelliges locum Arist. prim. Poster. tex. 12., qui præclara in Peripato ingenia diu torsit, nec a quoquam, vt opinor, ritè expositus est) quod omnia hæc notiora natura, quæ communi nomine dixi priora origine, & simplicia optimo iure possunt appellari vniuersalia in causando. Et quidem entia abstracta dici, ac esse vniuersalia in causando, est communis Doctorum consensus in Log. tract. de Vniuersal., vt videre licet apud PP. Conimb. in Porphyrium quæst. 1. art. 1. PP. Complut. in Log. disput. 3. Magist. Soto quæst. 1. in Porphyr. Ruui. quæst. 1. Et ratio eorum est, quia *vniuersale in causando est, quia habet vnam ordinem ad plura, vt causa eorum: Huiusmodi est Deus, & aliæ causæ vniuersales*.

Iam verò principia, & elementa rerum Physicarum, materiam, inquam, & formam, quæ itidem sunt priora origine, & simplicia, ac proinde notiora natura, esse, ac dici etiam vniuersalia in causando, eadem ratione euinco, quia multos, & innumeros effectus edunt, quippè hæc principia definita sunt in primo Phys. tex. 42. *esse ea, ex quibus omnia fiunt*. meritò igitur hæc dicentur vniuersalia in causando. Sic etiam genus, & differentiam, propter hanc ipsam rationem dicerem quædam vniuersalia in causando, quia iuncta causant alia. Hæc omnia intelligit Arist. nomine vniuersalium in primo Poster. cit. cum notiora natura vocat vniuersalia, & remotiora, eaque opponit ijs, quæ, vtpote sensui propinquiora, existunt notiora nobis. Locus est tritus: *Dico autem ad nos quidem priora, & notiora, quæ sunt propinquiora sensui: simpliciter autem priora, & notiora, quæ longius. Sunt autem longissimè quidem ipsa maximè vniuersalia: proximè verò ipsa singularia: & opponuntur hæc sibi inuicem*. Propinquiora sensui, & familiariora, ac manifestiora nobis sunt composita, causata, singularia, vt in his verbis vides, & mox audies: quare notiora simpliciter, & secundum naturam sunt simplicia, quæ nos notiora natura constituimus. Hæc profectò opponuntur inter se, & hæc ipsa a nostris sensibus quammaximè distant, ac remotissima existunt. An non cognitu remotissimus Deus, & intelligentiæ? an non materia prima, ad quam via per analogiam pertingimus? an non remotissima forma substantialis, quam nullus attingit sensus? vt decernitur in secundo de Anima tex. 65., & 134. Sic ergo conspicua est prima pars nostræ conclusionis, quod notiora natura sunt ea, quæ sunt natura priora, prioritate originis, eo, quo dixi modo. X.

Digitized by Google

XI. Secuda etiam pars, quod scilicet notiora natura, de quibus hic Arist. loquitur, non sunt ea, quæ sunt priora intentione naturæ, non minus est certa. Enimuero priora, & notiora natora prioritate intentionis, sunt ipsa composita, & effectus: Natora etenim intendit pro conseruatione speciero edere indiuidua. *Naturalissimum operum, quæ in viuentibus, quæcunque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habent, est facere aliud, quale ipsum, animal quidem animal, planta autem plantam, vt ipso semper, & diuino participent, secundum quod possunt: omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia, quæcunque agunt secundum naturam.* inquit Philosophus in secuodo de Anima tex. 34. Atqui composita, effectus, & omninò sensibilia sunt notiora nobis, quemadmodum mox audies; non ergo hæc sunt notiora natura. Hinc vides, malè eos philosophari, quicunq; asseuerant (asseuerant autem quamplurimi, & magni nominis viri) quod etiam priora natora, prioritate intentionis, & instituti dicenda sint notiora natura.

Dico 2. Notiora natura non debent absolutè dici, esse ea, quæ sunt priora, & notiora secundum rationem.

XII. Prob. Primò. Hæc loquotio, *secundum rationem*, est ambigua, quia vox, ratio, complura significata sortita est, vt cuique vel leuiter in Peripato versato liquet. Deinde, Philosophus hæc duo, prius, ac notius natura, & prius ratione inter se distinguit, atque discriminat: aliud igitur est vnum, aliud alterum: alioqoin inaniter conculcaret eadem verba. Assumptum vides in octao. Phys. tex. 75., vbi *perfectum*, dicitur, *esse prius & natura, & ratione, & tempore imperfecto*. Tum in septim. Metaphys. tex. 4. *Substantia* constituitur *prior accidente ratione, cognitione, tempore, & natura*. Quid vero? succurrit locus pulcherrimus, apertusque ex lib. decimotet. Metaphys. cap. 2. in quo Philosophus ita præfata duo nomina inter se distinguit, vt vnum apertè neget de altero. Asserit Arist. eo loco, lineas esse priores ratione corpore: at non omnia, quæ sunt priora ratione, ea esse etiam priora substantia, idest priora natura. En verba. *Ratione itaque prior sit, non tamen omnia, quæcumque ratione priora, substantia quoque priora sunt.* Quod autem per *priora substantia*, intelligat priora natura, habes expresse in eodem cap. bis repetitum. Primò cum ait, *si substantia prius, quod generatione posterius est*. si substantia, idest si natura prius. Secundò, in illis verbis. *Imperfecta magnitudo generatione prior, substantia posterior sit*. Malè igitur Pendal., & quicunque cum eo aiont, notiora natura esse ea, quæ sunt priora, & notiora secundum rationem.

Dico 3. Notiora nobis sunt composita, causata, sensibilia, singularia, effectus ipsi.

XIII. Ita dilucidè tradit Philosophus in tex. illo 2. primi Poster. *Non enim*, inquit, *idem prius natura, & quoad nos, neque notius simpliciter, & nobis notius est. Dico autem quoad nos priora, & notiora, quæ propinquiora sensui sunt*. Propinquiora autem sensui sunt ipsissima illa, quæ in conclus. recensui. Audi etiam explicationem Philosophi: subdit enim hæc omninò, *proximè*, seu propinquissima, *sunt ipsa singularia*. Hæc singularia adhuc explicat in tertio de Anim. tex. 10., dum inquit, *sensitiuo igitur calidum, & frigidum indicat, & quorum ratio quidem ipsa caro*. Et ratio etiam est manifesta, quia cognitio nostra ortum ducit a sensibus, qui sunt particularium, & in se existentium, vt ostenditur in secundo de Anim. tex. 60. Ex huiusque habitis liquet, quæ sunt notiora natura, & quæ nobis.

SECTIO III.

Explicatur via, qua nos progredimur in cognitionibus.

EX quibus satis etiam indicatur dilucidatio XIV
alterius quæsiti, quod in eadem sect. institui explanandum, de via scilicet, qua nos in cognitionibus gradimur. Pro cuius intelligentia, scito, duplicem esse in nobis cognoscendi viam, seu progressionem. Vna est a principiatis, & effectibus ad principia, & causas: Altera a principijs, & causis ad principiata, & effectus; quemadmodum in stadio est duplex, seu via, siue progressio. Vna quidem a carceribus ad metam; Altera verò a meta ad carceres. Dubitauit aliquando Philosophus, & ante eum Plato, quanam via, & a quonam termino esset nobis in cognoscendis rebus progrediendum? Sic refert ipsemet Arist. in primo Ethic. cap 2. *Neque tamen*, inquit, *illud nos lateat, differre inter se disputationes, quæ vel a principijs fiunt, vel ad principia. Rectè enim etiam Plato de hoc dubitabat, quærebatque, vtrumnè a principijs, an ad principia via esset: perinde atque in stadio a muneraryis ne ad metam, an e contrario*. Deinde, adiecta distinctione, quod *alia sint nota nobis, alia absolute, & simpliciter*, determinat, sed cum quadam animi suspensione, *fortasse igitur ab ijs nobis est incipiendum, quæ nobis notiora sunt*. Porrò quod hic dicit *fortasse*, demit in tex. 2. huius lib., & absolutè decernit, *a notioribus nobis* progrediendum esse.

Præfatæ duplici viæ respondet in nobis duplex modus progrediendi. Vnus est nobis naturalis; Alter acquisitus, ac scientificus. Modus naturalis gradiendi in cognitione est, vt nos a principiatis ad

prin-

Digitized by Google

principia; è causatis ad causas, a compositis ad simplicia, a sensibilibus ad ea, quæ sensus fugiunt, procedamus: & sic a notioribus nobis ad notiora natura. Acquisitus verò, ac scientificus modus est, quando postquam deprehenderimus principia, causas, & simplicia, regredimur, & scientifico modo a principijs cognoscimus principiata, per causas causata, per simplicia ipsa composita: in qua regressione immitamur naturam, & procedimus a notioribus natura ad notiora nobis, atq; in hoc consistit vera ratio scientiæ, vt etiam superius innui. Hanc methodum sequutus est vbique Arist., vt quiuis in eius operibus potest animaduertere.

XV. Nunc intelligimus 1. cur Philosophus in tex. 2. priorem viam appellet *nobis innatam*, vt videl. innuat, & excludat aliam viam, quæ quidem arte, ac studio a nobis comparatur.

Intelligimus. 2. id, quod scribit Philosophus in sexto Topic. cap. 3. quod homo aut consideratur in sua naturali conditione, aut quatenus est doctrina, scientiaque instroctus. Homini, primo modo spectato, notiora sunt sensibilia, & composita, ita notius est corpus, quàm superficies: & notior hæc, quàm linea, & adhuc notior hæc puncto: Homini autem doctrina, ac scientia prædito res e contra se habet: propterea quod vir sapiens conformatur cum natura, ac proinde in suis contemplationibus progreditur a puncto ad lineam, ab hac ad superficiem, & omninò a notioribus natura ad ea, quæ nobis, & (vt in eo cap. dicitur) τοῖς πολλοῖς, *multis*, vel (vt scribitur in septimo Metaphys. tex. 10.) ἑκάστοις, *singulis*, idest, multitudini hominum, & hominibus etiam rudibus, existunt nota. Verba Philosophi ex illo cap. 3., quamquam ex parte superius indicaui, quia tamen & assertionem nostram tertiam apertè confirmant, & duplicem hominis conditionem, & progressionem, de qua agimus, illustrant, excipe integra. *Quod enim prius est, id eo, quod posterius est, notius est simpliciter; vt punctum linea, & linea plano, & planum solido, quemadmodum vnitas numero notior est, quoniam prior est, initiumque omnis numeri; itemque elementum syllaba. At verò in nostra cognitione contra interdum contingit; nam & quod solidum est, magis sub sensum cadit, quàm quod planum est, & quod planum est, magis quàm linea, & linea, quàm punctum: quippè cum hæc plerisque nota sint omnia. Hæc enim cuiusuis; illa autem subtilis, & excellentis cogitationis est perdiscere: & quamquam præstat omninò niti, vt posteriores res ex prioribus intelligamus, & cognoscamus (est enim id scientiæ accomodatum magis) tamen &c.* Hoc igitur pacto fit progressio naturalis a notioribus nobis ad notiora natura, & rursus regressus scientificus a notioribus natura ad notiora nobis.

XVI. Vin' etiam aliqua huius rei exempla? Duo adhibuit Eximius præceptor. Vnum depromit ex actionibus ciuilibus in septimo Metaphys. tex. 10., dum ait. *Opera pretium est transire ad notius. Ita namque disciplina fit omnibus per minus nota natura, ad magis nota, & hoc opus est, vt in actionibus ex eis, quæ cuique sunt bona, facere, quæ simpliciter bona sunt, vt sint cuique bona: ita ex sibi notioribus, quæ natura nota sunt, sibi facere nota.* Sicut diuitiæ V. G. sunt vnicuique in particulari bonum, atquousque solùm inter particulares ciues premuntur, non prospicitur id quod simpliciter bonum est, videl. commune bonum Reipublicæ, ex cuius bono, ac salute pendent singulorum ciuium bona, & salus: cum verò ex illis particularibus diuitijs progredimur ad commune Reipublicæ bonum, & relicto vnicuique ciuium quantum ad illius vsum satis sit, reliquum ad commune ærarium asportamus, tunc diuitiæ fiunt simpliciter bonum; Ex quo rursus per regressum ciuilem firmantur singulorum ciuium bona. Quippè bonum commune tangit singulos. Sic habita per sensus cognitione priorum, & notiorum nobis, non est in ijs sistendum, sed ad commune mentis ærarium comportanda sunt, vt ibi inueniatur id, quod est simpliciter, ac natura notum, atque illud efficiamus nobis notum: deinde ex illa regrediamur, & scientificè a priori concludamus nobis nota.

Quod si adhuc necessitatem huius regressus inquiras eam reddit ibidem Philosophus, *quia*, inquit, *quæ singulis sunt nota, ac prima, ea sæpè parum sunt nota, & parum, aut nihil entis participant.* Ita porrò notiora nobis sunt exiliter nota, quoniam sensus frequenter hallucinantur, & particularia existunt omninò mutabilia: ideòque parum, aut nihil habent entia, idest veri: Ens etenim hoc loco significat verum, vt etiam adnotauit Alex. ad eum tex. alias quomodo nota nobis, quæ reipsa sunt entia completa, & a parte rei existentia, parum, aut nihil habebunt entis?

Alterum exemplum accipit in secundo Poster. cap. vlt. ex acie, siue exercitu turbato ab hoste, quando milites hosti proximi, fusi, atque ab eo propulsi retrocedunt: & retro impulsi, impellunt itidem retro alios milites sibi vicinos, illi rursus alios, donec illa impulsio deueniat vsque ad primum, idest ad ducem exercitus: qui deinde firmatus animo, sistit turbatos milites, *& illo stante, stetit alius.* Quinuerò eos confirmat, & mouet rursus in hostem, atque illa motio incohata a Duce pertingit vsque ad primos milites hosti proximos. Ita fit in nobis: obiecta singularia, & composita mouent sensus externos: isti mouent internos: inde mouetur intellectus, vt est iunctus cum phantasia, demum res pertingit ad supremum ducem, nempe ad intellectum secundum se, qui format vniuersalia, & expendit simplicia, & notiora natura: ibi quasi sistit; & fit quædam quies; vnde etiam legimus in eodem cap., quod *vniuersale est quoddam quiescens in anima*: ibi deprehendit nota natura, quibus XVII

Digitized by Google

deprehensis, regreditur intellectus vsque ad ea, ex quibus incæpit motio, & cognitio. Expende Philosophi verba. *Neque itaque insunt determinati habitus, neque ab alijs habitibus fiunt notioribus, sed a sensu, vt in pugna, versione facta, vno stante, alter stetit, postea alter, quousque ad principium venit: Anima verò est talis, vt possit pati hoc, cum enim steterit indifferentium vnum, primum quidem in anima vniversale est.* Verùm de hac re haud plura. sit autem.

SECTIO IV.

Vtrum semper non eadem sint nota nobis, & nota simpliciter.

XVIII Sensus quæstionis est, an ea, quæ natura sunt notiora, semper sint nobis minus nota cognitione naturali: & è contra, quæ sunt nobis nota, ea semper sint minus nota natura: an verò aliquando eadem met res queat esse tum nobis, tum natura, & secundum se nota. Qua in re nonnulli plurima vtraque ex parte congerunt; vt Ioan. de Iandun. in hunc lib. quæst. 4. Piccol. in adnot. ad tex. 2. Peodas. loco cit. part. 7. Magist. Soto ad tex. eundem 2. PP. Conimbri. quæst. 2. art. 5. Ruui, quæst. 4. Quorum maior etiam pars tuetur, aliquando eadem esse & nobis, & natura nota; idque tam in rebus Mathematicis, quàm etiam in naturalibus.

Probant. 1. Arist. sexto Topic. cap. 3. cum constituisset, quod est prius, id esse notius natura posteriore, veluti punctus est simpliciter notior linea, hæc superficie, hæc solido, vnitas numero, & elementa syllabis, subiungit, *nobis autem è contra aliquando contingit*. Dicens *aliquando*, propositionem reddit particularem, ita vt aliquando etiam fiat, vt idem & nobis, & simpliciter notum sit. Eodem pacto in septimo Metaphys. tex. 10. *quæ autem*, inquit, *singulis nota, & prima, ea sæpenumero parum nota sunt, & parum, aut nihil entis participant*. Hic etiam dicit *sæpenumero*, aliquando vsuuenit oppositum.

Id ipsum colligunt ex duobus Arist. locis. Primus est in præsenti cap., vbi ait vniuersaliora esse nobis notiora: ideoque ab ijs esse nobis inchoandum: Secundus est in primo Poster. tex. 5 a. quo loci constituit, nobis notiora esse, quæ sunt sensui propinquiora: notiora verò secundum naturam, quæ magis a sensibus remota sunt, esse secundum naturam notiora, ergo vniuersaliora sunt notiora tum nobis, tum secundum naturam. Equidem paucis mentem meam aperiam.

Auctoris opinio de re proposita.

Dico 1. In rebus naturalibus nunquam sunt eadem nota simpliciter, & nobis, loquendo de cognitione nostra naturali.

XIX. Ante omnia reuoca in animum distinctionem superius a nobis explicatam, quod homo in duplici statu spectari potest. Primò in statu primæuæ suæ imperfectionis, dum eius intellectus est quasi abrasa quædam tabula, atque incipit acquirere cognitionem, quam conditionem voco naturalem. Secundò consideratur in statu perfecto, cum iam cura, ac studio comparauit sibi scientias: quam cognitionem appello acquisitam, ac scientificam. Nostra assertio non intelligitur de hac posteriori cognitione: certum quippè est, per hanc cognitionem sæpenumero eadem esse priora, ac notiora, cùm natura, tum nobis. Quod vel hinc deprehendes. Primò quia nos in tali cognitione procedimus scientificè a causis ad causata, a principijs ad principiata, a præmissis ad conclusiones: quare in ea cognitione, causæ, principia, & præmissæ sunt nobis priores, & notiores. Atqui hæc eadem sunt etiam priora, & notiora natura; quare in tali acquisita, ac scientifica cognitione, eadem sunt & nobis, & natura priora, & notiora. Secundò, In illa cognitione procedimus per veram demonstrationem. Vera autem demonstratio *est ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis*. primo Poster. tex. 9. itaque assertio nostra non est de hac acquisita cognitione, sed de priore, ac naturali, quemadmodum etiam in eadem conclusione indicaui.

Duplicem hanc progressionem non obscurè ponit Auerr. com: 2. dum ait, *si contigerit vt notum apud nos, sit notum apud naturam, tunc demonstrationes datæ in hac scientia, erunt demonstrationes causæ, & esse, & si contigerit, vt nota apud nos, non sint nota apud naturam, quæ non sunt priora in esse, sed posteriora, tunc demonstrationes datæ in hac scientia erunt de numero signorum, non demonstrationes simpliciter*. Quibus in verbis conspicis in scientia naturali insinuari duas progressiones, ac totidem demonstrationes. Vna progressio est, in qua fit demonstratio *causæ, & esse*. idest demonstratio a priori, a causa, & ab eo, quod habet esse prius, dic vno verbo, fit a notioribus natura. Hunc progressum, ait Auerr. tunc fieri, cum ex eo progredimur, quod ita *est notum apud nos, vt sit notum apud naturam*. Notum, inquam, apud nos, non cognitione primæua, & naturali, cum per istam non cognoscamus causas, & ea, quæ sunt secundum esse priora, sed notum cognitione acquisita, & scientifica, vt exposui. Altera progressio est, in qua fit demonstratio ex signo, nempè ab effectu, & posteriori, quæ tunc contingit, cum ex eo, *quod est notum apud nos, sed non est notum apud naturam*, procedimus. Hic est progressus cognitionis nostræ naturalis. Quam rem probaui etiam in sect. præced. ex verbis Aristotelis lib. sexto Topic. cap. 3.

Conclus. nostra est expressa Philosophi mens, XX.
qui in tex. 2. absolutè, & vniuersè pronunciat, *non enim eadem sunt nota nobis, & simpliciter*. Pronunciat autem absolutè, quia propositionem profert de rebus naturalibus, in quarum tractatione versatur, Et in eodem tex. *Quare*, inquit, *necessè*

sè

Digitized by Google

rè est, ad hunc modum procedere, ex immanifestioribus quidem natura, nobis autem manifestioribus, ad manifestiora natura, & notiora. Si autem idem posset esse & nobis, & natura notius, nugatoriè fieret progressus ab eodem ad idem.

Quare falsa est quorumdam recentiorum doctrina, inter quos est Zabar. existimantium, propositionem Philosophi, *non enim eadem sunt nota nobis, & simpliciter.* neutiquam esse vniuersalem, sed esse particularem, videl. non omnia in vniuersùm, quæ sunt priora, & notiora natura, ea sunt nobis minus nota, & e contra, sed solùm aliqua, & aliquando. *quia cum Arist. dicit, non eadem &c. perinde est, ac si dicat, non omnia nota natura, esse etiam nota nobis. Quare non dicit nunquam euenire posse, sed dicit, quod non semper euenit, vt eadem sint nota natura, & nobis,* inquit Zabar. ad eum tex. 2. sic etiam Franc. Piccol. nititur eamdem propositionem limitare.

Quorum existimatio apertè est contra Stagiritæ verba. Quid enim est asserere, *non eadem sunt nota nobis, ac simpliciter,* quàm dicere, alia sunt nota nobis, alia nota natura? Sic etiam præfata verba probatissimi quique expositores interpretati sunt. Philoponus, posteaquam notiora nobis, & notiora natura multis distinxisset, concludit. *Reliquum ergo est, vt secundo demonstrationis modo,* (hic autem erat ab effectibus & posterioribus natura) *ad capescenda, docendaque rerum principia, vtamur: atque ex his, quæ sunt natura posteriora, ad eorum cognitionem veniamus. Nam, inquit, semper natura priora, & apertiora nobis posteriora sunt, & minus manifesta: & ea, quæ apud nos priora, & magis manifesta, sunt natura posteriora, & ignotiora* &c. Audis, *semper natura priora, & apertiora, nobis esse posteriora, & minus manifesta*? Similiter Auerr. *& cum,* ait, *declarauit naturam demonstrationis, qua vtitur hic, reddit causam, & dicit, illa enim, quæ sunt cognita apud nos &c. idest, & causa in hoc, quod via per quam itur in hac scientia, debet esse a rebus posterioribus in esse, ad res priores in esse, est quia illa, quæ sunt cognita apud nos in rebus naturalibus, non sunt illa, quæ sunt cognita simpliciter, idest naturaliter, quod est contrarium in Mathematicis: illa enim, quæ sunt cognita in illis simpliciter, & sunt causæ priores in esse, sunt cognita apud nos.* Sileo alios, & reuertor ad Aristotelem.

XXI. Qui in primo Poster. tex. 52. etiam vniuersaliter asseuerat, priora, ac notiora natura nullatenus statui priora, ac notiora nobis. *Priora enim,* inquit, *& notiora bifariam. Non enim idem prius natura, & quoad nos prius, neque notius, & nobis notius.* Quod luculenter confirmatus ex ipsa Aristotelis explicatione, subdit enim; priora, & notiora quoad nos esse ea, *quæ sunt propinquiora sensui:* simpliciter autem priora, & notiora esse ea, quæ a sensibus *sunt longius*. Atque hæc ipsa adhuc dilucidans, ait, longiùs dissita, siue remotissima a sensibus *esse maximè vniuersalia: proxima autem esse singularia: & hæc opponi sibi inuicem.* At nequit idem esse sensui propinquius, & simul ab eodem distare longius: nec potest idem esse maximè vniuersale, & singulare, nec denique possunt opposita idem esse: quare neque vnquam poterunt ea, quæ sunt priora, & notiora natura, esse simul priora, & notiora nobis cognitione naturali, aut e contra.

Idem colligo ex illo Philosophi exemplo lib. primo Ethic. cap. 2. quod progressus a principijs ad principiata, videl. a prioribus, & notioribus natura ad priora, & notiora nobis, est sicut progressus in stadio a carceribus, & mandatarijs ad metam, & e contra. At duo isti progressus nunquam in idem conuenire queunt, quare neque etiam id, quod est prius, & notius simpliciter poterit vnquam esse simul nobis prius, & notius. Hinc optimè Themist. in Paraphr. tex. 2. *Nobis,* inquit, *ea priora videntur esse, quæ notiora sunt nobis, quæque facilius possumus deprehendere, quemadmodum nomina, & syllabæ manifestiora, quàm litteræ sunt: natura autem priora sunt illa, quæ & substantia simpliciora quoque habentur, quemadmodum litteræ simpliciores sunt, quàm syllabæ. Contrarius verò est vtrinque processus. Nos ex compositis ad simplicia, vt pote natura priora resoluimus; natura contra ex simplicibus composita fabricatur.* Vides, vt processus sit vtrinque contrarius? vt nos resoluimus, & vt natura fabricetur? Idem reperies apud alios interpr. Græcos.

Ratio quoque pro nostra conclusione in manu est. Priora, & notiora natura sunt principia, causæ, simplicia, vno verbo sunt priora origine quemadmodum in sect. præced. exposui: priora autem, & notiora nobis constituta sunt principiata, causata, composita, & quæ sunt priora intentione naturæ, vt etiam ibidem enucleaui: Atqui hæc in rebus naturalibus impossibile est esse eadem, alioquin idem foret simul & principium, & principiatum, causa, & causatum, simplex, & compositum. quare impossibile quoque est, in rebus naturalibus idem esse nobis, & natura prius, & notius.

At obijcies 1. ex Zabar. Notius nobis, & notius natura non sunt opposita, sed diuersa: vnde haud XXII
incommodè poterit aliquid esse tum nobis, tum natura notius. Quod vlterius ex eo suadetur, quia contingit quippiam esse causam, & simul esse sensatum: Tunc quatenus causa erit notius natura quatenus autem sensatum, erit notius nobis.

Obijcies 2. ex Ruui. Ex diuersis causis prouenit, quod res sint notiores secundum naturam, & nobis. Antecedens prob. quia diuersæ causæ possunt concurrere in eadem re, ita vt propter vnam sit notior secundum naturam, & propter aliam sit notior nobis: quare non repugnabit simul habere vtrumque V.G. in partibus respectu totius concurrunt duæ rationes. Prima, quod sint priores generatione, ita vt prius generentur, quantum ad executionem, quàm totum ex quo habent, quod sint priores natura, & ideò natura notiores. Concurrit etiam in eis alia ratio, nempè quod per illas

sit

Digitized by Google

ſit cognoſcendum a nobis totum, ex quo habent, quod nobis ſint notiores, ergo &c.

Ad 1. reſpond. Notius natura, & notius nobis opponi, vt in ſtadio opponuntur carceres, & meta, quemadmodum ex Ariſt. in primo Ethic. cap. 2. vidimus. Deinde, nonne idem Philoſoph. in primo Poſter. tex. 12. cit. conceptis verbis ait, nota natura eſſe a ſenſibus remotiſſima, nota autem nobis, eſſe proxima ſenſibus, *& hæc opponi inuicem?* falſum itaque dicit Zab. hæc non eſſe oppoſita. Quòd autem ſubdit, poſſe aliquando euenire, vt quippiam ſit cauſa, & ſimul etiam ſit ſenſatum, & tunc illud erit tum natura, tum nobis notum, nihil eſt. Nam illud alia ratione eſſet cauſa, alia ſenſatum: Accidit enim cauſæ eſſe quid ſenſatum. quare illa erunt oppoſita ſecundum diuerſas rationes. Præterea dico, quod talis cauſa valdè impropriè diceretur notior natura. Etenim quando video ignem comburere lignum, ignis eſt cauſa: At quis vnquam dixerit, hunc ignem abſolutè eſſe notiorem natura?

Ad 2. reſpond. abſolutè partes eſſe priores, & notiores natura. Nobis autem naturali cognitione ſemper eſſe poſteriores, & minus notas. Quocirca omninò falſum eſt, quod nos per partes cognoſcimus totum. Res ex oppoſito ſe ſe habet. Partes deprehendimus per totum, nempe reſoluendo ipſum totum: quippè auctore Philoſopho in tex. 4. *totum ſecundum ſenſum notius eſt* & in tex. 3. *poſterius autem ex his nota fiunt elementa, & principia, diuidentibus hæc.* ideſt diuidentibus ipſa confuſa, ac tota. Præterea illa etiam Ruui. propoſitio, quod *partes prius generentur quantum ad executionem, quàm totum.* falſa eſt, tum quia non partes, ſed ipſum totum eſt primarius generationis terminus, vt a nobis in lib. de Ort. & Inter. patefactum eſt: tum etiam quia vnumquodque ita generatur, ſicuti eſt: partes autem non habent eſſe niſi in toto, quare neque in execu tione generantur, niſi ratione totius: ac proinde contradictionem inuoluit, partes in executione generari prius, quàm totum.

Dico 2. In rebus Metaphyſicis non eadem ſunt priora, & notiora ſimpliciter, & quoad nos.

XXIII Hæc quoque aſſertio planiſſima eſt. Notiora natura in Metaphyſica ſunt entia abſtracta, vt patet in principio ſecundi lib. eiuſdem operis: Ea autem nobis ſunt valde ignota, & *intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt, ſe habet, vt veſpertilionum oculi ad lumen diei.* quemadmodum ibidem ſubiungitur. Et profectò in Metaphyſica venamur entia abſtracta, & principia a ſenſibilibus, & notioribus nobis, cuiuſmodi ſunt motus, tempus, numerus cæleſtium ſphærarum, & per comparationem ad notiora quoad nos, ita procedit Ariſt. in lib. ſeptimo, nono, & duodec. eiuſdem operis.

Dico 3. In Mathematicis demonſtrationibus eadem ſunt nota nobis cognitione naturali, & nota ſimpliciter.

XXIV Sic docent Auerr., & S. Thom. ad tex. 2. & eſt communis Doctorum ſententia. Et ratio eſt euidens, quia principia in Mathematicis aut ſunt communiſſima, aut propria. Vtraque autem ſunt tam natura, quàm nobis nota. Et quod ſint natura nota, vel ex eo conſtat, quia ſunt principia. Principia autem ſunt notiora natura. Quod autem ea ipſa etiam nobis ſint nota, hinc vides. Nam principia communiſſima in Mathematicis ſunt primæ dignitates, veluti omne totum eſt maius ſua parte, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ ſuperſunt, æqualia ſunt: Hæc autem cadunt ſub ſenſum; quare ſunt nobis apprimè nota. Conſimili ratione, principia propria exiſtimantur quædam regulæ, & definitiones, quæ porrò ſunt explicationes terminorum: ac proinde ſola vocum dilucidatione, ac notitia exiſtunt conſpicua: quare hæc etiam ſunt nobis nota cognitione naturali.

Ex his etiam apparet, quomodo argumenta initio ſect. in contrarium adducta, diluenda ſint. Cum enim Ariſt. in cap. illo 3. ſexti Topic. ait, nos *aliquando* oppoſito modo cognoſcere punctum, lineam, ſolidum &c. quàm ſint nota natura, rectiſſimè ait; quia cum nos geminam obtineamus cognitionem, videl. naturalem, & acquiſitam, ſeu ſcientificam, quemadmodum in ſect. 2., & 3. ſatis enucleaui; fit, vt aliquando per vnam, aliquando per alteram procedamus. Cognoſcimus per acquiſitam, quando imitantes naturam progredimur eo modo, quo natura ipſa progreditur: ſic prius, & notius eſt nobis punctum linea, & hæc ſuperficie &c. Cognoſcimus autem per cognitionem naturalem hæc eadem, cum oppoſito modo, ideſt, a notioribus ſolùm nobis gradimur ad notiora natura. Quo pacto ſolidum notius eſt nobis, quàm ſuperficies, & hæc notior, quàm linea, & iſta adhuc, quàm punctum. En ratio ab Stagirite ibi adiuncta. *Nam, & quod ſolidum eſt, magis ſub ſenſum cadit, quàm quod planum eſt, & quod planum eſt magis, quàm linea, & linea, quam punctum, quippè cum hæc pleriſque nota ſint omnia.* Quid vero? ſubiungit, & diſtinguit vtramque cognitionem, quam dixi, *τὰ μὲν γὰρ τῆς τυχούσης, τὰ δὲ ἀκριβοῦς, καὶ περιττῆς διανοίας καταμαθεῖν, Hæc enim vulgaris, ſeu, cuiuſuis, illa autem exacta, & excellentis cogitationis eſt perdiſcere.*

Eodem pacto explicari poteſt locus ſeptimi Me- XXV
taphyſ. tex. 10. Deinde dico, illud *ſæpe*, eo loci non referri ad cognitionem, ſed ad res cognitas: & ſenſus eſt. Quod quæ ſingulis, & vulgo nota ſunt, ea ſæpe exiſtunt parum vera, & parum habent entis: propterea quod ea, vtpote materialia, ac ſenſibilia, ſunt variæ mutationi obnoxia.

Poſtremò, ad rationem ibi adductam, primò iam patet ex ſect. 2. huius quæſt. quod vniuerſalia, quorum mentio ſit in primo Poſter. tex. 12. poſſunt dici vniuerſalia in cauſando. Huiuſmodi autem non ſunt ea, de quibus agitur in proœm. huius lib., vt in litter. apparuit. Verùm quænam vniuerſaliora, & quomodo ſint nobis notiora, dicendum eſt in quæſt., quæ inſtat. Sit ergo.

QVÆ.

QVAESTIO III.

De primo cognito, tum secundum sensum, tum secundum intellectum.

Introductio.

I. 

Vplex est in homine cognoscitiua vis, sensus videl. & intellectus. Quid homo primò cognoscat, tum per sensum, tum per intellectum, enitendum pro viribus explicare. Non immeritò autem de vtraque hac facultate simul edisserendum constitui, quia etiam Arist. in suo hoc proœmio vtramque hanc vim complexus est, dum in tex. 3. ait, *sunt autem primùm nobis nota, & manifesta confusa magis*. Ait, *nobis*, qui & per sensum, & per intellectum cognoscimus: Qua circa in tex. 4. & 5. statim declarat cognoscibile vtriusque eius facultatis: intellectus, inquam, & sensus, quemadmodum in explicatione illorum texx. indicaui.

Porrò sensitiua cognitio in homine origine prior existit, quàm intellectiua: Tum quia intellectus nihil apud sese habet, quod non aliquo modo prius acceperit à sensu: Tum quia ex Stagiritæ præcepto oct. Phys. tex 58. *Quod generatione posterius est, id natura est prius*, & è contra; Intellectus autem in homine, vtpote præstantior, natura, & perfectione prior est, quare sensus erit origine prior: de hoc itaque prius dicamus.

SECTIO I.

Quid homo primùm cognoscat per cognitionem sensitiuam.

II. EOrum quæ sunt, alia sunt vniuersalia, alia singularia, ex primo de Interpret. cap. 5. Et rursus, *alia sunt substantia, alia accidentia*, quæ in Antepraedic. singillatim recensentur. De omnibus hisce erit nobis edisserendum. Expendam itaque primùm, quomodo sensus se habeat ad vniuersalia, & singularia. Deinde, quomodo ad substantiam, & accidentia.

De primo sic statuo. Sensus, siue potentia sensitiua respicit vniuersale, sentire autem, & actus secundus eiusdem sensus, semper attingit singularia.

Vtramque assertionis partem iunctam lego in primo Poster. tex. 106. his verbis. *sentitur singulare, sensus autem ipsius vniuersalis est, vt hominis, sed non Calliæ hominis*. Ratio pro priori quidem parte in promptu est; siquidem omnis potentia naturaliter fertur in suum obiectum adæquatum, à quo etiam desumit speciem, quemadmodum colligimus ex secundo de Anim. tex. 23. & 33. Atqui obiectum adæquatum cuiuscunque facultatis sensitiuæ non est hoc, aut illud singulare, alioquin præter id nihil ea facultas sentire posset, cum nulla vnquam potentia ferri queat extra adæquatum suum obiectum: erit igitur adæquatum illius obiectum quoddam commune multis, atque adeò vniuersale. Vide hoc in Visu V.G. qui respicit visibile, *nam cuius est visus, hoc est visibile*, vt legimus in secundo de Anim. tex. 66. Visibile autem haud significat hoc album, aut hoc nigrum, sed commune quippiam omnibus, quæcunque possunt videri. Hinc in eodem tex. subiungitur, *quod visibile est, & color, & quod oratione quidem est dicere, innominatum autem existit*. quare sensus est ipsius vniuersalis.

Nec te conturbent Stagiritæ verba in primo III.
Phys. tex. 49. & secundo de Anim. tex. 60. asserentis, intellectum, ac scientiam esse vniuersalium, sensum autem esse singularium. nam per sensum in locis adductis intelligit ipsum sentire, quod, vt dixi, perpetuò, & solum attingit singularia. Ob id in tex. illo 60. notanter ait, *singularium quidem secundum actum sensus*. dum inquit, *secundum actum*, excludit sensum secundum potentiam, siue potentiam ipsam, de qua est nostra assertio.

Hinc apparet posterior quoque eiusdem assertionis pars. Quæ vlterius ex discrimine adiecto à Philosopho in tex. 60. cit. inter sensum, & intellectum euidenter colligitur, quod actiua, & obiecta sensuum sunt extra, & in seipsis existentia: obiectum autem intellectus est in anima. *Causa*, subdit Arist. *est, quoniam singularium quidem secundum actum sensus, scientia autem vniuersalium*. Id in causa est, cur habens apud se habitum, valet intelligere, cum vult: non valet autem sentire cum vult. Sic etiam docemur in primo Poster. tex. 182. his characteribus. *Neque per sensum est scire; si enim est sensus huius, & non huius cuiusdam, sed sentire necessarium est hoc aliquid, & alicubi, & nunc: vniuersale autem quod est in omnibus, impossibile est sentire: non enim est hoc, neque nunc, neque enim esset vtique vniuersale. Quod enim semper, & vbique, vniuersale esse dicimus*. Id idem clarissima inductione in omnium sensuum operationibus animaduertere licet.

At dices: saltem sensus interni valentne actu apprehendere vniuersale, an verò neque ipsi?

Neque ipsi. Ratio est, quia sensus interni ope- IV.
rantur per species à sensibus externis ad eos transmissas: species autem immissæ sunt rerum singularium, vt nunc ostendebamus, quare sensus etiam interni nonnisi singularia poterunt actu attingere; vniuersalia autem nunquam.

Sed adhuc hoc idem generatim de omni vi sensitiua prob. Repugnat tum ex parte sensus, quàm

ex

ex parte obiecti, vt sensus attingat vniuersale. Ex parte quidem sensus, quia vniuersale, quod sentiri deberet, aut fieret vniuersale ab eod. sensu, aut ab aliqua alia facultate, & postea sentiretur à sensu: Non ab alia facultate, cum in homine nulla alia suppetat cognoscitiua vis prior sensu. Non ab eod. sensu, cum vniuersale fiat per abstractionem, & separationem vnius ab alio: Hoc autem sensus præstare haud vnquam potest. Repugnat itidem ex parte obiecti, cum inter obiectum, & potentiam debeat intercedere proportio: Vniuersale autem videtur esse quædam ratio immaterialis, ac proinde nullam habere proportionem cum sensu, qui vsquequaque existit in materia immersus. Verùm de hac re copiosius in secunda de Anima nunc ad alteram rerum diuisionem, videl. substantiæ, & accidentium accedo, quare.

Dico 2. sensus non attingit substantiam per se, sed tantum per accidens:

V. Sic colligo ex Arist. secunda de Anim. tex. 63. 64. & 65. quo in loco ex instituto referens omne sensibile, statuit id esse triplex. Vnum per se proprium, *quod ab vno tantum sensu percipitur, & circa quod non contingit eum sensum errare*. Alterum per se, commune, quod à pluribus sensibus per se valet attingi, vt magnitudo, figura, numerus, motus, & quies. Tertium est sensibile solum per accidens, & est illud, quod per accidens iungitur cum sensibili per se, vt *album si sit Diaris filius*. Album in hoc casu cernitur per se, homo autem siue Diaris filius, solum ex accidente. sic etiam docet in eod. lib. tex. 134. & in secundo Poster. tex. 31. *substantia*, inquit, *& ipsum quid est, non monstratur sensu, aut digito*.

Quæ quidem veritas ex eo etiam innotescit, si per omnium sensuum obiecta excurras. Nam obiectum adæquatum tactus sunt qualitates tangibiles: substantia autem non est qualitas tangibilis, non igitur tactu attingi potest. Gustus, & olfactus sunt de sapore, & odore, quæ sunt secundæ qualitates: substantia nihil huiusmodi est. obiectum auditus est sonus, quæ est qualitas similis qualitatibus secundis. obiectum denique visus est color in actu secundum omnem sui latitudinem: substantia verò neque sonus, neque color, nequequicquam huiusmodi est. Cum itaque substantia à nullo sensuum externorum per se valeat attingi, profectò à nullo etiam sensu interno per se attingetur vnquam, cum interni sensus, quemadmodum superius etiam indicaui, non operentur, nisi per species à sensibus externis acceptas. Ex his infero, &

VI. Dico 3. Primò cognitum per se cognitione sensitiua, in homine non est substantia, sed sunt accidentia in concreto: Et prius sunt accidentia communiora deinde minus communia, vsque ad propria & determinata.

Non esse substantiam, res in aperto est. quia *omne, quod est per se tale, est prius eo, quod est tale per accidens*, vt legimus in secundo Phys. tex. 66. & vndecim. Metaphys. cap. 8. Atqui accidentia cognitione sensitiua sunt sensibilia per se, substantia autem est sensibilis tantum per accidens, quemadmodum in præced. assertione dictum est, ergo in ea cognitione substantia est posterior accidente, ac proinde non erit primò cognitum.

Adiunxi in conclusione, quod sint accidentia in concreto, veluti calidum, & frigidum, dulce, & amarum, hoc, aut illud odorabile, audibile, visibile; non autem in abstracto significata, caliditas, amaritudo, &c. Ratio est, quia obiecta sensibilia debent in sensus agere, cum *ipsum sentire sit quoddam moueri, & pati*, secundo de Anim. tex. 51. Accidentia verò in abstracto neutiquam agunt, sed agunt singularia affecta, & induta his, aut illis accidentibus, nam ex primo Metaphys. cap. 1. operationes sunt singularium.

Quod autem sensu prius attingamus accidentia communiora, mox minus communia, vsque ad propria, & determinata, primùm constat euidenti experientia in exemplo illo pertrito, dum e longinquo video V.G. Petrum venientem: primùm quippè prospicio esse corpus, & confusam quandam magnitudinem, quæ sunt valde communia, deinde apprehendo motum, & dignosco esse animal, quod porrò est minus commune, quàm corpus: postea cerno bipedem, erectum, omninò figura humana præditum, & apprehendo esse hominem, quæ sunt adhuc minus communia, post hæc intueor Petrum totum: tandem sigillatim perlustro eius partes, & video simum, caluum, excalceatum &c.

Quid verò? non modo in hac successiua obiecti applicatione ad nostrum aspectum, sic à communioribus ad minus communia progredimur, verùm id idem obtingit (suo tamen modo) dum aliquod obiectum sine mora nobis spectandum obijcitur, vt dum V. G. per istud ostium ingreditur aliquis. Profectò quod primùm aspectum nostrum ferit, sunt eius corpus, magnitudo, vel etiam color, postea discernuntur peculiaria illius corporis accidentia. quia nimirum totum est quoddam confusum: *confusa autem sunt primum nobis nota*. Ita si amænum viridarium ingrediare, primùm promiscuè, ac confusè totum peteras oculis, mox discernis lilium, segregas rosam, dignoscis anemonem, dijudicas alia. Ita si noctu cœlum suspicias, primùm innumeram syderum cohortem confusè aspicis, deinde Mercurium, Venerem, aliasue stellas distinguis. Consultò autem dixi, hanc subitam obiecti applicationem mouere nostrum aspectum prius secundum communiora &c. *suo modo*, quoniam in hac applicatione non est exigenda aliqua prioritas temporis, quemadmodum fit in priori illa, dum e longinquo cerno aduenientem nihilominus adest prioritas naturæ, vel si adest etiã aliqua prioritas temporis, certè est perquam exigua, & imperceptibilis. VII.

Porrò vt radicem huius rei penitus comprehendas, ita philosophare. Ea, quæ primùm, & per se mouent sensum, sunt accidentia. Hæc necessariò inexistunt, afficiuntque aliquam substantiam indi- VIII

uiduam

uiduam: hoc enim pacto fiunt accidentia in concreto. Modo in quacunque substantia indiuidua reperiuntur omnia prædicata superiora. V. G. in Petro est homo, animal, viuens, corpus. Et quoniam vnamquamque dictarum naturarum insequuntur quædam accidentia, fit vt in Petro sint aliqua accidentia, quatenus ille est corpus, alia quatenus est viuens, alia quatenus est animal, alia quatenus homo, alia denique quatenus est hoc determinatum indiuiduum. Accidentia quæ corpus insequuntur, sunt longitudo, latitudo, omninò extensio, seu magnitudo. Accidentia viuentis sunt, quod nutriatur, augeatur, generet: Accidentia animalis sentire, & à semetipso moueri. Accidentia hominis, quod sit eiuscemodi figuræ, quod valeat loqui, &c. Accidentia denique Petri sunt, hæc statura, hic color, hæc facies, hæc cicatrix, hic vestitus. Tunc ita subsume: sed naturæ superiores in Petro sunt communiores, ergo etiam accidentia, quæ illas ipsas naturas insequuntur, sunt communiora, ergo illa primùm attinguntur à sensu.

IX. Hinc etiam habe, quod accidentia communiora sunt apta validius ferire sensum, quàm accidentia minus communia. Quippè quanto agens e longinquiori loco potest agere in passum, tanto est ad agendum validius: Accidentia sensibilia communiora ex remotiori loco feriunt, ac mouent sensum, quàm accidentia minus communia, vt nunc ostendebam, quare illa validiora, ac valentiora censenda sunt ad mouendum sensum, quàm ista.

Ex qua quidem doctrina insuper eruitur solida, & syncera confirmatio pro illa eadem nostra assertione. Naturæ communiores sunt magis confusæ, cum virtute, & confusè contineant inferiores, & vt Stagirites loquitur in tex. 4. *multa comprehendit tanquam partes ipsum vniuersale*: sed, assertore eod. Philosopho in tex. 3. *primùm sunt nota nobis, & manifesta, confusa magis*, ergo primùm sentimus accidentia communiora; inde minus communia, & ita vsq; ad propria, & determinata.

Ex hac eadem doctrina medullitus intelliges Stagiritæ exemplum de puellulis adductum in contex. 5. Quippè cum accidentia hominis sint communiora, quàm accidentia patris, puelluli à confusis magis progredientes, primùm omnes viros appellant patres, & omnes fœminas matres; postea discernunt, atq; determinant hunc esse suum patrem, non verò illum, quia in eo per sensum, atque imaginationem apprehendunt hæc peculiaria accidentia, quæ in alio haud cernunt.

X. Sed iam vlterius progrediamur. Cum in homine sint quinque sensus externi, (interni enim sequuntur operationẽ externorum) per quem vnquã illorum homo primò prioritate originis sentit? ita vt asserere valeamus, obiectum talis sensus esse absolutè in homine primò cognitum? pro quo.

Dico 4. Sensus, per quem homo primò prioritate originis sentit, est tactus. Quocirca, primò cognitum absolutè in homine erit ipsum tangibile. Post tactum in infante nato est visibile: deinde aliquando succedit auditus, aliquando gustus; postremò omnium est odoratus.

Age singula enucleemus. Et quidem tactum omnium externorum sensuum primùm in infante apprehendere, hinc dignosce. Infans in duplici statu spectari potest. In vtero vid. matris, & cum iam in lucem editus est. De priori sic collige. Infans in materno vtero conclusus nonnunquam sentit: Nequit autem vllo alio sensu, præterquàm tactu sentire. Prima propositio est Arist. qui in quinto de generatione animal. cap. 1. *pueri*, inquit, *cum nati fuerint, dormire omnium maximè imperfectiorum animalium solent, quia intra parentem cum primùm sentire cæperint, tempus dormiendo totum ferè consumunt*. Et paulò post, *pueri expergisci in vtero videntur, mox obdormiscunt statim*. & mulieres vtero gerentes deserunt se se haud tarò sentire infantes in vtero moueri, & exilire: ergo sentiunt.

Quod autem tunc nullo alio sensu, præterquàm tactu sentire valeant, ex eo liquet, quod infantes ibi non vident, non audiunt, non olfaciunt. Quid ita? quia visus, auditus, & olfactus vt suas edant operationes, requirunt medium, quemadmodum in secundo de Anim. in tract. eorundem sensuum declaratur: Intra maternum autem vterum nullum huiusmodi medium suppetit: At vero neque valent ijdem infantes inibi quicquam degustare: quia gustus residet in lingua, vt eod. lib. in cap. de gustu traditur. Infans autem in vtero matris inclusus *nutritur, & augetur per vmbilicum*, sicut auctor est Philosophus in septimo de Histor. animal. cap. 8. si itaq; infans in vtero neq; videt, neq; audit, neq; olfacit, neq; gustat; sentit autem & tangit, propterea quod habet attiguum calorem, habet humiditatem, habet mollitiem, quæ sunt obiecta tangibilia: præterea aliquando huc, atq; illuc per vterum delatus impingit in aliquam solidam matris partem, quis non videt, primò cognitum cognitione sensitiua in infante in vtero concluso esse ipsum tangibile?

In eodem infante iam nato, tactum omniũ sensuum primum apprehendere, argumento est, quod nascentes infantes plorant: & vt ille ait: XI.

Conclamant E A, quot quot nascuntur ab EVA.

Quin verò adnotarunt aliqui nascentes, masculos quidẽ sũ efferre A. fœminas verò E. hinc ille cecinit.

Omnis masculus A nascens: E fæmina clamat:
A genitor dat Adam: E dedit Eua prius.

Porrò lamentationes illas edunt infantes, tum propter compressionem, extensionemq; membrorum, quæ illis in delapsu, & exitu per meatus genitales obtingunt, vt etiam adnotabat Philosophus in septim. de Histor. animal. cap. 10. tum ob læsionem sensus, quam quidem ab extrinsecus incursantibus subito sentiunt, vt à frigore, duritie, & id genus alijs: Quamquam existimem, infantem nunc editum, non sentire determinatè primas qualitates, hoc est determinatè calorem, aut frigus, vel etiam duritiem, compressionem &c. sed tantum sentire confusè quoddam molestum, noxium, ac dolorificum.

Digitized by Google

XII. At obijcies contra id, quod de infante in vtero conclusò dixi. Nam io vtero videtur audire, quin etiam olfacere? Quod audiat, ex eo suadetur, quod plerumque ex vehementi aliquo sono contingit abortus: Quod porrò non aliam ab causam euenire credendum est, nisi quia fœtus, excepto insolito illo, ac vehementi strepitu, exterretur, & concidit intempestiuè.

Quod autem olfaciat, inde quoque apparet, quòd ex tetro aliquo odore ob eam ipsam causam fit abortus, sicuti ex suffitu multarum herbarum, quemadmodum refert Plin. lib. 2. cap. 16. & lib. 25. cap. 9. & lib. 26. cap. 16. vnde feminit. Dracunculi tantum virus inesse ait, vt *olfactum grauidis abortum inferat*. Atque vt reliqua prætercam, ex fœtore lucernæ recens extinctæ, tradunt interuenire abortum. Idem Plin. lib. 7. cap. 7. meritò exclamat, *Misteret, atque etiam pudet æstimantem, quàm sit friuola animalium superbissimi origo, cum plerunque abortus causa fiat odor à lucernarum extinctu. His principijs nascantur tyranni, his carnifex animus. Tu, qui corporis viribus fidis, tu, qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum quidem eius existimas, sed partum, tu, cuius semper in victoria est meus, tu qui te deum credis aliquo successu tumens, tanti perire potuisti*: audiunt ergo infantes in vtero, atque olfaciunt.

XIII. Respond. abortum in re proposita interuenire, non quia infantes in vtero audiunt, aut olfaciunt. Ad. 1. itaque dico, non fieri abortum illum propter sonum, sed propter vehementem motum, qui præit, atque comitatur dictum sonum, qui quidem motus ex improuiso percutiens matrem, infert abortum. Nam vel leuis percussio facta mulieri grauidæ, præsertim verò ad vterum, aut dorsum, facit abortum. Et si Arist. testatur in secundo de cœlo tex. 53. vehementissimos sonos disrumpere etiam inanimata corpora, dum *extendentes*, inquit, *soni destruunt etiam inanimatorum corporum moles, vt sonus tonitrui lapides, & corporum validissima dissipat*, quid mirum, quod præualidus sonus, & motus vehemens deijciat ex materno vtero fœtum, & præsertim si ille aut nondum firmè radicatus sit, cuiusmodi est ante quartum mensem, aut præmaturus, vt est post septimum? Audi quid in proposito Galen. scribit in quarto Aphorism. com. 1. *fœtus*, inquit, *cum vtero tandem habeat proportionem, quam fructus cum plantis. Nam sicut fructus in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & tam perfecti ferè sua sponte decidunt, adeo vt vtrique ex vehementiori aliquo vento facile concidant, ita fœtus primis potissimùm, & postremis mensibus, ex quolibet violento motu ruptis ligamentis intempestiuè deijciuntur*.

XIV. Respond. 2. fieri abortum, quia mater eo sono terretur, vnde excitatur in ea vehemens quædam spirituum, atque humorum commotio, ac proinde abortus. fit enim abortus, tum propter causas internas, tum propter externas, quæ esse possunt omnes sex res non naturales. sic etiam contingit immatura foetus eiectio ex malo odore. Verùm ad rem redeo.

Post tactum in infante nato repono visum. Qua quidem in re neque naturæ, neque dignitatis ordinem specto, sed quia re ipsa ita vsuenire existimo. statim namque, ac puer in hanc lucem protrusus est, aperit oculos; statim igitur videt. Quamobrem haud rectè nonnulli in infante nato, post tactum reponunt gustum, ex ducti ratione, quod infans statim ac nascitur, fugit vbera. Quæ ratio nulla est, quia antequam vberibus admoueatur, videt. De homine sermo est, nam complura animalium protruduntur ex vtero cæca.

Eadem ratione, si statim atque infans excidit, producatur ibi aliquis sonus, quid prohibet, quominus infans ille audiat, antequam sugat vbera?

Olfactum in infante constitui omnium extremorum sensuum vltimum, quia didici ex secundo lib. de Anim. tex. 92. quod sensum odoratus non habemus certum, sed peiorem multis animalibus. prauè enim odorat homo, & nihil sentit odorabilium sine molesto, aut iucundo: Verùm de cognitione sensitiua hæc satis: transeo ad intellectiuam, quare sit.

SECTIO II.

Dilucidatur nonnulla necessaria pro primo cognito cognitione intellectiua.

Reuoca in memoriam diuisionem initio sect. præced. a nobis datam, quod eorum quæ sunt, alia sunt substantia, alia accidentia. Et rursus vtrumque membrum subsecatur in vniuersalia, & singularia. Intellectus noster omnia hæc quatuor membra intelligit, quemadmodum in tertio de Anim. de omnibus hisce singillatim ostendi, & nunc breuiter sic habe. XV.

Et quidem intellectum nostrum cognoscere tam substantiam, quàm accidens, exploratum est. Primùm logica agit de decem Prædicam. ea inter se distinguit, vnumquodque seorsim definit, vnius cuiusque species, & proprietates explicat: quæ omnia facit per intellectum: ergo intellectus cognoscit tam substantiam, quàm reliqua nouem Prædicam. accidentium.

Deinde, Physicus expendit materiam, formam atque ex his composita naturalia, quæ sunt substantia: item expendit horum affectiones, motum, locum, tempus, facultates, actiones, quæ omnia sunt accidentia.

Ad hæc, Metaphysica tractat de ente: Ens complectitur substantiam, & accidens. vtraque igitur cognoscit. Hinc Stagirites in quarto Metaphys. tex. 4. ita scribit, *Philosophi*, idest Metaphysici, *est de omnibus posse speculari: si enim non Philosophi, quis erit, qui considerabit, si idem Socrates, & Socrates sedens?* Vbi, vt alia sileam, socrates est substantia: sessio est accidens. Et quod maius est, vtrumque est particulare. cognoscit itaque intellectus & substantiam, & accidens.

Quod

XVI. Quod autem cognoscat vniuersalia, in confesso est. Primùm ex Arist. in primo Physic. tex. 49. & secundo de anima tex. 60. afferente, *intellectum, & scientiam esse vniuersalium*. Deinde quia obiectum præcipuum intellectus est vniuersale. Præterea, intellectus, vt ostenditur in tertio de Anim. à tex. 6. est vis expers corporei instrumenti, quare apprehendit aliquid supra corpus: Huiusmodi autem sunt vniuersalia.

Quod denique hic idem intellectus apprehendat etiam singularia, vel hinc redditur manifestum. Tum quia hic facit Inductionem, vt docemur in secundo Poster. cap. vlt. Inductio autem ex primo Topicos. cap. 10. est *progressio à singularibus ad vniuersalia*, quare intellectus cognoscit & ea, ea quibus incipit, & ea, ad quæ tendit. Deinde, intellectus iudicat inesse, aut non inesse aliquod vniuersale prædicamentum alicui singulari subiecto, & componit, aut diuidit, enuntiando, Petrus est homo, hoc lignum non est animal, quare cognoscit & vniuersale prædicatum, & singulare subiectum. Adhæc, conficit syllogismos, quorum præmissæ sunt vniuersales, conclusiones autem particulares, veluti in Darapti, & Felapton, eas igitur omnes cognoscit.

XVII Neque dici potest, quod inductione, enuntiatione, & syllogismo intellectus quidem apprehendit vniuersale, sensus autem particulare, & ita illa conficiant. Primò, quia hoc est contra Arist. secundo de Anim. tex. 146. & in lib. de sensu, & sensibil. cap. vlt. asserentem, eandem potentiam debere esse, quæ dicat, *hoc est illud, aut non est*. Secundò, quia hoc planè perinde foret, ac si ego conciperem prædicatum, & tu subiectum: ego præmissas, & tu conclusionem: efficeremusne vnquam enuntiationem, aut syllogismum? omnino ridiculum est, id vel imaginatione concipere: Intellectus itaque noster vtraq; apprehendit: propterea summa cum ratione intellectus in tertio de Anim. tex. 4. dicitur *omnia intelligere*. vid. substantiam, accidentia, vniuersalia, & singularia. Quibus suppositis, quæritur, quidnam ex his quatuor cognoscatur ab homine primò cognitione intellectiua?

XVIII Verùm cognitio intellectiua multiplex, & varia est. Alia quidem est simplex, alia complexa. Illa est simplicium, incomplexorum, & vt Arist. in tertio de Anim. tex. 21. loquitur, *indiuisibilium*, sicut dum apprehendo hominem, aut lignum, & neque quicquam de ijs affirmo, aut nego: iccirco in tex. illo 21. hæc intellectio asseritur esse *in ijs, circa quæ non est falsum*. Complexa autem est, per quam componimus, aut diuidimus, *& inqua*, vt in eod. tex. dicitur, *iam falsum, & verum est*. sub qua comprehenduntur etiam discursus: Præsens disputatio non est de cognitione complexa, sed de simplici.

Quæ adhuc quadrifariam diuiditur. Alia appellatur actualis, alia potentialis. Actualis est, per quam cognoscimus aliquod totum secundum quod actu est in se ipso: potentialis autem est, qua cognoscimus illud idem totum, non secundum quod est in se, sed prout potest referri ad inferiora, vt cum cognosco animal respectu suorum inferiorum.

Vtraque rursus subsecatur. Nam alia est actualis confusa: alia est actualis distincta: ita quoque potentialis, alia statuitur confusa, alia distincta. Cognitio actualis confusa est, cum apprehendimus aliquod totum, secundum quod est in se, non penetrando eius partes, sed confusè duntaxat, ac indistinctè attingimus illud totum: Cognitio autem actualis distincta est, cum ita cognosco illud idem totum, vt actu in eodem deprehendam eius ipsius prædicata, veluti cum in animali V. G. cognosco substantiam, corpoream, animatam, sentientem. Pari pacto potentialis confusa est, cum aliquod totum concipio respectu inferiorum, sed confusè tantum, potentialis verò distincta est, quando illud refero ad sua inferiora distinctè. Productus præsen. difficultatis est, Quidnam primò cognoscitur ab intellectu nostro cognitione actuali confusa?

Scito præterea, intellectum nostrum gemino modo spectari. Primò in statu suo naturali, dum à primæua sui conditione est tanquam abrasa quædam tabula, in qua nihil est depictum, vt dicitur in tertio de Anim. tex. 14. & incipit per sensum conquirere cognitionem rerum, & scientiam. Secundò consideratur in statu perfecto, cum vid. studio, ac labore comparauit sibi scientiam, & omninò vniuersalium cognitionem. XIX.
Quæstio non agitatur de secundo statu intellectus; quoniam exploratum est, quod cum quispiam conquisiuit sibi scientiam, & cognitionem generum, & specierum, potest pro arbitratu suo exire in cognitionem siue speciei, siue generis, siue vniuersalissimi, siue etiam singularis: sed discutitur de primo eius statu, quando nimirum incipit cognoscere, & elicit primam omnium intellectionem, quid tum per illam cognoscit? Quæ quidem cognitio iure optimo appellatur originaria, quod illa in tali intellectu nullam omninò aliam actualem cognitionem præsupponit.

Præter hasce distinctiones alij addunt alias, dum hi quidem originariam diuidunt in actualē, & habitualem, alij in actualem, & collectitiam, alij in eam, quæ est ante abstractionē, & eam, quæ est facta iam abstractione, alij demum alio pacto, de quibus, adi, si vacat, Iacob. Zabar. in lib. de ordine intelligendi cap. 11. Ioan. Bapt. Contar. virum doctissimum, & optimum Æternæ Reipub. Senatorem in Disputat. Peripat. Disput. 2. cap. 2. Ferchium Vestig. 10. cap. 6. 7. & 8. Geoig. Ragusi Disput. Perip. 2. à cap. 5. Piccolom. lib. 3. de mente human. cap. 15. sed meminisse oportet, *quod idem vitij habet minima, quod nulla diuisio*: Diuisiones à nobis allatæ sunt synceræ, ac sufficientissimæ: sed iam pergo, & est.

SECTIO III.

Substantiane, an accidens primò apprehenditur ab intellectu nostro cognitione confusa actuali.

XX. PRimò sunt qui in re proposita duo asserunt. Vnum, quod intellectus noster prius origine intelligit accidens, quàm substantiam. Alterum, quod substantia non causat immediatè in intellectu nostro sui speciem intelligibilem, neque sui actualem intellectionem.

Prius dictum ita suadent. In potentijs cognoscitiuis essentialiter subordinatis, id quod est cognitum primò à potentia inferiori, offertur itidem cognoscendum superiori, & re ipsa illud idem primò cognoscitur ab illa potentia superiori. At sensus, & intellectus sunt potentiæ cognoscitiuæ, & sensus essentialiter in homine est subordinatus intellectui, quare illud à sensu offertur intellectui primò cognoscendum, quod fuit primò ab eod. sensu cognitum. Sensus autem primò, & per se attingit accidentia, ergo & intellectus. Accedit, quod omnis nostra cognitio intellectiua originatur à sensu: Sensus apprehendit primò accidentia, substantiam autem vel solum per accidens, vel nullo pacto attingit. quare etiam intellectus primò attingit accidentia, substantiam verò non percipit, nisi medijs accidentibus.

XXI. Secundum dictum ita comprobant. Si substantia immediatè imprimeret in intellectum sui ipsius speciem intelligibilem, atque adeò sui etiam intellectionem, & non mediantibus accidentibus, quæ prius apprehensa sunt à sensu, possemus comparare nobis omnem scientiam de substantijs materialibus sine ope, ac ministerio sensus: Hoc autem est falsum, quia ex tertio de Anim. tex 39. *qui non sentit aliquid, nihil vtique addiscet, aut intelliget: & cum speculatur, necesse est, phantasma aliquod speculari*. Consequutio verò prob. Actiuo, & passiuo naturalibus benè dispositis, & approximatis, & non impeditis, necessariò sequitur operatio, quia hæc non dependet, nisi ab ijs tanquam à causis proprijs in existendo. sed actiuum naturale respectu speciei intelligibilis est intellectus agens cum obiecto intelligibili: & passiuum etiam naturale est intellectus possibilis; & ista sine sensu sunt disposita, & approximata, nec sunt impedita, ergo etiam sine sensu possemus intelligere omnes substantias materiales. Non itaque substantia producit immediatè in intellectu sui ipsius speciem, neque sui intellectionem, sed semper mediantibus accidentibus: Quemadmodum ignis prius producit calorem, & siccitatem in ligno, postea substantiam, neque substantia ignis agit immediate in lignum, sed medio calore, & siccitate, ita &c.

Secunda sententia ex opposito asserit, ab intellectu nostro primò apprehendi substantiam, deinde accidens. Prob. 1. quia illud primò cognoscitur ab intellectu, quod secundum se est prius; cum intellectus ita apprehendat res, quemadmodum eæ ipsæ secundum se sunt: *nam vt se habet vnumquodque secundum esse, ita secundum veritatem*, secundo Metaphys. tex. 4. At *substantia est prior accidente, ratione, & cognitione, & tempore, & natura*, vt legere est in septimo Metaphys. tex. 3. ergo prius intelligit substantiam, quàm accidens. XXI

Adde, si intellectus prius attingeret accidentia, postea substantiam, quo vnquam pacto posset statuere, substantiam esse priorem accidente? profectò illud optima ratione asseueraret esse prius, ratione cuius aliud apprehendit.

Secundò, omnis potentia prius attingit suum obiectum, quàm ea, quæ sunt circa ipsum: Obiectum intellectus est quidditas rei; vt colligimus ex lib. tertio de Anim. tex. 8. Quidditas autem rei est substantia. hanc igitur attingit primò.

Tertiò, si intellectus primò cognoscit accidentia, atque ea in concreto, quæ primò fuerunt apprehensa à sensu, ergo nullum inter sensum, & intellectum intercederet discrimen, siquidem sensus primùm, & per se apprehendit accidentia in concreto, substantiam autem nonnisi per accidens: At iuxta oppositam sententiam, id idem omninò contingit in intellectu. Præterea, si primò cognitum ab intellectu est accidens, idque in concreto: hoc vtique est singulare. Hæc consecutio est plana: iam ergo decisa est lis de primò cognito, an sit singulare: Neque amplius vllus vnquam quærendi, vel ambigendi relinqueretur locus, vtrum primò cognitum sit magis vniuersale, aut minus vniuersale, quemadmodum quærunt auctores illius primæ sententiæ: quare sibi non cohærent.

Verùm radix huius secundæ sententiæ, ex qua detegitur error superioris opinionis, ea est, quòd intellectus alio modo attingit res, atque attingit sensus. Hic percipit res quatenus sunt extra, & in semetipsis existunt, vt scribitur in secundo de Anim. tex. 60. hac autem ratione non mouent, nisi medijs accidentibus: Intellectus verò abstrahit: abstracte autem est denudare aliquid à conditionibus particularibus: Quibus separatis, ac sepositis, relinquitur sola substantia. Hæc denudatio *fit* ab intellectu agente: Vnde ab eodem offertur intellectui possibili species substantiæ: hanc igitur primò intelligit: & eam per propriam illius speciem, & intellectionem. XXII

Ex quo apparet etiam solutio ad 1. illud argum. Nam quando potentiæ essentialiter subordinatæ operantur eodem modo, profectò, id quod primò apprehenditur a potentia inferiori, primò offertur superiori, & ab ea primò apprehenditur, vt si per visum primò video album, id sanè primò offertur sensui communi, & etiam phantasiæ cognoscendum: quando autem præfatæ potentiæ alio atque alio modo operantur, vt de sensu, & intellectu

dixi,

Digitized by Google

dixi, res secus se habet.

Ad 2. neganda est consequutio. Ad prob. dico, nos absque sensu non posse comparare scientias, quia sine eo non habemus omnia necessaria ad intellectionem, cum intellectio, saltem prima, pendeat a phantasmate, vt suo loco exposuimus. Hæc pro vtraque parte ita sint disputata.

XXIV Ego in hac re ita sentio. Intellectus noster duobus modis potest considerari. Vno quidem vt coniunctus, & associatus cum phantasia: Alio verò secundum se. Priori modo spectatus, primò apprehendit accidentia, & quidem in concreto: atq; adeò primò apprehendit ipsum singulare: Posteriori autem modo, primùm cognoscit substantiam, & ipsa vniuersalia. Quam quidem opinionem inferius, sect. 6. latius explicabo. Sit ergo.

SECTIO IV.

Opinio, & fundamenta, quod primò cognitum cognitione intellectiua, actuali confusa, sit singulare.

XXV Qvatuor diuersæ ac discrepantes clarorum virorum opiniones de re proposita agitantur: inter quas liceat nostram quoque proferre. Eam apponam, vbi prius alias, & præcipua earundem fundamenta attulero. Prima igitur asserit, primò cognitum ab intellectu nostro ordine originis, cognitione actuali confusa esse singularia. Ita Durand. in 1. dist. 3. quæst. 5. Gregor. Arimin ad eandem dist. 3. quæst. 3. Ocham ibidem quest. 5. Burlæus in primo Phys. ad tex. 4. Perer. lib. 3. suæ Phys. cap. 17. Fran. Piccol. lib. 3. de human. mente cap. 15 Zabar. lib. de ordine intelligendi cap. 5. P. Ferchius in suis Vestigat. Perip. Vestig. 10. cap. 5. PP. Conimb. & alij quammulti, quorum præcipua fundamenta sunt hæc.

XXVI Primùm, Intellectus noster prius cognoscit res prout sunt in se, quàm prout sunt in alio. Quod sic prob. Res vt se habet ad esse, ita ad cognosci, quia vt iam dixi ex secundo Metaphys. tex. 4. *vt se habet vnumquodque secundum esse, ita secundum veritatem*. Prius autem res sunt in seipsis, quàm in alio: quare etiam cognoscuntur prius prout sunt in se, quàm prout sunt in alio. Sunt autem res in se ipsis singulares, cum omne quod in se ipso est, necessariò sit singulare. Res autem fiunt vniuersales solum vt repetiuntur in anima, non enim vniuersale habet esse nisi per intellectum, ergo intellectus prius cognoscit singulare, quàm vniuersale.

Secundum, In potentijs subordinatis, vbi desinit potentia inferior, inde incipit superior, quemadmodum in sensibus externis, ac internis animaduertere licet. At sensus est subordinatus intellectui, & cognitio sensitiua desinit in singulari, ergo ex eodem singulari, incipiet prima operatio intellectus.

Tertium. Quicunque abstrahit, & separat vnum ab alio, prius debet cognoscere id, ex quo abstrahit, quàm id quod abstrahit, præsertim si hoc fiat de nouo; Manifestum autem est, quod intellectus a singularibus abstrahit, & facit de nouo ipsum vniuersale, vt luculenter declarat Philosoph. lib secundo Poster. cap. vlt. ideircò in primo de anim. tex. 8. ait, *animal vniuersale, aut nihil esse, aut posterius esse*. quare intellectus prius cognoscit singulare, postea vniuersale.

Quartum, Illud primò cognoscitur ab intellectu XXVII.
nostro, quod facilius apprehenditur: singulare facilius apprehenditur, quàm vniuersale. Quòd sic suadetur. Singulare respectu vniuersalis est quoddam confusum: tum quia continet & substantiam, & accidentia: tum etiam quia supra ipsum vniuersale addit conditiones indiuiduantes: quæ duo vniuersale non continet: nam dicit solam substantiam, atque eam denudatam a conditionibus particularibus. At omne confusum facilius apprehenditur, quàm distinctum, dicente Philosopho in tex. 3. *sunt autem primùm nota nobis confusa magis*, ergo &c.

Quintùm, Singulare verè ac propriè cognoscitur ab intellectu nostro, ergo cognoscitur primò. Assumptum vel ex ijs, quæ in sect. 2. diximus, manifestum est. Conseq. autem probatur. si singulare non cognoscitur primò ab intellectu, sed cognoscitur post cognitionem vniuersalium, peto, cognosciturne tunc virtute sua propria, an verò virtute cognitionis vniuersalium? si dixeris primum, sic vrgeo: si singulare post cognitionē vniuersalium potest sua virtute cognosci, ergo etiam ante talem cognitionem, poterat ab eodem intellectu cognosci. Nam quando actiuum naturale sufficiens approximatur passiuo sufficienter disposito, naturaliter sequitur actio. At obiectum singulare ab initio habet virtutem actiuam naturalem, sufficientem, & approximatam in phantasmate ipsi intellectui possibili, qui est potentia apta, ac sufficienter disposita ad intelligendum, quemadmodum est post cognitionem vniuersalium ergo ab initio obiectum singulare re vera attingitur ab ipso intellectu. Si autem dixeris secundum, omninò impossibile dices. Nam id quod est potentia omnia singularia, & ad omnia illa se habet indifferenter, nequit potius in cognitionem huius, quàm alterius indiuidui ducere: ac proinde in nullius indiuidui certam ac determinatam cognitionem deducet: Vniuersale autem est potentia omnia singularia, & ad omnia illa se habet indifferenter: quare omninò impossibile est, vt per vllam vniuersalium cognitionem possit intellectus noster cognoscere hoc, aut illud determinatum singulare.

Postremò, huic parti suffragatur Philosophus, XXVIII
qui in primo Poster. cap. 2. tex. 12. asseuerat vniuersalia esse difficilia cognitu, singularia verò & facilius, & prius a nobis attingi, atque hæc esse sensibus nostris propinqua, illa autem remotissima. Excipe eius verba. *Priora verò sunt, & notiora bifariam. Non enim idem prius natura, & ad nos prius, neque*

neque notius, & nobis notius. Dico autem ad nos quidem priora, & notiora, quæ sunt propinquiora sensui: simpliciter autem priora, & notiora, quæ longius. Sunt autem longissimè quidem ipsa maxime vniuersalia, proximè verò ipsa singularia: & opponuntur hæc sibi inuicem.

SECTIO V.

Opinio, & fundamenta, quod primò cognitum sit maximè vniuersale, siue ens.

XXIX IN altero extremo stetit Angelicus Doctor in proœm. ad hunc lib., & in prim. part. quæst. 85. art. 3. tum opusc. de ente, & essentia, atque alijs compluribus in locis, quod primò cognitum ab intellectu nostro cognitione actuali confusa, sit maximè vniuersale, siue ipsum ens, iccircò communiter dicitur, ens esse primò cognitum. Ita tuentur omnes discipuli D. Thomæ, & extra eius scholam permulti alij viri grauissimi, quos longa serie referunt PP. Conimbr.

Quam quidem sententiam D. Thomas mutuatus est ab interpretibus Græcis. Etenim Simplic. in exposit. tex. 4. primùm ita scribit. *Communiora, & ea vniuersaliter, quæ totalem, & euidentiorem cognitionem habent, sunt nobis notiora, quàm singularia.* idque illustrat trito illo exemplo, dum prospicio aliquem e longinquo venientem. Deinde hæc subdit. *Simile autem est vniuersale ipsi toti, quatenus habet confusam cognitionem, constitutionemque multorum componentium ipsum, ceu sunt partes in toto. Vniuersale igitur vt compositum & confusum notius nobis est, & veluti quo ad nostram cognitionem primum, sicut etiam est natura posterius, siquidem sit post singularia.* Hæc ille.

In ead. sententia fuit Themist. in paraphr. tex. 4. dum inter alia hæc habet. *Si principijs ostendendis incipimus à communioribus, & plura comprehendentibus, nemo miretur: quia ex illis ad particularia veniemus. cognoscibiliora siquidem nobis communia sunt aliquanto, quàm propria. Nam & in sensibilibus videre licet: accedentis procul animalis celerius totum corpus, quam caput, aut manum, aut pedem, aut partem aliquam comprehendi. eodem modo promptius est dicere, id, quod patet eminus animal esse, quàm hominem. Ita & in his, quorum rationes quærimus, vniuersalia atque communia manifestiora sunt nobis, quàm proxima, & particularia, quippè quæ magis promiscua, & confusa sunt, quam particularia: est enim præter intelligentiam totum quoddam id, quod est vniuersale.* Consimilia scribit Philopon. ad eund. tex. 3. & 4. Auicennas etiam lib. 1. suæ Metaphys. cap. 1. ait, *ens prima impressione imprimi in animam nostram.* Quinetò etiam Auerr. com. 4. huius lib. *quoniam,* inquit, *vniuersum demonstratum est notius apud sensum, quàm partes eius: & vniuersale est notius apud intellectum quàm proprium.* Pareo referre alios.

Pro qua quidem sententia scito, nomine vniuersalis, dum huius sententiæ auctores aiunt, maxime vniuersale cognosci primò, non intelligi vniuersalia, in causando, cuiusmodi sunt Deus, & intelligentiæ, quoniam horum cognitio nonnisi post longam, & circa materialia exercitatam cognitionem nobis abungit. Neque intelligi vniuersalia in prædicando, quæ formaliter sunt genera, & species: tum quia hac ratione nequit cognosci vnum sine altero, cum sint relatiua, vt patet vel ex ipso Porphyrio in cap. de specie: tum etiam quia cognoscere ea hoc modo accepta, est cognitio distincta, de qua in præsens non loquimur. At verò neque sermo est de vniuersalibus, quatenus vniuersaliora sunt partes, ac principia minus vniuersalium, vt V. G. de animali, quatenus est pars componens definitionem hominis, quæ est animal rationale. sic enim vniuersaliora respectu nostri sunt posteriora, ac minus nota, quàm minus vniuersalia. Primò quia, si illa sunt partes minus vniuersalium, ergo minus vniuersalia sunt quoddam totum: Totum autem nobis est notius. Secundò, quia vniuersaliora, vt partes, & principia minus vniuersalium, sunt priora, ac notiora natura, vt docet Arist. sexto Topic. cap. 5. vbi ex eo probat definitionem debere constare ex notioribus natura, quia debet constare ea genere, & differentia: de qua re dixi in quæst. præced. sed intelligunt magis vniuersalia, quatenus sunt naturæ quædam communes, quæ actu insunt in pluribus. Hac enim ratione vniuersalia illa censentur quædam tota confusa, & potentialia. Quæ sententia sic declarata. XXX

Probatur, & quidem. S. Thom. circa tex. 2. huius lib. vtitur ratione, quam ita struo. Quandocunque in aliquo est potentia, & actus, semper in eo potentia, vel id, quod habet rationem potentiæ, est prius origine, quàm actus. didicimus enim ex Arist. secundo de Anim. tex. 6. & lib. tertio text. 20. & 27. *quod prius generatione in eodem scientia est.* sic itaque in intellectu quoque nostro, eiusque cognitione prius est potentia, & id, quod obtinet rationem potentiæ, deinde actus. Modo cognoscere aliquid solum per communia, & vniuersalia, est cognoscere illud solum indistinctè, & in potentia: cognoscere autem aliquid per propria, est cognoscere illud per actum distinctum, adeò vt cognitio, quæ habetur solum per communia, & vniuersalia sit media inter puram potentiam intellectus, & actum distinctum ipsius. Cum itaque intellectus noster procedat ex pura potentia intelligendi ad actum, profectò primò occurrit illi cognoscendum magis commune quàm minus commune ac distinctum: atq; adeò primum omnium occurrit illi maximè vniuersale. XXXI

In prim. autem part. cit. eidem fermè rationi innititur. Quam tamen ita formo. Natura in suis operationibus, in quibus exit de potentia ad actum, XXXII

incipit

incipit ab imperfectis, & progreditur ad perfectiora, & tandem ad perfectissima, quæ potest. Quod docuit etiam Arist. lib. secundo de generatione animal. cap. 3. non subito, inquiens, ea semine generari hominem, sed prius viuere vitam plantæ, postea vitam animalis, tandem vitam hominis, quia nimirum quod est generatione prius, id perfectione est posterius, & e contra, quod generatione posterius est, id natura est prius, octau. Phys. tex. 58. id idem videmus in artibus. Quippè ars V.G. pingendi, non statim absoluit aliquam picturam secundum omnem illius perfectionem, sed incipit a rudioribus: sic ergo patet illa maior. Tunc subde, Atqui intellectus noster, cum a primæua sui conditione sit tanquam abrasa tabula, in qua depictum sit nihil, vt dicitur in tertio de Anim. tex. 14. exit de pura potentia intelligendi ad actum intelligendi. incipit igitur ab imperfectis, & progreditur ad perfectiora: Imperfecta autem intellectio est cognitio rerum magis vniuersalium, vtpote rerum magis potentialium: ac proinde cognitio maximè vniuersalis, siue entis, est imperfectissima: hoc igitur cognoscitur primò.

In confirmationem huius sententiæ addi potest, quod omnis potentia cognoscitiua primò fertur in suum obiectum adæquatum, deinde in rationes particulares. Hoc apparet in visu, cuius obiectum est coloratum, hic enim primò attingit coloratum, deinde discernit album, aut nigrum: & quæcunq; attingit, ea profectò videt, quatenus sunt colorata. At obiectum adæquatum intellectus nostri est ens, hoc igitur primò ab eo cognoscitur; & ratione eius reliqua omnia.

Huc demum facit, quod Arist. scribit in 4. tex. huius lib. *quod vniuersale est quoddam totum: quia multa continet vt partes*: & propterea vt a notioribus nobis, *ex vniuersalibus ad singularia procedere oportet*.

SECTIO VI.

Opinio, & argumenta constituentium primò cognitum minus vniuersale, sive speciem specialissimam.

XXXIII Scotus septim. Metaphys. quæst. 21., & in libr. de Anima quæst. etiam 22. tradit, primum cognitum a nobis ordine originis cognitione actuali confusa, esse singulare materiale, sensibile. In primo autem sentent. distin. 3. quæst. 5., & in lib. de Anim. cit. quæst. 16. (quo in loco quæstionem de primò cognito, & secundum propriam opinionem, & exactius agitat, vt etiam adnotat P. Ferchius in suis Vestigat. Peripat. Vestigat. 10. cap. 6) docet, primum cognitum esse inter vniuersalia minus vniuersale, quæ est speciès specialissima.

Quam quidem apparentem repugnantiam eius sectatores vario modo componunt. Maior eorum pars statuit duas conclusiones. Prima est, quod simpliciter, & absolutè loquendo, primum cognitum a nobis prioritate originis, est singulare materiale; & ita Scotus loquatur in prioribus locis. Secunda est, quod facta comparatione solùm inter vniuersalia, prius cognoscitur minus vniuersale, quàm magis vniuersale: & hoc pacto inter vniuersalia primum cognitum est species specialissima: idque intelligat Scot. posterioribus locis. Ita P. Ferchius Vestig. 10. cit. cap. 5., & 6. & Mastr., ac Bellut. in lib. de Anim. disput. 6. quæst. 8. qui in hunc sensum adducunt etiam alios auctores eiusdem Scholæ.

At quia Scoti in quæst. illa 16. de Anim. expressè ait, *specialissimum cognosci prius, quàm singulare*, ex quo apparet ad eius mentem, non solùm facta comparatione inter magis, & minus vniuersalia, sed absolutè, & simpliciter, primum cognitum esse speciem specialissimam, & non singulare, quemadmodum in prima conclusione ab ijs fuit dictum. XXXIV

Occurrunt præfati auctores; singulare aliud quidem esse vagum, aliud autem signatum, ac determinatum. Singulare vagum absolutè cognoscitur primò, & ante speciem specialissimam: singulare autem signatum, ac determinatum cognoscitur post speciem cognitam. Cum itaque subtilis Doctor ait, *specialissimum cognosci prius, quàm singulare*, intelligit singulare signatum: Cum autem in illa prima assertione dictum fuit, primum cognitum, absolutè loquendo, esse singulare, sermo est de singulari vago. Ita etiam exponit Bargius ad illum Scoti locum, & confirmat hanc expositionem ex doctrina eiusdem Doctoris quæst. 22. de Anim., & lib. primo Metaphys. quæst. vlt., & lib. septimo eiusdem operis quæst. 15.

At iam propius accedamus ad opinionem Scoti, quæ per duas illas conclusiones explicata est. Et quidem prior illius pars, quod scilicet primò cognitum a nobis absolutè sit singulare, ijsdem rationibus innititur, quas in sect. 4. adduxi pro illa opinione, quæ etiam constituebat, singulare esse primum cognitum. Posterior autem pars, quod facta comparatione inter magis, ac minus vniuersalia, primò cognitum sit species specialissima, primum explicanda est, postea probanda.

Scito itaque tam eos, qui pro primo cognito constituunt maximè vniuersale, quàm eos, qui illud faciunt specialissimum, conuenire in hoc, quod primò nobis cognitum est id, quod est magis confusum. Sic quoque nos docuit magnus Præceptor in tex. 3. illis notis. *Sunt autem primùm nobis nota confusa magis*: Dissident autem in explicando, quid sit hoc magis confusum. Porrò confusum est quoddam totum, quod aliquo pacto continet in se alia confusa, & quasi commixta: Totum autem est duplex: Vnum actuale; Alterum potentiale: quare confusum etiam erit duplex. Vnum confusum actuale; Alterum confusum potentiale. Modo id, quod est maximè vniuersale, nempè ens, est maximè confusum potentiale: species autem XXXV.

tem infima eſt maximè confuſum actuale. Hinc vides, in quonam poſitus eſt punctus controuerſiæ inter duas illas celeberrimas opiniones ideſt, D. Thomæ, & Scoti.

Quod autem ens ſit maximè confuſum potentiale, ſpecies verò atoma ſit maximè confuſum actuale, ſic deprehendes. Dictum eſt, idem eſſe iudicium de confuſo, atque de toto. Quare confuſum actuale, quemadmodum totum actuale erit illud, quod actu continet partes commiſtas, ex quibus internè actu conſtituitur, & in quas poteſt reſolui: veluti ſi expendas hominem, quatenus actu continet animal, & rationale, ex quibus intrinſecè conflatur, aut expendas Petrum, quatenus actu continet materiam, & formam: tale etiam eſt V.G. mulſum, quod actu continet aquam, & mel.

Confuſum autem potentiale, quemadmodum totum etiam potentiale eſt illud, quod ſolùm virtute complectitur partes, ex quibus eſt, & in quibus illud idem exiſtit. V.G. homo collatus ad indiuidua humana. Modo ens potentia continet omnia, in quibus etiam omnibus exiſtit, propterea eſt confuſiſſimum potentiale. Adde, quod ens non continet actu partes, ex quibus internè conſtituatur, non enim actu continet ſubſtantiam, & accidens, creatum, & increatum, vnde neque etiam eſt reſolubile in partes, quare non poterit eſſe confuſum actuale, erit igitur ſolùm potentiale. Species autem ſpecialiſſima inter omnia vniuerſalia actu continet ſuperiora prædicata, ex quibus ea internè componitur, & in quæ poteſt reſolui: quare ſpecies inter omnia vniuerſalia erit confuſiſſimum actuale. Hoc itaque confuſiſſimum actuale cognoſci primùm a nobis cognitione actuali confuſa, ita probatur.

XXXVI. Et eſt prima ratio Scot. Omnis cauſa naturalis, actiua, paſſo naturali approximata, & non impedita, primò producit effectum perfectiſſimum, quem primò poteſt producere. Sed intellectus agens, tum etiam ſpecies intelligibilis ſunt cauſæ naturales actiuæ intellectionis, approximatæ intellectui poſſibili, tanquam naturali paſſo, & non ſunt impeditæ, ergo primò producunt perfectiſſimam intellectionem, quam primò poſſunt producere. Cognitio autem ſpecialiſſimi eſt perfectiſſima intellectio, quam dictæ cauſæ poſſunt in prima cognitione confuſa producere, ergo eam primò producunt. Maiorem propoſitionem Scotiſtæ vario modo intelligunt. Quidam contendunt, eam ſic eſſe veram, quod cauſa naturalis &c. producat primò nobiliſſimum effectum, quem illa poteſt abſolutè producere: ita P. Fauentin. in theor. 83. cap. 3. & citat etiam alios Scotiſtas pro iſto ſenſo. Alij verò aiunt, eam haud eſſe intelligendam de effectu perfectiori, quem abſolutè poteſt producere, *ſed quem pro tunc poteſt producere*: ita Lychetus in primo diſt. 3. quæſt. 2. Tatar. in eadem diſtin. quæſt. 2. Tromb. in primo Metaphyſ. quæſt. 10. art. 3. Ferch. Veſtig. 10. cap. 16. qui etiam notat, quod Scot. non dixit abſolutè, quem poſſunt ſed limitatè, *quem primò poſſunt*: & adducit verba Scoti, quæ ſunt. *igitur ad effectum perfectiſſimum, quem primò poteſt producere, primò agit*. Reliquæ autem propoſitiones in eodem argumento acceptæ videntur conſpicuæ. Conſpicuum eſt, intellectum agentem, & poſſibilem eſſe cauſas naturales, cum præuertant omnem Voluntatis actum: Neque ſunt impeditæ, cum huiuſmodi impedimentum ne fingi quidem poteſt. Conſpicuum quoque eſt, cognitionem confuſam ſpecialiſſimi eſſe inter confuſas vniuerſalium perfectiſſimam, quippè ſpecialiſſimum eſt obiectum perfectius quocunque alio vniuerſali, cum ſit quoddam totum actuale reſpectu ſuperiorum: obiectum autem perfectius parit notitiam perfectiorem, vt etiam docet Philoſophus vndecim. Metaphyſ. cap. 3. ergo &c.

Secunda Scoti ratio eſt. Pro qua ſternitur hoc fundamentum. Illud a nobis prius cognoſcitur cognitione originaria, quod eſt facilius cognitu, quia optima rerum parens Natura operatur ſuauiter. X
Tunc ita arguitur. Quod facilius abſtrahitur, id etiam facilius intelligitur; ac proinde prius. Specialiſſimum facilius abſtrahitur, quàm genus, aut vllum aliud ex vniuerſalibus, quare ſpecialiſſimum prius, quàm vllum aliud vniuerſale intelligitur. Minor prob. Illud facilius abſtrahitur, quod accipitur a magis ſimilibus, quàm quod accipitur a magis diſſimilibus: ſpecies infima accipitur a magis ſimilibus, genus autem a magis diſſimilibus, ſiquidem magis ſimilia ſunt indiuidua, a quibus eruitur ſpecies, quàm indiuidua plurium ſpecierum, a quibus eruitur genus: V.G. color, qui eſt genus, abſtrahitur ab albo, nigro, fuſco, &c. Albedo autem, quæ eſt ſpecies, abſtrahitur ab hoc, & illo albo: Magis autem ſimilia ſunt hoc, & illud album, quam album, nigrum, & fuſcum: & ita magis ſimiles ſunt Petrus, & Paulus, a quibus accipitur ſpecies, quàm Petrus, & equus, a quibus genus.

Confirmatur. Illud facilius abſtrahitur, quod prærequirit minorem cognitionem eorum, a quibus abſtrahitur: debet namque intellectus ea cognoſcere, a quibus intendit aliud ſeparare, atque abſtrahere. At ſpecialiſſimum minorem prærequirit cognitionem, quàm genus, vel aliud vniuerſale. Quod ea conſpicis, quia, qui abſtrahit ſpeciem, ſupponit ſolùm cognitionem illius ſpeciei: qui autem abſtrahit genus, præſupponit cognitionem indiuiduorum plurium ſpecierum, atque adeò præſupponit etiam ipſam cognitionem ſpecierum. quare facilius ſpecialiſſimum, quàm aut genus, aut vllum aliud magis vniuerſale abſtrahitur; ac proinde illud etiam prius cognoſcitur.

Tertia Scoti ratio. Metaphyſica ordine doctrinæ XXX
eſt omnium ſcientiarum vltima addiſcenda, vt docet Auicen. lib. primo ſuæ Metaphyſ. cap. 3. & ipſa etiam eius tractationis inſcriptio apertè innuit, quæ eſt poſt naturalia, ſiue poſt naturalem ſcientiam. Ordo autem doctrinæ eſt a facilioribus nobis.

Digitized by Google

bis. Quod si ante Metaphysicam addiscendæ sunt nobis aliæ scientiæ, ergo prius sunt nobis cognita subiecta, & principia aliarum scientiarum, quàm Metaphysices: Subiecta autem, & principia cæterarum scientiarum sunt minus vniuersalia, subiectum autem, & principia Metaphys. sunt maximè vniuersalia, videl. ens, verum, bonum, &c. quare prius cognoscuntur a nobis minus vniuersalia, quàm magis, & maximè vniuersalia.

XIX Quarta ratio. Si primò cognitum esset maximè vniuersale, haud exiguum tempus interponeretur in cognitione, antequam a supremo genere ad speciem vsque infimam deueniremus. Quid ita? quia deberemus omnia genera intermedia pertransire. Hoc autem exploratæ experientiæ aduersatur. Vbi etenim intellexero ens, aut substantiam, illicò, si volo, possum intelligere hominem. Adde, quod aliquando non posset fieri huiusmodi descensus, quoniam dantur quædam genera subalterna, quæ tunc essent pertranseunda, & tamen nobis existunt ignota, vt testatur Philosophus septimo Metaphys. tex. 28. de proximo genere muli, his verbis. *In quibusdam manifestum est, quod generans tale est quale, quod generatur, non tamen idem, nec vnum numero, sed vnum specie, vt in naturalibus, homo namque hominem generat, nisi quid præter naturam fiat, vt equus mulum. & hoc quoque similiter, quod enim est commune equo* (scribe equæ, nam græcè est quidem ἵππῳ, sed ἵππος est gener. commun.) *& asino, non est nominatum propinquissimum genus: fuerint autem ambo fortassis, vti mulus.* Hæc pro hac opinione ex Scot. (nam quæ postea alij huc adglomerant, tumorem addunt, vires non addunt) quæ tamen inferius expendam, vbi prius meam hic interposuero opinionem.

SECTIO VII.

Propria auctoris opinio de primo cognito:

VT aperiam quid ego in hac abstrusissima re dicendum existimem, iacio tria fundamenta: deinde duabus assertionibus rem totam determinabo. Primum fundamentum est, quod intellectus noster gemino modo potest considerari. Vno quidem, vt est iunctus, & associatus cum Phantasia. Altero autem secundum se, & absolutè, vt est intellectus. Secundum fundamentum est, quod intellectus, quatenus est iunctus, & associatus cum Phantasia, cognoscit singularia directè, & immediatè; secundum se autem cognoscit solùm vniuersalia. Tertium est, quod intellectus noster a primæua sui conditione, dum naturaliter exit de potentia ad actum intelligendi, prius operatur, prout est coniunctus, & applicatus cum Phantasia, quàm operetur secundum se, & vt est absolutè intellectus. Quæ fundamenta vberius ostendi in tertio de Anima, nunc etiam ita confirmo.

Et quidem primùm accipio ex Philosopho in tertio de Anima tex. 9. vbi ait, hominem discernere magnitudinem, & magnitudini esse, aquam, & aquæ esse, sic carnem, & carni esse, nempe singularia materiata, quæ Arist. indicat per magnitudinem aquam, & carnem, & eorum essentias, ac vniuersalia, indicata per magnitudini esse, & aquæ esse, &c. Excipe verba. *Quoniam aliud est magnitudo, & magnitudini esse, & aqua, & aquæ esse, sic autem & in multis alijs, sed non in omnibus, in quibusdam enim idem est esse carni, & carnem, aut alio, aut aliter se habente, discernit.* XLI.
idest, homo vtrumne cognoscat, & discernat hæc duo *alio*, videl. per sensum quidem cognoscit magnitudinem, aquam, & singularia: per intellectum autem cognoscit magnitudini esse, aquæ esse, & vniuersalia; an verò vtraque hæc duo apprehendat, ac discernat intellectu, *sed aliter se habente*? quia secundum se, & vt intellectus, intelligit vniuersalia: aliter autem se habens, & vt est coniunctus cum Phantasia, intelligit etiam particularia.

Ratio etiam id idem euincit. Causa naturalis vno, atque eodem modo disposita, vnum tantum effectum, siue vnius tantum conditionis effectum producit, *quia idem manens idem, semper idem, & eodem modo operatur.* ex secundo de Ort., & Inter. tex. 56. Manifestum autem est, intellectum esse causam naturalem: quare intellectus vno solùm, & eodem modo dispositus, producit solùm vnius conditionis intellectionem, idest, aut tantùm intelligit vniuersalia, aut tantùm singularia. Cum itaque vtraque apprehendat, fateamur necessè est, eum alio pacto esse, dum attingit vniuersalia, alio autem dum singularia.

Præterea, Intellectus omninò cognoscit singularia: Nequit autem ea cognoscere secundum se, & qua est ratio, & intellectus, cum hac ratione sit vniuersalium, dicente Philosopho in primo Phys. tex. 49. *vniuersale secundum rationem notum est, singulare autem secundum sensum: ratio e nim vniuersalis est.* & secundo de Anima tex. 60. *singularium quidem secundum actum sensus est, scientia autem vniuersalium.* Quod etiam habet in primo Poster. tex. 134., & lib. secundo eiusdem operis cap. vlt. ergo alio modo se habet intellectus in cognitione vniuersalis, alio dum cognoscit particulare. Adde, quod si intellectus non subiret duplicem illum intelligendi modum, haud esset maior ratio, cur potius intelligeret vniuersalia, quàm singularia: Vel cur potius apprehenderet hæc, quàm illa singularia. Quare ad hoc, vt determinatè cognoscat potius: singulare, quàm vniuersale, & potius hoc, quàm aliud particulare, omninò necessè habet, iungi, & associari cum Phantasia, XLII

& veluti ? extendi ad cognitionem rerum particularium, quarum simulacra sunt in Phantasia.

Quod si occurras? Intellectus cognoscit quidem præter vniuersalia, etiam singularia; sed hæc cognoscit indirectè, & reflexè. Quod communiter ita explicant. Intellectus, oblato phantasmate, eoque ab intellectu agente illustrato, ac depurato, primùm intelligit vniuersale, quod est proprium eius obiectum; deinde reflectitur ad considerandum illud phantasma, ex quo fuit accepta, & expressa species intelligibilis per quam fuit cognitum vniuersale: & animaduertit illud phantasma, esse rei particularis, & sic reflexè cognoscit eam rem particularem. Hæc est communis multorum expositio.

XLIII Quæ primùm in se ipsa spectata, falsa est: ideircò aduersus eam posui secundum fundamentum, quod intellectus noster iunctus cum Phantasia intelligit singularia directè, & per se. Deinde dico, quod admissa hac illorum explicatione, ex ea potius comprobatur sententia nostra.

Quod illa in se ipsa considerata, sit falsa, probo. Intellectus de se est indeterminatus ad hanc, aut illam cognitionem, quemadmodum sensus, V. G. visus, est indeterminatus ad hanc, vel illam visionem, determinantur autem, ille quidem per speciem intelligibilem, hic autem per speciem sensibilem. Quo posito sic arguo. Si intellectus primò, & statim ac incipit intelligere, intelligit vniuersala, vt præfata opinio contendit, ergo tunc primò est determinatus ad cognitionem vniuersalis. Sed nihil potest assignari, quod postea eum ex illa cognitione vniuersalis determinet, & coarctet ad cognitionem huius, aut illius rei particularis, & huius indiuidui; ergo ex illa cognitione vniuersalis nullo pacto potest reflecti, & determinari ad cognoscendum hoc singulare. Minorem ostendo. Quia in illa cognitione rei vniuersalis tria reperiuntur, videlicet intellectus, species intelligibilis, & cognitio. Intellectus ex se nequit se ipsum ad ho:, aut illud obiectum determinare, cum suapte natura sit indeterminatus. Et quemadmodum tabula aliqua abrasa nequit se ipsam determinare ad hunc, aut illum colorem, & picturam excipiendam, ita nec intellectus, qui ex tertio de Anima tex. 14. *est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum*. Neque potest determinari, & coarctari a specie intelligibili, aut a cognitione illa rei vniuersalis, quia illud, quod indifferenter respicit omnia indiuidua alicuius speciei, aut generis, non valet determinare potentiam ad vnius potius, quàm ad alterius indiuidui cognitionem. Species autem, & cognitio rei vniuersalis indifferenter respiciunt omnia indiuidua speciei, aut generis; quare non possunt determinare, & coarctare intellectum ad hoc potius, quàm ad aliud indiuiduum cognoscendum, & animaduertendum, magis huius, quàm alterius rei particularis phantasma.

Neque quicquam refert, quod illa species intelligibilis fuerit ab hoc potius, quàm ab alio phantasmate eruta. Nam quando phantasma ope intellectus agentis illustratur, & fit species intelligibilis, exuuntur omnes omninò conditiones particulares illius phantasmatis, & remanet sola species vniuersalis, neque in ea vllo pacto relucet aliquid particulare: alioquin illa species esset vniuersalis, & non esset vniuersalis: quare dicta species intelligibilis non magis respicit hoc, quàm quoduis aliud indiuiduum. & sic redit Sisyphi saxum. XLIV

Præterea, (& simul etiam ostendo, quod admissa illa explicatione, validè colligitur assertio nostra) Omnis cognitio, siue sensitiua, siue intellectiua, fit per aliquam speciem in potentia cognoscente receptam, quæ est expressa similitudo rei cognitæ. Hoc exploratum est in omni Philosophia. Cum igitur intellectus, iuxta auctores, cum quibus agimus, reflexè, & indirectè cognoscat V. G. Petrum, necessariò debet eum cognoscere per aliquam speciem. Hæc species aut est ipsiusmet Petri, aut est alicuius alterius rei itidem particularis, aut est species naturæ vniuersalis, idest hominis. Nequit esse species naturæ vniuersalis, quoniam expressa similitudo naturæ humanæ non est expressa similitudo Petri. Et etiam, quia species vniuersalis V. G. naturæ humanæ, solùm potentia, confusè, & indistinctè continet indiuidua humana, quare inuolnit contradictionem, quod ea sit expressa similitudo Petri. Neque etiam illa species, per quam intellectus intelligit Petrum (vt illi aiunt) reflexè, potest esse alterius rei particularis. Quis enim credat, me per speciem, & conceptum Pauli cognoscere Petrum? Relinquitur ergo, vt intellectus cognoscat Petrum per propriam, & genuinam eius speciem.

Hinc euidenter sequitur, quod intellectus non cognoscit Petrum reflexè, & indirectè, sed immediatè, ac directè, quemadmodum nos asserimus. Nam omne obiectum, quod cognoscitur per propriam, & genuinam sui speciem, immediatè receptam in potentia, cognoscitur immediatè, ac directè. Intellectus cognoscit Petrum per propriam, & genuinam illius speciem immediatè receptam in intellectu: Quare cognoscit eum immediatè, & directè. XLV

Ex quo vlterius deduc, quod cum intellectus hanc cognitionem producere non possit, vt est intellectus, quis sic est solùm vniuersalium, omninò cognoscit Petrum, vt adiutus, & consociatus cum Phantasia. Adde, quod propria species, & similitudo Petri est phantasma, ac proinde aliquid materiale. Hoc non potest in intellectu, vt intellectus est, recipi, cum inter recipiens, & receptum debeat esse proportio: ergo debemus alio pacto hic philosophari. Postremò, si intellectus post intellectionem rei vniuersalis, abstractæ a tali phantasmate, potest rem hanc in tali particulari

pha-

phantasmate attingere, cur non cognoscit eamdem rem, antequam abstrahat? praesertim cum hoc videtur exigere progressus naturae (vt mox explicabo) sed cogitur facere ineptam circulationem?

XLVI. Ex his igitur patent duo priora nostra fundamenta, quod scilicet intellectus noster operatur tum secundum se, & vt est intellectus, tum vt coniungitur cum Phantasia. Et quod prout est associatus cum Phantasia directè, & immediatè cognoscit singularia.

Quod autem intellectus noster naturaliter prius operetur, quà est iunctus cum Phantasia, quàm secundum se, & vt est intellectus, quod erat tertium fundamentum, sic probo. Ac primò quidem ex ipsa conditione naturae, quae in suis operibus obeundis, neutiquam ab extremo transit immediatè ad extremum, sed semper extrema nectit per medium. Quod medium verè quidem est gradus, ac naturae vnius extremi, sed ita obscurè, atque exiliter, vt alterius etiam extremi conditionem, & proprietates induere videatur; propterea accipere cuiusnam extremi naturam habeat illud medium, res est ambigua, *quia Natura ita paulatim, & sensim transit, vt continuatione lateat eorum confinium, & medium vtriusnam sit extremi*, inquit Philosophus oct. de Histor. animal. cap. 1. vbi luculentissimè explicat hanc doctrinam, & nos etiam multis elucidauimus in Opere de Meteoris Lect. 25. Modo in re nostra. Prima cognitio in infante est sensitiua, quae est vnum extremum, & terminus a quo omnis nostra cognitio trahit originem, quare ab ista debet transire ad cognitionem intellectiuam, quae elicitur ab intellectu absolutè, quae est alterum extremum nostrae cognitionis; ergo non debet immediatè transire ab illa ad istam, sed a cognitione sensitiua debet accedere ad cognitionem elicitam ab intellectu, vt consociato cum Phantasia, qui quasi subit proprietates sensus: & verè est quoddam medium inter cognitionem omninò sensitiuam, & purè intellectiuam.

XLVII. Secundò id idem ostendo ex parte intellectus, qui in infante est admodum debilis, & lumen intellectus agentis tunc est valdè exile, quod interuenit propter nimiam instrumentorum humiditatem, quae in ea aetate insidet. Quo fit, vt neque intellectus agens tunc potis sit illustrare phantasmata, & abstrahere vniuersalia, neque intellectus possibilis valeat puram illam, ac sublimem edere operationem, qualis est intellectio vniuersalium, sed accomodatur parti inferiori, nempe phantasiae, atque adeò vnà cum ea primò attingit particularia. Et ista adhuc in tenella aetate non attingit distinctè, sed confusè, videl. per accidentia communiora, vt superius declaraui, postea discernit, quemadmodum faciunt infantes, qui omnes viros appellant patres, & foeminas matres, deinde distinguunt.

XLVIII. Hinc deducitur, quod intellectus etiam iunctus cum imaginatione non cognoscit primò ac statim singularia determinatè, & per propria accidentia, sed primò aliquo pacto apprehendit singulare confusè, & per accidentia communiora, postea diiudicat accidentia, distinguit, & cognoscit distinctè. Sic progrediuntur infantes in cognitione, quam nunc dixi.

Ex quo vlterius deduco, eodem pacto philosophandum esse etiam de intellectu, qua intellectus est, in cognoscendo vniuersali. Primùm enim apprehendit in illo vniuersali praedicata communiora, postea minus communia, vt in sect. 5. circa opinionem D. Thomae exposui. His ita constitutis, duae de re proposita profero conclusiones. XLIX.

Prima est. Si fiat comparatio inter vniuersale, & singulare, id quod intellectus noster primò apprehendit, ordine originis, cognitione confusa actuali, est singulare. L.

Secunda est: Facta comparatione inter ipsa vniuersalia, id quod primò ab intellectu apprehenditur, est maximè vniuersale. Quae quidem conclusiones ex fundamentis, quae iam exposui, patent luculentissimè: Et comprobantur etiam validissimè; & quidem prior omnibus argumentis, quae in sect. 4. allata sunt, quod primò cognitum sit singulare: illa etenim omnia procedunt de intellectu, qui est cum Phantasia coniunctus: qua ratione, vt iam commonstraui, primò via originis apprehendit singulare: comprobatur etiam omnibus rationibus Scotist. qui, vt superius indicaui, dicunt ad mentem Scoti, primo cognitum absolutè loquendo esse singulare. Posterior autem nostra assertio potest etiam confirmari omnibus argumentis, in sect. 5. pro opinione D. Thom. adductis. illa nam procedunt de intellectu, qua intellectus est. sic enim intellectus primò apprehendit maximè vniuersale, siue ipsum ens. Quae veritas melius apparebit ex solutione argumentorum: quare fit.

SECTIO VIII.

Diluuntur argumenta sect. sextae, in qua probabatur minus vniuersale esse primò cognitum.

Partim itaque cum sectatoribus Scoti conuenio, dum aiunt, primò cognitum ab intellectu nostro, absolutè loquendo, ad aures subtilis Doctoris esse singulare: id amplector, sed addo, rem ita se habere per intellectum, non qua intellectus est, sed qua est innixus cum Phantasia: partim verò dissideo, quòd illi contendunt, facta comparatione inter vniuersalia, primùm cognosci minus vniuersale: ego verò consti- LI.

tui, id, quod primò attingitur ab intellectu nostro, vt est intellectus, esse maximè vniuersale. Quæ quidem veritas primò euincitur per argumenta in sect. 5. adducta pro opinione D. Thomæ. Deinde fiet clarior ex solutione argumento-
LII. rum, quæ pro contraria parte confecta sunt.

Primum argumentum innititur illi propositioni, Causa naturalis actiua, passo naturali approximata, & non impedita, primò producit effectum perfectissimum, quem potest producere. Quæ propositio aut euidenter falsa est, aut in proposito nihil concludit. Intellecta primo modo ex illis duobus in eo argumento relatis, quod videl. ea causa tunc, & primò edat nobilissimum effectum, quem absolutè edere potest, vt eam P. Fauent. & complures alij intelligunt, est euidenter falsa. Ignis approximatus combustibili, nec impeditus, non primò, ac statim producit perfectissimum calorem, quem absolutè potest producere. Ita reliqua omnia agentia naturalia videmus in suis effectibus producendis sensim, & gradatim progredi, quia hic est naturæ mos, vt ab imperfectis ad perfectiora progrediatur.

Eandem propositionem sic intellectam retorquent viri docti contra Scot., vt Ocham in primo distinct. 3. quæst. 5. Peter. in sua Physic. lib. 3. cap. 14. deinde alij, quia cognitio distincta speciei specialissimæ, est perfectissima intellectio, quam intellectus absolutè potest inter vniuersalia producere: quare iuxta tenorem illius propositionis, intellectus primò, ac statim producet intellectionem distinctam speciei specialissimæ, ac proinde primum cognitum erit species specialissima distinctè cognita. Quod tamen, & Scot. ipse inficiatur, & de se impossibile est; cum confusum perpetuò præcedat distinctum, & cognitio confusa sit veluti dispositio ad distinctam circa idem obiectum.

LIII. Occurrunt aliqui: & quidem ad argumentum dicunt, quod causa naturalis non impedita &c. quando in passo offendit impedimentum, & resistentiam, tunc producit primò effectum imperfectum, postea perfectiorem, & demum perfectissimum, sic in igne V. G. comburente lignum interuenit, quia in eo est frigiditas, & humiditas, quæ sensim, & per pugnam ab eo expellendæ sunt. Cæterùm si causa naturalis in passo nullum offendat obicem, profectò ab initio, & absque vlla dilatione producet effectum perfectissimum, quem potest. Rem exemplo illustrant. Sol, aut candela illicò profundit in aere prius tenebricoso lumen perfectissimum, quod profundere potest. Cum itaque intellectus in re intelligibili nullum offendat impedimentum, ideò &c.

Ad aliud dicunt, intellectum non posse in illo primo producere intellectionem distinctam, quæ est perfectissima, quam postea potest elicere, quoniam adest impedimentum. Hoc autem est, quia ordo confusè concipiendi à toto genere præcedit ordinem distinctè concipiendi. Hinc Scot. in quæst. 16. de Anima, *confusè*, inquit, *cognoscere, est quasi medium inter ignorare, & distinctè cognoscere; & ideò confusè cognoscere, est ante quodcumque distinctè intelligere*. Hoc igitur, inquiunt, obstat quo minus intellectus in primo congressu cũ obiecto producat notitiam eius distinctam, quod non obstat, in cognitione confusa.

Hæc tamen non infringunt argumenti vim. LIV.
Primò, quia etiam intellectus habet in operando suo modo impedimentum: idque duplex. Vnum est materialitas obiecti, quam id debet exuere, vt possit intelligi: & hæc est etiam in causa, cur obiectum a parte rei existens, sit tantum potentia, & quidem remota, intelligibile, & cum etiam illud idem iaceat in phantasia, adhuc est intelligibile potentia, quamuis in proximiori potentia, quàm erat prius; Fit autem intelligibile actu postea ab intellectu agente, vt suo loco exposui. Alterum impedimentum est lex, & necessitas Naturæ, quæ in suis operibus progreditur ab imperfectis ad perfectiora: Nihil autem potest esse simul imperfectum, & perfectum: esset autem aliquid simul imperfectum, & perfectum, si intellectus illico promeret perfectissimam intellectionem, quam potest: Et hæc necessitas cogit, vt confusa cognitio *sit ante quodcunque distinctè intelligere*, quemadmodum ipsemet Scot. docet: Præterea, auctores dictæ solutionis, vna quidem ea parte dicunt, iccircò intellectum in principio suæ operationis, producere intellectionem perfectissimam, quam absolute potest producere, quia non inuenit impedimentum in re, circa quam versatur, quod impedimentum inueniunt alia agentia naturalia, ideóq; non illicò efficiunt effectum perfectissimum. Ex alia autem parte, dum aduersus eosdem retorquetur argumentum, quod scilicet intellectus in illo primo formaret conceptum distinctum, aiunt, adesse impedimentum, quominus intellectus id possit facere. Hæc autem apertè pugnant.

Exemplum autem de illuminatione adductum, LV.
non facit ad rem. Primò lumen nihil habet contrarij, cum sit qualitas cælestis, nimirum corporis cælestis, quod ab omni contrarietate procul abest: & tenebræ sunt mera priuatio, sicut dicitur in secundo de Anim. tex. 70. At intellectus inuenit in re intelligenda suo modo contrarietatem, idest eius materialitatem: quæ absque dubio opponitur intellectui, existenti immateriali. Secundò, lumen, seu illuminatio, auctore Philosopho in secundo de Anima in calce tex. 69. *est præsentia luminosi in perspicuo*. Tum etiam, *lumen est actus perspicui, secundum quod est perspicuum*. vt initio illiusmet tex. dicitur. Et prior definitio est de lumine, prout generatur: seu de illuminatione. Posterior autem est de eodem lumine, prout iam est genitum, vt multis exposui in Oper. de Meteor. lect. 25. At intellectio non est præsentia intellectiua ad rem intelligendam: neque est actus, siue forma ipsius, sed est vera actio, vt discimus ex nono Metaphys. tex. 16, quare comparatio luminis cum intel-

intellectu salit extra chorum. Dicta itaque propositio, Causa naturalis &c. in primo illo sensu accepta, euidenter est falsa.

LVI. Accepta autem in altero intellectu, quod videl. intellectus tunc primò non producat intellectionem perfectissimam, quam potest absolutè producere, sed perfectissimam, quam in illo principio efficere potuit est, nihil in proposito colligit. Dicam quippè perfectissimam intellectionem, quam in illo primo intellectus edere valet, nullatenus esse conceptum specialissimi, sed si intellectus spectetur, vt est intellectus, esse conceptum vniuersalissimi entis. Sicut ignis in principio calefactionis efficit calorem perfectissimum, quem tunc potest: at ille non est calor, vt octo, sed vt vnum. Sic virtus formatrix hominis in principio non producit perfectissimum effectum, hoc est vltimam dispositionem ad formam hominis, sed primam formam viuentis, tum animalis, tandem formam hominis, vt habes in secundo de generat. animal. cap. 3. ita &c.

LVII. Ad 2. rationem dico, in ea fieri transitum de genere in genus. Præsens quæstio est de cognitione confusa, & originaria: abstractio autem, siue speciei, seu generis, quatenus sunt species, & generis, non est cognitio confusa, & originaria, sed est distincta: respiciunt enim ea, a quibus abstrahuntur: ob id arguere a cognitione speciei, vel generis, ad cognitionem confusam, & originariam, est arguere ab vno genere cognitionis ad aliud genus cognitionis. Hinc communiter auctores pro solutione illius arg. distinguunt, quod animal V. G. gemino modo potest spectari: Vno quidem, vt genus quoddam est: altero autem vt est quædam natura, quæ in plurimis indiuiduis existit. Primo modo spectatum, procul dubio difficilius abstrahitur, quàm species, & de hac abstractione procedit ratio Scoti, & exempla in arg. adducta. Secundo autem modo tantum abest, vt sit difficilior eius abstractio ab indiuiduis (modo etiam possit appellari abstractio) vt etiam sit prior, atque facilior: Enimuerò cum indiuidua animalis plura sint, quàm hominis, & accidentia illius sint magis communia, ac proinde magis sensibilia, quàm huius, sicut in sect. 1. huius quæst. circa 3. conclus. exposui, manifestum est, phantasmata animalis paratiora esse, vt in ipsis attingatur natura vniuersalis animalis, quàm sint phantasmata hominis. Eodem pacto dissoluitur confirmatio ibidem adducta.

LVIII. Pari facilitate corruit tertia ratio, nam etiam ipsa transit ab ente considerato sub vna ratione, ad idem ens spectatum sub alia ratione. Aliud est loqui de ente, qua est obiectum Metaphys., aliud, qua a nobis constitutum est primò cognitum intellectus nostri, vt intellectus est. Illud est abstractum ab omni materia, tam sensibili, quàm intelligibili, ideoq. est difficilimæ cognitionis, ob id etiam præsupponit alias scientias, idest Physicam, & Mathematicas, a quarum obiectis vlterius denudat. Physica quippè abstrahit solùm a materia sensibili in particulari, non item in communi; Mathematicæ verò abstrahunt a materia sensibili tam in particulari, quàm in communi, at non a materia intelligibili, vt auctor est Philosophus videc. Metaphys. cap. 6. Metaphysica verò vlterius abstrahit, propterea est difficillimæ cognitionis, & vltimo loco, ordine doctrinæ addiscenda, vt rectè monuit Auicen. in arg. citatus. Cæterùm ens pro primò cognito constitutum est in ipsis rebus existentibus, & quemadmodum doctores illius opinionis communiter loquuntur, est *concretum quidditati sensibili*.

Addo, quod longè aliud, ac diuersum est, intellectum nostrum cognoscere aliquid, qua est ens, aliud concipere quippiam sub ratione entis. Illud est difficillimæ cognitionis, & cognoscitur distinctè, & vltimò: concipere autem quippiam sub ratione entis, est paratioris cognitionis, propterea quod sic intelligitur confusè, cognoscere etenim aliquid non sub propria illius ratione, sed sub communissima, est procul dubio cognoscere illud confusè. De hac distinct. adi Georg. Ragus. Disput. 2. cap. 10.

At contra illum dicendi modum, quod primò cognitum est ens concretum quidditati sensibili, insurgunt recentiores scotistæ. Per ens concretum cum quidditate sensibili, aut intelligis conceptum ex ente, & quidditate sensibili, aut præcisè conceptum ipsius entis. Si primum, ergo primò cognitum non est ens, sed minus vniuersale, quia conceptus quidditatis sensibilis est minus vniuersalis: Si secundum, ergo Metaphysica est prima scientiarum in ordine confusè cognoscendi, non vltima, quia qualis est ordo obiectorum, talis est scientiarum, quæ ab eis specificantur: si itaque ens præcisè sumptum est primum cognitum, cum sit subiectum Metaphysices, hæc erit prima scientia in ordine confusè cognoscendi: hæc illi. LIX.

Quæ, & consimilia arg. vnico verbo depelluntur. Dicitur ens concretum quidditati sensibili, vt a ratione primi cogniti excludatur ens in communissima sui latitudine sumptum, in qua complectitur tum entia corporea, ac sensibilia, tum etiam entia abstracta, Deum, & Intelligentias, quæ quidem cum a nobis deprehendantur per suos effectus, nequeunt statui primum cognitum, aut in eo concludi. Itaque ens concretum quidditati sensibili vtique est quid minus commune, ac minus vniuersale, quàm eos in tota sui amplitudine, at non propterea erit specialissimum, sed maximè vniuersale. Vnde cum præfati auctores in secundo membro sui arg. dicunt, aut ens concretum quidditati sensibili significat præcisè conceptum ipsius entis. Hoc erit distinguendum, significat conceptum præcisè entis, in toto entis ambitu, vt ens est, nego: significat conceptum præcisè talis entis, quod nostro intellectui est proportionatum, concedo: & sic etiam, est dicendum ad vltimam illam consequentiam. Modo quia Metaphysica habet pro obiecto

Digitized by Google

biecto ent, non contractum, & concretum ad vllum sensibile, sed prout eus est in omni sua latitudine, vt docet Arist. vndec. Metaphys. cap. 3. ideircò hoc ens est difficillimæ cognitionis, & Metaphysica est vltimo loco addiscenda.

LX. Ad 4. respond. Intellectus est celeritatis inexplicabilis, & imperceptibiliter peruolat omnes intermedios gradus ab ente, vsque ad speciem specialissimam, cum opus est. Dixi, cum opus est, quia aliquando potest gradatim, & cum aliqua mora ab ente cognoscere substantiam, ab hac descendere ad corpus, & ita deinceps, quemadmodum in cognitione sensitiua vsuuenit, dum e longinquo cernimus hominem venientem, vt est tritum illud exemplum. Aliquando autem illicò imperceptibiliter percurrit omnia intermedia: quamquam in eiusmodi excursu, & intellectione reipsa fit aliqua prioritas siue naturæ, seu signi, quemadmodum obtingit etiam, quando statim applicatur visui meo aliquod visibile: cum V.G. per hoc ostium ingreditur Petrus. Nam etiam tunc id, quod prius, & validius mouet sensum meum, sunt accidentia eius magis vniuersalia. Nam licet statim mihi obijciatur homo, vel Petrus, nihilominus prius mouent aspectum meum illius corpus, magnitudo, figura, color, quàm specialia eiusdem accidentia, vt facies rotunda, aut capilli, vt etiam supra dixi, quoniam illa sunt accidentia magis nota, & pluribus communiora. Prius, inquam, non tempore, vel si tempore, quamexiguo, & imperceptibili, sed prius natura, vel signo.

LXI. Quod autem prius, ac validius moueant aspectum accidentia communiora Petri superuenientis, quàm accidentia peculiaria eiusdem, ex eo etiam palam fit, quod accidentia communiora, vt corpus, magnitudo, figura, color, prius, ac validius cient visum ex longinquo, vt cum hominem eminus prospecto: ergo eadem communiora accidentia prius etiam, ac validius mouent, dum sunt propè, quàm accidentia specialia. Hoc clarissimè cernis in simili. Si magnus ignis prius, & validius combutit e longè, quàm paruus, profectò etiam prius, & validius adhuc combureret idem magnus ignis, quàm paruus, si vterque ex æquo approximetur. Sic de accidentibus communioribus, ac peculiaribus in proposito philosophare.

Hinc ita collige. Celeritas intellectus in operando incomparabiliter excedit celeritatem sensus: At sensus visus in casu proposito superuenientis Petri, prius attingit accidentia vniuersaliora, quàm peculiaria, & nihilominus ex illis ad hæc nullam interponit sensibilem morulam; & vis intellectum pati moram, dum ab ente ad inferiores gradus peruolat? id vel cogitare irrationabile est.

LXII In cuius rei confirmationem subijcio doctrinam, quam etiam auctores aduersæ sententiæ circa commune illud exemplum de homine e longinquo prospecto, tradunt. Dicunt illi, exemplum illud ineptè afferi ad quæstionem propositam, quia illud non est de cognitione originaria simpliciter: sed est solùm de cognitione collectitia. Cognitio autem collectitia non est simpliciter prima, sed est quidem de obiecto recens oblato, verumtamen beneficio alicuius præexistentis cognitionis, de nouo applicatæ ad hoc nouum obiectum, *in qua quidem*, sunt eorum verba, *collectitia cognitione intellectus mira celeritate format propositiones, ac discursus imperceptibiles, hoc modo. Quod videtur est ens, est substantia, est corpus. Hoc obiectum distans videtur, ergo est ens, substantia, corpus. Quod mouetur a se est viuens, est animal. Quod recta figura incedit, est homo: Hoc obiectum recta statura incedit, (vt sensus renunciat) ergo homo. Postremò quod his accidentibus vestium, staturæ, incessus prædictum est, est Socrates. Hoc obiectum est tale, igitur est Socrates.* At nunc peto, est ne vspiam aliquis, qui experiatur, se in huius modi cognitione, & discursu aliquantulum immorari, & aliquod tempus insumere? Nemo, hercle: cur igitur idem intellectus debet interponere multum tempus, dum ab ente ad hominem, aut equum intelligendum excurrit? cur hoc imperceptibili celeritate efficere haud possit, quemadmodum *mira celeritate format propositiones, ac discursus imperceptibiles?*

LXIII Exemplum autem illud, quod est Græcorum interpretum, vt vidimus, Simplic. ad tex. 4. huius lib. & Philopon. ad tex. 3., a quibus postea accepit Auicen. & alij, est propositæ materiæ apprimè accomodatum. At scito, neque ab ijsdem viris doctissimis eo consilio esse adhibitum, quod velint cognitionem, qua e longinquo intueor corpus, magnitudinem, animal, hominem, Petrum, esse absolutè primam, & simpliciter originariam, non ita erant fatui. Nam cum hoc afferatur pro exemplo, omninò præsupponat aliam cognitionem, necesse est: siquidem exempla quæcunque illa sint, præsupponunt aliam cognitionem, sed adhibent hoc exemplum solùm, vt ostendant, quod confusa sunt nobis prius cognita, quàm distincta, & quod magis communia sunt prius nota, quàm minus communia, vt luculenter apparet ex eorum verbis, relatis a nobis in præced.

LX[illegible] Ex hac itaque similitudine licet hunc in modum colligere. Vt se habet sensus in suis sensationibus, & ad sua obiecta, ita intellectus in suis intellectionibus, & ad sua obiecta, vt testatur etiam Arist. tertio de Anima tex. 2. Atqui sensus in suis sensationibus prius attingit confusa, & communiora, quàm distincta, & minus communia, quemadmodum in casu proposito apparet, quare eodem modo debet etiam intellectus progredi a confusis, & communioribus. Et fundamentum huius consequentiæ est, quia intellectus naturaliter sequitur sensum. Verùm de hac re hæc satis. Iam reuertor ad Aristotelem, sit ergo.

PRI-

PRIOR PARS Capitis Secundi.

Quàm variè ab antiquis Philosophis principia rerum naturalium inuecta sint.

TEXTVS VI.

I. 

Ecesse est autem, aut vnum esse principium, aut plura. Et si vnum, aut immobile, vt dicunt Parmenides, ac Melissus: aut mobile, vt Physici. hi quidem aerem asserentes esse, alij verò aquam primum principium. Si verò plura, aut finita, aut infinita. Et, si finita, plura autem vno, aut duo, aut tria, aut quatuor, aut secundum alium quempiam numerum. Et si infinita, aut sic vt Democritus, genere quidem vnum, figura verò, vel specie differentia, aut etiam contraria.

Hinc incipit secunda huiusce libri pars. Absoluto exordiò, aggreditur Arist. tractationem principiorum, a quibus in scientia, quæ de Natura est, initium esse expediendum, constituerat in tex. 1. Ac primùm quidem in tradenda sua doctrina imitatur optimam rerum omnium parentem, ac procreatricem Naturam, quæ in producendis rebus primùm expellit a subiecto contrarias qualitates, atque adeò formam ipsam substantialem, mox intentam formam inducit; sic Eximius præceptor primùm falsas & absonas Veterum Philosophorum opiniones neruosè conuellit, deinde apponit, atq; aperit suam; vt hæc etiam ex comparatione ad alias adhuc conspicacius præfulgeat.

II. Proponit itaque in hoc tex. per diuisionem, & subdiuisionem omnes modos, quibus principia rerum natura constantium a Veteribus statui consueuerant: Tum indicat præcipuos auctores, qui huic, aut illi positioni adhæserant. Ait itaque: Necesse est, principia rerum aut vnum esse, aut plura. Deinde vtrumque membrum subdiuidit. Si est vnum, aut est immobile, quemadmodum Parmenides, & Melissus opinati sunt; aut mobile, vt existimauerunt ij, qui Physici sunt nuncupati. Quorum hi quidem aerem, vt Diogenes Apolloniates, & Anaximenes, hi verò aquam, vt Thales Milesius, Hippon, & Hippias, illi ignem, vt Heraclitus, & Zeno, alij quoddam medium inter aerem, & ignem, vt Anaximander, alij terram, vt Hesiodus, Pherecydes Chius, & Pronopides.

Si verò sunt multa, aut existunt numero finita, aut infinita. Si finita, vno autem plura, aut sunt duo, veluti ignis, & terra, vt constituta sunt a Parmenide, sicut in tex. 42. huius lib. & in primò Metaphys. cap. 3. legere licet, vel ignis, & aer, vt posuit Boethus. Aut sunt tria, eo modo quo inuexit Plato, Magnum, Paruum, & Vnum, vt elicitur ex Timæo, & refert Arist. in tex. 80. huius lib. Aut sunt tria, quia *Vnum, & superabundantia, & defectus, principia entium sunt. Verùm non eodem modo. Sed antiqui duo quidem agere, vnum autem pati: posteriorum autem quidam è contrario, vnum quidem agere, duo autem pati dicunt magis*, vt dicitur in tex. 55. vel sunt materia, forma, & priuatio, vt Aristoteli visum est. Aut sunt quattuor, veluti quatuor elementa, inducta ab Empedocle, adiecta pro causa effectrice, Lite, & Amicitia. Aut denique sunt certo aliquo, ac determinato numero conclusa, sicut a Pythagora sancita sunt, esse decem contrarietates, qua de re adi Stagiritem in primo Metaphys. cap. 5.

Si autem fuerint *infinita, aut sunt ita, vt censuit Democritus, genere quidem vnum, figura verò, vel specie differentia, aut etiam contraria.* Hic duas intelligo subdiuisiones. Vna est; si principia sunt multitudine infinita, porrò aut sunt vnius generis, dissident autem figura, vel specie, aut non sunt vnius generis, sed sunt diuersorum generum. Primo modo intrusit principia infinita Democritus, Leucippus, & Epicurus, in quorum sententia erant atomi, corpuscula insecabilia, quæ quidem eodem genere comprehendebantur; figura verò, ordine, & positione erant discriminata, ita recenset Philosophus in tex. 42. cit. & primo Metaphys. cap. 4. Secundo modo inuexit infinita initia Anaxagoras, qui quidem constituit in Chao infinita corpora consimilium partium, veluti infinitas particulas aquæ, infinitas aeris, infinitas carnis, ossis, ligni, &c. Aqua autem, caro, os, idque genus alia genere dissident. III.

Altera subdiuisio est, *aut etiam contraria*. Præfacta principia aut constituuntur etiam contraria, aut non. Quæ verba gemino modo exponi queunt. Vno, vt verba illa, *aut etiam contraria*, referantur ad Democritum, & sensus est, quod hic fecit principia rerum genere quidem vnum, figura autem, vel specie discrepantia, & etiam fecit contraria. Quippè in tex. 42. huius lib. ex opinione Democr. recensentur tres contrarietates. Vna secundum figuram, Altera secundum ordinem, Tertia secundum positionem. Si itaque dicta verba, *aut etiam contraria* referas ad Democr. tunc alterum diuisionis membrum, quod intelligitur, referendum erit ad Anaxag. ad cuius aures principia haud viderentur contraria, cum corpora illa in Chao existentia essent substantiæ; & substantiæ nihil sit contrarium. Alio modo exponi possunt, vt hæc verba, *aut etiam contraria*, non annectantur opinioni Democriti, sed expressè ad Anaxag. referantur, quod ad huius mentem in- IV.

tia

tia essent infinita & contraria, cum corpora illa in Chao confusa, V. G. aqua, ignis, terra &c. viderentur propriè ac positiuè contraria: Iuxta sententiam autem Democriti, principia neutiquam essent verè & propriè contraria. Cur? quia illa essent varijs figuris prædita: Figura autem propria contrarietate caret. Hæc in tex.

Quæ omnia, vt simplici intuitu pellustrare, animoque complecti queas, redigam omnem principij conditionem hoc ordine.

Principia rerum naturalium vel sunt

- Vnum. Quod vel est,
  - Immobile. Sic posuit Parmenides Eleates, & Melissus Samius. Quod rursus vel est
    - finitum: sic Parmenid.
    - infinitum: sic Meliss.
  - Mobile. Quod quidem vel est.
    - Aqua. sic statuit Thales Milesius, Hippon, & Hippias.
    - Aer. sic Diogenes, & Xenophanes.
    - Ignis, sic Heraclitus, & Zeno Stoicorum dux
    - Medium inter ignem, & aerem, sic Anaximander.
    - Terra. Hesiod. Pherecydes Chius. & Pronopides.
- Multa. Quæ vel sunt numero.
  - Finita. Quæ rursus vel sunt
    - Duo.
      - Ignis, & Terra, vt censuit Parmenid.
      - Ignis, & Aer, vt Boethus.
    - Tria.
      - Vnum, idest subiectum superabundantiæ & defectus, vt antiquiores Physici.
      - Magnum, paruum, & vnum, vt Plato.
      - Materia, forma, & Priuatio, vt Arist.
    - Quattuor. Quatuor consueta elementa vt Empedocles.
    - Decem. Decem contrarietates, vt Pythagor.
  - Infinita. Quæ vel sunt,
    - Atomi, quæ genere quidem sunt vnum, figura autem vel specie diuersæ, vt voluit Democr. Leucippus, & Epicurus. Quæ rursus vel sunt
      - Figuris infinitis præditæ, sic Democr. & Leucipp.
      - Figuris innumerabilibus quidem, sed finitis conclusa. sic Epicur.
    - Corpora consimilium partium in chao existentia, quæ sunt genera diuersa, sic Anaxagoras.

Al

Digitized by Google

Adnotationes & difficultates.

I. CApe in ipso tractationis limine, quod cognitio, ac notitia variarum, contrariarumque opinionum plurimum confert, tum docenti, tum addiscenti, tum doctrinæ ipsi tradendæ. Docenti quidem, Primò, quoniam eius partes sunt, res de quibus incumbit sermo, accuratè expendere, ac dijudicare, vt possit hanc quidem reijcere, illam verò amplecti: Atqui iudicium ritè exerceri nequit, nisi vtraque parte audita.

Secundo, patefacit, se hoc, vel illo modo sentire, ac decernere, non ignoratione oppositæ partis, aut ira, vel odio, quorum causas quiuis prudens scriptor procul habere debet, sed ratione, & consilio ductum.

Tertiò, quia sedula aduersarum opinionum examinatione, ac confutatione efficitur ipsa fæcundior, & acutior in constituenda ac confirmanda sua. Nam opiniones, quæ a veritate deflectunt, dum a nobis corriguntur, *exercent habitum nostrum*, quemadmodum ipsemet Stagirites in secundo Metaphys. tex. 2. contestatur.

Quartò, quia in ijs opinionibus recensendis, detegit variam, ac multiplicem suam doctrinam.

II. Addiscenti autem confert, Primùm, vt ab erroribus depurgetur. Deinde, vt introspecta aduersæ opinionis confutatione, ac falsitate necnon suæ sententiæ confirmatione, firmè dijudicet, rem alio pacto se habere neutiquam posse. Tum præterea, vt plura, & varia sapientum placita complectatur, & condat animo. Ad extremum, quia *humana sapientia*, vt ille ait, *fortasse pulchra quædam, ac speciosa opinio, quàm re ipsa vera scientia est.*

III. Doctrinæ denique tradendæ conducit, Primò, vt ea opinionum varietate inspersa, in conspectum eruditorum hominum prodeat copiosior, comptior, illustrior. Secundò, quia hoc pacto acrius exsuscitat quamuis ad sui lectionem. Quidita? quia nos curiosius, ac diligentius ea versamus, in quibus magnos, ac præclaros viros de veritate inter se dimicare animaduertimus. Summa itaque cum ratione Eximius præceptor acturus de principijs, (sic alibi de alijs rebus facit) fideliter recenset, & ex fundamentis conuellit falsa Veterum Philosophorum dogmata, quorum tetra caligine depulsa, augustior Veritatis præfulget facies.

IV. Iam verò circa hunc tex. primò difficultatem facit, quod Arist. dum principium vnum diuidit per immobile, & mobile, videtur deficere, quia vtrumque membrum debeat adhuc subsecare per finitum, & infinitum. Verumenimuerò constituentium vnum principium immobile, adhuc alij illud sanxerunt finitum, vt Parmenides, alij infinitum, vt Melissus. Ita qui vnum inuexerunt mobile, hi quidem fecerunt finitum, vt Thales, Diogenes, & plerique alij, hi autem infinitum, vt Anaximander. Cur ergo Stagirites hanc diuisionem omittit?

Respond. Aristotelem nihil omisisse: quinuerò neque debuisse illud vnum principium per finitum, & infinitum subsecare: quia hic inuestigat numerum, non conditionem, & qualitatem principiorum; Esse autem finitum, aut infinitum non variat numerum, sed conditionem principij, icircò haud erat opus, illud vnum immobile per finitum, & infinitum subdiuidi. Quàm autem sit verum id, quod asserimus, vel ex eo conspice, quod Arist. diuidens principia plura per finita, & infinita, addidit, *vno autem plura*: quia cum voces, finitum, & infinitum, possint tum numerum, tum conditionem rei denotare, quo pacto dicimus, finita, vel infinita vis, aut magnitudo, aut virtus, ideò cautè adiunxit, *vno autem plura*, vt innueret, se minimè loqui de principijs finitis, vel infinitis secundum illorum conditionem, & qualitatem, sed secundum eorum multitudinem, inquiens *Et si finita, plura, autem vno, aut duo, aut tria &c.*

Dubitatur secundò, quia dum Arist. diuidit plura principia per finita, & infinita, tenebatur ea ipsa subdiuidere per mobilia, & immobilia, quemadmodum diuisit vnum. Quod cum non fecerit, diminutus est. V.

Respond. Neque id facere opus erat. Ratio est, quia quicunque Veterum Philosophorum plura principia constituerunt, omnes asseuerabant ex ijs generari res per illorummet congregationem, & corrumpi per eorumdem segregationem. Quod si illa congregari, ac segragari deberent, nulla ratione statui poterant immobilia; alioquin neque motu congregationis, neque segregationis possent moueri. Adde, quod deberent alterari; ac proinde moueri, cum alteratio sit motus.

TEXTVS VII.



Imiliter autem quærunt, & quærentes quot sunt ea, quæ sunt. Ex quibus enim sunt ea, quæ sunt, quærunt primum verum hæc vnum, an multa sint, & si multa, finita, an infinita: quare principium & elementum quærunt, vtrum sit vnum, an multa.

M Quid

I. Quid Arist. in hoc tex. agat, alio modo Alex. alio Themist. alio Simplic. & Auerr. interpretantur. Equidem arbitror Aristotelem duo hic confirmare. Vnum est, quod in tradenda scientia Naturali, rectè exordiatur a tractatione principiorum, vt dixerat in tex. 1. & re ipsa in tex. proximè præced. exorsus est. Alterum, quod in explicatione principiorum rectè incipiat ab eorumdem partitione, vt in eodem tex. fecit? Quæ duo tute ipse liquido conspicies, si tibi Aristotelis textum, qui in latin. codic. valdè implicatus est ex græco syncerè dedero, qui sic habet. Similiter etiam quærunt, &, ij qui quot sint entia quærunt: Nam ea quærunt primùm, ex quibus entia constant: vtrum vnum, an multa sint: & si multa, vtrum sint finita, an infinita: quare principium, & elementum quærunt, vtrum sit vnum, an multa.

II. Hæc itaque duo, quæ dixi, probat exemplo Veterum Philosophorum, quicunque de entibus naturalibus philosophati sunt. Nam etiam illi similiter quærunt, ac nos quæsiuimus, & simili modo progrediuntur, ac nos sumus progressi. ἐξ ὧν γὰρ τὰ ὄντα ἐστὶ, ζητοῦσι πρῶτον ταῦτα, ad verbum sonant. *Ex quibus enim entia sunt, quærunt primùm hæc.* (hic est interpungendum) idest, primùm quærunt principia entium, nempè compositorum. Et quærunt, *vtrum, vnum, an multa sint* (principia) *& si multa*, vtrum sint *finita, an infinita.* Vt ergo Veteres sapientes primùm a principijs, tùm ab eorumdem partitione, an videl. principium, & elementum sit vnum, an vero multa &c. tractationem entium naturalium auspicabantur, sic nos (infert tacitè Arist.) consideraturi res naturales, ad imitationem illorum, primùm de principijs edisserendum statuimus, mox ab eorumdem diuisione progressi, quæsiuimus, vtrum ne sint vnum, an multa, vtrum mobilia, an immobilia, vtrum finita, an infinita, vt in tex. præced. exposita sunt.

Adnotationes circa tex. 7.

I. AT dices 1. Quinam fuerunt illi, qui perscrutantes quotnam essent, ea quæ sunt, exorsi sunt ab illorum principijs, & ab eorum partitione.

Multi; & ne longè abeam, ij ipsi, quos Arist. in tex. præced. recensuit: Maximè autem (vt opinor) innuitur Parmenides, & Plato. Nam præter ea, quæ Parmenides ipse elaborauit, & nobis temporum iniurijs interciderunt, adhuc introducitur, a Platone in Dialog. cui nomen Parmenides, tanquam interlocutor, latissimè de ipso Vno edisserit: & diuidit triplex Vnum; vt vnum quidem sit super esse; Alterum in esse: Tertium post esse receptum: Deinde constituit nouem suppositiones de ipso Vno, *in quarum primis quinque*, vt colligit Marsil. Ficin. in com. *quinque rerum gradus, posito Vno, in rerum ordine tradit: in quattuor verò sequentibus inquirit, quot absurda, quot errores, & quanta mala, ipso Vno sublato, sequantur.*

Quid verò? in eodem Dialog. inuenio Aristotelem ab introducto Parmenide ad disputandum prouocatum, & callidè lacessitum, ac veluti spretum; quòd esset iuuenis, & quod eius sensa, ac responsa minimè omnium essent defatigatura Parmenidem: Tum inducitur etiam nominatim Aristoteles, qui se sc promptè obijciat ad respondendum: vbi etiam nimia quædam, & audax ipsius promptitudo sugillatur. Excipe Platonis verba. II.
Tum demum Parmenides, necessè est, inquit, obtemperare, & si mihi videor in id, quod passus est Ibycius equus, incedere: qui & athleta, & senior, curruum subituro certamen, & propter experientiam euentuum extimescenti, Ibycus ipse se conferens, inuitus, inquit, & ego iam senex ad amores regredi cogor. Eadem ratione ego mihi admodum trepidare videor, cum cogitem, quo pacto iam grandis natu tam profundum differendi pelagus transnatare queam. Obsequendum tamen, cum & Zeno ipse roget; ijdem enim sumus. Vnde igitur incipiemus? quidue primum ponemus? An vultis, postquam negotiosum ludum ingressi sumus, a me ipso, meaque positione in primis exordiar; de ipso Vno, inquam, siue vnum sit, siue non, quid accidat? Prorsus, inquit, Zeno. Quis igitur mihi respondebit? An iunior? minus enim negotij præbebit, & quæ ipse sentit, maximè respondebit, vt eius responsio minus me defatiget. Paratus sum ò Parmenides, Aristoteles inquit: me namque significas, dum iuniorem respondere iubes. Sed age, vt lubet interroga me, tanquam lubentissimè responsurum.

Ex quibus quidem verbis id etiam habe, quod Plato primus, vt etiam adnotaui Quæst. prima proœmial. part. 2. Aristotelem scripto lacessiuit, in disceptationem prouocauit, & spreuit: quid igitur mirum, si Arist. illi alicubi vices rependit? III.

Dices 2. Principium, & Elementum sunt diuersa etiam apud eundemmet Aristotelem, malè igitur in hoc tex. indiscriminatim pro eodem vsurpat principium, & elementum, inquiens, *quare principium, & elementum quærunt.* Assumptum est clarum; tum quia principium complectitur omnes causas, & insuper aliqua, quæ re ipsa causæ non sunt, vt explicat Aristoteles lib. quinto de gener. animal. cap. 7. & ideò in quinto Metaphys. cap. 1. *principium est, vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Elementum autem significat solum causas internas, ex quibus inexistentibus fiunt res. Tum etiam, IV.

quia

quia Philosophus ipse eas voces discriminat, cum in tex. 48. huius lib. ait, omnes *Veteres elementa, & ea, qua ab ijs principia nuncupantur, contraria ponunt.*

Respond. Antiquiores Philosophi exordia rerum naturalium appellabant principia: Primus autem fuit Plato, vt Simplic. in proæm. ad hunc libr. refert ex sententia Eudemi, qui nuncupata a Veteribus principia elementa vocauit: icciro Platonis tempore communiter vsurpabatur vox elementi. Arist. noluit ab eo vsu recedere, icciro sæpe appellat elementa: nihilominus quia hoc loco in expendendis Veterum dogmatibus acturus est cum ijsdem Veteribus, & quia eidem Aristoteli in Philosophia tradenda antiquiora vocabula, & placita rite intellecta non displicuerunt, ideò nunc quidem more illorum vtitur nomine principij, vt in tex. 1. dum proponit *primum determinare ea, quæ sunt circa principia.* Et in calce libri colligit, se egisse *quod sint principia, & quæ, & quot numero.* nunc apponit vtrumque nomen, vt in hoc tex. & tertio Metaphys. tex. 3. *& vtrum principia, & elementa sint genera &c.* nunc indicat inter ea differentiam, vt in tex. 48.

TEXTUS VIII.

I. 

Taque si vnum, atque immobile sit id, quod est, considerare, non est de natura speculari. Vt enim & Geometra non amplius est ratio ad eum, qui destruit principia, sed aut alterius est scientia, aut omnium communis, sic neque ei, qui de principijs: non enim amplius principium est, si vnum solum, & ita vnum est. aut enim principium cuiusdam, aut aliquorum est.

Posuit in tex. 6. partitionem principij: & patefecit in tex. 7 rectè initium edisserendi ex eiusmodi partitione iniri: nunc ostendit haud esse munus Naturalis Philosophi, illam opinionem considerare, & confutare, quæ principium intrudit esse vnum, ac immobile; ostendit autem duplici ratione, quarum altera in hoc, altera in sequ. contex. iacet.

Constituit ergo hanc assertionem. Non est officium Naturalis Philosophi considerare, vtrum ne principium, siue ens, sit vnum, & immobile, quemadmodum Parmenides, & Melissus opinati sunt, nec ne.

II. Probat. Nullus scientificus considerat, neque disputat aduersus eum, qui principia suæ scientiæ destruit: Præfata Parmenidis, & Melissi positio destruit principia Philosophiæ Naturalis, quocirca non fuoi partes Philosophi Naturalis, eam opinionem expendere, neque cum eius fautoribus disputationem inire. Maiorem confirmat exemplo Mathematicarum, quippè quæ habentur scientiæ exquisitæ. Etenim si quispiam negei, labefactetque Geometriæ principia, Geometra non tenetur aduersus eum disputare, neque vllam rationem habebit, qua illum euincat, quare eadem ratione Philosophus Naturalis non debet cum eo congredi, qui sua princia inficiatur, ac destruit.

Posset quispiam ex Arist. petere. Si itaque ab aliquo negentur principia alicuius scientiæ, quid tum illa præstare debet? III.

Occurrit. Principia negata probare, *aut est alterius scientiæ, aut omnium communis.* Ita porrò si scientia, cuius principia tolluntur, fuerit subalternata, confugiendum est ad illius subalternantem: hoc innuit Auctor illis verbis, *aut est alterius scientiæ.* sin autem non est subalternata, erit confugiendum ad commnuem facultatem omnium, quæ quidem facultas gemina est: videl Dialectica, & Metaphysica. IV.

Quod verò Parmenidis, & Melissi constitutio euertat Naturalis Philosophiæ principia, ex eo Arist. confirmat, quòd illa duo contendit, videl. quod ens sit tantum vnum, & quod sit immobile. Vtrumque subuertit principia Physices. Primum quidē, quod scilicet sit vnum tantum, subuertit, quia Physicus supponit res naturales habere principia. Atqui opinio, quæ constituit principium, siue ens, esse duntaxat vnum, destruit hoc effatum, quia principium est alicuius entis, siue aliquorum entium principium, cum principium dicatur relatiuè ad principiatum, quare si est principium, necessariò vel erunt plura, vel saltem duo entia. ergo dicta opinio destruit illam Physices suppositionem, quod res naturales principijs prædite sint: quinimo se ipsam destruit, dum voce statuit principium, re autem ipsa non statuit.

Secundum quoque dictum, quod videl. sit immobile, (hoc innuit Auctor illis verbis, καὶ οὕτως ἓν εἶναι, *& sic vnum est.* & sic, idest immobile, quemadmodum illi ponunt) destruit etiam principia Philosophiæ Naturalis. Etenim in ea principium ac fundamentum est, quod in Natura aut omnia, aut aliqua moueantur. *Nobis*, inquit flagitites in tex. 11. *supponatur, ea quæ natura constant, aut omnia, aut aliqua moueri.* Quidnam? Naturam ipsam agnoscimos principium, & causam motus. Qui autem illud vnum intrudunt immobile, funditus euertunt motum; euertunt ergo etiam principia, ac fundamenta Naturalis Philosophiæ, Quid verò? Naturam ipsam ab imis sedibus auulsam penitus labefactant. Non itaque est officium Physici aduersus eos edisserere, ac disceptare, qui principium, siue ens statuunt vnum tantum, atq; immobile. Annectit secundam rationem, dum ait.

TEXTVS IX.



Imile itaque est considerare, an ita sit vnum principium, ac si contra quamuis aliam thesim disceptetur, quæ disputationis causa asseratur, veluti aduersus thesim *Heracliteam: vel si quis affirmarit, idquod est esse vnum hominem.*

I. Qua probat Parmenidis, & Melissi dogma non modo a Philosopho Naturali, sed a quocunq; scientifico negligendum esse. Hoc pacto opinio, quæ est similis positionibus illis, quæ tantùm sermonis, & Disputationis gratia proponuntur, non, modo ab Naturali Philosopho, sed a quocunque scientifico negligenda est. Præfata opinio est huiusmodi: quare &c. Prima propositio ex eo manifesta est, quod. Naturalis Philosophus, & quiuis alius scientificus occupari debet in percipiendis, ac expendendis rebus: quæ autem disputandi & altercandi tantùm gratia ab aliquibus affirmantur, hęc vel Dialectico relinquenda sunt, qui quidem ad exercendum ingenium ea exagitat, vel demandanda sunt Sophistæ, qui itidem ad fallendum machinatur. Etenim *Dialectica*, vt Stagirites loquitur in quarto Metaphys. tex. 5. *est tentatiua, de quibus Philosophia est sciens; sophistica verò apparet, non tamen est*. Secunda autem propositio ostenditur ab Arist. quia Parmenidis, & Melissi thesis est persimilis illi positioni Heracliti, asseuerantis, vt in eodem quarto Metaphys. contex. 9. dicitur, quod propter continuum fluxum, in quo cuncta perpetuò versarentur, nulla res esset, magis hoc, quàm suum oppositum, veluti album non magis esset album, quàm nigrum, & ignis non magis calidus, quàm frigidus. Ex quo quidem omninò consequitur, album, & nigrum esse vnam, atque eandem rem. Quod porrò vel ipsi sensui aduersatur: ita etiam se habet Parmenidis, & Melissi determinatio.

II. Adiungit. *vel si quis affirmauerit id, quod est, esse vnum hominem*. Perinde est thesis Parmenid. & Meliss. ac si quispiam diceret, omnia quæ in mundo sunt, V.G. bouem, equum, lignum cælum, &c. esse vnum hominem. Non ne hic prodigialiter loqueretur? sic isti de suo illo vno, siue principio, seu ente loquuntur.

Adnotationes circa tex. 8. & 9.

CIrca tex. 8. sese offert communis dubitatio. Si quis neget principia alicuius scientiæ particularis, V.G. Physices, quid illa facere debet? debet ne actutum deijci, & obmutescere, an verò alicuius alterius scientiæ implorare opem, vt sua principia tueatur?

Dixi in expositione tex. quod si scientia, cuius principia auferuntur, est subalternata, debet illico ad suam subalternatam confugere, quæ huiusmodi principia monstret, a priori; quinimo iam habet demonstrata. Tritùm quippè est in Tract. de subalternatione scientiarum, quod principia scientiæ subalternatæ sunt conclusiones subalternantis, veluti in Perspectiua respectu Geometriæ, & in Musica respectu Arithmeticæ videre licet. Sin autem scientia, cuius principia tolluntur, nulli alij fuerit subalternata, tunc talium principiorum nulla vnquam esse potest demonstratio a priori, & ex proprijs, neque in eadem scientia, neque in alia: sed duplici alia via confirmanda erunt. Aut enim illa confirmabit dialectica ex probabilibus, (siquidē inter cæteras Dialecticæ dotes, ab Aristotele in primo Topic. cap. 2. relatas, hæc quoque recensetur præcipua, quod ea viam aperiat, & vim habeat maximam ad recognoscenda omnium scientiarum prima principia) aut porrò comprobabit Metaphysica, quæ quidem cum agat de ente, qua ens est, expatiatur iure quodam suo per omnia omnium disciplinarum spacia, ideòque id etiam sibi vindicat, vt prima cæterarum facultarum, ac scientiarum principia tueri, & confirmare possit. I.

Verùmtamen hic sedulo tria obserua. Vnum, quod in scientiarum principijs reperitur quidam ordo, vt videl. alia sint absolutè prima, alia non item, sed quæ dependent ex illis. Quo fit, vt si a quoquam negetur aliquod principium non absolutè primum, commodè potest illa eadem scientia id comprobare etiam a priori, cum illi præsto sit aliud principium prius illo: si verò negatum principium fuerit absolutè primum, nequit ea via illud ostendere, cum huiusmodi principium in ea scientia, careat alio priori se, sed illic fiat status, vt explicat Philosophus in primo Poster. cap. 2. II.

Alterum est, quod quiuis scientificus potis est confirmare sua principia a posteriori, quemadmodum docet Philosophus in primo Poster. cit. tex. 33. & lib. sexto Topic. cap. 3. Potest etiā eadem ipsa sua principia corroborare obliquè, dum difficultates, quæ circa illa prima principia suboriuntur, ritè dissoluit: eas, inquam, difficultates, quæ a praua dictorum principiorum intelligentia proficiscuntur, vt etiam facit Philosophus in hoc lib. tex. 11.

Tertium, est; quod gemino modo potest aliquis inficiari principia alicuius scientiæ. Vno quidem immediatè, altero autem obliquè. Priori modo, vt si quispiam in Physica negaret motum, & in Geometria negaret, omne continuum esse diuisibile in semper diuisibilia. Et tunc Physicus, & Geometra nequeunt negantem talia principia conuincere. Posteriori autem modo fit, quando aliquis negat in scientia vnum principium, nihilominus concedit alia, ex quibus illud colligi, & ostendi valet. V.G. si quis in Naturali Philosophia inficietur materiam primam, aut primum motorem, concedat

autem

Digitized by Google

autem naturales formarum transmutationes, & concedat etiam motum. Tunc Naturalis Philosophus ex officio potest illum redarguere, & ex concessis ab eodem viuidè demonstrare necessitatem, atque existentiam tum materiæ primæ, tum primi
III. motoris.

At dices. Si quis inficietur principia Metaphysices, quid ea factura est? Ipsa ne ea comprobabit, an ad aliquam aliam scientiam confugiet? Si ea ostendit sua principia negata, cur hoc idem reliquæ scientiæ, de suis negatis principijs præstare nequeunt? sin autem confugit ad aliam scientiam, quæ vtquam illa est?

Respond. Principia Primæ Philosophiæ geminæ esse conditionis: Quædam habent proprium, & legitimum medium, per quod in aliqua alia scientia demonstrentur; quædam huiusmodi medio carent. Prioris classis in Metaphysica est, V.G. quod in hac rerum vniuersitate reperiantur substantiæ abstractæ, penitusque immobiles. Porrò si quispiam neget Metaphysico hoc principium; Metaphysicus accipit a Philosopho Naturali proprium, & genuinum medium, quod est motus, (Physicus enim per motum scrutatur, inuenitque entia a materiæ concretione abiuncta, penitusque immobilia, eaque inuenta tradit Primo Philosopho, qui deinde expendit quid, & qualia ea sint, vt in octauo huius operis lib. ostendi) accipit, inquam, dictum medium physicum, atque per illud commonstrat dari in rerum natura einsmodi substantias immateriales, & immobiles. Sic haud semel facit Stagirites. V.G. in duodecim Metaphys. tex. 35. demonstratione physica ex æternitate motus patefacit dari einsmodi substantias: & in eodem lib. tex. 49. accepto medio ab Astrologia recenset, & constituit Orbes cælestes: sic alibi sæpe.

IV. Si verò principium in Metaphysica negatum caret etiam in alia scientia germano, & legitimo medio, quo demonstrari queat, tunc ipsamet Metaphysica alia via illud confirmabit: nunc quidem per habitum Dialectices, nimirum per locos communes probabiliter contra aduersarium edisserit: nunc per nominis notam, atque etymologiam illum ipsum exagitat: nunc testimonio, & euidentia sensus eundem euincit, nunc communibus, sed necessarijs rationibus aduersarium vnà cum sua positione ad absurda, & impossibilia compellit; nunc alio consimili modo vt apud Arist. in Metaphysicis quiuis vel superficietenus versatus potest animaduertere: Sic itaque Metaphysica negata sua principia tum ex se, tum ope alterius scientiæ suffulta patefacit. Hoc autem cæteræ scientiæ efficere nequeunt, quia sunt particulares, & habent determinatum quoddam subiectum, & vt in sexto Metaphys. tex. 1. legimus, *istæ scientiæ omnes sunt circa vnum aliquid, & quoddam genus circumscribentes, de eo tractant, sed non de ente simpliciter, neque prout ens est, neque ipsius quid est vllam rationem faciunt, sed ex hoc, quædam sensu illud manifestum facientes, quædam suppositione ipsum quid est accipientes, consequenter ea, quæ per se generi insunt, circa quod sunt, aut magis necessario, aut debilius demonstrant.* Metaphysica verò *speculatur ens, pro vt ens est, & quæ ei per se insunt*, vt dicitur in principio quarti Metaphys. Quocirca in primo Poster. cap. 9. nuncupatur *Domina aliarum scientiarum*; Et in tertio Metaphys. tex. 3. appellatur *principalissima, & honorabilissima, cui cæteras scientias, tanquam ancillas contradicere non decet*. Et in primo lib. eiusdem voluminis cap. 2. & 3. complures, eæque præclaræ ipsius laudes supra alias scientias efferuntur. Ob has itaque rationes Metaphysica valet, eo, quo dixi, modo, sua principia comprobare, si negentur; aliæ autem particulares scientiæ non item, sed vel ad subalternantes, vel ad communes, Dialecticam, & Metaphysicam confugiant necesse est.

Perpendo 2. quod ex eodem tex. 8. erui potest V.
confirmatio opinionis illorum, qui tuentur, Logicam esse verè scientiam, quoniam Arist. eam nomine scientiæ hoc loci condecorauit, dum ait, probare scientiæ principia negata, esse officium, *aut alterius scientiæ, aut omnium communis*. Per scientiam omnibus scientijs communem intelligit Metaphysicam, & Dialecticam, quæ est pars Logices, quandoquidem Dialectica propriè est pars Topica.

Perpend. 3. circa tex. 9. quod θέσις, *positio*, VI.
inter alia significat etiam inopinabilem quandam opinionem, & quæ suam ipsa secum præseferat improbabilitatem, prolatam tamen ab aliquo præclaro, ac celebrato Philosopho. Qua de re audi Philosophum in primo Topic. cap. 1. θέσις, *positio*, inquit, *est existimatio extranea alicuius eorum, quorum in Philosophia illustris est & peruagata fama, veluti non posse contradici, vt placet Antistheni, vel moueri omnia, vt est sententia Heracliti, vel vnum esse omnia, quemadmodum ait Melissus.*

Perpend. 4. quod si positio est a præclaro quo VII.
piam, & illustri Philosopho, existimatio, seu pronunciata sententia, quomodo erit extranea, & a recta ratione vsqueadeò dissentanea? An viri præclari, doctrinaque, ac fama illustres ità delirant?

Huic obiectioni quasi tacitè occurrit Arist. in tex. dum inquit, eam thesim esse τῶν λόγου ἕνεκα λεγομένων, *ex ijs, quæ sermonis*, siue, *orationis* siue, *disputationis gratia dicuntur*. Perinde ac si dicat, opinandum non est, eximios illos, & in doctrina viros magnos ita ex animo sensisse, quemadmodum ea pronunciata sonant, sed fuisse ab ijs proposita solum causa edisserendi, & exercendi orationem, & ingenium. Profectò credi vix potest, quod Heraclitus V.G. vir alioquin grauis, ac sapiens, ex sententia tenuerit, quod album, vt in hoc tex. refert Arist. non esset magis album, quàm nigrum, & quod calidum haud esset magis calidum, quàm frigidum, aut bonum minimè esset magis bonum, quàm malum. Eo itaque animo hæc paradoxa pronunciabat, vt alijs causam sermonis, & ingenij exercendi suppeditaret. Consimile

Digitized by Google

milj ratione illa Parmenidis, & Melissi thesis, quod omnia fiat vnum, æquo animo erit a nobis iudicanda. Huic doctrinæ mirificè fauet Plato, qui Parmenidem magni duxit, & appellat magnum, ac diuinum; nihilominus hanc illius positionem carpit, ceu fabulosè dictam. Platonis verba ex Dialogo, *Sophista, seu de ente.* hæc omninò sunt. *Eleatica,* (Parmenides fuit eleates) *verò apud nos doctrina a Xenophane,* (hic fuit præceptor Parmenidis) *imo & ab antiquioribus origenem ducens, omnia quæ esse dicuntur, vt vnum ponit, fabulosèque disserit.*

TEXTVS X.



Vt soluere argumentationem litigiosam, quam ambo sermones habent, tam Melissi, quàm Parmenidis: etenim falsa accipiunt, neque concludunt: sed ratio Melissi est magis importuna, nec habet dubitationem. Sed vno absurdo dato, cætera eueniunt: hoc verò non est difficile.

I. Connexio tex. conspicua est. Dixit, consimile esse velle opinionem Parmenidis, & Melissi expendere, ac velle contra quamuis aliam extraneam,& inopinabilem positionem disceptare, quæ sermonis, ac disceptationis gratia proponi solet: nunc addit, & simile est (inde enim pendet initium huius tex.) velle litigiosas eorumdem Parmenidis, & Melissi rationes dissoluere, atque circa inopinabiles illas theses altercari. Quare conclusio intenta ab Aristotele in hoc tex. est hæc. Nullus scientificus, ne dum Philosophus Naturalis, tenetur diluere contentiosas, & importunas Parmenidis, & Melissi rationes. Quam quidem assertionem duplici fulcit argumento: quorum alterum in hoc, alterum in sequ. tex. continetur.

Argum. est. *Falsa enim accipiunt,* καὶ ἀσυλλόγιστοί εἰσιν. *& non concludunt,seu, & non syllogizantes sunt.* Sic collige.Nullus scientificus tenetur depellere rationes, quæ & in materia, & in forma peccant: Argumentationes Parmenidis, & Melissi huiusmodi sunt: peccant quippè in materia, quia *falsa accipiunt*: peccant itidem in forma, quia *non concludunt*. quare nullus scientificus, ne dum Philosophus Naturalis tenetur eas dissoluere. Quomodo autem hisce vitijs rationes illorum laborent, in progressu aperietur.

II. Deinde quasi conferens vtriusque rationes, quæ porrò ea tempestate inter viros etiam mediocriter eruditos circumferebantur tritæ, ait, eam Melissi esse μᾶλλον φορτικήν, *magis onerosam*, seu *magis importunam*, nec vllam habere difficultatem. Addit, *sed vno absurdo dato, cætera eueniunt.* Nil, inquit, mirum, quod præfati auctores tam absonè se gerant, tamque absurdè ratiocinentur, quoniam vno inconuenienti concesso, complura alia consequuntur. *Hoc autem non est difficile.* Quæ verba dupliciter expono. Primùm, *hoc*, videl. quod admisso vno aliquo inconuenienti, alia consequantur, non est difficile videre in quacunque alia re. Adhibent aliqui accomodatum huius effati exemplum ex ijs, qui in principijs viarum aberrant. Vbi namque semel a recta via deflexerint, tota deinceps via magis atque magis aberrare coguntur. Quinimo quemadmodum ex vno vero multa vera, sicex vno falso,& absurdo, multa falsa, & absurda consequi animaduertimus. Deinde illa eadem verba, *hoc autem non est difficile*, exponi possunt, quod non est difficile detegere,& declarare,quomodo horum virorum litigiosæ & absurdæ argumentationes consequantur ex vno illo inconuenienti concesso de Vno, siue principio, siue ente.

TEXTVS XI.



Nobis autem supponatur, ea quæ natura sunt, vel omnia vel quædam moueri, quod quidem per inductionem perspicuum est. Simul autem nec soluere omnia decet, sed ea tantum, quæ ex principijs, demonstrans quispiam falsò concludit: quæ verò non ita concluduntur, *nequaquam soluenda sunt, exempli gratia tetragonismum, qui per segmenta* fit, *Geometræ* est *dissoluere, Antiphontis verò* tetragonismum dissoluere, *non est Geometræ.*

I. Annectit secundum argum. quod hoc pacto struo. Illas rationes tenetur quiuis scientificus in sua scientia dissoluere, quibus aduersarius concludit aliquid ex principijs illiusmet scientiæ, sed malè intellectis; non autem tenetur illas depellere, quæ non deducuntur ex principijs dictæ scientiæ, sed hauriuntur ex principijs contrarijs. Atqui rationes Parmenidis, & Melissi non concludunt ex principijs Naturalis Philosophiæ,quinimo ex contrarijs, quare nos neutiquam tenemur eos in scientia Naturali diluere. Minor continetur in primis textus verbis: Nos, inquit Stagirites, in scientia Naturali, in qua nunc versamur, ceu primum principium sternimus, quod eorum, quæ natura existunt, aut omnia, aut quædam moueotur. Id quod non temerè, sed ex inductione supponimus. (nam *prima principia inductione fiunt nobis manifesta*, vt in calce lib. secundi Poster docemur.) siquidem & corpora cælestia, & elementa, & mixta inanima, & plantas, & animalia moueri conspicimus. At præfati auctores eum omnem funditus euertant, motum, desumunt suas rationes ex principijs omninò contrarijs principio nostro: non

igitur

igitur partes nostræ fuerint eas confutare. Maiorem autem expressit, dum inquit, *Simul autem nec soluere omnia decet, sed ea tantum, quæ ex principijs demonstrans quispiam* ψεύδεται, *mentitur, siue falsò concludit: quæ verò non* ex principijs concluduntur, *soluenda non sunt*.

II. Vtramque hanc partem confirmat exemplo Geometrico de quadratione, seu Tetragunismo, quem Hippocrates, Chius, & Antiphon inuenire tentarunt: quorum ille contendebat quadrare circulum per lunulas, siue decisiones circumferentiæ, & ratiocinabatur, retentis principijs Geometriæ, attamen progrediebatur ex quadam præmissa geometrica falsa: iccircò huius quadrationem refellere, est opus Geometræ. Antiphon verò quadrabat itidem Orbem ex eo, quia opinabatur, circulum posse æquari per aliquam figuram rectilineam. Quæ quidem acceptio est contraria principijs Geometriæ; propterea huius quadrationem confutare, non tenetur Geometra. Haud secus in proposito, cum rationes Parmenidis, & Melissi proficiscantur ex principijs e regione aduersis, ac contrarijs initijs Philosophiæ Naturalis, in qua quidem aut omnia, aut quædam moueri, est prima positio, quam illi penitus euertunt, profectò haud erunt Philosophi Naturalis partes, rationes illorum confutare.

Adnotationes circa tex. 10. & 11.

I. PErpend. 1. quod λόγος ἐριστικὸς, *ratio contentiosa*, in eo a ratione sophistica discriminatur, quod sophistica quæ ad materiam vtitur veritate, sed figuram concludendi syllogisticam non habet: contentiosa autem secundùm vtramque partem decipit, & secundùm materiam, & secundùm formam. Adi Philosophum in primo Elench. cap. 10 quo loco constituit differentiã inter contentiosas, & sophisticas rationes, quod contentiosæ sint, quæ non procedunt ex proprijs illius scientiæ, in qua fiunt, sed ex communibus alijs scientijs: captiosæ autem, & sophisticæ sunt, quæ ex proprijs illius scientiæ, in qua fiunt, decipiunt; excipe verba. *Qui igitur secundùm rem considerat communia, Dialecticus est, qui autem id apparenter facit, sophysticus. Et syllogismus contentiosus, & sophisticus, vnus quidem est apparens syllogismus circa ea, de quibus Dialectica tentatiua est, quamuis vera sit conclusio, nam eius, quod est propter quid, hallucinatorius est, & quæcumque, cum non sint, secundùm cuiusque disciplinam captiosæ ratiocinationes videntur esse secundùm artem. Nam pseudographiæ non contentiosæ, (secundùm enim ea, quæ sub arte sunt, captiosæ sunt ratiocinationes) neque si aliqua est pseudographia circa verum, vt Hippocratis quadratura, quæ per lunulas, sed vt Brysso quadrauit circulum; & tametsi quadraretur circulus, quia tamen non secundùm rem, ideò sophisticus*. quadratio enim Brissonis erat ex communibus, & falsa, vt mox dicam, ideò contentiosa. De contentiosis rationibus vide etiam Aristotelem in quarto Metaphys. tex. 28. cum itaque etiam rationes Parmenidis, & Melissi constarent ex communibus alijs scientijs (loquebantur enim non naturaliter) iccircò erant contentiosæ.

Perpend. 2. rationem Melissi vocari μᾶλλον φορτικὸν, *magis onerosam*, magis importunam. II.
At cur? an quia ratio quidem Parmenidis, quamuis falsa assumat, & vitiosè concludat, nihilominus quoddam acumen, & aliqualem difficultatem præsefert; ea verò Melissi est superficialis, nullamque auditoribus ingerat dubitationem? An verò quia Melissus non modo constituit ens vnum, & immobile, quemadmodum Parmenides, sed præterea constituit, ipsum esse infinitum, vt testatur Arist. in tex. 15? Quod si foret infinitum, ergo & quantum: si autem quantum, ergo erat subiectum, siue substantia, & quantitas, quo igitur pacto vnum? ita Simplicius.

Quæ expositio ferri posset, nisi quod Arist. in hoc tex. verba facit non de positione, sed de argumentationibus Parmenidis, & Melissi. Hasce appellat contentiosas, & tum in materia, tum in forma peccantes, & eas ipsas comparans, eam Melissi vocat magis onerosam: Præfata autem Simplicij interpretatio, non loquitur de ratione, sed de ipsamet positione Melissi, quemadmodum etiam quidam alij perperam interpretantur; quæ circa expositio Simplicij non facit ad propositum.

Melius itaq; dicendum est appellari *magis onerosam*, quia magis aduersatur rebus per se manifestis. Quod inferius apparebit. Perpende etiam elegantem Auctoris metaphoram acceptam ab onere, quod quemadmodum aggrauat, ac molestia afficit corpus, sic Melissi ratio onerat, ac molestat animum.

Perpend. 3. *sed vno inconuenienti dato*, τἆλλα III.
συμβαίνει, *cætera accidunt*, Quod nàm fuit illud inconueniens, quo a Parmenide, & Melisso concesso, reliqua absurda subsequuta sunt? Dupliciter respondeo; Primò, quod hæc propositio est indefinita, neque vllum in particulari indicat absurdum, quo ab ijs admisso, reliqua consequuta sint; sed absolutè, dato vno aliquo inconuenienti, alia quoque obtingunt. Secundò dico, Aristotelem respexisse particulare inconueniens. Hoc autem extitisse puto id, quod idem Auctor recensuit in octauo lib. huius operis tex. 22. videl. *dimittere sensum, & quærere rationem*, ita Parmenides, ac Melissus circa res ad motum, & sensum spectantes, dimiserunt sensum, legitimum earum iudicem, & circa inanes, & contentiosas rationes occupati, ex illo vno inconuenienti, in reliqua teteriora prolapsi sint.

Perpend. 4. illis verbis: *Nobis autem suppo-* IV.
natur, ea, quæ natura constant, aut omnia, aut aliqua moueri, conspicuè Auctor videtur admittere nonnulla entia naturalia non moueri: hoc quippè indicat limitatio, *aut aliqua*. Simplicius opinatur ea, quæ hic eximuntur a motu, esse polos cæli, centrum Vniuersi, & axem eiusdem; hæc quippè immobilia existunt. Alex. autem vult esse Ani-

mam:

mam: Philoponus, esse virtutes, & potentias, quæ sunt in subiecto, atque animas ipsas irrationales, quæ sunt quidem res naturales, & tamen suapte natura sunt immobiles: Auerr. demum ait, significari partes centro propinquas.

V. Quæ omnia ingeniosè, at non verè dicuntur. Nam poli, & centrum Vniuersi sunt puncta imaginaria, quemadmodum etiam axis est linea, sola imaginatione concepta ab vno polo, per centrum Vniuersi ad alium polum pertingens: Anima autem, quemadmodum, & facultates ipsius mouentur per accidens: omnium autem falsissimum est, partes centro propinquas esse immobiles. Illa igitur dicendi forma Arist. non significat, esse aliquas res naturales motionis omninò expertes; nam si natura constant, profectò prædictæ etiam sunt principio motus: sed quia ad negandum positionem vniuersalem, qua Parmenides, & Melissus nullam vnquam rem mouari statuebant, satis est accipere, vel omnes, vel quasdam res naturales moueri, idcircò ita loquutus est. Quæ autem semper, & quæ aliquando mouentur ex professo tractat in lib. oct. à tex. 22.

Digressio

De quadratione circuli, & præsertim de ea Hippocratis, Chij, & Antiphontis.

I. QVadratura circuli, quæ nobis est τετραγωνισμὸς, nihil est aliud, quàm proposito cuicumque circulo, exhibere quadratum illi æquale. Quæ quidem æqualitas intelligitur de areis, seu spatijs eorum, ita vt area circuli, siue superficies illa circularis sit æqualis areę, ac superficiei quadratæ. Quapropter vehementer hallucinantur, vt optimè adnotauit P. Iosephus Blancanus in opere, quo Aristotelis loca Mathematica doctè, & vtiliter explicat, quicumque opinantur, per quadraturam circuli inquiri æqualitatem linearum, ita vt circumferentia circuli debeat esse æqualis ambitui, siue quatuor lateribus quadrati, quod omninò falsum est.

Circulum quadrare tentarunt complura optima ingenia tam priscorum, quàm recentiorum, improbo, ac pertinaci labore, quamuis ad hanc vsque diem a nemine hæc res perfectè demonstrata sit. Non quod huiuscemodi quadratio, ac proinde eius demonstratio possibilis non sit, quippè eam possibilem esse, existimant viri doctissimi. Quis enim ambigere potest, inquit P. Blancanus loco nunc indicato, posse existere quadratum æquale circulo proposito? Quod si potest; quare non etiam potest demonstrari? præsertim eum videamus ab Archimede iam inuentam esse, quatenus ea est theorema?

II. Pro cuius rei intelligentia aduerte, quod aliud est loqui de quadratione, quatenus theorema est, & aliud quatenus est problema; quemadmodum eruditè explicat Auctor, quem indicaui, cuius verba, quia illud opusculum passim obuium non est, hic exscribam. Quadratio circuli dupliciter proponi potest, vel tanquam theorema, vel tanquam problema, (theorema autem est propositio, in qua nihil faciendum proponitur; problema verò aliquid fieri expostit) neutrum autem tempore Aristotelis erat adinuentum: nam theorema inuentum est post ipsum ducentis circiter annis ab Archimede: problema verò nondum à quoquam perfectè potuit reperiri; Qua distinctione saluari possunt nonnulli, vt Boetius hoc loco, qui aiunt, se vidisse demonstrationem quadraturæ huius; si nimirum intelligant theorema: & alij etiam verum asserunt, dum negant hactenus repertam esse, si nimirùm de problemate loquantur. Theorema Archimedis est propositio prima acutissimi libelli de Dimensione circuli. Est autem huiusmodi. Quilibet circulus æqualis est triangulo rectangulo, cuius quidem semidiameter vni laterum, quæ circa rectum angulum sunt, ambitus verò basi eius est æqualis. Sit v. g. datus circulus, cuius semidiameter A B; & sit triangulum rectangulum A B C. cuius angulus B. sit rectus, & latus B A. constituens angulum rectum B. cum basi B. C. sit æquale semidiametro A B. basis verò B C. sit æqualis peripheriæ eiusdem circuli dati, demonstrat iam vbi Archimedes acuta æquè, ac euidenti demonstratione, triangulum istud æquale esse circulo illi: quod perinde est, ac si ostendisset, eumtem quadrato fit æqualis, cum per vltimam 2. Eucli: possimus triangulo huic quadratum æquale construere quod consequenter dato circulo æquale erit. Quod si in modum Problematis ita proponatur. Dato circulo æquale quadratum constituere, nondum inuenta est ratio, quæ demonstratione confirmetur, qua id geometricè penitus, hoc est ad æqualitatem mathematicam, seu exactissimam effici possit; totaque difficultas posita esse videtur in inuestigando quonam modo exhibeamus lineam rectam B. C. æqualem peripheriæ circuli dati, quam nullus hactenus geometricè illi æqualem potuit, exhibere; atque exhibita euidenti demonstratione comprobare. Quamuis Archimedes acumine sanè mirabili, in lib. de spiralibus, eam quoque theorematicè, non tamen problematicè inuestigauerit; nam propositione 18. illius admirandi operis inuenit lineam rectam æqualem circumferentiæ primi circuli spiralis lineæ; proposit. verò. 19. reperit aliam rectam æqualem circumferentiæ secundi circuli. Tu ipsum consule, si admirandarum rerum contemplatione delectaris. Multa hac de re Pappus Alexandrinus lib. 4. Math. coll. & Ioannes Buteo vnico volumine omnes quadraturas tam Priscorum, quàm recentiorum complexus est. Hæc P. Blancanus in dicto opere ad cap. 3. de his, quæ ad aliquid. At nobis tantum erit dicendum, quantum pro intelligen-

tia


Digitized by Google


tis Aristotelici textus exigitur.

III. Circa quem tex. ante omnia scito, Quadrationem, quam Arist. ait Geometram non teneri refellere, haud esse illam Brysonis, vt inter alios opinatus est D. Thomas, sed Hippocratis Chij. Quod vel ex eo conuinces, quia quadratio Brysonis, vt videre est apud Arist. tum saepe alibi, tum in primo Poster. tex. 23. erat per principia minus communia, illa verò Hippocratis, eodem Philosopho auctore in primo Elench. cap. 10. erat per minuscos, hoc est per lunulas, quas in praesenti contex. appellat decisiones. Verùm, vt rem hanc penitus comprehendas, apponam omnes tres modos, quibus acutissimi illi viri orbi quadrum exhibere aequale nisi sunt.

IV. Hippocrates hic relatus ab Arist. & in primo Meteor. cap. 6. & in prim. Elench. cap. 10. priùs mercator, deinde à piratis opibus expoliatus, Athenis tantùm in Mathematicis profecit, vt circulum ad quadrum redigere contenderit. Visus autem est demonstratione, quam multi referunt, inter quos fosè Simplicius: hmatius tamen eam expressit P. Blancanus ad cap. 31. lib. secundi Prior. Analyt. Ac primò quidem hunc in modum scribit, Notandum praeterea, Hippocratem Chium fuisse auctorem huius Abductionis, eumque fecisse abductionem à proposito Problemate quadrandi circuli: vnde manifestè apparet, Aristotelem ex Mathematicis hunc terminum mutuò accepisse, quandoquidem ex ijsdem accepit etiam exemplum Aductionis Mathematicae; imò etiam exemplum ipsius auctoris Abductionis Mathematicae. Syllogismus autem Hippocratis, quo ostendebat circuli quadraturam, reducebatur ad has propositiones: omnia rectilinea figura quadratur, sed circulus reducitur ad figuram rectilineam, ergo circulus quadratur. In probatione minoris facta est Abductio, eum enim ipse vellet rectificare circumferentiam circuli per lunulas, nec valeret, alij per lineam quandam quadratricem, vt est apud Pappum Alexandrinum, & apud P. Clauium in fine sexti Elem. & alij aliter frustra conarentur, facta est Abductio circa probationem minoris, in qua adhuc Mathematici versantur: quae probatio, si tandem inueniri posset, mox sequeretur principale propositum problema, nimirum circulus quadraretur. Haec P. Blancanus.

V. Deinde idem Auctor haec omninò subdit, Hoc modo Hippocrates Chius conabatur circulum ad quadrum redigere. Sit circulus A B G C. quadrandus; constituatur itaque super diametro eius B C. quadratum, B C D F. cuius diameter B D. secatur bifariam in G. a circumferentia circuli dati, quod patet ducta semidiametro H G. perpendiculari ex B C. quae suo extremo puncto G. secat bifariam, & diametrum B D. & circumferentiam B G C. facto ergo centro G. describatur alter circulus per puncta B C D F. connectaturque recta in triangulo orthogonio B G D. latus B D. subtenditur angulo recto C. ergo quadratum eius ex corollario 47. primi duplum erit quadrati B C. quare etiam circulus B C D F. duplus erit circuli A B G C. per 2. duodecimi, & semicirculus B C D, duplus erit semicirculi B A C. & quadrans B E C G, aequalis erit semicirculo B A C. ablato igitur communi segmento B E C H, remanet lunula B A C E, aequalis triangulo B C G. quod triangulum si per vltimam secundi quadretur, erit lunula. B A C. consequenter quadrata; Hucusque benè procedit Hip-







pocrates, sed vt reliquum circuli quadret, sic pergit. Ponatur recta L M, dupla ipsius B C. supra quam semicirculus describatur L O M cui inscribatur hexagoni aequilateri dimidium L Q S M. & super tribus hexagoni lateribus sint trea semicirculi, vt in figura; & quoniam diameter L M. dupla est vniuscuiusque diametrorum B C. L Q. Q S. S M. erit semicirculus L O M. aequalis quatuor semicirculis praedicta per 2. duodecimi, & per 4. secundi: ablatis igitur tribus segmentis communibus L N Q; Q O S, SPM, relinquetur trapezium L Q S M. aequale semicirculo B A C, e tribus lunulis L H Q N, Q R S O, S X M P, abscindantur itaque de trapezio tria triangula aequalia tribus lunulis, eo modo, quo supra in prima figura factum est, & quod relinquetur: aequale erit semicirculo B A C, quod deinde quadretur per vltimam secundi. Sed aduerte, quod quando ait, abscindantur de trapezio tria triangula aequalia lunulis, eo modo quo supra, committit deceptionem, quia eodem modo, quo supra, minimè

simè id facere possumus, quia in superiori figura triangula erant constituta super latus B C. quadrati B C D F. intra circulum descripti, qui circulus facit cum B C. maius segmentum, quam faciat semicirculus L O M. cum lateribus L Q. Q S, S M. & propterea semicirculus iste non habet eandem proportionem ad vnamquamq; lunularum suarum, quam habet semicirculus superior B C D. ad lunulam B A C E. Atque hæc est fallacia, quam Auctorem suum minimè latuisse putandum, cuius Arist. sæpius mentionem in sequentibus faciet, qui enim fieri potest, vt tam acutus inuentor adeò manifestum errorem non vidisset? verùm propter adinuenti excellentiam, Auctori suo placuit paralogysmus; mirabilis tamen semper habita est illa superior lunulæ quadratio.

VI. Brysso autem alia via ingressus est ad quadrationem hanc faciendam, quam etiam eiusdem Blancani verbis apponam, quæ sunt ad tex. 23. ex primo Poster., vbi Arist. ita scribit, *Est autem sic monstrare, quemadmodum Bryso quadraturam; secundum enim commune monstrant tales rationes*. Sit quadrandus circulus A B C D. cui circumscribatur quadratum E F G H; per 7. quarti; & alterum quadratum I L M N. eidem inscribatur per 6. quarti, quid autem sit circumscribere, & inscribere figuram circulo, ex definitione 3. & 4. eiusdem libri petatur, quamuis ex inspectione figuræ præsentis satis percipi possit; deinde aliud quadratum medium inter prædicta duo constituatur, sitque O P Q R; tam sic ostendebat, istud medium quadratum esse æquale circulo proposito. Quæcumque sunt simul maiora eodem, & minora eodem, sunt inuicem æqualia: sed circulus, & quadratum medium, sunt ambo maiora quadrato inscripto, & ambo minora quadrato circumscripto, ergo circulus, & quadratum medium sunt æqualia: Vtebatur, inquit Arist. prædicto principio etiam numeris, lineis, temporibus, & qualitatibus communi, neque deductio ex natura circuli, aut quadrati, de quibus erat demonstratio. Præterea aduertendum est, illud esse falsum; nam sex, & quinque, ambo sunt maiores, quàm quatuor, & minores, quam septem, & tamen non sunt æquales.



Accipe denique ostensionem Antiphontis ex eodem Blancano ad cap. 10. libri primi Elench. ad illa Aristotelis verba, *Aut, vt Antiphon quadrauit*. Simile peccatum peccasse Antiphontem in orbe quadrando, ac Hippocratem, Arist. his verbis videtur significare, idest, ipsum, quamuis ex proprijs Geometriæ, falsis tamen ratiocinatum esse: Cæterum Antiphontem in hunc modum orbem ad quadrum redigere tentasse, tradit Simplicius. Circulo quadrando inscribebat primò quadratum A B C D. deinde in singulis quatuor segmentis inscribebat totidem trigona æquilatera, vt patet in adscripta figura: postea super singula latera horum triangulorum in reliquis segmentis inscribebat adhuc triangola similia triangulo A I E, alia insuper trigona super latera istorum constituebat; donec ambitus figuræ illius multilateræ in circulo delineatæ circumferentiæ circuli aptaretur



Quod fieri posse, ille falsò contra Geometriæ principia assumebat; est enim principium Geometricum, continuum esse diuisibile in infinitum, neque per diuisionem absumi posse; cui principio aduersatur, dum putat, se consumpturum totum circulum, diuidendo illum in triangula semper minora; vel quia putat, lineam curuam constare ex minimis lineis rectis. Similiter igitur, atque Hippocrates errauit, qui pariter in Geometria fallebatur. Antiphon quidem contra principia illius: Hippocrates verò assumens falsi quidpiam in Geometria. At Brysso eò quod per communia alijs scientijs deduceret ratiocinationem. Propterea pseudographia Antiphontis non litigiosa quidem, sed tamen fallax extitit, non enim

enim per communia alijs scientijs procedit; vnde nec transferri poterat ipsius falsa descriptio, seu demonstratio extra Geometriæ limites, quod causa est contentionis.

VIII. Hinc vides, quare quadratio Hippocratis, quæ fiebat *per sectiones*, a Geometra diluenda sit, non item ea Antiphontis: sic nec rationes Parmenidis, & Melissi disoluendæ sunt a Philosopho naturali. Verùm hac de re nihil vlterius addam: qui plura cupit, adeat Pappum Alexandrinum lib. quarto Math. coll. & Ioannem Buteo, qui integro volumine omnes quadraturas, tam antiqui quam subsequentis æui complexus est.

TEXTVS XII.



Ed, quoniam de natura quidem, non autem naturales dubitationes contingit dicere ipsos. forsitan quidem bene se habet aliquantulum disputare de ipsis, habet enim philosophiam hæc considera tio.

I. Sanxit in præcedentibus tex. Philosopho Naturali haud esse verba serenda cum Parmenide, & Melisso, ob rationes hucusque expositas: nihilominus nunc in tex. præs. subiungit, quod fortassis vtile fuerit, si aliquantisper cum ijs edisseramus: Atque huius dicti duplicem annectit rationem.

II. Prior duobus modis legitur, & totidem etiam exponitur. Et quidem græci characteres in vtraque lectione ijdem sunt, & eodem omninò loco iacent; sed sola interpunctio, seu comma variat sensum, redditque duas intelligentias penitus diuersas. Nam si comma postponatur particulæ οὐ, facit vnum sensum, si ante ponatur, facit contrarium. Si legas, ἐπειδὴ περὶ φύσεως μὲν οὔ, *quoniam de natura quidem non*, φυσικὰς δὲ ἀπορίας συμβαίνει λέγειν αὐτοῖς, *physicas autem dubitationes contingit eos dicere*. facit hunc sensum. Parmenides, & Melissus, non loquuntur quidem de natura: nihilominus contingit eos dicere, & excitare dubitationes naturales, ideircò propter eas saltem dubitationes, est nobis cum ijs congrediendum. Quod autem non loquantur de Natura, vel ex eo liquet, quòd Natura est principium motus: illud autem Vnum ab ijs pro principio intensum, vtpote immobile, euertit motum: proinde non loquuntur de Natura. Quod verò contingat, eos nonnullas dubitationes naturales excitare, etiam conspicuum est, quia sublato motu, adhuc permultæ difficultates ad Naturam spectantes exoriuntur.

Si autem legas, περὶ φύσεως μὲν, *de Natura quidem*, οὐ φυσικὰς δὲ &c. vt integra sententia sit, *Quia verò de Natura quidem, non naturales autem dubitationes contingit eos dicere*. reddit hunc sensum. Parmenides, & Melissus loquuntur quidem, seu profitentur, se loqui de Natura, quamuis non inducant dubitationes naturales, quare non erit ab re cum ijs aliquantulum disserere. Vtraque hæc expositio suos habet patronos, etiam ex antiquis interpretibus, vt apud Simplic. videre potes. Mihi prior magis arridet. Eam habent omnes codices Græci, quibus do manus. Et est modus loquendi Aristoteli familiaris; Et ratio quoque in ea expositione indicata, quod videl. Parmenid., & Meliss. non loquerentur de Natura, eandem expositionem euincit. Et denique, quia Arist. in tex. 8. aiebat, considerare, *an vnum sit ens & immobile, non esse considerationem* περὶ φύσεως, *de natura*.

Posterior ratio, quæ etiam in tex. iacet, est, *Habet enim in se philosophiam hæc consideratio*. Hæc sic expono. Primùm: Consideratio, quam dicimus nos velle cum Parmenide, & Melisso inire, habet philosophiam, idest, magnam, ac subtilem contemplationem. Quippe φιλοσοφεῖν, inter alia significat *magno studio contendere*, vt multis exemplis ostendit Budæus in comm. linguæ Græc. Deinde, *habet philosophiam hæc consideratio*, videl. hæc contemplatio est philosophica. cum disceptatio de natura, seu de naturalibus difficultatibus cuiusmodi est hæc, ad nullum alium, præterquam ad Philosophum spectet. Cum itaque nos in præsenti versemur in palæstra Philosophica profectò non ab re fuerit, cum Parmenid. & Meliss. aliquantulum disputare. Postremò, *hæc consideratio habet philosophiam*, idest, concernit, & continet Metaphysicam, quæ quidem ob sui præstantiam, simpliciter Philosophia nuncupatur. Quasi itaq; dicat, quod licet disputatio de Vno, & immobili ente, non sit naturalis, quemadmodum dictum est, tamen suppetit prima Philosophia, vtpote communis scientia, cuius partes esse diximus in tex. 8. negata aliarum scientiarum principia probare: Eius itaque ope suffulti, aduersus præfatos auctores dicamus. Hinc rectè monuit Alex. Aphrodis. quod Arist. hic induit personam Metaphysici, vt cum Parmenide, & Melisso de vno, atque immobili principio congrediatur. Hæc ita Arist. præfatus, accingitur ad disputationem, dum sequit.



POSTERIOR PARS
Capitis Secundi.

Ostendit, non esse vnum principium, siue vnum ens, vt Parmenides, et Melissus censuerunt.

TEXTVS XIII.



RIncipium autem omnium accommodatissimum est, vt videamus, *quoniam ens multis modis dicitur, quonam modo id accipiant, qui inquiunt, omnia esse vnum: vtrum* intelligant *omnia*, esse *substantiam*, an omnia esse *quanta, vel qualia. Rursus vtrum omnia* esse *vnam substantiam, vt hominem vnum, vel equum vnum, vel animam vnam*, an vnum quale, atque hoc, vt album, vel calidum, vel aliud quippiam, *tale, &c. hæc enim omnia longè* inter se *differunt, & sunt impossibilia dictu.*

I. Ante omnia sciendum, quod in quacunque disceptatione duo veniunt examinanda: Ipsa nimirum positio, seu conclusio. Et præmissæ, seu rationes, quibus ea ipsa innititur. Qui igitur eue opinionem aliquam confutare meditatur, is debet tum eam in se euertere, tum eius rationes labefactare. Enimuerò non satis est refellere conclusionem, integris remanentibus eius præmissis, si enim conclusio sit reiecta; & nihilominus præmissæ stent in suo robore incolumes, adhuc remanet dubitatio circa veritatem illius, cum remaneant integræ illæ præmissæ, ex quibus pendet. Eodem pacto non sufficit confutare præmissas, incolumi manente conclusione, quia nil vetat, quominus præmissæ sint falsæ; tum secundum formam malè dispositæ, nihilominus conclusio sit vera. Quid enim prohibet, quod si ea non colligitur ex illis præmissis, non possit colligi ex alijs? Qui itaq; ad euertendam aliquam opinionem adijcit animum, debet tum conclusionem ipsam, tùm eius rationes refellere. Sic præstat Estmius præceptor cùm alibi sæpe, tum hic. Primùm enim in hac parte a tex. 13. vsque ad 21. conuellit Parmenidis, & Melissi conclusionem, quæ est, quod Ens est vnum; postea in cap. sequ. dissoluit eorundem rationes. Cum autem in hac disceptatione Arist, vt nuper indicaui, assumat habitum Metaphysici, aggreditur disputationem eo modo, quo ipse quoque Metaphysicus aggredi consueuit, videl. a nominum significatione. Præterea, cum illorum constitutio sit, Ens est vnum; primò expendit subiectum huius propositionis, nempe Ens, postea examinat eiusdem prædicatum, videl. Vnum: Ac planè demonstrat, nullo vnquam pacto posse verificari hanc propositionem. Ens, siue id, quod est, est vnum. Et si expressius dicere vis, erit propositio. Omnia, quæ sunt in mundo, sunt vnum ens.

II. Ait itaque, omnium accommodatissimum futuræ tractationis initiú esse hoc, vt inquiramus, quidnam Antagonistæ nomine Entis, & quid nomine Vnius intelligant: & statim accipit, quod Ens multis modis vsurpatur, quemadmodum in quinto Metaphys. cap. 7. explicatur, & de se conspicuum est, cum & substantia, & Quantitas, & Qualitas, & reliqua prima rerum genera, re vera sint entia. Primùm itaque ab aduersarijs quærendum est, intelligunt ne, de vnitate rei, vt sensus sit, id quod est, siue omnia, quæ sunt in hac rerum vniuersitate, sunt vna tantum res, siuè vnum Ens: an verò intelligunt de vnitate duntaxat vocis, nempe omnia quæ sunt, vnica voce appellantur Ens; sed re ipsa sunt multa? (hæc partitio supponitur in tex.) Profectò haud debet loqui de vnitate vocis, cum scientificus debeat res, non voces expendere. Si itaque capiunt de vnitate rei, iterum quærendum erit, vtrumne nomine Entis intelligant illud Ens, quod est substantia, vt intellectus sit, cuncta, quæ in mundo existunt re ipsa sunt vnum tantum Prædicamentum, scil substantia. Vel sunt illud Ens, quod est tantum Quantitas, aut tantum Qualitas, aut vnum aliquod aliud Prædicamen tum, an verò, quod omnia sunt vnum Ens, quod quidem simul sit & substantia, & Quantitas, & Qualitas, &c? Prius membrum huius diuisionis ponit in tex. posterius autem necessario subintelligitur.

III. Si dicant, se intelligere vnum tantum Prædicam. V. G. substantiam solam, aut solam Quantitatem &c. *Rursus* sciscitandum ab ijs erit, an velint, *omnia esse vnam substantiam, vt hominem vnum, vel equum vnum, vel animam vnam, an vnum quale; atque hoc. vt album, vel calidum, vel aliud quippiam tale.* quærendum, inquit, est a contendentibus; omnia esse vnum genere, aut specie, vt est homo vnus, vel equus vnus, vel anima vna, an verò contendunt, omnia esse vnum numero? Quod membrum exprimit, dum ait ἢ ποιὸν ἕν, καὶ τοῦτο. an *quale vnum, & hoc.* Quale, hoc loco est concretum accidentale, ac proinde quoddam indiuiduum, quod a sensu primùm attingitur, qui est singularium, vt dicitur in tex. 49 huius lib. & lib. secundo de Anim. tex. 60. Quod quidem particulare, ac indiuiduum adhuc significantius declarat per signum illud demonstratiuum, *& hoc*: idq; adhuc illustrat exemplis, *vt album, vel calidum, &c.* Nam calidum, frigidum, album, & hoc genus entia existunt particularia, & diiudicantur sensu, vt vel ex tertio de Anim. tex. 10. discimus, quo loci scribitur *Sensitiuo igitur calidum, & frigidum indicat, & quorum ratio quædam ipsa caro.* Nota

verba

verba, ἢ πολὺ ὂ, καὶ ποιὸν, ineptissimè haberi in codicib. latin. sic. *an quale, vnum autem hoc.* vnde nil mirum, si interpretes miserum in modum hic consoluuntur; & nescio an quicquam sani afferunt.

IV. Addit Arist. *Hæc enim omnia differunt multùm & sunt impossibilia dictu.* Quis ambigit, maximam esse differentiam, accipere Ens vnum pro vna, ac sola substantia, aut sola Quantitate, vel sola Qualitate, & accipere illud pro omnibus simul Categorijs, vt dicebamus, item dicere, illud Ens vnum esse vnum genere, aut specie, aut vnum numero? Hæc porrò omnia maxima intercapedine inter se dissident, & qui alio modo dicit, ille dicit *dicta impossibilia.* Præterquam quod, quia ita insulsus, ac demens sit, qui omnia, quæ in hoc Vniuerso conspicimus, asseuerat esse vnum numero? Quod si dicas ea esse vnum specie, aut genere, iam non esse vnum, sed re ipsa multa entia.

TEXTVS XIV.



Tenim si sit & substantia & quantum, & quale, siue hæc sint a se inuicem seiuncta, siue non sint seiuncta, certè *multa* entia sunt: si verò omnia sint quantum, vel quale, siue *etiam substantia sit, siue non sit, absurdum* est; *si tamen absurdum dicere oportet, quod* est *impossibile*. Nihil enim *ex alijs separabile est præter substantiam, quoniam* reliqua *omnia de subiecta substantia dicuntur.*

I. Ex supradicta Entis partitione, seu significatione colligit in hoc, & sequ. tex. rationem contra Parmenid. & Meliss. quam ita formo. Dum asseris, Ens esse vnum, siue omnia esse vnum Ens, aut nomine Vnius Entis intelligis aliquid, quod & substantiam, & quantitatem, & qualitatem, (ita de reliquis primis generibus rerum) simul complectatur: aut intelligis determinatè vnum aliquod ex his. Quod rursus, vel ast sola quantitas, aut qualitas, μὴ ὄντος τῆς οὐσίας (sic lego) *cum non sit ipsa substantia*: aut denique est sola substantia, videl. sine quantitate, qualitate, &c. Hæc diuisio est adæquata, nec vllum aliud membrum vel cogitatione potest concipi. Sed nullo modo ex his potest verificari, quod Ens sit vnum, sique quod omnia sint vnum Ens, quare sententia Parmenid. & Meliss. est falsa. Minorem probat Arist. & quidem quo ad duas priores partes, in hoc tex., quo ad tertiam autem in tex. sequ.

Probatio primæ partis iacet in primis verbis tex. *si sit & substantia, & quantum, & quale, certè multa entia* sunt. Si nomine Vnius Entis intelligis id quod omnia summa rerum genera complectitur, ita vt illud simul sit & substantia, & quantitas, & qualitas &c. profectò malè dicis, omnia, quæ in Vniuerso reperiuntur, esse vnum Ens, cum substantia, & quantitas, & qualitas re ipsa sint multa entia, non autem vnum.

At posset quispiam occurrere: se intelligere omnia esse vnum Ens, quia omnia inter se sunt coniuncta, & complicata. Excludit Arist. hanc fugam illis verbis. *siue hæc sint a se inuicem seiuncta, siue non.* Siue, inquit, res inter se ab inuicem dissociatæ, atque vna absque alia cohæreat, siue existant consociatæ & complicatæ, hoc nihil prohibet, quominus illæ re vera sint multæ, ac diuersæ, quia diuersitas ac multitudo rerum non ex earum coniunctione, vel seiunctione, sed ex earum essentia haurienda est. Hoc in pomo V. G. conspicuè vides, in quo coniuncta reperiuntur substantia, quantitas, color, odor, quæ tamen re ipsa sunt complura entia. II.

Probatio secundæ partis est, *si verò omnia sint quantum, vel quale* &c. Si autem vis, omnia esse vnum Ens, ideft omnia esse vnam quantitatem, aut qualitatem, quæ etiam non existente substantia, illa per se existat, absurdum dicis, si absurdum dicendum erit id, quod vsquequaque est impossibile. Ratio huius absurditatis, seu potius impossibilitatis subiungitur, οὐδὲν γὰρ τῶν ἄλλων χωριστὸν παρὰ τὴν οὐσίαν. *Nihil enim aliorum* entium est χωριστὸν *separabile præter substantiam.* Nullum cæterorum Prædicamentorum a substantia potest seiungi ab ipsa substantia, & ex se consistere. Vin' huius quoque dicti rationem? *quia, omnia de subiecta dicuntur substantia.* Omnia, inquit, reliqua entia prædicantur de substantia subiecta, ideft tanquam de subiecto. Dic vno verbo, omnia alia entia insunt. & inexistunt in ipsa substantia, quare etiam quantitas, & qualitas: ac proinde impossibile est, illud vnum Ens esse solam quantitatem, vel qualitatem, μὴ ὄντος οὐσίας, *non existente substantia*. Duplicem inuenio lectionem. Vetustiores codic. Græc habent, καθ' ὑποκειμένης λέγεται τῆς οὐσίας. *de subiecta dicuntur substantia*: al qui verò habent, καθ' ὑποκειμένου λέγεται τῆς οὐσίας, vnde latin. codic. legunt, *omnia enim de subiecto* (non subiecta) *dicuntur ipsa substantia*. Sensus vtrobique est idem. Mihi magis arridet prior lect. & est elegantior. III.

TEXTVS XV.



Tqui Melissus ait. Ens infinitum esse: Ens igitur est quantum quiddam: quoniam infinitum est in *quantitate, substantia verò, aut qualitas, aut affectio non potest esse infinita, nisi ex accidente, vi*del. *si simul quadam quanta sint: nam in definitione infiniti quantum adhibetur, non substantia, nec quale.ergo si & substantia* est,

Digitized by Google

est, *& quantum, duo sunt entia*, non vnum. *Quod si substantia tantum sit*, profectò *ens nec infinitum erit, nec vllam magnitudinem habebit, quandoquidem esset quantum quiddam.*

I. In hoc contex. quicquid alij dicant, refellit Arist. tertiam partem illius minoris, quod scil. illud vnum Ens ab aduersarijs confusum, nequeat statui sola substantia absque quantitate saltem. Colligit autem rationem ex concessis a Meliss. & Parmenid. Fit in tex. tria facit. Primùm ex antecedente ab ijs constitutum colligit consequens pro sua intentione: Deinde illud probat: Demum occurrit tacitæ obiectioni.

Ait itaque Meliss. dicit, illud vnum ens esse infinitum, ergo non est sola substantia sine quantitate saltem. Cur. *quia infinitum est in quantitate.*

II. Eodem pacto, Parmenid. asseuerat, illud idem Ens esse finitū: Quod porrò est finita magnitudine præditum, non est sola substantia: *quia si est substantia tantum, nullam habebit magnitudinem, quando quidem esset quantum quiddam.* Hanc secundam rationem vides in calce tex. Nominat autem peculiariter Meliss. quòd hic irrationabilius, & importunius loqueretur. Esset enim illud ens infinitum mole, sine mole: quod contradictionem inuoluit. id quod etiam Auctor probat, dum inquit. *nam in definitione infiniti quantum adhibetur, non substantia, nec quale.* Rationem sic Struo. Repugnat esse aliquid absque eo, quod in sui definitione assumit velui repugnat esse risibile, vbi non sit homo, & repugnat esse par, & impar, vbi non sit numerus, & repugnat esse simum, vbi non sit nasus, quia risibile, par, & impar, & simum in sui definitione assumunt hominem, numerum, & nasum, quæ prædicantur in secundo modo dicendi per se, vt explicatur in lib. primo Poster. cap. 4. Atqui infinitum assumit in sui definitione quantitatē, dicimus namque infinitum esse id, in quod potest quantitas diuidi: Vel, vt Arist. in tertio lib. huius operis tex. 2. loquitur, *definientibus continuum accidit, vti sæpenumero ratione infiniti, cum in infinitum diuisibile continuum sit:* ergo repugnat esse infinitum, vbi non est quantitas atque adeo repugnat illud vnum ens statui solam substantiam, sed ad minus erit substantia, & quantitas. *Quod si & substantia est, & quantum, ergo duo sunt entia, non vnum.*

III. Ast occurreret fortasè quispiam, quod etiam substantia, aut qualitas dicuntur magnæ, aut paruæ, ac proinde sola substantia commodè poterit constitui finita, aut infinita.

Intercludit Arist. hoc refugium, dum ait, *substantia verò, aut qualitas, aut affectio, non potest esse infinita, nisi ex accidente.* Hæc porrò dicuntur magna, parua, finita, infinita, in quantum participant quantitatem: eo planè modo, quo in Categ. Quantit. albedo, & nigredo dictæ sunt quantæ secundum accidens, hoc est ratione superficiei: Sic in præsens de substantia erit philosophandum, quod etiam exprimit Arist. dum subdit, *si simul quædam quanta sint.*

Adnotationes & difficultates circa tex. 13. 14. & 15.

AD tex. 13. aduerte 1. initium iucundæ disputationis de Ente, acceptum ab ipsa Entis significatione, appellari ab Stagirite ἀρχὴ οἰκειοτάτη πασῶν, *proprijssimum*, seu *accomodatissimum omnium*, quia, vt auctor est idem Philosophus cùm alibi sæpe, tum in primo Topic. cap. 14. & ante eum Plato in Phædro, in quacunque quæstione primùm distinguere, & explicare debemus, quid nomen indicet: mox aperire, quid rei per illud importetur. I.

Aduert. 2. nomina ποσὸν, & ποιὸν, *quantum*, & *quale*, quæ strictim accepta sunt concreta accidentium, nihilominus frequentissimè tum apud alios auctores, tum apud Arist. poni etiam pro abstractis, idest pro quantitate, & qualitate. In hoc tex. 13. Arist. vtramque significationem adijcit. Adijcit priorem, dum ait, *vtrum intelligant, omnia esse substantiam, an omnia esse quanta, vel qualia.* Profectò in eodem sensu vsurpat hic, *quanta, & qualia*, in quo vsurpat *substantiam*. Hæc autem denotat rem abstractam. Hanc eandem significationem animaduertere potes vel in ipsis Categoriarum inscriptionibus, quæ sunt περὶ ποσοῦ & verti debent, *de Quantitate*, περὶ ποιοῦ *de qualitate*. Adijcit etiam in hoc eodem tex. posteriorem eorundem nominum acceptionem, dum ait, *an vnum quale, & hoc vt album, vel calidum, vel aliud quippiam tale.* At vide Eximij Auctoris diligentiam: quoniam dicta nomina posuerat in priori loco pro abstractis, ne videretur, nos ambiguitate illorum fallere, attrat ea, & limitat per vocem, καὶ τοῦτο, *& hoc*. quæ commonstrat procul dubio rem particularem, atque existentem: Concreta enim existunt, non abstracta. Hoc vlterius illustrat exemplis dum annectit, *vt album, vel calidum, vel aliud quippiam tale.* II.

Perpend. 3. quod Arist. in ipso tractationis initio videtur petere principium, siquidem accipit pro fundamento, ens dici multipliciter: *quoniam*, inquit, *ens multis modis dicitur.* Quod si dicitur multis modis, & multa significat, iam res ipsa erunt multa entia. Atqui hoc ipsum est quod controuertitur: vtrum videl. sint multa, an vnum ens? Accedit quod Arist. hoc fundamentum supponit, quod tamen Parmenid. expressè inficiatur, referente eodem Philosopho in tex. 25. his verbis. & Parmenides partim quidem falsa accipit, partim autem non concludit. *falsa quidem, quia quod est, sine, ipsum Ens, accipit simpliciter dici, cum multipliciter dicatur.* III.

Respond. quod significatio nominis est diuersa a quæstione, an res sit, cum enim declaro nomē centauri, chimeræ, aut Eclipsis, nō propterea suppono dari hæc in natura. Sic in præsens Arist. accipit, & declarat quòd nomen Entis significat tum, substantiam, tum quantitatem, qualitatem, atque adeò dicitur multis modis, cæterum quod hæc omnia den- IV.

tur

Digitized by Google

tur Arist. non sumit, quia in hoc posita est controuersia, an istæ res dentur. Ita occurrunt multi viri docti, inter quos etiam est Zab.

Melius dicendum existimo, quod Philosophus non modo loquitur de nomine substantiæ, quantitatis &c. sed de rebus ipsis: atque accipit ceu manifestum ex sensu, & ex ijs, quæ in Categ. & in quinto Metaphys. cap. 7. dixit, dari in rerum natura substantiam, quantitatem, qualitatem, omninò dari substantiam, & accidentia. Oculis quippè nostris intuemur, in rebus mutari aliqua, veluti quantitatem, saporem, colorem, & id genus alia, quæ sunt accidentia, & nihilominus remanere illud idem, quod illis erat affectum, quæ est substantia. Hoc, inquam, accipit Arist. sed non propterea petit principium, quoniam controuersia non in eo sita est, vtrumne res istæ dentur, nec ne; sed posita est in eo, vtrum istæ res sint vnum tantum ens, an multa. Hoc non accipit, neque supponit dari multa entia: sed ostendit, præfatas res neutiquam posse esse vnum tantum ens, sed necessariò esse multa. Eodem pacto dicendum est ad 2. arg. Cum enim sensu ipso liqueat, reperiri in rebus substantiam, quantitatem, &c. sequitur, ens non vno, sed multis modis dici, ac proinde falsum, & contra testimonium sensus opinatur Parmenid. *ens dici simpliciter*, vt refertur in tex. illo 25.

V. Circa tex. 14. consid. illa verba, *si verò omnia sint quale, vel quantum*, εἴτε οὔσης οὐσίας, εἴτε μὴ οὔσης, ἄτοπον, *siue substantia sit, siue non sit*, Vel, *siue cum sit, siue cum non sit substantia, absurdum*, puto esse corrupta; & hæc solum recognosco ab Stagiritæ calamo, μὴ οὔσης οὐσίας, idest, *non existente substantia*, siue *cum non sit substantia*: reliqua verò puto, intrusa fuisse ab aliquo sciolo. Ratio, cur ita existimem, est euidens, quia hoc est absurdum, & impossibile, quod videl. illud vnum Ens sit qualitas, aut quantitas, sublata, ac non existente substantia, quæ ijs debeat supponi: sin autem sit qualitas, & quantitas, & sit etiam substantia, quod vnquam absurdum, aut impossibile sequitur? nullum sanè: & tamen Arist. colligit, *absurdum est, si tamen absurdum dicere oportet, quod est impossibile.* Cur autem aliquis interpretum hoc non viderit, ego stupeo.

VI. Consid. 2. ex bis vltimis verbis, *absurdum est, si tamen &c.* discrimen inter absurdum, seu inconueniens, & impossibile. Absurdum dicitur, quod est præter communem omnium existimationem, idcoque opponitur ei, quod est rationi consentaneum; impossibile autem illud est, quod fieri apertè repugnat: & opponitur ei, quod censetur necessarium; Deinde, inconueniens, & absurdum est quidem simpliciter falsum; falsi autem intensio est impossibile.

VII. Consid. 3. quod ait, *Nullum aliorum separabile est præter substantiam*: qua propositione Arist. sæpe vtitur, vt in septimo Metaphys. tex. 4. & lib. duodecim. tex. 6. Cuius dicti veritas in promptu suppetit, quia reliqua entium genera pendent a substantia, quæ quidem, *& ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum est*, vt legimus in septimo Metaphys. tex. 4. cit. Porrò cum præfata propositio sit exponibilis, resoluitur in hasce duas. Substantia est separabilis: Et nullum aliorum, idest accidentiũ, est separabile. Hæc posterior suapte conditione clara est. Enimuerò cum accidentium esse sit inesse, ac inhærere, profectò nequeunt separari, vt per se consistant. Quæ ratio annectitur hic ab Arist. Prioris autem propositionis sensus, quod videl. substantia est separabilis, non ille est, quòd substantia ab omnibus accidentibus seiungi, & per se sola subsistere queat. Hoc ab omni veritate alienum est, cum substantia creata nusquam cunctis accidentibus expoliata existat; sed dicitur ab alijs separabilis. Primò, quoniam ipsa manet eadem, atque incolumis, dum alia accedunt illi, ab eaue recedunt, quia est susceptiua illorum, vt in Categ. de substan. determinata est. Secundò, quia substantia, sicut nunc indicaui ex septim. Metaphys. est cunctis alijs generibus prior: Prius autem potest a posterioris separari, non verò è contra. VIII.

Consid. 4. *Reliqua omnia de subiecta substantia dicuntur.* Adnotaui, in expos. tex. duplicem esse in Græc. codic. lectionem. Vna est, πάντα καθ' ὑποκειμένης λέγεται τῆς οὐσίας. *omnia de subiecta dicuntur substantia.* Altera, καθ' ὑποκειμένου λέγεται τῆς οὐσίας. *de subiecto dicuntur, ipsa substantia.* Iam verò omnia accidentium genera dici de subiecta substantia, siue dici de ea, veluti de subiecto, idem pollet, atque omnia illa inhærere in substantia, qui etiam loquendi modus frequens est apud Arist. & explicat idem in tex. 52. huius lib. Ratio huius significationis est, quia nihil prædicatur de aliquo, quin sit in illo; vnde profluxit distorium illud, sed tritum Logicorum dictum, *dici de, fundat esse in.* Et consequenter illa ipsa locutio, *omnia reliqua* &c. ingeniosè ponit ob oculos necessitatem, quam accidentia habent essendi in subiecto: Et insuper essentialem ordinem, quem eadem accidentia habent ad subiectũ. Hinc Alex. apud Simplic. *omnia*, inquit, *dicuntur de subiecto, quibus opus est subiecto, vt sint:*

IX. At dices. Genera, & species, V. G. animal, & homo dicuntur de suis inferioribus; nec tamen insunt in ijs tanquam in subiecto: quare etiã accidentia dici de substantia, non est quod insint in ea, vt in subiecto. Occurrendum est, quod genera, & species dicuntur quidem de suis inferioribus, sed non sunt in ijs velut in subiecto, quia prædicantur vt quædam essentialia illorum. Hinc Arist. in cap. de substant. *secundæ substantiæ*, inquit, *in nullo sunt subiecto. Homo enim, etsi de subiecto quopiam homine dicitur, tamen in nullo subiecto inest. Neque enim in quodam homine homo inest: Itemque animal de subiecto quopiam homine dicitur, cum interim animal in aliquo homine non insit.* Accidentia autem repugnat prædicari de substantia, ceu quicpiam illi essentiale: icircò illa dici de substantia, est esse in ea, velut in quodam sustentante.

Circa

X. Circa tex. 15. consid. Et quidem illa propositio, *infinitum in quanto est*, videtur falsa. Nam Primum mouens, Deus, cum ad aures Aristotelis moueat tempore infinito, vtique infinitum est; hinc in eadem lib. oct. Phys. legimus, impossibile esse, vt a finito *moueatur aliquid tempore infinito*. Nihilominus Primum mouens non est in quanto, vt in eodem tract. demonstratur, *perspicuum enim est*, subdit ibidem Arist., primum mouens *esse indiuisibile*, *& impartibile*, *& nullam habens magnitudinem*.

Respond. quod Arist. hic loquitur de substantia naturali, & corporea, non verò de ea, quæ a materia, & quantitate existit abiuncta; Cuiusmodi sunt Intelligentiæ, & Deus, Et ratio est, quia Arist. hoc loco sermonem habet de rebus naturalibus, & earum principijs. Deinde etiam Primum mouens, & vis illa infinito interstitio motrix est in quanto: sed quanto virtute, non mole. Hac quantitate virtutis dicimus, *magna scientia*, Et *magnus Dominus*, *& laudabilis nimis*. Quò spectat effatum illud D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap 8. *In his, quæ non mole, sed virtute magna sunt, idem est maius esse, quod melius esse*. Perpetuo itaque verum est, *infinitum in quanto esse*.

XI. In eodem tex. infert. Auctor hanc conseq. Si est sola substantia, *ergo non est infinita; nec vllam habet magnitudinem*, quæ conseq. anxam dedit Scholasticis, examinandi quæstionem, quam nos quoque hic expendemus: sit ergo.

QVAESTIO VNICA

Vtrum substantia materialis, corporea, ex se, & sine quantitate, sit extensa, ac diuisibilis aliquo pacto.

SECTIO I.

Explicatur opinio affirmatiua: Et adducuntur præcipua illius fundamenta.

I. 
Xagitatur hæc disceptatio cùm de materia prima, tum de substantia ex ea, & forma substantiali composita, vtrum videl. illæ suapte natura, & seclusa quantitate possideant aliquam extensionem, ita vt in ijs absque quantitate conceptis sint re ipsa partes, & vna extra aliam; an verò omnem extensionem, & omnem partium varietatem ita emendicent a quantitate, vt hac seclusa, illæ remaneant vsquequaque indiuisibiles? Non est autem sermo de partibus essentialibus tam Physicis, quàm Metaphysicis, quoniam exploratum est, hasce, cum componant essentiam substantiæ compositæ, V.G. ligni, aut equi, necessario illam comitari, sed est de partibus integralibus.

Adhibent Doctores nostri liquidum casum, quamuis ille sit extra Peripatum. Deus potest segregare, & conseruare substantiam absq; omni quantitate, siquidem de facto conseruat in sacramento altaris quantitatem sine substantia, quocirca multò magis poterit tueri substantiam absque quantitate, cum substantia minus dependeat in sua existentia a quantitate, quàm quantitas a substantia. Præstet igitur Deus hoc. Tunc vocatur in dubium illa substantia haberet ne aliquam extensionem, & aliquas partes integrales, an nullas?

Ac prima quidem sententia distinguit duplicem partium integralium extensionem, ac diuisibilitatem. Vnam appellat extensionem quantitatiuam: Alteram substantialem, & entitatiuam. Extensio quantitatiua est, per quam substantia sortitur magnitudinem, & molem loci occupatiuam; ita vt tota illa substantia V. G. tota substantia hominis, aut equi occupet tantum locum, & vnaquæque hominis, aut equi pars occupet secundum suam magnitudinem tantum locum, distinctum a loco, quem occupat alia pars. Hæc, inquiunt auctores huius sententiæ, vtique tribuitur substantiæ a quantitate, ac proinde substantia hoc pacto dicitur quanta accidentaliter, quemadmodum denominatur alba, aut vbicata ab albedine, & Vbi. Idcircò substantia sine quantitate, vt in casu proposito, nullam huiuscemodi extensionem, obtineret, neque vllas vnquam haberet partes respectu loci. II.

III. Extensio autem substantialis, & entitatiua est propria ipsiusmet substantiæ, per quam quidem eius partes in ordine ad se non sunt confusæ, & quomodolibet complicatæ, sed conseruant rectam illam continuationem, & congruum ordinem, quem totum ipsum substantiale exposcit, etiam nulla habita ratione loci. V.G. tota substantia Petri est quoddam totum substantiale, & cum totum dicatur respectu partium, tota illa substantia integratur procul dubio ex suis partibus substantialibus & entitatiuis, quæ porrò ita se habent, vt vna non sit alia, sed vna sit extra aliam. Enimuerò fac, Deus auferat quantitatem Petri, & seruet ipsius duntaxat substantiam, non ne pars substantiæ, quæ est caput, erit extra partem substantiæ, quæ est digitus, aut pes? Eodem pacto auferat quantitatem totius maris, pars substantiæ, atque entitatis, quæ est in mari Oceano, non ne erit alia, distincta, & penitus extra partem substantialem, quæ est maris Ionij, aut Atlantici? Has igitur partes, & hanc extensionem habet ex se, & sine vlla quantitate tum substantia com-

posita

posita ex materia, & forma, tum ipsa materia prima. Scio, aliquos huius sententiæ fauctores, quorum meminit P. Vasquez in prima parte Disput. 199. cap. 3. vlterius esse progressos, & asserere, in substantia Petri, in casu proposito, quantitate exuta, adesse etiam quandam extensionem localem entitatiuam, ita vt caput correspondeat sursum, pedes deorsum. &c. Quos tamen communiter alij huius opinionis patroni meritò ceu malè loquentes deserunt.

IV. Præterea, hi ipsi auctores excogitauerunt etiam quædam indiuisibilia substantialia, similia indiuisibilibus quantitatis, idest punctis, per quæ partes illæ entitatiuæ inuicem copulentur: ita prorsus vt quemadmodum partes continui quantitatiui V. G. ligni copulantur termino communi indiuisibili, videl. puncto, & consurgit totum continuum, sic præfatæ partes entitatiuæ copulentur per quædam indiuisibilia substantialia, & consurgat vna tota substantialiter continua rei substantia. Hanc sent. tuentur viri grauissimi, Agmen ducat Doctor subtilis in 2. distinct. 12. quæst. 1. Ægid. theorem. 30. Henric. Quodlib. 1. quæst. 4. Herueus Quodlib. 1. quæst. 15. Mairt in 3. distin. 12. quæst. 2. Bassol. in eadem distinct. quæst. 1. art. 1. Iandun. in 1. Physic. quæst. 9. Paul. Venet. in cap. 12. & 13. suæ Metaphys. P. Suarez in sua itidem Metaphys. disput. 40. sect. 4. Et 3. part. tom. 3. disput. 48. sect. 1. P. Fonseca 5. Metaphys. cap. 13. quæst. 2. sect. 3. P.P. Conimb. lib. 1. Physic. cap. 2. quæst. 2. art. 3. Ruui. in eundem lib. cap. 3. quæst. 2. Raphael Aner. in sua Philosophia, quæst. 22. quæst. de Quantitate, sect. 2. & hodie in Scholis videtur frequens. &c.

V. Prob. 1. Sicut se habet substantia ad quantitatem, ita partes substantiæ ad partes quantitatis, vt enim se habet totum ad totum, ita partes ad partes, vt docet Philosoph. lib. primo de Histor. animal. cap. 1. Atqui substantia est prior quantitate *ratione*, *cognitione*, *tempore*, *& natura*, ex septim. Metaphys. tex. 4. quare & partes substantiæ erunt etiam priores partibus quantitatis, ratione, cognitione tempore & natura: ac proinde substantia ex se est substantialiter diuisibilis, & habet partes substantiales, antequam sibi adueniat quantitas.

VI. Secundò, Substantia materialis composita est immediatum subiectum quantitatis, perinde ac cæterorum omnium accidentium, vt in lib. de ort. & inter. dixi. Quo iacto, sic arguo. Si substantia composita esset ex se partium integralium expers, atque adeò indiuisibilis, non posset immediatè suscipere quantitatem. *Quid ita?* Primò, quia nullum indiuisibile potest in se immediatè recipere aliquod diuisibile, quia vnumquodque recipitur, ad modum recipientis.

Cum itaque quantitas suapte natura sit diuisibilis, neutiquam posset recipi in substantia, si hæc foret omninò indiuisibilis. Secundò, Subiectum, & forma debent proportionari: Atqui inter diuisibile, & indiuisibile nulla intercedit proportio. Tertiò, idcircò accidentia corporea nequeunt in Angelo, aut in anima a corpore separata suscipi, quoniam Angelus, & animæ sunt indiuisibiles, dicta verò accidentia sunt diuisibilia. Quartò, subiectum intelligitur prius eo, quod recipit, *nam subiectum prius videtur esse predicato*, inquit Arist. in hoc lib. tex. 53. Cum itaque substantia intelligitur recipere quantitatem, aut recipit illam, quatenus diuisibilis, aut quatenus indiuisibilis. Si prius, ergo substantia ante quantitatem est diuisibilis. Si posterius, ergo illa substantia manet semper indiuisibilis, Quid ita? quia eadem est ratio recipiendi, & conseruandi, & sicut in principio recipit, ita deinceps conseruat. Quæ quidem argumenta easdem exercent vires, si dicas, quantitatem immediatè insidere in materia prima.

Tertiò, dum quantitas suscipitur in substantia, vel suscipitur tota quantitas in tota substantia, & pars illius in parte huius: sicut tota albedo recipitur in tota hac papyro, & pars albedinis in parte huius: vel recipitur tota quantitas in tota substantia, & tota etiam in qualibet illius parte, eo modo, quo de anima intellectrice dici consueuit, quod tota ea sit in toto corpore, & tota etiam in quauis eius parte. Hoc secundum affirmari nequit: quia ex eo statim consequitur, quantitatem habere modum indiuisibilem informandi substantiam: quod repugnat ipsius naturæ, cum sit accidens corporeum, relinquitur igitur primum. Ex quo conspicuè vides, ad receptionem quantitatis in substantia, præsupponi in substantia partes. Quæ quidem partes nequeunt a quantitate tribui substantiæ, cum quantitas nihil elargiatur, nisi informando: quæ dum intelligitur recipi, nondum informat. VII.

Quartò, In qualibet substantia corporea, & extensa per quantitatem, necessariò sunt tum partes integrales quantitatiuæ, tum partes integrales entitatiuæ. Partes autem entitatiuas, ac substantiales oriri a quantitate, omninò impossibile est, Cum enim quantitas sit quoddam accidens, qui vnquam poterit tribuere aliquid substantiale; eiusmodi sunt dictæ partes: erunt ergo illæ partes propriæ substantiæ. Prima propositio ex eo ostenditur, quod in capite, aut in brachio non modo adest alia pars quantitatis distincta a parte quantitatis, quæ est in pede, verùm etiam adest alia pars substantiæ, & entitatis, distinctæ a parte substantiæ, quæ est in VIII.

pede; alioquin eademmet substantia indiuisibilis secundum entitatem esset in capite, in brachio, & in pede. Quod dictu absurdissimum est. Deinde, si pes, aut brachium abscindatur, profectò alia ac distincta entitas substantialis est in brachio, aut in pede, ab ea quæ insidet in capite. ergo ita etiam erant entitates illæ in toto composito ante eiusmodi abscisionem: neque enim existimare debes, entitates hasce substantiales produci tunc per sectionem illam.

IX. Quintò, Substantia corporea quauis quantitate expolista, est in loco? Quod vel ea eo appaeet, quia si a vino existente in dolio, aut ab vniuerso oceano auferatur quantitas, substantia vini remanebit in eo ipso dolio, in quo antea continebatur; & substantia itidem Oceani incubabit in eodem loco, ac extitit prius: quandoquidem præfatæ substantiæ neque destruuntur, (id namque in præsens supponimus) neque aliò migrant: sunt igitur in ijs locis. Quòd autem in loco est, habet aliquam extensionem, merito cuius in loco est: quare dictæ substantiæ habent ex se extensionem, ac partes, de quibus agimus.

X. Postremò addunt argumentum Theologicum ex consecratione Eucharistiæ, in casu, quo sacerdos medietatem Hostiæ, a se designatam consecraret. Id quod fieri posse, nemo theologorum ambigit. Tunc eruunt argumentum. Substantia panis medietatis Hostiæ consecratæ desinit esse ad præsentiam corporis Christi: substantia autem panis alterius medietatis Hostiæ non consecratæ remanet: & tamen quantitas vtriusque medietatis permanet eadem integra, atque indiuisa. ergo euidens est, substantiam panis, quæ erat in vna medietate Hostiæ, & substantiam eiusdem panis, quæ erat in altera medietate, fuisse inter se per aliquam extensionem distinctas, ac diseretas tanquam partem a parte. Hanc igitur extensionem, quæ porrò est extensio entitatiua, & substantialis, & hasce partes possidet substantia citra omnem quantitatem.

Trahunt aliqui in suum patrocinium etiam D. Thomam, & adducunt eius loca ex 2. sent. distin. 30. quæst. 2. art. 1. tum ex prim. part. quæst. 92. art. 3. in respons. ad 1. sed immeritò: quia S. Doctor re ipsa oppositam partem tutatus est; qua de re adi, si lubet, ipsius discipulos, præsertim verò Magist. Nazar. in prim. part. quest. 50. art. 2. & PP. Complut. in sua Logic. in cap. de Quant. quæst. 3. & nos non. nihil ex eodem S. Thoma adducemus in sect. seq.

SECTIO II.

Præfertur opinio negatiua: & stabilitur validissimè.

Altera verò ex parte plurimi, & doctrina, & anctoritate vsquequaque clarissimi viri, denegant substantiæ sine omni quantitate conceptæ, aut in rerum natura repertæ, quamcumque actualem extensionem, & quascunque partes: & firmè asserunt, quod tunc illa substantia quantitate exuta, esset actu inextensa, & impartibilis. XI.

Ita Simplic. Auerr. & S. Thom. locis mox a nobis adducendis. Item Alber. mag. in hunc lib. tract. 2. cap. 4. Capreol. in 2. distin. 18. quæst. 1. art. 3. & distin. 9. quæst. vnica, art. 3. Caietan. in prim. part. quæst. 52. art. 1. Durand. in 1. distin. 34. quæst. 1. Ferrar. in hoc primo lib. quæst. 4. Soncin. 5. Metaphys. quæst. 19. Nazar. in prim. part. quæst. 50. art. 2. Complut. in sua Log. in cap. de Quantitate quæst. 3. Toler. in quæst. 7. ad hunc lib. P. Vasquez in prim. part. dispnt. 196. cap. 3. Quinimo PP. Conimbr. ad cap. 3. huius lib. quæst. 3. cum in art. 1. proposuissent argumenta pro parte affirmante, quod videl. materia prima ex se sit diuidua, & extensa, statim in art. 2. ita exordiuntur. *Contraria tamen sententia vera est, & Aristotelica doctrinæ consentanea; eamque tuetur maior, & melior Philosophorum pars.* Quamuis postea in art. 3. aliò videantur flecti. Et hæc proculdubio est Philosophi meus, vt ex eius verbis mox audies, & est vera, & omninò tenenda: pro qua duas profero conclusiones.

Prima est. Materia prima de se, sine forma substantiali, & sine quantitate per imaginationem concepta, nullam habet actu extensionem, neque vllam vnquam partem, & partem; sed actu est indiuisibilis negatiuè, seu potius priuatiuè. XII.

Secunda conclusio. Substantia corporea ex materia, & forma substantiali composita, sine omni quantitate concepta, aut ita in rerum natura reperta; nullam itidem habet actu extensionem, neque vllas partes integrales entitatiuas, sed est eodem pacto indiuisibilis.

Quas quidem assertiones primùm explico, deinde probabo. Et quidem de materia solum dicat, si ea de se, & sine forma substantiali, & quantitate *concipiatur per imaginationem*, quia materia prima neque naturaliter, neque diuina ope potis est ab omni forma, & quantitate seiungi, ita vt sola, ac nuda a parte rei existat vt in tract. de Materia prima ad libros de ort & inter disi, XIII.

iccir-

Iccircò in conclus. asserui *per imaginationem concepta*. Addidi, quod ea ita accepta, est indiuisibilis *negatiuè*, quia non habet ex quo diuidatur: Ita etiam de eadem materia loquitur D. Thomas, in 2. distin. 30. quæst. 2. art. 2. his verbis. *Materia dicitur indiuisibilis, per negationem totius generis quantitatis*. Addidi, *seu potius priuatiuè*, quia est apta mediante forma suscipere a quantitate extensionem, & diuisibilitatem.

XIV. De substantia verò composita duo complicaui: Vnum, sine quantitate *concepta*, hic respicio naturæ vires, siquidem etiam substantia ea materia, & forma conflata, in Peripato, ac naturaliter nunquam absque omni quantitate, & debitis affectionibus a parte rei consistere valet. Adiunxi, *aut in rerum natura reperta*, vt innuerem casum, quo iuxta inconcussa nostræ fidei fundamenta, eiuscemodi substantia a Deo Opt. Max. quacumque quantitate expoliata conseruaretur: Quod fieri posse iam a nobis initio huius quæst. patefactum est.

XV. Pergo, & primam assert. sic ostendo. Vbicumq; sunt partes, & totum, ibi compositio adsit omninò necesse est. Nam totum internè respicit partes, ex quibus coalescit. Quæ propositio inductione manifesta est, & traditur ab Aristotele in quinto Metaphys. cap. 26. quod est de toto, his verbis. *Totum dicitur, cuius nulla pars abest eorum, ex quibus totum natura dicitur, & quod continet contenta, vt vnum quid illa sint*. Et Auerr. in hoc lib. com. 27. *totum*, inquit, *nihil est aliud, quàm congregatio partium*. Atqui materiæ primæ secundum se, & sinè omni forma acceptæ repugnat quæcunque compositio. Quod ostendo: Compositio aut est prima, & substantialis, aut secunda, & accidentaria. Prima est ex actu, & potentia simpliciter, vt docet Arist. octauo Metaphys. tex. 8. & patet cùm in compositione Metaphysica, nempe ex genere, & differentia, quorum illud est potentia, hæc autem actus: tum in compositione physica, ex materia, & forma substantiali: Sed materiæ primæ de se spectatæ repugnat huiusmodi compositio. Cur? quia ipsa est natura simplex, est pura potentia, est cuiusuis actus expers, quemadmodum suo loco commonstraui. ergo repugnat illi habere partes, & omnis omninò extensio.

XVI. Multò magis aduersatur eidem materiæ compositio secunda, quæ est ex subiecto, & accidente. Tum quia vbi non est prima compositio, nequit vllo pacto esse secunda. Tum quia illud accidens, quod cum materia iunctum faceret secundam compositionem, esset quantitas, cum hæc sit omnium accidentium primum: & omnia alia recipiuntur in substantia, mediante ipsa quantitate. Adde, si in materia prima secundum se esset aliqua compositio partium, necessariò in eadem esset actualis distinctio vnius partis ab alia. Hoc autem in materia reperiri, impossibile est: quippè auctore Philosopho in septim. Metaphys. tex. 49. *actus est, qui distinguit, & separat*. Cum itaque a materia prima excludatur quicunque actus, excluderetur etiam ab eadem quæcunque partium discriminatio.

Quod si dicas, partes illas materiæ esse partes eiusdem rationis, & eiusdem entitatis, atque ex ijs fieri compositionem entitatiuã, & substantialem.

XVII. Nihil dicis. Primò. Illa partium entitatiuarum, ac substantialium vnitio, & compositio deberet vtique constituere aliquod vnum per se. Exploratum autem est, vnum per se consurgere, & componi ex actu, & potentia. Cum itaque in materia secundum se nullus vnquam suppetat actus, redit quod fecimus argum. Secundò, Aut omnes illæ partes entitatiuæ, quas antagonistæ comminiscuntur in materia, sunt tantũ potentia, aut omnes sunt tantũ actus: aut quædam sunt potentia, quædã actus. Ex ijs, quę omnia sunt potentia duntaxat, impossibile est consurgere vnum quippiam per se, cum potentia, qua potentia, sit indifferens, & indeterminata, & vt loquitur Arist. nono Metaphys. tex. 19. *sit ad vtrumlibet: ideòque eget, a quo actu determinetur*. Pari pacto neque ex ijs quæ omnia sunt actus, potest vnquam fieri vnum per se. *Nam quod est in actu, non recipit aliquod, quod sit in actu, secundum quod sit in actu*, inquit Auerr. in lib. de subst. orbis cap. 1. deberent itaque partes illæ materiæ, hæ quidem esse potentia, hæ autem actus, ac proinde redit Sisyphi saxum. Pro hac assertione adducit ex S. Thoma alias tres rationes P. Cosmus Alamannius in prima secundæ suæ summæ Philosophi quæst. 3. art. 3. quam doctus hic vir ex doctrina Angelici Doctoris coagmentauit quasi centonem quendam: Verùm ratio, quam nos confecimus, planè euincit intentum.

XVIII Eadem assertio conspicuè iacet apud Philosophum sexcentis in locis, ex quo pauca hæc subijciam. Primùm vrget eius illatio in tex. 15. quod si vnum illud ens a Parm. & Meliss. constitutum sit sola substantia, ergo nec finita, nec infinita erit. *quia infinitum est in quantitate*. Infinitum autem est in extensione. Deinde, in eodem tex. ait, quod *substantia, aut qualitas, aut affectio, non potest esse infinita*, (eadem est ratio de finita) *nisi ex accidente, videl. si simul quædam quanta sint*. Auctores autem oppositæ sententiæ in materia, & omninò in substantia intrudunt & totum, & partes, etiam si nihil ibi suppetat quanti. Præterea, in quarto Phys. tex. 20. materiam appellat τὸ ἀόριστον, *ipsum indefinitum*. seu, *ipsam indeterminatam*. Et in primo de nat. & inter. tex. 32. asserit, quod si materia conseruaretur sine forma, ἔσται χωριστὸν κενόν, *erit separatum vacuum*. Quæ quidem an in opposita sent. consistere possint tute perpende.

XIX. Id idem sensit Simplic. in com. 15. cit. & in quarto lib. com. itidem 15. *Materia* inquit, *quædam effusio inexhausta magis dicenda videtur*. Et paucis interiectis, *Cum dimensionem magnitudinis perfecta materiam affirmauerit*, idest Arist. *nullus porrò putet corporeum interuallum, aut dimensio*

mensionem tanquam magnitudinem, & quantum, vel definitam quandam multitudinis secundum numerum distinctionem esse, quæ materia merito corporibus conueniat, sed quandam solam in rebus dispersionem, effusionem, & indefinitionem, quibus materiales formæ longè ab his, quæ sunt materiæ expertes, differunt. Atqui mihi hæc omnia materiæ rectissimè tribuenda videntur. Consimilia habent alij Græci, in quorum dictis expendendis haud immoror.

Idem tutati sunt Auerr. & S. Thom. ille quidem in primo Phys. com. 67. *Materia*, inquit, *non est terminata ex se*. in quarto lib. eiusdem operis com. 84. *Materia accipit additionem, & extenditur*, in secundo de Anim. com. 60. *Materiæ diuersitas fit a diuersitate formarum*. in lib. de subst. Orbis cap. 1. *& quando Arist. inuenit substantiales formas diuidi secundum diuisionem huius subiecti*, idest materiæ; *diuisio autem non est huic subiecto nisi in quantum habet quantitatem*.

XX. S. autem Thom. in prim. part. quæst. 50. art. 2. hæc omninò commendat litteris. *Materiam autem diuidi in partes non conuenit, nisi secundum quod intelligitur sub quantitate, qua remota, remanet substantia indiuisibilis, vt dicitur 1. Physicorum*. Quod luculentius explicat in Quodlib. 9. quæst. 4. art. 1. dicens. *Impossibile est, quod vna materia contrarias, & disparatas formas recipiat, nisi secundum diuersas partes: Diuersitas autem partium non potest intelligi in materia, non intellecta diuisione: neque diuisio, non intellecta dimensione, quia substantia, quantitate sublata, remanet indiuisibilis, vt dicitur 1. Physic.* & lib. 4. cont. Gent. cap. 65. *Nam remota*, inquit, *quantitate, substantia omnis indiuisibilis est, vt patet per Philosophum 1. Physic.* vt mirum sit, qua vnquam fronte S. hic Doctor a quibusdam modernis pro contraria sent. adducatur.

XXI. At iam probemus secundam conclus. quod scil. substantia corporea ex materia, & forma composita, remota quacunque quantitate, nullam obtineat extensionem, neque vllas omninò partes. Rationem accipio ex Aristotele quinto Metaphys. cap. 13. quod est de quanto; quo loci definiens quantitatem, ait, *Quantum dicitur, quod est in ea, quæ insunt diuisibile, quorum vtrunque, aut singulum vnum quid, & quod quid aptum est esse*. Ex qua quidem doctrina deprompta est celebris illa propositio, quod *diuisibilitas est passio quantitatis*; de qua multa edisserit Zim. theor. 98. sic colligo. Illud quod est propria passio, aut effectus formalis alicuius, nequit esse sine eo, cuius est proprietas, & sine sua causa; quemadmodum facultas ridendi non est, vbi homo non est, neque est album, aut calidum, vbi albedo, & calor absunt, sed posse diuidi in ea, quæ insunt, siue in partes, quarum quælibet apta sit esse vnum quid, & hoc aliquid, diuidi, inquam, in partes integrales, est propria passio, siue effectus formalis quantitatis, vt ex dictis Philosophi verbis apparet, quare in sola substantia, remota quantitate, nec diuisibilitas, nec partes vllæ integrales reperientur.

Verùm auctores aduersæ sententiæ hic quoque eandem apponunt crambem, Dicunt enim in ea substantia, omni quantitate exuta vtq; non adesse, actualem extensionem, & diuisibilitatem quantitatiuam, reperiri tamen partes entitatiuas, & extensionem actualem earundem partium. Argumentum autem nunc constructum procedere de extensione, ac diuisibilitate primi modi, non verò secundi.

XXII. Ast hoc refugium miserum est. Et contra hoc vrget ratio nuper a nobis pro prima conclus. confecta, quod cum illæ partes fuissent eiusdem rationis, quemadmodum iidem auctores fatentur, non possent constituere, substantiam illam esse vnum per se. Præterea, sic arguo. Illa actualis extensio partium entitatiuarum, aut est eiusdem rationis, & si vis, eiusdem speciei cum extensione, quæ in substantia proficiscitur a quantitate, aut est diuersæ. Non diuersæ, tum quia vtraque est extensio, tum etiam quia vtraque proximè edit eundem effectum, idest diuisibilitatem subiecti: nam diuisibilitas, propriè loquendo, est veluti propria passio extensionis. At neque valent esse eiusdem rationis, ac speciei, quia effectus eiusdem speciei, ac rationis, nequeunt immediatè profluere a causis ita diuersis, cuiusmodi sunt substantia, a qua, iuxta oppositam sententiam, emanat extensio entitatiua, & quantitas, a qua profluit extensio quantitatiua. quare substantialis illa actualis, ac integralis extensio, fictitia est.

XXIII. Ad hæc sic vrgeo. Accipio substantiam V. G. hominis, & substantiam equi ope diuina ab omni quantitate expoliatas; in quibus tamen sit actu integralis extensio partium entitatiuarum, ac substantialium, & pars realis extra partem realem, vt illa opinio imaginatur. Et peto, possunt ne duæ partes illius substantiæ esse simul in vno & eodem loco, & similiter duæ illæ substantiæ, idest hominis & equi esse simul in eodem loco, an non? Si possunt, sequitur, ibi simul adesse actu extensionem integralem, & simul non esse. Quod implicat. Et quod ibi actu sit extensio integralis, ceu firmum suppono ex illa sententia. Hoc etenim contendit. Quod autem non sit, ostendo. Vbi nulla est distantia partis a parte, & vna pars non est extra aliam, nulla est actu extensio. Hem, quid aliud est actualis extensio, quàm quod vna pars aliquo pacto distet ab alia, & vna sit alibi ac est alia? At in casu proposito nulla vnquam distantia foret partis a parte, neque vna pars insideret alibi, & alia alibi, sed omnes insimul in eodem minimo incubarent loco, ne dicam puncto. ergo ibi nulla esset actu extensio, neque vlla vnquam pars extra partem. Si autem dicas, partes illarum substantiarum, atque adeò ipsas hominis, & equi substantias, haud posse consistere simul in eodem loco, sed vnam expellere aliam a loco, nihil dices: quia substantia, in quantum substantia, non eijcit aliam a loco,

loco, sed benè cum illa in eodem loco commorantur. Nam ideo duo, aut plures Angeli, aut animæ a corporib. exutæ possunt commodè in eodem puncto consistere, quia sunt quantitatis expertes, ac solæ substantiæ.

XXIV Porrò vt radicem ipsam indicem, in qua opposita, vt opinor, sententia deficit, scito, quod cum substantia sit ens simpliciter, atque omnium primum, quemadmodum decernitur in septimo Metaphys. tex. 4. accidentia autem sint entis, videl. substantiæ entia sequitur, vt accidentia sint ipsa substantia posteriora. Quo fit, vt si substantia, secundum se, & syncerè concipiatur, erit solum in potentia passiua ad recipienda accidentia; actu autem & de se nullo vnquam accidente intelligitur affecta, ac proinde sicuti substantia secundum se, & ritè concepta, actu non est alba, sed apta dealbari, siue vt ita dicam, est dealbabilis, & actu non est locata, sed apta locari, seu locabilis, ita secundum se actu non est extensa, neq; actu magna, aut parua, sed actu est inextensa, apta autem extendi, quia receptiuum alicuius formæ, actu est denudatum ab illa forma, ex tertio de Anim. tex. 4. & ante receptionem actus necessariò antecedit in potentia priuatio actus, non verò ipse actus. In hoc itaque hallucinatur aduersa sententia, quod non concipit substantiam secundum se, qua concipi debet, & sic imaginatur in ea actu extensionem, & actu partes. Quæ porrò, (vt hoc etiā addā) si in substantia darentur, essent supervacaneæ, & omninò vanæ, quia substantia, iuxta naturæ leges, numquam a parte rei inuenitur sine accidentibus: ac proinde semper est actu extensa per extensionem a quantitate acceptam. Quid igitur illa prior extensio faceret? Quæ omnia longè clariora, & conspicatiora reddentur ex solutione argumentorum oppositæ sent. quare sit.

SECTIO III.

Diluuntur argumenta in contrariam partem in prima sent. confecta.

XXV. PRimum argum. fallit a simpliciter, vt aiunt, ad secundum quid, dum ita colligit. Substantia est prior accidente, quare & partes substantiæ sunt priores partibus accidentium. Quæ consecutio est omnino inanis, ita plane ac si dicas; *æterna*, auctore Philosopho lib. nono Metaphys. tex. 17. *sunt priora corruptibilibus substantijs.* (per æterna nunc accipio Deum, & Intelligentias) ergo partes æternorum sunt priores partibus corruptibilium. Quis autem in Deo, aut Intelligentijs partes, & partes concesserit? Et in proposito, si dicas. Substantia præcedit qualitatem, quare præcedit etiam secundum esse quale. Quæ consequ. fatua est, cum substantia non nisi ope qualitatis existat qualis. Ita ratiocinare de substantia, & extensione, seu diuisibilitate, quoniam hæc perinde communicatur substantiæ a quantitate, atque esse quale a qualitate. Huc facit pulcherrimum Stagiritæ dictum ex quinto Metaphys. quod *accidens secundum rationem est prius toto, vt musicum homine musico*. Vt ergo homo, seu substantia absolute existit prior musico, quod est accidens, nihilominus musicum censetur prius, quàm homo musicus, non enim intelligitur homo musicus nisi per musicum, sic in præsens de substantia, & extensione respectu quantitatis philosophare. Dictum autem illud deprōptū ex lib. primo de Histor. animal. citato, quod vt se habet totum ad totum, ita partes ad partes, veritatem habet, si vtrūque habet partes: non si secus.

Potes, si lubet, claritatis gratia distinguere illud consequens. ergo & partes substantiæ præcedunt partes quantitatis. Nego, illa entitas substantiæ, quæ correspondet quantitati constitutiuæ partis, est prior in ratione entitatis, concedo: est prior in ratione partis, & in esse actu diuisæ, nego. Ita occurrit etiam Zim. ad hoc argum. in theor. 98. Audi etiam S. Thomam, qui in opuscul. 32. cap. 5. ad consimile argum. a se confectum de materia, ita dicit. *Ad primum ergo dicendum, quod partes materiæ in ratione substantiæ præcedunt natura quantitatem, in ratione verò partium sunt illa posteriores: sic enim materia tota secundum totalitatem essentiæ est in qualibet parte rei, & sub qualibet parte qualitatis, non autem secundum totalitatem quantitatis, quia ratione quantitatis diuiditur in partes, quarum vna non est alia.* XXVI

Ad 2. atg. Amplector istum illud fundamentum, quod omnia accidentia insideant in toto composito. Sic inuenio expressè apud Arist. cùm alibi, tum in Categ. substantiæ, & fusè suo loco commonstraui. Ad 2. probationem, cum dicitur, Materia, & omninò substantia, vt possit in seipsa suscipere quantitatem, quæ extensa, ac diuisibilis est, debet ea in semet esse extensa, ac diuisibilis entitatiuè, propterea quod indiuisibile non recipit diuisibile.

Respond. mirām esse hanc illorum philosophiam. Quin verò ex toto oppositum colligi debet: Si debet excipere extensionem, ea porrò in se ipsa debet esse inextensa, alioquin *intus existens prohiberet extraneum, & int. rcluderet*, vt Eximius præceptor in textu de Anim. tex. 4. modo non clamat. Ex quo loco acceptum est illud in scholis, iam protritum, quod *omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti*, de quo multa dixi in comment. ad eum locum, & in opere de Triplici Statu Animæ. Dispnt. 6. sect. 3. Sufficit itaque vt materia, & substantia corporea sit tantummodo in potentia passiua ad recipiendam extensionem, vltra quam nihil aliud requiritur. Quod si auctores illi intelligere nequeunt, quo vnquam pacto substantia in semet ipsa inextensa, ac indiuisibilis valcat XXVII

valeat extensionem ; & diuisibilitatem excipere, colligant seruata eadem proportione, id idem de reliquis accidentibus, quod adhoc vt substantia recipiat qualitatem, debet in se præhabere quandam qualitatem entitatiuam; ad hoc vt recipiat Vbi circumscriptiuum, debet obtinere aliud Vbi entitatiuum; ad hoc vt recipiat intellectum, debet prius possidere alium intellectum entitatiuum. Hæc quippè omnia pari gradiuntur passu. Quod iudicium faciunt illi de subiecto inextenso respectu futuræ extensionis, id idem fac ipse de his, quæ dixi.

XXVIII Sed isti auctores, deficiunt in voce, *indiuisibile*, dum aiunt, Indiuisibile nequit recipere &c. Indiuisibile multiplex est. Vnum est substantiæ: Alterum pertinet ad quantitatem; & hoc est punctum, instans, & mutatum esse: quæ quidem recte appellaueris indiuisibilia quantitatis positiua: Ista vtique nequeunt quicquam extensum, ac diuisibile in se ipsis excipere. Rursus indiuisibile substantiæ aliud est huiusmodi positiuè, talis est Deus benedic., Angeli, & animæ nostræ corporibus exutæ, & neque hæc impartibilia possunt in se immediatè suscipere aliquod partibile. Aliud denique est indiuisibile substantiæ negatiuum, seu potius priuatiuum, talis est materia prima in semetipsa spectata, & substantia ex ea, & forma substantiali conflata, vt in prima nostra assertione dilucidaui: Atque huiusmodi indiuisibile benè potest extensionem recipere, reddique sic diuisibile, quia quod est in potentia reducitur ad actum. Recipitur autem extensio, & diuisibilitas in substantia ad modum recipientis, quia recipitur modo materiali. Hæc de prima prob. illius arg.

Ad 2. prob. Fateor, subiectum, & formam debere inuicem proportionari: quæ tamen proportio non in eo sita est, vt aduersa opinio imaginatur, quod subiectum, & forma habeant consimiles actus; quin verò id omninò repugnat proportioni, quæ inter potentiam, & actum intercedit. sed proportio in eo reposita est, vt subiectum habeat potentiam passiuam recipiendi formam, & forma vim actuandi eiusmodi potentiam, & tribuendi illi subiecto suum effectum formalem: quocirca in subiecto prærequiritur priuatio ad actum, non consimilis actus.

Ad 3. prob. quid dicendum sit, habes ex ijs quæ ad primam prob. huius ipsius arg. dixi. Angelus, & anima nexu corporis laxata, sunt indiuisibiles substantiæ positiuè, icircò extensionem in se ipsis immediatè excipere haud queunt: substantia autem, de qua hoc loco agitatur sermo, est indiuisibilis alio pacto, vt exposui, ideo &c.

Ad 4. prob. Fac subiectum sit prius eo, quod in subiecto est: quamquam hæc propositio limitationem obtineat, cum intellectus V. G. sit in anima intellectiua, nec tamen anima est prior intellectu. Verùm in re nostra. Materia vtique est prior determinatè hac forma, & hac extensione, sed exutis prior sub alia forma, & sub alia extensione, cum materia sola ac nuda nusquam existat. Cum autem in arg. subiungitur, aut materia, & substantia recipit extensionem, quatenus extensa, & diuisibilis, aut quatenus inextensa, & indiuisibilis: Si quatenus extensa, habetur intentum: Si quatenus inextensa, ergo semper manet inextensa, quia eadem est ratio recipiendi, & conseruandi. Qui ita argumentatur, ludit. Eadem arguendi formula hunc in modum collige. Aut paries recipit albedinem prout albus, aut prout non albus. Si qua albus, ergo habet albedinem antequam illam recipiat: Si verò qua non albus, ergo semper remanet non albus, cum eadem sit ratio recipiendi, & conseruandi: ac proinde recepta albedine, adhuc est non albus. Dic ergo, quod quemadmodum paries excipit candorem non qua albus, sed quà priuatiuè non albus, seu quà dealbabilis, ita substantia &c.

Ad 3. arg. dico, hic quoque imaginationem aduersæ opinionis falli. Quippè apprehendit receptionem quantitatis in materia perinde fieri, ac si essent duæ res seorsim existentes, ita vt vna quidem ex parte consisteret materia de se, ex altera verò quantitas in ea recipienda, indem de se: deinde præfata opinio quæritat, vtrumne tota quantitas recipiatur in tota illa materia, & pars in parte, an verò &c. cum tamen res longè secus se habeat. Quod vt penitus comprehendas, scito, quod materia semper subsistit induta aliqua forma, & affecta aliqua quantitate. Quo etiam fit, vt hæc, aut illa materia semper habeat partes, non quidem a se, sed ratione quantitatis, cum qua perpetuò degit: sicut albedo huius papyri procul dubio habet partes integrales, alia namque est pars marginis, alia medij; at non habet eas a se ipsa, sed merito superficiei; qua etiam ratione in Categ. Quantit. albedo nuncupatur magna, aut parua: sic de materia respectu partium philosophare. XXIX

Itaq; alia pars materiæ, & substantiæ est in aure v.g. equi, alia in vngula, alia in costa: cæterùm sublatis auris, vngulæ, & costæ dimensionibus, vnde etiam auferuntur diuersæ earum temperaturæ, nulla amplius ibi relinquitur pars, & pars. Quocirca sicuti si imaginatione submoueas hanc papyrum, & concipias solam albedinem, chimera esset asserere, illam albedinem præditam esse parte, & parte, sic in proposito de materia, & extensione philosophare. Imò verò quemadmodum si per intellectum subtrahas hanc papyrum, albedo, quæ illi inhærebat, non amplius remanet hæc numero albedo, quia fit hæc a tali subiecto, ita si a materia auferas dimensiones, non remanet amplius materia rei, cuius antea erat, cum indiuiduatio hauriatur a materia signata quantitate. Audi quid hac de re scribat S. Thomas in 2. distin. 30. quæst. 2. art. 2. *Quando*, inquit, *loquimur de materia existente in hac re, iam dimittimus considerationem materiæ absolutè, non enim potest accipi illud materia, quod est in hac re, nisi secundum quod est diuisum ab illa parte materiæ, quæ est in alia re, diuisio autem non accidit* XXX

Digitized by Google

accidit materiæ nisi secundum quod consideratur sub dimensionibus, saltem interminatis; quia remota quantitate, vt in primo Phys. dicitur, substantia erit indiuisibilis: vnde consideratio materiæ huius rei est consideratio non materiæ absolutè, sed materiæ sub dimensione existentis. Hæc S. Doctor. iam in proposito pergo.

XXX. Hæc itaque materia ita perpetuò aliqua forma, & quantitate contecta, & ratione istarum verè partibus prædita, & extensa, disponitur ab agente naturali ad aliam formam, atque adeò ad aliam quantitatem: ex qua vltimatè disposita educitur forma materialis; tota quidem ex tota illa materia, & pars eius ex parte illius: & consimili modo in eadem recipitur, tota quidem forma V. G. equi, ex tota illa materia extracta, recipitur in tota illa materia, & pars formæ equi recipitur in parte dictæ materiæ: (formæ namque substantiales de sinu materiæ euocatæ, sunt extensæ ad extensionem suorum subiectorum, vt in libris de Anim. dixi.) & ita etiam de quantitate erit dicendum.

XXXI Ex his conspicua quoque est solutio ad 4. arg. Negandum quippè est, in quouis composito substantiali adesse partes ex se ipsis distinctas, tum quantitatiuas, tum essentiales. Et cum objiciunt, in capite non modo insidet alia pars quantitatis discriminata a parte quantitatis brachij, sed adest alia etiam pars substantiæ, ac entitatis; distinguo, est alia, & distincta ratione sui, nego: ope dimensionum concedo. Eodem pacto manet depulsa secunda probatio.

XXXII Ad 5. arg. solutio in promptu suppetit. Substantia vini, & Oceani, remotis dimensionibus, remaneret indiuisibilis; nec quisquam posset ex illa vel guttam tollere, aut degustare. Et tunc præfatæ vini, & Oceani substantiæ nusquam essent tanquam locata in loco, neque vllam haberent habitudinem ad locum: sed fuissent solummodo veluti quædam entitates in Vniuerso. Doctrina est communis, & illustratur exemplo Angeli, qui, (supposito quod constituatur in loco per operationem,) si suspendat omnem suam operationem, *nusquam erit definitiuè in loco, quamuis esset in mundo, sicut pars in toto*. De qua re adi, si lubet, Caietan. in prim. part: quæst. 52. art. 1. & Magistr. Bannes ibidem. tum PP. Complut. locis retrò indicatis.

XXXIII Ad vlt. sunt qui velint, quantitatem medietatis hostiæ consecratæ, & quantitatem alterius medietatis non consecratæ, non continuari inter se, sed esse duas quantitates, contiguas; quia vna re ipsa inexistit, altera autem de se existit. Nec quicquam refert, quod tota illa hostia videatur vna, atque continua superficie affecta, nam etiam in arbore pars arefacta, quæ videl. non informatur anima, neutiquam continuatur secundum rem cum parte viridi, ac viuente eiusdem arboris, sed iuxta apparentiam duntaxat, vt dicitur in quarto Phys. Enimuerò cum ibi sint duæ formæ substantiales, ac proinde duæ materiæ, & duo composita, etiam accidentia debent esse diuisa, præsertim verò quantitas, quæ immediatè consequitur substantiam. Hinc S. Thom. in 2. sent. distin. 40. quæst. vnica art. 4. & in prim. secund. quæst. 20. art. 6. *Lignum*, inquit, *cuius vna pars est alba, & altera nigra, secundum illud esse, quo est coloratum, est multa, & non continuum*. Sic itaque in casu propositi arg. disiungitur, ac discontinuatur quantitas, ac proinde discontinuatur, & distinguitur vna pars substantiæ, dictæ hostiæ ab alis substantiæ parte.

Communior nihilominus, & vera responsio est, XXXIV. quam ex Palud. retulit Capreol. in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 3. ad 1. & amplectitur syncerior Theologorum cohors, quod in eo casu permanet quantitas totius Hostiæ vna, & continua. Ad argumentum itaque occurritur, quod in Hostia est quidem pars, & pars substantiæ, at non a se ipsa, sed discriminata ratione dimensionum, vt in solutione ad 4. arg. dixi. Et quidem pars substantiæ Hostiæ consecratæ definit esse ex vi actionis supernaturalis, conuertentis illam substantiam in corpus Christi: reliqua autem pars remanet, quia remanet distinctiuum illius, videl. altera medietas quantitatis. Atque, de hac quæstione hæc satis, iam ad Aristotelem reuertamur.

TEXTVS XVI.



Mplius quoniam & ipsum vnum multipliciter dicitur, quemadmodum & quod est, considerandum est, quomodo dicunt vnum esse omne, dicitur enim Vnum, aut continuum, aut indiuisibile, aut quorum ratio eadem, & vna est ipsius quod quid erat esse: quemadmodum merum, & vinum.

Perstrinxit hucusque antagonistas, asseuerantes, ens, siue omne, atque omnia esse vnum: quod fecit, ex significatione Entis: Nunc eosdem vrget ex significatione huius vocis *Vnum*. Ex qua quidem consideratione mirificè etiam contemplatio superius habita de ente, comprobatur. Progreditur autem hoc pacto. Primùm recenset varia Vnius significata, deinde patefacit, nullo vnquam modo posse hanc propositionem verificari. Ens, siue vniuersum, siue omnia est vnum. Quod præstat a tex. 16. vsque ad 19. totum. I.

In tex. tria facit: Proponit suam intentionem. Refert tres significationes *Vnius*: Et colligit rationem. Inquit itaque, cum ipsum etiam Vnum multifariam dicatur, quemadmodum & ens, expendendum erit, quo vnquam pacto antagonistæ aiunt τὸ πᾶν, ipsum vniuersum, siue ipsum omne, esse vnum?

Dici-

Dicitur autem vnum &c. Vnum, inquit, (quantum ad præſens attinet) tribus modis vſurpatur. Primò, pro continuo, veluti cum dicimus, lignum vnum, papyrus vna. Secundò, pro indiuiſibili. Tertiò, pro vno ſecundum definitionem, vt *μέθυ, καὶ οἶνον, temetum*, ſeu *merum, & vinum* dicimus eſſe vnum, & idem, quia vna eſt vtriuſq; definitio, quæ vtriuſque naturam, & ipſum quod quid erat eſſe exponit.

II. Quod ſi dicas, Ariſt. in quinto Metaphyſ. cap. 6. cuius inſcriptio eſt, *Vnum quot modis dicitur*? recenſet multò plures acceptiones *Vnius*, quippè apponit vnum genere, vnum ſpecie, vnum proportione: quid ergo cauſæ eſt, quod eas in præſentia præterit?

Conſultò id facit, & ratio eſt, quia vnum genere, aut ſpecie, aut proportione neceſſariò, & conſpicuè includunt, ſeu inferunt multitudinem; ſiquidem vnum genere reſpicit multas ſpecies, vnum ſpecie proſpectat multa numero, vnum proportione concernit multa, inter quæ proportio intercedit. Idcircò non poterant auctores, cum quibus nunc Ariſt. diſputat, tale vnum conſtituere omnia? Hanc ergo ob cauſam eos modos *Vnius*, tanquam præſenti diſputationi inutiles prætermittit, quia *nil molitur ineptè*: appoſuit verò eos tantum, qui maiorem vnitatem præferunt, & ſunt abſque multitudine ſaltem actuali.

III. Demum, *ſi igitur ens continuum eſt &c.* reijcit inductos *Vnius* modos, & in hoc tex. reijcit primum, quod videl. ens, ſiue omne haud poſſit a Parm. & Meliſſ. conſtitui vnum vt continuum: quia ſi ens conſtituatur hoc pacto vnum, iam non vnum, ſed plura entia erunt: conſeq probat ex definitione continui, quòd *continuum eſt diuiſibile in infinitum*. Quod ſi continuum eſt diuiſibile, & in potẽtia paſſiua vt diuidatur, ergo datur in natura potentia actiua, quæ illud vnum diuidet, ſi non in partes infinitas, certè in alias, atque alias: alioquin potentia paſſiua, & diuiſibilitas dicti continui eſſet fruſtra, diuidat ergo incentum, aut ducentum partes, tunc erunt multa entia, vel certè ſimul aut vnum, & plura, & vt ipſe colligit, *πολλὰ τὸ ἕν: multa* eſt *quod eſt vnum*. ſic lego & ſic habent Græc.codic.quamquam in quorundam margine reperio *πολλὰ τὸ ὄν*, ex quo latin. verſiones legunt, *multa eſt id quod eſt*. ſeu, *multa eſt ipſum ens*.

TEXTVS XVII.



igitur continuum eſt, multa eſt id, quod eſt: infinitum enim diuiſibile eſt continuum. Habet autem dubitationem de parte, & toto fortaſſis autem nihil ad orationem, ſed ipſam ſecundum ſeipſam, vtrum vnum, an plura ſint pars, & totum. Et quomodo vnum, aut plura: Et ſi plura, quomodo plura. Et de partibus non continuis eadem eſt ratio. Et ſi toti vnum vtraque eſt, velut indiuiſibile, quoniam & ipſa ſibi ipſis.

Interſerit in hoc tex. dubitationem. Quo autem animo id præſtet, & quæ ſit dubitatio, vehementer inter expoſitores altercatur; & varia exorta ſunt huius contex. interpretamenta, quæ hic exſcribere, inanis & fatuus labor eſſet. Vnicam expoſitionem ſubijciam, quæ mihi videtur germana Stagiritæ mens, & colligitur ex Themiſt.

Tres partes aſſigno textui. In prima, proponendo difficultatem, (quam tamen alii ſuo loco eſſe ſecundum ſe diſcutiendam) intercludit quandam aduerſarij fugam. In 2. innuit modos; quibus partes a toto poſſent dici diſtingui, aut non: & ſimul indicat aliquid, in quo præſens difficultas etiam habet locum. In 3 apponit rationem pro vna parte difficultatis. Quod ſpectat ad 1. I.

Intulerat in calce tex. præced. quod ſi illud vnum, & omne, ſeu totum, a Parmen. & Meliſſ. conſtitutum, eſſet vnum continuum, ergo eſſet multa. Quid ita? quia continuum, vtpote diuiſibile, continet multas partes, in quas poteſt diſtribui.

At introſpexit, quod aduerſarius poſſet fortaſſè eam conſecutionem deflectere, dicendo, illud vnum, ac totum continuum non eſſe multa, quia pars, & totum non ſunt multa; partes etenim non dicunt rem diuerſam a toto, ideò.

Occurrit Auctor (& ecce ratio, ob quam præſens dubitatio hic interſeritur) & ait, ſcio quidem controuerti de parte, & toto, vtrum, & quomodo diſtinguatur; ſed *hæc dubitatio nihil facit ad præſentem ſermonem*, videl. non eneruat argumentum, quod nos nuper confecimus: & ea difficultas ſuo loco erit ſecundum ſe a nobis diſcutienda. Nihilominus vt nobis aliquid lucis intendat, inuoluit (meo quidem iudicio) in 2. parte tres quæſtiones, quæ circa diſtinctionem totius, & partium contingere poſſunt. Vna eſt, *Vtrum vnum, an multa ſint pars, & totum*. Vtrum partes, & totum diſtinguantur inter ſe, an non? Altera quæſtio, *& quomodo ſint vnum, vel multa*. quia partes diuiſim acceptæ, & totum ſunt multa, vt clarè inferius patebit: partes autem collectiuè acceptæ, & totum non ſunt multa, ſed vnum. Tertia quæſtio eſt, *Et ſi plura,* II.

quo-

Digitized by Google

quomodo plura ? & ſuppoſito, quòd partes & totum diſtinguantur, quomodo diſtinguuntur? videl. vtrum ne diſtinguantur re, an ſola ratione, & definitione.

III. Porrò ſcito, inter antiquos dubitatum fuiſſe, an pars ſit eadem ipſi toti, an verò ſit quippiam ab eo diuerſum, ac diſtinctum. Et vtraque ex parte vrgebantur ratione apparente. Ariſt. hoc loco tangit ſolummodo rationem, quod pars non ſit eadem toti: rationem autem pro altera parte, ceu apertè defectuoſam, ac fallacem negligit: ea tamen colligitur ex interpretibus Græc. & eſt huiuſmodi. Si pars eſſet diuerſa, ac diſtincta a toto, ſequitur, totum eſſe diuerſum, ac diſtinctum a ſe ipſo: conſequens eſt impoſſibile, quare & antecedens. Conſecutio deducebatur. Si vna pars V. G. caput, eſſet quippiam diuerſum a toto, ergo eadem ratione altera quoque pars, veluti pes, eſſet itidem diuerſa ab eodem toto; cum eadem ſit ratio de vna, ac de alijs ſingulis partibus: ſimiliter brachium dextrum eſſet aliquid diuerſum ab eodem toto, & ita de quauis reliqua parte. Atqui totum nihil aliud eſt, quàm ipſæ partes: quare ſi ſingulæ partes eſſent diuerſæ, ac diſtinctæ a toto, ipſum quoque totum eſſet diuerſum, ac diſtinctum a ſe ipſo.

Altera verò ex parte, quod ſcil. pars non ſit eadem toti, ſed diuerſa, atque diſtincta, ſic oſtenditur. Si pars eſt idem toti, ergo vna pars erit idem cum quauis alia parte. Hoc autem dictu abſurdum, & impoſſibile eſt; quare etiam illud, vnde id conſequitur. Conſecutio prob. ſit linea A. cui ſint duæ partes. Vna B. Altera C. Tunc, ſi pars B. eſt idem toti lineæ A. pari ratione & pars C erit eadem illi ipſi lineæ A. ſed quæ ſunt eadem vni tertio, ea ſunt eadem inter ſe. Hanc probationem adijcit Ariſt. in calce tex. cum ait καὶ εἰ τῷ ὅλῳ ἓν ἑκάτερον, ὡς ἀδιαίρετον, ὅτι καὶ αὐτὰ αὑτοῖς. *Et ſi ipſi toti vnum vtraque pars, tanquam indiuiſibilis, & ipſas ſibi ipſis.*

IV. Quibus in verbis duo aduerte. Vnum, quod illud ὅτι, non eſt a candore Ariſtotelis hic poſitum, ſed ab aliquo alio intruſum: quod porrò corrumpit pulcherrimum axiomatis ſenſum; vnde malè latin. cod. habent. *Et ſi toti vnum vtraque eſt, velut indiuiſibile, quoniam & ipſa ſibi ipſis.* illud *quoniam* eſt, de quo loquor. Vel ſi illa dictio ab Stagirite eſt ſcripta, certè non eo loco eſt poſita, ſed ita cenſeo legendum. καὶ ὅτι εἰ τῷ ὅλῳ &c. *Et quod ſi ipſi toti &c.* Alterum, quod notare oportet, eſt, ἀδιαίρετον, necti cum ἑκάτερον, *vtrumque*, & intelligitur μέρος. (pars) quæ omnia ſunt neutr. gen. putidus autem interpres ἑκάτερον, mutato gen. vertit *vtraque*, ideſt pars: rectè. ἀδιαίρετον autem reliquit in ſuo gen. & ait, *velut indiuiſibile*, cum dicendum eſſet, velut indiuiſibilis, ideſt pars.

V. Quæ quidem verba ὡς ἀδιαίρετον, veluti indiuiſib. habent maximum ſenſum: per illa namque magnus præceptor occurrit cuidam obiectioni, quæ aduerſus allatum axioma, quod quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, poſſet afferri. Diceret aliquis, deſigno vnam partem in toto, quæ ſit loco, & ſitu diuerſa, vt caput, quod eſt ſurſum: & accipio aliam partem, alio loco, & ſitu diuerſam, veluti pedes: Hæ ſunt eædem cum toto, nihilominus non ſunt eædem inter ſe. Ita *in non continuis*, videl. in partibus eſſentialibus. V. G. materia eſt eadem cum toto, forma eſt eadem cum eodem toto: nec tamen vna eſt altera. Eodem pactu actio, & paſſio vtraq. eſt eadem vni, eidemq; motui, nec tamen actio eſt paſſio, aut e contra: falſum itaque eſt axioma.

Occurrit vir incomparabilis, quod effatú illud vt habeat veritatem, pars debet eſſe illi toti *tanquam* indiuiſibilis, nimirum debet eſſe indiſtincta; dic clarè, debet eſſe eadem ipſi toti, tum re, tum ratione. Modo partes pro inſtantia adductæ, ſunt quidem realiter idem cum ſuis totis; verumtamen ratione, ac definitione diſcriminantur, vt de ſe liquet propterea axioma in ijs non verificatur. Ita etiam ad illa argomenta reſpondent communiter Doctores noſtri, qui addunt certiſſimum exemplum depromptum ex diuina eſſentia, & perſonis. Nam paternitas eſt re ipſa eadem cum diuina eſſentia; & filiatio eſt eadem realiter idem cum eadem eſſentia; & tamen paternitas non eſt filiatio, neque pater eſt filius. Hæc, inquam, reſponſio in ſcholis eſt trita ad argumenta illa, ſed nemo eam adnotauit ex Ariſt. quam incomparabilis hic vir indicauit voce illa ὡς ἀδιαίρετον *tanquam indiuiſibilis*, vt dixi.

VI. Poſtremò, verba illa, quæ lego per parentheſim, καὶ περὶ τῶν μὴ συνεχῶν. *& de non continuis.* ſubaudi *partibus*, *eadem eſt ratio*, Hinc aliquæ verſiones expreſſerunt hoc totum, habent enim, *& de partibus non continuis eadem eſt ratio*; Hoc ego intelligo, de partibus eſſentialibus. videl. materia, forma, genere, & differentia: iſtæ enim non ſunt continuæ, veluti eſt continuum, de quo hic fuit ſermo: Quare extra propoſitum nonnulli miſcent hic tota neſcio quæ homogenea: atque heterogenea; verùm hi nihil ad fides.

At dices 1. Quomodo difficultas de diſtinctione totius a ſuis partibus, *vtrum vnum, an plura ſint pars, & totum*, non facit ad propoſitum, & vt Auctor loquitur οὐδὲν πρὸς τὸν λόγον, *nihil ad ſermonem*, qui nunc eſt?

Dices 2. Quid Ariſt. dicit de inducta quæſtione circa diſtinctionem totius a partibus? ita ne omninò ſuſpenſus, ac tacitus eam præterit?

VII. Ad 1. Res eſt clara, quod dubitatio de diſtinctione totius a partibus, non facit ad rem, de qua hoc loco Philoſoph agit, & de qua eſt eius argumentum. Primò, quia hic eſt ſermo de diuiſione continui in ſuas partes æquales, aut proportionales; in iſtas enim continuum diuiditur, & Ariſt. probat, vnum ac totum, a Parmen. & Meliſſ. conſtitutum, non poſſe eſſe vnum, vt continuum. Difficultas autem, an totum diſtingua-

tur a partibus, non est de tali diuisione; sed est, an totum sit vna res, & partes sint alia res: & sic hæc difficultas nihil facit ad proposit um. Secundò, Hic est sermo de toto continuo, seu integrali: in quo non habet locum dubitatio de distinctione totius a partibus. Certum namque est, eiusmodi totum non distingui a suis partibus: Sed difficultas de distinctione inter totum, & partes controuertitur de toto physico. Qua tamen de re inferius nos permulta sumus dicturi.

Ad 2. difficultatem respondeo quod, Arist. verbis quidem espressè reijcit eius difficultatis determinationem ad alium locum: nihilominus videtur innuere, quod præferat eam partem, quæ dicit, totum, & partes non distingui *ita vt sint plura*, id est realiter. Quod ex eo conijcio, quia pro hac parte apposuit rationem in contrarium, & indicauit eius solutionem: oppositam autem partem, quæ totum distinguit realiter a suis partibus, negligit tanquam apertè falsam, & ideò neque eius fundamentum voluit tangere.

At non desines adhuc dubitare. Si difficultas de distinctione totius a suis partibus alio loco ex professo est dirimenda, cur ergo hîc obtruditur? An verò Aristoteles is est, qui res extra propria loca pertractet?

Iam dixi in continuatione textus 17. quam ob rem necesse habuit Arist. eam difficultatem hic interserere: vt videl. intercluderet quandam fugam, per quam aduersarius videri posset deflectere argumentum iam in textib. præced. factum, quod ens non est vnum. Neque verò nouum, ac insoleus est, vt etiam extra loca propria tangamus, & resoluamus etiam aliquas dubitationes, si occasio ita exposcat. Sic facit hoc loco Arist.

VIII. Dices demum: At quo pacto occurrendum erit ad rationem illius partis, quam rationem nos ex interpretibus Græcis retulimus? quod si totum esset quiddam diuersum a parte, ergo & a se ipso.

Facillimè. Partes gemino modo spectari possunt: videl. distributiuè, & collectiuè. Priori modo verum est, partem esse quippiam diuersum a toto, & ab alijs partibus. Quis ambigit, brachium V. G. dextrum esse aliquid diuersum tum a toto homine, tum a brachio sinistro, aut a pede? Posteriori autem modo non est verum, quia partes collectiuè, & omnes simul captæ sunt ipsummet totum. Argumentum itaque est fallax, cum procedat a sensu distributiuo ad collectiuum.

Circa hunc tex. arrepta occasione ex difficultate ab Stagirite inducta, exagitant auctores celebrem quæstionem de distinctione totius a suis partibus, quæ a nobis quoque diligentissimè nunc subit discutienda. est ergo.

QVAESTIO I.

Vtrum totum distinguatur realiter ab omnibus suis partibus: & quomodo.

SECTIO I.

Explicatur multiplex significatio totius; Tum aperitur punctus difficultatis: & refertur duplex ea de re sententia.



Olent in quacunque lubrica, & abstrusa re varia feruidiorum ingeniorum dissidia exoriri, quæ mutuis altercationibus aliquando quidem veritatem in lucem propellunt, quanquam id obtingat perrarò; sæpenumero autem eam ipsam miserum in modum implicant, inuoluuntque. Vereor, ne in re proposi a ita euenerit. Magna autem altercationum causa, non modo in re præsenti, sed in multis etiam alijs est, quod non rem ipsam, sed a quonam, & cuius vuqnam classis homine ea profertatur, spectamus. Classes, non res defenduntur. Obstat nimirum, obstruitque miserum insiurandum, factum *in verba Magistri*. Scitè Philosophus in secundo de Cælo tex. 80. de hominibus consimilis conditionis aiebat, quod *videntur vsque ad aliquid quærere, sed non quousque dubitari possibile est*. Quid ita? *quia non ad rem quæstionem faciunt, sed ad contraria dicentem*. Hinc aliqui in secunda suorum operum editione gloriantur, quod postquam hanc quæstionem de distinctione totius a suis partibus, ipsi agitauerant, nemo eorum, qui postea scripta sua in lucem ediderunt, ne leuem quidem instantiam contra illorum decretum attulerit. Tumidè dictum: Experiamur & nos, si veritatem intimius valeamus rimari. Quod porrò an assecuti fuerimus, doctorum hominum sit iudicium. Vt igitur dilucidè procedamus, scito, tota varia esse.

Vnum

II. Vnum quidem totum est omnino per accidens aggregatum, cuiusmodi est aceruus lapidum, in quo quidem toto est vnitas omnium minima, quæ potest in aliquo toto reperiri.

Alterum totum est etiam quædam multorum aggregatio, sed cum quodam partium ordine, ideòque hoc totum est magis vnum, quàm totum præcedens. Tale est totus exercitus.

III. Tertium est totum accidentale; quod consurgit ex accidente, & subiecto, vt album, aut calidum: quod adhuc est magis vnum, quàm totum præcedens. Ibi enim nullum eorum quæ ordinem habent inhæret alteri; hic autem vnum, idest accidens insidet, atque inhæret in subiecto.

IV. Quartum est totum artificiale, veluti domus, scamnum, nauis. Atque de hisce totis in præsentia sermo non est, quoniam exploratum est, hæc tota non dicere aliquam tertiam entitatem præter partes, sed esse ipsasmet partes simul acceptas.

V. Quintum totum est logicum; quod adhuc duplex facio. Vnum potestatiuum, seu vniuersale, vt est genus respectu specierum, & species respectu indiuiduorum: Alterum, actuale, cuiusmodi est species respectu generis, ac differentiæ, ex quibus species conflatur. Et neque hæc tota in præsentem disputationem cadunt. Non prius. Primò, quia eiusmodi totum non componitur actu ex partibus, cum differentiæ, vt dicitur in septimo Metaphys. tex. 30. non sint in genere nisi virtute. Secundò, quia hoc totum est per intellectum dumtaxat: neque enim vniuersale formaliter vspiam a parte rei existit. Nun posterius, quia certum etiam est, speciem non dicere aliquam tertiam entitatem præter partes, genus, & differentiam, ex quibus coalescit: Quamquam secus opinantur aliqui, inter quos est Ioan. Canonic. in primo Phys. quæst. 5. art. 1. existimantes, speciem constitutam ex genere, & differentia, formaliter esse tertiam aliam entitatem, ex natura rei a partibus distinctam. Sed præter rationem sic opinantur. Nam quid aliud importat homo V. G. in sua essentia præter animal, & rationale?

VI. Sextum est totum Metaphysicum, quod constat ex essentia, & existentia, ex natura, & subsistentia, & si vis, ex actu, & potentia, qua compositione inter Doctores nostros sunt compositi Angeli. Etenim ij recedunt ab actu puro; erunt igitur aliqua compositione saltem ex actu, & potentia præditi. Et neque hoc totum dicit tertiam aliquam entitatem præter suas partes. Adhibent Doctores nostri exemplum de Christo Dom. qui neutiquam est tertia quædam entitas resultans ex natura humana, & subsistentia diuina, sed est persona formaliter constituta ex ijs coniunctis.

Septimum est totum integrale: quod aliud est continuum, vt linea V. G. quattuor palmorum, aut aqua, vel terra: aliud est discretum, ceu numerus, qui ex vnitatibus integratur. Rursus aliud est homogeneum, aliud heterogeneum, vt homo quatenus coalescit ex capite, thorace, brachijs, abdomine, cruribus, & id genus partibus integralibus. VII.

De quo quidem toto non planè conuenit inter auctores. Nam quidam Scotistæ, vt Ioannes Canonic. in 1. Phys. quæst. 9. art. 2. Tatar. in 1. Phys. quæst. 2. dub. 2. Ant. Roccus in 1. etiam Physic. quæst. 6. concl. 4. & quidam alij contendunt, hoc totum distingui realiter a suis partibus simul acceptis, eo modo, quo tuentur distingui totum physicum: ac proinde aiunt, huiusmodi totum dicere aliquam tertiam entitatem præter partes ipsas. VIII.

Quam opinionem validè impugnant alij auctores eiusdem scholæ, vt videre licet apud Mastrium, & Bellut. in Physic. Disput. 5. quæst. 13. art. 2. & re vera falsa est. Nam, vt arguunt Mastr. & Bellut. eiusdem classis auctores: si totum integrale diceret aliquam tertiam entitatem præter partes ipsas, tunc magis ponderarent duæ libræ coniunctæ, quàm diuisæ, quia coniuncta causant tertiam entitatem, quæ haberet suam grauitatem distinctam a grauitate partium. Quod tamen est contra experientiam. Et si ab aliquo ponderoso auferatur pondus vnius libræ, adhuc remanebit idem pondus. Sit namque verbi gratia A. ponderosum vnius libræ, diuidatur in duas partes, tunc destruitur compositum illud, quod dicebatur A. & cum illud esset vnius libræ, ablatum est pondus vnius libræ: & tamen non minus ponderant duæ illæ medietates, vt experientia docet, ergo &c. Et profectò ne fingi potest quid vnquam aliud sit in pugillo V. G aquæ, aut in linea bicubita, præter omnes earum partes. Quare neque de hoc toto erit in præsens disceptatio.

Octauum est totum physicum, quod verè & actu componitur ex materia prima, & forma substantiali, vt homo, lignum, ignis: Et de hoc solummodo toto exagitatur proposita disputatio. IX.

Scito itaque quod partes totius physici gemino modo spectari queunt. Vno quidem seorsim, ac separatim sumptæ, altero autem iunctim, & simul acceptæ. Non est sermo de ijs priori modo: quippe cum hoc pacto non sint totum: quinuerò possunt ambæ in natura existere, nec tamen esse totum, quemadmodum in anima rationali V. G. D. Petri, & ipsius materia licet animaduertere. Enimuerò illa, vtpote immortalis, ac perbeata, in cælo fruitur faciali Dei visione: materia verò, veluti etiam incorruptibilis, vel ex primo Phys. tex. 82. degit sub alia forma: neque tamen nunc est D. Petrus. Loquimur itaque de partibus iunctim, & simul acceptis. X.

Quæ adhuc dupliciter considerantur. Primò, in fieri, quatenus concipiuntur simul, & incipiunt vniri. Atque alterutra exercet suam causalitatem in alteram, vt constituant totum. Secundò considerantur in facto esse, cum iam vnitæ quasi quiescunt. De his vltimo duntaxat modo captis, est difficultas; Vtrum videl. totum physicum sit dictæ partes ita in facto esse vnitæ, an verò præter eas importet aliquid aliud ab ijs distinctum?

XI. Qua in re variæ agitantur Doctorum opiniones. Prima censet, totum physicū re distingui a suis partibus vnitis, per quosdam modos reales, intrinsecos, quos totum superaddit partibus; qui quidem modi sunt duo, nempe esse in alio, qui est formæ, & esse id, in quo est aliud, qui est materiæ. Hos, inquiunt, modos complectitur totum, quos tamen partes, etiam vnitæ neutiquam complectuntur. propterea totum per eos distinguitur realiter a suis partibus, tanquam includens aliquid a non includente ipsum. Hanc opinionem retulit Heruæus Quodlib. 2. quæst. 14. & P.Peter. lib 7. suæ Phys. cap. 18. & vterque eandem ceu apertè falsam labefactauit.

XII. Cuius falsitas vel hinc redditur manifesta. Nam illi modi, per quos dicunt differre, ac distingui totum a suis partibus, aut sunt partes totius, & sic totum discriminaretur ab omnibus suis partibus per alias partes, quod est impossibile: aut sunt passiones totius, sed cum passio sit natura posterior subiecto, nec essentiam eius attingat, non poterit totum per se primò, & essentialiter distingui a partibus per illos modos: aut illi modi sunt ipsummet totum, & hoc esse nequit, quia totum est a se indistinctum, illi autem modi sunt inter se distincti, & oppositi: totum est ens absolutum, & ponitur in Categ. subst. illi autem modi sunt respectus quidam, nec per se in vlla Categ. collocantur, vt etiam auctores illius opinionis fatentur: quare impossibile est, totum discriminari a partibus per illos modos.

Deinde, dicti modi, scil. esse in alio, & esse id, in quo est aliud, si rectè expendantur, sunt attributa ipsarum partium vnitarum, ergo malè ab illa opinione attribuuntur toti. Assumptum prob. quia esse in alio, competit formæ, & actui, non toti; esse verò id in quo est aliud, competit materiæ, quæ est primum subiectum, vt definitur in primo Phys. auscult. tex. 82. ergo &c.

XIII. Secunda sent. est, quam refert P. Suarez. in sua Metaphys. Disput. 36. sect. 3. & ait, totum distingui a suis partibus vt vnitis per quendam modum realem essendi, quem totum habet, partes autem non habent; pro vt totum est quædam entitas completa, partes autem non item. Qui quidem modus realis distinguitur, inquiunt auctores illius opinionis, a partibus simul sumptis, non quidem distinctione reali, quæ inter duas res intercedit, sed distinctione ex natura rei, secretò autem, totum fecernit a suis partibus distinctione modali.

Quæ quidem opinio potest in bonam frugem reuocari, si dixeris, aliquem modum, non quidem essendi, sed significandi competere toti, qui non competit partibus etiam vt vnitis, de qua re inferius redibit sermo. Verùm alios viros eximios iam audiamus.

SECTIO II.

Opinio, & fundamenta, quod totum physicum distinguitur realiter tanquam res a re ab omnibus suis partibus vt vnitis.

Tertio loco stat longa grauium Doctorum phalanx, contendens, totum physicum distingui realiter ab omnibus suis partib. simul acceptis, & in facto esse, non per aliquem modum, realem, quem partibus superaddat, sed quia ex vnione formæ, & materiæ resultet tertia quædam entitas præter materiam, & formam, quæ quidem est substantia, & quidditas compositi substantialis, & per quam ipsum totum formaliter est totum. Et hæc tertia entitas distinguitur a præfatis partibus vt vnitis, tanquam vna res ab alia re. XIV.

Io hac sententia fuit Auicenn. 5. Metaphys. cap. 4. Secutus deinde est Scot. 8. Metaphys. quæst. 4. & in 3. Sent. distin. 2. quest. 2. quo loci tertiam hanc entitatem appellat quidditatem, & formam totius, & explicat quomodo ea non sit causa cum materia, & forma particulariter causans totum, sed sit ipsum totum. Adhærent Scoti asseclæ omnes, Maytonus in 3. distin. 1. quæst. 10. Bassolius in 2. distin. 12. quæst. 2. Lychetus in 3. distin. 2. quæst. 2. Ant. Andr. 7. Metaphys. quæst. 18. Trombeta tract. formal. art. 4. Ioan. Canonic. in 1. Phys. quæst. 5. Argentin. in 2. distin. 15. quæst. vnica. Mastr. & Bellut. in Physic. disput. 5. quæst. 13. Item Buiæeus in 1. Phys. ad tex. 16. Zimar. theor. 35. P. Fonsec. 5. Metaphys. cap 2. quæst. 2. sect. 2. & lib. 7. cap. 17. quæst. vlt. laudan. in 1. Phys. & alij.

Quinimò huic eidem sententiæ adhæsisse visus est D. Thom. in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 3. quæstiuncul. 3. ad 3. & in 4. distin. 16. quæst. 1. art. 1. & in 3. part. quæst. 6. art. 5. Hinc factum est, vt Thomistarum etiam coryphæi eandem opinionem amplexati sint. Capreol. in 3. distin. 2. quæst. vnic. art. 1. Caietan. in 3. part. quæst. 6. art. 5. Ferrar. 4. Cont. Gent. cap. 81. Iauell. 7. Metaphys. quæst. 22. Ab hac eadem non discedunt aliqui, dum & eam, & oppositam sententiam ita probabilem censent, vt vtramque problematicè tueantur, ita Soncin. 7. Metaphys. quæst. 42. P. Peter. lib. 7. suæ Phys. cap. 19. & sequ. & PP. Conimbr. in 1. Phys. cap. 2. quæst. 1. art. 3. & deinceps. XV.

At neque hoc ignorabis, quod inter Scotistas, vt etiam adnotauit Mastr. loco cit. est adhuc dissidium XVI.

ſidium in modo explicandi. Nam aliqui volunt, hanc diſtinctionem realem nec dici, nec eſſe mutuam, ſed aiunt, partes quidem vnitas diſtingui realiter, veluti rem a ſe ab ipſo toto; at non e contra. Ita Tromb. & Argent. locis nunc iudicatis, quos ſequuntur alij in ea ſchola. Verùm hi portentosè philoſophantur. Qui enim fieri poteſt, vt aliqua duo ſint inter ſe realiter tanquã duæ res diſcriminatæ, & quod vnum diſtinguatur ab alio, aliud autem non item ab illo?

Præterea alij, inter quos eſt Ioan. Canonic. concedunt, eam diſtinctionem realem eſſe mutuam inter partes, & totum; ſed addunt, non eſſe mutuam diſtinctionem eſſentialem, quia partes ſunt de eſſentia totius, atque ideò quidditatiuè, & eſſentialiter, identificantur cum ipſo: non autem e contra. Verùm hic etiam dicendi modus eſt impoſſibilis. Nam non minus partes ſunt de ratione totius, quàm totum eſt de ratione partium. Enimuero ſi eſt totum, neceſſario aliquarum partium totum eſt. Hinc Stagirites in primo Phyſ. tex. 36. *totum*, inquit, *ſequitur partes*.

XVII. Hinc alij concedunt vtramq; diſtinctionẽ; videl. & eſſe mutuam inter partes, & totum, & eſſe eſſentialem. Quod ſit mutua, oſtendunt, quia diſtinctio realis inter cauſam, & effectum, eſt mutua: Diſtinctio totius, & partium vnitarum eſt in ratione cauſæ & effectus, ergo mutua. Quod autem ſit mutua eſſentialis probant, quia ex diuerſitate reali omninò ſequitur diuerſitas eſſentialis; quippè quæcunque res ſingularis ſuam habet propriam eſſentiam. Si igitur totum, & partes vnitæ ſunt diſtinctæ res, diuerſas etiam habent eſſentias, atque ideò erunt ne dum realiter, verùm etiam eſſentialiter diuerſa mutuo. Scio, Fabr. Fauent. in theor. 22. cap. 3. peculiari quadam via hac in re incedere, & conari opinionem Scoti, & oppoſitam conciliare: ſed hic ego nil moror.

Quibus argumentis fulciatur ſententia iam explicata.

XVIII A T iam lubeat huius ſententiæ probationes audire, quæ ſunt auctoritates Philoſophi, & rationes. Et quidem Ariſt. in ſecundo de Anim. tex. 2. in ſeptimo Metaphyſ. tex. 7. in lib. octauo tex. 3. tum lib. vndec. cap. 3. diuidit ſubſtantiam naturalem *in materiam, formam, & compoſitum*: Cum itaque in bona diuiſione membra diuidentia debeant eſſe diuerſa, compoſitum non eſt idem quod materia, & forma, ſed aliquid præter eas.

Deinde, in quinto Metaphyſ. tex. 9. ait, *ſex non ſunt bis tria, ſed ſemel ſex*. Ex quo hunc in modum arguitur. Ita ſe habent bis tria ad ſex, ſicut partes, videl. materia, & forma, ad totum compoſitum naturale. Atqui Stagirites ait, ſex non eſſe bis tria, quare neque compoſitum naturale erit ſolum partes, quocunque modo acceptæ, ſed præter eas eſt aliquid aliud.

Præterea, in primo Phyſ. tex. 36. ait, *Totum ſequitur partes ſecundum quantitatem in paruitate, & magnitudine*. Nihil autem ſequitur ſe ipſum, ergo totum phyſicum non ſunt ipſæ partes, ſed aliud ab ipſis.

Ad hæc, in ſeptimo Metaphyſ. tex. vlt. ait compoſitum phyſicum haud eſſe veluti aceruum, qui nimirum nihil ſit aliud, quàm partes ipſæ coaceruatæ, ſed eſſe veluti ſyllabam, quæ eſt aliud quippiam præter elementa litteraria. Enimuero ſyllaba B A non eſt ſolum B & A, ſed præter haſce litteras eſt quiddam aliud. Sic caro non eſt tantum elementa ignis, terra, aer, & aqua, ex quibus coaleſcit, verùm adhuc aliquid aliud. Quod ea quoque ratione confirmat, quia diſſoluta ſyllaba B A. remanent litteræ, quæ illam componebant, pari ratione deſtructa carne, remanent elementa: Non autem remanet ſyllaba, aut caro. Excipe eius verba; *Patet itaque, quod de ſimplicibus non eſt aliqua quæſtio, neque doctrina, ſed alius talium quæſtionis modus. Cum verò quod ex aliquo compoſitum, ita vt vnum totum ſit, non eſt vt cumulus, ſed vt ſyllaba; ſyllaba verò non eſt ipſa elementa, nec idem quod B & A. nec caro ignis, & terra: diſſolutis enim hæc amplius non ſunt, vt caro, & ſyllaba, elementa verò ignis, & terra ſunt. Eſt ergo ſyllaba aliquid, non ſolum elementa vocalis, & muta, ſed etiam aliquid aliud: & caro non ſolum ignis, & terra, aut calidum, & frigidum, ſed etiam aliquid aliud.* Ex qua quidẽ expreſſa ac luculenta auctoritate hanc etiam rationem collige. Quandocumque aliqua plura ita ſe habent, vt corrupto vno, reliqua non corrumpantur, ſed integra perſeuerent, ea porrò inter ſe re ipſa diſſidere neceſſe eſt: alioquin eadem omnino res corrumperetur, & ſimul ſuperſtes remaneret: Ita ſe habet totum compoſitum phyſicum, tum ſyllaba, tum caro reſpectu partium, ex quibus componuntur, ergo &c. XIX.

Poſtremò in octauo lib. eiuſdem operis tex. 15. quærit, quid facit definitionem, & definitum eſſe vnum? & ait, *quod omnium, quæcumq; plures partes habent, & non eſt totum quaſi coaceruatio, ſed ipſum totum eſt aliquid aliud præter partes, eſt aliqua cauſa*. In toto autem ecquid vnquam aliud concipi poteſt præter partes quam entitas hæc totius? hæc igitur ad aures Philoſophi, omninò ponenda eſt. XX.

Accedunt rationes. Prima, Inter cauſam realem, & effectum realem intercedit realis diſtinctio. Cuius effati ratio plana eſt, quia cauſa realis dicit relationem realem ad ſuum effectum: Relatio autẽ realis expoſcit extrema realiter diſtincta. Atqui materia, & forma ſimul acceptæ, & vnitæ, ſunt veræ, ac reales cauſæ totius compoſiti phyſici, quare materia, & forma ſimul acceptæ, & vnitæ diſtinguuntur realiter a toto. Minor prob. Et quod eæ ſint cauſæ totius, extra dubium eſt, quid enim aliud intrinſecè cauſat totum niſi materia, & forma? Quod verò cauſent vt ſimul acceptæ, atque vnitæ, etiam patet, tum quia non cauſant totum vt vna XXI.

abun-

abiuncta ac distans ab alia, ergo vt simul acceptæ & vnitæ: tum etiam, quia vt causent totum, vna earum debet recipere, altera recipi: id verò quo vnquam pacto præstabunt, nisi simul sint? Adde, si totum nihil esset aliud præter partes, cum partes causent totum, profectò idem causabit se ipsum. Quod contradictionem inuoluit.

XXII. Secunda ratio. Ea de quibus simul, & verè pronunciantur contraria, & contradictoria, nequeunt esse idem secundum rem, sed necessariò re ipsa discriminantur. De toto, & partibus, vt vnitis, verè enunciantur contraria, & contradictoria. Quod ita ostendo. De toto asserimus quod sit vnum, de partibus quod sint multa; de illo, quod sit causatum, de his, quod sint causantes; de illo, quod subsistit per se, de his, quod subsistunt in alio: quæ omnia palam contraria sunt. Eodem modo. Totum est vnum, partes non sunt vnum; totum est terminus adæquatus generationis substantialis, partes non sunt huiuscemodi terminus: totum est immediatum subiectum accidentium, partes non item: quæ sunt attributa contradictoria. ergo repugnat, totum, & partes esse vnam, atque eandem rem, sed omninò erunt re ipsa diuersa, ac distincta.

XXIII Tertiò. Generatio, quoniam est vna numero mutatio substantialis, debet habere pro adæquato, & proprio suo termino ad quem, aliquid, quod sit verè vna substātia. Quod enim terminus ille debeat statui vnus numero, exploratum est, cum ad vnitatem numericam motus, ac mutationis, requiratur idem numero subiectum, idem numero tempus, & idem numero terminus ad quem, vt demonstrat Stagirites libr. quinto Phys. auscult. cap. 4. Quod autem præfatus terminus debeat esse substantia, etiam exploratum est, alioquin generatio substantialis haud esset substantialis, cum motus, & omnino omnis mutatio possitentur penes terminum ad quem. Sed vna illa substantia non sunt materia, & forma, quippè hæ sunt duæ. est igitur tertia illa substantia totius. Simili modo vrgeri potest in corruptione, & præsertim in corruptione hominis, in qua non intereunt partes, etenim materia, ex primo Phys. tex. 82. est ortus, & interitus expers: & anima humana verè existit immortalis. Et nihilominus corrumpitur totum, ergo totum verè est aliquid aliud præter partes: secus idem planè corrumperetur, & simul remaneret superstes. Quod apertè repugnat.

XXIV Quarta. Quia alias nullum intercederet discrimen inter ens per se, quale est totum physicum, de quo præsens agitatur disceptatio, & ens per accidens, cuiusmodi sunt aceruus lapidum, aut nauis, vel etiam album. Hoc verò est dictu absurdum. Et conseq. videtur manifesta, quia sic vtrobique totum nihil esset aliud, quàm ipsæ partes. Hi sunt firmiores nerui, & artus huius sententiæ, nam reliqua, quæ complures huc aceruatim congerunt, ea sanè ex his hauriunt, aut deflectunt, vt impleant chartas.

SECTIO III.

Præfertur opinio negatiua: & eius veritas efficacissimè commonstratur.

PRodit quarta opinio maiori auctoritate, ac longè firmioribus rationum monumentis suffulta, quæ in composito naturali nullam admittit aliam tertiam entitatem realiter distinctam a materia, & forma simul acceptis: & vnitis, & totum substantiale, ait, nil esse aliud, quàm partes ipsas vnitas in facto esse. XXV

In qua proculdubio est Arist. locis mox inducendis: sunt & Græci interpretes, Alex. Aphrod. Themist. Philopon. & Simplic. ad tex. 16. & 17. huius lib. Adi omninò Simplic. in Digress. ad eos textus. In eadem fuit Auerr. in com. 17. huius lib. & in septimo Metaphys. com. 20. & 44. Alber. Magn. in hunc eundem lib. tract. 2. cap. 3. D. Thom. in prim. part. quæst. 11. art. 2. in respons. ad 2. & quæst. 77. art. 1. & lib. 4. contr. Gent. cap. 81. & alibi sæpe. Quinimo in illis ipsis locis, (vt rectè adnotant eius discipuli) pro superiori sententia inductis, hoc idem intendit. Nam aut solum intelligit, totum distingui a suis partibus seorsim acceptis, vt mox nos quoq; dicemus. Aut sanè vult, minus propriè dici, totum esse suas partes, propter distinctionem rationis, vel diuersum modum significandi, qui inter totum, & partes est, sed potius dici debere, totum constare ex suis partibus. Adhæserunt huic eidem sent. Durand. in 3. distin. 2. quæst. 2. August. Suessan. 7. Metaphys. disp. 19. Achillin. lib. 1. de Element. P. Suarez. in sua Metaphys. disput. 36. Valles. controuers. 4. doctissimus Ioan. Bapt. Contarenus, in Disput. de distinct. partium a suo toto. Iacob. Zabar. ad tex. 17. huius lib. P. Hurtad. in Phys. disput. 6. sect. 2. Ant. Ruu. itidem in hoc lib. cap. 3. quæst. 1. Paul. Ares. lib. 1. de Gener. & corrupt. disput. 2. quæst. 13. Barthol. Amic. in Phys. tract. 11. quæst. vlt. dub. 4. & tract. 14. quæst. 4. dub. 3. Rhaphael. Auers. quæst. 19. sect. 8. Arriag. disput. 5. sect. 9. Franc. de Ouiedo in sua Physica controuers. 5. puncto 1. Et hodie est communis in scholis, & reuera tenenda. Vt ergo res clarè, ac dilucidè aperiatur, duas profero conclusiones.

Prima est. Quodlibet totum compositum, cuiuscunque conditionis illud sit, distinguitur realiter a singulis suis partibus diuisim, & de se acceptis. V. G. tota domus re distinguitur ab hoc, vel illo ligno: totus aceruus lapidum ab hoc, vel illo particulari lapide: totus homo, equus, lignum, & realiter distinguuntur a sua materia seorsim sumpta; sic a sua forma. Quæ distinctio in scholis appellari solet distinctio inadæquata, & inter includens, & inclusum. XXVI

Cau-

Digitized by Google

Caue autem hoc ita intelligas, quasi totum sit quoddam includens, inclusum verò sint omnes eius ipsius partes collectiuè acceptæ; & quod istud includens realiter secernatur ab illo incluso. Hoc a veritate procul est, sed sensus conclusionis est, quod totum includit multas partes, sic includat tres partes, quarum quælibet realiter distinguitur ab alia. Totum igitur cum præter hanc partem includat etiam alias duas ab illa priori re distinctas, dicitur distingui ab illa inadæquatè, & tanquam includens ab incluso. Assertio sic explicata est communis inter Philosophos, nec alia eget ostensione.

Imò verò, supposito quod in toto physico præter materiam, & formam vnitim acceptas, sit etiam quidam nexus realis, ac modus substantialis vnionis, de qua re in quæst. sequenti adhuc dicendum est, totum physicum realiter secerni tali distinctione etiam a suis partibus, id est a materia, & a forma, simul & vnitim sumptis, quia totum includit aliquid aliud reale, nempe dictum nexum, & modum substantialem præter partes vnitas.

XVII Secunda assertio. Non datur in toto composito physico tertia aliqua entitas realiter distincta a partibus, scil. a materia, & forma, vt vnitis, quæ sit entitas totalis, & essentia totius; sed totum physicum re ipsa nihil est aliud, quam partes substantialiter, & in facto esse vnitæ. Ac proinde penitus imaginarium est asserere, totum realiter, tanquam rem a re distingui, ac segregari a suis partibus ita captis.

Hanc assertionem ex tribus capitibus ostendo, videl. ex parte ipsarummet partium vnitarum: Ex parte illius tertiæ entitatis: Et ex parte tam entitatis, quàm partium simul.

Ostenditur ex ratione, & conditione partium, quod totum physicum non distinguitur realiter, tanquam res a re, a suis partibus iunctim acceptis, & in facto esse.

XVIII ET quidem ex primo capite sic arguo. Materia prima, & forma substantialis, vt actu, & in facto esse vnitæ, seclusa tertia illa entitate, sunt quoddam vnum, siue vnitum: sed istud vnum, siue vnitum verè, ac realiter est compositum substantiale, & physicum, ergo præcisa illa tertia entitate, partes quà actu, & in facto esse vnitæ, verè ac realiter sunt compositum substantiale, & physicum: ac proinde præfata illa tertia entitas affatim supervacanea, ne dicam, omninò fictitia est. Quod illud vnitum sit verè, ac re ipsa compositum substantiale, & physicum, ostendo.

Primò, quia illud est verè, ac propriè compositum substantiale, & physicum, quod verè constat ex partibus physicis: Illud vnitum verè constat ex partibus physicis, ex materia scil. & forma, ergo vere, ac proprie est compositum substantiale, & physicum.

Secundò, Quod est vnum per se, id verè est compositum substantiale, & physicum: Illud vnitum est verè vnum per se, Quod probo. Id quod consurgit ex eo, quod per se est potentia, & ex eo, quod per se est actus cum omni proprietate est vnum per se, vt docet Philosoph. in octauo Metaphys. tex. 15. & secundo de Anim. tex. 7. sed illud vnitum consurgit ex ijs, quorum vnum est per se potentia, alterum per se actus. consurgit enim ex materia, quæ suapte natura est potentia, quemadmodum apparet ex primo Phys. tex. 82. & ex forma substantiali, quæ etiam per se est actus, vt auctor est Arist. secundo de Anim. tex. 2. quare illud vnitum est vnum per se: ac proinde est compositum substantiale, & physicum.

Tertio prob. ex definitione compositi physici, quod definitur esse aggregatum, seu vnitum, seu vnum ex materia, & forma: Quippe quemadmodum compositum integrale censetur illud, quod ex partibus integrantibus constat, compositum autem logicum, quod est ex genere, & differentia, compositum Metaphysicum, quod est ex essentia & existentia; aut ex natura & subsistentia; ita sanè compositum physicum illud plane fuerit, quod ex materia, & forma consurgit. At illud vnitum, de quo loquimur, verè est ex materia & forma. quare verè compositum physicum.

Quarto Vbicumque est actu informans substantiale, tum actu informatio substantialis, & actu informatum, implicat non esse actu compositum physicum. At quando forma substantialis est actu vnita cum materia, seclusa tertia illa entitate, sunt hæc tria. Primò est actu informans substantiale, quæ est forma in subiecto: Est actu informatio, siquidem repugnat esse actu formam in subiecto, & non informare illud, quemadmodum repugnat esse actu calorem in ligno, & non esse in eo calefactionem, An potest esse alicubi forma, & non eius effectus formalis? Quod denique sit actu etiam informatum, patet, quia est materia actu habens formam, ergo est actu informatum, ac proinde præcisa quauis alia entitate reali, præfatæ partes quà actu, & in facto esse vnitæ, vere ac realiter sunt compositum substantiale, & physicum. &c.

XXIX. Entuntur valida ope oppositæ opinionis fautores, ad hæc arg. iuxta sua fundamenta, occurrere. Ac primò omninò negant, illud vnitum, quod ex materia, & forma iunctis consurgit, esse dicendum compositum substantiale, ac physicum; est, inquiunt, illud aggregatum, & vnitum, id quod intrinsecè componit compositum physicum, at non est ipsum compositum. Imò verò vlterius negant, illud posse dici vnum: ac multò magis negant, posse dici vnum per se, sed potius dici, ac esse duo per se vnita. XXX.

Pro quorum explicatione aduertunt, tanquam ex fundamento, quod aliud est vnio, aliud vnitas: Quæ duæ inter se ita discriminantur, quod vnio est partiũ; & in ipsis etiam partibus recipitur; atq; illas denominat vnitas. Vnitas autem est

com-

compositi, & in eo recipitur, veluti propria eius passio, & denominat illud vnum, id est, indiuisum a se, & diuisum a quolibet alio, quod non est ipsum. Quo etiam fit, vt vnio sit relatio prædicamentalis, vnitas autem est passio identificata cum ipso composito.

Aduertunt præterea, quod compositio est duplex. Vna actiua, Altera passiua. Compositio actiua est causalitas actiua, qua partes causant totum, quod componunt; & hæc etiam recipitur in partibus vnitis, atque adeò illas denominat componentes, non compositas: nihilominus hæc compositio terminatur ad totum constituendum, tanquam ad terminum ad quem. Vnde etiam habes, quod hæc actiua compositio non est idem, neque formaliter, neque realiter cum vnione, sed ab ea differt; nam vnio est tantum inter partes, non autem inter partes, & totum; compositio antem actiua, & causalitas est inter partes, & totum. Compositio verò passiua est compositi, & in composito recipitur, atque illud verè denominat compositum.

XXXI Ex his eliciunt nuper indicata responsa. Aiunt enim partes illas vnitas, præcisa entitate totius, nullo pacto esse compositum physicum, sed esse partes componentes, & ibi esse solum compositionem actiuam, non autem compositionem passiuam. Modo vbicunque est compositio passiua, profectò ibi est compositum, at non vbicunque est compositio actiua, inibi est etiam compositum. Eadem simula opinaentur effugere argumentum, quod de informatione struximus. Hinc vlterius progredientes dicunt, illud vnitum, seu aggregatum ex materia, & forma, non esse vnum, propterea quod partes etiam vt vnitæ, fundant vnionem, non vnitatem: ac proinde illud idem vnitum multo minus erit dicendum vnum per se.

XXXII Veruntamen hæc non euitant argumenta a nobis confecta. Et quemadmodum præfati auctores animaduertunt de vnione, & vnitate, ita obseruare deberent, quod vnio multipliciter vsurpatur. Primò, remotè, seu effectiuè, & est actio mouentis, & vnientis ipsa vnibilia, quæ propriè dici consueuit vnitio. Secundò accipitur proximè, & hæc adhuc est duplex. Vna est in fieri, cum duo, aut plura vnibilia actu iuncta, mutua actione, & reactione semetipsa alterant; vt si aquam, & vinum immisceas, & illa actu iuncta, & mixta intelliguntur suis contrarijs qualitatibus pugnare, seque mutuo alterare. Eodem pacto in mixtione elementorum, cum illa actu in vnum coacta dimicant, seque vicissim alterant. Altera vnio est in facto esse, & ista est veluti finis præcedentia vnionis, quæ est quando res vnitæ, tum mutuo, & sufficienter alteratæ, prout illarum conditio exigit, quasi quiescunt. Et hæc vnio est idem cum vnitate, quinuerò cum ipso vno, & in modo duntaxat significandi discriminatur. Enimuerò vbi res vnitæ a mutua pugna quieuerunt, & ad vnam quandam mediocritatem redactæ sunt, (si id fieri opus est) ecquid aliud ibi est, quàm vnum? Hoc tuismet oculis cernis in omnibus, quæcumq; miscentur atque vniuntur. Hoc intellectu Arist. in primo de ort. & inter. tex. vlt. mixtionem definiuit, *quod sit vnio miscibilium alteratorum.* Audis, *alteratorum* in quibus nimirum præcessit alteratio, & est cessatio ab ea. Quinimo in mixtione substantiali præcessit miscibilium corruptio secundum formas, vt exponit D. Thom.: de qua tamen re suo loco.

Et hæc vnio, tertio modo capta, dicitur ab Stagirite in septimo Metaph. tex. 27. vnio, & copulatio secundum formam, id est substantialis: & vlterius eam solam ait in generatione fieri. Cum enim materia sit ingenerabilis, & forma non generetur, sed omne, quod generatur sit compositum, vt in illo septimo Metaphys. & in primo Phys. tex. 64. fuit ostensum, consequens est, vt in generatione substantiali sola illa vnio & copulatio fiat. Audi Philosophi verba. *Manifestum igitur ex dictis, quod illud quidem quod vt forma, aut substantia dicitur, non fit; copulatio verò, quæ secundum hanc dicitur, fit.* Sic ergo in proposito vnio materiæ, & formæ, hoc tertio modo capta, est vnitas, ac proinde vnum. XXXIII

Veruntamen detur Antagonistis, vnionem semper esse aliud quippiam ab vnitate; nihilominus vnio semper infert vnitatem, & vnum: adeò vt repugnet, dari alicubi vnionem, & ad eam non consequi vnitatem, & vnum eius conditionis, qualis est illa vnio, vt inductione constat. Vni, & misce aquam, & mel, varios liquores, aquam, & farinam, &c. perpetuo vides, ex ijs consurgere vnum quoddam tertium, iuxta conditionem miscibilium. Nunc in proposito, Materia, & forma sunt vnitæ, vt potentia, & actus; quare ex ijs sine aliqua alia tertia entitate, consurgit vnum: & quidem vnum per se, quia tale vnum fit ex actu & potentia, quemadmodum constat ex Arist. octauo Metaphys. tex. 15. XXXIV

Vlterius sic explico. Cum dicimus, materiam, & formam simul acceptas, atque vnitas, non intelligimus quomodolibet iunctas, sed tanquam verum actum, & veram potentiam, & vt veram causam materialem, & formalem. Ex quo ita pergo. Causa naturalis actu applicata, & non impedita, necessariò exercet suam causalitatem: Causalitas materiæ est, primò vt sit id, ex quo educitur forma: secundò, quod formam recipiat & sustentet: Tertiò, quod communicet se ipsam formæ: Quartò, quod limitet formam, & contrahat ad aliquod indiuiduum. E contra causalitas formæ consistit in alijs itidem quatuor. Primum est, quod forma sit id, quod ex potentia materiæ euocetur. Secundum, quod recipiatur, & ab ea sustentetur: Tertium, quod communicet se ipsam materiæ: Quartum, quod limitet materiam ad aliquam determinatam speciem. Quæ omnia suis locis a nobis abundè explicantur. Quàpropter in partibus vnitis exercentur ex parte vtriusq; partis, id est materiæ, & formæ hæc omnia causalitatum officia. XXXV

Digitized by Google

officia. Vnde sic colligo arg. Vbicumque est actu causalitas, necessario est actu causatum: In partibus simul acceptis, & vnitis, præcisa & abiecta illa tertia entitate, actu est causalitas, tum materiæ, tum formæ, ergo necessariò est actu causatum. Hoc autem causatum ecquid, quæso, aliud est, quàm compositum substantiale, & physicum? & oppositum huius ne fingi quidem potest.

XXXVI. Ad hæc, vnum ostendam, ex quo reliqua eius sententiæ dicta planè corruunt, & est, quod illud ex materia, & forma vnitum, seclusa, ac seposita tertia illa entitate, non modo sit vnum, sed omninò vnum, & ens per se. Porrò ens per se, seu vnum per se vario modo a Metaphysicis describitur. Quidam aiunt, ens per se, & vnum per se, dici in ordine ad vnitatem, quam habent: quocirca illud est ens, & vnum per se, quod constat vna natura vnius Prædicamenti: Illud autem erit ens, & vnum per accidens, quod constat naturis diuersorum Prædicamentorum. Sic Arist. quinto Metaphys. caput 13. & 14. entia per accidens appellat quæcunque constant subiecto & accidente, vel cum multa accidentia in eodē subiecto coniunguntur. Ens autem per se, ait, esse, quod diuiditur in decem Categorias. Idem verò Philosoph. lib. septimo eiusdem operis tex. 43. & expressius lib. octauo tex. 15. & lib. secundo de Anim. tex. 7. illud indicat esse ens, & vnum per se, quod vel simplex est, quemadmodum intelligentiæ, vel ex potentia substantiali, & proprio eius actu coalescit. Alij demum asseuerant, rationem entis, & vnius per se in hoc esse repositam, quod præcisè habeat ea, quæ ad essentiam, integritatem, vel complementum talis entis in suo genere per se, & intrinsecè requiruntur. De qua re fusè, & doctè edisserit P. Suarez. in sua Metaphys. disput. 4. sect. 3. Tunc subijcio. Sed illud vnitum ex materia, & forma, seclusa ac seposita tertia entitate, constat vna natura vnius Prædicamenti: Et componitur ex potentia substantiali, & proprio eius actu, vt vnicuique liquet, quare illud verè est ens, & vnum per se.

XXXVII Postremò sic vrgeo. Illud ex materia, & forma vnitum, est quoddam ens actu: quare est quoddam totum. Hoc totum vel distinguitur rursus realiter a suis partibus, (si enim est totum, habet partes) vel non. Si prius, res in infinitum abibit, quoniam illæ etiam aliæ partes essent quoddam totum: si posterius, ergo aliquod totum substantiale non distinguitur realiter a suis partibus. Hæc ea primo fonte hausisse satis.

Commonstratur ex parte illius tertia entitatis, quam auctores oppositæ sententiæ comminiscuntur, totum non distingui realiter a suis partibus simul acceptis, & in facto esse.

Venio ad argumenta, quæ ex secundo fonte, videl. ex parte illius tertiæ entitatis depromo. Primò iacio hoc fundamentum, de quo nemo ambigit, quod aliqua duo inter se distingui est, vnum non esse aliud, non modo per opus intellectus nostri, sed a parte etiam rei; ita vt entitas vnius a parte rei, & nullo cogitante intellectu, sit alia, ac distincta ab entitate alterius. Tunc accipio illam tertiam entitatem realiter a partibus simul sumptis, atque vnitis distinctam, quam Antagonistæ vocitant entitatem totalem, essentiam, & quidditatem totius, atque adeo ipsum totum. Et arguo sic. Illa entitas, vt distincta, est totum, ergo habet partes. Peto: partes illius totius sunt ne materia, & forma, an aliæ? Non materia, & forma; tum quia eas iam ab illa entitate seclusimus: tum etiam, quia si partes illius entitatis, etiam illo modo conceptæ, sunt materia, & forma, profectò illa non distinguitur realiter a materia, & forma. Si verò sunt aliæ, quænam illæ sunt? sanè assignari nequeunt, imò ne fingi quidem. XXXVIII

Item, Illa entitas, vt realiter ab entitate partium distincta, aut est in se formaliter simplex, aut composita. Non simplex, quia tunc compositum physicum haud esset compositum, sed simplex. Cur? quia illa entitas, etiam ad aures auctorum, cum quibus disserimus, est totum physicum: quare si illa esset simplex, iam compositum physicum non erit compositum, sed simplex: Quod contradictionem inuoluit. At neque est composita, siquidem tunc illa haberet partes, cum compositum intrinsecè dicatur ad componentia. At quæ vnquam sunt huiusmodi partes? Non materia, & forma, vt nuper aiebam. Non aliæ. Primùm quia prorsus finguntur. Deinde, quia de illis quoque redit eadem difficultas. Peto namque, vtrum ne ea illis partibus assignatis resultet rursus alia tertia entitas, re itidem ab assignatis partibus distincta, ac discriminata, an non? Si dederis prius, incides in ambages, siquidem de illa replico argumentum. Si dicas posterius, ecce ergo concedis entitatem compositam, & entitatem totius, quæ nihil sit aliud, præter partes vnitas. XXXIX

Præterea, Tertia illa entitas re ipsa distingueretur, & simul non distingueretur ab entitate partium, Quod cogitandum non est.

Assumptum probo : Et quod distinguantur, contendunt præfati auctores. Quod autem non distinguantur, ostendo. Omne quod distinguitur ab aliquo, necessariò distinguitur per aliquid, quod est eius conditionis, qualis est illa distinctio, qua id ponitur distingui. Atqui distinctio, qua tertia illa entitas ponitur distingui, est realis, quare id, per quod distinguitur, est aliquid reale.

Tunc ita pergo. Istud reale, aut est aliquid formæ, & hoc dici nequit : propterea quia per istud tertia illa entitas non distingueretur, neque vllo pacto differret a forma : cum id, quo aliqua inter se differunt, non debeat esse commune ipsis. Aut istud reale esset aliquid materiæ, & neque hoc dici potest, propter eandem rationem. Sic enim illa entitas non differret a materia. Aut denique istud reale est aliquid ipsiusmet entitatis. Et hoc minimè omnium affirmari potest quoniam tunc illa entitas, vt distincta a partibus, deberet adhuc constare ex tribus entitatibus : quarum vna esset, in qua illa conueniret cum ijsdem partibus : Altera, per quam differret a forma : Tertia denique per quam secerneretur a materia : sicut homo V. G. quia differt a planta, & a Leone, primum habet id, in quo cum illis conuenit : deinde habet animam sensitiuam, per quam à planta discriminatur, demum habet animam rationalem, per quam differt a Leone. Ita in proposito de illa tertia entitate esset philosophandum. Qui autem dicet, illam entitatem constare ex alijs tribus entitatibus ?

XLI. His etiam argumentis conantur auctores illius sententiæ obuiam ire, at non currunt, neque occurrunt vna via. Quidam aiunt, tertiam illam entitatem, vt re distinctam a partibus vnitis, esse entitatem quandam simplicem, si in abstracto accipiatur : ac proinde eam hac ratione excludere tum partes, tum compositionem. Et oppositum huius, (subdunt) non modo vim argumenti non eccitare, sed esse etiam dictu absurdissimum. Alij e contra contendunt, hunc dicendi modum esse contra Doctorem subtilem, penitusque contradictionem inuoluere.

XLII. Priori modo adhærent multi, inter quos est doctiss. Ant. Roccus, loco superius indicato, in respons. ad 6. arg. cuius verba quamquam pluscula hic exscribam, *Quidam*, inquit, *Scotistarum difficultatem potius nitentes euadere, quam veritatem aperire, partes in entitatem totius transire, & sic eas includere asserunt : Quod nihil aliud est dicere, quàm totum esse idem cum partibus, siue in vnione, siue post, nihil refert; esset enim tantum quæstio, quando totum fiat idem cum partibus, & non simpliciter, an sit idem. Quare scoticam doctrinam defendere conantes, eam penitus diriment; & sibi inconstantes apparent, præterquam quod, quomodo partes in hanc tertiam entitatem transeunt ? naturaliter namque solum per corruptionem id effici potest. Sed quid absurdius, quàm enuntiare, partes in totius generatione corrumpi, & totum remanere ? non ne tunc solum sunt partes, quando actualiter est totum, vt habet expressè Philosophus in quarto Phys. tex. 25 ? transeunt ergo, & remanserunt simul. Per ipsos, inquam, transeunt, secundum veritatem remanserunt, cum totum sit in ordine solum ad partes dicatur. Amplius in tertiam transeunt entitatem, ita vt non remaneant partes, sed totum tantum, magis intentum probabunt, nimirum totum a partibus distingui, quia est sine ipsis. Amplius, peius est hoc asserere, quàm ipsum a partibus non distingui cum aduersarijs confiteri : nullus enim rectè philosophantium, partes in naturam totius sic transire; quod ipsæ rationem partium amittant, dicere audebit; sed quod a toto non distinguantur realiter, illustrium est multorum sententia. Dimittantur ergo, & ad veram responsionem accedamus. Dicimus igitur, totum ipsum, vt a partibus contradistinctum, esse entitatem simplicem, partes namque non includit : & dum dicitur, hoc natura totius repugnat, respondetur, esse verum secundum realem existentiam, quia videl. nunquam est, nec esse sine partibus potest, sed secundum suam entitatem diuersa est ratio, debet tamen proferri per modum abstracti, ita vt dicamus, humanitas est alia ab anima; & corpore, & vniuersaliter totum sit distinctum, tertia entitas vocetur. quoniam in concreto, cum hoc verbo totum, vel compositum, partes semper includuntur.* Hæc ille.

Posteriorem verò dicendi modum sequuntur XLIII.
alij Scotistæ, vnde Mastr & Bellut. loco cit. in solutione argumentorum circa 4. arg. cum retulissent priorem illum respondendi modum, ita subdunt. *Sed hoc implicat in terminis : & est manifestè contra Doctorem 3. dist. 2. quæst. 2. § quantum ad tertium &c. & dist. 22. quæst. vn § quantum ergo &c. & 4. dist. 12. quæst. 3. quibus in locis docet, partes esse de essentia totius & in abstracto, quia nunquam totum præsciendi potest a partibus : & ideo concedendum est secundum membrum, &c.*

Quas quidem responsiones, cum ex se se alternatim collidant, atque confodiant, non est quod pluribus expugnem. Profectò prior dicendi modus animo capi planè nequit. Concipere totum, & non partes, quarum sit totum, est aperta repugnantia. Concipere totum physicum, cuius essentia intimè est, quod constet ex materia, & forma, & quod illud sit quoddam simplex, est omninò pugnantia concipere.

Posterior etiam modus haud minoribus vrgetur difficultatibus. Primò, Quis vnquam ferat, quod vnum aliquid realiter distinguatur ab alio; & nihilominus absque eo ne concipi quidem possit ? Secundò, dicta opinio, & præfatus dicendi modus, vna quidem ex parte ait, totum XLIV
distin-

Digitized by Google

distingui a suis partibus, vt vnitis, se toto, & adæquatè. Ex alia autem asserit, partes omninò, & semper includi in ipso toto. Hæc autem duo inter se pugnant. Nam distingui se toto, & adæquatè est, distingui secundum omnes sui partes, seu gradus, ab omnibus partibus, siue gradibus eius, a quo dicitur, se toto distingui: ac proinde tunc aliqua dicuntur sè totis, & adæquatè distingui, quando nihil vnius est in alio. V. G. rationalitas distinguitur se tota, & adæquatè ab ignibilitate, quia nihil vnius est accipere in alia. Hinc rectè etiam vrget P. Ruui. quod ea, quæ distinguuntur aliqua distinctione, non se includunt secundum sensum illius distinctionis; veluti si aliqua duo distinguantur ratione formali, non possunt se formaliter includere. Si itaque totum omninò, & semper includit partes, repugnat, quod ab ijs distinguatur se toto, & adæquatè, sed distinguetur solum tanquam includens ab inclusis. Quod potiò est, ipsum distingui solum per aliquid sui, & inadæquatè. Hoc arg. planè concludit.

XLV. Sed adhuc nonnulli arbitrantur, se rimulam euadendi inuenisse, inter quos est Ioan. Canonic. 1. Phys. quæst. 5. art. 2. Dicunt, partes vnitas; quamuis distinguantur realiter a tertia illa entitate, nihilominus non distingui essentialiter, quia entitas illa essentialiter includit partes. Atque in hoc, subdunt ijdem auctores, decipiuntur auctores oppositæ sententiæ, quòd existimant, distinctionem vnius ab alio, necessario inferre exclusionem huius ab illo. Quod tamen verum non est. Excogitauerunt etiam instantiam; In toto continuo vna pars proportionalis cum alia communicans, est realiter distincta ab illa, nec tamen eam excludit, quinimo eam includit.

XLVI Etiam hæc responsio est falsissima. Primò, non euitat argumenta nostra confecta. Non enim possibile est, aliqua duo re inter se discriminari, & vnum non posse absque altero concipi. Et aliquid distingui se toto ab alio, & nihilominus illud intrinsecè in se met includere.

Sed præterea sic arg. Essentia cuiscumque rei est indiuisibilis, alioquin posset augeri, & intendi, adeò vt vnus homo esset magis animal rationale, quàm alius; & magis modo, quàm postea? Quod nemo mentis compos dederit, quare implicat dicere, duas entitates re ipsa diuersas, & omnino duas res, esse vnam & eandem essentiam vnius rei: siue aliqua duo distingui inter se realiter, & tamen esse idem essentialiter: tunc quippè illa essentia esset diuisibilis, quinuerò actu diuisa, & simul esset indiuisibilis.

Instantia autem inducta de parte proportionali in toto continuo, supponit falsum, quod videl. ea actu sit realiter distincta ab alia parte eiusdem continui. Item, pars proportionalis in continuo actu haud est diuisa, sed solum potentia diuisibilis. Et si vna huiuscemodi pars actu, ac realiter foret ab alia distincta, cum eiusmodi partes in continuo sint infinitæ; potest namque illud in infinitum in tales partes diuidi, iam erunt entitates re ipsa distinctæ actu infinitæ. Quod apertè repugnat, vt in tract. de infin. dicemus.

Addunt auctores opinionis, quam nos quoque amplexati sumus, aliud argumentum contra hanc eandem sententiam, quod reputant validissimum. Quia, ad aures Scoti, omne absolutum, quod est res, & realiter distinctum, potest saltem per diuinam potentiam existere sine eo, a quo realiter distinguitur. Si itaque totum est res, a partibus vnitis realiter distincta, & est res absoluta, profectò poterit saltem per diuinam virtutem existere sine partibus. Quæ est aperta contradictio. Quam rationem multis prosequuntur P. Perer. lib. cit. cap. 22. & PP. Conimbr. quæst. etiam citata, art. 5. ad 5. & doctissimus Ioann. Baptist Contaren. & alij. ego plura ex hoc fonte congerere nolo. XLVII

Ostenditur ex parte ipsius totius, quod totum non distinguitur realiter a suis partibus: Et hæc ipsa sententia comprobatur clarissimis Philosophi auctoritatibus.

ADdo duo verba ex tertio fonte. Materia vnita, & actuata per formam substantialem, verè est vnum quoddam ens actu, & per se: constat enim ex eo, quod est per se potentia, & ex eo, quod est per se actus: Ex entibus autem, quæ ita se habent, consurgit vnum per se, & vnum actu: quare quicquid superuenit illi vni, est accidens: siquidem tritum est, omne, quod aduenit enti in actu, id esse accidens. XLVIII

Præterea, illa tertia entitas se sola non est totum physicum. ergo illa, & materia, & forma faciunt totum: ac proinde illa etiam est pars respectu totius: quare adhuc relinquitur verum, quod totum physicum nihil est aliud, quàm partes eius simul acceptas.

Adde, quod illa entitas, cum sit substantia physica, erit natura: At quæ vnquam hæc est, & cuius motus fuerit principium? Et Philosoph. in secundo huius operis lib. cap. 1. non nouit aliam naturam præter materiam, & formam. Hæc de rationibus.

Illa eadem assertio est germana, & expressa Stagiritæ mens, qui in quarto Phys. auscult. lib. tex. 23. dum referret modos, quibus aliquid dicitur esse in alio, ait, *Alio autem, vt totum in partibus: non enim præter partes totum*. vis aliquid clarius?

Item in secundo de Anim. tex. 7. constituit animam in communi esse actum primũ, corporis, physi- XLIX.

Q 2 ci in-

ci instrumentalis ; dein infert. *Vnde non oportet quærere, si vnum est anima, & corpus; sicut neque ceram, & figuram: neque omnino vniuscuiusque materiam, & id cuius materia*. Pro cuius dicti intelligentia scito, quod Arist. his verbis confirmat, animam rectè fuisse definitam. Et confirmatio est, quia illa est bona definitio, ea qua tolluntur difficultates, quæ circa definitum oriri solent. Ex dicta autem animæ definitione enervatur præcipuè quædam difficultas, quæ iuxta Veterum. Philosophorum placita dissolui minimè poterat.

Dubium erat. Quomodo ea anima, & corpore fiat vnum per se? Quod quidem illi depellere haud poterant, qui animam constituebant esse corpus, quorum fusa mentio facta est in primo de Anim. tex. 82. propterea quod vnio, seu aggregatio duorum corporum non facit vnum per se, sed vnum duntaxat per contactum. Similiter, Plato illud idem dub. deflectere minimè poterat, qui in homine insuferat tres animas, loco, & subiecto distinctas, irascibilem in corde, concupiscibilem in hepate, rationalem in capite, quæ tes exagitatur in eodem primo lib. de Anim. tex. 90. & lib. secundo tex. 18. & inde. At verò posita Stagiritæa definitiona, quod anima non sit corpus, sed actus, & forma talis corporis, illico dicta dubitatio cessat.

L. Hoc probat Philosophus exemplo, & ratione. Exemplum est de cera, & figura. Vt enim cera, dum fit V. G. rotunda, aut quadrata, non quærimus, quo vnquam pacto illud, quod ex cera, & tali figura consurgit, fiat vnum, cum oculis nostris intueamur, talem figuram nihil esse aliud, quam actum; & ceram esse materiam talis compositi, quod porrò compositum haud est aliud quàm præfata cera, & figura, sic non est quærendum, quomodo ex anima, & corpore euadat vnum, cum iam anima constituta nobis sit, actus, &c. Et nota, quod licèt compositum ex cera, & figura sit accidentale, ea eo nihilominus, vtpote nobis notiori, deducit nos Eximius præceptor, ad rem, de qua eo loci edisserit. Quinimo exemplum illud applicat suo proposito illis verbis, *neque omninò vniuscuiusque materia, & id cuius materia*.

LI. Rationem verò subnectit idem Philosophus, *Vnum enim & esse, cum multipliciter dicatur, quod propriè est, actus est*. Quæ ita formetur. Quandocunque duo conueniunt ad aliquod constituendum, quorum vnum sit materia alterum actus, & forma, non est quærendum quomodo ea ita efficiatur vnum; videl. vnum per se, quoniam, hæc inter se se iuncta, statim efficiunt vnum per se. Atqui corpus est materia, anima est actus, vt in definitione sancitum est, quare non est quærendum, quomodo ex illis fiat vnum per se. Maior continetur in dictis verbis *vnum enim &c.* quorum sensus est, quod ens, & vnum multis modis dicuntur, quemadmodum idem Philosoph. explicat in quinto Metaphys. cap. 6. & 7. quoniam alio modo materia est ens, (est enim ens solum in potentia) ac proinde alio quoque modo est vnum, scil. est vnum impropriè, cum vnumquodque ita sit vnum, sicuti est ens. Alio autem modo est ens, & vnum ipse actus: est nimirum & ens, & vnum propriè, ergo cum ista duo coniunguntur, ex ijs efficitur vnum per se. proinde supervacanea est tertia illa superaddita entitas.

LII. Addit in tex. 8. & 9. alia duo exempla. Vnum est de securi, & vi eius incidendi: Alterum de oculo, & de facultate videndi. *Sicut*, inquit, *si aliquod instrumentorum naturale esset corpus, vt securis, esset enim securi esse substantia ipsius, & anima hoc*. In tex. autem 9. *Si enim esset oculus animal, anima vtique ipsi visus esset: hic enim est substantia oculi, quæ secundum rationem: oculus autem materia visus est*. Vt ergo securis nil aliud est præter ferrum, seu materiam, & formam artificialem, iunctim acceptas; Et oculus nihil itidem aliud est, quam substantia oculi, & vis videndi, sic totum compositum substantiale ad mentem Arist. hauderit aliud, quàm materia, & forma, vnitæ.

Hoc idem luculentissimè declarat in octauo Metaphys. tex. 15. quo loci quærit, quænam est causa, cur definitio, & numeri sint vnum? & ait causam esse, quia *hoc quidem materia, hoc verò forma est: & hoc quidem potentia, hoc verò actus*. quì tea. in quæst. sequ. accuratè a nobis expendetur; at si in composito physico præter materiam, & formam esset tertia quoque illa entitas, omnino ea fuisset ab Arist. adducenda.

LIII. Scio oppositæ sent. auctores, eniaè obluctari vt hæc Philosophi testimonia deflectant. Dicunt ea esse intelligenda non formaliter, sed causaliter; quòd scil. materia, & forma ita iunctæ, causant totum. Causa autem est aliquid aliud, & distinctum ab effectu. Verùm hæc est aperta fuga: & verba Philosophi planissima sunt; & intelliguntur formalissimè, vt vel oscitanter eius textum legenti appareat. quare hic nihil vlterius laboro.

LIV. Eandem assertionem docet Auerr. qui in com. 17. huius lib. *Totum*, inquit, *nihil aliud est, quam congregatio partium*. Et in fine eiusdem com. *Vnaquæque partium dicitur esse aliud a toto; sed omnes insimul non possunt dici esse aliud a toto*. Idem docet lib. 7. Metaphys. com. 40. & 44. & alibi sæpe.

LV. Eandem amplexatus est Angel. Doctor plurimis in locis: præsertim verò in 4. contr. Gent. cap. 81. in respons. ad 2. hæc habet. *De humanitate non est intelligendum, quod sit quædam forma, consurgens ex coniunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab vtraque*. Et reddit huius asserti rationem, *quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, illa tertia forma consequens non esset substantialis, sed accidentalis*. (quæ ratio exposita est a nobis supra in-

Digitized by Google

ter rationes è tertio fonte haustas, quia videl. illa tertia forma adueniret enti in actu.) Et paucis interiectis, *Humanitas*, inquit S. Doctor, *nihil aliud dicit, quàm principia ipsa essentialis coniuncta*. Principia verò essentialia sunt materia, & forma. Hæc de distinctione reali.

LVI. At dices. Intercedit ne inter totum, & partes simul acceptas, & vnitas, saltem aliqua distinctio rationis, vel aliqua alia, an nulla vnquam?

Plurimi, iique grauissimi auctores cum P. Suarez. & Ruu. locis cit. inter totum, & partes vt vnitas ponunt distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ, vt notum est, habet fundamentum in re. Alij verò asseuerant, totum neque ratione distingui a partibus, ex parte rei conceptæ, siue penes conceptus obiectiuos, sed ad summum distingui, ac discriminati tantum in modo concipiendi, quia videl. non concipimus aliquam aliam entitatem præter partes vnitas, sed concipimus eas alio modo. de quo quidem dicendi modo vide Amic. & Auers. Vterque hic modus est probabilis, & vterque potest sustineri: quinimo, si rite ac medullitus vterque explicetur, parum, aut nihil alter ab altero videtur dissidere. Mihi tamen commodior videtur posterior modus: & apparet sufficientissimus, vt omnia, quæ de partibus non verificantur formaliter, verificentur de toto, & e contra: Quod quidem vt penitius innotescat, sit.

SECTIO IV.

Depelluntur argumenta, quibus distinctio realis inter totum, & partes vnitas astruebatur.

LVII. IAm verò diluere argum. oppositæ sent. adducta a nobis in sect. 2. haud erit multi laboris. Ad primam Aristotelis auctoritatem ex partitione substantiæ, facile occurrimus, quod Stagirites accipit partes diuisas: icciricò enumerat sigillatim, tum materiam, tum formam, tum compositum ex his. Sic enim compositum re distinguitur a qualibet parte, vt in prima assertione sect. præced. dixi quia distinguitur inadæquatè.

Ad illa autem loca ex quinto Metaphys. de numero senario, quod *non est bis tria, sed semel sex*, & ex lib. septimo eiusdem operis de syllaba B A. communis, ac trita est responsio inter recentiores, quod senarius verè non est solum suæ partes, nempe, bis tria, aut ter bis, & syllaba illa non est tantum partes B. & A. sed vlterius aliquid aliud. At quid hoc est? Vnio, inquiunt, & nexus quidam realis partium. Pari pacto totum compositum physicum haud est tantum materia, & forma, verùm etiam est realis quidam, & substantialis vnio, ac nexus ab ipsismet partibus ex natura rei distinctus: adeò vt compositum physicum verè, & in recto, vt aiunt, possit, & debeat dici, quod sit materia, forma, & vnio substantialis. De qua nihilominus vnione nos in quæst. seq. ex instituto agemus. Eodem pacto obuiam eunt ad illud ex octauo Metaphys. tex. 15. quod *omnium, quæcunque plures partes habent, & non sunt totum quasi coacervatio, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes, est aliqua causa*. Proculdubio, inquiunt in toto substantiali extat aliquid aliud præter partes, id autem est vnio, & nexus substantialis, quæ quidem in aceruo lapidum neutiquam reperiuntur. Sed.

Respondeo 2. & melius, quod senarius vtiq; non est *bis ter, aut ter duo* vt Philosoph. loquitur, quinimo neque est ipsæ sex vnitates, vt cumque adiectæ, sed est per se vna quæpiam species numerorum, & consurgit ex vnitatibus tali modo coordinatis, vt priores quinque fungantur officio materiæ, sexta verò, atque vltima stet loco formæ. Etenim, vt in Prædic. Quantit. dicitur vltima vnitas est forma numeri, quæ eum in specie constituit. Cum itaque tria nequeant esse materia, & alia tria forma, meritò atque optimo iure, Philosoph. ait, senarium non esse bis tria, sed semel sex. Eodem pacto dico de syllaba B A. Habet ea quandam cohærentiam coordinationem, &, si ita loqui lubet, prior littera stat ceu materia; posterior verò quasi forma eius. Id in causa est, cur si illa coordinatio turbetur, non amplius erit B A. sed A B. Talis verò coordinatio non est in ijs, quæ existunt, vt coacervatio. LVIII

Dico præterea, quod senarius nullo vnquam pacto est bis tria, Quid ita? quia tria, & tria sunt duæ numerorum species distinctæ a specie senarij. Vna autem species non prædicatur de alia, cū vna sit natura & essentia ab alia diuersa, & indiuisibilis. quam quidem naturam atque essentiam, Arist. in illo ipso loco appellat *substantiam*, sanci[t]q; absolutè, eam in vnaquaque re esse ipsum semel. *Substantiam*, inquit, *cuiusque est ipsum semel, veluti substantia ipsorum sex, non est bis tria, aut ter duo, sed si semel dicantur: sex enim semel sunt sex.* LIX.

Verùm neque id omiserim, quod præter omne æquum locus ille ex oct. Metaphys. tex. 15. inducitur ad probandum distinctionem totius a partibus vnitis. Primò, quia in illis verbis Arist. proponit difficultatem, quam deinde soluit, quocirca ex ijs nihil certi erui posset. Deinde, si præfati auctores propterea colligunt, totum distingui a suis partibus vnitis, quia Philosoph. ait, quod omnia quæ habent plures partes, & non sunt totum vt coacervatio, *sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes*, colligant etiam eadem consequentiæ vi album, & tessera ligna, quæ sunt vnum non vt coacervatio, esse aliquid aliud præter omnes partes: atque adeò hæc tota distingui etiam realiter a suis partibus vt vnitis. Quod tamen nemo concedit. Hæc de probatione ex auctoritate Philosophi.

Venio nunc ad rationes eiusdem senten. Ad 1. propositio illa. Inter causam realem, & effectum realem intercedit distinctio realis, est vera in causa extrinseca, non autem in causa, quæ causat in- LX.

trin-

trinsecè, & essentialiter, cuiusmodi sunt materia, & forma. Ratio est, quia causare intrinsecè, & essentialiter, est causare communicando se ipsam effectui: Nullius autem communicatio est distincta ab eo quod communicatur, vel cui communicatur. Deinde, si illa absolutè est vera profectò eadem prorsus ratione euinces, quodlibet totum re distingui ab omnibus suis partibus, vt vnitis. Quandoquidem sicut partes essentiales physicæ causant totum essentiale physicum, ita partes totius accidentalis, albi, & partes totius quantitatiui, causant sua tota. Si itaque omnis causa realis re distinguitur a suo effectu reali, fateare necesse est dictas, quoque partes, realiter secerni a suis totis, quæ causant. Quod ne illi ipsi, cum quibus agimus, admittere audent.

LXI. Respond. 2. Materia, & forma vnitæ (non enim causant quà vna ab altera seiuncta distat) gemino modo spectari queunt. Vno in fieri, ac distributiuè, & est, quando vtraque intelligitur exercere vicissim suam causalitatem, vt constituant totum. Altero, in facto esse, & est, cum partes quasi intelliguntur a mutua causalitate quiescere, & est ipsum totum, siue potius ipsæ iam sunt totum. Partes, materia, & forma in fieri, & distributiuè, sunt causa totius: non autem in facto esse. Scito præterea, materiam, & formam esse causas in fieri, non ita debes accipere, quasi materia, & forma collectiuè, & in recto acceptæ causent aliquod aliud, id est totum, quo in sensu hallucinatur illud argum. sed dicuntur causare totum, quia distributiuè sunt sibi inuicem causæ. Hoc potes clarius contemplari in mixtione quattuor elementorum, quæ in fieri sunt causa mixti, in facto autem esse, sunt ipsummet mixtum.

LXII. Ad 2. rationem communis responsio est, quod non est necesse, ea omnia semper distingui realiter, de quibus enunciantur contraria, & contradictoria, sed sat est, si illa sint distincta ratione ratiocinata, vel diuerso modo concipiendi. Adhibent instantias. Nam aliàs necessarium esset, re distingui vniuersale a singularibus, priuationem a materia, totum quantitatiuum a suis partibus, relationem a fundamento, figuram a quantitate, actionem & passionem, de quibus tamen propositiones inuicem contradicentes verè confici, & pronunciari possunt, inquit P. Perer. in cap. 21. lib. septimi cit.

LXIII Nihilominus melius dicendum existimo, quod de toto, & de partibus vt vnitis, non enunciantur simpliciter, & absolutè contraria, & multo minus contradictoria: siquidem contraria, & contradictoria debent de eadem re, secundum vnam, & eandem rationem pronunciari. Modo attributa in argum. illo recensita, videl. vnum, & multa, causa, & causatum, &c. non verificantur de toto, & de partibus secundum vnam, & eandem rationem, sed alia atque alia, & adhibita etiam distinctione. Partes enim sunt multa partialia, totum est vnum completum: Totum est causatum; partes sunt causantes; iam exposui, quomodo intelligitur.

Eodem pacto cum obijciunt, totum est terminus generationis, partes non item: totum est immediatum subiectum accidentium, partes autem non sunt huiusmodi subiectum, &c. Dic, propositiones istas negatiuas non esse absolutè admittendas, sed cum distinctione. Si enim loquamur entitatiuè, & quantum ad rem significatam, omnia illa attributa conueniunt etiam partibus simul acceptis, & vnitis: Si verò verba facimus secundum diuersum modum concipiendi, & loquendi, conueniunt toti, & non partibus: ex quo tamen non rectè colligitur distinctio realis. Habe huius rei exemplum. Partes in definitione collocatæ non operantur, definitum autem operatur: quippè animal rationale in definitione adiectum non ridet; homo autem ridet: Nihilominus partes illæ ab hoc definito non distinguuntur, nisi secundum diuersum modum loquendi, vt habes vel ex primo Phys. tex. 5. Ita propter hunc diuersum loquendi modum, qui sanè consequitur diuersum modum concipiendi, non dicimus, partes vnitas componi ex partibus vnitis, sed rectè asserimus, totum componi ex partibus vnitis: Nec dicimus, partes vnitas constare ex partibus, sed benè totum compositum: ita aceruus lapidum constat ex lapidibus, at non rectè dixeris, lapides constant ex lapidibus: & nihilominus aceruus idem omninò est, quod lapides.

Ad 3. occurrendum est. Totum compositum physicum generatur, quia partes eius substantiales non erant ita vnitæ, & postea fiunt: hoc etenim est totum. Ita declarat Eximius præceptor in septimo Metaphys. tex. 27. generari totum ex eo quod fit forma in materia, siue copulatio eius cum materia. *Non generatur*, inquit, *hoc, vel hoc*, videl. materia, aut forma, *sed hoc in hoc*. Et rursus, *Manifestum igitur ex dictis, quod illud quidem, quod vt forma, aut substantia dicitur, non fit; copulatio verò, quæ secundum hanc dicitur, fit*. Ita etiam corrumpitur totum compositum physicum, quia partes non amplius remanent vnitæ, sicut antea erant, quod erat totum. Neque quicquam refert ad corruptionem substantialem, quod partes compositi post separationem ab inuicem remaneant in se ipsis superstites, quemadmodum re ipsa contingit in nobis, vel saltem altera intereat, vt in alijs rebus vsuuenit, in quibus interit forma. Nam etiam disiunctis partibus V. G. domus, quamquam eæ remaneant incolumes, domus tamen non est. Huc facit sensatum illud D. Areopagitæ effatum, *quod mors in nobis non est substantiæ consumptio, sed vnitorum separatio*. Quo etiam spectat vetus, illud συνεκρίθη, καὶ διεκρίθη, καὶ ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε, γῆ μὲν εἰς γῆν, πνεῦμα δὲ ἄνω. quæ sonant. *Concretum est, & discretum est; & abijt vnde venit: terra quidem in terram: spiritus autem sursum*. Sermo est de homine. LXIV

Quar-

LXV. Quarta ratio nullius pensi censenda est. Partes aggregati ex accidente, sunt entia actu: nec vllam inter se naturalem obtinent habitudinem. Partes totius physici sunt verè actus, & potentia substantialis, & referuntur naturaliter ad inuicem, non modo quia materia appetit formam, vt turpe pulchrum, ex primo Phys. tex. 81. verùm etiam quia materia, & forma sunt ad aliquid, vt dicitur in secundo lib. eiusdem operis tex. 26. Addunt plerique omnes, quod inter partes totius physici præter partes est vnio, & nexus realis substantialis, qui in aggregato ex accidente non inuenitur. Verùm pro hac re sit.

QVAESTIO II.

De vnione materiæ primæ cum forma substantiali.

Introductio.

I. DE vnione materiæ cum forma, ea qua consurgit vnum totum per se, de quo huc usque sermonem habuimus, maximum est inter auctores, & præsertim huius æui, dissidium. Disquirunt, vtrum materia, & forma vniantur se ipsis immediatè, & per suasmet entitates, an per aliquod medium? & quid istbuc sit, substantiale ne, an accidentarium? absolutum, an relatiuum? & si absolutum, an sit res quæpiam alia a materia, & forma, an verò solum realis quidam vnionis modus? & denique si est vnionis modus, est ne vnus tantum, ac simplex tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, an verò duplex? ita vt alius se teneat ex parte materiæ, alius ex parte formæ.

II. Quæ quidem theoremata magna ex parte verbis exauxit quorundam recentiorum prurigo, aut sanè inuoluit. Apud antiquiores quædam eorum modicè tractata, quædam autem ne vocata quidem in dubium. *Nec mirum*; iactitant aliqui moderni, *nam disputationes, sicut & reliqua omnia, mutationibus obnoxia sunt: & quædam iam pro compertis habentur, quæ olim maxima in lite versabantur, & de quibusdam nunc digladiantur auctores, de quibus olim summa contentio fuit apud antiquos, vel nulla mentio.* In tanta itaque varietate ne dicam confusione, tentandum est, si quid saltem distinctionis in medium afferre possimus, si non lucis.

SECTIO I.

Recensentur de re proposita variæ sententiæ cum suis fundamentis; & expenduntur aliqua earum.

VEtus extitit Academicorum imaginatio, humanam animam vniri mortali corpori per aliquod medium corporeum. Sic referunt Galen. in lib. de dogm. Plat. & Hipp. Bessario lib. 3. contra Calumn. cap. 22. & S. Thom. in prim. part. quæst. 76. art. 7. Hinc eorum aliqui arbitrati sunt, animam intellectricem habere quoddam corpus incorruptibile sibi naturaliter iunctum. (vehiculum animæ appellarunt) a quo quidem illa separaretur nunquam, atque eo mediante vniretur corpori hominis corruptibili. Alij dixere, eam copulari, ac vniri corpori mediante quodam spiritu corporeo; Alij demum, eam vniri asseruerunt mediante luce, quam itidem opinabantur esse corpus. III.

Quæ quidem imaginatio falsa, ac fictitia est, & planè labefactatur a D. Thoma loco indicato tribus validissimis rationibus. Quanquam ea ex eo capite videatur fortasse aliquam apparentiæ speciem præseferre, quod auctores illius opinabantur, animã humanam vniri corpori solum vt motorem mobili. Qua de re multis egi in opere de Triplic. Stat. anim. Disput. 4. sect. 1. conueniens autem videtur, vt motor moueat id, quod a se magis distat per media magis sibi propinqua: Magis autem distat caducum hoc corpus ab anima immortali, quàm distent illa media. Cæterùm cùm anima verè iungitur cum corpore ceu forma informans, quemadmodum a nobis ostensum est in dicto opere Disput. cit. *impossibile est, quod vniatur corpori per aliquod corpus.* inquit S. Thom. loco nunc commemorato, quia forma vnitur immediatè suæ materiæ. Cum his itaque in præsens non disputamus: sed.

Est prima opinio Gregor. Arim. in 3. distin. 28. quæst. 2. Occham. in 2. distin. 30 quæst. 1. Gabr. in eadem distin. quæst. 4. Aureol. apud Capreol. in 4. distin. 44. quæst. 1. Caietan. in 3. part. D. Thom. quæst. 2. art. 7. Medin. ibidem Aluarez. in eadem part. disput. 13. qui quidem concordi suffragio asseuerant, materiam, & formam vniri substantialiter se ipsis, immediatè per suasmet entitates, ita vt in earum vnitione nulla vnquam alia entitas, seu realitas ab ijsdem partibus distincta requiratur. IV.

At quia entitas materiæ fuit ante compositum, & manet itidem post illius interitum: sic entitas alterius formæ, id est animæ rationalis, perseueret superstes, corrupto toto: Nec tamen tunc eæ partes dicuntur vnitæ, quare præter earum entitates omninò videtur requiri aliquid aliud, a quo nunc quidem denominentur substantialiter vnita, non autem prius, aut post; recitcò.

Oc-

Occurrunt, quod proculdubio requiritur aliquid aliud præter entitates materiæ, & formæ, præcisè acceptæ. Quid autem illud sit, haud vno modo exponunt. Sunt qui cum Gregor. dicunt, id nil esse aliud, quàm dictarum partium indistantiam localem, seu applicationem localem: Alij cum Gabr. aiunt, esse approximationem materiæ cum forma: Et subdit Gabr. vnionem nihil esse aliud, quàm intimam extremorum præsentiam: atque hanc præsentiam appellat simultatem in eodem loco, siue definitiuè, siue circunscriptiuè. Occham autem tum loco, quem dixi, tum in 3. distin. 3 quæst. 4. existimat, id quod præter entitates dictarum partium exigitur, esse dependentiam materiæ a forma, & e contra.

VI. Fundamentum pro hac parte, quod videl. materia, & forma vniantur se ipsis, absque vllo alio ab ijs distincto, est hoc. Quia, auctore Philosopho in oct. Metaphys. tex. 15. & D. Thoma in 3. contr. Gent. cap. 7. actus, & potentia se ipsis, & non per aliquod medium vniuntur: Materia est potentia, forma est actus, quare &c.

Et ratio etiam est, quia quandocunque sunt duo, quorum vtrumque essentialiter propendet ad alterum, vt vnita efficiant aliquem effectum, tunc ea, seclusa quacunque alia entitate, seipsis vniuntur, (adhibita tamen causa vniente,) & illum effectum efficiunt; alioquin illa inclinatio esset inanis. Materia, & forma essentialiter inclinantur ad inuicem, vt vnitæ componant totum physicum, quare seclusa quacunque alia realitate, seipsis vniuntur, & componunt totum physicum. Quod autem materia, & forma intimè, atque essentialiter propendeant ad inuicem, vt vnitæ edant totum compositum, vel ex eo conspicuum fit, quia vtraque, vtpote pars, essentialiter est incompleta, & imperfecta: Omne autem incompletum, ac imperfectum intimè inclinatur ad suum completum, & perfectum: Cum itaque materia, & forma compleantur in toto composito, profectò intimè se se respiciunt, vt vnitæ illud conficiant.

VII. Quæ quidem opinio in eo, quod asserit, materiam, & formam vniri absque aliquo alio intermedio, rectè sentit, modo rectè enucleetur, vt mox audies: in eo verò quod subiungit, vnionem, de qua verba facimus, haud esse aliud, quàm indistantiam, siue applicationem localem, aut approximationem, vel extremorum præsentiam, vel simultatem in eodem loco, aut denique dependentiam, omninò insufficiens est.

Primò, quia fieri indistans, præsens, approximatum &c. est aliquid accidentale: Vnio autem materiæ, & formæ est substantialis. Deinde, fieri indistans, præsens &c. conuenit multis alijs præter materiam, & formam, ergo illa attributa nihil proprium, ac peculiare in re proposita explicant. Accedit, quod ex illa sententia liquidò consequitur, generationem, & corruptionem substantialem non esse aliud, quàm motum localem: Quod inter absurdissima est. Conseq. autem est certa, cum per generationem substantialem, iuxta præfatam opinionem, nil aliud acquiratur, quàm indistantia, præsentia, approximatio, simultas; quæ porrò omnia sunt quidam motus secundum locum. quare vnio materiæ, & formæ exposcit aliquid aliud, longa intercapedine maius, ac præstantius, quàm sint omnia illa attributa. Vnde etiam illa opinio non rectè accipit Stagiritæ, & D. Thom. effata de vnione actus, & potentiæ, & materiæ, ac formæ, cum huiusmodi vniones intimius quiddam, & excellentius contineant, quemadmodum inferius apparebit.

Secunda sent. tuetur, vnionem inter materiam, & formam esse relationem prædicamentalem, mutuam in vtroque extremo, id est in materia, & forma; ratione cuius relationis materia dicitur actu vnita formæ, & forma itidem vnita materiæ, cum ante eam vnionem neutiquam essent ad inuicem. In hac fuit Scot. in 3. distin. 2. quæst. 1. & in 4. distin. 12. quæst. 1. Secum explicant, & sequuntur Bassolius in 2. distin. 12. quæst. 2. art. 4. Faber. in 3. disput. 3. cap. 2. Mastrius, & Bellut. in Phys. disput. 5. quæst. 9. VIII.

Quæ etiam opinio insufficiens est. Primùm, quia relatio prædicamentalis est accidens: Accidens autem nequit construere vnum per se, ac substantiale: cum itaque ex vnione materiæ, & formæ consurgat vnum per se, ac substantiale, repugnat, eam esse relationem prædicamentalem. Deinde, prius est intelligere materiam, & formam vnitas, quàm resultare inter eas relationem mutuam. ergo vnio materiæ cum forma necessario præsupponitur ad relationem, ac proinde &c.

Est tertia sententia, quam habet P. Suarez. in sua Metaphys. disput. 13. sect. 9. & disput. 15 sect. 6. & disput. 36. sect. 3. & in 3. part. S. Thom. quæst. 2. art. 8. disput. 8. sect. 2. P. Vasquez. tom. 1. in 3. part. disput. 18. cap 3. Hurtad. in 1. Phys. disput. 4. sect. 4. Ruui. in 1. Phys. tract. 2. quæst 6. PP. Compluten. in 1. itidem Phys. disput. 6. quæst. 2. Paul. Arez. in 1. de gener. & corrupt. quæst. 15. Auers. quæst 19 sect. 5. Barth. Amic. in 1. Phys. tract 2. quæst. 1. dub. 2. P. Arriaga. disput. 4. sect. 1. P. Fran. de Ouiedo in suo cursu Philosoph. in Phys. controu. 4. vbi hoc argumentum fusissimè pertractat. IX.

Qui omnes docent, vnionem materiæ, & formæ esse nexum quendam realem, substantialem, partibus simul acceptis superadditum, & ab ijsdem partibus saltem ex natura rei distinctum. Vel esse modum quendam substantialem, a partibus simul acceptis, & vnitis ex natura rei, seu modaliter discriminatum: Proqua re innumera congerunt argumenta, quæ hic percensere, insulsus labor sit: efficaciora subijciam. X.

Primò, adducunt Aristotelem, octauo Metaphys. tex. 15. quo loci hæc habet. *Omnium quæcunque plures habent partes, & non est quasi coacervatio ipsum totum, sed totum est aliquid aliud præter partes, est aliqua causa.* Vides, vt totum,

quod

Digitized by Google

quod non est veluti acervus quidam, sit *aliquid aliud præter partes*? Hoc aliud est nexus, & modus substantialis vnionis, de quo agitatur sermo. Accedit, quod Philosophus id idem luculentissimo illustrat exemplo deprompto a notioribus nobis, dum ita subnectit. *Nam & in corporibus quibusdam tactus est causa, vt vnum sint, quibusdam verò viscositas, aut aliqua alia talis passio*. vt ergo in corporibus, quæ ea alijs coagmentantur, veluti dum alia alijs inseruntur, contactua, & constructio est causa, ob quam consistit vnum compositum; quædam verò alia corpora existunt vnum, propter viscositatem, & glutino, alia demum sunt vnum per aliquam coagmentationem, & vincula, cuiusmodi sunt claui, & ligamenta, ita in vnione materiæ, & formæ danda est aliqua causa, cuius ope illæ partes inter se se modæ, & quasi conglutinatæ cohæreant. Hæc verò causa ecquæ vnquam alia esse potest, quàm nexus hic realis, & modus substantialis?

XI. Secundò prob. ratione. Materia, & forma quamuis secundum suas entitates habeant essentialem aptitudinem vi vniantur ad componendum totum physicum, nihilominus nulli formæ, neque vlli materiæ est essentiale, esse actu vnitam: alioquin partes nunquam remanerent separatæ, cuius oppositum contingit, tum in omni materia, quæ separata ab hac, aut illa forma manet incolumis: tum in anima rationali abiuncta a corpore: ergo ad hoc vt sint actu, ac formaliter vnitæ, necesse est ijs aliquid superaddi, per quod quidem actu, ac formaliter vniantur, & a quo denominentur actu vnitæ. Hæc conseq. probatur, quia id cuius essentia consistit in potentia ad aliquem actum, non potest esse formaliter in actu, nisi ei aliquid addatur, per quod formaliter fiat in actu; secus permanet eo modo, vt erat antea in potentia, sed id quod hic superaddi debet, nil aliud concipi potest, quam præfatus nexus, & modus substantialis, quo mediante partes cohæreant, atque continentur, quare &c.

XII. Tertiò, Nunquam acquiritur denominatio realis in aliquo, nisi per mutationem realem, factam vel in ipso denominato, vel in aliqua alia re. Sed materia, & forma prius non denominabantur vnitæ, postea re ipsa sunt, & denominantur vnitæ, quare ab aliqua mutatione reali, quæ cum non fiat in entitatibus ipsarum partium, necessariò erit alicuius alterius in vnione earum. Explicatur hoc magis. Materia, & forma nunc sunt substantialiter vnitæ, antea non erant; nec post erunt. Et nihilominus vtraque remanet secundum suam entitatem, ergo in vnione earum, ac generatione totius, præter partes producitur aliquid substantiale, & in corruptione deperditur aliquid substantiale. Hoc nequit esse aliud, quàm nexus ille, & modus substantialis. quare hic omninò ponendus est.

XIII. Quartò, Nequit consurgere de nouo relatio realis inter aliqua extrema, nisi facta sit mutatio vel in vtroque extremo, vel saltem in altero secundum aliquid reale, quod sit fundamentum illius relationis. Ita demonstrat Philosoph. octauo Phys. tex. 8. & 9. Atqui inter materiam, & formam consurgit de nouo relatio realis, vnionis, ergo consurgit ratione alicuius realis de nouo immutati, ac producti, vel in vtroque extremo, vel saltem in altero, quod sit fundamentum dictæ relationis. Hoc reale, immutatum, & de nouo productum, non sunt materia aut forma, ergo aliquid aliud, videl. nexus intermedius, & modus ille substantialis, de quo est sermo.

SECTIO II.

Dirimitur proposita quæstio, quoad omnes suas partes.

AVctores pro tertia illa sententia recensiti, quamquam multa huc, atque illuc agitantur, vt explicent medium illum nexum, & modum substantialem, & entitatem realem ab entitatibus materiæ, & formæ siue re, siue ea natura rei distinctam, *tamen quid ea entitas in particulari sit, nemo explicat*, vt pleno ore contestatur etiam P. Ruui. quæst. 6. cit. Misera alea, quam plerique subeunt, qui non in re, sed circa rem occupantur. XIV.

Ac primò quidem non rectè eos loqui puto, qui inter materiam, & formam simul acceptas, & vnitas contrudunt aliquod medium, siue nexum, siue entitatem.

Nam hoc medium inter materiam, & formam, aut est substantia, aut accidens. Non substantia, Primò, quia tunc compositum esset ex tribus substantijs incompletis, nimirum ex materia, ex forma, & ex illa media substantia: Cui rei reclamat Philosoph. cum alibi sæpe, tum in secundo de Anim. tex. 2. quo loci diuidit substantiam *in materiam, formam, & quod est ex his*.

Secundò, quia illa tertia substantia, aut informaretur, aut informaret, aut faceret vtrumque, aut neutrum. Si primum, illa erit materia; & tunc duæ materiæ informarentur ab vna, eademque forma substantiali: quod est impossibile. Si secundum, ergo illa est forma; atque hoc pacto duæ formæ substantiales informarent eandem numero materiam; quod haud minus repugnat. Non tertium, quia inuoluit contradictionem, vt quippiam simul sit actus, & potentia, & simul materia, & forma. Non denique quartum, quia tunc esset otiosa: quare fictitia est huiusmodi substantia.

At neque potest esse accidens: tum quia hoc medium deberet immediatè in partib. inhærere. At neque in materia prima, neque in ipsa forma vllum vnquam accidens insidet immediatè. Tum etiam, quia si illud medium esset accidens, iam materia, & forma accidentali duntaxat colligatione, ac nexu inter se vnirentur: ac proinde ex illis non consurgeret vnum per se, sed vnum tantum ex accidente.

Digitized by Google

XV. Sed iam lubeat Ruuium audire, qui vbi confessus est, quod nemo declarauit, quid modus ille substantialis, & entitas illa sit, subdit ipse, quod non est aliud, quàm inhærentia formæ substantialis in materia per informationem. Nam quemadmodum forma accidentalis vnitur subiecto per actualem inhærentiam accidentalem in eo, ita vt vnio accidentalis eius cum subiecto non sit aliud, quàm modus ipse actualis inhærentiæ, nec potest excogitari, quid aliud sit; ita forma substantialis vnitur materiæ per actualem inhærentiam substantialem in ea. Quæ quidem substantialis inhæsio dicitur vnio, in quantum coniungit formam cum materia: dicitur informatio, in quantum per illam forma se tribuit materiæ: dicitur etiã actuatio, in quantum potentiam materiæ reducit ad actum.

XVI. Qui quidem dicendi modus profectò nil affert reconditi. Primò, si hic nexus, & modus realis, substantialis &c. non est aliud, quàm inhærentia substantialis formæ in materia, atque ipsamet informatio, ecquid opus est, tot verborum inuolucris, nexus, modus, entitas, realitas distincta &c? Hoc porrò est rem claram obscuris inuoluere. Clarum, atquo apertum est, quod forma substantialis est in materia, (quamquam, vt hoc quoquo obiter innuam, non propriè attribuitur formæ substantiali *inhærentia*, & *inhæsio*; vt fit a P. Ruuio: syncerè inhærent accidentia, forma autem substantialis est in materia substantialiter informando) clarum itidem est, quid sit informatio; at nexus illi, & modi sunt impropria & obliqua vocabula. Quis non clarius, intimiusque introspicit rem, si dicam, Materia, & forma actu vnitæ, quàm si per illa vocabula efferam?

XVII. Porrò pauculis his verbis, Materia, & forma actu vnitæ, tria nobis ponuntur ab oculos. Vnum, sunt res, quæ vniuntur; dum dico, Materia, & forma. Alterum, quod istæ res, ac entitates hic non accipiuntur absolutè, & secundum se, sed quà actu sunt simul, & si vis, etiam, quà sunt in facto esse: id namque denotat vox illa (vnitæ) Quippè si eas acciperem, in fieri dixissem, Materia, & forma, vt actu vniuntur. Tertium est, quod explicatur etiam modus simultatis, & vnionis earundem, quod videl. non sunt vteunque vnitæ, sed substantialiter, & veluti actus, & potentia. Nam statim ac profero, Materia, dico potentiam substantialem: statim ac profero, forma, dico actum substantialem. Actum autem, & potentiam substantiales vniri substantialiter, & ex ijs effici vnum per se, nemo nescit. Vides igitur quomodo res, de qua agimus, paucis illis voculis, Materia, & forma actu vnitæ, clarè enucleatur, quæ tamen per illa alia vocabula obuoluitur.

XVIII Deinde, si modus ille, & nexus est substantialis inhæsio formæ, & informatio, ergo non rectè asseritur ab eademmet forma distingui. Nam informatio formæ non est quicquam aliud, quàm actualis eius communicatio, facta materiæ, & quasi quidam eius aduentus: Nullius autem rei actualis communicatio, & aduentus est aliqua entitas ab ea distincta; sed est illamet res alio modo se habens, ac prius. Adde, quod hæ voces, nexus, medium, gluten, idque genus alia, suapte natura denotant quandam naturam a rebus vnitis diuersam; perinde ac si dicam, ligna V. G. glutine cohærent. Apage autem in vnione materiæ, & formæ tale quippiam cogites. His itaque missis factis.

XIX. Ad quæsitum propositum dicendum existimo, quod materia prima, & forma substantialis nullo pacto vniuntur per aliquod medium, quod sit ab ijsdem distinctum, sed vniuntur substantialiter immediatè ac interrè se ipsis: deducuntur tamen ad eum essendi modũ effectiuè ab agente, seu a generante: & tunc partes vnitæ in facto esse sunt ipsum totum physicum: & demum ad eas partes ita iunctas consurgit mutua vnionis relatio.

XX. Quæ omnia sic explico. Et quod materia, & forma neutiquam vniantur per aliquod intermedium, sed se ipsis, habes ex nuper dictis: Præterea, ita philosophare: Forma non producitur extra materiam, & veluti de se subsistens, deinde quasi approximata applicetur, ac pene dixerim, adglutinetur eidem materiæ, sed educitur de potentia materiæ, aut conditur in ea vltimatè disposita. *Nam, vniuscuiusque actus in eo, quod potentia extitit, & in propria materia, aptus natura est fieri*, ex secundo de Anim. tex. 26. Quo fit, vt formam vniri materiæ, nil sit aliud, quàm formam eductam de potestate materiæ, ab ea ipsa non separari, sed eidem materiæ applicari, atque adiacere. Ita videmus contingere, quando ex ligno V. G. pullulat ignis. Sic etiam philosophare de materia respectu formæ, cui dicitur vniri. Quare præter rationem est, imaginari aliquod medium inter materiam, & formam, per quod illæ nectantur.

XXI. Porrò vt rem istam penitus introspicias, expende ordinem generationis. Primò materia degit sub aliqua forma, cum aptitudine ad alias. Deinde, agens disponit eam ad formam suæ formæ consimilem: educitq; de eius potestate formam, ipsamq; effectiuè vnit cum eadẽ materia: alioquin materia, & forma nunquam vnirentur: & hæc effectiua vnio, siue vnitio, tenet se ex parte agentis. Ex parte autẽ materiæ, & formæ adhuc tria considerari possunt. Vnum est, cum intelligimus vtramq; partem incipere vniri, & mutuo suam causalitatem exercere. Et tunc partes dicuntur vniri in fieri: & vnio etiam est in fieri. Alterum est, cum eædem partes, peracta mutua causalitate, veluti quiescunt vnitæ: & tunc dicuntur vnitæ in facto esse: & vnio quoque est in facto esse. Quæ vtraque vnio re ipsa est substantialis, & partes dicuntur vniri substantialiter, cum vniuntur duæ substantiæ, quarum altera quidem est actus, altera verò potentia. Tertium est, quod inter materiã, & formam ita vnitas, consurgit relatio vnionis, cum prius haud essent vnitæ, postea sint. Quę si vera sunt, vt sunt verissima, liquido conspicis, quonam pacto materia, & forma sine vllo alio

medio

medio, sed seipsis vniuntur; & quomodo ab agente vniuntur effectiuè, & qua denique ratione inter eas partes consequatur relatio vnionis.

XXII. Hæc est expressa Stagiritæ mens in octauo Metaphys. tex. 15. qui quidem cum eo vsque pertractasset de materia, & de forma secundum se, agit ex professo in eo contex. de earundem vnione; atq; inuestigat, quæ vnquam sit causa, vt partes definitionis, quæ re ipsa multæ sunt, (sunt etenim materia, & forma, aut genus, & differentia) & partes numerorum *vnum sint*? id est, vnum per se? Et in eo tex. tria facit. Proponit rationem dubitandi. Interserit quandam solutionem, iuxta Platonis doctrinam, eamque ceu defectuosam reijcit. Demum ex propria mente diluit propositam dubitationem. Ratio ambigendi est, quòd in omnibus habentibus plures partes, *quæ non sunt vnum, vt coaceruatio, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes, est aliqua causa, vt vnum sint.* Probat: quoniam in quibusdam corporibus habentibus complures partes, *tactus est causa, vt vnum sint; quibusdam verò viscositas, aut aliqua alia talis passio*. Dein adijcit minorem. *Definitio autem non est vnum*, vt aceruus, neque *per connexionem partium, vt Ilias*, sed est vnum, eò *quòd vnius est*, quia videl. est indicatiua vnius rei, vniusque essentiæ: demum concludit, ergo rationi consonum est, inuestigare, *quid est quod hominem facit vnum, & cur vnum, & non multa sunt animal, & bipes?*

XXIII Postea, reiecta solutione Platonis, de qua haud est quod hic edisseram, tandem respondet ipse, quod si ponamus (id autem superius patefacerat) partes definitionis, vnam esse materiam, & potentiam, alteram autem formam, & actum, nulla est difficultas, quomodo ex ijs coalescat vnum per se, *Quod si*, inquit, *quemadmodum diximus, hoc quidem materia, hoc verò forma, & hoc quidem potentia, hoc autem actu, profectò non videtur amplius dubitatio esse, quod quæritur.* Quid ita? quia ex materia, & forma, ex potentia, & actu illico emergit vnum per se.

Explicat solutionem. Fac, quod definitio huius nominis, Vestimentum, esset hæc, æs rotundum: Tunc nomen, Vestimentum, esset significatiuum illius definitionis; Quippè ratio, quàm nomen significat, definitio est. Si igitur quærat aliquis, quam ob causam illa definitio, æs rotundum, (quæ constat ex gemina parte, ære, & rotunditate) ac proinde etiam ipsum definitum, sit vnum? difficultas nulla suppetit: propterea quòd æs est sicut materia, rotundum autem est vt forma; neque vlla alia interna eius rei causa exposcenda est; sic in proposito, haud est quærenda vlla alia causa, ob quam, partes definitionis, ac definiti efficiantur vnum, nisi quòd altera est, materia, & potentia, altera forma, & actus. Excipe eius verba. *est enim hæc dubitatio eadem, ac si vestimenti definitio rotundum æs sit. Hoc enim nomen signum huius erit rationis. Quare id quod quæritur, est quænam est causa, vt æs, atque rotundum sint vnum? Non igitur dubitatio vlterius esse videbitur, propterea quod alterum est materia, alterum forma.* Consimilia exempla patent in secundo de Anim. tex. 7. 8. & 9. de cera, & figura, de securi, ac vt incidendi, & de oculo, ac facultate & visiua.

At diceret aliquis. Partes illæ materia, & forma, siue potentia, & actus, fac, ita se ipsis intimè vniantur; at quid vnquam est, quod eas effectiuè vnit? XXIV

Respondet Arist. esse ipsum agens, & generans, quod præfatam potentiam educit ad actum. *Quæ igitur*, inquit, *huius causa est, vt quod potentia est, actu sit in quibuscunque generatio est, præter illud quod facit? Nulla enim alia causa est, vt actu sphæra sit, quæ potentia sphæra erat: sed hoc erat ipsum quid erat esse vtrique.* Hæc Stagirites, quæ omnia singillatim, ac diligenter ipse perpendito.

Equidem pro illa ipsa nostra assertione subijciam verba D Thomæ ex prim part. quæst. 76. art. 7. quæ sunt. *Si anima vnitur corpori, vt forma, sicut iam dictum est, impossibile est, quod vniatur ei aliquo corpore mediante. Cuius ratio est, quia sic dicitur aliquid vnum, quomodo est ens: forma autem per se ipsam facit rem esse in actu, cum per essentiam suam sit actus; nec dat esse per aliquod medium. Vnde vnitas rei composita ex materia, & forma, est per ipsam formam, quæ secundum se ipsam vnitur materia, vt actus eius: Nec est aliquod aliud vniens, nisi agens, quod facit materiam esse in actu, vt dicitur in Metaphys.*

Ex ijs, quæ hucusque enucleauimus, manet XXV. etiam sublatum illud aliud quæsitum, Vtrum ne medium, per quod materia, & forma nectuntur, sit quippiam absolutum, an relatiuum? siquidem si nullum huiuscemodi medium suppetit distinctum a partibus vnitis, inane est quærere, an sit absolutum, aut respectiuum; nisi intelligas de relatione, quæ partes vnitas consequitur, vt superius exposui.

Sublatum quoque manet illud aliud. Num inter materiam, & formam intercedat vnica duntaxat, ac simplex vnio, an verò duplex? Dicendum est, re ipsa vera ibi adesse vnicam tantum, ac simplicem vnionem: Id quod vel ex ipsa vnionis natura potest erui: nam vnio ex intrinseca sui natura est inter extrema, quæ vnit: quare vnica tantummodo est inter materiam, & formam.

Hem, si vna duntaxat est vnio, dum quattuor elementa inter se se commiscentur, & conficiunt mixtum, ambigis, quod materia, & forma, actus, & potentia, vna copulentur vnione?

SECTIO III.

Depelluntur argumenta pro contrarijs sententijs in prima sect. adducta.

XXVI ET quidem prima opinio, ritè enucleata, quemadmodum superius quoque innui, vera est, & eadem atque nostra. Quocirca & fundamentum illius acceptum ex Arist. & S. Thom. omninò pro nostra sent. sistit, quod materia, & forma, vipote potentia, & actus internè quidem, ac immediatè vniantur se ipsis, effectiuè autem a generante, quod deducit materiam de potentia ad actum. Hinc Auerr. in com. illo tex. 15. *& causa*, inquit, *istius vnitatis est, vt transmutetur quod est in potentia, donec fiat in actu ab agente; scil. ab extrahente ipsum a potentia in actum. est igitur hic aliquid vnum, quod primò est in potentia, & post transfertur de potentia in actum. Translatio enim eius non largitur ei multitudinem, sed perfectionem in esse.*

Sic etiam concludit ratio, quæ ibidem annectebatur, de ijs, quorum vtrumque essentialiter inclinatur ad alterum, vt vnita conficiant vnum tertium. Hæc porrò haud egent aliquo medio vt vnà coeant, sed bene egent mutua dispositione, & accommodatione interse, quam ipsum agens præparat, a que efficit.

XXVII Secunda sententia, quæ vnionem materiæ, & formæ constituit relationem prædicamentalem mutuam, qua materia dicatur actu vnita formæ, & hæc vicissim illi, iam est a nobis explosa. Enimuerò huiusmodi relatio consequitur ad vnionem substantialem materiæ, & formæ, vt exposuimus.

XXVIII Ad argumenta tertiæ sententiæ occurrendum est. Et quidem ad primum, acceptum ex Arist. oct. Metaphys. tex. 15. dico, primò, ex illis verbis nihil certi & constituti haberi, propterea quod in ijs tantum proponitur ratio dubitandi, quæ est, quòd ita videmus interuenire in quibusdam corporibus, in quib. præter partes est contactus, aut gluten, aut viscositas, aut aliqua alia causa, quæ ea reddit vnum: Atqui id in vnione materiæ, & formæ non exigitur, vt ibidem Philosoph. soluit, & nos in sect. præced. dilucidauimus.

Dico 2. quod rectè Stagirites ait, tota, quæ non sunt quasi quædam coaceruatio, esse *aliquid aliud præter partes*, quoniam in his aut est quædam compositio, vt in toto artificiali, aut situatio, velut in toto integrali, aut substantialis vnio, sicut in toto physico. Perpende, ex ijs Philosophi verbis, quando totum *non est quasi coaceruatio, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes*, non rectè colligi nexum illum, & modum substantialem distinctum a partib. vt vnitis; Nam eadem consequentia colligam ego, etiam in toto integrali, & toto artificiali debere huiusmodi nexum, & modum substantialem adesse; cum hæc tota non sint vt coaceruatio. Neque hic est vlla recalcitratio.

Ad 2. Ante omnia, illa opinio in eo videtur errare, quod imaginatur, materiam, & formam esse ab inuicem diuisas, ac de se existentes, cum aptitudine vt vniantur, deinde quasi approximari, atque vniri, quod longè a veritate abest, cum vna intimè extrahatur de sinu, gremioque alterius, quemadmodum retro exposui.

Deinde cum subdit, quod nulli materiæ est essentiale, actu esse vnitam cum forma, & nulli itidem formæ est essentiale, actu esse vnitam materiæ, hæc vniuersalis enuntiatio falsa est. Nam materiæ primæ omninò est essentiale, si debet in rerum natura consistere, actu esse vnitam formæ, non quidem huic, aut illi particulari, & determinatæ, sed alicui formæ: aliàs vt ex Auerr. ait D. Thom. in prim. part. quæst. 7. art. 2. ad 3. esset actu sine actu, quod contradictionem inuoluit. Ita formæ, vna excepta rationali, essentiale est, si debet in natura existere, esse in aliqua materia. Veruntamen detur illis auctoribus dicta propositio, quod nulli materiæ, neque vlli formæ sit essentiale &c. quatenus potest hæc forma V. G. equi concipi sine hac materia, & hæc materia potest extra hac forma, existere sub alia: &, quod omnium caput est, anima intellectrix existit ab omni materia segregata. Concesso itaque, aut dato illo antecedente, ad conseq. cum inferunt, ergo additur illis partibus aliquid, occurrendum est: Quod additur extrinsecè actio agentis, quæ nunc est, & antea non erat: additur intrinsecè mutua causalitas materiæ, & formæ, seu actuatio, & informatio formæ in materiam, tum sustentatio eiusdem formæ a materia; additur vnio substantialis, quæ est vt actus, & potentiæ: a quibus quidem omnibus partes nunc appellantur vnitæ, & non prius. Illa autem quæ adduntur, non sunt aliquid distinctum a partibus, vt vnitis. XXIX

XXX Quod si dicas. Materia substantialiter alio modo se habet nunc, dum est vnita huic formæ, quàm antea, aut post: ita etiam forma: ergo quando vniuntur acquirunt aliquid reale præter suas entitates.

Concedo antecedens, & distinguo conseq. acquirunt aliquid distinctum a se ipsis, nego: acquirunt aliquid idest, ipsæ sunt alio modo substantialiter nunc, quàm erant antea, aut erunt post, fateor. Nunc enim vnitæ, & copulatæ sunt quoddam substantiale, nempe totum compositum physicum: antea autem, cum nondum essent vnitæ, & post, cum sunt disiunctæ, haud sunt amplius hoc substantiale totum. Hoc in generatione fit, hoc in corruptione interit.

Ad 3. concessa prima propositione, ad min. dico, XXXI Re vera in vnione materiæ, & formæ interuenire mutationem realem; quinimo, non vnam, sed multiplicem. Primùm est actio agentis, & motio, quæ nunc est, & antea non erat. Deinde

sunt

Digitized by Google

sunt prauiæ dispositiones, quibus materia praparatur ad actum. Postea, adest mutua actualis causalitas materiæ, & formæ, & deinque suppetit ipsa vnio substantialis tum in fieri, tum in facto esse, quemadmodum iu sect. præced. expo-sui. Propter has itaque mutationes reales, nunc partes dicuntur vnitæ, & sunt ipsum totum substantiale, non autem antea, aut post.

Hinc etiam patet solutio ad 4. arg. fiunt enim de nouo nunc dictæ mutationes, & vnio substantialis, ad quam statim consurgit mutua relatio partium vnitarum. Verùm satis excurrimus; iam reuertamur ad Aristotelem est igitur.

TEXTVS XVIII.



T verò, si velut indiuisibile nullum erit quantum, neque quale. Neque itaq; infinitum est id, quod est, sicut Melissus dicit, neque finitum sicut Parmenides, terminus enim indiuisibilis est, neque finitus est.

I. Confutabat Arist. opinionem existimantium omne, siue ipsum ens, esse vnum, ea ratione, quia aut esset vnum vt continuum, aut esset vnum vt indiuisibile, aut denique esset vnum per definitionem. Demonstrauit deinde in tex. 16. illud haud esse vnum, vt continuum: cuius occasione interiecit in tex. 17. dubitationem: nunc in hoc tex. 18. commonstrat omne non esse vnū veluti indiuisibile.

II. Confutatio est duplex. Vna absoluta, altera, ad hominem. Prior est talis. Si omne, & ens est vnum vt indiuisibile, ergo nihil est in rerum natura quantum, aut quale: consequens aduersatur sensui. Et consequutio est euidens, quia quantum est extensum: indiuisibile autem non est extensum. Si itaque omne, & ens est vnum, vt indiuisibile, nihil erit extensum, & quantum, Quod autem neque esset quale, vel inde est conspicuum, quia posterius nequit consistere sine priori. Qualitas est posterior quantitate, vt in Categ. dictum est, quare si in rerum natura non est quantum, neque erit quale.

III. Posterior confutatio est, *Neque itaque infinitum, &c.* quæ primùm potest colligi ex præced. probatione hoc pacto. Si illud vnum non est quantum, ergo neque est infinitum, quemadmodum opinatur Meliss. neque finitum, vt Parmenid. Quod indiuisibile non esset infinitum, relinquit Arist. ceu manifestum: Quod autem neque esset finitum, probat. τὸ γὰρ πέρας ἀδιαίρετον, οὐ τὸ πεπερασμένον. quæ latinè sic iacent. *terminus enim indiuisibilis est, neque finitus est.* planè ineptè

Dic. *Nam extremum est indiuisibile, non ipsum est finitum.* & sensus est: extremum, vid.l. quanti, est indiuisibile, veluti extremum lineæ est indiuisibile punctum, extremum superficiei est indiuisibilis lineæ, &c. ipsum autē extremum non est id quod dicimus finitum. Vel ipsum extremo prædium seu terminatum nō est indiuisibile. In græc. est pulchra annominatio πέρας, & πεπερασμένον, quasi dicas, terminus, & terminatum, siue finis & finitum, & si liceret dicere, extremum, & extrematum. Sic ergo hæc posterior confutatio eruitur ex præced.

Potest etiam absolutè sic colligi. Parmenid. ait ens vnum esse finitum: Meliss. vnum infinitum. Hi sibi apertè contradicunt, si nomine vnius volunt intelligere vnum indiuisibile. Quid ita? quia indiuisibile infinitum esse nequit: at neque finitum, quoniam finitum est id, quod habet extremum, seu est terminatum: indiuisibile autem non est quod habet extremum, sed est ipsummet extremum.

TEXTVS XIX.



T verò si omnia, quæ sunt, ratione vnum sunt, vt indumentum, & tunica. Heracliti orationem contingit ipsos dicere. idem enim erit & bono, & malo, & non bono esse, & bono Quare idem erit bonum, & non bonum, & homo & equus. & non de eo, quòd vnum sunt, qaæ sunt, ratio erit, sed de eo, quòd nihil sunt, & tali esse, & tanto idem.

Reijcit in præsenti tex. tertium membrum, quod scil. omne, & ens non sit vnum definitione, siue essentia, & quidditate. Ac primùm explicat, quonam pacto intelligat hanc vnius acceptionem: deinde eam impugnat.

I. Ait itaque, Neque potest verificari, ea quæ sunt, esse *vnum ratione*, definitione, siue essentia, vt sunt vnum λώπιον, ἢ ἱμάτιον. *indumentum, & tunica.* alij vertunt, *vestimentum, & indumentum.* Vtraque tamen versio diminutè attingit mentem Philosophi. Tu scito, λώπιον esse indumentum vile. λώπιον τὸ εὐτελὲς ἱμάτιον, Quocirca hæc duo nomina λώπιον, & ἱμάτιον solum differunt inter se, quòd vnum significat vestimentum vile: aliud vestimentum non vile. Esse autem vile, aut non vile, est differentia accidentalis: quare duo illa nomina in definitione essentiali, & in essentia ipsa sunt vnum: dissident autem solum secundum aliqua accidentia.

II. Quasi igitur dicat Philosoph. si ea, quæ sunt, constituamus esse vnum definitione, essentia, ac quidditatiuè, & dissidentia solum per aliqua acci-

accidentia, incidemus in opinionem Heracliti, qui, vt in primo, & quarto Metaphys. legimus asseuerabat, *nihil magis esse se ipsum, quàm oppositum*. adeo vt homo haud magis foret homo, quàm equus, aut lignum. Quod icircò aiebat, quòd ille in ea versabatur opinione, omnia esse in continuo fluxu. Si itaque omnia hoc pacto sunt vnum, *idem erit & bono, & malo, & non bono esse, & bono*. Eadem erit essentia & contrariorum, & contradictorum. *Quare idem erit bonum, & non bonum, & homo, & equus*. Quæ ratio ita collig. Quæcunque sunt vnum secundum definitionem, & essentiam, ita se habent, vt de quocunque prædicatur vnum, prædicetur & alterum: sed iuxta præfatam positionem, omnia sunt vnum secundum diffinitionem, & essentiam, ergo quæ prædicantur de bono, prædicabuntur etiam de malo, &c. atque adeò quæ dicuntur de ente, dicentur etiam de non ente: & sic poterimus affirmare, quod, *ea quæ sunt, nihil sunt*.

III. Hæc ratio maioris euidentiæ gratia, potest reduci ad quinque impossibilium genera, vt etiam adnotauit Auerr. Primùm est, quod contraria essent idem, vt idem esset bonum, & malum. Secundum, quod contradictoria essent idem, vt bonum, & non bonum. Tertium, quod species diuersæ essent idem, vt homo, & equus. Quartum, quia sic omnia essent nihil; nam si contradictoria sunt idem, ergo ens est non ens, ergo nihil. Quintum denique, quod ea, quæ toto genere diffident, essent idem, vt Prædicamentum Quanti, & Prædicamentum Qualis essent idem. Quæ omnia cum absurdissima sint; omnino sequitur, non posse dici, omnia esse ens *vnum ratione*: ergo nullo vnitatis modo, omne, siue ens est vnum.

TEXTVS XX.



Onturbabantur autem & posteriores, quemadmodū & Antiqui, ne fortè accidat ipsis idem simul vnum esse, & multa. Quapropter & alij quidem ipsum, est, auferebant, quemadmodum Lycophron: alij autem mutabant dictionem, quoniam homo, non albus est, sed albatur, neque ambulans est, sed ambulat: ne ipsum est adijcientes, multa faciant esse vnum.

I. Asserit in præs. contex. nonnullos subsecutæ ætatis Philosophos, perinde atque antiquos illos, fuisse turbatos circa positionem entis. Causa turbationis erat, ne forte ipsis accideret fateri, *idem simul vnum esse, & multa*. Enimuerò cum hi animaduerterent, V. G. Socratem, tum substantiam esse, tum philosophum, tum caluum, tum simum, tum album, seu subcinericium, turbabantur, ne hæc omnia de vno atque eodem Socrate affirmantes, vnum multa efficerent. Ne itaque in id absurdi incurrerent, duplex remedium excogitarunt.

II. Quidam, vt Lycophron, auferebant a propositione, verbum (est) existimantes, illud esse causam eiusmodi multitudinis: ideòque nolebant dicere, Socrates est philosophus, Socr. est caluus, sed Socr. philosophus, caluus. &c. Quasi hoc pacto euitarent, ne vnum atque idem euaderet multa. Alij crediderunt, prædicatum vnà cum copula (est) esse causam illius multitudinis: icircò non dicebant, homo est albus, Socrates est philosophus; sed homo albescit, Socrates philosophatur: *neque ambulans est, sed ambulat, ne ipsum, est, adijcientes, multa facerent esse vnum*. Portentosa philosophia: quasi verò aliquid esse vnum, aut multa, pendeat ex ipsa oratione, & non è contra, oratio sit vera, vel falsa, ex eo quod res est, aut non est.

III. Sed iam quæres 1. Quinam fuerunt antiqui illi Philosophi, & qui posteriores, quos Arist. innuit? Quæres 2. Quo vnquam pacto antiqui illi turbati fuerunt circa positionem entis?

IV. Ad 1. Nomine antiquorum Arist. intelligit Parmenidem, Meliss: & qui circa eos, aut paulo superiores vixerunt: Nomine autem posteriorum, expresse quidem refert Lycophronem: in eadem verò classe existimo etiam reponi Platonem, id quod ex duobus conijcio. Primùm, quia Stagirites solet hoc *posteriorum* nomine indicare Platonem, vt videre licet in tex. 55. huius lib. dum ait, *sed antiqui duo quidem agere, vnum verò pati: posteriorum autem quidam e contrario*. Deinde, idem conijcio ex ipso Philosophi exemplo, quod est de Socrate, in cuius persona Plato in suis Dialog. loquebatur.

Ad 2. sunt qui dicunt, Parmenidem, & Melissum argumentis hucusque ab Stagirite factis, fuisse turbatos: cogi enim videbantur, consiteri, ens vnum simul, & multa esse. Vnum quidem, vt ipsi opinabantur, multa autem, vt argumenta Philosophi cogunt. Cui opinioni non accedo, quia Parm. & Meliss. iam obierant, dum Arist. hæc opera euulgauit. Dicendum itaque est, Parmenidem fuisse turbatum, quia vna quidem ex parte τὸ ὄν, ipsum ens, & τὸ πᾶν, ipsum omne, constituit vnum: Ex altera verò a sensu, & veritate ipsa coactus, posuit entia esse multa. Quocirca in numerum principiorum innexit *calidum, & frigidum*, vt refert Arist. in tex. 41. huius lib. & in primo Metaphys. cap. 4. Et consimilis etiam inconstantiæ nota erit de Melisso existimanda.

TEX.

TEXTVS XXI.



Anquam singulariter dicto vno, aut ente. Sed multa sunt, quæ sunt: aut ratione, vt aliud est albo esse, & musico, eidem verò vtraque: multa itaque vnum: aut diuisione, quemadmodum totum & partes. Hic autem iam dubitabant, & confitebantur, vnum multa esse. tanquàm non contingeret idem vnum, & multa esse, non autem opposita. est enim vnum & potentia, & actu. Hoc igitur modo dicentibus impossibile videtur, quæ sunt vnum esse.

I. Commonstrat in hoc tex. illos Philosophos inaniter timuisse id quod minimè erat timendum. Quippe non inconuenit, idem esse, & vnum, & multa, si diuersa ratione, & diuerso respectu spectentur: sic enim non erit oppositio, seu contradictio, quemadmodum ipsemet Philosophus declarat in primo de Interpretatione cap. de oratione.

In tex. tria facit. Primò indicat radicem erroris Veterum Philosophorum: secundò, adijcit tres distinctiones secundum quas aliquid potest esse vnum, & multa. Tertiò, carpit eosdem Veteres. Ait itaque, illos propterea in eas angustias incidisse quia putarunt, vnum, & ens dici μοναχῶς, *singulariter*, vnico tantum modo: quæ tamen, vt supra expositum est, dicuntur multis modis.

II. Postea adijcit primam distinctionem. *sed multa sunt, quæ sunt, aut ratione, vt aliud est albo esse, & musico, eidem verò vtraque*. Hic est interpungendum: & distinctio est, quod vnum dicitur; aut ratione, aut subiecto, seu re: & sic aliqua vel sunt multa ratione, vel multa subiecto. V.G. alia est ratio, & essentia albi, alia musici: quæ tamen vtraque vni atque eidem subiecto, Socrati insunt. Qua quidem partitione posita, nil vetat, quominus idem & vnum, & multa sit. Cum itaque dicimus, Socr. est albus, Socrates est musicus &c. significamus, hæc subiecto quidem, & secundum rem esse vnum: ratione autem, ac definitione multa. Hanc conclusionem posuit Arist. illis verbis. *multa itaque vnum*.

III. Ponit secundam distinctionem. *aut diuisione quemadmodum totum, & partes*. & verba, & res clara sunt. Domus, aut nauis, & quoduis totum secundum se est vnum: secundum partes autem est multa.

Adijcit tertiam distinctionem. *est enim vnum, & potentia, & actu*. Quæ quidem est veluti ampliatio præcedentis distinctionis: sic dicimus, mixtum actu quidem esse vnum, potentia autem multa, quia potestate continet V.G. quattuor elementa. Sic lignum actu est vnum, potentia multa: quippe continuum potest in multa diuidi. Cum itaque hisce modis idem & vnum, & multa affirmari queant, inani larua illi Philosophi terrebantur. Hoc autem icircò perpessi sunt, quia has meditationes ignorauerunt: ideoque simpliciter confitebantur, vnum esse multa. Hoc innuit Arist. illis verbis. *Hic autem dubitabant, & confitebantur vnum multa esse*.

Tandem perorat, quod ex his, quæ hactenus dicta sunt apparet, nullo vnquam dictorum modorum dici posse, quod ea quæ sunt, sint vnum. *Hoc igitur modo dicentibus impossibile apparet, ea quæ sunt, vnum esse*.

CAPVT III.

Diluit Arist. in hoc cap. rationes Parmenidis, & Melissi.

TEXTVS XXII. & XXIII.



T ex quibus ostendunt, soluere non difficile est. vtrique enim contentiosè syllogizant, & Melissus, & Parmenides: nam & falsa accipiunt, & non syllogizantes sunt. Est autem Melissi magis onerosa ratio, & non habens dubitationem, sed vno inconuenienti dato, alia contingunt. hoc autem nihil difficile est.

Quod igitur paralogizat Melissus, manifestum est: opinatur enim accipere, si quod factum est, omne habet principium, quòd & id quod non factum est, non habet. Postea & hoc inconueniens, omnis esse principium rei, & non temporis, & generationis non simplicis, sed & alterationis, tanquàm non momentanea facta mutatione.

Demonstrauit hucusque Eximius præceptor conclusionem Parmenidis, & Melissi esse falsam: nunc animus illi est, commonstrare, rationes, quibus illa ipsa assertio innitebatur, esse itidem falsas. Enimuerò vt aliqua opinio funditus euertatur, hæc duo fiant necesse est. vt superius quoque indicaui. Et quemadmodum in tex. 10. asserebat, Parmenidem, & Melissum, *& falsa accipere, & non syllogizantes esse*, quod est, ecs, & in materia, & in forma argumenti peccasse, ita id idem in hoc tex. 22. repetit: deinde statim aggreditur a tex. 23. hoc palam facere. I.

Exorditur autem a Melisso, quòd is erraui grauius, *& cuius ratio*, vt Arist. in tex. 22 loquitur, *est magis onerosa*, importuna, *& non habens dubitationem*. Et aduersus eum ita sancit. *Manifestum* II.

stum est, quod Melissus paralogizat.

Ante omnia scito, paralogismum multis vsurpari modis, vt obseruat Alex. Aphrodis. in com. 2. libri primi Elench. & Lud. Meda in 1. lib. Poster. Primò capitur pro quouis syllogismo litigioso. Secundò pro syllogismo constante quidem ex proprijs alicuius scientiæ principijs, sed malè intellectis, & ad prauum sensum detortis; sic explicat Arist. libr. primo Topic. cap. 1. Tertiò sumitur pro ratiocinatione, quæ tantum in forma syllogistica peccat, in qua quidem significatione vsurpatur ab Stagirite cùm alibi sæpe, tum in primo Poster. tex. 61. Et in hac eadem significatione existimo, sumi paralogismum hoc loco.

III. Quod vel ex eo colligo, quia Philosophus duo obiecit Parmenidi, & Melisso. Vnum, quod *vtrique falsa accipiunt*. quod est, peccant in materia argumenti. Alterum, *& non syllogizantes sunt*. videl. peccant in forma syllogizandi, ac ratiocinandi. Hæc vtraque singillatim de vtroque videl. tam Parm. quam Meliss. ostendet: primò autem patefacit de Melisso. Quare quod in tex. 10. dixit, *καὶ ἀσυλλόγιστοί εἰσιν, & non syllogizantes sunt*, hic ait, *paralogizat*. Est quippè παραλογισμὸς paralogismus, quasi παρὰ συλλογισμὸς præter normam, & regulam syllogismi. Hæc consultò prælibaui, quia plerique interpretum densas hoc loco offundunt tenebras.

IV. Porrò, vt ritè deprehendas, quo vnquam pacto Meliss. paralogizat, omninò operæ precium est, eius rationem in medium afferre, quam quidem Stagirites neglexit apponere, quoniam illa tempestate erat inter viros etiam mediocriter in Philosophia versatos peritrita; apponit autem illius duntaxat solutionem. Ratio Melissi fuit huiusmodi. Primùm probabat, ens esse infinitum hoc modo. Illud, quod est factum, habet principium, ergo illud quod non est factum, non habet principium. Atqui ens non est factum: quare ens non habet principium. Vlterius: Quod non habet principium, id non habet etiam finem: Ens non habet principium: quare neque habet finem. Quod autem est principij, & finis expers, id sanè infinitum est, ergo ens est infinitum. Minorem principalis argumenti, nempe quod ens non sit factum, ex eo suadebat, quia, Si ens est factum, ergo vel est factum ex ente, vel ex non ente: Non ex ente, quia ens esset antequam fieret: Non ex non ente, cum non ens sit nihil: & ex nihilo nihil fiat.

Vtebatur secundò ratiocinio ad probandum, ens illud esse vnum. Infinitum est vnum tantum: ens est infinitum: quare est vnum tantum. Maior prob. Infinitum occupat totam latitudinem eius generis, in quo constituitur infinitum; neque permittit adesse extra se quicquam aliud illius generis: alioquin istud posset adiungi illi, ac proinde illud prius esset infinitum, & non esset infinitum. ergo infinitum ens, siue quod est infinitum in genere entis, occupat totam latitudinem entis, ac totam entitatem, neque patitur extra se esse aliquod aliud ens. Quod autem ita occupat omnia, nequit nisi vnum esse. si itaque ens est infinitum, & occupat totam entitatem, profectò non nisi vnum est.

Ex quo vlterius inferebat, illud vnum vsquequaque esse immobile. Nam quod est vnum, & omnia occupat, necessariò est immobile: ens est vnum, atque omnia occupat, ergo est immobile. Maior prob. quia si sit mobile, necessè est, esse locum a quo, & ad quem moueatur: si autem sit locus, iam ens haud erit vnum. Siquidem erit ipsum ens, & præter illud, locus. Hæc fuit ratio Melissi.

Ad quam occurrit Philosoph. ac primùm quidem patefacit, eam esse paralogismum, videl. peccare in forma, illis verbis, *Opinatur enim accipere, Si quod factum est, omne habet principium, quod & id, quod non factum est, non habet*. Peccat in forma syllogistica, quia procedit ab inferiori ad superius negatiuè, quæ est fallacia consequentis: perinde ac si dicas. Si est homo, est animal. ergo si non est homo, non est animal. Vel, si febricitat, est calidus, ergo si non febricitat, non est calidus. Quæ conseq. sunt vitiosæ. potest etenim aliquid non esse homo, & nihilominus esse animal: & potest quispiam non febricitare, & tamen esse calidus, quia animal, & esse calidum, latius patent, quàm homo, & febricitans. V.

Quod autem hunc in modum procedat dicta Melissi consequentia, probat Arist. *Postea, & hoc inconueniens, omnis rei esse principium, & non temporis, &c.* In quibus verbis Arist. duo conuoluit. Patefacit præfatam conseq. esse ab inferiori ad superius negatiuè: Et simul etiam ostendit, quomodo Melissus peccet etiam in materia. Prius prob. quia habere principium, est quid communius, quàm esse factum. etenim esse factum, respicit solum facientem, tanquam principium: habere autem principium, respicit quidem facientem, a quo aliquid fit, & vlterius respicit principium durationis, seu temporis, vt instans, & tempus hoc est principium huius, vel illius actionis: & præterea respicit principium rei, idque vario modo, aut enim est principium rei secundum magnitudinem, veluti caput est principium hominis, & punctum lineæ: aut est principium rei essentiale, vt materia, & forma sunt principia generationis: aut est principium alterationis, (quas duas significationes expressit Auctor illis notis, *& generationis non simplicis, sed & alterationis*) quando enim alteratio, quæ re ipsa est actio successiua, incipit in subiecto ab vna aliqua parte, V.G. cum lignum decem cubitorum incipit calfieri a parte extrema, a qua deinde calefit pars propinquior, atque ita deinceps, tunc calefactio primæ partis censetur principium subsequentis calefactionis. Hoc indicat Philosoph. dum ait, *tanquam non momentanea facta mutatione*. Ex his clarissimè conspicis, longè latius patere hoc, quod est habere principium, quàm esse factum. ac proinde manifestus est error Melissi in forma VI.

syllo-

syllogistica: Vide Arist. in primo lib. Elench. cap. 4. vbi hoc idem Melissi argum. confutat.

VI. Ex hac ipsa varia principij acceptione, conspicuè apparet, Melissum peccasse etiam in materia argumenti: cur? quia præceptum extat irrefragabile, in scientijs, omne varium, atque multiplex, prius esse diuidendum, & distinguendum, quàm illo vtamur. Atqui principium, vt nunc constitit, est varium, ac multiplex: & Meliss. illud non distinxit, sed absque vlla distinctione vsus est: peccauit igitur etiam in materia.

TEXTVS XXIV.



Einde, & propter quid est immobile, si vnum est? sicut enim & pars vna cùm sit, hæc aqua mouetur in se ipsa. quare non & totum? Postea alteratio propter quid non erit? At verò nec specie possibile est vnum esse, nisi eo, ex quo. Sic autem & Physicorum quidam dicunt vnum, illo autem modo non: homo namque ab equo alterum est specie, & contraria inuicem.

I. Conuoluebantur in argumento Melissi superius a nobis inducto multæ propositiones, & multæ complicabantur consequentiæ. Arist. hactenus confutauit illud, quantum ad primam consequentiam, & quantum etiam ad materiam, seu quantum ad præmissas, ex quibus deducebatur: pergit nunc aliam illius consecutionem labefactare, quam in hoc tex. duplici telo confodit: deinde, addit adhuc arg. contra eandem Melissi opinionem.

II. Aiebat Melissus, si ens est vnum, ergo est immobile: quandoquidem si esset mobile, oporteret adesse locum, vnde, & quo moueretur, proindeque ens haud esset vnum, sed duo, locus etenim fuisset etiam ens. Occurrit Philosoph. hanc consequentiam esse falsam. Et ad probationem, quod si illud esset mobile, oporteret esse locum, a quo, & ad quem ferretur, ait, id minimè esse necessarium; non enim omne quod mouetur, necessario mouetur de loco ad locum, sed commodè potest moueri in eodem loco. An non cælum omne perpetuo in eodem loco rotetur? An non mare perpetuo in eodem loco fluit, ac refluit? An non aqua in phiala contenta, circunducta phiala, mouetur? quæ tamen omnia neutiquam feruntur de loco ad locum. Quod si videmus partes entis, videl. aquam, mare, cælum, in seipsis moueri, cur non id idem de toto ente valeamus asserere, quod illud localiter moueatur in se ipso? ideòque haud esse necessarium locum, ex quo, & ad quem feratur.

III. Deinde, detur, inquit Arist. gratis Melisso, quod illud vnum ens esset immobile motu secundum locum: at cur aliu motu moueri non posset? *postea alteratio propter quid non erit?* cur illud non posset calfieri, infrigidari, omninò alterari? quæ omnia re ipsa sunt motus.

Addit in secunda part. tex. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τῷ εἴδει οἷόν τε ἓν εἶναι, πλὴν τῷ ἐξ οὗ. quæ verba multis modis, sed tamen prauè sunt translata: Tu sic verte: *sed neque specie possibile est vnum esse, nisi ipso esse id, ex quo.* Torquentur plerique omnes interpretes circa hanc partem tex. nec capiunt ad quem vnquam finem Auctor hæc verba annectat? Deinde dicunt, verba in hac secunda part. tex. contenta haud amplius respicere argumentationem Melissi, in cuius confutatione hucusque Arist. versatus est: sed esse rationem immediatè contra eiusdem Melissi opinionem. At hoc posito, torquentur tali difficultate, quoniam Arist. iam varijs argumentis supra labefactauit opinionem Melissi: postea accessit ad soluendum illius rationem: nunc verò iterum reuertitur ad confutationem illiusmet positionis: confusè igitur agit, ideòq; carpendus est.

IV. Profectò carpendus esset Arist. si ita ageret: sed non hoc intendit, quod illi interpretes opinantur, sed in hac secunda parte tex. annectit (vt ego existimo) tertiam rationem, qua refellit illam eandem Melissi consequentiam, videl. si ens est vnum, ergo immobile. Sternit autem primò hoc fundamentum, quod impossibile est, omnia quæ sunt, esse vnum secundum speciem, ac formam; sed si sunt vnum, certè sunt vnum, vt id ex quo, idest, sunt vnum in subiecto, & materia, ex qua constant. Quod quidem fundamentum confirmat auctoritate, & ratione. Auctoritas est; *quia sic & Physicorum quidam dicunt vnum; illo autem modo non.* Hoc pacto, scil. omnia esse vnum pro principio materiali, ac materia, professi sunt etiam nonnulli eorum, qui physicè verba faciunt: sic Thales omnia dixit esse aquam, Heraclitus ignem, Anaximenes aerem, quia primus ponebat principiũ rerum aquam, secundus ignem tertius aerem: quod autem omnia sint vnum secundum speciem, ac formam, nemo asseruit vnquam. Ratio vero est, *homo namque ab equo alterum specie, & contraria inuicem.* In natura dantur contraria: Ista differunt inter se specie, & forma, distant enim plurimùm sub eodem genere: quocirca impossibile est, omnia esse vnum secundum speciem, & formam. Deinde, etiam multa eorum, quæ non sunt contraria, differunt specie: quis enim ibit inficias hominem, & equum specie, ac forma differre?

V. Ex quibus sic eruitur tertia ratio pro confutatione eiusdem conseq;. Illud vnum Melissi aut esset vnum secundum speciem & formam, aut secundum materiam. Secundum formam, impossibilè est, omnia esse vnum: quare esset vnum solummodo in materia. Atqui hoc vnum, vt materia, potest varijs modis affici, ac moueri, vt re ipsa in generatione, & corruptione afficitur, ac mouetur. quare falsa est illa conseq. si ens est vnum, ergo est immobile.

Digitized by Google

Adnotationes circa texx. 22; 23. & 24;

VI. SOluit Stagirites a tex. 22. argumentum Melissi. At quæsiuerunt aliqui, qualisnam sit hæc solutio? Physicane, an Metaphysica, an Logica? Quod non sit Physica, suppetit auctoritas Philosophi, aientis in tex. 8. *Si vnum, atque immobile sit id, quod est, considerare non est de natura speculari.* Et in tex. 10. elatè sancit, haud esse munia Naturalis Philosophi *soluere litigiosam rationem, quod vtraque habent rationes, & Melissi, & Parmenidis.* Quod autem non sit Metaphysica, aut Logica, ex eo videtur suaderi, quia cum in præsentia sit sermo de natura, non est refugiendum ad aliena arma.

Respondeo, hanc confutationem esse mixtam. Partim est naturalis, cum procedat ex terminis naturalibus, cuiusmodi sunt, mobile, immobile, alteratio, pars, totum, materia, & id ex quo: quæ omnia iacent in tex. 24 Partim est Logica, quatenus considerat, Veteres illos peccare in forma syllogistica, & paralogizare: Quis nescit, quod expendere formam syllogismi, sint partes Logici? Partim denique est Metaphysica, prout considerat conuenientiam, aut defectum, qui inter principium, & factum esse intercedit: Neque inconuenit, hæc diuersarum scientiarum officia in vnum coire, nam scientiæ sibi inuicem ferunt opem.

VII. Deinde, in tex. 24. ait, si illud vnum ens Melissi supponatur immobile secundum locum, tamen *propter quid non erit alteratio?* vult itaque, etiamsi non esset motus localis, posse nihilominus fieri alterationem. At huius oppositum constituit in oct. Phys. tex. 56. quo loci demonstrat, motum localem esse tel quorum omnium motuum primum: Sublato autem primo, nihil subsistit subsequentium,

Respond. De motu locali dupliciter loqui possumus. Vno modo absolutè: Altero respectu vnius determinati subiecti. Ablato motu locali absolutè aufertur quiuis alius motus: atque hac ratione loquitur Arist. in lib. oct. sublato autem motu secundum locum in aliquo determinato subiecto, haud est necessè, negari ab eodem subiecto quemcumque alium motum. Quid enim vetat, vt aliquid fixum, atque immobile perseuerans, per accessum, aut recessum duntaxat alterius incalescat, aut infrigidetur? Cum itaque illud vnum Melissi esset quoddā determinatum subiectum, rectè Philosoph. de eo infert, quod licet non moueretur loco, nihil obstaret, quominus posset affici alteratione.

VIII. Postea, Redarguit Arist. illam Melissi conseq. Si ens est infinitum, & vnum, ergo immobile. Quæ tamen consequentia, iuxta doctrinam eiusdem Philosophi, videtur necessaria. Etenim si est infinitum, & quidem corpus, profectò nullo vnquam motu, non modo recto, sed neque circulari potest moueri, vt demonstratur in primo de cælo a tex. 35. Nam dato corpore infinito, lineæ ab eo eggredientes, vt pote in infinitum protractæ, distarent ab inuicem in infinitum; quæ distantia nequaquam posset pertransiri: deberet autem pertransiri, si illud corpus deberet moueri.

Dicunt nonnulli, quod Aristoteles nondum patefecerat, infinitum haud posse vllo motu moueri: ostendit autem in lib. de cælo: propterea hic ita loquitur, ac si infinitum re vera posset moueri. Occurrunt alij, Philosophum non loqui absolutè, sed ad hominem: ob id concedit Melisso, eua ab eo constitutum infinitum, posse loco moueri. Prior responsio ferri nequit: Nam licet id nondum ostendisset, nihilominus ea veritas in eius animo insidebat, quod infinitum nullo vnquam motu possit moueri. Posterior etiam responsio admittenda non est; quia hoc pacto Arist. peteret principium. Non enim concederet Melisso, infinitum posse moueri, cum ille id ex instituto inficiaretur, sed id acciperet: quod debebat probare. quare.

Dicendum est, quod illud infinitum saltem moueretur secundum partes, veluti si aqua esset infinita, nil vetaret quominus hæc, aut illa pars maris agitaretur.

TEXTVS XXV.



T ad Parmenidem autem idem modus rationum est. & si aliqui alij sunt proprij. Et solutio est, partim quidem, quia falsa est: partim autem, quia non concludit. Falsa quidem, quia quod est, accipit simpliciter dici, cùm multipliciter dicatur. Non concludit autem, quia, si sola alba capiantur, significante vnum albo, nihilominus multa alba sunt, & non vnum. non enim continuatione erit album vnum, neque ratione. aliud enim erit esse albo, & suscipienti. & non erit præter album nihil separabile. non enim quatenus separabile est, sed esse alterum est albo, & ei cui inest. Sed hoc Parmenides nondum videbat.

Demonstrauit Arist. hucusque Melissum in sua argumentatione, & falsa accipere, & malè concludere: pergit id idem nunc de Parmenide commonstrare: & in hoc tex. tria præcipuè facit. Primò, indicat, quomodo modus confutandi rationem Parmenidis, partim est idem, ac fuit confutandi Melissum, partim est diuersus. Secundò, ostendit, quod ipse etiam falsa sumat. Tertiò, quod malè concludat. I.

Ait itaque *& ad Parmenidem idem modus rationum est, etsi aliqui alij sint proprij.* Eadem est via confutandarum rationum Parmenidis, quæ fuit & Melissi; quamquā suppetant nonnulla propria ac peculiaria, in quibus Parmenid. dissidet a Melisso. II.

Dissidet porrò & in conclusione, & in ratione. In conclusionē quidem, quia Melissus asseuerat, illud vnum ens, atque immobile, esse infinitum, Parmenides autem finitum

in-

Digitized by Google

in ratione autem dissident, quia alijs principijs innitebatur Meliss. alijs Parmenid. vt mox audies. Iccircò confutatio ad Parmenidem partim erit eadem, quatenus ipse quoque intrudit ens vnum, atque immobile, partim diuersa, in ijs quæ dixi. Confutatio autem, inquit Arist. inde petenda est, quòd etiam Parmen. *falsa accipit, & non concludit.* peccat itaq; eius ratio cùm in materia, tū in forma.

III. At Philosophus etiam hic negligit apponere rationem Parmenidis, ob eam ipsam causam, quam retro de ratione Melissi indicaui: adijcit verò illius solutionem; Verùm quoniam nodum dissoluere nescit quisquis eum non nouit, audienda est prius Parmenidis ratio, quæ huiusmodi fuit. Quicquid est præter ens, est non ens: Atqui non ens est nihil: ergo quicquid est præter ens, est nihil. Subsumebat: Sed ens est vnum, *ens etenim dicitur simpliciter*. quare quicquid est præter vnum est nihil: ac proinde omnia sunt vnum. Maiorem probabat: Nā si quod est præter ens, non esset non ens, oportebit, duas contradictorias simul esse veras. Siquidem illa particula exceptiua, præter, excludit omne aliud ab eo, cui adiungitur. Quapropter sicut hæc propositio, quicquid est præter Deum, est creatum, reddit hunc sensum. Omne, quod non est Deus, est creatum. ita hæc, omne præter ens, est exponenda: omne id quod non est ens: ac proinde, si omne quod est præter ens, non esset non ens: ergo esset ens; & per consequens dicendum esset, omne non ens, est ens. Quod inuoluit contradictionem. Altera autē propositio quod videl. non ens sit nihil, est clara. Quod denique ens sit vnum, seu quod dicatur *simpliciter*, & vno duntaxat modo, etiam videtur apertum. Nam si ens differret ab ente, per quid differret? non per ens, quia in eo conueniunt. Neq; per non ens: quis non ens non facit differre. Hæc est ratio Parmenidis, quam pauci admodum interpretū penitus introspexere. quæ porrò est ingeniosa, & multo acumine opus est, vt eius defectus detegatur.

IV. Eam tamen Eximius præceptor luculenter ostendit, cum in materia, tum in forma delinquere. Delinquit in materia, *quia quod est, accipit simpliciter, dici, cum multipliciter dicatur*. Vtitur termino æquiuoco, siue analogo absque distinctione. Sumit ens, ac si esset vniuocum, & significaret vnam duntaxat naturam; quod tamen non est: sed multis modis prædicatur, & significat & substantiam, & accidens. Quare ad arg. in forma respond. quod maior propositio, si sumat ens pro tota sua amplitudine, videl. pro substantia, & accidente, vera est: At in hoc sensu, malè subsumit, dum ait, sed ens est vnum: quandoquidem ens hoc pacto est multiplex. quippe transcendit per decem Prædicamenta, quæ quidē non differunt inter se, sed distinguuntur se ipsis, siue sunt diuersa.

V. Deinde, *Non concludit autem &c.* commonstrat, eandem rationem deficere etiam in forma, & ita progreditur. Ratio, quæ admissis & concessis eius propositionibus, non concludit intentum, peccat in forma syllogistica. Ratio Parmenidis est huiusmodi. Enimuerò intentio eius erat, ostendere, ens esse vnum, sine vlla multiplicitate. Hoc verò, etiamsi concedantur illius præmissæ, non colligit. Quod declarat Arist. proponendo rationem illius in vno entis genere, id est in albo. Quod enim iudicium est de vna entis parte, id de toto quoque ente ferendum est. Supponamus, inquit, non dari in mundo aliud ens præter album: Et album significare vnum quoddam. Tunc formetur Parmenidis ratio. Quod est præter album, est non album: Atqui non album est nihil: quare album est vnum: quæ conclusio est falsa, quamuis vtraque præmissa detur esse vera: vnde Parmenidis ratio peccat in forma, cum ex præmissis veris, & rectè complicatis non nisi vera conclusio consequatur. Quod autem illa conseq. sit falsa, exprimit Arist. inquiens, *nihilominus, multa alba sunt, & non vnum.* Idque probat, primò, *non enim continuatione erit album vnum.* Et si admiserimus, album significare vnum quippiam, non ob id cuncta alba fuerint vnum continuum album, sed aliud album est nix, aliud papyrus &c. Secundò, *neq; ratione; aliud enim erit esse albo, & suscipienti.* Licet album secundum rem sit vnum, attamen definitione, & essentia est multiplex, cū alia sit essentia albi, seu albedinis, alia subiecti suscipientis.

Annectit deinde. *& non erit præter album nihil* VI.
separabile; non enim quatenus separabile est, sed esse alterum est albo, & ei, cui inest. Quæ quidem verba, mirum est, in quàm dissonas, & aberrantes expositiones interpretes distraxere, quas ne tangam quidem: Ego puto, Aristotelem his verbis occurrere tacitæ cuidam obiectioni.

Diceret aliquis: Si alia est ratio, & essentia albedinis, alia suscipientis illam, ergo albedo obtinebit essentiam χωριστὸν separabilem, seu separatam a suscipiente illam: ac proinde albedo existet de se, & erit quædam forma a subiecto abiuncta, atque adeò Idea. Negat Arist. hoc sequ. non enim dicimus, albedinem existere abiunctam, vt cogamur admittere Ideam, & aliud album ideale, sed asserimus definitione, & essentia esse diuersam, quia *aliud est esse albo, id est albedini, & ei, cui inest.* quamuis a parte rei sint vnum.

Sed hoc Parmenides nondum videbat. subdit Arist. Quæ verba sunt qui in laudem Parmenidis trahunt. Quasi Philosoph. dicat, Hæc distinctio, quod aliqua sint vnum subiecto, multa autem definitione, & essentia, nondum erat perspecta Parmenidi, quamuis ipse esset vir magnus, & fortasse posset illam distinctionem inuenire, (hoc enim significare videtur, illud, *nondum*, ita dicimus de eo, qui potest Romam peruenire, nondum peruenit) sed erat ignota inter illius ætatis auctores: iccircò Parmenides est excusandus. Alij putant, illis verbis vellicari Parmenidem, carpiq; Prior expositio innuit candorem, & reuerentiam Stagiritæ erga Veteres, Posterior autem mihi videtur verbis textus accomodatior.

TEXTVS XXVI.



Ecessè est igitur accipere ijs qui dicunt, quod est vnum esse, non solum vnum significare quod est, de quo vtique prædicetur, sed & quod verè est, & quod verè vnum est: accidens enim de subiecto quodam dicitur: quare cui accidit quod est, non erit: alterum enim est ab eo, quod est: erit itaque aliquid quod non est: non itaque erit alij inexistens, quod verè est; non enim erit enti ipsi esse, nisi multa quod est, significet: sic vt sit aliquid vnum quodque, sed supponitur, quod est significare vnum.

I. Artificiosissimi sunt hic, & seq. tex. sed difficillimi, & vix a quoquam ritè introspecti: Quocirca huc etiam atque illuc ab alijs atque alijs conuelluntur. Disputatio in his primariò quidem est contra Parm. ex consequenti verò est etiam contra Meliss. quatenus vtrique constituerunt ens esse vnum. Continuatur itaque sic. Ostendebat Arist. in tex. proximè antegresso, rationem Parmenidis non concludere, applicando eam in vno entis genere, videl. in albo. At dicerat aliquis, Parmenidem callidè circunuenitti abs te ò Arist. non redargui syncerè. Etenim tu nomine vnius accipis album, quod est accidens, & necessario insidet in subiecto: & illud præsupponit, propterea valet arg. videl. alba adhuc esse multa. Parm. autem nomine vnius entis non intelligit accidens, sed substantiam, quæ non præsupponit quicquam ante se: quare supposito vno illo ente, non sequitur, entia esse multa. Consilium itaq; Arist. est intercludere aduersario hanc fugã. Ac primò statuit conclusionem in hoc tex. quod ens positũ a Parm. & Meliss. vnum, non potest esse accidens solum, sed necessario est substantia: Deinde in tex. seq. demonstrat, illud non posse esse substantiam solam. Ex quo apparet lucidissimè, tum ens necessariò non esse vnum, sed multa, tum argumentum, quod ipse de albo construxit, rectè vigere.

II. Conclusio est hæc. Necessè est illos, qui dicunt ens esse vnum, accipere quod ipsum ens non significet vnum solũ quomodocumq; καθ' οὗ ἂν κατηγορηθῇ, *de quo vtique prædicabitur*, de quo hoc nomen, ens potest vtcunque prædicari, sed necesse est, accipere *& quod verè est, & quod verè vnum est*. Tale autem est substantia, Idest, illi qui dicunt, ens esse vnum, non debent nomine vnius entis intelligere id omne, de quo istud nomen ens potest prædicari, & quod nos possemus quomodocunque nominare ens, sed debent intelligere illud, de quo verè, ac maximè dicitur, quod est ens, & de quo verè, ac maximè dicitur, quod sit vnum. Hoc autem est substantia, vt inferius explicabo. Dic clare, non possunt intelligere esse accidens, sed necessariò debent intelligere esse substantiam.

III. Probat, *accidens enim de subiecto quodam dicitur: quare cui accidit, quod est, non erit. alterum enim est ab eo &c.* diligentissimè singula considera. Primò accipit propositionem de se notissimam, quod accidens non subsistit per se, sed prædicatur de altero, nempe inest, atque inhæret alteri. Ex quo quidem statim conspicis, illud vnum Parmenidis ens, nullo pacto posse constitui esse accidens solum: siquidem aut illud per se subsisteret, aut saltem erunt duo entia, videl. ipsum accidens, & id cui inest.

IV. At Stagirites intimolus ita perstringit Parmenidem. Si tu nomine vnius entis intelligis accidens, accipio aliud tuum effatum, cum ais, id quod est præter ens, est non ens: & ita arguo. Id quod est præter ens, est non ens: Substantia est præter accidens: quare substantia erit non ens. ergo illud, cui accidens accidit, & cui inhæret, erit non ens. Omnia sunt clara: & hanc consequentiam intulit Philosoph. illis verbis, ὥστε ᾧ συμβέβηκε τὸ ὄν, οὐκ ἔσται. *quare illud, cui accidit, quod est, non erit*. ergo illud, videl. subiectum, & substantia, cui aduenit, atque inhæret ipsum ens, profectò erit non ens.

Et hoc probat. *alterum enim est ab eo, quod est*. quia substantia, & subiectum accidentis est aliquid alterum, ac diuersum ab eo, quod constitueres esse ens. Hoc autem est dictu absurdissimum, & impossibile. Quis enim vsqueadeo vecors fuerit, qui vel imaginatione concipiat, quod accidens sit ens, id autem, a quo sustentatur sit non ens? Hoc infert vir incomparabilis, cum ait, *erit itaque aliquid, quod non est*. sequitur, inquit, id quod non est, esse aliquid: ipsum non ens, esse ens. Nunc subsume. Sed hoc est absurdum, & impossibile, quare absurdum quoque, & impossibile est, vt qui dicunt ens esse vnum, intelligant vnum accidens.

V. Sequitur, *non itaque erit alij inexistens*. Hoc sibi vult. Si vno ente accepto pro accidente, sequitur impossibile, quod nunc inferebamus, ergo dicendum est, id quod verè est, siue ipsum ens, haud significare *alij inexistens*, videl. accidens, sed significare substantiam, quæ alteri neutiquam inexistit, quin potius est id, cui reliqua inexistunt. Deinde, cum ait, *non enim erit enti ipsi esse*. reculcat absurdum iam conclusum, quod si nomine vnius entis accipiatur vnum accidens, consequitur, vt substantiæ, quæ est verè, & præcipuè ens, non sit *esse*, siue sit non ens.

VI. At posset quispiam pro Parmenide adhuc dicere; quod ipse non ita vsurpat vnum ens, vt significet solum accidens, excluso subiecto, & substantia; quin potius vtrumque. Contra hoc vrget Arist. *nisi multa quod est, significet; sic vt sit aliquid vnumquodque. sed supponitur &c.* Ita collige. Aut vis, ens vnum significare vtrumque istorum, nempe, & accidens, & substantiam, aut vis, significare solum accidens. Hoc secundum

reiectum

reiectum est. Si autem dederis primum, iam ens non significabit vnum, sed multa. est enim & substantia, & accidens: quod est contra suppositionem Parmenidis asserentis omnia esse ens vnum.

TEXTVS XXVII.



I igitur quod verè est nulli accidit, sed illi aliquid, magis quod verè est significat quod est, quam quod non est. Si enim erit quod verè est idem, & album, albo autem esse non est quod verè est, (neque enim accidere ipsi possibile est, quod est; nihil enim quod est, est quod non verè sit) non ergo quod est, album est, non sic autem ut aliquid non sit, sed omninò non sit, erit: quod verè itaque est, non est; verum enim est dicere, quod verè est, quod album, hoc autem non quod est significabat: quare si & album significat quod verè est, multa ergo significat quod est.

I. Continuatio tex. est. Demonstrauit in tex. præced. hoc nomen ens, non posse, constituentibus omnia esse vnum ens, significare solum accidens: ideircò colligebat, necessario significare substantiam, Nunc ostendit, illud idem haud posse significare solam substantiam. Quo fit, vt significet vtrumque; atque adeò ens non esse vnum, sed multa.

II. Priora tex. verba vario modo leguntur: pleræq; latinæ versiones habent. *si igitur quod verè est, nulli accidit, sed illi aliquid*, hic interpungunt, *magis quod verè est significat quod est, quàm quod non est*. Græci autem codic. interpunctionem adijciunt ante dictionem, *aliquid*. sic, ἀλλ' ἐκείνῳ, *sed illi*, vt subaudiatur, accidit aliquid, vel accidunt alia. deinde sequitur, τί μᾶλλον τὸ ὅπερ ὂν σημαίνει τὸ ὄν, ἢ μὴ ὄν; quæ verba sunt interrogatio. *quid magis quod verè est significat quod est, quàm quod non est?* Hinc Argirop. transtulit, *si igitur id quod propriè est ens, non accidit cuiquam, sed aliquid illi aliud accidit, cur id quod est ens, propriè ens significat potius, quàm non ens?* Et Parisien. codex legit, *si igitur quod propriè atque essentialiter est ens, nulli accidit, sed ei aliud accidit, cur ens significat potius id quod propriè atq; essentialiter est ens, quàm non ens?* Equidem explico iuxta vtramque lectionem.

III. Et quidem iuxta priorem sic, Si quod verè est, non accidit alicui, sed illi accidit aliquid aliud dic. Si substantia nulli alij enti accidit, sed illi accidunt alia, necesse est, vt in hac Parmenidis propositione, Quicquid est præter ens, est non ens, vox ens, significet id quod verè est, siuè ipsum verè ens, non autem ipsum non ens, idest, significet substantiam, & non accidens. Quod quidem accidens, cum sit præter substantiam, quæ supponitur ens, necessario ad aures Parmenidis est non ens.

Hoc probat Arist. in tex. & ex hoc vlterius eruit contradictionem aduersus Parm. quod videl. hinc sequatur, vt id quod verè est ens, sit non ens. Pargit autem hoc pacto. Quod verè est, siue substantia, potest aliquando esse alba: Sed esse album non est idem ac esse verè ens, siue substantiam: ergo si substantia est ens, & quicquid est præter ens, est non ens, esse album, erit non ens. Hanc minorem indicat, cum ait, *si enim erit quod verè est idem & album*, Et probat, esse album, non esse idem ac substantiam; *quia albo esse, non est quod verè est*, Ratio, & definitio albi non est ipsa substantia. Primò, quia non est possibile accidere ipsi albo, siue albedini ens, ita vt dici queat, albedo est ens. Cur? οὐδὲν γὰρ ὄν, ὃ οὐχ ὅπερ ὄν. ineptè sunt translata, *nihil enim quod est, est quod non verè sit*. Verte, *nihil enim est ens, quod non est verè ens*: nempe, iam supposuimus, omne quod est præter ens, esse non ens: ergo nihil est ens, quod non est illud, quod verè, ac propriè est ens: album autem, siue albedo est præter verè ens. quare album est non ens: quam consequentiam colligit Auctor, dum ait, οὐκ ἄρα ὂν τὸ λευκόν. etiam hic malè versit latin. *non ergo quod est, est quod album est*. dic clarè. *non igitur album est ens*.

At duplicitèr potest quippiam esse, ac dici non ens. Vno modo respectiuè ad aliquod, veluti cum dico, homo est non cadauer; vel homo non est ens, quod est cadauer, album non est ens nigrum. Altero, absolutè, & simpliciter non ens. Accidentia, facta Parmenidis suppositione, essent absolutè non ens. Hanc distinctionem insinuat, cum ait. *Non sic autem, sicut cum aliquid non sit, sed omninò non sit*, IV.

Postea infert illationem principaliter intentam. τὸ ἄρα ὅπερ ὄν, οὐκ ὄν. *Quod igitur verè est, non est*. Vel clarius. *ipsum igitur verè ens, non est ens*. Si nomine entis intelligamus solum id, quod verè est, & solam substantiam, sequitur hæc contradictio, quod ipsa esset ens, & simul non esset ens. Quod esset ens, iam supponitur. Quod verò non esset, colligitur ex nuper dictis hoc pacto. Id, de quo prædicatur non ens, est etiam ipsum non ens, quia prædicatio exigit proportionem: Atqui de eo, quod verè est, & substantia, prædicatur non ens, cum dico, substantia est alba, siquidem album iam ostendimus esse non ens: quare etiam *ipsum verè ens, non est ens*. Vide probationem minoris. ἀληθὲς γὰρ εἰπεῖν, τὸ ὅτι λευκόν. putida est latin. versio. *Verum enim est dicere, quod verè est, quod album*. tolerabilior est antiq. translatio. *Verum enim est dicere, quoniam album est*. Tu dic. *Verum enim est dicere* τὸ, hanc propositionem. ὅτι λευκόν. *quod est album*. Verè, inquit, formamus hanc enunciationem, substantia est alba, in qua prædicamus id quod non est, de eo quod verè est.

V. Quod si dicas, Non modo id quod verè est,

sed

sed ipsum etiam album esse ens, Occurrit Auctor in fine tex. *quare si & album significat quod verè est, multa ergo significat quod est*. iam entia erunt saltim duo, & multa, non itaque vnum, vt Parm. opinatur. Hæc est prior expositio.

Si autem recipias secundam textus lectionem; vt sit interrogatio, *Quid magis quod verè est significat ipsum quod est, quàm quod non est?* vel *Cur potius verè ens significat ipsum ens, quàm non ens?* tunc hæc interrogatio respondet principali illi illationi, τὸ ἄρα ὅπερ ὄν, οὐκ ὄν. *ipsum igitur verè ens, non est ens*. de qua satis dixi.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 25. 26. & 27.

VI. IN tex. 25. ait, album duo significare, albedinem, & ipsum subiectum. *aliud enim inquit, erit esse albo, & suscipienti*. & rursus. *Sed esse alterum est albo, & ei cui inest*. In cap. autem de substantia asserit album *significare solam qualitatem*.

Respond. quod album, & quodcunque concretum accidentale, formaliter significat formam, connotat autem subiectum. Arist. in cap. de substantia cit. loquitur de albo formaliter accepto: in præsenti autem tex. sermonem habet de albo, qua concernit etiam, & connotat subiectum; quo pacto intercedit aliqua distinctio inter formam, & id, cui inhæret.

VII. Item, per illa verba toties in tex. 26. & 27. repetita, ὅπερ ὄν, *id quod est*. non intelligit Arist. illud quod Plato intellexit, tùm sæpe alibi, tum præcipuè in Parmen. per αὐτὸ ὄν, vt Simplic. opinatur. Nam Plato vtitur αὐτὸ ὄν cum de Ideis verba facit, hinc ideam pulchri appellat αὐτόκαλον, ideam hominis αὐτάνθρωπον, αὐτοτρίγωνον &c. Arist. autem per ὅπερ ὄν significat substantiam, quæ verè, & propriè est. Suppetit expressus locus in tertio de Anim. tex. 20. quo loci edisserens de anima intellectiua ait, quod cum ea fuerit a corpore segregata, ἐστὶ μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστί. *est solum hoc, quod verè est*, siue, *est solum hoc, quod quidem est*. de quibus verbis multa dixi in opere de Triplic. Stat. Anim. Disp. 5. sect. 6.

Ex illis verbis tex. 27. *quod verè est, nulli accidit*, eruitur celebre illud effatum, quod substantia nulli est accidens. Vel, quod est vni substantia, nequit alteri esse accidens.

TEXTVS XXVIII.



Eque igitur magnitudinem habet quod est, si quidem quod verè est, est quod est: vtrique enim partium aliud est esse. Quod autem diuiditur quod verè est in quod verè est, aliquid aliud etiam ratione, manifestum est, vt homo, si est quod verè est, aliquid necesse est, & animal, quod verè aliquid est, esse & bipes. Si enim non quod verè est, est, accidentia erunt: aut igitur homini, aut alicui alij subiecto: Sed impossibile est. Accidens etenim dicitur hoc, aut quod contingit esse, & non esse, aut cuius est in ratione hoc, cui accidit, vt sedere quidem velut separabile, in simo autem est ratio naris, cui dicimus accidere simum.

Alijs adhuc rationibus vrget. Parm. & ostendit, quod si illi ens significat solam substantiam, nullo pacto possit verificari illius conclusio, quod ens est vnum. Et quidem in prima part. tex. ponit primam rationem in secunda verò cum ait. *Quod autem diuiditur &c.* adijcit aliam rationem quam protrahit vsque ad prima verba tex. 30. demum post allatam rationem adhibet diuisionem accidentis. Porrò duas has rationes ita complicat, Accipit id, quod in tex. 21. declarauit, videl. vnum aliud quidem esse vnum continuum, siue vnum subiecto: aliud verò vnum ratione: Ac primùm quidem ostendit, quod accipiendo ens pro eo solo, quod verè est, siue pro sola substantia, illud haud possit statui vnum continuum; Deinde ostendit, non posse esse vnum ratione. I.

Prior ratio, quæ iacet in illis verbis. *Neque igitur magnitudinem habebit quod est*, siue, *ipsum ens*, εἴπερ ὅπερ ὂν τὸ ὄν, *si quidem quod verè est, est quod est*. videl. si ipsum ens est id, quod verè est, & sola substantia. Ita formatur. Quod est vnum continuum, debet habere magnitudinem: At si ens accipiatur pro eo solo, quod verè est, ac pro sola substantia, non habet magnitudinem: quare illud nequit esse vnum continuum. Prima propositio vel ex ipsa continui definitione liquet: continuum etenim, vt legere est in cap. de Quant. illud est, cuius partes copulantur ad vnum terminum communem: omne autem quod habet partes ita dispositas, magnitudinem habeat necessè est. Secunda autem propos. etiam est manifesta, quoniam si substantia intelligitur habere magnitudinem, iam non erit vna, sed multa. Cur? *quia vtrique partium aliud est esse*. idest, vna pars habet aliud, ac diuersum esse ab eo, quod habet alia pars, & vicissim. Nam sicut vna pars est alia, ac diuersa ab alia parte, ita profectò habebit etiam aliud, ac diuersum esse ab esse illius. II.

Hæc est Philosophi ratio, & non quam commi- III.

nisciur

nifcitur Auerr. Zab. & plerique alij, quod Arist. sic arguat. Parm. illud suum ens posuit esse finitum, ergo non est sola substantia, cum ei tribuat etiam quantitatem. quandoquidem finitum non nisi in quanto, vel ratione quanti est. Quæ expositio aliena est, tum quia hoc arg. fuit factum in tex. 17. Non consueuit autem Stagirites bis eandem apponere crambem. Tum quia nulla in hoc tex. finiti, vel infiniti mentio.

IV. Posterior ratio, qua probat, illud idem ens neutiquam posse constitui vnum ratione, ita struitur. Substantia secundum se accepta est ratione diuisibilis in multa, ergo ens captum pro sola substantia non est vnum ratione. Conseq. est conspicua: assumptum autem est in illis verbis. *Quod autem diuiditur quod verè est in quod verè est aliquid aliud, etiam ratione, manifestum est.* Quod verè est diuiditur in aliquid aliud itidem quod verè est. siue substantia diuiditur in aliquam aliam substantiam. Probat, accepta definitione hominis, quæ dicitur animal bipes, hoc pacto. Animal, & bipes, ex quibus conflatur hominis definitio, atque adeò ipse homo definitus, & in quæ resoluitur, aut sunt substantia, aut sunt accidentia. Non enim sunt nihil, alioquin ipse quoque homo ex ijs conflatus, esset nihil. At non sunt accidentia, erunt igitur substantia. Hanc conseq. ponit expressè, *si homo est quod verè est aliquid, necesse est & ipsum animal, & ipsum bipes esse id, quod verè est.*

V. Iam verò ea non esse accidentia, exinde suadet, quia si sunt accidentia, *aut sunt accidentia hominis, aut alicui alij subiecto.* Vtrumque *autem est impossibile.* Pro qua quidem minore, diuidit accidens, quod vnum quidem est, quod contingit esse, & non esse in subiecto, & trita voce appellatur accidens separabile, quemadmodum etiam vocatur hic ab Arist. cuiusmodi est albedo in pariete, *& vt Auctor loquitur, sedere quidem, velut separabile:* Aliud autem accidens est, quod per se inest subiecto, cuius est accidens, vt par, & impar in numero, & simum in naso, nam in definitione simi ponitur nasus, siquidem simum est curuitas nasi. Vno verbo est accidens proprium, quod prædicatur in secundo modo dicendi per se, & in cuius definitione ponitur subiectum, cuius est accidens, vt explicat idem Philos. in primo lib. Poster. cap. de ijs, quæ dicuntur per se.

TEXTVS XXIX.



Mplius quæcunque in definitiua ratione insunt, aut ex quibus sunt, in ratione horum non inest ratio totius. vt in bipede ratio hominis, aut in albo ratio albi hominis. Si igitur hæc hoc se habent modo, & homini accidit bipes, necesse est separabile esse ipsum. quare continget vtique non bipedem esse hominem, aut in ratione bipedis inerit hominis ratio. sed impossibile est, illud enim in illius ratione inest. Si autem alij accidunt bipes, & animal, & non est vtrumque quod verè est aliquid, & homo vtique erit accidentium alteri.

Tria facit in hoc tex. Primò proponit quandam doctrinam suo instituto deseruientem: Secundò ostendit, animal, & bipes, nullo pacto esse accidentia respectu hominis: Tertio probat, ea ipsa haud esse accidentia alicui alteri. I.

Ait itaque, sciendum esse, quod quandocunque aliqua sunt in definitiua ratione, idest, in definitione alicuius, tunc ratio, & definitio istius definiti non potest poni vicissim in definitione vllius illorum. V. G. animal ponitur in definitione hominis, nequit e conuerso ratio, ac definitio hominis collocari in definitione animalis. Ita in definitione eiusdem hominis inest bipes, non inerit e contra, (quæ sunt exempla Arist.) in *bipede ratio hominis, aut in albo ratio albi hominis.* Cuius quidem assertio ratio in promptu est, quia definitum habet locum, & conditionem totius: quæ verò conficiunt definitionem illius, habent locum, & conditionem partis. Si igitur in definitione alicuius istorum vicissim poneretur definitum, siue eius definitio, tunc idem esset totum, & pars respectu eiusdem. Quod implicat. Secundò, illa, quæ constituunt essentiam definiti, prædicantur de definito in primo modo dicendi per se: quæ autem prædicantur in primo modo dicendi per se, ea accipiuntur in definitione subiecti, non autem accipiunt in sui definitione ipsum subiectum, vt ostendit Arist. in primo Post. cap. 3, alioquin modi dicendi per se confunderentur, & primus subiret conditionem secundi.

Hoc ita constituto, ostendit, *Si igitur &c.* animal, & bipes nullo pacto esse accidentia respectu hominis. Si animal, & bipes sunt accidentia homini, aut sunt accidentia separabilia, aut sunt accidentia, quæ per se illi insunt, & ab eo censentur inseparabilia. Neutra possunt esse. ergo &c. Prior pars minoris prob. Accidentia communia, ac separabilia sunt, quibus sublatis, subiectum manet idem atque integrum, vt ex definitione eiusdem accidentis tradita a Porphyr. in cap. de Accidente II.

appa-

apparet. Si itaque animal, & bipes essent homini huiusmodi accidentia, profectò possent ab eo remoueri, manente homine integro, atque incolumi. Hoc autem repugnat. Quis enim dederit, hominem non bipedem, aut non animal? Posteriorem etiam partem eiusdem minoris probat, cum ait, *aut in ratione bipedis inerit ratio hominis: sed impossibile &c.* Accidentia propria, & inseparabilia sumunt in sui definitione subiectum, vt in tex. præced. dictum est. Sed bipes non potest sumere in sui definitione hominem: cur? quia bipes ponitur in definitione hominis: Quod autem ponitur in definitione vnius, non accipit in sui definitione illud, quemadmodum nunc in suppositione dicebamus, quare &c.

III. Postremò, *Si autem alij accidunt bipes, & animal*, probat, hæc eadem haud vnquam posse accidere alicui alteri, Et ratio est. Si animal, & bipes essent accidentia alicui alteri, & non essent substantis, sequitur, etiam hominem esse accidens alicui alteri, videl. illi ipsi, cui illa fuissent accidentia. Hanc consequentiam infert illis verbis, *& homo vtique erit accidentium alteri*. Quid ita? quia definitum nihil est aliud, quàm partes definientes. Si igitur partes istæ sunt accidentia alicui, totum etiam definitum est accidens illi ipsi. Impossibile autem est, hominem esse accidens alicui, quia homo est substantia: Substantia verò, vt in tex. 27. audiuimus, nulli est accidens: quod repetit etiam in principio tex. seq. quare impossibile quoque est, vt animal, & bipes sint accidentia, sed erunt verè entia, & substantiæ. Si igitur homo per definitionem diuiditur in ista, euidens est, quod substantia diuiditur in alias substantias, quæ erat conclusio intenta: ac proinde ens pro substantia acceptum, non est vnum ratione: pergit.

TEXTVS XXX.



Ed quod verè aliquid est, sit accidens nulli, & de quo ambo, & vtrumque, & quod est ex his dicatur. Ex indiuisibilibus itaque est omne. Quidam autem rationibus vtrisque acquieuerunt: huic quidem quod omnia vnum sunt, si quod est, vnum significat, quod id est etiam quod non est. ei autem, quod ex diuisione, indiuiduas facientes magnitudines.

Etiam in hoc tex. tria facit. Ponit falsitatem minoris propositionis argumenti iam facti, & illam explicat. Probat, ens non esse vnum, vt indiuisibile. Et refert, quomodo aliqui alij Philosophi dederint manus vtrisque rationibus.

I. Erat argumentatio. Si animal, & bipes essent accidentia alicui alteri subiecto, præter hominem, ergo etiam homo esset accidens illi eidem subiecto. Hoc repugnat: ergo &c. Nunc in primis verbis adijcit probationem huius repugnantiæ, ἀλλὰ τὸ ὅπερ ὄν τι, ἔστω μηδενὶ συμβεβηκός. *sed quod verè est aliquid, esto nulli accidens*. Sic forma. Homo est id quod verè est, & substantia: At sit nobis certum, atque conspicuum quod id quod verè est, ac substantia, nulli est accidens: quare indubitatum etiam erit, hominem nulli vnquam esse accidens. Deinde explicat, quidnam sit homo, & omninò quidnam id, quod verè est, ac substantia, cum ait. *& de quo ambo, & vtrumque, & quod ex his dicatur.* Structura verborum est. Sed id, quod verè est, ac substantia, dicatur nobis esse id, de quo ambo, videl. ambo componentia simul, & coniunctim prædicantur; & de quo vtrumque eorumdem seorsim prædicatur. (sic dicimus, homo est animal bipes: & homo est animal: tum est bipes.) & omninò id quod verè est, dicatur esse illud, quod ex his componentibus definitionis partibus est constitutum.

Subdit, *Ex indiuisibilibus itaque est omne*. Quorum verborum, ommissis varijs aliorum Doctorum interpretationibus, seu, potius extorsionibus, duas adhibeo. Vna est, vt per ἀδιαίρετα *indiuisibilia* Arist. significet substantiam. Hæc quippè secundum se est indiuisibilis, quemadmodum a nobis quoque retro patefactum est, quocirca sensus erit. Omne, seu ipsum ens, constat ex substantijs. Et tunc præfata verba sunt conclusio rationis nuper confectæ, quod animal, & bipes non sunt accidentia, neque homini, neque cuiquam alij, quia res constant ex substantijs. Quod si etiam vis per ἀδιαίρετα *indiuisibilia*, intelligere ἀχώριστα inseparabilia, vt interpretati sunt Themist. Alex. & Simplic. nihil pugno: sensus erit idem, quia per inseparabilia intelligit eandem substantiam, quæ sic nuncupatur, ad differentiam accidentium, quæ dicuntur ab eo, cui insunt, separabilia. II

Altera expositio, quæ mihi videtur intimior, est, quod Philosoph. proposuit in tex. 16. reprobare Parmenidem iuxta tres significationes huius vocis, vnum, videl. ens non esse vnum, vt continuum, non vnum ratione, non denique vnum indiuisibile. Huculque patefecit, minimè esse vnum, vt continuum, neque vnum ratione: superest ostendendum, illud idem non esse vnum, vt indiuisibile, quod monstrauit quidem in tex. 18. nunc autem paucissimis his verbis commonstrat, seu colligit. Quasi itaque ita progreditur. Si omne, siue ens, pro substantia acceptum, non est vnum, ceu continuum, neque vnum ratione, relinquitur, vt si est vnum, sit vnum vt indiuisibile: Atqui hoc est impossibile: quare vsquequaq; impossibile censendum est, ens esse vnum. Conseq. est euidens a sufficienti, vnius, diuisione. Minor verò vel ex eo liquet, quia si ens constaret ex indiuisibilibus, cuncta entia, atque omnis omninò rerum vniuersitas essent indiuisibilia, quippè quod ex indiuisibilibus est, id quoque indiuisibile sit necessè est. Quis autem vsqueadeo vecors fuerit, qui vel imaginatione III

con-

concipiat omnia, quæ in natura sunt, atque adeò mundum ipsum vniuersum esse indiuisibilem? & propterea dicta Philosophi verba lego cum interrogatione. Et scito hoc argum. dirigi ab Stagirite præcipuè contra Zenonem, & eius rationem, quam mox audies, qui quidem prodigialiter tutatus est, ens esse vnum indiuisibile.

IV. Hic finem imponit Arist. confutationi existimantium, ens esse vnum, & solutioni rationum eorundem: quæ nihilominus vt conspicatius præfulgeant, atque omnis erraudi occasio euitetur, subdit in vlt. part. huius tex. & in tex. seq. quomodo alij Philosophi se gesserint erga rationes Parmenidis, & Zenonis, dum eas ipsas deflectere nisi sunt. Et ait, *Quidam autem vtrisque rationibus acquieuerunt*, græcè, ἐνέδοσαν, inius dederunt, cesserunt, seu succubuerunt: tentarunt nimirum illas diluere, at non rectè diluerunt; tum quia in solutionibus concesserunt aliqua, quæ neutiquam erant concedenda: tum quia, dum illis obuiam ire conarentur, in alia longè fœdiora inconuenientia contrusi sunt. Quocirca tantum abest, vt illas diluerint, vt potius illis ipsis momentum, ac robur videantur addidisse. De hac re omninò adeundus est libellus de lineis insecabilibus, vbi inter alia hæc habes. *Verùm absurdum est, fortaße quempiam pre ignauia succumbere, propterea quod non audeat oblatas argumentationes dissoluere, atque sic imbecillitatem suam fouendo, grauioribus insuper fallacijs se decipere*, & quæ ibi sequuntur.

Dices: Qui vnquam fuerunt ij Philosophi? Tum, quænam erant rationes (nam Arist. vnius duntaxat rationis Parmenidis hucusque videtur meminisse) quibus illi occurrere tentarunt, & in ijs depellendis succubuere? Demũ, quæ erant solutiones ab ijs datæ?

V. Philosophi proculdubio fuere Plato, & eius discipulus Xenocrates. Ille in Sophista animum admouit ad rationem Parmenidis de vnitate entis eneruandam: rationem verò Zenonis hic idem prosequutus est in Dialog. cui nomen Parmenid. Postea Xenocrates ex instituto eandem Zenonis rationem dissoluere conatus est. Rationes fuerunt duæ: Vna Parmenidis, abundè iam tum explicata a nobis, tum ab Arist. confutata, quam etiam exprimit Philosophus hoc loco: cum enim dixisset, defecerunt vtrisque rationibus, subdit, *huic quidem*, hæc est prima ratio, *quod omnia vnum sunt, si quod est vnum significat*. Parmenides ex eo concludebat, ens esse vnum, quia ens significat vnum: ac proinde quicquid est præter illud ens, esset nihil. Altera ratio fuit Zenonis, ipsiusmet Parmen. Discipuli, quam etiam Arist. in tex. tangit, (tangit, inquam, quòd ea tempestate esset peritia) illis verbis. *ei autem, quæ ex diuisione*. sensus est, succubuerunt etiam illi rationi, quæ quidem ex partitione entis in eam deducit necessitatem, quod ens sit vnum. Tutatus fuit Zeno, vt nuper quoque indicaui, ens esse vnum indiuisibile, quia si illud esset diuisibile, esset vnum simul, ac multa, quæ illi videbantur esse membra contradictoria. Id verò esse indiuisibile, ea ratione firmabat, quia si ens diuideretur, aut transiret in nihilum; aut diuideretur in infinitum; aut diuideretur in certas aliquas, ac determinatas partes. Duo priora membra cohærere non queunt: Si autem diuidatur in partes determinatas, seu decem aut viginti, iam illæ erunt multa; proindeque ens esset vnum simul, & multa.

Plato meditatus est soluere rationem Parmenidis & eius solutio ponitur hic ab Arist. ὅτι ἐστὶ καὶ τὸ μὴ ὄν. *quòd est etiam id, quod non est*: siue, *quia est etiam ipsum non ens*. Pro cuius rei intelligentia scito, quod Plato in diluenda Parmenidis ratione admittit hoc assumptum, ens significat vnum: ex quo Parmen. deducebat suam assertionem, ens est vnum. Quæ quidẽ sanctio, supposita veritate illius assumpti, (ens significat vnum,) æquipollet huic propositioni, omnia quæ sunt, sunt vnum; siquidem ens significat omne id, quod est: si itaque ens est vnum, profectò omnia quæ sunt, erunt vnum. VI.

Plato concessit, ens significare vnum, & consequenter admisit etiam, ens esse vnum: deinde negabat illam conseq. ergo omnia, quæ sunt, sunt vnum. Rationem negationis afferebat, quia verum quidem est, quod ens est vnum: attamen præter illud ens, datur etiam non ens, quod & ipsum quoque est. Per non ens autem Plato intelligebat materiam primam, quæ quidem haud est ens, sed infra ens. Quin verò sunt qui volunt, Platonem per non ens, intellexisse etiam Deum ipsum, qui non est appellandus ens, sed supra ens. Hanc solutionem indicat Stagirites, dum inquit, *quia est etiam ipsum non ens*. propterea scil. aiebat Plato, non sunt omnia vnum. Deinde subdit, quod Plato malè soluit: cum enim concesserit, ens significare vnum, nequit eò recurrere, quod in ambitu vniuersi entis contineatur etiam ipsum non ens, quòd secundum ipsum est aliquid, sed debebat negare illud assumptum, quod ens significat vnum. Hoc sibi vult Stagirites, cum ait, illi rationi succubuisse, quod omnia vnum sunt, *si quod est, vnum significat*. VII.

Annectit in calce tex. *indiuiduas facientes magnitudines*, Rationi Zenonis succubuit Xenocrates, qui dixit, diuisionem entis non transire in nihilum, neque abire in infinitum, sed terminari ad lineas indiuisibiles. Hoc autem quod ipse concessit, est maximum absurdum, vt abundè in lib. cit. de lineis insecabil. demonstratur. Id verò propterea fassus est Xenocrates, quia nesciuit, quod magnitudo est diuisibilis in infinitum potentia, non autem actu. VIII.

TEXTVS XXXI.



Anifestum autem est, quod non verum est, quod si vnum significat quod est, & non possibile est simul contradictionem esse, nihil erit quod non est. Nihil enim probibet non simpliciter esse, sed non ens aliquid esse, quod non est. Dicere quoque nisi præter ipsum quod est, aliquid erit aliud, vnum omnia fore, absurdum est: quis enim addiscit ipsum quod est, nisi quod verè est aliquid esse? si autem hoc, nihil sic probibet multa quod est esse, sicut dictum est. Quod igitur sic vnum esse quod est, impossibile sit, manifestum est.

I. Duas præcipuas partes præsenti textui tribuo: & vtramque dupliciter expono. Primò, quod in vtraque detegat Arist. alia duo Platonis errata circa eandem rationem Parmenidis. Primum est, quod Plato inducendo illud suum non ens, sed infra ens, tantum abest, quod illam Parmenidis rationem eneruarit, vt potius illi assensus sit. Nam Parm. constituit, ens significare vnum, nimirum verè ens, & quicquid est præter ipsum, asseruit esse non ens, ne incideret in contradictionem. Si enim quod est præter ens, esset ens, iam esset vnum ens, & multa simul: atque adeò vnum, & non vnum; quæ est contradictio. At posita responsione Platonis, (inquit Arist.) quod non ens sit aliquid, manet integra conclusio Parmenidis, quod ens est vnũ, & nulla erit contradictio, quod sit vnum, & multa. Hoc autem non est Parmenidi contradicere, & eius rationem labefactare, sed est illi assentiri. Vnde manifestum (inquit Arist.) est, quod licèt demus, ens significare vnum, & ponamus, non esse possibilem simul contradictionem, non sequitur, non ens esse nihil. Et addit rationem, quia non ens, aut dicitur simpliciter, quod nullam penitus habet entitatem, aut non ens aliquid, vt homo est non ens lignum: & hoc non ens haud est nihil.

II. Secundò errat Plato, dum colligit, quod nisi constituamus præter verè ens, esse aliud non ens, quod tamen sit aliquid, quemadmodum ille constituit, vt Parmenidis rationem deflecteret, sequatur, omnia esse vnum: Hoc, inquit Philosophus, dicere, est absurdum. Id expressit illis notis. *Dicere quoque, nisi præter ipsum quod est, aliquid erit aliud, vnum omnia fore, absurdum est.* Et cur sit absurdum, probat. *Quis enim addiscit ipsum quod est, nisi quod verè est aliquid esse.* Quis vnquam audiens dici, ipsum ens esse aliquid, siue intelligit ipsum ens esse aliquid, nisi intelligat id esse verè ens? Addit, *ἐιδ' τοῦτο, ὀυδὲ οὕτω κωλύει πολλὰ τὰ ὄντα εἶναι.* Malè in latin. codic. & propterea non video a quonam interpretum hæc verba sint ritè intellecta. Tu sic verte. *Si autem hoc, neque sic probibet, entia esse multa.* Sensus est. Si autem ponamus hoc, quod Plato dicit, videl. *præter ipsum quod est, est aliquid*, neque hoc pacto quicquam prohibet, quominus entia fiat multa. Siquidem iam erit id, quod verè est, & id quod præter ipsum, est aliquid.

Secundo expono hæc eadem verba. *Si autem hoc.* III.
nempe, si ita est, quod qui addiscit, & intelligit ens esse aliquid, addiscit, & intelligit ipsum vere ens, non propterea sequitur, entia non esse multa, sed adhuc sunt multa. Cuius dicti ratio habetur ex ijs, quæ in tex. 29. discussa sunt, quia illud vere ens potest diuidi in multitudẽ verè entia, vt homo diuiditur in animal, & bipes. Hæc est tex. expositio.

Secundò explico tex. quod Arist. non amplius agat cum Platone, sed immediatè cum ipso Parm. & ostendit adhuc duas illius propositiones, seu illationes esse falsas. Vna erat illa minor, Sed non ens est nihil. Hæc, ait Stagirites, absolutè prolata, est falsa, quia licet Parmenidi demus, ens significare vnum, & concedamus lubenter contradictionem simul non esse, nihilominus falsa est hæc propositio absolutè, non ens est nihil. Hoc probat, *nihil enim probibet non simpliciter esse, sed non ens aliquid esse, quod non est.* Non ens, aut est tale simpliciter, & hoc vtique est nihil: aut est non ens aliquid, vt homo est non ens equus: & hoc non est nihil. ergo illa Parmenidis propositio, non ens est nihil, absolutè est falsa. Quandoquidem propositio, quæ in vno sensu est vera, in alio autem est falsa, simpliciter prolata falsa est.

In secunda tex. part. *Dicere quoque &c.* ostendit aliam eiusdem Parmenidis illationem esse falsam, quæ erat, ens est vnum, & hoc est verè ens. ergo omnia, quæ sunt, sunt vnum. Ait Philosoph. hanc esse falsam. Non enim sequitur, id quod est, est verè ens, & concedamus hoc, quia nemo addiscit aliquid esse ens, nisi intelligat ipsum verè ens, ex hoc, inquam, non sequitur, omnia esse vnum, quia nihil prohibet, quominus illud diuidatur in multa, quemadmodum retrò exposuimus. Sic itaque Stagirites & rationem integram Parmenidis, & singillatim eius propositiones, & illationes euertit. IV.

Postremò, facit dictorum epilogum, *quod igitur* V.
sic vnum esse, quod est, impossibile sit, manifestum est. Meritò dicit, *sic esse vnum*, quemadmodum videl. Parm. & Meliss. opinati sunt, quia est alius modus constituendi ens esse vnum, quem quidem modum habuerunt preter Philosophi, de quo inferius erit dicendum.

TEX.

CAPVT IV.

Opiniones Veterum Philosophorum, qui de principijs rerum natura constantium naturaliter loquebantur, & vnius earum examen.

TEXTVS XXXII.



T autem Physici dicunt, duo modi sunt. Hi enim vnum facientes, quod est corpus subiectum, aut trium aliquid, aut aliud, quod est igne quidem densius, aere verò subtilius, alia generant densitate, & raritate; hac sunt contraria. Vniuersaliter autem excessus, & defectus, sicut magnum dicit Plato, & paruum, nisi quod hic quidem hac facit materiam, vnum autem formam. Alij verò vnum quidem subiectum materiam, contraria autem differentias, & formas. Quidam autem ex vno inexistentes contrarietates segregant; quemadmodum Anaximander dicit. Et quicunque etiam vnum, & multa dicunt esse, quæ sunt, sicut Empedocles, & Anaxagoras, ex commixtione namque, & hi segregant alia: differunt autem ab inuicem eò quod ille circulationem facit horum, hic autem semel: & hic quidem infinita, & similes partes habentia, & contraria, ille verò vocata elementa.

I. Vniuersum Veterum philosophantium de principijs agmen in duas potissimùm classes distributum est. Quidam vnum duntaxat, idque immobile rerum omnium principium inuexere, qui cum motum omnem, atque adeò naturam ipsam, quæ quidem est causa motus, de medio sustulissent, non naturales, optima ratione, appellati sunt. Alij verò eiusmodi initia rerum statuerunt, quæ motum asseruarent: Hi postea subdiuisi sunt, prout alij vnum principium inducebant, sed mobile, alij plura, siue postea finita, siue infinita. Examinauit hucusque Eximius præceptor anteriorum opinionem, & prostrata, vt vidimus, oratione neruosè euertit. Aggreditur nunc posteriorum placita expendere, quos quidem vel in ipso disputationis limine appellat *Physicos*, seu *naturales*, ad differentiam illorum, qui de rebus naturalibus non physicè agitabant sermonem, *& de natura non naturales dubitationes dicebant*, vt ipsemet Stagirites loquitur in tex. 12. Atque hæc est continuatio, & vniuersalis introductio huius partis.

Peculiariter autem præsens tex. ita cum præcedenti nectitur. Aiebat Auctor in calce tex. proximè antegressi, manifestum esse, quod est impossibile, *sic vnum esse ipsum ens*, siue principium, quemadmodum Melissus, & Parmenides opinati fuere sequitur, *vt autem Physici dicunt, &c.* id est, vtrum autem eodam pacto impossibile sit, constituere vnum principium, vt ponunt Physici, deinceps consideremus.

II. Vt verò suam hanc intentionem aperuit, illico varios subnectit modos, quibus prisci illi Philosophi naturaliter loquentes, vnum principium inuexerunt, ex quo res omnes generarentur, & ait, fuisse duos modos. Antequam verò referat primum, monet, quod qui pro principio strauerunt vnum corpus subiectum, ij inter se in eo discriminati sunt, quod alij posuerunt illud esse vnũ aliquod ex tribus elementis, aut aquam, aut aerem, aut ignem, (hæc intelligit, cum ait *trium aliquod*, quippe terram solam nemo, præter quosdam Theologos illius æui, pro eiusmodi principio induxit, vt ea primo Metaphys. cap. 4. alio loco obseruauimus) alij verò posuerunt quoddam diuersum ab elementis; quod porrò esset medium inter ignem, & aerem, atque igne quidem densius, aere autem subtilius.

III. Primus itaque modus est, quod ea illo vno principio alterato per raritatem, & densitatem omnia tum ab initio genita sint, tum etiam nunc generentur. V. G. constituentes aquam, aiebant, eam rarefactam fieri aerem, adhuc magis rarefactam effici ignem, condensatam autem eusdere terram; ita deinde mutata variam raritatem, ac densitatem procreati varia, ac diuersa corpora, quæcunque in hac rerum extant vniuersitate. Et quia rarum, & densum sunt contraria, sequitur, vt præfati Philosophi, res generarent ex vno subiecto principio, & interuentu duorum contrariorum, ad quorum imitationem decernit Arist., res fieri ex materia, & forma, ac priuatione. Verùm quia non omnes illi Veteres in ea versati sunt opinione, quod res per raritatem, & densitatem generarentur, ob id oculatissimè Auctor explicat vlterius, quod vniuersaliter omnes Philosophi posuerunt contraria, quæ reducuntur ad excessum, & defectum. Adhibet exemplum. Plato non dixit, res generari raritate, & densitate, sed loco earum imaginatus est Magnum, & Paruum, quæ vtique contraria sunt; Et magnum obtinet rationem excessus, & respondet in sent. Arist. formæ: paruum autem sortitur rationem defectus, & respondet priuationi.

IV. Subdit deinde discrimen, quod inter antiquos illos circa raritatẽ, ac densitatem, & Platonem circa magnum, & paruum erat, *nisi quod hic quidem hæc facit materiam, vnum autem formam, alij autem &c.* Scio, inquit, adesse differentiam in cõstituendis contrarijs, & vno, inter priscos Philosophos, & Platonẽ, quòd hic contrarietatem statuit ex parte materiæ, quã

Digitized by Google

magnum, & paruum appellat, vnum autem statuit esse formam: illi verò ex opposito faciunt; nam subiectum principium supponunt vnum, *contrarie verò differentias, & formas*, secundum quas materia alteratur, vt ex ea alio atque alio modo affecta, & alterata, aliæ atque aliæ res procreentur, vt in exemplo aquæ a nobis inducto animaduertere licet. Verum hæc diuersitas nil officit, satis etenim in præsens est, quod hi omnes ex vno, & duobus contrarijs generarent res. Hæc de primo modo.

V. *Quidam autem ex vno inexistentes contrarietates &c.* Apponit secundum, quem alij Physici, vnum itidem principium constituentes, vsurpauerunt. Pro cuius intelligentia scire oportet; quod Veterum Physicorum, vnum principium constituentium, hi quidem sternebant illud homogeneum, ac vniforme, cuiusmodi sunt aer, aqua, ignis: hi verò indocebant illud esse heterogeneum, ac difforme, videl. quandam naturam, & massam ab elementis diuersam, in qua quidem actu insiderent innomeræ contrarietates confusæ, atque permixtæ. Talis erat Anaxagoræ miscella; talis Empedoclis sphærum. Priores aiebant, res generari ex vno illo principio, raritate, & densitate, qui fuit primus modus iam recensitus. Posteriores autem aliam subiere viam. Dixerunt quippè, res gigni per segregationem, & extractionem ex illa massa, in qua actu ipsa quoque contraria, & omninò omnia continebantur. Atque hic est secundus generationis modus, quem Arist. determinatè hoc loco tribuit Anaximandro.

VI. Ad quem quidem modum reuocat etiam opinionem Empedoclis, & Anaxagoræ, cum ait, *Et quicunque etiam vnum, & multa dicunt esse &c.* quos nihilominus in eo ab Anaximandro discriminat, quod hic vnum tantum principium materiale constituit: isti verò partim vnum, partim multa. Etsi enim Anaximander illud suum principium poneret heterogeneum, ac difforme, proindeque ex alijs conflatum ac mixtum, omne enim heterogeneum ex homogeneis constat, nihilominus illa, ex quibus id conflabat, non appellabat principia, vnde relinquebatur, quod principium, ad illius aures, esset tantum vnum.

Empedocles autem, & Anaxagoras alia, atque alia ratione principia fecerunt tum vnum, tum multa. Empedocles posuit res omnes, dominante Amicitia, in vno sphæro confusas: quo fit, vt sphærus ille, cum esset ceu materia, ex qua & mundus hic vniuersus, & omnia, quæ in eo existunt, erant procreanda, ille proculdubio censebatur vnum principium materiale rerum. Rursus, dominante Lite, & genito mundo, aiebat, quatuor elementa esse principia materialia rerum omnium, & ipsiusmet sphæri, denuo post aliqua determinata sæcula generandi. En ergo principia partim vnum, partim multa. Eodem pacto Anaxagoras constituit Chaos, in quo essent omnia simul, idest infinita entia consimilium partium. Chaos itaque, seu massa illa existimabatur vnum principium: infinita autem illa similaria erant multa. Conueniunt itaque isti cum Anaximandro, quod quemadmodum ille asseuerabat, res generari ex illo vno principio per segregationem, & congregationem, ita & isti.

Demum, *differunt autem &c.* ne quid intactum transiliat, subijcit duplex discrimen inter Empedoclem, & Anaxagoram. Primò differunt ab inuicem quod ille statuit, infinities fuisse factum, tum mundum, tum sphærum, & infinities etiam fore, & hanc esse quandam rerum circulationem de qua re multa in octauo lib. huius operis cap. 1. Hic autem dixit, mundum hunc semel tantum fuisse factum ex illo Chao, nec vnquam postea esse periturum. Secundò differunt, quoniam Anaxag. posuit infinita principia materialia latitantia in illo Chao, & similaria, & contraria: Empedocl. verò quattuor elementa sola. VII.

Adnotationes & difficultates circa tex. 32.

QVæres primò, cur Stagirites inter Philosophos naturaliter loquentes, non meminit etiam Democriti, & Leucippi? Quandoquidem isti etiam loquebantur naturaliter, cum admitterent motum. VIII.

Respondeo. Philosophus hoc loco agit cum ijs Physicis, qui vnum principium inuexerunt, aut vnum, & multa simul, quemadmodum iam exposuimus. Democritus autem, & Leucippus non vnum, sed infinitas atomos pro principijs induxere, ex quarum concursu, & coitione fierent res. Quod si hi quoq; infinita hæc corpuscula insecabilia constituerũt in vacuo, quemadmodũ Anaxagoras infinita sua similaria in Chao, vnde posset aliquis opinari, quod Democritus quoque, & Leucippus aliquo pacto posuerint etiam vnum principium, nihilominus non ita est, & suppetit duplex discrimen. Primum, Anaxag. posuit in Chao vnam rerum omnium confusarum miscellam: Democritus autem nullam huiusmodi mixturam admisit, sed atomos statuit actu ab inuicem seiunctas. Deinde Chaos Anaxagoræ erat quippiam positiuum: inane verò Democriti haud erat huiusmodi.

Quæres 2. Si Veteres, de quibus in præsentia est sermo constituerunt pro principio materiali vnum subiectum, cur Aristoteles eos sugillat, cum ipse etiã supponat pro eodem principio materiali vnam rerum omnium materiam, quæ in tex. 82. dicitur *primum subiectum*? Deinde, si illi pro gignendis rebus posuerunt vnum subiectum, & rarum & densum, vt contraria, iam hoc dogma nullatenus videtur ab Stagirite dissidere: quomodo ergo ab ijs dissentit? IX.

Solutio primi est in tex. *Hi enim vnum facientes*, (græcè *ποιήσαντες*, cum fecerint) *quod est corpus subiectum* Nota *corpus*. ex qua particula apparet differentia inter antiquos, & Aristotelem. Illi ponebant

Digitized by Google

nebant vnum principium subiectum, quod esset corpus. Hic autem ponit vnam duntaxat materiam, quæ suapte natura non est corpus, sed mera, ac syncera potentia substantialis.

Ad alterum; Veteres Physici, dum pro rerum generatione constituerent vnum subiectum, & rarum, ac densum veluti contraria, viderunt qualitercumque, & quasi per quandam tenuis imaginationis vmbracula quò esset nitendum. At in vtroq; defecerunt. In subiecto quidem, quod supposuerunt ens actu: in contrarijs autem, quia rarum, & densum sunt accidentia, quæ nequeunt statui principia mutationis substantialis; quem quidem defectum suppleuit Arist. dum & subiectum strauit nudam materiam, & contraria patefecit formam substantialem, & priuationem.

X. Quæres 3. Cur Plato materiam appellauit magnum, & paruum? vt in hoc tex. refert Arist. & repetit tex. 80. & sic ab eo vocatur in Timæo.

Varia extant Platonicorum interpretamenta. Primò, magnum, quidem appellat propter magnam, ac infinitam eius capacitatem suscipiendi infinitas formas successiuè: paruum autem propter priuationem, quam ille a materia haudquaquam secreuit, vt dicitur in tex. 79.

Secundò, vocat magnum, quia potest esse quodcunque ens: vocat paruum, quia actu nullum est ens, sed infra ens, quemadmodum ad tex. 30. enucleauimus.

Tertiò, quia materia suapte natura est indefinita, ac indeterminata, vt ipsamet Plato exponit in Philebo: magnum autem, & paruum videntur tale quippiam indeterminatum significare.

Quartò, appellat magnum, quia materia est origo, ac radix cuiuscumque dimensionis, ac magnitudinis: appellat paruum, quia actu est quauis quantitate, ac magnitudine exuta.

Quintò, vt indicaret, materiam esse locum, & sedem contrariorum, nam magnum & paruum censentur contraria.

Sextò, vt circumscriberet terminos oppositos transmutationum.

Septimò denique, id fecit, vt imitaretur Pythagoram, qui cum naturas, & conditiones rerum efferret per numeros, materiam nuncupauit binarium, & parem. Binarium quidem, quia quemadmodum binarius est initium multitudinis, sic materia est principium, & radix multitudinis rerum: Parem autem, quia vt impar est causa consimilis figuræ numerorum, ita par est dissimilis. Quæ quidem proportio apprimè competit conditioni materiæ.

XI. Plato itaque in hoc etiam voluit Pythagoram imitari vt in multis alijs re ipsa secutus, & imitatus est, quemadmodum dicimus ex primo Metaphys. cap. 6. ex quo quidem loco hæc habe. *Talia entium ideas appellauit, id est Plato, sensibilia verò præter hæc, & secundum hæc, omnia dici. Secundum participationem namque hæc multa vniuocorum esse speciebus æquiuoca, participationem verò secundum nomen solum mutauit. Pythagorici etenim imitatione numerorum, aiunt, entia esse: Plato verò nomen mutando, participatione: participationem verò, aut imitationem specierum, quænam sit, communiter quærere omiserunt. Item præter sensibilia, & species Mathematicas res ait medias esse, a sensibilibus quidem differentes, eò quod perpetua, & immobiles sunt, a speciebus verò eò quod, illa quidem multa quædam similes sunt, species verò ipsa vnaquæque sola. Et quoniam species causæ cæteris, illarum elementa, omnium putauit etiam elementa esse: & vt materiam quidem magnum, & paruum esse principia, tanquam verò substans an ipsum vnum.* &c.

Verùm quoniam in Platonis magnum, & paruum incidimus, quæ ad eius aures generationi deseruiunt, lubeat audire ea, quæ hic ipsa in Philebo existimat conspirare in generatione rerum. Ea, inquit, sunt quinque. Indefinitum, seu indeterminatum, Terminus, Vnum, Commiscens, & Essentia. Indefinitum ait materia intimè cum priuatione iuncta: Terminus est imitatio ideæ, idest forma: Vnum ait compositum, quod in Timæo nuncupatur proles: Commiscens, siue Vniens est efficiens: Essentia denique est idea siue ipsa essentia rei compositæ. Nec te quicquam turbet, quòd Plato inter hæc quinque vnum tribuat composito: in tex. autem, in quo versamur, vnum aptetur formæ. Nam diuerso respectu forma, commodè tum terminus, tum vnum, potest nuncupari siquidem quod terminat, tribuit etiam vnitatem: compositum autem dicitur vnum, vt effectus. At et diuagati sumus: reuertamur ad Aristotelem est ergo. XII.

TEXTVS XXXIII.



Idetur autem Anaxagoras sic infinita opinari, quoniam putabat communem opinionem Physicorum esse veram, quod nihil fit ex eo, quod non est. Propter hoc enim sic dicunt, erant simul omnia: & fieri huiusmodi statuerunt alterari. Alij autem congregationem, & segregationem.

Recensitis in tex. præced. varijs Veterum Physicorum placitis, nunc prætermissis alijs, vnum Anaxagoræ assumit euertendum: Cur autem id solum euertat, mox audies. Et quia vir Philosophus vnam veritatis inuestigationem præ oculis habet: *& illi, qui veritatem indicaturi sunt, debent arbitri esse, non aduersarij*, vt idem Philosophus loquitur in primo de cælo tex. 101. idcircò referi in hoc & sequ. tex. fundamenta, quibus Anaxagoras in suam illam opinionem inductus est, vt sanum deinde atq; integrum suffragium de eo valeamus ferre. I.

Digitized by Google

II. Ait itaque, Anaxagoram in eam sententiam descendisse, quoniam censuit, veram esse communem Physicorum opininnem, quod ex nihilo nihil fit. Quasi sic ratiocinaretur. Si commune hoc effatum veritati est consentaneum, quod ex eo quod non est, siue ex nihilo nihil fit, necessè est, quicquid fit, id aliquo pacto præexistere, antequam fiat: alioquin fieret ex nihilo: quaraquæcunque genita sunt, & generantur, ea præerant aliquo modo antequam generarentur. Gemino autem modo, potest aliquid præexistere: Vel in ea ipsa distincta, atque perfecta ratione, in qua degit postea, cum generatum est: Vel sub aliqua alia ratione confusa, ac indistincta. Dici nequit, quod res præexistat sub illa ipsa ratione distincta, ac perfecta, sub qua existit postea in se ipsa, cum genita est; Hoc enim pacto illa iam esset, antequàm fieret. quare præexistit sub aliqua alia ratione confusa, & indistincta. Id porrò commodius neque fieri, neque explicari potest, quàm si ponamus præexistere infinitas partes similares omnium rerum simul in Chao confusas. Sic ergò ἦν ὁμοῦ τὰ πάντα *erant simul omnia* (sunt verba Anaxagoræ;) postea accedens intellectus, idest Deus, ea segregauit, & fabrefecit tum mundum, tum quæ in eo existunt.

III. Addit Arist. in 2. part. tex. *& fieri huiusmodi statuerunt alterari: alij autem congregationem, & segregationem.* Quæ verba, sunt qui referunt ad duos illos generationis modos, de quibus in tex. præcedenti: quod qui ex vno simplici principio, raritate, & densitate generarent res, ij *fieri huiusmodi statuerunt alterari.* qui verò ex vno heterogeneo, ac mixto principio, aut ex multis, ij generarent res *per congregationem, & segregationem.* Quæ quidem expositio haud est ad mentem Auctoris. Non solum quod hoc modo confunderet seriem scriptionis, sed quia illa verba καὶ τὸ γίνεσθαι τοιόνδε καθέστηκεν ἀλλοιοῦσθαι, sunt Anaxagoræ, vt clarissimè indicat, καὶ τὸ, & illud. Vnde sic verte. *& illud, fieri huiusmodi, est alterari.* quæ etiam repetit Stagirites in primo de Ort. & Interit. tex. 1. quo loci eundem Anaxag. carpit, quòd ignorarit propriam generationis vocem. *Sed tamen Anaxagoras propriam vocem ignorauit. dicit enim quod fieri, & destrui,* ταυτὸ καθέστηκε τῷ ἀλλοιοῦσθαι. *idem constitit, siue est, ipsi alterari.*

IV. Quocirca illa verba, *& fieri huiusmodi &c.* omnia refero ad Anaxag. & sensus eorum est, quod cum hic asseuerarer, res gigni per extractionem, separationemque ex Chao, nihilominus volens explicare dictum generationis modum, nuncupauit alterationem, cum potius deberet appellare, congregationem, & segregationem, quemadmodum fecerunt alij. Quocirca latenter reprehendit Anaxagoram.

At tu scito, quòd ἀλλοιοῦσθαι, quod in præsenti tex. & in primo de Gener. & Corrupt. cit. vertitur *alterari*, potest melius verti, *variari*, vt etiam habet codex Paris. qui legit. *Erant simul omnia, & fieri tale est variari.* Quâ ratione penitus, ni fallor, insinuat Anaxagoræ mentem. Quasi diceret: Res non fiunt ex nihilo, sed præerant, & quæ erant vno modo, deinde variantur: & hoc est hanc, aut illam rem generari.

Illa denique verba *congregatio, & segregatio,* V.
primò possunt referri ad solam rerum generationem, quod cum generatur aliquid, tunc corpuscula similaria segregantur ex illa infinita massa existente in Chao, atque inter se congregantur, tanta videl. copia, quanta pro ea ipsa procreanda opus est, atque hunc in modum conficiunt os, carnem, hominem, lignum, reliqua. Secundò, quod congregatio referatur ad generationem rerum, segregatio autem ad earundem corruptionem.

TEXTVS XXXIV.



Mplius autem, ex eo quod fiunt ex alterutris contraria, inerant ergo. Si enim omne, quod fit, necessè est fieri aut ex ijs, quæ sunt, aut ex ijs, quæ non sunt: Horum autem id quod est, ex ijs, quæ non sunt, fieri impossibile est, (de hoc enim conueniunt opiniones omnes, qui de Natura) reliquum iam contingere ex necessitate putauerunt, ex ijs quidem quæ sunt, & insunt, fieri: sed propter paruitatem magnitudinum ex insensibilibus nobis. vnde dicunt, omne in omni misceri, propterea quod omne ex omni videbant fieri: apparare autem differentia, & appellari altera ab inuicem ex eo quod maximè superabundat propter multitudinem in mixtura infinitorum. Syncerè enim totum album, aut nigrum, aut dulce, aut carnem, aut os, non esse, sed cuius plurimum vnumquodque habet, hoc videri esse naturam rei.

Tria in præs. tex. conuoluit. Refert secundum Anaxagoræ fundamentum: insinuatque duas responsiones, quibus ille arbitrabatur eludere difficultates, quę illa tempestate ei obijci consueuerant. I.
Alterum, inquit argum. depromsit Anax. *ex eo quod contraria fiunt ex alterutris: inerant ergo.* Sic extendo. Videmus, aiebat ille, contraria ex se vicissim gigni, album ex nigro, ignem ex aqua, & e contra. Hæc aut fiunt ex ijs, quæ non sunt, aut ex ijs, quæ aliquid sunt. Primum affirmari nequit, quia stat contra commune omnium effatum, quicunque de Natura edisseruit, quod ex eo quod non est, siue ex nihilo nihil fit. Secundum autem, quod videl. fiant ex ijs, quæ aliquid sunt, gemino modo capi potest. Vno quidem, vt ipsa natura, & essentia nigri conuertatur in album, & natura, & essentia aquæ transeat in ignem, & hoc etiam est impossibile, cum vna natura contraria minimè fiat

altera

altera contraria, relinquitur ergo necessarium, vt si fiant ex ijs, quæ sunt, fiant ex portiunculis suis, quæ quidem in suis contrarijs inerant, quia ipsa contraria insunt in suis contrarijs. Et eadem ratione, cum quæcunque res ex quacunque alia re fieri queat, sequitur vt quæcunque res sit in quacunque re, & sic *dicunt omne in omni misceri*.

II. At iam duplici difficultate vrgebatur Anaxag. Vna est, falsum esse, quod *omne sit in omni*. Si enim est, cur non videmus in nigro particulas albi, in aqua particulas ignis, in carne, aut osse particulas aquæ, ferri, plumbi? Enimuerò si vera philosophandi ratio hauritur ex sensu, crassa fatuitas est, id asserere, cui reclamat sensus. Adijcit Arist. ex parte Anaxagoræ huius diffic. solutionem, *sed p. opter paruitatem magnitudinum ex insensibilibus nobis*. Reuera, inquit Anax. insunt; verùm ob sui paruitatem fugiunt sensum: & sensus illas postea deprehendit, cum iam fuerint coacatæ, & in vnum redactæ: videt quippè aquam aut carnem.

III. Altera difficultas est. Si in nigro supponunt particulæ albi, & in aqua ignis, & omninò omne in omni commixtum insidet, vnde igitur est rerum differentia? & cur nos hoc potius aquam, quàm ignem, aut carnem appellitamus?

Occurrit Anax. cuius etiam solutionem apponit in tex. Arist. *apparere autem differentia, & appellari altera ab inuicem, ex eo quod maximè superabundat propter multitudinem in mixtura infinitorum. syncerum enim &c.* Differentia, inquit, rerum accipitur ex eo, quod in vna quaque re superabundat: Et nos appellamus hoc aquam, non autem ignem, aut carnem, & non lignum, quia in eo longè plurimæ supponunt partes aquæ, quàm aliarum rerum, quamquam illæ etiam omnes hic latitent. Quocirca concludit Anax. quod syncerè totum album, aut totum & purum nigrum, aut tota & pura aqua non datur, sed sensus iudicat esse id, secundum quod natura huius, vel illius rei excedit. Hinc habes integram Anaxagoræ opinionem, tum eius fundamenta: nec non eius ipsius responsiones.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 33. & 34.

IV. VOcant in dubium omnes expositores, quid causæ est, quod Arist. ex tot Veterum Physicorum sententijs indicatis in tex. 32. vnam duntaxat Anaxagoræ expendendam assumat? Immò verò ex tot opinionibus Veterum in tex. 6. recensitis, cur duas solummodo, videl. vnam Parmenidis, & Melissi de vno ente immobili. Alteram Anaxagoræ considerat, reliquas verò transilit sine vllo verbo? Non ne cæteri quoque errarunt? & corrigendi sunt, ne nos in eorumdem errata delaberemur?

Respond. Aristoteles summo iudicio & refert Veterũ opiniones, & eas confutat. Confutat autem non ex ordine, & sede omnes, & vbius, sic enim eius labor eo consilio præcipuè videretur susceptus vt confutaret alios; quod ab Stagirite procul abest: sed conuellit eas, quæ vel magis repugnant ijs, quæ eo loco ex veritate dicenda sunt; vel quia possunt plus adiumenti afferre ad veritatem enucleandam; vel quia sunt celebriores, & a plurimis, ac magnis viris profectæ, & nihilominus sunt falsæ; vel quia innituntur alicui principio, cui etiam Arist. ipse innititur, vel quia ex confutatione earum manent etiam aliæ reiectæ, vel denique quia alias reprobat loco commodiori.

Sic in præsens conuellit opinionem Anaxagoræ relictis alijs, Primùm, quòd ea tempestate celebrabatur a quamplurimis, Deinde quia Anaxagoras ipse erat eximiæ, ac petraræ celebritatis: Post, quia fuit ab eo constituta ex ijsdem principijs, quibus ipse quoque Arist. in constituenda materia prima vsurus est: vt enim Anaxagoras induxit mixturam illam in Chao, ne quippiam fieret ex nihilo, ita propter hoc ipsum erit statuenda materia. Adhæc, quia illa Anaxagoræ confusio habet magnam similitudinem cum materia prima: similitudo autem est mater deceptionis. Ad extremum, quia ea illius confutatione apparet etiam opinio Democriti, Leucippi, & Epicuri, quantum ad præsens attinet reprobata. Nam reiecta infinitate in similaribus Anaxag. reijcitur etiam infinitas ato. orũ Democ. V.

Dices. Ob has ipsas causas debuit Arist. potius confutare expressè opinionem Democriti, quàm Anax. quando illius constitutio erat longè celebrior: & *Democritus videtur vtique proprijs, ac naturalibus rationibus persuaderi*, inquit, Philosoph. in primo de ort. & inter. tex. 8. Et in tex. 5. *omnino, præter ea, quæ superficietenus, de nullo aliquis instituit, præter Democritum. Hic autem videtur quidem de omnibus curasse*. VI.

Responsio est, Non poterat hoc loco sententia Democriti plenè euerti. Primò, quoniam ille inuexit quidem pro principijs infinitas atomos, at inuexit etiam vacuum, quemadmodum refert Arist. in tex. 41. & in primo Metaphys. cap. 4. Vacuum autem reprobare non erat huius loci, sed confutatur in lib. 4. Item intrusit magnitudines indiuisibiles, quarum reiectio habetur in lib. sexto, quo loci ostenditur, omne continuum esse diuisibile in semper diuisibilia: & ex professo confutantur eædẽ magnitudines indiuiduæ in primo de ort. & inter tex. 8. & 9. Hæ fuerunt in causa, cur summi iudicij vir Arist. supersedit in præsens confutationem Democriti.

Quod autem spectat ad Parmenidem, & Melissum, omninò necessè erat, eos hic conuinci, tum quia prima Philosophiæ Naturalis fundamenta, atque adeò Naturam ipsam funditus euertebant, tum etiam, quia Parmenidis opinio magni illis temporibus ducebatur, vt vel ex vno Platone videre licet in Dialog. cui nomen Parmenid. Aliæ autem opiniones, & ex confutatione istarum, & ea ipsa Veritatis declaratione, quæ a tex. 42. & deinceps futura est, conspiciuntur inanes, & etiam infra,

pro

pro vt opus fuerit, detegentur falsæ.

VII. Scito 2. quod Anaxagoras constituit duo principia. Vnum materiale, alterum efficiens, idest intellectum, qui mouit secreuitque omnia, vt refert Arist. cum alibi sæpe, tum præcipuè in primo Metaphys. cap. 3. At quia hic agitatur sermo de principiis internis rerum: huiusmodi autem non est efficiens, propterea nunc solum recenset opinionem eius de principio materiali, quod, quemadmodum indicaui, erant infinita corpuscula similium partium in Chao confusa, atque commixta, veluti infinitæ aquæ, infinita ligna, infinitæ carnes, infinita ossa, nerui, &c. Quam quidem mixturam Anaxagoras appellauit ὁμοιομέρειαν, quasi dicas, similiparitiam. Et quià in quacunque re inerat etiam, quæcunque alia res, vt in expositione tex. vidimus, ideò vocauit etiam πανσπερμίαν, quæ pollet omniseminatio, quòd videl. omne esset seminatum in omni. Verùm vt huius viri speculatio conspicatius innotescat, audi Lucretium, qui lib. primo de rebus naturalibus eam his omninò carminibus effert.

Nunc & Anaxagoræ scrutemur ὁμοιομέρειαν
Quam Græci memorant; nec nostra dicere lingua
Concedit nobis patrii sermonis egestas:
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis.
Principio rerum quam dicit ὁμοιομέρειαν
Ossa videlicet e pauxillis, atque minutis
Ossibus, & sic de pauxillis, atque minutis
Visceribus viscus gigni, sanguemque creari
Sanguinis inter se multis coeuntibus guttis,
Ex aurique putat micis consistere posse
Aurum, & de terris terram concrescere paruis,
Sic ignem inter se paruis coeuntibus nasci
Ignibus, exiguis humorem humoribus esse.
Cætera consimili fingit ratione, putatque.

Et paucis interiectis.

Id quod Anaxagoras sibi sumit, vt omnibus omnes
Res putet immixtas rebus latitare; sed illud
Apparere vnum, cuius sint plurima mixta,
Et magis in promptu, primaque in fronte locata.

TEXTVS XXXV.



I igitur infinitum, secundum quòd infinitum, ignotum est, secundum multitudinem quidem, aut magnitudinem infinitum ignotum quantum quoddam est: secundum formam quoq; infinitum ignotum quale quoddam est, principiis autem existentibus infinitis secundum multitudinem, & secundum speciem, impossibile est ea, quæ sunt ex his, cognoscere: sic enim cognoscere compositum arbitramur, cum cognoscimus ex quibus, & quot sit.

Accingitur iam Philosoph. explicatam Anaxagoræ opinionem reprobare. Et quoniam illa duobus assertionibus continebatur, quarum altera erat, quod principia rerum sunt infinita corpora similes partes habentia: Altera, quod omne est in omni; Arist. vtramque euertit: primò autem euertit primam in hoc, & seq. tex. Eruit autem rationes, quod scil. principia non sint infinita, ex duplici fonte: In hoc quidem tex. ex rerum cognitione: in seq. autem ex earundem constitutione. I.

In præsen. tex. duo facit. Accipit duas suppositiones: Et conficit demonstrationem. Prima suppositio iacet in prima part. tex. quod infinitum, quomodocunq; sit infinitum, siue secundum multitudinem, siue secundum magnitudinem, siue secundum formam, ac speciem, semper quatenus infinitum, est ignotum. II.

In qua nota 1. tres species infiniti: quarum vna est secundum multitudinem, vt si esset numerus actu infinitus. Altera est secundum magnitudinem, veluti si sit corpus, aut linea actu infinita, & vtrumque hoc infinitum appellat Arist. ignotum *quantum quod*, quia exploratum est, tum multitudinem, tum magnitudinem esse quantitates. Tertia species est *ἄπειρον κατὰ εἶδος infinitum secundum speciem*, siue secundum *formam*. Per infinitum autem secundum speciem plerique omnes intelligunt infinitum numerum specierum. Hinc, aiunt, hunc tertium infiniti modum includere primum, quia etiam hoc infinitum secundum speciem est infinitum secundum multitudinem, sed non secundum solam multitudinem, eorum videl. quæ solo numero inter se differunt, sed secundum multitudinem, & speciem simul, quia hoc infinitum habet naturas infinitas, quæ quidem non habet infinitum prius. III.

Cui expositioni non acquiesco, tum quia diuisio esset vitiosa. Membra etenim probæ diuisionis debent esse opposita, aut diuersa. Tum etiam quia vtrumque hoc infinitum re vera est secundum numerum. Quod autem sit eorum, quæ solo numero, aut specie ab inuicem discriminentur, id est omnino per accidens respectu infiniti: & tenet se solum ex parte materiæ, non autem infinitudinis. Quare infinitum secundum speciem, siue formam, intelligo infinitum, quod dicitur infinitum intensiuè, vt si dicam virtutem, aut calorem infinitum intensiuè, quo etiam intellectu quærimus vtrum Deus, ad mores Arist. sit vigoris infiniti intensiuè, & vtrum possit dari forma, aut qualitas infinita secundum gradus, & intensiuè. Et propterea Auctor hoc infinitum secundum speciem appellat ignotum *quale quoddam*.

IV. Nota 2. propositionem reduplicatiuam *infinitum, secundum quod infinitum, est ignotum*, quia infinitum materialiter, & vt aiunt, in actu signato, cognoscitur, vnde etiam definitur, aut describitur. Sic etiam infinitum in potentia cognoscitur; quà autem infinitum, cognosci nequit, vt suo loco latius dicemus.

Secun-

Digitized by Google

V. Secunda suppositio iacet in calce tex. Non cognoscitur compositum, nisi cum cognoscuntur ea, ex quibus est, & quot ea sunt. Cuius asserti ratio ea est, quia, vt dicitur in tex. 1. *tunc arbitramur cognoscere vnumquodque, cum cognouerimus causas primas, & principia prima, & vsque ad elementa.*

VI. Ex his ita Stagiritæ demonstratio struitur. Si principia rerum naturalium essent infinita, nulla res naturalis principiata, & composita posset sciri: Consequens est falsum, & contra eundem Anaxag. tum quia ipse etiam fatebatur, dari scientiam rerum ex cognitione suorū principiorū: tum quia alias intellectus, & desideriū sciendi essent in nobis frustra. Consecutio autem est, euidens ex suppositionibus. Nam ignoratis principijs, ex quibus res naturales constituuntur, quæ, & quot sint, necesse est res ipsas ignorari, iuxta secundam suppositionem: At si principia essent infinita, necessariò ignorarentur, iuxta primam suppos. quare si principia essent infinita, nulla res naturalis posset cognosci, ac sciri. Quod quidem argum. militat etiam contra Democr. Leucipp. & Epic. cum eadem vi euertat etiam infinitatem atomorum, vt optimè animaduertit etiam Auerr. & S. Thom. quamuis secus videatur opinari Simplic. ex Alex.

TEXTVS XXXVI.

Amplius autem, si necesse est, cuius partem contingit quantulamcunque esse secundum magnitudinem, & paruitatem, & ipsum contingere (dico autem talium aliquam partium, in quam cum insit, diuiditur totum) si autem impossibile est, animal, aut plantam quantulamcumque esse secundum magnitudinem, & paruitatem, manifestum est, quod neque partium quamlibet: erit enim & totum similiter. Caro autem, & os, & huiusmodi partes sunt animalis, & fructus plantarum. manifestum est igitur, quod impossibile est, carnem, aut os, aut aliquid aliud quantumcunque esse magnitudine, aut in maius, aut in minus.

I. Annectit aduersus eundem Anaxag. secundam rationem. Pro qua scito, quod illa similaria corpora infinita in Chao posita ab Anaxag. nullum habebant terminum suæ magnitudinis, & paruitatis. Non habebant terminum magnitudinis; quia ibi erant V. G. carnes infinitæ: infinitum autem caret termino. Non habebant etiam terminum suæ paucitatis, quia si in quauis portione carnis insunt aliæ res commixtæ, omne enim erat in omni: si a dicta carne aliquæ aliæ res separentur, illa caro fiet minor, ac minor.

Tunc ita Arist. argumentatur. Illud, cuius partes componentes sunt, vel possunt esse cuiuslibet magnitudinis, & paruitatis, necesse est & ipsum esse, vel posse esse cuiuslibet magnitudinis, & paruitatis. Sed partes componentes V. G. animal, sunt caro, os, neruus &c. quæ cum careant termino, possunt esse cuiuslibet magnitudinis, & paruitatis, quare & ipsum totum Animal poterit esse cuiuslibet magnitudinis, aut paruitatis. Et sic poterit effici V. G. homo, aut leo, vt mons maximus, vel etiam vt tota terra, quinimo magnitudine infinitum: & similiter poterit etiam effici homo, & leo paruus, vt musca, aut culex. Et ita erit de alijs rebus dicendum. Atqui hæc sunt absurda, & impossibilia, quia *impossibile est, animal, aut plantam, quantamcunque esse secundum magnitudinem, & paruitatem.* Et res naturales sortiuntur certam, sibique debitam magnitudinem, & paruitatem, a natura constitutam, quam præterire haud possunt. Certam autem ac definitam intelligo, quæ tamen latitudinem habeat, non quæ in indiuisibili posita sit.

Primam propositionem declarat Philosoph. II.
dico autem talium aliquam &c. distinguendo partes, quod quædam sunt, quæ essentialiter totum constituunt, vt materia prima, & forma: & totum non potest in eas ita diuidi, vt illæ separatæ queant existere. Aliæ autem sunt integrantes, in quas si totum secernitur, adhuc illæ per se seiunctæ existunt, veluti si homo diuidatur in carnes, ossa, cartilagines, idque genus alia, hæc quæ prius toti inexistebant, seiuncta per se adhuc existunt. Sermo contra Anaxag. non est de partibus primi generis, sed secundi: sic enim ille ponebat partes constituentes res naturales.

Perpende in eadem propositione modum lo- III.
quendi Philosophi. Non enim ait, illud, cuius partes possunt quamcunque magnitudinem, & paruitatem subire, necessariò & ipsum esse cuiusuis magnitudinis, aut paruitatis; sed ait, οὗ τὸ μόριον ἐνδέχεται, *id cuius particula potest.* (nam ἐνδέχεται hoc loco non significat contingentiam, sed possibilitatem) καὶ αὐτὸ ἐνδέχεσθαι, *& ipsum posse.* Sic autem loquitur, vt occurrat tacitæ cuidam obiectioni. Posset Anaxagoras dicere, quod licèt partes sint ex se indeterminatæ magnitudinis, ac paruitatis, nihilominus determinentur ab intellectu mouente, vt tanta, nec maior illarum copia concurrat ad constituendum V. G. hominem, tanta ad constituendam muscam, iuxta illarum exigentiam: vnde non sequitur, si partes sunt cuiuslibet magnitudinis, ergo & totum. Inquit Arist.

Esto quod de facto non sit: & hoc proueniat ab intellectu. Hoc autem erit ab extrinseco, & per accidens: per se igitur & ab intrinseco homo potuit esse cuiuscumque magnitudinis. propterea Philosoph. eo modo loquendi vsus est, ἐνδέχεται &c.

TEXTVS XXXVII.



Amplius, si omnia insunt quidem huiusmodi inuicem, & non fiunt, sed segregantur cum insint, dicuntur autem a pluri, sit autē ex quolibet quodlibet, vt ex carne aqua, segregata, & caro ex aqua; omne autem corpus finitum consumitur a corpore finito, manifestum est, & quod non contingit in vnoquoque vnumquodque esse. Remota enim ex aqua carne, & iterum, alia facta ex reliqua segregatione, quamuis semper minor erit segregata, attamen non excedit magnitudinem aliquam paruitate. Quare, si quidem stabit segregatio, non omne in omni inerit. in reliqua enim aqua non fuerit caro. Si verò non stabit, sed habebit semper remotionem, infinita magnitudine æqualia finita inerunt, infinita secundum multitudinem: Hoc autem impossibile est.

I. Reiecta in duobus præced. text. prima Anaxagoræ assertione, reijcit in hoc, & seq. tex. secundam, quæ erat, quod nihil in rerum natura reperiatur syncerum, sed omne est in omni. Et in hoc tex. tria facit. Primò, repetit positionem Anaxagoræ. Secundò, accipit quandam suppositionem. Tertiò, colligit demonstrationem.

Ait itaque εἰ ἅπαντα μὲν ἐνυπάρχει τὰ τοιαῦτα ἐν ἀλλήλοις, *si omnia quidem talia insunt inuicem, &c.* Tria Anaxagoræ dicta recenset. Primum est, quod omnia entia naturalia inexistunt inuicem, id est omnia sunt in omnibus. Secundum, quod entia naturalia non fiunt, sed segregantur, cum prius inuicem inessent: atque adeò cum censentur generari, solum apparent. Tertium, quod ea dicuntur talia, aut talia, ab eo, quod in ijs plus est.

II. Deinde, accipit suppositionem, quod omne corpus finitum absumitur, semper auferendo ab eo partes finitas. siue omne finitum per ablationem finiti tandem finitur. Quod quidem dictum haud intelligitur Mathematicè, sic enim esset falsum, cum per assiduam partis finitæ ablationem ab aliquo continuo, factam per Mathematicam abstractionem illud continuum non finiatur, cum sit diuisibile in semper diuisibilia: sed intelligitur physicè, ac sensatè; quo pacto conspicuum est, omne finitum per oblationem partis, & partis tandem finiri. Quam quidem distinctionem, vt indicaret Auctor, oculatè adiunxit, corpus, inquiens, *omne corpus finitum &c.* Et hoc ipsum præsens quoque disputatio exigit, quia huiusmodi erant corpora similaria Anaxagoræ.

Tunc ita argumentatur. Videmus ex aqua fieri carnem. *fit enim ex quolibet quodlibet.* Age iam accipiamus aquam finitam, V. G. pugillarem: atque ex ea segregetur caro: Fac, incipiat intellectus ille, qui ab Anaxagora ponitur mouisse, segregare carnem ab aqua: cum illa aqua sit finita, caro etiam in ea comprehensa est finita, ergo per oblationem partis, & partis carnis segregatæ, tandem vniuersa caro, quæ supponebatur esse in aqua, finitur. siquidem, vt in suppositione acceptum est, omne corpus finitum, &c relinquitur itaque tunc aqua syncera sine vlla omninò carne: ergo a veritate longè abest, omne esse in omni, neque quicquam reperiri syncerum. Et quod de carne, & aqua dixi, id idem repete de quacunque alia re. III.

Diceret Anaxagoras, quod ex aqua primò extrahuntur partes carnis maiores, postea minores, ita vt caro posterius extracta ex illa aqua, semper sit minor carne prius extracta: & sic semper extrahetur minor, ac minor. IV.

At hoc refugium, inquit Arist. inane est, ibi *Remota enim ex aqua &c.* Fac ex illa aqua educatur deinceps minor ac minor caro, et certè peruenietur tandem aliquando ad eductionem minimæ partis carnis, qua non sit alia minor in illa aqua. Hoc sibi vult per illa verba, *quamuis semper minor sit segregata, attamen non excedit magnitudinem aliquam paruitate.* id est, dabitur tamen aliqua portio carnis ita minima, quæ paruitate non superabitur ab alia portione. Præter quam quod Arist. posset hoc refugium ex suppositione iam accepta illicò labefactare, quod illæ portiones, quantumuis minimæ, sunt finitæ, ergo finientur.

Atq; vt omnis euadendi rimula Anaxagoræ intercludatur, sic eum vrget, cum ait, *Quare si quidem stabit segregatio, &c.* Tu Anaxag. dicis hanc aquam haud esse synceram, quia in ea est aliquid carnis. Equidem sic arguo. Incipiat intellectus segregare carnem ab hac finita aqua: peto, terminabitur ne aliquando illa segregatio carnis ex aqua, an nunquam? Si dederis prius, iam apertissimè sequitur, quod in aqua remanente non sit amplius caro, cum intellectus illam totam, & ex toto segregauerit. ac proinde aqua illa relicta est syncera sine vlla vnquam carnis mixtura. Si verò dixeris posterius, quod videl. illa segregatio nunquam terminabitur, sed extractis ex aqua quibuscunque carnis portionibus, adhuc relinquuntur in ea aliæ, atq; aliæ in infi- V.

nitum

Digitized by Google

nitum extrahendæ, sequitur, inquit Arist. hoc impossibila, quod in magnitudine finita aquæ sint partes carnis infinitæ secundum multitudinem. Hoc autem repugnat, quia tunc id, quod est infinitum, posset contineri intra finitum: atque adeò id quod est de se interminatum posset terminari: vnde idem secundum idem esset terminatum, & interminatum. Quod si hæc dictu sunt absurda, fateare necesse est, segregationem illam debere aliquando terminari, ac stare, atque adeò aqua erit syncera, nec omne in omni.

VI. Verba illa, quæ in latin. codic. sic leguntur, *si verò non stabit, sed habebit semper remotionem, infinita magnitudine æqualia finita inerunt, infinita secundum multitudinem*, torserunt interpretes omnes; Hinc mira nescio quæ comminiscuntur, præsertim circa illam particulam *æqualia*, vt videre licet apud Simplic. Philopon. Auerr. S. Thom. & Vicomer. Porrò vides, ea sic accepta re ipsa esse confusa: sed scito, quod primum est error in voce *infinita* magnitudine. lege, in finita magnitudine. græcè est, ἐν πεπερασμένῳ μεγέθει.

Deinde, malè interpungitur ibi, *æqualia finita inerunt*, vt fit etiam in aliquo codic. græc. Tu post *æqualia finita*, siste: deinde, *inerunt infinita secundum multitudinem*. Et sensus erit clarus. Si nunquam segregatio terminabitur, nec vnquam stabit, sed semper futura est remotio carnis ex aqua in infinitum, tunc finita entia, quæ sunt æqualia in magnitudine finita, videl. in aqua finita, & sunt illi æqualia, nam illa sunt contenta in ea aqua: contenta autem sunt æqualia continenti. veluti locus est æqualis locato: finita, inquam, illa entia inerunt infinita secundum multitudinem. Vno verbo, finita erunt infinita. *Hoc autem impossibile est*, vt Philosoph. subiungit.

TEXTVS XXXVIII.



D hæc autem, si omne quidem corpus, remoto quodam, minus necesse est fieri: carnis autem determinata est quantitas & magnitudine, & paruitate, manifestum est, quod ex minima carne nullum segregabitur corpus: erit enim minor minima. Amplius autem in infinitis corporibus inesset vtique iam caro infinita, & sanguis, & cerebrum, separata tamen ab inuicem: nihil autem minus entia, & infinitum vnumquodque: Hoc autem irrationabile est.

I. Duplici adhuc telo in hoc tex. petit illam ipsam Anaxagoræ assertionem, quod omne sit in omni, & nihil sit in natura syncerum. Primum est huiusmodi. Cernimus quodcunque corpus, a quo remouetur aliquid, necessariò diminui. Sumamus itaque vnum aliquod corpus similare, ex ijs quæ ponit Anax finitum, ceu carnem pugillarem, cuius *quantitas sit determinata & magnitudine, & paruitate*: atque ex ea incipiamus segregare aliqua alia, V.G. aquam, aut ignem; dum semper remouemus ex illa carne aliquam partem, omninò diminuetur: ac proinde necessariò redigetur ad partem minimam. Tunc peto: in illa parte minima, inestne adhuc aliquid aquæ, aliarum ve rerum, an non? Si non inest, iam illa erit syncera caro. Si autem inest, tunc si illud quoque ab eadem segregabitur, iam dabitur caro minor minima. Hoc autem repugnat, cum minimo nihil sit minus.

Amplius autem, in infinitis corporibus &c. est secunda ratio, quæ hoc pacto struitur. Si omne est in omni, & nihil in rebus est merum, ac syncerum, sequitur, quod aliquid esset infinities infinitum: & quod magis est; sequitur, vt illa entia etiam ab inuicem separata, adhuc nihilominus essent infinita. Quod euidenter contradictionem inuoluit: quia quando vnum est separatum ab alio, iam habet terminum suæ separationis, ac proinde est finitum. Consequutio autem quo ad primam partem prob. quia Anaxag. ponebat infinitas numero partes similares, & in vnaquaque illarum constituebat alias itidem infinitas, si omne est in omni: quare in carne V.G. erat infinitus sanguis, infinitum cerebrum, infinita aqua, & ita de reliquis. Quod si vnum infinitum continet alia, iam vnumquodque infinitum erit multiplicabile, atque adeò infinities infinitum. II.

III. Quod autem illa eadem entia etiam separata essent infinita, indicatur illis verbis. κεχωρισμένα μέντοι ἀπ' ἀλλήλων, οὐδὲν δὲ ἧττον ὄντα, καὶ ἄπειρον ἕκαστον. Aliæ electiones latin prauæ sunt: Antiqua traslatio accessit quoquo pacto, quæ sic habet. *Separata tamen ab inuicem, nihil autem minus entia sunt, quæ sunt, & infinitum vnumquodque*. Commodius sic. *Separata profectò ab inuicem, non minus sunt entia. & infinitum vnumquodque*. Fac separetur ab aqua tota caro hæc erit infinita: totus sanguis, hic itidem infinitus, &c.

Digitized by Google

TEXTVS XXXIX.



Vnquam autem segregatum iri, non scienter quidem dicitur, rectè autem dicitur. Passiones enim inseparabiles sunt: si igitur mixti sunt colores, & habitus, si segregentur, erit aliquid album, vel sanum, non aliquid alterum existens, neque de subiecto. Quare inconueniens est, impossibilia quærens intellectus, si velit quidem segregare, hoc autem facere sit impossibile, & secundum quantum, & secundum quale. secundum quantum quidem, quia non est minima magnitudo: secundum quale autem, quia inseparabiles sunt passiones.

I. Confutauit hucusq; Arist. positionẽ Anax. quantum ad duas illas assertiones, quod principia essent infinita, & quod omne esset in omni: pergit nunc confutare modum, quo illa ipsa positio ab Anaxag. constituebatur. Iccircò initio huius tex. refert quoddam Anaxagoræ dictum, ex quo innotescit modus positionis illius. Deinde, illud exagitat. Dictum erat hoc. *Nunquam segregatum iri*. idest, segregatio partium similarium in Chao existentium, nunquam complebitur; neque vnquam habitura est finem. De hac enim segregatione intelligit Arist. quæ initio mundi, ad aures Anaxagoræ, a primo intellectu facta est; quamuis possit etiam intelligi de segregatione a rebus iam factis, prout Anaxag. opinabatur, omnia esse in omnibus.

II. Circa hoc dictum Arist. duo facit. Primùm ait, illud verè quidem dici, sed tamen insipienter & inconsideratè dici. Deinde, illud impugnat. Ait itaque, *rectè dici* ab Anaxagora, quod secretio totalis nunquam absoluetur. Quid ita? quia Anaxag. in illa sua massa vult esse commixtos, atque confusos etiam colores, & habitus, tum omnes passiones, & omnes qualitates, vno verbo, omnia accidentia, quæ Arist. hic vocat *passiones*. Qua quidem positione strata, cohærenter asserit, haud posse fieri omnem omnium secretionem. Cur? *quia passiones inseparabiles sunt*. Accidentia, ab ijs, quibus inhærent, separari non queunt; iccircò, si poneremus aliquod accidens posse separari, iam daretur illud solum, absque eo, cui insit, veluti *erit aliquod album, vel sanum*, οὐχ ἕτερόν τι ὄν. *& non erit, aliquid aliud*, vel, *cum non sit aliquod aliud*, & *neque de subiecto*. & quod non prædicabitur de subiecto. Quæ si iure censentur impossibilia, rectè & cohærenter ad suam positionem Anaxag. dixit, secretionem totalem nunquam fore. Vide Stagiritæ candorem: in ipso pugnæ ardore laudat aduersarium, vbi rectè se gessit.

III. At subdit, hoc *non scienter protulit*: quoniam eo posito, actutum facit intellectum diuinum, quem ille ad segregationem rerum induxit, fatuum, ac stultum: tentat etenim segregare, ac facere ea, quæ segregari, ac fieri impossibile est. Tale autem quippiam aggredi, non mentis, sed amentis est. Hoc innuit illis verbis, *Quare inconueniens est, impossibilia quærens intellectus*. Quasi dicat. absurdum, & nefas est opinari, diuinum intellectum tentare facere id, quod nulla ratione possit facere. Tentauit, inquam, in sententia Anaxag. similaria illa ex Chao secernere, vt faceret mundum, quæ tamen iuxta eundem ipsum Anaxagoram, ex toto secerni non queunt. *Et hoc*, subdit Arist. *facere est impossibile, & secundum quantum, & secundum quale*.

IV. Ex duplici capite segregatio illa est impossibilis. Primò, ratione quanti, cum impossibile sit deuenire ad minimam magnitudinem, (hoc sibi vult illis verbis, *quia non est minima magnitudo*, quicquid alij hic crucientur) nam si intellectus segregando deuenisset ad minimam magnitudinem, tunc nequit in illa minima magnitudine incubare aliud corpus, quod vlterius valeat se iungi: alioquin seiuncto, ac separato illo corpore, iam esset, minus minimo. Ratione itaque quanti ille Anaxagoræ intellectus inani defatigatur labore: siquidem quantumuis similaria illa diminuat, segregando, nihilominus nunquam ad minimam magnitudinem deueniret, cum hæc e regione pugnet cum principijs Anaxagoræ. Similiter impossibilis est præfata separatio, secundum quale, ob rationem in hoc ipso contex. expositam, quæ in calce tex. repetitur, *quia inseparabiles sunt passiones*. si igitur prima illa mens occupatur in opere, quod absolui, perficique nequit, profectò vana fuerit.

TEXTVS XL.



On rectè autem neque generationem accipit eorum, quæ sunt similium partium. Est enim, vt lutum in luta diuiditur, est autem, vt non: & idem modus est, vt lateres ex domo, & domus ex lateribus: sic autem aqua, & aer ex alterutris, & sunt, & fiunt. Melius autem est, pauciora, & finita recipere, quodquidem facit Empedocles.

I. Explosit in tex. proximè præced. modum positionis Anaxagoræ, quantum ad segregationem ex Chao: explodit nunc modum eiusdem positionis quantum ad generationem rerum particularium. Deinde, colligit conclusionem totius disputationis a tex. sexto vsque ad hunc quadragesimum habitæ.

Aiebat

I. Aiebat Anax. res generari per segregationem; ita vt, si debet generari caro, aut os, necesse sit, segregari ex illa massa exiles atque exiguas carnis, aut ossis particulas, simulque coire, & hoc pacto apparere carnem, aut os: Similiter si debet generari lutum, (quod Stagirites loco exempli ponit) debent ex illa ipsa mixtura secerni luta, & ita de cæteris rebus. Vnde concludebat, generationem haud posse vnquam fieri, nisi per segregationem rei consimilis ex illa massa.

II. Aduersus hoc sancitum obijcit Stagirites luculentissima sensus testimonia. Intuemur oculis nostris, quod lutum, (puto id fuisse exemplum Anaxagoræ) nunc quidem fit ex alijs consimilibus lutis, nunc autem ex corporibus dissimilibus, ceu ex aqua, & terra. Diuiditur, inquit, lutum in parua luta; verùm diuiditur etiam in ea quæ non sunt luta. Quo fit, vt etiam componatur, ac generetur, non modo ex paruis lutis, verum etiam ex dissimilibus. Falsum igitur absolutè est, generationem semper celebrari per segregationem similis. Ita domus conficitur ex lateribus, rursusque ex domo fiunt lateres.

III. Consimili modo de ortu rerum naturalium opinandum est, quando etiam istæ fiunt ex alterutris, veluti ex aqua aer, & versus ex aere aqua. Quocirca ad generationem aquæ haud est necesse præexistere aliam aquam, ex cuius gremio, ac segregatione, hæc, aut illa aqua euoceiur, sed sat fuerit, si adsit aliquod corpus, quod possit in aquam, aut aerem transmutari.

IV. Tandem colligit, quod opinio, quæ principia rerum natura constantium, pauciora, & finita constituit, præferenda est opinionibus, quæ ea item, aut vnum, aut infinita introdunt. *Melius*, inquit, *est, pauciora, & finita recipere, quod quidem facit Empedocles*. Quasi ita colligat, Opiniones, quæ principia, aut vnum, aut infinita inducunt, patiuntur complura absurda, quemadmodum aduersus Parmenidem, & Melissum, tum aduersus Anaxag. hucusque ostensum est: opinio autem, quæ principia pauciora, & finita statuit, neutiquam huiusmodi incommodis vrgetur: & præterea, cum paucitate, & finitate principiorum, tuetur eas ipsas res, ac facultates illæ aliæ opiniones. Argumento est Empedocles, qui ponens sex rerum naturalium principia, videl. quattuor consueta elementa, & Litem, ac Amicitiam, *omnia assignare opinatur, quemadmodum Anaxagoras ex infinitis*, inquit Philosoph. in tex. 50. ergo *melius est, principia pauciora, & finita recipere*. Profectò, *in ijs, quæ natura sunt, oportet potius inesse id, quod est finitum, & quod est melius, si contingit esse*, vt ait idem Arist. lib. octauo huius operis tex. 48. Et in tex. 56. *Quod*, inquit, *melius est, id semper in natura esse existimamus, si possibile* est.

V. Porrò in his verbis geminatis, melius est, recipere principia *pauciora, & finita*, indicatur duplex comparatio. Vna, inter pauciora, & plura. Altera, inter finita, & infinita. Quæ duplex comparatio eruitur ex duplici Naturæ lege; quarum vna est, quod ea nunquam facit per plura, id, quod per pauciora æquè commodè facere potest. Altera, quod Natura solet omni nisu, atque ingenio refugere ac vitare infinitum, quia infinitum fine caret; Natura autem in omnibus quærit finem, ob quem etiam agit, vt vel ex secundo lib. huius operis cap. 70. didicisti.

VI. Sunt qui existimant, verba illa, *pauciora, & finita* propterea complicari, quia ad ponenda principia finita non sufficit, constituere ea pauciora, quàm induxit Anax. Et rationem assignant, quòd Anax. intrusit multa infinita: nempe infinitum magnitudinem, infinitum multitudine, infinitum qualitate. Quo fit, vt qui constitueret infinitum solum secundū multitudinem, ille porrò constitueret pauciora principia, quàm Anax. & nihilominus adhuc constitueret infinita. Ob id ergo oculatissimus Auctor adiecit *pauciora, & finita*. Et hic terminat Arist. disputationem aduersus Veteres Philosophos.

VII. Esset nobis hoc diligenter examinandum commune illud Veterum Physicorum effatum, quod ex eo quod non est, siue ex nihilo nihil fit, relatum etiam ab Aristotele in tex. 33. vtrum sit verum, & in quonam intellectu sit verum: tum quid de eo senserit Arist? Approbauit ne illud, an verò existimauerit, fieri aliquo modo posse, vt ex nihilo possit aliquid fieri? quod est quærere, An Arist. cognouerit, & aliquo modo approbauerit creationem. Sed quoniam hæc quæstio præcipuè respicit creationem mundi, propterea eam reijcio ad octauum lib. vbi Philosophus omni animi nisu conatus est, demonstrare Mundum nullo vnquam pacto incœpisse, sed nec incipere potuisse.

CAPVT V.

Continuatio, & Introductio.



Onfutauit hucusq; Arist. pravas Veterum Philosophorum opiniones: iam accingitur suam enucleare; & declarare, qualia vnquam fint rerū naturaliū principia, quot, & quæ: & denique, quomodo principient. Porrò dum suam mentem, ac veritatem adaperit, adhuc pro rei opportunitate interserit, in quonam alij Philosophi recti, & in quo secus senserunt Emicat nimirum conspicatius Veritas ex collatione ad falsitatem. Primum eorum quæ indicaui, exequitur in hoc capite, inuestigando, quomodo principia fint contraria: Consultò verò ab hoc theoremate exorditur, quoniam eius dilucidatio sternit aditum ad reliqua, vt suo loco videbis: est ergo.

TEX.

TEXTVS XXXXI.



Omnes igitur contraria principia faciunt, & qui dicunt, quod sit vnum omne, & immobile (etenim Parmenides calidum, & frigidum principia facit: hæc autem appellat ignem, & terram.) & qui rarum, & densum, & Democritus solidum, & inane. quorum aliud quidem, vt quod est, aliud autem vt quod non est, esse dicit. Adhuc positione, figura, & ordine, hæc autem genera contrariorum sunt: positionis sursum, & deorsum, ante, & retro: figuræ angulare, inangulare, rectum, rotundum. Quòd igitur contraria quodammodo omnes faciunt principia, manifestum est.

I. In quo duo facit. Primùm, refert, quod omnes Veteres Philosophi contraria sanxerint principia: Deinde, explicat contrarietates ab ijsdem inductas.

II. Ait itaque πάντες δὴ τἀναντία ἀρχὰς ποιοῦσι, *omnes igitur contraria principia faciunt*. Docet, quod omnes antiqui Philosophi contraria statuerunt rerum naturalium principia. Vide, quod Philosophi propositio non est hæc, quod Veteres principia posuerunt contraria, sicut plerique interpretum perperam accipiunt; sed est, quod apud illos contraria erant principia, siue quod contraria posuerunt esse principia. Nam vox *contraria* hic stat loco subiecti, *principia* autem loco prædicati: id, quod euincit articulus græcus appositus voci, *contraria* τἀναντία, hoc est, τὰ ἐναντία. Notum enim est in Græcanica lingua, quod articulus alicui dictioni appositus, facit eam subiectum. Accedit, quod si τἀναντία, *contraria* non esset subiectum, sed prædicatum, ita vt diceremus, principia sunt contraria: tunc vox contraria, esset nomen adiectiuum: sic autem accipi non potest, quia esset discordantia in græcis vocibus. Siquidem ἀρχὰς, est generis fæmin. ἐναντία, autem generis neutri. At ponendo *contraria*, vt subiectum, *principia* autem, vt prædicatum, nulla est dissonantia.

III. Et in eodem sensu accipit hanc eamdem propositionem in fine tex. quamuis ibi vtrique dictioni, & *contrarijs*, & *principijs* apponat articulum, & repetit in tex. 48. Itaque idem est dicere, quod πάντες τἀναντία ἀρχὰς ποιοῦσιν, omnes contraria, seu ipsa contraria faciunt principia, ac dicere, apud omnes, ea, quæ sunt contraria, sunt principia.

IV. At dices, Arist. hic intendit agere de principijs contrarijs, atque hanc principiorum contrarietatem confirmat ex communi Veterum consensu: debuit itaque dicere, quod illi principia fecerint contraria, & non versa vice, quod contraria fecerint principia.

Admirabilis vbique est Arist. Summa cum ratione ita loquitur. Nam si protulisset hanc propositionem, Principia sunt contraria, vel Veteres principia statuerunt contraria, posset aliquis nostrum decipi. Cur? quia hæc propositio, principia sunt contraria, videtur æquipollere propositioni vniuersali, omnia principia sunt contraria; quæ falsa est, cum non omnia, sed aliqua tantum, idest forma, & priuatio censeantur contraria. Dum autem ait, Contraria sunt principia, est propositio indefinita: quæ potest tam in materia contingenti, quàm necessaria accipi; & vtroque modo verissima est. Nam si per contraria intelligimus contraria prima, (vt ego reuera existimo, & apparet ex probatione Philosophi in tex. sequent.) propositio erit in materia necessaria: & æquipollet huic: Omnia prima contraria sunt principia. cum propositio indefinita in materia necessaria æquipolleat propositioni vniuersali: vt homo est animal, idem pollet, atque omnis homo est animal. Si autem per contraria, non intelligimus prima, sed quæcunque contraria, propositio erit in materia contingenti. Propositio autem indefinita in materia contingenti æquiualet propositioni particulari, vt homo est albus, idem est, ac aliquis homo est albus.

Modo illa propositio, Contraria sunt principia, V.
vtroque modo accepta, si conuertatur conuersione logicali, est verissima. Nam primo modo accepta, vt propositio vniuersalis, debet conuerti conuersione per accidens, hoc pacto. Omnia prima contraria sunt principia rerum naturalium, ergo aliqua principia rerum naturalium sunt contraria: quæ verissima est. Si autem accipiatur in secundo sensu, debet conuerti conuersione simplici, hoc pacto, aliqua contraria sunt principia, ergo aliqua principia sunt contraria; quæ etiam est eodem pacto vera. Ne igitur Eximius præceptor in ipso tractationis limine, ansam errandi alicui daret, sic maluit loqui, quàm dicere principia sunt contraria. Cæterum in progressu, postea quam abundè vsque ad tex. 49. declarauit quænam principia sint contraria, & quæ non, haud veretur eandem propositionem etiam alio modo proferre, & absolutè dicere, quod principia sunt contraria, vt in fine eius tex. 49. dum inquit, ὅτι μὲν οὖν ἐναντίας δεῖ τὰς ἀρχὰς εἶναι, φανερόν. *Quod igitur contraria oportet esse principia, manifestum est.*

Iam verò *& qui dicunt &c.* ostensurus Arist. VI.
quonam pacto omnes Veteres contraria fecerint principia, percenset eas opiniones, quæ id minus videbantur facere potuisse. Statim autem posset quispiam ei obijcere, quod Parmenides, & Melissus, te ipso referente, supra cap. 2. posuerunt principium, siue ens, esse vnum, atque immobile: Atqui vnum non est contraria. Præterea, in tex. 50. ex eo colligis, principia non esse vnum, quia sunt contraria. *Vnum, impossibile est; quoniam non vnum contraria.* Tunc conuerte propositionem. Contraria non sunt vnum. ergo vnum non sunt contraria. Parmenides, & Melissus constituerunt principia esse vnum, non igitur contraria, vt hoc loco asseris.

Occurrit Arist. quod ij etiam, qui τὸ πᾶν, ipsum vniuersum, siue ens, sanxerunt vnum, atque immobile,

bile, adhuc contraria statuerunt principia, non quidem ratione illius vnius, sed sensu coacti, præter illud vnum, addiderunt alia. Sic Parmenides, cum ea, quæ in mundo sunt, tum plura, tum mutabilia intueretur, præter illud suum vnum, & immobile, innexit alia duo principia, videl. calidum, & frigidum, quæ appellabat Ignem, & Terram. Et nomine quidem ignis denotabat cælum, quod pleriq; omnes Veterum existimarunt igneum, vt videre est in primo de Cælo tex. 36. & in primo Meteor. cap. 4. & sæpe alibi: nomine autem terræ indicabat reliqua tria elementa sub cælo constituta, idest aerem, aquam, & terram, vt refert Arist. in primo Metaphys. cap. 4. quæ tria ij ipsi Veteres opinati sunt, ex se ipsis esse frigida; solùmque calefieri a Cælo, tanquam a superno, perennique igni. Si itaque Parmenides præter vnum illud innexit pro principijs calidum, & frigidum, innexit vtique contraria; quia calidum, & frigidum contraria sunt. Adde, quod Parmenides, vt multis placet, secundùm rationem constituit vnum rerum principium, siue vnum ens, secundum verò opinionem vulgi, posuit illa duo principia, calidum, & frigidum. Hinc, referente Simplic., Parmenides composuit librum, cui indidit nomen πρὸς δόξαν, *Ad opinionem*, idest vulgi. Melissum autem subticuit Arist., quia onerosè loquebatur, quemadmodum dicitur in tex. 10. Hinc patet solutio ad duas illas obiectiones.

VII. Secundò probat, contraria statui principia ab ijs, qui principium rerum constituerunt vnum quidem, sed mobile, quos in tex. 6. appellat Physicos, vt fuit Thales Milesius, qui aquam, Diogenes Appolloniates, qui aerem, Heraclitus, qui ignem, Anaximenes, qui quoddam medium inter ignem, & aerem, pro rerum exordio induxere. Nam hi adiungebant rarum, & densum, siue rarefactionem, & condensationem, quarum ope, ac ministerio res omnes generarentur, vt supra exposui. Rarum autem, & densum contraria sunt.

VIII. Tertiò, maiori incumbit cura in assignanda multiplici contrarietate ad eorum aures, qui initia rerum naturalium intulerant infinita, vt Anaxagoras, & Democritus. Porrò Anaxagoram contraria fecisse principia, erat apertum, vt etiam in tex. 32. declaratum est: iccircò eo prætermisso, edisserit de sola opinione Democriti, cui adhæserunt Leucippus, Epicurus, & alij. In hac itaque opinione prima contrarietas est, quia *Democr. solidum, & inane, quorum aliud quidem, vt quod est; aliud verò, quod non est, esse dicit.* Imaginatus est hic vir immensum vacuum, in quo infinitæ atomi innumeris figuris præditæ, assiduò tumultuarentur, atque indesinenter descenderent, & pro vt fortuito, ac casuali concursu, tali ordine, & positione inter se iungerentur, generarent varios mundos, & in ijsdem alias, atque alias res. Vnde τὸ στερεὸν, *solidum*, siue, τὸ πλῆρες, *plenum* (Vtraque hæc duo nomina simul coniungit Arist. in primo Metaphys. cap. 4.) id est, corpuscula illa, vocabat id, quod est; inane autem appellabat id, quod non est; quemadmodum copiosè explicat Arist. in cap. illo 4. Sed id quod est, & id quod non est, sunt contraria, quare secundum opinionem Democriti, ex hac parte contraria sunt principia, Audi, si lubet, Lucretium, qui in lib. primo de hac Democ. & Epicur. sententia, sic modulatur.

,, *Omnis vt est igitur per se natura duabus*
,, *Constitit in rebus; nam corpora sunt, & inane,*
Hæc, in quo sita sunt, & quà diuersa mouentur.
Corpus enim per se communis dedicat esse
Sensus, cui nisi prima fides fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus, quò referentes,
Confirmare animos quicquam ratione queamus.
Tum porrò locus, ac spacium, quod inane vocamus,
Si nullum foret, haud vsquam sita corpora possent
Esse, neque omninò quoquam diuersa meare.
Id, quod iam supera tibi paulo ostendimus ante.

Secunda contrarietas est in ipsis atomis secundùm se spectatis, quod atomorum aliæ quidem essent angulares, aliæ autem angulorum expertes, quædam rectæ, quædam circulares, & omninò alijs innumeris figuris præditæ. Sed ista sunt contraria: ergo &c. Hanc etiam figurarum varietatem eleganter expressit Lucret. lib. secundo his quidem carminibus. IX.

Nunc age, iam deinceps cunctarum exordia rerum
Qualia sint, & quàm longè distantia formis,
Percipe, multigenis quàm sint variata figuris
Non quod multa parum simili sint prædita forma,
Sed quia non vulgo parta omnibus omnia constant,
Neque mirum. nam cum sit eorum copia tanta,
Vt neque finis, vti docui, neque summa sit vlla,
Debent nimirum non omnibus omnia prorsum
Esse pari filo, similique affecta figura,

Et quæ ibi sequuntur.

Tertia contrarietas spectatur in ijsdem met atomis, quatenus iam ex ijs res existimabantur constitutæ. Hoc enim pacto illæ opponuntur *positione, & ordine*. Porrò contrarietatem atomorum in figura, & positione, & ordine explicat Philosophus in primo Metaphys. cap. 4. vbi de opinione Democriti, & Leucippi hæc scribit. *Et quemadmodum qui vnum faciunt subiectam substantiam, cætera passionibus eius generant, rarum, & densum passionum statuentes principia, simili modo hi quoque differentias causas cæterorum aiunt esse. Has autem tres esse dicunt, figuram, ordinem, & situm: differre enim ens, aiunt, solum ῥυσμῷ, rhysmo, διαθιγῇ, diathige, & τροπῇ, trope; quorum rhysmus quidem figura, diathige verò ordo, trope autem situs est. Differt autem A ab N, figura: an vero ab na, ordine: Z autem ab N, situ.* Hæc Arist. Differunt itaque atomi figura, quia vna est vt A, alia vt B, hæc recta, illa quadrangularis, alia alia figura prædita. Differunt ordine, quia V. G. duarum atomorum, si vna ponatur prior, facit vnam rem, si ponatur posterior, facit aliam, vt vides in his duabus litteris, an, & na; tum in his ab, & ba. Differunt denique positione, seu situ, si vna, eademque atomus in aliqua re, sit tali, aut alio modo posita, veluti hæc litteræ Z, zeta, X.

varia-

vatiata effert N. de quibus vocibus dixi etiam in primo de Ort. & Inter.

XI. Hinc collige, quod Arist. in hoc tex. 41. dum, veluti explicans positionem, ait, *positiones sursum & deorsum, ante & retro*. non explicat solam positionem, sed promiscuè ponit exempla iam positionis, quàm ordinis, quæ duo iam posuerat: Quocirca ante, & retro referuntur ad ordinem: sursum autem, & deorsum ad positionem. Vbi etiam aduerte, Aristotelem non intelligere hic, quod alia atomus sit posita in aliqua re sursum, alia deorsum, hoc enim spectat ad ordinem, sed intelligit, quod alia vnius, atque eiusdem atomi pars, nunc sit sursum, nunc sit deorsum, vt vides in litteria Z, & N.

XII. Hinc in fine tex. concludit, *Quod itaque contraria quodammodo omnes faciunt principia, manifestum est*. Ratio præsentis contextus hunc in modum potest strui. Qui principia rerum naturalium statuunt vnum ens, siue immobile, siue mobile, & qui eadem statuunt infinita, minus videntur contraria facere principia, quam reliqui Philosophi. Sed tamen isti contraria faciunt principia, ergo *omnes contraria faciunt principia*, quæ est propositio initio tex. prolata.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 41.

XIII. IN primis difficultatem facit modus procedendi Aristotelis, quia cum tria sint rerum naturalium principia, duo contraria, idest forma, & priuatio, & tertium subiectum; Philosophus primùm tractat de principijs contrarijs ab hoc tex. vsque ad 50. postea agit de materia vtrique contrario subiecta. Qui modus videtur vitiosus, quia recta ratio exigit, vt prius explicetur subiectum, deinde contraria. Nam res ita debent explicari, quemadmodum a natura sunt: At subiectum, auctore Philosopho tex. 52. est prius ijs, quæ in subiecto sunt; *subiectum enim*, inquit ille, *est principium, & prius videtur esse prædicato*: quare Arist. prius tenebatur declarare materiam, quæ est *natura subiecta*, vt idem in tex. 69. loquitur, postea explicare contraria.

XIV. Suppetit alia quoque difficultas contra eumdem modum progrediendi, quòd in explicandis rebus, primùm tenemur explicare an res sit, postea quid sit, inde qualis sit: quia vt discimus ex principio secundi Poster. quæstio simplex præcedit quæstionem compositam. Philosophus autem hoc loco orditur ab hoc tertio quæsito, nempe qualia sint principia: id enim est inuestigare, an principia sint contraria; & ostendere esse contraria.

Accedit, quod cum Auctor dixisset in calce tex. præced. *melius esse principia pauciora, & finita recipere, quod quidem facit Empedocles*. Tenebatur confestim docere, quæ, & quot numero ea constituenda sint, & non transire ad aliam quæstionem, videl. qualia ea sint.

Dicendum nihilominus est, optimum, ac ingeniosissimum esse Stagiritæ modum, dum primùm de principijs contrarijs, mox de materia, & subiecto edisserit. Primò, quia præfata contraria manuducunt nos, atque omnino commonstrant materiæ necessitatem; pro qua quidem inuenienda, ac constituenda, haud parum laboris erat impendendum. Enimuero ex mutua transmutatione, quæ celebratur ex contrario in contrarium secundum substantiam, planè euincitur, esse necessarium tertium subiectum, in quo quidem illa contraria pugnent, & in quo transmutatio absoluatur. XV.

Secundò, quia huiusmodi principiorum contrarietas est nobis notior, vt pote quæ magis cadit sub sensum, cum vel oculis nostris intueamur, modo esse V. G. hominem, modo recedente ipsius forma, relinqui cadauer. Ad indaganda verò principia, quemadmodum in proœmio huius lib. audiuimus, a notioribus nobis progrediendum est.

Tertiò, quia vbi constiterit, initia rerum esse contraria, colligimus consequenter, quot ea sint. Nam contraria sunt duo, atque ea exigunt subiectum. Propter has itaque rationes Philosophus summa cum ratione exorsus est a principijs contrarijs, non autem a subiecto. Itaque tunc res eo modo sunt exponendæ, quo a natura constitutæ sunt, cum ratio doctrinæ non secus exposcit: sin autem hæc exigit, rem alio ordine declarari, ita faciendum est.

Hinc apparet etiam solutio ad secundam dubitationem. Propterea Stagirites incæpit a quæstione composita, idest qualia sint principia, quòd rectus docendi modus sic exigat: siquidem vbi deprehenderimus, qualia sint principia, deprehendemus etiam aliquo pacto, vt dixi, quot ea sint, & quæ. Sic adnotarunt etiam Simplic. in hoc tex. & post eum Auerr. Scio Philoponum aliam huius rei reddere rationem, quod scil. Arist. ideò talem seruauit ordinem, vt ostenderet vnitatem materiæ. Hæc de ordine procedendi. XVI.

Perpendo 2., quod Arist. multipliciter videtur secum pugnare. Primò, in principio tex. ait, omnes Veteres Philosophos contraria statuisse principia. In fine autem eiusdem tex. destruit hanc vniuersalem, dum inquit, *Quod igitur contraria, omnes quodammodo faciunt principia, manifestum est*. cur *quodammodo*? XVII.

Secundò, hic ait, omnes Veteres contraria fecisse principia: At in principio tex. 48. scribit. *Hucusque igitur ferè sequuti sunt, & aliorum plurimi, quemadmodum diximus priùs*. Hic dicit *omnes*, ibi dicit aliorum *plurimi*.

Tertiò, Hic figuræ tribuit contrarietatem: At in Prædic. Qualitatis oppositum sanxit; docet enim eo loci, in quarta specie qualitatis, quæ est forma & figura, non esse contrarietatem.

Quartò, Hic inter figurarum contrarietatem refert rectum, & rotundum, seu circulare. At in primo de Cælo a tex. 24. ex professo probat, circu-

lari

lati nihil esse contrarium.

XVIII Nulla est in Arist. repugnantia. Ad 1. dubitationem dupliciter respond. Primò, illud *Quodammodo*, refero ad contraria, quod addidit Arist., vt indicaret, se non loqui de contrarijs propriè acceptis, quæ non nisi inter res positiuas reperiri, certum est, sed sermonem habere de contrarijs laxiori modo, vt infra ostendam, quæ procul dubio sunt quodammodo contraria. Secundo, refero ad ipsos Veteres, qui quidem vario, ac diuerso modo posuerunt contraria: Quidam enim hoc, quidam alio modo, ea constituerunt contraria, vt in progressu apparebit.

XIX. Ad 2. dub. respond. primò, quod vox, *Omnes*, in principio huius tex. accipitur pro, plurimis. Solet quippè Stagirites eam vocem plerumque in hac significatione vsurpare. Sic in tertio lib. huius operis, tex. 14. dum confirmaret, munus esse Naturalis Philosophi agere de Infinito, aiebat, signum autem, quòd huius scientiæ propria sit consideratio de ipso. *quia omnes, qui pro dignitate tetigerunt talem philosophiam, fecerunt sermonem de infinito*. omnes, idest plurimi: sic in lib. quarto tex. 1. dicebat, *omnes existimant ea, quæ sunt, alicubi esse*. ponit omnes, pro plurimis. Secundò respond. quod, (omnes) in principio huius tex. non supponit absolutè pro cunctis Veteribus, sed arctat ad auctores trium sectarum, quos in tex. recensuit, id est, omnes, & qui ens vnum, & immobile ponunt, & qui vnum, sed mobile, & qui infinita. Isti autem procul dubio sunt plurimi Philosophorum, vt dicitur in tex. 48. & propterea ibi ait, aliorum plurimi, *quemadmodum diximus prius*.

XX. Ad 3. respond. figuræ nihil esse contrarium propriè, & positiuè: Hoc intellectu asseritur in Prædicam.. Cæterùm in præsenti sermo est de contrarijs non ita strictim, sed quatenus quodcumque oppositionum genus complectuntur, vt etiam nuper indicaui.

Eod. modo diluitur quarta dubit. Est enim inter rectum, & rotundum, siue circulare quædam oppositio, non contrarietas, vt in lib. de cælo vberius exposuimus.

XXI. Dico 2. quod Auctore Philosopho in decimo Metaphys. tex. 13. in quolibet genere inuenitur contrarietas differentiarum, quamuis non inueniatur contrarietas specierum: ita rationale, & irrationale sunt contraria, non autem homo, & equus, cum hi sint substantiæ. Sic igitur inter figuras, rectum, & circulare, ponitur contrarietas ratione suarum differentiarum. Quæ quidem contrarietas in figuris, ratione differentiæ, in eo posita est, vt habeant, vel non habeant angulos, quam contrarietatem satis apertè indicauit Auctor, inquiens, *σχήματι, γεγωνιωμένον, ἀγώνιον, figura, vt angulare, & inangulare*. quæ vlterius explicat, *rectum, rotundum*. Ad hanc contrarietatem, quæ in circulo contingit, ratione differentiæ videtur spectasse Philosophus in primo de Cælo tex. 87. dum motum circularem asseuerat *habere aliqualiter opposita ea, quæ sunt secundum diametrum*. Et in lib. Mechanic. Quæst. cap. 1. *Circulus*, inquit, *est principium omnium miraculorum mechanicorum, quia in eo multiplex insit contrarietas*, quam Arist. ibi ostendit.

Perpend. 3. quod Arist. dicit, *& qui rarum, &* XXII.
densum. Oritur difficultas, an rarum, & densum censenda sint contraria. Vna quidem ex parte non videntur esse, quia *rarum est cuius partes remotè distant, densum autem, cuius partes propinquè iacent*, vt legimus in Prædic. Qualit. Si igitur eædem partes sunt & raræ, & densæ, non videtur rarum, & densum esse contraria, aliàs idem foret sibi ipsi contrarium. Ex altera autem parte stat Arist. hoc loco.

Ad quam difficultatem, omissis aliorum responsionibus, dico, rarum, & densum hic sumi pro rarefactione, & condensatione, quippè qui vnum principium transmutabile constituebant, aiebant, omnia ex eo fieri per condensationem, & rarefactionem. Modo rarefactio, & condensatio contrariæ sunt, cum sint motus oppositi.

Perpend. 4. æquabilitatem Aristotelis circa Ve- XXIII
teres Philosophos, quòd vbi rectè senserunt, eos laudibus effert, vbi defecerunt, meritò relinquit, redarguitque. Empedoclem in primo Metaphys. cap. 4. carpit, quod cum Litem disiungere, & Amicitiam congregare supposuisset, *multis tamen in locis apud eum Amicitia disiungit, Lis autem coniungit. Cum enim in elementa per Litem Vniuersum dissoluitur, tunc ignis in vnum coalescit, & cæterorum elementorum vnumquodque: cum autem rursus per Amicitiam in vnum conueniunt, necesse est iterum particulas vniuscuiusque dissipari*. & paulo superius, *Empedocles*, inquit, *balbutit*. Eundem reprehendit in primo de Ort., & Inter. tex. 2. quod *videtur contraria dicere, & ad apparentia, & ad se ipsum*. Et lib. secundo eiusdem operis cap. 2. & alibi sæpe multus est Arist. in detegendis varijs eius erroribus. Et nihilominus in tex. superiori eius opinionem candidè præfert, opinioni aliorum, præcipuè verò Anaxagoræ, quem in primo Primæ Philosophiæ cap. 4. aiebat, *ætate quidem Empedocle fuisse priorem, re autem præstantiorem*. Cuiusmodi iudicium de reliquis etiam Philosophis tute ipse apud eundem Aristotelem, alijs atque alijs in locis poteris animaduertere. Ex quo solidè colligimus, quod Arist. fuit æquus, & incorruptus index Veterum opinionum. Et blaterant, quicumque aiunt, illis ab eo aliqua imponi.

Digitized by Google

TEXTVS XLII.



T hoc rationabiliter : Oportet enim principia, neque ex alterutris esse, neque ex alijs, & ex his omnia : contrarijs autem primis insunt hæc, ob id quidem, quod prima sunt, non sunt ex alijs : ob id verò, quòd sunt contraria, non sunt ex alterutris.

I. Cum in tex. præced. ex communi Veterum Philosophorum consensu patefecisset, contraria esse rerum naturalium principia; id quod sibi quoque ipse proposuit amplectendum, nunc idem confirmat ratione. Nam eatenus Arist. aliorum placita amplectitur, quatenus ea animaduertit esse consentanea rationi. Præterea, habuit id in more, vt quæ antiqui Philosophi sine aliqua ratione, sed solùm *ab ipsa veritate coacti*, protulerunt, vt loquitur idem Philosophus in tex. 48. & explicat in primo Metaphys. cap. 4. ea ipse adhibita ratione ab se excogitata, confirmaret. Sic facit in præsenti contex.

II. Vnde malè aliqui cum Auerr. contendunt, in hoc tex. adduci ab Aristotele rationem, qua moti antiqui Philosophi, voluerint contraria esse principia. Quæ expositio manifestè falsa est, nam si ratio in præsenti tex. formata esset antiquorum, quomodo asseritur in tex. 48. quod illi principia contraria dixerint, *quamuis sine ratione*? Et quod *tanquam ab ipsa veritate coacti*? Auerr. autem deceptus est, quia in multis latinis codicibus initium huius tex. legitur, *Et id rectâ ratione*. quasi sensus sit : Quod Veteres contraria fecerint principia, hoc fecerunt rectâ hac ratione, quam statim subiungit. Verùm decipitur Araba, nam Stagirites ait, καὶ τοῦτο εὐλόγως. Approbat, quod illi sic de principijs opinati sint, & huius approbationis subnectit ipse rationem.

III. Textui tres assigno partes. Prima continet maiorem propositionem argumenti. Secunda minorem : Tertia probationem minoris, & tota ratio ita struenda est. Illa, quæ non sunt ex alterutris, neque ex alijs, & ex ijs omnia, statui debent prima principia rerum naturalium. Prima contraria non sunt ex alterutris, neque ex alijs, & ex his omnia; ergo prima contraria statui debent prima principia rerum naturalium. Maior assumitur veluti manifesta, vel ex ipsa definitione primorum principiorum, quæ quidem per illas tres conditiones sufficienter, efficaciterque colliguntur, vt infra latiùs dicam. Minor autem est in illis verbis, *contrarijs autem primis insunt hæc*. nempè tres præfatæ conditiones. Quam quidem minorē statim probat : sed cum illa tres contineat particulas, Auctor in hoc tex. probat tantùm duas; tertiam verò in sequentibus explicatus est.

IV. Quod itaque prima contraria non sint ex alijs, ostendit, quia sunt prima, ergo non habent alia se ipsis priora, ex quibus sint, alioquin essent prima, & non essent prima. Quod autem non sint ex alterutris, ostendit, quia vnum contrarium non est ex altero.

Sic est formanda Stagiritæ ratio, & non, vt plerique latinorum eam formant in secunda figura ex vtraque præmissa affirmatiua : Hoc pacto. Prima principia sunt ea, quæ nec fiunt ex alijs, nec ex alterutris, sed omnia fiunt ex ipsis : At prima contraria sunt, quæ non fiunt ex alijs, neq; ex alterutris, & omnia fiunt ex ipsis, ergo prima contraria sunt principia.

V. Deinde, sibi obijciunt, quia argumentum in secunda figura, ex puris affirmatiuis, est vitiosum. Postea torquentur soluere, dicentes, quod argumentum in secunda figura ex præmissis affirmatiuis est quidem defectuosum, cum propositiones sunt inæquales : at non est defectuosum quando termini sunt pares, & æquales. Addunt exemplum ; Nam hæc est optima argumentatio. Homo est rationalis, risibile est rationale : ergo risibile est homo. Ita isti, inquiunt, termini, prima contraria, & prima principia sunt pares, & æquales, vtpote qui ad conuertentiam dicuntur : vnde ex hoc capite prædicta ratio nullum patitur defectum. De qua re vide Complutens. in hoc lib. Disput. 2. quæst. 3.

VI. Verùm imaginationes istæ longè ab Stagirite absunt : Non ita struenda est eius ratio, sed vt nos eam struximus, quam vidisti absque vmbra maculæ vllius. Responsio autem ab ijsdem auctoribus adhibita, quod propterea illud argumentum, quamuis sit in secunda figura ex puris affirmatiuis, nihilominus non sit defectuosum, *quòd eius termini sint pares, & æquales, vtpote qui ad conuertentiam dicuntur*, est falsissima, atque, vt alia sileam, quæ non sunt huius loci. Non dicuntur ad conuertentiam, siquidem hæc est vera, omnia prima contraria sunt prima principia : Ast hæc, omnia prima principia sunt prima contraria, est falsa, cum materia sit primum principium, nec tamen est primum contrarium. Sed circa hunc tex. immorandum nobis est aliquantulum. Sit ergo.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Utrum dicta principiorum definitio rectè assignata sit.

SECTIO I.

Argumenta pro parte negatiua.

I. 
Ihil est definitione priorum principiorum inter Philosophos tritius, quæ tamen a multis miserum in modum dilaceratur. Ac primò quidem arguunt contra primam particulam, in qua asseritur, principia non esse ex alterutris. Forma est vnum principium, vt constat ex Aristotele in hoc capite, & infra a tex. 64. at forma fit ex materia, quippe omnis forma materialis educitur de potestate materiæ, vt infra explicabimus. Hoc autem est fieri ex illa.

Item, forma fit etiam ex priuatione, nam forma, & priuatio versantur circa idem subiectum, vt docet Arist. in Postprædic. cap. de oppos., & lib. decimo Metaphys. cap. vlt. *nam materia eadem est contrarijs.* Sed priuatio V. G. formæ equi, est in materia, ergò ex ea fit forma. Sicut *album fit ex non albo, & musicum fit ex immusico, & constructum, ex inconstructo.* vt loquitur Arist. in tex. 43. & sequent.

Ad hæc, Arist. a tex. 43. vsq; ad 47. ex professo probat, Omne, quod fit, fieri ex suo contrario: forma autem, & priuatio sunt contraria, astipulante eodem Philosopho, in tex. 50. quare vna fit ex altera.

II. Secunda etiam particula, quod principia *non sint ex alijs,* videtur falsa: nam quæcunq; sunt in aliquo prædicamento, ea constant, & sunt ex alijs, cum istiusmodi omnia coalescant ex genere, & differentia. Materia, & forma sunt in prædicamento Substantiæ, quare fiunt, & constant ex alijs.

Præterea, forma, & priuatio non sunt perpetuæ, & æternæ, ergo fiunt de nouo: vel igitur fiunt ex alijs, vel ex alterutris, vel ex nihilo. Non ex nihilo, ergo *aut ex alijs*, aut ex se inuicem.

III. Tertia denique particula, quod *ex ijs omnia fiant*, nempe omnia entia naturalia, est falsa, nam cælum est ens naturale, ideoq; de ipso agitur in scientia naturali: Cælum autem non fit ex his tribus principijs, cum priuatio nullum in eo obtineat locum, materia enim cæli neque vnquam priuata fuit sua forma, neq; vllum dicit ordinem ad alias formas: non igitur omnia entia naturalia fiunt ex dictis tribus principijs.

Confirmatur, quia cum dicitur, omnia fieri ex præfatis principijs, particula, EX, aut significat habitudinem partis componentis, aut terminum a quo: Si primum, eijcitur priuatio a ratione principiorum, cum non sit pars componens. Si secundum, excluditur forma, quæ nullo vnquam pacto statui potest terminus a quo transmutationis; quinetiam hæc fit a priuatione, nunquam terminus ad quem.

Postremò, contra dictam definitionem sic arguitur. Dictæ tres conditiones, per quas principia efferuntur, conueniunt etiam multis alijs rebus. IV.
Primò, conueniunt actui, ac potentiæ, quæ duo neque ex alijs fiunt, neque ex alterutris, & ex his constantur omnia. Quæcunque enim in rerum vniuersitate sunt, ea sanè vno DEO Opt. Max. excepto, secundum veritatem nostram coalescunt ex actu, & potentia. Secundò, conueniunt primis generibus. Etenim decem Categoriæ neque ex alijs fiunt, neque ex se inuicem, & ex his sunt omnia. Tertiò, conueniunt principijs externis, hoc est substantijs per essentiam a materia abiunctis, quare ea definitio est vitiosa.

SECTIO II.

Approbatio, & accurata explicatio definitionis principiorum.

Ante omnia scito, Nomen, Principium, varia significata esse sortitum, quæ explicat Stagirites in quinto Metaphys. cap. 1. ex quibus colligit hanc principij communissimè accepti definitionem, quod est *primum, vnde aliquid, aut est, aut fit, aut cognoscitur*. Porrò principium dicitur *primum*, videlicet respectu principiati, quippe omne principium, quatenus principium, est prius eo, quod ex illo proficiscitur. In reliquis autè verbis iorum Arist. veluti tria capita principiorum, & principiatorum. Primum est, quod principium est id, vnde, siuè ex quo *aliquid est*. Secundum, ex quo *aliquid* fit. Tertium, ex quo *aliquid cognoscitur*. Quæ tria non debent conniuenter confundi, sed inter se accuratè discriminari. Quippe præfata principij descriptio est trimembris; siquidem effertur per propositionem disiunctiuam: manifestum autem est, quod propositio disiunctiua distinguit membra. Sed age omnia hæc membra illustremus exemplis. V.

Cum ait, principium esse id, ex quo *aliquid est*, exprimit principia componentia rem, cuiusmodi sunt materia, & forma, ex quibus componitur, & est homo V. G. aut equus: quæ quidem in ijsdem iam compositis perseuerant; ob id nuncupantur principia in essendo, & in facto esse; & etiam appellantur principia interna rei, & causa materialis, & formalis. Huc refertur etiam illud principium, ex quo primò res incipit componi, ac fieri, quod nihilominus permanet in eadem re VI.

 facta,

facta, quo pacto catina; & fundamenta censeotur principium nauis, & domus. Huc reunco adhuc punctum, a quo incipit linea, & vnitatem, a qua incipit numerus. Punctum etenim remanet in linea, & vnitas in numero. Ex quibus liquido conspicis, esse aliquid ex aliquo, vt ex principio, propriè significare, esse, & constare vt ex componente, & permanente in principiato.

VII. Secundum caput principiorum, & principiatorum exprimit, Arist. cum ait, *aut fit*. per quam quidem particulam primò, & præcipuè indicat terminum, a quo res incipit fieri, qui tamen non remanet in re facta. Sic ex nocte fit dies, ex autunno hyema, ex puero vir, ex calido frigidum, ex aqua aer, ex sano ægrum, ex immusico musicum, omninò contrarium, fit ex contrario, seu forma fit ex priuatione: in qua significatione idem pollet Ex, atque Post, vt cum dicimus, post noctem fit dies, &c.

Non rarò principium ponitur pro eo, *vnde aliquid fit*, tanquam ex subiecto, & materia: ita statua fit ex ære, lectus ex ligno, forma ex materia, &c. Persæpe hoc etiam significatu accipitur, cum quippiã oritur ex aliquo, vt ab efficiente. Sic dicimus, animal fit ex semine, semen enim est causa efficiens: sic leo fit ex leone, & bos ex boue, & scamnum ex arte; sic omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua, fit ex præexistenti cognitione: cognitio namque est causa effectrix doctrinæ: sic denique iuxta Epicharmi exaggerationem, *ex contumelia fiunt maledicta; ex maledictis rixa, & bella*. Ad hunc etiam dicendi modum reuocatur finis. Sic dicimus, quod ex fine fit electio. Hæc, quæ hucusque dixi; colliguntur ex Arist. in cap. 1. libr. quinti Metaphys. cit. & lib. primo de generatione Animal. cap. 18. quæ si vera sunt, merito idem Auctor in cap. illo primo colligit, quod *omnes causæ principia sunt*.

VIII. Tertiùm denique caput est, *aut cognoscitur*, quibus verbis indicat principia cognitionis, cuiusmodi sunt suppositiones in aliqua scientia, veluti V.G. in Physica, quod omne graue tendit deorsum, & omne leue sursum: aut sunt propositiones absolutè primæ, ac notissimæ, vt omne totum est maius sua parte; si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, æqualia sunt, & id genus alia.

IX. Hinc collige 1. quod aliud est, aliquid esse ex aliquo tanquam ex principio, aliud fieri ex aliquo itidem vt ex principio, aliud denique cognosci ex aliquo, tanquam ex principio.

Collige 2. principium latius patere, quàm caussam: adeo vt omnis causa sit principium, at non e contra.

Collige 3. nos in præsenti verba facere de principijs non in acceptione vsqueadeò ampla, sed de principijs rerum naturalium. Quæ comparata cum causis, vna quidem ex parte principia latius patent quàm causa, etenim priuatio est rerum naturalium principium, nec tamen est causa, cum non habeat aliquem influxum: ex alia autem parte principium, vt coarctatur ad res naturales, est aliquid strictius, quàm causa. Sic enim principium neque caussam efficientem, neque finalem, neque exemplarem complectitur. His ita constitutis.

Dico. Optimè, & ingeniosissimè definita sunt prima rerum naturalium principia, per illas tres conditiones, *quod neque ex alterutris sunt, neque ex alijs, & ex his omnia*.

X. Nemo puluerem attigit philosophicum, qui dictam definitionem ambabus, vt aiunt, vlnis non amplectatur. Atque ea vel hac ratione euincitur. Nomen Principij est respectiuum: quocirca principia ad tria possunt referri. Ad se inuicem: ad priora: & ad posteriora. Dum referuntur ad se inuicem, oritur vna conditio, quod non sint ex alterutris. Primò, quia sunt contraria: vnum autem contrarium non est, videl. non componitur ex altero. Secundò, quia alias principiorum essent principia, ac proinde progressus in infinitum. Dum autem referuntur ad priora, oritur altera conditio, quod non sint ex alijs, quia cum sint prima, non habent alia se ipsis priora. Et etiam, quia si essent ex alijs, vtique essent principia, & non essent: quandoquidem vt constarent ex alijs, essent principiata. Dum demum referuntur ad posteriora, ac subsequentia, oritur tertia conditio, quod ex his sint, ac fiant omnia: videl. omnia generabilia. Non possunt autem fieri plures comparationes: quare per hasce tres conditiones sufficientissimè, & ingeniosissimè descripta sunt principia.

XI. Recte. Verùm vt has conditiones ritè ac syncerè intelligas, ante omnia diligentissimè notato ingitiæ verba, ne oscitanter in eorum impingas errorem, qui primò nihil habent curæ, an in ea definitione ponant verbum, *sunt*, aut *fiunt*. Deinde, nihil etiam curant, siue in hoc, siue in illo definitionis loco illud proijciant: Præterea, non animaduertunt, vtrumne semel tantum, an etiam pluries dicta verba in eadem definitione reponant. Hinc factum est, vt plurique omnes promiscuè eam definitionem proferant. Quidam sic. Principia sunt ea, quæ neque ex alterutris fiunt, neque ex alijs, sed ex his fiunt omnia. Alij hoc modo. Principia sunt, quæ neque fiunt ex alijs, neque ex alterutris, sed ex his fiunt omnia. Alij. Principia sunt, quæ neque sunt ex alijs, neque ex alterutris, sed ex his sunt omnia. Alij in omnibus tribus locis ponunt verbum, (sunt) vt etiam facit S. Thom. qui omnes corrumpunt Eximij præceptoris & verba, & sensum; qui attentissimè primò ait, quod *principia non sunt ex alterutris*: non dicit *non fiunt*. Secundò ait, *neque ex alijs*, id est, neque sunt ex alijs. Deinde in tertio loco, neque idem verbum, sunt, repetit, neque vllum aliud reposuit, sed indefinitè, & copulatiuè ait, *& ex his omnia*. quid autem hic subintelligat, mox audies.

XII. Accipe igitur, ex declaratione definitionis principij traditæ ab Aristotele in quinto Metaphys. & a nobis superius explicatæ, quod dum in ea dicit principium esse primum, *vnde aliquid aut est*, intelligit, vnde aliquid est, & constat tanquam ex parte

te

componente illud, & in eodem permanente, quemadmodum exposui, quare, cum in definitione, quam nunc expendimus, dicit, principia esse ea, *quæ non sunt ex alterutris*, procul dubio intelligit, quod non sunt ex alterutris, tanquam ex parte componente, videl. vnum non componitur ex altero. Non autem ait; Non fiunt ex alterutris: quia fieri ex aliquo, tanquam ex principio, vt etiam supra enucleaui, propriè denotat fieri, vel tanquam ex priuatione, & termino a quo, vt ex immusico fit musicum, vel etiam ex subiecto, vt ex ære fit statua: & hoc in proposito non esset verum de principijs rerum naturalium, cum forma fiat ex priuatione, tanquam a termino a quo, & fiat etiam ex materia, tanquam ex subiecto. Quocirca concedi potest, vnum aliquod principium fieri ex alio, vt ex priuatione: tum fieri ex alio tanquam ex materia: sic enim forma, suo tamen modo, fit; (nam propriè sola composita fiunt, vt infra dicetur) at nunquam debet affirmari, vnum principium esse ex alio, propterea quod hic dicendi modus in rigore denotat, vnum principium componi ex alio.

XIII. Hunc esse germanum huius conditionis intellectum, euincit eius probatio ab Auctore adiuncta, quæ est: *Ob id autem, quod sunt contraria, non sunt ex alterutris*. Modo vnum contrarium fit ex altero, veluti ex termino a quo; sic *album fit ex non albo, & non ex omni, sed ex nigro, aut medijs sic musicum ex non musico, sed non ex omni, sed ex immusico*; vt loquitur idemmet Philosophus in tex. 45. nec modo simplicia, sed composita quoque secundum eandem rationem se habent, *vnde necesse est, omne consonans ex inconsonante fieri, & inconsonans ex consonante*. vt dicitur in tex. 45. Vbi nota, quod Arist. a tex. 43. vsq; ad 47. nunquam dixit, vnum contrarium esse ex altero, quia esse ex altero est componi ex altero, sed bene dicit, vnū contrarium fieri ex altero: sic in proposito de principijs rerum naturalium philosophare, quod *non sunt ex alterutris*, id est, non componuntur.

XIV. Hanc interpretationem, quantum ad id quod vnum principium non componitur ex alio, visi sunt viri etiam maximi vidisse, vt Alex. Aphrod. lib. primo Natural. quæst. cap. 16., Simplic. in digress. ad tex. 42. Themist. in sua paraphras. Philopon., & Auctt., asserentes, quod dum principia dicuntur non esse ex alterutris, particula, EX, non est accipienda, prout indicet habitudinem termini a quo, sed denotat habitudinem subiecti recipientis, & permanentis in re iam facta: verùm nemo eorum animaduertit radicem, cur hæc conditio non significet habitudinem termini a quo, sed denotet partem componentem, quæ radix habetur ex differentia, quā nos inter esse ex aliquo, & fieri ex aliquo, aduertimus supra ex definitione ipsiusmet principij, tradita in quinto Metaphys. cap. citat.

XV. Secunda conditio est, quod *non sunt ex alijs*, quæ in definitione debet poni in secundo loco, & non in primo, quia sequitur ex prima. Nam si istud principium non est ex illo, neque hoc ex illo, ergo neutrum est ex alio. Item, si neutrum est ex altero, ergo vtrumque est primum. Prima autem non sunt ex alijs. Quare inconsideratè hæc conditio a plerisque omnibus ponitur in primo loco, & ita profertur, quod principia sunt, quæ neque fiunt ex alijs, neque ex alterutris, &c. cum enim Eximius præceptor, nec temerè, sed ingeniosè collocet in secundo loco. Et intelligitur in eodem sensu, ac prior, idest, principia non sunt ex alijs, tanquam ex componentibus ipsa:

Tertia conditio est, *& ex his omnia*. Consultò nullum hic apposuit verbum, vt indicaret, se velle indefinitè intelligere, quod ex his principijs aut sunt, aut fiunt omnia. Vel, vt intelligeremus totam definitionem principij traditam in quinto Metaphys., quæ erat, quod principium est primum, *vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur*. Sic ergo dicemus, ex his principijs omnia (id est generabilia, & corruptibilia,) aut sunt, aut fiunt, aut etiam cognoscuntur. *Ex his* sunt omnia, & sic indicantur materia, & forma, quæ sunt principia componentia omnia. Rursus, *Ex his omnia* fiunt, & sic præter materiam, & formam includitur etiam priuatio, ex qua procul dubio etiam omnia tanquam a termino a quo fiunt. Postremò, *ex his omnia* etiam cognoscuntur, videl. omnia composita cognoscuntur, quia vnumquodque, cognoscitur, cognitis eius principijs, vt docet Arist. in principio huius libri, & in tex. 33. Quare hæc sola vltima conditio posset naturam principiorum sufficienter significare, si diceretur, principia esse ea, *ex quibus omnia*, in qua subintelligeretur, aut sunt, aut fiunt, aut cognoscuntur: Veruntamen Arist. voluit locupletissimam exactissimamque principiorum definitionem tradere, propterea ita voluit loqui, quod *principia neque sunt ex alterutris, neq; ex alijs, & ex his omnia*. & vt nobis daret occasionem ingenia nostra exacuendi. XVI.

Hinc liquido, quoq; vides, non in eodem sensu esse accipiendam particulam, EX, in tribus præfatis locis, & conditionibus, vt plerique interpretum temerè contendunt, sed in diuerso. Neq; propterea in Arist. verbis vlla est ambiguitas, aut æquiuocatio, vt aculti nescio qui digladiantur, sed æquiuocatio est in cerebro illorum, qui eam definitionem non intelligunt. Enimuero in duobus prioribus locis *non sunt ex alterutris, neque ex alijs*, dictio, EX, accipitur in vno sensu expressa per verbum *sunt*, quod determinat modum, & conditionem essendi: In tertio autem loco accipitur latius, & propterea Auctor nullum etiam adiecit verbum, vt nuper adnotaut. XVII.

SE-

SECTIO III.

Soluuntur argumenta initio Quæstionis facta.

XVIII Circa primum argumen.; & eius confirmationem, refert Simplic. in hoc primo lib. tex. 70. in sua Digressione, quod Alex. Aphrod. dubitauit (id autem facit Alex. in lib. primo Natural. quæst.) Si forma fit, & corrumpitur, quomodo igitur erit principium rerum naturalium? *nam, vt ait Plato in Phædro, corrupto, deletoque principio, neque ipsum ex aliquo est, neque aliud ex eo fiet, generabiturque*.

Deinde affert Simplic. tres Alexandri solutiones. Prima, quod non omnia principia eorum, quæ oriuntur, & occidunt, debeant esse ab interitu aliena, sed solùm primum subiectum, & primum agens: alioquin neque etiam vlla esset de nouo generatio. Secunda, quod forma in numero, & in particulari, corrumpitur. At in communi, & in specie est incorruptibilis: Modo de ratione principij non est, vt in hac, vel illa generatione remaneat, sed in generatione in communi, & in specie: sic autem manat etiam forma, ideo forma est principium generationis, *quemadmodum semper est calidum, & frigidum, sed non semper idem calidum, vel frigidum numero, alioquin non fieret generatio in his, quæ sunt*. Tertia, quod forma neque fit, neque corrumpitur, non enim materia, aut forma fit, sed coniunctum, ex vtraque simul siue compositum, quo etiam pereunte, fieri nequit, vt eius forma remaneat, quia res non alia ratione perit, nisi quia amittit formam.

XIX. Postea Simplic. conuenit cum Alexandro, quod Plato non dicat, principium elementale corporum, idest formam, debere esse ingenitum, sed solum illud principium, quod est fons, & origo motus, *quod sanè principium erat se ipsum mouens*. De secunda solutione Simplicius nihil dicit, quia etiam est vera, vt suo loco dicam. Tertiam verò vellicat. Primò quia id, quod nunc est, & antea non erat, profectò dicitur gigni, & fieri: ita id quod antea erat, & postea non est, dicitur corrumpi: Sed forma ita se habet, quandoquidem est nunc, cum antea non esset, & rursus nunc est, & postea non erit, quare forma & fit, & corrumpitur. Item generari nihil aliud est, quàm rem transire de non esse ad esse, & corrumpi nihil itidem aliud est, quàm rem transire de esse ad non esse. Atqui dum compositum gignitur, forma illius transit de non esse ad esse, & dum illud idem compositum corrumpitur, forma quoque eius transit de esse ad non esse, non enim forma sola alicubi remanet, quare etiam forma cùm fit, tum corrumpitur.

XX. Nihilominus solutio ab Alexandro data, quod scil. forma propriè non fit, est Aristotelis, qui in oct. Metaphys. tex. 14. statuit, formas esse, & non esse, absque ortu, & interitu, quia formæ non fiunt, sed ipsum compositum: cum omne, quod fit, fiat aliquo, & aliquid. Excipe Stagiritæ verba. *Cum quædam absque generatione, & corruptione sint, & non sint, vt puta puncta si sint quidem, & omninò species, & formæ. (non enim albedo, sed lignum album, fit ex aliquo, & aliquid fit omne, quod fit) profectò non omnia contraria fiunt vicissim*. Idem docet in lib. septimo eiusdem operis tex. 27. his omninò: *Manifestum igitur est, quod neque species fit, aut quodcunque nominare oportet formam*, & paucis interiectis. *Manifestum igitur ex dictis est, quod illud quidem, quod vt species, aut substantia dicitur, non fit: copulatio verò, quæ secundum hanc dicitur, fit. Et quod in omni, quod fit, materia inest, & est hoc quidem hoc, illud verò hoc*. Et in hoc primo lib. tex. 64. ita concludit. *Quare manifestum est ex dictis, quod omne, quod fit, semper compositum est*. Et ratio etiam in promptu suppetit, quia vnumquodque ita dicitur fieri, & generari, sicuti est; nempe sicut existit: solum autem compositum existit, forma verò non item; ergo hæc neque etiam dicetur fieri, ac generari, sed solum compositum.

Porrò hæc controuersia potius de nomine, quàm XXI
de re ipsa censenda est. Enimuerò fieri, & generari, græcè γίνεσθαι, & γίγνεσθαι, est quoddam æquiuocum, seu analogum. Atque propriè ac præcipuè id dicitur fieri, & generari, quod simpliciter & substantialiter generatur. Omne autem quod hoc pacto fit, procul dubio fit ex aliquo, & aliquid, ac proinde est compositum. Secundò dicitur fieri, & generari, omne id, quod antea non erat, & postea est, siue per generationem simplicem, siue secundum accidens, siue quouis alio modo. Ita dum generatur homo, dicuntur fieri, & generari etiam eius accidentia: & in ligno igni apposito generatur calor. Quiduero? ad interpositionem corporis opaci ad lumen propriissimè de nouo fiunt tenebræ. Quanquam (vt hoc quoque innuam) fieri, videtur extendi latius, quàm generari. Cum itaque Alex. asserit, formam non fieri, nec generari, sed solum compositum, loquitur de eo quod generatur primo modo: & rectè censet: Obiectiones verò Simplicij locum obtinent de ijs, quæ fiunt secundo modo. Atque hac ratione concedendum est, etiam formam fieri, & generari: eamque fieri ex materia, & fieri ex priuatione.

Ex qua quidem distinctione intelligimus com- XXII
plura Stagiritæ loca. Nam in oct. Metaphys. tex. 14. & in hoc lib. tex. 64. loquitur de generatione primo modo, ideòque iure optimo negat, formas generari: Alibi autem sermonem habet de generatione secundo modo, qua ratione rectè concedit formas fieri, & generari. Hinc in nono Metaphys. tex. 14. *forma*, inquit, *omnis quæ fit, aliquo modo prius fuit in fieri, & in moueri*. & lib. duodec. tex. 13. *forma, quæcunque fit, ex simili sibi* fit. Et communiter dicimus, formam educi de potentia materiæ. Educi autem est fieri actu id quod erat in potentia. Quod si forma fit actu, ergo fit.

Dic,

Digitized by Google

Dic, si vis, alia distinctione; quod solum compositum fit, & generatur: forma autem non fit, sed confit, & congeneratur. Vel, compositum fit, vt quod: forma autem fit vt quo.

XXIII Ex his patet solutio ad primum argumentum. Patet etiam ad secundum. Nam forma fit quidem ex priuatione, at non vt ex parte componente, sed veluti ex termino a quo, de qua re etiam in quæst. sequenti.

Eodem pacto patet solutio ad tertium. Præterquamquod aliud est loqui de contrarijs in abstracto, aliud in concreto. Vnum contrarium in abstracto non fit ex altero, quinimo neque ex priuatione illius, non enim caliditas fit ex frigiditate, aut raritas ex densitate, vt auctor est idem Philosophus in tex. 51., neque ex priuatione frigiditatis, vel densitatis, benè autem vnum contrarium in concreto acceptum fit ex suo contrario, sic *album ex nigro, aut aliquo alio medij coloris, & musicum ex immusico, & constructum ex inconstructo*, vt dicitur in tex. 45. Cum igitur forma, & priuatio, quæ sunt principia contraria, significentur per modum abstracti, nam formatum, & priuatum sunt concreta, impossibile est, eas fieri ex inuicem.

Ex his patet solutio ad alia duo, quæ contra eandem particulam ibidem obijciebantur quod videlicet forma fit ex priuatione, & quod vnum contrarium fit ex altero. Iam enim exposui quomodo forma possit dici fieri.

XXIV Ad primum verò argum. aduersus secundam particulam, concedendum est, materiam, & formam esse in Categoria substantiæ corporeæ, reductiuè, (nam directè non collocantur in prædicamentis, nisi res completæ) hinc tamen non sequitur, eas constare ex genere, & differentia, quia sunt naturæ simplices: alioquin etiam differentia substantialis deberet componi ex genere, & alia differentia, cum ea etiam reducatur ad prædicamentum substantiæ. Præterea, etiamsi darem, materiam, & formam constare ex genere, & differentia, non propterea sequitur, eas componi ex alijs principijs naturalibus, de quibus hic est sermo, siquidem genus, & differentia componunt solùm per intellectum, & metaphysicè.

Ad secundum arg. patet ex secunda solutione Alexandri, adducta à Simplic. vt circa solutionem primi argum. diximus. Nam forma, & priuatio in particulari quidem fiunt, in communi verò nequaquam, id autem satis est ad rationem principij.

XXV. Ad argum. denique contra tertiam particulam respond. Philosophum hic verba facere solùm de sublunaribus, quæ nimirum per generationem fiunt, Cælum verò nunquam est factum per generationem. Respond. 2. in Cælis reperiri tria principia, cum Cæli re ipsa constent ex materia, & forma, vt suo loco dicemus, priuationem verò in ijs debemus intelligere, non ad alias formas substantiales, alioquin Cælum esset corruptibile, sed est priuatio solùm ad Vbi, nam quando sol est in oriente, est in priuatione occidentis.

Ad confirmationem patet solutio ex ijs, quæ in sect. præced. diximus, vbi exposuimus, in quonam sensu accipienda sit particula, EX, in dicta definitione, quæ hic repetenda non sunt.

Ad vltimum, negatur antecedens, & ad primam illius probationem respond. quod quanuis actus, & XXVI potentia neque ex alijs, neque ex alterutris sint, non tamen ex ijs sunt, & fiunt omnia, cum reperiantur res aliquæ, vt formæ abstractæ, vel etiam res alia simplices, quæ non constant ex actu, & potentia.

Eodem pacto dicendum est ad secundam probationem, non enim omnia fiunt ex omnibus decem prædicamentis, vt de se clarum est.

Ita substantijs abstractis conuenit quidem prima conditio definitionis, quod non sint, siue non componantur ex alterutris, conuenit etiam secunda, quod non ex ijs, at non conuenit tertia, quod ex his omnia, nisi vellis dicere, ex ijs fieri omnia, tanquam a causa efficiente, de qua in præsenti non est sermo.

QVAESTIO II.

Vtrum prima contraria sint prima rerum naturalium principia: siue quæ principia rerum naturalium sint contraria.

SECTIO I.

Determinatio Quæstionis.



Rò determinatione rei propositæ, scito, contraria, quantum ad præsens attinet, alia esse positiua, alia priuatiua. Positiua sunt quatuor primæ qualitates, calor, frigus, humor, & siccitas, & multa ex ijs orta, vt albedo, nigredo, dulce, amarum, &c. Contraria autem priuatiua sunt habitus, & priuatio, veluti lux, & tenebræ, vita, & mors, visus, & cæcitas, omninò forma, & priuatio. Quæ quidem dicuntur contraria, quia sicut contraria positiua, V. G. calor, & frigus in eodem susceptibili simul esse non possunt, sed se mutuò ab eo expellunt, sic habitus, & priuatio simul in eodem subiecto consistere non valent. I.

Porrò contrarietas priuatiua est omnium contrarietatum prima, vt docet Arist. decimo Metaphys. cap. 4. *Prima*, inquit, *contrarietas habitus, & priuatio est*, & ratio in manu suppetit, tum II.

quia

quia oppositio priuationis, & habitus est principiũ cuiuscunque alterius contrarietatis, nam in omni contrarietate includitur habitus, & priuatio: vnde & ex duobus contrarijs positiuis, minus perfectum censetur priuatio alterius, vt ait Philosophus, in cap. illo 4. & in secundo de Cælo tex. 18. Principium autem est prius ijs, quorum est principium: Tum quia hæc sola contrarietas reperitur in substantia, quæ cum sit omnium Prædicamentorum prima, sequitur, vt contrarietas quoque, quæ in ea reperitur, sit omnium contrarietatum prima. Itaque dicere, prima contraria priuatiua sunt prima rerum naturalium principia, clarè est dicere, habitus, siue forma substantialis, & priuatio sunt prima principia rerum naturalium.

Scito præterea, principia alia esse principia transmutationis, alia compositionis: Illa dicuntur principia in fieri: hæc in facto esse. Principia compositionis necessariò sunt substantia, quippè cum componere debeant substantiam completam, vt hominem, aut lignum; omninò substantiæ sint necesse est, enimuerò ex non substantijs, substantia vtique fieri non posset. Ista principia sunt materia prima, & forma substantialis. Principia autem transmutationis sunt, præter materiam, forma, & priuatio. His ita constitutis.

Dico primò, Principia compositionis nullo pacto sunt contraria.

III. Assertio est Aristotelis in tex. 52., & probatur eius ratione. Nulla contraria componunt substantiam alicuius rei, nam quæcunque componunt aliquid, ea debent simul cohærere, atque vnà consistere. Hoc autem contrarijs repugnat. Sed principia compositionis componunt substantiam rerum: non igitur sunt contraria.

IV. Deinde, substantia non est contraria substantiæ ex eodem tex. 52. Quid ita? quia si substantia esset contraria substantiæ, tunc vna substantia posset immediatè ab alia substantia corrumpi: quippè quicquid habet contrarium, potest ab eo labefactari. Absurdum autem est, vnam substantiam posse immediatè ab alia corrumpi; tunc enim etiam substantiæ abstractæ ab inuicem possent destrui. Cum igitur principia compositionis sint substantiæ, ea profectò inter se contrariari non possunt. Accedit, quod subiectum, & forma non sunt contraria, vt docet Philosophus in tex. 50. ergo materia, quæ est subiectum, non contrariatur cum forma.

Dico 2. Materia, & priuatio non sunt inter se contraria.

V. Hæc etiam assertio est Aristotelis in tex. 51. 52. & 76. Et colligitur euidenter, quia contraria simul esse haud queunt: Materia, & priuatio stant simul. Nam materia nunc est sub hac forma, postea erit cum alia, ac proinde cum priuatione formæ, qua prius erat induta, siquidem subiectum contrariorum debet esse idem.

Dico 3. Principia transmutationis rerum naturalium sunt tria, videl. materia, quæ est subiectum; priuatio, vt terminus a quo, & forma, vt terminus ad quem.

Quæ conclusio vel ex eo manifesta est, quòd omnis transmutatio est a quodam, in quoddam, vt ostendit Philosophus lib. tertio huius operis tex. 41., & lib. quinto tex. 55., & lib. sexto tex. 32., & alibi sæpe. Porrò transmutatio non debet recipi in nihilo: exigit igitur id, quod eam in se suscipit, & quod transmutatur; & hoc est subiectum, siue materia. Exigit præterea id ex quo, veluti a termino a quo transmutetur, & id est priuatio formæ acquirendæ; postremò exigit id ad quod, tanquam ad terminum ad quem transmutatur, ergo exigit præfata tria. Quæ omnia clarè vides, cum aqua V. G. ex calida fit frigida. Aqua est, quæ in ipsa transmutatur: frigus verò, atque adeo priuatio caloris, est id ex quo, tanquam a termino a quo transmutatur. Calor demum est forma, & terminus ad quem transmutatur. Sic in transmutatione substantiali, Materia prima, induta tamen aliqua forma, est quæ mutationi substantiali substernitur, seque ipsa deducitur a priuatione ad formam, & a non esse V. G. hominis, aut equi, ad esse eorumdem, quare dicta tria, scil. materia, priuatio, & forma sunt principia transmutationis, siue generationis. VI.

Dico 4. Ex his tribus principijs sola forma, & priuatio sunt contraria: & sunt contraria priuatiuè.

Quod forma, & priuatio sint contraria, luce clarius est, cum se inuicem ab eodem subiecto expellant. Potest tamen a priori etiam hoc pacto demonstrari. Transmutatio nihil aliud est, quàm exitus quidam, qui fit a transmutante in eo, quod transmutatur, qui quidem exitus facit, vt aliquid aliter se habeat nunc, ac se habebat prius. Exitus hic, & variatio debet tendere ad aliquid, propter quod illud agens, & transmutans operatur: Istud, ad quod tandit, non potest esse ipsum subiectum, quod transmutatur, vt de se manifestum est: Neque potest esse aliqua priuatio, omni forma, & specie exuta, tum quia hæc sola in rerum natura non consistit: Tum etiam, quia tunc fatuus esset conatus agentis, si intenderet solam priuationem, & nihil. Neque potest esse aliquid aliud, quod sit actu simile ei, quod transmutatur, quia tunc non esset necessarium transmutari, cum iam haberet actu id, ad quod acquirendum tenderet, sed benè habet aptitudinem ad illud acquirendum: aptitudo autem ista denotat priuationem ad aliquam formam, quæ quidem priuatio non potest cosistere simul cum forma, ad quam transmutatur. Talia autem est contrarium, ergo priuatio, & forma sunt contraria. VII.

Quod autem opponantur priuatiuè, etiam clarum est, vel ex ipso Aristotele in Postprædicam. cap. de Oppositis, nam sic opponuntur habitus, & priuatio.

SE.

SECTIO II.

Adducta, & depulsa aliqua argumenta contra ea, quæ determinata sunt.

VIII. PRimò arguitur contra primam conclusionem, in qua dictum est, principia compositionis, idest materiam, & formam, non esse contraria. Actus, & potentia sunt contraria, ex nono Metaphys. tex. 7., quia hæc duo inter se maximè distant, & ab eodem subiecto vicissim se expellunt. Forma, vt docet Philosophus in secundo de Anim. tex. 5., est actus, materia autem, auctore eodem Philosopho in hoc lib. tex. 82. est potentia, quare forma, & materia sunt contraria.

Primò negandum est, quod vniuersè actus, & potentia sint contraria. Nam potentia multiplex est, vt explicat Philosophus nono Metaphys. cap. 5. Aliqua non potest vnà cum actu, ad quem illa ordinatur, consistere, sed ad illius aduentum cessat. V. G. lignum est in potentia, vt comburatur: facta in eo combustione, non est lignum: Alia autem consistit cum suo actu, nam potentia ambulandi, dum quis actu ambulat, non cessat esse. Ratio huius differentiæ est, quia prior actus est adæquatus illi potentiæ: posterior autem non est adæquatus: & huiusmodi potentia est materia. Vnde non est contraria formæ.

IX. Respond. 2. quod subiectum præditum aliqua potentia, non opponitur actui, & formæ secundum se. Argumento est, quod subiectum idemmet manens, recipit actum; sed opponitur ratione priuationis sibi annexæ. Quare materia non opponitur formæ secundum se, sed ratione priuationis.

X. Secundò, contra eandem conclusionem. Materia secundum se dicit remotionem, seu priuationem cuiuscunque formæ. Quod ex eo liquet, quia materia secundum se, nullam omninò includit formā, quemadmodum docet Philosophus in primo de Ortu, & Inter. tex. 11., & in septimo Metaphys. tex. 8., & nos ostendimus suo loco. Sed quod secundum se dicit priuationem cuiuscunq; formæ, id porrò secundum se opponitur formæ priuatiuè. ergo materia secundum se est contraria formæ.

Respond. Materia non dicit remotionem, siue priuationem omnis formæ, secundum se, & vt est materia, & substantia quædam, quippè hoc pacto nulli contrariatur, cum substantia nulli sit contraria, ex Prædic. de Substantia: sed dicit remotionem cuiuscunq; formæ, vt est induta priuatione: est autem in duta priuatione semper: impossibile enim est, considerare materiam secundum se, & non considerare illam cum priuatione.

XI. Tertiò, arguitur contra secundam conclusionem, in qua dictum est, materiam non opponi priuationi. Ens, & non ens opponuntur contradictoriè, nam *affirmatio, & negatio est vnum genus oppositorum, veluti sedet, non sedet*, inquit Philosophus in Postprædic. cap. de oppositis: sed materia est ens, priuatio est non ens, quare etiam istæ opponuntur inter se. Quod autem materia sit ens, apparet vel ex eius definitione tex. 82. quia *est primum subiectum, ex quo fit aliquid*. Quod verò priuatio sit non ens, etiam apparet ex tex. 75., & 79. vbi priuatio dicitur *per se non ens*.

Respond. quod materia, & priuatio gemino modo possunt considerari. Vno quidem in ratione entis, & non entis, & hoc pacto opponuntur cōtradictoriè. Altero autē in ratione oppositionis, qua ratione priuatio non modo non opponitur materiæ, sed intimè ei coosociatur, vt nuper dictum est. Etenim, cum idem sit subiectum contrariorum, vt explicat Philosophus tum sæpè alibi, tum in primo de Ortu, & Inter. tex. 1. sequitur, vt materia, sicut non opponitur formæ, sed eam in se recipit, ac fouet, ita neque opponatur priuationi, sed ea æquo vtramque recipit successiuè, quemadmodum oculus est susceptiuus visus, & cæcitatis, & hic aer nunc luce, nunc tenebris est perfusus.

Quartò, arguitur aduersus vlt. conclusionem, in qua constitutum est, formam, & priuationem esse contrarias. Quod per se est nihil, id nulli contrariatur, quia non entis nullæ sunt affectiones: Priuatio est nihil, ergo nulli contrariatur.

Neganda est minor. Priuatio non est absolute nihil, sed est quædam carentia cum aptitudine in subiecto: concipiturque ab intellectu, veluti quædam forma afficiens subiectum, vnde etiam in secundo lib. huius operis tex. 15. *priuatio dicitur forma quodammodo*. de qua te suo loco. XII.

QVAESTIO III.

Quomodo principia rerum naturalium sint contraria, priuatiuè ne, an positiuè?

SECTIO I.

Opinio, & argumenta, quod principia rerum naturalium sint contraria positiuè.



Ihil in Philosophia statui potest ita firmum, ac tantum, quod non aliquis philosophantium opinetur subuertere. Habitum, seu formam, & priuationem nō opponi inter se contrariè, & positiuè, sed solùm priuatiuè, tradidit expressè Philosophus in Postprædic. cap. de opposit. Quo loci recenset quatuor genera oppositorum. *Dicitur*, inquit, *alterum alteri opponi quadrifariam, vel vt ad aliquid*, I.

 vel

vel vt contraria, vel vt priuatio, & habitus, vel vt affirmatio, & negatio. Vt ad aliquid, veluti duplum dimidio: vt contraria, veluti malum bono: Vt priuatio, & habitus, veluti cæcitas, & visus. Vt affirmatio, & negatio, veluti sedet, non sedet. Et ratio huius dicti in promptu est, quia contrarietas positiua est inter duas formas positiuas, ceu inter album, & nigrum, calidum, & frigidum. Oppositio autem priuatiua est inter vnam formam, & eius carentiam in subiecto, apto ad eam, vt visus, & cæcitas, lux, & tenebræ, vita, & mors. Cum itaque duo principia rerum natura constantium, sint forma, & priuatio, quemadmodum in Peripato nemo non audiuit, hæc porrò debebunt statui non contraria vera, & positiua contrarietate, sed solùm opposita priuatiuè.

II. Et nihilominus non desunt, qui contendant, principia hæc esse verè, propriè, & positiuè contraria. Quod, vt tueantur, dicunt, quod per priuationem constitutam ab Aristotele tertium principium, & terminum a quo generationis, non debet intelligi pura carentia formæ in subiecto, sed intelligitur alia forma substantialis positiua, & positiuè contraria formæ generandæ: forma, inquam præexistens in materia, & præcedens generationem, non quidem, vt est forma absolutè, sed, vt habet annexam carentiam formæ subsequentis. V. G. quia semen equi est proximè in potentia ad formam equi, ob id priuatio formæ equi est ipsa forma seminis, non quatenus forma absolutè, sed quatenus secum habet annexam carentiam formæ equi generandi. Modo forma seminis vtique est quoddam positiuum: Illa itaq; forma est, inquiunt, tertium principium, & terminus a quo transmutationis substantialis, atque illa eadem appellatur priuatio. Ex quo vides, quomodo priuatio, quæ pro tertio principio rerum naturalium inducitur, sit aliquid positiuum.

III. At quoniam vna substantia nequit alteri substantiæ positiuè contrariari, vt vel ipsi Logices candidati ex Prædic. Subst. norunt, iccircò dicti auctores subdunt, quod præfatæ formæ, videl. forma seminis, quæ statuitur tertium principium, & terminus a quo generationis, & appellatur, vt dixi, priuatio, & forma subsequens generanda, hac solùm ratione nuncupantur contrariæ, quia in eadem materia simul non possunt cohærere, & vna expellit alteram. Hanc opinionem amplectitur Simplic. in secundo Phys. ad tex. 15., & eandem tribuit Alex. in hoc primo lib. tex. 58. & ita legere possumus apud Alex. in lib. secundo Quæst. Natural. cap. 11. secutus postea est Auerr. in secundo tract. Epitomes Metaphys. cap. 1 a. tum Albert. in hoc lib. tract. 3. cap. 3. demum Zabarella lib. primo de prima rerum materia cap. 7. & 8. & etiam aliqui moderni.

IV. Quæ sententia suaderi potest, tum auctoritate Philosophi, tum ratione. Et quidem Arist. in hoc primo lib. tex. 43. hæc scribit, *Neque fit quodlibet ex quolibet, nisi quis accipiat secundum accidens: qualiter enim fiet album ex musico, nisi accidens sit albo, aut nigro musicum? Sed album quidem fit ex non albo, & non ex omni, sed ex nigro, aut medijs.* Sic colligo. Si priuatio, vt absolutè est in materia carentia formæ producendæ, esset tertium principium, & terminus a quo mutationis, posset quodlibet fieri ex quolibet. Cur? quia priuatio absolutè in materia spectata, æqualiter respicit omnes formas, quæcunque ex ea materia valent educi. At hoc negatur ab Aristotele, asserente *non quodlibet fieri ex quolibet*, ergo &c.

V. Deinde, apertius positiuum transmutationis terminum explicat, dum inquit, *& hoc non ex omni, sed ex nigro, aut medijs.* Quibus verbis luculenter indicat, terminum a quo eius alterationis esse formam præexistentem, & positiuè contrariam formæ generandæ, qualis re ipsa est forma nigri.

Accedit, quod Philosophus in tex. 62. huius lib., volens indicare materiam propriam, ex qua fit vnaquæq; res, (propria autem materia est, quæ habet priuationem talis, aut talis rei determinatè gignendæ) ait, plantarum, & animalium materiam esse semen. *Nam semper est aliquid, quod subijcitur, ex quo fit, quod fit, vt planta, & animalia ex semine.* Hic ponitur semen pro termino a quo generationis substantialis plantarum, & animalium, non quidem qua absolutè coalescit ex materia, & forma seminis, sed qua constat ex materia, & priuatione plantæ, & animalis gignendi: quia omne, quod fit, fit ex materia priuata, ergo priuatio posita pro termino a quo generationis, non est mera carentia formæ plantæ, & animalis, sed est ipsamet forma seminis, quatenus ad formam plantæ refertur. Istæ formæ sunt positiuè contrariæ. ergo &c.

VI. Postremò, & propter hanc rationem Philosophus in secundo Physic. tex. 15. priuationem appellat aliquo pacto formam: dum inquit, *forma itaque natura est, sed forma, & natura dupliciter dicitur: etenim priuatio forma quodammodo est.*

Pro hac ipsa sententia est prima ratio. Illud est terminus a quo, & priuatio rei generandæ, a quo determinatè oritur eius generatio: est enim statuenda propria, ac determinata priuatio vniuscuiusq; rei: At terminus, a quo determinatè oriuntur generationes rerum, est priuatio, non quidem formaliter accepta, cum hoc pacto sit mera carentia, & nihil; sed est priuatio, quatenus per necessariam comitantiam est ipsamet forma præcedens, veluti opposita formæ producendæ. quare hæc est terminus a quo generationis, & tertium rerum naturalium principium. Minor probatur, quia dicimus, ex cibis fieri sanguinem, ex sanguine carnem, & ex semine generari equũ, aut plantam. nõ autem dicimus, hæc fieri ex lapide, aut ex ferro, quia lapis, & ferrũ non sunt determinati termini, a quibus hæc fiant.

VII. Explicatur hoc magis. Materia in generatione transit de vna forma ad aliam: sed id, ex quo aliquid incipit transire, est terminus a quo eius huiusmodi transitus, ac proinde ille terminus est priuatio, quemadmodum forma, ad quam tendit, est terminus ad quem: ergo forma præcedens, quatenus relata ad

formam

formam generandam; dicitur priuatio, & tertium principium.

VIII. Secunda ratio. Si priuatio, de qua est sermo, esset sola absentia formæ in materia, sequitur, vt si daretur materia omni forma exuta, adhuc ex ea posset celebrari generatio, cum ibi adesset subiectum, & terminus a quo. Hoc autem est impossibila, vt colligitur ex Aristotele in primo de Ortu, & Inter. tex. 13., & Auerr. oct. Physic. com. 4. Quorum doctrinæ innixi aliqui, inter quos est P. Fonse. in quinto Metaphys. cap. 2. quæst. 4. sect. 2. dicunt, quod si Deus materiam nudam propè ignem apponeret, ignis nihil in eam ageret, quia agens naturale non introducit formam, nisi in materiam dispositam: nec disponit materiam, nisi quæ habeat aliquam formam substantialem. Hi sunt nerui præfatæ senteniæ.

SECTIO II.

Priuatio, quæ est terminus a quo generationis substantialis, & ab Arist. ponitur tertium principium rerum naturalium, non est forma substantialis præcedens formam generandam, & omninò non est aliquod positiuum: Ac proinde, principia contraria non sunt verè, ac positiuè contraria, sed solum priuatiuè.

IX. HÆc est communis Philosophorum consensio, & probatur. Primò. Omnis priuatio opponitur formæ, cuius est priuatio, quemadmodum explicat Stagirites in Postprædic. cap. de Opposit. & in decimo Metaphys. cap. 4. Nulla forma substantialis opponitur alteri formæ substantiali. quare nulla priuatio potest esse forma præexistens in materia, & præcedens formam generandam.

Minorem ostendo. Vna substantia non potest opponi alteri substantiæ, neque contrariè, ac positiuè, neque priuatiuè: Sed forma substantialis tam præcedens, quàm generanda, sunt substantiæ, vt vel ex secundo de Anim. tex. 2. & septimo Metaphys. tex. 7. Quod autem vna substantia non possit alteri substantiæ opponi contrariè, & positiuè, apparet; Primò, quia opponi hoc modo est proprium accidentium: sic enim opponuntur calidum, & frigidum, album, & nigrum &c. Secundò, quia quando Philosophus in cap. de Substantia ait, substantiæ nihil esse contrariũ, communis omnium interpretatio est, nihil esse contrariũ positiuè. Tertiò, quia quæcunque sunt contraria positiuè, ea immediatè agunt, & patiuntur inter se, vt inductione animaduertere licet. At vna substantia immediatè neque agit in aliam, neque ab ea patitur, sed agunt, & patiuntur medijs accidentibus, vnde etiam Arist. in lib. de Sensu, & Sensibil. cap. 4. ignis, inquit, & terra, cæteraque elementa non sunt apta quicquam agere, secundum quod sunt ignis, & terra: idest secundum quod sunt substantiæ, sed prout prædita sunt calore, frigore, & alijs qualitatibus, *Quà igitur*, inquit, *ignis, & quà terra, nihil aptum est agere, vel pati, nec aliud quicquam: quà autem inest contrarietas in eis, hæc omnia agunt, & patiuntur.*

Quod demum forma substantialis præexistens in materia, & forma generanda, nequeant inter se opponi priuatiuè, manifestum est. Siquidem illa opponuntur priuatiuè, quorum vnum habet esse, alterum autem non item; sed tantum est illius absentia, vt cæcitas, & visus, tenebræ, & lux. At in proposito vtraque forma habet verè esse, quare non opponuntur priuatiuè.

Secundò, probo eandem assertionem. Si priuatio, quæ ponitur terminus a quo generationis substantialis, & tertium principium, esset forma substantialis præexistens in materia, & præcedens formam generandam, tunc forma, quæ generatur, fieret ex alia forma. Quod ex eo ostendo, quia forma substantialis fit ex priuatione, quæ est legitimus terminus, a quo oritur generatio, vt explicat Philosophus in tex. 43. & deinceps: Atqui hæc priuatio, iuxta oppositam sententiam, est forma substantialis præexistens in materia, & præcedens formam generandam: quare vna forma substantialis fieret ex alia forma substantiali. Hoc autem quis vnquam dabit? Tunc enim etiam illa forma deberet fieri ex alia, & ita in infinitum. Et præterea, tunc vnum principium fieret ex alio principio in eodem genere, id est forma ex forma: ac proinde esset ex alio, & non esset ex alio. X.

Adde cum Simplic. in hoc primo lib. tex. 58. quod iuxta oppositam sententiam, sequitur, vt priuationis sit alia priuatio, & illius alia, & sic in infinitum. Consequens est absurdum, quia priuationi opponitur forma, non verò alia priuatio: Consequentia autem est clara, quia forma V. G. seminis est priuatio formæ hominis iuxta illam sententiam; sed forma seminis habet ipsa quoque priuationem, ergo priuatio habet priuationem.

Tertiò. Si priuatio, & terminus a quo generationis substantialis esset forma substantialis præcedens, ergo etiam terminus ad quem in corruptione substantiali esset forma substantialis; illa nimirum, in quam desinit esse rei corruptæ. Quippè generatio, & corruptio se habent opposito modo, & quemadmodum illa est mutatio ex non esse ad esse, ita hæc est mutatio de esse ad non esse; vt explicat Arist. in quinto Physic. tex. 7. & 8. Hinc secundum veritatem, sicut terminus a quo generationis est priuatio, ita terminus ad quem corruptionis est itidem priuatio: quare etiam iuxta auctores, cum quibus agimus, si terminus a quo generationis substantialis est forma sustantialis præcedens rem, & formam generandam, ita e regione terminus ad quem in corruptione erit etiam forma substantialis, quæ subsequitur ad rem, & formam corruptam. Quis autem est ita fatuus, qui dicat, corruptionem substantialem terminari ad formam substantia- XI.

lam ? Hem, esset mutatio ad esse, non ad non esse, & esset generatio, non corruptio.

XII. Neque refugium quorumdam illius opinionis fautorum, inter quos se se immiscet Zabarel. in lib. primo de prima rerum materia cap. 7., quicquam eis opitulatur, qui dicunt, formam V. G. feminis, dupliciter posse considerari. Vno modo, vt est forma, qua semen est semen? Altero autem, vt respicit formam generandam, V. G. equi. Primo modo, dicitur opposita priuationi suæ præcedenti, non autem formæ producendæ equi, quia hoc pacto non est priuatio, sed forma, & hac ratione est terminus generationis ad quem, cum ex sanguine fit semen. Secundo autem modo, eadem forma feminis opponitur formæ equi, non vt forma alteri formæ, sed vt priuatio formæ, quatenus videl. habet annexam, & comitantem priuationem formæ equi. Hoc quippè pacto est terminus generationis a quo, quia ex semine fit homo.

Hæc non euitant argumenta facta. Nam forma feminis comparata ad formam equi, verè est substantia. Nam substantia collata ad quodcunq; aliud, semper est substantia: ergo hac ratione nequit statui priuatio, cum vna substantia non opponatur alteri substantiæ, vt in primo argumento dicebamus. Item, forma seminis relata ad formam equi, non amittit esse formæ, ergo forma fiet ex forma, vt in secundo argumento colligebamus. Postremò, ad tertium argumentum, ne ipsa nou habent, quod dicant.

XIII. Sed vlterius, hoc eorum refugium, & ipsa sententia sic vrgetur. Scribit Auerr. cum sæpe alibi, tum lib. quarto huius operis com. 118., & lib. tertio de Anim. com. 25. *quod priuationes terminantur in respectu habituum, & mensurantur*. Cuius dicti ratio est, *quia priuationis, vt est priuatio, nulla est differentia*. vt loquitur Arist. in primo de Partibus Animal. cap. 3., vnde etiam in Philosophia est commune dictum, quod priuationes non habent speciem, sed reducuntur ad speciem illius habitus, seu formæ, qua priuant: & distinguuntur specie ex eodem habitu, seu forma. At iuxta auctores, cum quibus edisserimus, oppositum erit dicendum. Nam ad eorum aures, priuationes sunt verè, ac reales formæ: Formæ autem non determinantur, neque mensurantur per alias formas, sed se ipsis: & differunt inter se, tum sunt eiusdem, aut diuersæ speciei, ex se ipsis, ergo &c.

XIV. Postremò, accedunt clarissima Stagiritæ testimonia. Et quidem in hoc lib. tex. 79. asserit, priuationem esse per se *non substantiam*, Et, *non ens*. Hæc verò, quomodo cadere queunt in formam, quæ in materia præexistit? Deinde, in decimo Metaphys. tex. 14 legimus, *quod generationes ex contrarijs sunt, sicut ex vltimis. Vltimorum verò distantia maxima est*. At quo vnquam pacto forma substantialis præcedens, & forma itidem substantialis subsequens sunt vltima contraria? Quomodo inter has est maxima distantia?

Ad hæc, suppetit pulcherrimus locus ex eodem decimo Metaphys. tex. 16., vbi Philosophus, qua. XV.
si constituens discrimen inter generationem accidentalem, veluti cum album fit ex nigro, aut calidum ex frigido, & generationem substantialem, per quam fit planta, aut equus, inquit, *si itaque generationes ipsi materiæ ex contrarijs; fiunt autem, aut ex specie, & speciei habitu, aut priuatione aliqua speciei, & formæ*. Dicit generationem accidentalem fieri ex specie, & habitu speciei, quia licet vtriusque generationis terminus a quo sit priuatio formaliter, tamen est hæc differentia, quod priuatio in transmutatione accidentali fundatur in ente, in actu, icircò dicitur fieri *ex specie, & speciei habitu*: priuatio autem in generatione substantiali fundatur in ente, solùm potentia, idest in materia prima: & ideò generatio substantialis dicitur fieri *ex priuatione speciei, & forma*. ergo priuatio in generatione substantiali non est forma substantialis præcedens.

Ex his, quæ hucusque edisseruimus, collige; XVI.
quod si priuatio, de qua loquimur, non est forma substantialis in materia præexistens, atque adeò non est opposita contrariè positiuè formæ generandæ, omninò fatendum relinquitur, duo principia rerum naturalium, quæ communi ore contraria appellitantur, idest formam, & priuationem, non esse verè, & positiuè contraria, sed opposita duntaxat priuatiuè, dicíqua contraria largo modo.

Porrò, vt rem hanc intimè deprehendas, sciò, quod materia prima semper degit sub aliqua forma substantiali, icircò dum res aliqua generatur, materia transit a non esse formæ generandæ, ad esse ipsius. At non esse formæ producendæ est in materia priuatio, & terminus a quo generationis. Præterea, eadem materia, vtpote semper induta aliqua forma, semper transit ab vna forma substantiali, ad aliam: quo fit, vt forma quoque præexistens sit terminus, a quo incipit generatio: Sed hoc discrimine, quod priuatio est terminus a quo per se generationis: forma autem præcedens est terminus a quo, solùm per accidens eiusdem generationis.

Quod priuatio sit per se terminus a quo generationis, ostensum habes ab Aristotele in hoc primo Phys. & patet, quia dum aliquid concurrit solùm per accidens ad aliquam actionem, illa actio potest fine eo consistere: impossibile autem est, generationem posse consistere absque eo, quod fit a non esse, ad esse, quod est a priuatione ad formam. Quod autem hæc, aut illa forma sit terminus a quo, solùm per accidens generationis, etiam patet, quia fine hac, vel illa forma præexistente benè potest esse generatio. XVII

Hinc addunt auctores, quod si per impossibile materia existeret fine omni forma, ita vt agens proportionatum posset in eam agere, & inducere prævias dispositiones, posset vtique in eadem materia producere aliquam formam, in qua tamen omninò fuisset priuatio illius formæ. Hinc vides,

quomodo

quomodo forma præexistens in materia est terminus a quo, solùm per accidens subsequentis transmutationis, & formæ: priuatio autem est terminus per se. Et propter hanc etiam rationem forma præcedens non recensetur inter principia rerum naturalium, alioquin principia essent quatuor: benè autem enumeratur priuatio.

XVIII Quod si dicas, si principia verè, & positiuè non sunt contraria, sed tantùm opposita priuatiuè, cur Arist. qui alioquin gaudet proprietate sermonis, non opposita, sed absolutè contraria ea vocat?

Respond. id fecit, vt communem Veterum loquendi modum retineret, qui principia appellabant contraria, vt patet tum ex tex. 41. tum 48. & ex primo Metaphys. cap. 2. 3. & 4.

SECTIO III.

Dilutio argumentorum pro prima opinione adductorum.

XIX. PRo quorum solutione, scito, priuationem in materia duplicem esse. Vna est communis, & quasi remota: Altera proxima, & veluti peculiaris. Quod, vt rectè intelligas, recole ex Aristotele in quinto Metaphys. tex. 17. quod cum priuatio sit carentia alicuius formæ in subiecto apto ad illam, omninò duo importat, videl. absentiam formæ, & aptitudinem subiecti ad illam. Hinc varia aptitudo subiecti ad aliquam formam, variat etiam priuationem in eodem subiecto. V. G. quia alia aptitudo est in talpa ad visum, alia in cane nuper edito, alia in homine cæco, alia priuatione, & alio modo dicetur talpa priuata visu, alio catulus nuper natus, alio homo: de qua re vberius dixi in disput. vlt. huius libr.

Nunc in proposito, materia prima secundum se spectata, primò quidem consideratur, vt est capax omnium formarum, vnde intelligitur priuata omnibus illis formis: ac proinde est in ea vna priuatio, quæ dicitur communis, & veluti remota. Deinde, eadem materia potest intelligi modo quodam destinata, dispositaque ad vnam aliquam certam formam, adeò vt per aliquam formam substantialem, vel saltem per dispositiones præuias, sit magis capax huius, quàm alterius formæ: qua ratione consurgit in eadem materia alia priuatio peculiaris, & proxima. V. G. materia prima de se habet aptitudinem & ad formam animalis, & ad formam ligni, postea inducta in eam forma seminis, dicta materia vltra communem illam aptitudinem, fit magis apta ad formam animalis potius, quàm ligni, aut lapidis. Ita si eadem materia sit informata semine humano fit magis apta ad formam humanam, quàm ad aliam: si informata forma seminis equini, fit aptior ad formam equi, quàm ad formam aut leonis, aut canis. Hinc vides, quomodo in eadem materia prima consurgit alia priuatio peculiaris, præter illam communem, aut certè illa communis priuatio contrahitur, & fit particularis, & proxima. Quo fundamento posito.

Ad primum arg. illius sententiæ respond. Aristotelem illis verbis, *non quodlibet fit ex quolibet, & album fit non ex omni non albo, sed ex nigro, aut ex medijs.* non significare, quod generatio per se exigat contrariam formam præexistentem, veluti terminum a quo, sed indicare tantummodo materiam proximiorem, & peculiari illa priuatione, vt exposui, præditam: ex qua proximè debet fieri illa transmutatio. Huc spectans Arist., ait, album haud fieri ex quocunque non albo, siue ex quacunque priuatione, quomodocunque existente in materia: Nam etiam homo est non album, tum linea, aut corpus, tum calor, frigus, idque genus alia, reipsa sunt non alba, attamen ex his non fit album, nisi secundum accidens. Nam vt Auctor in eodem tex. 43. loquitur: *qualiter album ex musico, nisi accidens sit albo, aut nigro musicum?* Profectò generationes per se fieri debent inter ea, quæ sunt eiusdem Prædicamenti, vt etiam docet Philosophus in decimo Metaphys. tex. 23. his verbis. *Quæ enim genere differunt, non habent ad se mutuò viam, sed plus distant: ϰαὶ ἀσύμβλητα, & non sunt coeuntia: illis verò, quæ specie differunt, generationes ex contrarijs, tanquam ex vltimis sunt: distantia verò vltimorum maxima est, quare etiam contrariorum.* XX

Præterea, quod Arist. dum ait, album fieri non ex omni non albo, sed *ex nigro, aut medijs.* non significet, album per se debere fieri, veluti ex termino a quo, ex aliqua forma positiua, & contraria formæ generandæ; sed solùm significet materiam peculiari priuatione præditam, & contractam, apertè indicat per subsequentia verba, dum pariter addit, *Et musicum ex non musico, sed non ex omni, sed ex immusico.* Vbi immusicum non dicit aliquam formam contrariam ipsi musicæ, sed carentiam in subiecto propinquè capaci musices. Eodem pacto respondendum est ad aliud ex tex. 62. eiusdem libri primi. Patet enim cur dicat, plantas, & animalia fieri ex semine. XXI.

Ad illud autem ex secundo Physic. tex. 15. dixi ad eum locum. Interea assero, priuationem appellari *quodammodo formam*, quia concipitur in materia quasi forma aliqua. Et vt rectè Simplic. *priuatio*, inquit, *est forma quodammodo. vel vt distinguitur, & diuiditur contra subiectum: quocirca, & ipsa cum insit subiecto, ceu ipsa forma, fit quædam forma, & species subiecti. Nam accidentia sunt formæ aliquo modo his, quibus accidunt, quoniam non simpliciter priuatio est absentia, sed in subiecto apto ad recipiendum formam.* XXII

Ad 1. rationem patet etiam ex dictis. Nam terminus a quo proximus per se generationis est illa priuatio determinata ad talem, aut talem formam: forma autem in materia præexistens est solùm terminus a quo per accidens eiusdem generationis, vt supra exposui. XXIII

Ad 2. rationem respond. Contradictionem inuolui, quod materia de se sine omni forma substan- XXIV

uali

tiali existat à parte rei: esset enim actu, sine actu, vt suo loco ostendi, ac proinde etiam implicat, quod ea de se valeat influxum agentis in se se recipere, & hoc conuincit illa ratio. Cæterùm data duplici hypothesi, quod videl. ea existeret, & quod in eamdam ageret aliquod proportionatum agens, existimarem, posse ex ea produci formam. Verùm de Quæstionibus satis, redeundum est ad Aristotelem, quare est.

T E X T V S XLIII.



Ed oportet hoc, & per rationem considerare qualiter contingat. Accipiendum igitur est primum, quod omnium, quæ sunt, nihil neque facere natum est, neque pati contingens a contingenti, neque, fit quodlibet ex quolibet, nisi quis accipiat secundùm accidens, qualiter enim fiet album ex musico, nisi accidens fit albo, aut nigro musicum? sed album quidem fit ex non albo, & hoc non ex omni, sed ex nigro, aut medijs; & musicum ex non musico, sed non ex omni, sed ex immusico, aut si aliquid ipsis medium.

I. Dissident expositores, quid Auctor hoc loco intendat facere. Potior sententia est, quod velit, probare tertiam particulam minoris propositionis, positæ in syllogismo confecto in tex. proximè præced. Syllogismus erat hic. Illa, quæ neque sunt ex alterutris, neque ex alijs, & ex his omnia, sunt prima principia: Prima contraria neque sunt ex alterutris, neque ex alijs, & ex his omnia: quare prima contraria sunt prima principia. Ostendit in tex. præced. prima contraria, neque ex alterutris, neque ex alijs esse. Nunc pergit ostendere, quo pacto omnia alia sint, & fiant ex ijs. (Ex qua quidem ostensione dilucidius etiam apparebit, in quonam sensu accipiendum sit, quod prima contraria non fiant ex se inuicem) Hoc itaque explicat à tex. præsenti vsque ad quadragesimum septimum, in quo tandem concludit, *Quod si ita res se habet, omne generabitur, quod generari aptum est, & interibit, quod aptum est interire, aut ex contrario, aut in contraria, & horum media.*

II. In hoc tex. primùm proponit suum intentum: deinde, adijcit nonnulla axiomata: demùm, occurrit tacitæ cuidam obiectioni. Ait itaque. *sed oportet hoc, & per rationem considerare, quomodo contingat.* Diximus, inquit, prima contraria neque esse ex alterutris, neque ex alijs, & ex his omnia. Priores duas particulas satis in tex. præced. confirmauimus nunc, τοῦτο, *Hoc*, quod videl. & ex his omnia, *oportet & per rationem considerare*, considerandà est causa, quomodo cuncta, quæ fiunt, fiant ex primis contrarijs? Quippè, cum cognouerimus, omnia concreta effici ex contrarijs, vt album ex non albo, & musicum ex immusico, & excluserimus abstracta: (non enim albedo fit ex nigredine, aut musica ex immusica,) syncerè deprehendemus illam tertiam particulam, quod ex primis contrarijs fiant omnia, & syncerè etiam intelligemus alteram particulam, dum diximus, prima contraria non fieri ex alterutris.

III. Hanc connexionem impugnant aliqui, inter quos est Zabar. Primùm, quia in alio sensu Arist. hic loquitur de contrarijs, ac fecit in tex. præced. nam in tex. præced. dicens, *ex his fieri omnia*, intelligit de primis contrarijs. Hic autem nullam facit mentionem primorum contrariorum, sed loquitur vniuersè de omnibus contrarijs. Deinde, in tex. anteced. accipit particulam, Ex, constitutiuè, non terminatiuè; etenim comparauit prima contraria, tum inter se, inquiens, ea ex se inuicem non fieri; tum cum alijs omnibus præter illa; & dixit, omnia fieri ex eis. Et vtrobique dictio, Ex, significat fieri constitutiuè. Dum enim prima contraria inter se comparat, ait, vnum ex altero non constitui: dum autem ea ipsa cum alijs rebus confert, dicit, omnes res ex primis contrarijs constitui. In hoc autem tex. accipit particulam, Ex, solùm terminatiuè, quod omne, quod fit, fiat ex suo contrario, vt idem sit, ac post aliud. Vnde ista ratio non potest esse probatio illius particulæ, vt nos exposuimus.

Quare dicunt, intentionem Philosophi in hoc, & sequentibus quatuor contextibus esse hanc, quod in superioribus textibus probauit contrarietatem principiorum ex solo antiquorum testimonio, & argumento probabili, ex eorumdem verbis desumpto: nunc autem velit eandem veritatem totam argumento proprio, & naturali demonstrare.

IV. Verùm hi auctores deprauatè intelligunt Aristotelem. Nam verum quidam est, quod Arist. in tex. 41. confirmauit contrarietatem principiorum Veterum Philosophorum auctoritate. At in tex. 42. quid fecit? Non ne in eo approbauit illorum placitum? illis verbis, *Et hoc rationabiliter*? non ne subiunxit rationem? At illa, inquies, fuit ratio topica, & probabilis. Dic agè, hæc ratio est probabilis, & topica? *Hæc, ob id quidem, quod prima sunt, non sunt ex alijs*. Quid hac ratione, vt ita loquar, demonstratiuus, quàm quod primum non habeat aliud se ipso prius?

Argumenta autem aduersus connexionem nostram ab ijs obiecta, planè futilia sunt. Falsum est, quod Arist. in hoc tex. non loquatur de primis contrarijs, sed de omnibus contrarijs vniuersim. Nam prima contraria sunt forma, & priuatio, quemadmodum retrò exposui: At in hoc tex. ait, *album fieri ex non albo, & non ex omni, sed ex nigro*, quod est, ex priuatione albi, vt idemmet Zabarel. exponit, *& musicum fieri ex immusico*. quod palpabiliter significat priuationem. De particula autem, Ex, iam dixi in quæst. 1. ad tex. 42. quæ hic haud repeto: sumitur enim dictio, Ex, in tertio lo-

co definitionis principiorum indeterminatè tam constitutiuè, quàm terminatiuè. *Sistendum igitur est in prima connexione.*

V. Deinde, profert Arist. tria axiomata. Vnum de agente, & patiente: Alterum de effectu ab ijs emanante. Tertium de termino a quo transmutationis. *Accipiendum*, inquit, *est primùm, quod omnium, quæ sunt, nihil neque facere natum est, neque pati contingens a contingenti.* Supponendum est, quod non quodcunque indiferenter aptum est, agere in quodcunque, neque quodcunque indiscriminatim aptum est, pati a quocunque, sed determinatum agit in determinatum, & determinatum patitur a determinato; videl. agens agit in suum determinatum contrarium, & patiens patitur a suo itidem contrario. Illud autem *contingens a contingente*, idem est, ac quod libet a quolibet, vt exponunt verba græca τὸ τυχὸν ὑπὸ τοῦ τυχόντος. Enimuerò si quoduis posset ex quouis oriri, profectò neque determinata agentis actio, neque vllæ præuiæ dispositiones in materia requirerentur, sed vt Lucret. canit.

. . . . ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset. nil semine egeret,
E mare primùm homines, e terra posset oriri
Squammigerum genus, & volucres erumpere cœlo.

VI. Secundum axioma. *Neque fit quodlibet ex quolibet.* Neque enim ex ferro, aut ex lapide fieri animal, *neque ex musico album.* sed fit ex determinato suo contrario.

At obijceret aliquis. Quinimo videmus sæpenumero, quodlibet fieri ex quolibet indistinctè. Etenim si quis desinat esse musicus, & incipiat esse albus, videtur fieri ex musico albus: Musicum autem, & album non sunt contraria.

Occurrit, *nisi quis accipiat secundum accidens:* Hæc, inquit, fiunt non per se, sed ex accidente, Accidit enim nigro, ex quo fit album, esse musicum. Argumento est, quia esse nigrum, & esse musicum possunt alicubi ab inuicem separari; datur enim nigrum, quod non est musicum: Quæ autem ita inter se sunt affecta, ac disposita, ea se habent per accidens, quare per se illud album non fit, nisi ex suo determinato contrario. Quod statim explicat Arist. dum.

VII. Ponit tertium axioma, *sed album quidem fit &c.* Omne, quod fit, fit ex suo determinato contrario, vt album fit ex non albo, neque tamen ex omni non albo, sed ex suo determinato, videl. nigro, aut medio colore. Ita musicum fit ex non musico, non quidem ex quouis non musico, sed ex suo contrario, quod est immusicum, aut si quid ipsis est medium.

TEXTVS XLIV.



Eque igitur corrumpitur in contingens primum. vt album non in musicum, nisi forte secundùm accidens, sed in non album, & in non album, non in contingens, sed in nigrum, aut medium, similiter autem & musicum in non musicum: & hoc non in contingens, sed immusicum, aut si ipsis aliquid medium est.

Quod in tex. præced. explicauit de eo, quod fit, id in præsen. explicat de eo, quod corrumpitur. Et statuit, quod quemadmodum non quodlibet fit ex quolibet, vt album non fit ex quouis, sed ex non albo, atque adeo ex nigro, aut ex aliquo alio medij coloris, ita οὐδὲ δὴ φθείρεται εἰς τὸ τυχὸν πρῶτον, *neque porrò corrumpitur in quodlibet primùm,* vt album non corrumpitur in musicum, sed in non album, idque in nigrum, aut in aliquod medij coloris. Ait, *primùm,* idest, per se: & propterea subnectit eandem exceptionem, quam in tex. quoque præced. adhibuit, *nisi fortè secundum accidens.* siquidem per accidens nil vetat, quominus album V. G. corrumpatur in musicum. Addit aliud exemplum. *Similiter musicum corrumpitur in non musicum; & hoc non in quodlibet, sed in immusicum, aut si ipsis aliquid medium est.* I.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 43., & 44.

II. PRimò, videtur Arist. extra propositum intrudere hic sermonem de agente, & patiente, dum inquit, *accipiendum est primùm, quod omnium, quæ sunt, nihil neque facere natum est, neque pati contingens a contingenti.* Nam hoc loco sermo est de principijs internis transmutationis: agens autem est aliquid extrinsecum ad mutationem. Deinde, hic inquiruntur principia contraria: agens verò, & patiens, dum illud quidem agit, hoc autem patitur, non sunt contraria. Quod ostendi potest exemplo Aristotelis ex lib. de Iuuent., & Senect. cap. 5. asserentis, quod flamma magna agit in flammam paruam, eamque extinguit: At flamma magna non est contraria flammæ paruæ. Item, corpora cælestia agunt in hæc inferiora, vt in primo Meteor. cap. 2. ostenditur, nec tamen sunt contraria his inferioribus.

Respond., quod Arist. ex conditione agentis, & patientis ingeniosissimè explicat radicem contrarietatis cuiuscunque transmutationis & ex contrarie-

tate transmutationis explicat contrarietatem terminorum. Quod, vt penitus introſpicias, reuoca in memoriam ex primo de Ort. & Inter. tex. 46. & ſecundo de Anima tex. 43. quod perpetuitas rerum expoſcit, vt omne agens naturale producat, aut intendat producere aliud, quale eſt ipſum; ſic enim quoad eius fieri poteſt, *participabit eo, quod eſt ſemper, & diuinum*. vt in tex. 34. eiuſdem lib. dicitur. Hoc autem vt aſſequatur, debet conuenire cum patiente in materia, iuxta decreta in primo de Ort. & Inter. tex. 43. & tertio de Anim. tex. 12. contrariari autem eidem patienti ſecundum formam. Quippè ſi agens haberet etiam formam ſimilem formæ patientis, fatuus eſſet ipſius conatus, velle producere id, quod iam productum eſſet in eo, in quod agit: ſed eo conſilio agit, vt eiecta, & expulſa e tali materia forma patientis, introducat ſuam. Et propterea in principio actionis agens naturale eſt contrarium paſſo in forma: in fine autem actionis reddit illud ſibi ſimile: eodem pacto etiam ipſum paſſum, in principio paſſionis eſt contrarium agenti ſecundum formam, in fine fit illi ſimile.

III. Ex hac radice ſequitur, omne, quod transmutatur, debere transmutari ex contrario in contrarium: & omne, quod fit, debere fieri ex ſuo contrario: ſimiliter omne, quod corrumpitur, corrumpi in ſuum contrarium. Si enim id, quod patitur, transmutatur, & fit, in principio quidem paſſionis, ac transmutationis, habuit formam contrariam formæ agentis, in fine autem transmutationis, ea depoſita, accipit formam ſimilem formæ agentis, ac proinde contrariam ei formæ, quam prius habebat, quis non videt, omne, quod transmutatur, & fit, transmutari, & fieri ex contrario in contrarium? Exempli gratia, dicitur nunc aliquid fieri calidum: prius ergo non erat calidum: alioquin non diceretur nunc fieri: ſed tamen erat in potentia, vt fieret calidum: factum igitur eſt ex non calido: exiſtente tamen in potentia ad calorem. Hoc autem eſt frigidum, & contrarium calido: quare calidum fit ex ſuo contrario. Similiter, nunc corrumpitur aliquod calidum: tranſit ergo in non calidum: ac proinde in frigidum, alioquin ſi aliquo pacto conſeruaretur calidum, non diceretur corrumpi.

IV. Ex his conſpicis, quomodo contrarietas terminorum oritur ex contrarietate transmutationis, & contrarietas transmutationis oritur ex conditione agentis, & patientis: propterea ſumma cum ratione Ariſt. orditur ab agente, & patiente.

Vnde etiam diluuntur rationes in oppoſitum adductæ. Nam licet agens, & patiens ſint aliquid extrinſecum transmutationi, tamen eſt radix contrarietatis, tum transmutationis, tum terminorum, vt expoſui. Flamma autem magna extinguit paruam per accidens, quatenus præoccupat, ac præripit in ſe pabulum, ex quo flamma parua deberet nutriri, vt loco in argumento adducto declarat Ariſt. & nos diximus fusè in opere de Meteor. lect. 20. Corpora demum cæleſtia ſunt agentia remota, nunc autem ſermo eſt de agente phyſico proximo, quod quidem ſemper debet eſſe contrarium patienti ſecundum formam, vt etiam expoſui in lib. 1. de Ort. & Inter. & in 2. de Anim.

Perpendo 2. quod Ariſt. videtur ſecum pugnare. V.
Nam hic ait, generationem, & corruptionem verſari inter contraria, atque ea quidem poſitiua, vt animaduertere poſſumus ex illius exemplis, vt cum ex nigro fit album. At in quinto lib. tex. 9. ſtatuit oppoſitum, inquiens, generationem, & corruptionem non eſſe inter contraria, ſed *fieri ſecundum contradictionem*, quæ ſunt eſſe, & non eſſe.

Sunt qui cum Auerr. in com. 44. diſtinguunt triplices generationis terminos, quod alij ſunt per ſe, & primi: & huiuſmodi termini in omni generatione, & corruptione, ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentaria ſunt priuatiuè oppoſiti. Sic omnis generatio per ſe, ac primo eſt ex priuatione in habitum: & e contra, omnis corruptio eſt ex habitu in priuationem: ſic homo generatur ex non homine, ideſt ex ſubiecto priuato forma humana, & album fit ex non albo, nempè ex ſubiecto priuato albedine: & pariter homo corrumpitur in non hominem. Alij termini generationis ſunt per ſe, at non primi, ſed ſecundarij: & tales termini ſunt contrarij poſitiuè: ſic album fit ex nigro, & calidum ex frigido. Alij demum ſunt termini generationis per accidens, quo pacto fit album ex muſico. Tunc dicunt, Ariſtotelem, in his contextibus loqui de terminis generationis per ſe ſecundarijs, qui ſunt poſitiuè contrarij, vt album, & nigrum. In lib. autem quinto loqui de terminis generationis per ſe, & primis, qui ſunt priuatio, & habitus, & oppoſiti ſecundum eſſe, & non eſſe.

Quæ ſolutio neque ad mentem Ariſtotelis eſt, VI.
& in ſe ipſa ſpectata eſt falſa. Quod non ſit ad mentem Philoſophi, ex eo vides, quia Philoſophus hic loquitur de contrarijs, quæ ſunt principia: At iſta procul dubio ſunt priuatio, & habitus. Deinde, quia immuſicum propriiſſimè denotat priuationem: Atqui Ariſt. immuſicum aſſignat pro termino, a quo generatur muſicum, non igitur loquitur hic de terminis poſitiuis, ſiue per ſe ſecundarijs. Quod autem in ſe ipſa ſpectata ſit falſa, etiam patet, quia quod eſt per ſe, id competit omni contento ſub prædicato, nam per ſe ſupponit de omni, vt ex primo Poſter. didicimus: Sed termini contrariè poſitiui non competunt omni generationi: ergo non ſunt per ſe in generatione, neque etiam ſecundarij. Minor eſt manifeſta in multis exemplis, nam lumen generatur in aere, in quo tamen non præcedit contrarium poſitiuè, cum lumen careat contrario. Ita in mente diſcipuli generatur ſcientia, & tamen in eo non præcedit habitus poſitiuè contrarius. Ita ſubſtantia verè, ac propriè generatur, nec tamen ex contrario poſitiuo, cum ſubſtantia ſit talis contrarij expers. Quare alio modo.

Ad propoſitam difficultatem dicendum eſt, quod VII.
abſolutè termini per ſe generationis ſunt contrarij

pri-

Digitized by Google

priuatiuè; & cum Stagirites ait, omne, quod fit, fieri ex suo contrario, accipit contrarium laxiori modo pro opposito, quemadmodum in quæst. 3. ad tex. 42. exposui: vbi etiam de exemplo albi, & nigri a Philosopho in hoc tex. 43. posito edisserui. Profectò Arist. nigrum hoc loco ponit pro priuatione respectu albi, cum enim dixisset, album fieri ex non albo, quæ quidem loquutio potest sumi & negatiuè, & priuatiuè. Negatiuè quidem significat omnia entia præter vnum album: siquidem & cælum, & anima, & materia, & Deus ipse sunt negatiuè non album. Hunc sensum excludit Philosophus, ideircò subnectit, album fieri *non ex omni non albo, sed ex nigro*, quasi dicat, hic accipio non album priuatiuè. Qui quidem sensus ex eo etiam confirmari potest, quod contrariorum minus perfectum habet rationem priuationis respectu alterius. Ita se habet nigrum respectu albi, & frigidum respectu calidi, vt docet Arist. cum sæpe alibi, tum decimo Metaphys. tex. 17. Ex his patet, quomodo nulla est apud Aristotelem contradictio.

VIII. Verùm ex hac responsione emergit alia contradictio apud Aristotelem. Nam in hoc tex. 43. & 44. ait, quæcunque fiunt, ea fieri per se ex contrario, & cum nomine contrarij intelligat priuationem, vt nunc exposui, sequitur ea fieri per se ex priuatione. At in tex. 74. & 75. huius libri statuit huius oppositum. Nam eo loci scribit, ea, quæ generantur, non generari per se ex non ente, seu ex priuatione, sed solùm per accidens. *Nos*, inquit, *& ipsi dicimus, fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est; sed tamen fieri ex eo, quod non est, vt secundum accidens.*

Responsio est, quod Priuatio ad duo potest cōparari. Primò, ad generationem. Secundò, ad rem genitam. Priuatio collata ad generationem, est eius principium, & terminus a quo per se. Hinc principia generationis, & in fieri per se sunt tria, Collata autem ad rem genitam, priuatio est solùm principium per accidens, vt ex professo probat Arist. a tex. 66. quia priuatio non componit rem ideò principia componentia, & in facto esse, sunt tantum duo; idest materia, & forma. In præsenti tex. Arist. loquitur de priuatione respectu generationis, ob id ait, omne, quod fit, fieri per se ex priuatione: in tex. autem 74. & deinceps sermonem habet de ea respectu rei compositæ, ideo ait, rem fieri ex ea secundum accidens.

IX. Tertio loco est dubitatio Alex. relata a Simplic. contra id idem Stagiritæ decretum, quod omne, quod fit, ex contrario fiat: & omne, quod corrumpitur, in contrarium corrumpatur. Nam primæ substantiæ verè generantur, & verè corrumpuntur: Et tamen non generantur ex contrario, neque corrumpuntur in contrarium, quia substantiæ nihil est contrarium, ex eius Prædicamento, ergo &c.

Respondet Alex. & Simplic. quibus adhærent multi, substantias primas gemino modo spectari. Vel secundum se, vel ratione qualitatum, quibus indutæ sunt. Primo modo non habent contrarium: secundo autem habent, qua ratione etiam generantur, & corrumpuntur. Vnde vniuersim relinquitur verum Aristotelis effatum, omne, quod fit, fieri ex contrario, & quod corrumpitur, in contrarium corrumpit: quod quidem contrarium vel competat secundum se ei, quod generatur, & corrumpitur, vel competat ratione alicuius alterius. Atque hoc secundo modo generantur, & corrumpuntur primæ substantiæ ex contrario, & in contrariū.

Quæ quidem responsio vrgetur hac difficultate X.
Nam prima substantia, vt prima substantia, generatur, & corrumpitur, ergo vel vt prima substantia & ratione sui habet contrarium, vel non. Si habet, ergo data responsio est nulla: si autem ea ratione non habet contrarium, & tamen generatur & corrumpitur, ergo falsum est, omne, quod generatur, generari ex contrario, & quod corrumpitur, corrumpi in contrarium.

Propterea dico, primas substantias, etiam secundum se ipsas spectatas, reuera generari ex suo contrario, ac proinde hac ratione verè habere contrarium, non quidem positiuum, sed priuatiuum. Quando verò in Prædic. Substantiæ dictum est, substantiæ nihil esse contrarium, sermo est de contrario positiuo.

Perpend. 4. quod Arist. loquens de generatione XI.
albi, absolutè ait, id fieri *ex nigro, aut medijs*, loquens autem de generatione musici ex immusico addit, *aut si aliquid ipsis est medium*. Quæritur, cur ibi absolutè, hic autem cum conditione loquitur.

Respondeò, summa cum ratione ita loquitur quia inter album, & nigrum, quatenus sunt extrema, dari medium, extra omnem dubitationem est, Et ipsemet Philosophus in Postprædic. cap. de Oppositis explicat, quomodo inter contraria datur medium. Cæterùm haud est clarum, quin verò in dubio est positum, vtrum ne inter musicum, id est formam, siue habitum, & immusicum, id est priuationem, etiam detur medium. Et quia huius rei determinatio non est præsentis instituti, propterea ait, cum conditione. *si est aliquid ipsis medium.*

Quod si quæras, re vera datur ne medium inter habitum, & priuationem, an non?

Respondeo. Medium multiplex esse: sed quantum ad præsens attinet, est duplex. Vnum per ve- XII.
tam extremorum commixtionem, quo pacto aqua tepida est media inter frigidam, & feruidam, ex quarum actuali permixtione consurgit. Atq; huiusmodi medium reperiri, impossibile est, inter habitum, & priuationem: quippè cum priuatio sit non ens, neq; ens piam misceri, neque quicquam componere apta est. Alterum medium consurgit ex eo, quod subiectum recedit quoquo pacto a totali alicuius formæ priuatione, & accedit aliquo modo ad illam formam, atq; adeo participat illam formam in gradu quodam remisso. Itaq; habitus est vnum extremum, totalis verò eius priuatio est alterum extremum; quod deinum a tali priuatione elongatur aliquantum, & accedit ad habitum,

erit medium, V. G. visus, & cæcitas sunt extrema: lippitudo erit medium: lux, & tenebræ sunt extrema, lux enim est habitus, tenebræ autem priuatio, vt dicitur in Postprædic. cap. de Oppositis, & secundo de Anim. tex. 69., & 70. antelucanum autem tempus, siue diluculum, tum tempus vespertinum erit medium. Huiusmodi medium datur inter habitum, & priuationem.

TEXTVS XLV.



Similiter autem his, & in alijs, quoniam & non simplicia eorũ, quæ sunt, sed composita secundum eandem se habent rationem: sed, propterea quod oppositæ dispositiones, non denominatæ sunt, latet hoc contingens, necesse est enim, omne consonans ex inconsonanti fieri, & inconsonans ex consonanti, & corrumpi consonans in consonantiam, & hanc non contingentem, sed in oppositam.

Principium huius tex. in plerisque codic. græc. lego. ὁμοίως δὲ τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. *Similiter autem hoc, & in alijs.* (& non vt latini legunt, *similiter autem his.*) quodomninò verum existimo.

I. Deinde, ineptè translata sunt illa πᾶν τὸ ἡρμοσμένον ἐξ ἀναρμόστου γίνεσθαι. *omne consonans ex inconsonante fieri.* Vel vt alia lectio habet, *omne harmonia præditum ex eo fieri, quod harmonia non est præditum.* decepti, opinor, suot interpretes, propterea quod in textibus præced. viderint, fieri mentionem *musici*, & *immusici*. Tu transfer. *Omne constructum fit ex inconstructo:* seu, *omne adaptatum fit ex inadaptato*; & si vis, *omne concinnatum fit ex inconcinnato.* Nam ἡρμοσμένον, fit ab ἁρμόζω, vel ἁρμόττω, quod significat *construo, adapto, quadro, concinno.* Arist. in sect. 19. Problem. quæst. 23. οἱ τὰς σύριγγας ἁρμοττόμενοι, *qui fistulas adaptant*, alij vertunt, *aptè concinnant* & Plato lib. quarto de Repub. ἡρμοσμένην ψυχὴν, vocat animum compositum, atque sibi consentientem. Huc, opinor, respexit Seneca, dum in epist. 20. ait, *primum argumentum compositæ mentis est, posse consistere, & secum morari.* Hinc vides, ineptos esse eos, qui dicunt, Aristotelem hic fingere duo ista nomina ἡρμοσμένον, & ἀνάρμοστον. Nam in lingua græca nihil est his vocibus vsitatius, non ergo Arist. eas fingit.

II. Consequenter malè etiam in eodem tex. translata est ἡ ἀναρμοστία, *inconsonantia*, dum dicitur, *& corrumpi consonans in inconsonantiam*: cum verti debeat, *& corrumpi constructum*, siue adaptatum in inconstructionem, seu in inadaptationem. Profectò hæc sola vox ἀναρμοστία, poterat manifestè interpretibus indicare, hic non esse sermonem de consonante, inconsonante, & consonantia, ac inconsonantia, aut harmonia, vt ipsi transtulerunt, quia inconsonantia diceretur ἀναρμονία, non ἀναρμοστία. Et huic anarmostiæ inconstructioni opponitur in tex. sequenti ἁρμονία; quæ hoc loco non debet verti consonantia, seu harmonia, vt latin. cod. habent, sed constructio, vel adaptatio. His adnotatis, Aristoteles.

In hoc tex. tria facit. Ponit suam intentionem, ex qua apparet etiam connexio. Occurrit tacitæ cuidam petitioni. Et probat suum dictum. Inquit itaque, quod id, quod in præcedentibus textibus dictum, & ostensum est de simplicibus, videl. omne, quod fit, fieri ex determinato contrario, siue ex propria priuatione, & omne, quod corrumpitur, corrumpi in determinatum contrarium, *similiter hoc* ipsum vsuuenit in compositis. III.

At diceret aliquis, quæ sunt ista contraria, siue priuationes, ex quibus hæc composita fiunt? & in quas abeunt destructa?

Occurrit, quod re vera ita sit; quamuis nos lateat ita fieri, propterea quia *oppositæ dispositiones eorum*, idest contrariæ priuationes, non sunt nominatæ. Enimuerò non habemus nomen proprium, quo significemus V. G. priuationem domus; quemadmodum habemus nomen, quo exprimimus propriam priuationem musici, quæ quidem priuatio dicitur immusicum. IV.

Postea in tertia part. tex. probat suum principale dictum, videl. quod sicut in simplicibus quicquid fit, fit ex suo determinato contrario, sic in compositis quoque vsuuenit. Nam omne constructum, & adaptatum fit ex inconstructo, & inadaptato. Et e contra, omne inconstructum itidem fit ex constructo. Sic corrumpitur constructum in inconstructionem, non in quacunque, sed determinatè in suam contrariam. V.

TEXTVS XLVI.



Differt autem nihil in consonantia dicere, aut ordine, aut compositione, manifestum enim est, quod eadem sit ratio. At verò & domus, & statua, & quodlibet aliud fit similiter: domus enim fit ex eo, quod non composita, sed diuisa sunt hæc sic: & statua, & figuratorum aliquod ex infigurato: & vnumquodque horum secundum alia quidem ordo: secundùm alia verò compositio quædam est.

I. Posset quispiam Aristoteli dicere. Fac, omne constructum fiat ex inconstructo &c. verùm cum quinque fiot modi, quibus res fiunt, vt tute ipse exposuisti in tex. 63. videl. transfiguratione, appositione, subtractione, compositione, alte-

alteratione, est ne vniuersè in omnibus verum id, quod dixisti, an non?

II. Respondet in hoc tex. id esse vniuersè verum in omnibus. quia *nihil differt* ἐπὶ ἁρμονίας εἰπεῖν, ἢ τάξεως, ἢ συνθέσεως. *de constructione dicere*, (sic verte, & non vt putidæ lanu. versiones habent, *differt autem nihil in consonantia dicere &c.*) *aut ordine, aut compositione.* Quod, inquit, de constructione, & inconstructione in tex. præced. asseuerauimus, quod scilicet omne constructum fit ea inconstructo, & versauice, id idem dicendum est, tum de ordine, nempe de ijs, quæ consurgunt ex aliquo ordine, tum de ijs, quæ consurgunt ex compositione. Tu intelliga etiam reliquos modos, quibus aliquid fit: subdit enim Philosophus *quia manifestum est, quod eadem est ratio*, videl. in his quæ diximus, atque in illis.

III. Esse autem eandem rationem in ordine, in compositione, & in raliquis, ac est in constructo, & inconstructo, probat, ἀλλὰ μὴν (malè est translatum *At verò & domus &c.* Tu dic) *etenim & domus, & statua, & quodlibet aliud fit similiter.* Omnia hæc, & domus, & statua, & quodcunq; aliud, fit simili modo, ac fit constructum ex inconstructo, videl. ex suo determinato contrario, & sua priuatione. Siquidem domus efficitur ex eo, quod lapides, cementa, & ligna fuerunt non iuncta, & inter se composita, sed ex eo, quod erant disiuncta. Et vt ostenderet, non quamuis eorũ disiunctionem, sed proximam, addit, quod sint non composita, sed diuisa, *hæc fit.* Eodem pacto statua efficitur, & ordinatur ἐξ ἀταξίας, ex inordinatione, ex eo, inquam, quod eius partes non erant ordine repositæ, non enim in ære, aut in rudi marmore primùm est caput, inde collum, postea thorax, & reliquæ sequentes statuæ partes, sed sunt solùm potentia; postea ijs actu ordinatis, consurgit statua. *Sic aliquod figuratorum*, cum V. G. fit quadratum, aut rotundum, fit ἐξ ἀσχημοσύνης, *ex insigurationes*, nempe ex priuatione figuræ, quæ est priuatio proxima eius, quod de nouo fit.

IV. Tandem subdit, *Et vnumquodque horum secundum alia quidem ordo, secundum alia verò compositio quædam est.* Quæ verba dupliciter expono. Primò, Ea ex quibus consurgit ordo, V.G. dum fit statua, & ea in quæ desinit, dum eadem statua corrũpitur, sunt alia, ac diuersa ab ijs, ex quibus fit compositio, V.G. domus, & in quæ desinit, dum eadem domus destruitur. Nam id, ex quo proximè generatur ordo partium in statua, propriè est inordinatum, siue propinqua ordinis priuatio: pari pacto id, in quod dissoluitur ordo, est inordinatum. Ast id, ex quo consurgit compositio, domus, sunt res non compositæ, siue proxima priuatio compositionis domus: & id, in quod domus desinit, dum destruitur, est determinatè incompositio & disiunctio partium componentium domum. Et hoc pacto *secundum alia est ordo, & secundum alia est compositio.* Perinde ac si dicas, aliquid secundum alia est homo, & secundum alia est equus, aut lignum, Enimuero id ex quo generatur homo, est materia proximè priuata forma hominis, id autem, ex quo generatur equus, est materia proximè priuata forma equi. Ita id, in quod homo per corruptionem abit, est cadauer, quod porrò non est id, in quod desinat lignum, dum corrumpitur. Et hoc est, quod in calce tex. præced. aiebat, quod *constructum*, seu *adaptatum corrumpitur in inadaptationem*, καὶ ταύτην οὐ τὴν τυχοῦσαν, ἀλλὰ τὴν ἀντικειμένην, *& hanc, non in quamlibet, sed in oppositam.*

Secundò, expono, *& vnumquodque horum*, idest domus, statua & reliqua, secundum alia quidem possunt dici ordo, secundum alia autem possunt dici compositio. V. G. domus, si consideretur secundum quod consurgit ex lapidibus, cementis, & lignis, veluti ex partibus ipsam internè componentibus, est compositio: quia compositio propriè videtur esse in ijs, quæ ex diuersis rebus coalescunt: sin autem eadem domus spectetur, quatenus in ea est aliquod primum, ceu fundamenta, deinde aliquod secundum, vt parietes, postea tertium, veluti tectum, sic est ordo. Eodem modo statua secundum vnam rationem est quædam compositio, secundum aliam est ordo. Prima expositio magis arridet. V.

TEXTVS XLVII.



I ergo hoc verum est, omne vtique, quod fit, fiet, & corrumpetur quod corrumpitur, aut ex contrarijs, aut in contraria, & horum media: media autem ex contrarijs sunt, vt colores ex albo, & nigro: quare omnia vtique erunt, quæ natura fiunt, aut contraria, aut ex contrarijs.

I. Concludit in hoc tex. ex ijs, quæ a tex. 43., ad hunc vsque edisseruit, id, quod in eo tex. 43. acceperat demonstrandum, videl. tertiam principiorum conditionem, quod *ex ijs* sint, & fiant omnia generabilia. Nam si quæcunque fiunt, fiunt ex contrarijs, & principia sunt contraria, eaque contraria prima, manifestum est, omnia quæcunque fiunt, fieri ex ipsis.

In tex. Primò, colligit ex dictis duo axiomata, quorum vnum respicit generationem, & corruptionem eorum, quæ generantur, & corrumpuntur. Alterum immediatè respicit ea, quæ generantur, & corrumpuntur. Tum occurrit cuidam tacitæ obiectioni.

Ait itaque. Si ea, quæ hucusque diximus, vera sunt, profectò omne, quod fieri aptum natum est, ex contrario fiet: & omne, quod corrumpi aptum

natum est, in contrarium corrumpitur. Quæ propositio est vniuersalissima, & complectitur generationem, & corruptionem, tam simplicium, quam compositorum, siue tam eorum, quæ a natura, quàm eorum, quæ per artem quocunque modo fiunt.

At diceret aliquis. Non omnia fiunt ex contrario, siquidem album plerumque non fit ex nigro, quod est albo contrarium, sed ex medio aliquo colore, veluti viridi, aut flauo. Eodem modo aliquando in hæc ipsa corrumpitur.

III. Occurrit, *media ex contrarijs sunt, vt colores medij, ex albo, & nigro.* Medium, inquit, ex extremis constat, ideòque est inter extrema: quapropter collatum ad alterum extremum, obtinet locum alterius extremi, atq; vbi prius erat medium, tunc euadit vnum extremum; ac proinde contrarium. Vt viride comparatum ad album, censetur nigrum, atque adeò albo contrarium, collatum verò ad nigrum, subit conditionem albi, atque contrarij nigro. Vt aqua tepida respectu frigidæ, est calida, respectu autem feruidæ, est frigida. Hinc triplex emergit contrarietas. Vna extremorum: Altera extremi, & medij: Tertia ipsorummet mediorum inter se. Prima est contrarietas absoluta: reliquæ duæ sunt tantùm secundum quid: ita triplex datur mutatio de contrario in contrarium.

IV. Alterum, quod colligit, respicit immediatè ea, quæ fiunt. Si, inquit, ea, quæ hucusque diximus, vera sunt, *profectò omnia erunt, quæ natura fiunt, aut contraria, aut ex contrarijs.*

At quæ hic, quæso te, varietas? Primò, ex quo Arist. cœpit a tex. 43. de re proposita verba facere, semper loquutus est, tam de generatione, quàm de corruptione eorum, quæ oriuntur, atque intereunt; in hoc autem dicto ponit solùm generationem eorum, *quæ fiunt*: de corruptione autem nihil dicit.

Secundò, ex quo de hac ipsa re loquitur, vbique absolutè dixit, *ea, quæ fiunt, & corrumpuntur*. Hic autem adiungit, *natura*, dum ait, *quæ natura fiunt*.

Tertiò, cur concludit cum disiunctione, quod sint, *aut contraria, aut ex contrarijs*. Hæc temerè ne sunt ab Stagirite ita turbata, an ex arte?

V. Ex arte; & quidem summa. Quam, vt penitus deprehendas, recole, quid Philosophus præcipuè intendat in his textibus a tex. 43. vsq; ad hunc totum facere. Nimirum intentio eius est, probare, omnia, quæ fiunt, fieri ex primis principijs, quæ dicerat prima contraria: quod idem est, ac velle probare tertiam particulam in definitione principiorum positam, *& ex his omnia*. Vnde clarior quoque redderetur secunda particula, vt ad tex. 43. adnotaui. Hanc suam intentionem illustrauit tum mutationibus accidentalibus, ac simplicibus, tum artefactis, ac compositis, quæ vt melius apparerent, coniunxit cum illorum ortu, etiam corruptionem. Porrò, quia ratio principiorum formaliter non respicit corruptionem, aut ea, quæ corrumpuntur, sed solùm ea, quæ ex ijs fiunt, principium enim refertur ad principiata: propterea hic vbi colligit conclu fionem pro sua primaria intentione, non debuit meminisse corruptionis, sed solius generationis. Iccircò in hoc tex. summa cum ratione nullam facit corruptionis mentionem, sed solùm dicit, *omnia, quæ fiunt*, siue generantur.

VI. Præterea, in hac tract. intentio est, edisserere de principijs rerum naturalium, & posteaquam a mutationibus accidentalibus, & artefactis, manifestioribus nobis patefecit, quomodo omne, quod fit, fiat ex contrario, concludit hic suum intentum, de ijs, quæ ex dictis primis principijs oriuntur, quæ quia fiunt secundum naturam, ideò restrictè adiungit, *omnia, quæ natura fiunt*.

VII. Postremò, quia in hoc tex. meminit & extrema, & media. Extrema quidem sunt contraria, & ista fiunt vicissim, sic *fiunt contraria*, media autem sunt ex contrarijs, ideò cum disiunctione dixit, ea, quæ fiunt, *esse aut contraria, aut ex contrarijs.* Euge diuine vir.

Adnotationes, & difficultates

HInc conspicuè vides rationem, qua Philosophus a tex. 43. ad hunc vsque vtitur, ad probandum, omne, quod fit, fieri ex suo contrario, &c. haud esse demonstrationem a priori, vt cum Simplicio opinantur multi, sed esse inductionem ex ijs, quæ nobis per sensum manifesta existunt: Ex his, iuxta præscripta in proœm. huius lib., ceu a conspicuis nobis, manuducit nos Eximius præceptor in cognitionem transmutationis substantialis: atque adeò principiorum. Quod si deinde volueris regredi ab illa maiori propositione, iam ex inductione deprehensa, videl. omne quod fit, fit ex suo contrario, &c. colliges a priori hanc, vel illam transmutationem esse a contrario; sicut fit V. G. in regressu principiorum, & in quacunque alia re, in quo quidem regressu consistit vera scientia.

VIII. Scito præterea, doctrinam hanc explicatam ab Stagirite a tex. 43. ad hunc vsque, tradi, & explicari etiam a Platone, tum alibi sæpe, tum præcipue in Phædone, quo loci facundè, & eleganter ostendit, Primò, omne quod fit, fieri ex suo contrario. Secundò, in quibusdam mutationibus oppositas dispositiones esse innominatas, atque adeò eas nos latere; vt etiam ait Arist. in tex. 45. Tertiò, res etiam fieri ex medijs, quæ quidem collata ad alterum extremum, subeunt rationem alterius extremi. Excipe eius verba, vt possis tua etiam sponte discernere, ac diiudicare, qua dicendi forma, quaque soliditate duo hæc litterarum columina, Arist. & Plato, eandem rem tractauere.

IX. De primo sic ait. *Atque hæc sufficiens coniectura est, ita esse, si re vera constet, non aliunde viuentes fieri, quàm ex mortuis. At verò nisi id sit, alia opus erit ratione. Omninò inquit Cebes. Neque verò id in hominibus solum, inquit, si planius intelligere vis, consideres, sed in animalibus omnibus, & plantis,*

atque

atque vt summatim dicam, in omnibus, quæ gignuntur: in his, inquam, omnibus consideremus, num quid omnia sic fiant, neque aliunde, quàm ex contrarijs contraria, quibuscunque tale aliquid contingit, quemadmodum pulchrum turpi, quodammodo contrarium est, & iustum iniusto, atque eiusmodi quamplurima videmus. Ergo vtrum necessarium sit, cuicunque aliquid est contrarium, nullo modo aliunde id, quàm ex suo contrario fieri? veluti quando quid maius efficitur, necesse sit ex eo, quod ante fuerat minus, postea maius euadere? Ita est, inquit Cebes. Nonne & si minus aliquid fiat, ex eo quod ante maius erat, postea fiet minus? Sic omninò, inquit Cebes. Quia etiam ex robustiori debilius, ex tardiori velocius? Prorsus. Quid verò? si quid euadat deterius, nonne ex meliori? & si iustius ex iniustiori? Quid ni? In omnibus igitur satis id exploratum habemus, omnia ita fieri, contraria videl. ex contrarijs.

X. De secundo ita subdit. *Nonne similiter discerni vicissim, atque confundi, frigescere, & incalescere, omniaque eodem pacto. Et si nomina nobis desunt alicubi, vbique tamen ita necessis est fieri, videl. omnia ex contrarijs inuicem, generationemque esse vtriusque vicissim in alterum?*

XI. De tertio demum, *Quid rursus?* inquit, *est ne medium aliquid inter contraria duo? Duæ videl. inter illa generationes, siue progressiones, ab altero quidem in alterum, atque in alterum vicissim ab altera? Sanè inter maius, atque minus medium obtinet incrementum, & decrementum, dicimusque id quidem crescere, illud verò decrescere, &c.*

XII. Quid vero? ex hoc fundamento, quod scilicet omne, quod fit, fiat ex suo contrario, idem Plato eò vsque progressus est, vt colligeret quandam futuram hominum ἀναβίωσιν, reuiuiscentiam, quæ in eius sententia fieret per transanimationem. Sic autem perstringit. Contrarium fit ex suo contrario, vt ex somno vigilia, & ex vigilia somnus; ac proinde dantur progressiones vicissim inter contraria. Atqui viuere, & mori sunt contraria: ergo fiunt vicissim. Datur autem vna progressio a viuente ad mortuum, vt constat, quare debet altera quoque progressio dari, scilicet a mortuo ad viuens: alioquin si esset vna duntaxat progressio a viuentibus ad mortua, tandem aliquando omnia redigerentur ad mortem, atque adeò verificaretur illud Anaxagoræ, *omnia esse simul*. Excipe ipsius verba, quamquam pluscula. *Ergo ex viuente quidnam fiet? Mortuum. Quid autem ex mortuo? Necesse est confiteri viuens. Igitur ex mortuis, o Cebes, viuentia fiunt, atque viuentes. Apparet. Sunt igitur apud inferos animæ nostræ. Videtur. Nonne ergo & generationum, quæ circa hæc sunt, altera quidem manifesta est? Mori enim manifestum est, nonne? Ita prorsus. Quidnam igitur faciemus? Non reddemus vicissim generationi huic contrariam, sed hac in re duntaxat mancam dicemus naturam esse? An vero necesse est reddere ei, quod mori est, contrariam quandam generationem? Omnino. Quam vero istam? Reuiuiscere. Nonne igitur si reuiuiscentia est, progressio quædam hæc est ex mortuis ad viuentes? Est vtique. Conuenit ergo nobis hoc insuper ratione, viuentes ex mortuis fieri nihilominus quàm mortuos ex viuentibus. Quod cum ita sit, sufficientem coniecturam hinc haberi, animas mortuorum necessario alicubi esse, vnde iterum reuertantur. Videtur mihi o Socrates, hoc ex his, quæ concessa sunt, necessario sequi.*

XIII. Postremò, perpende incredibilem Aristotelis diligentiam in scribendo. Cum enim in hoc tex. 47. collegisset, *omne quod fit, fiet ex contrarijs*, tamen subnectens de medijs, non ait, ea fieri ex contrarijs, sed *esse* ex contrarijs. *media, autem*, inquit, *ex contrarijs sunt, vt colores ex albo, & nigro*. Cur ibi *fiunt*, hic autem *sunt*? Consulto ita discriminat, quia esse ex aliquo significat, constare ex eo, tanquam ex componente illud, & permanente in eodem; quemadmodum homo est ex materia, & forma, & statua ex ære. Fieri autem ex aliquo, denotat fieri vt ex termino a quo. Quia igitur vnum contrarium fit ex altero, ceu ex termino; media verò constant ex participatione extremorum contrariorum, quæ quidem extrema etiam actu remanent in medijs, quamquam remissa, sic color V. G. viridis consurgit ex commixtione albi, & nigri, & aqua tepida ex calida, & frigida, propterea summi ingenij vir, in generatione contrariorum ex contrarijs vtitur verbo *fiunt*; in medijs autem vtitur *sunt*. Quæ quidem defferentia vberrimè est a nobis exposita supra in quæst. 1. ad tex. 42. circa definitionem principiorum: & mirificè confirmatur ex hoc loco.

TEXTVS XLVIII.



Vcusque igitur ferè secuti sunt & aliorum plurimi, quemadmodum diximus prius. Omnes enim elementa, & ab ipsis vocata principia, quamuis sine ratione ponentes, tamen contraria dicunt, tanquam ab ipsa veritate coacti. Differunt autem ab inuicem, ex eo quod alij quidem priora, alij posteriora accipiunt: & quod hi quidem notiora secundum rationem, illi autem secundum sensum. Hi enim calidum, & frigidum; illi autem humidum, & siccum; alij verò impar, & par; quidem verò litem, & amicitiam, causas ponunt generationis. Hæc autem ab inuicem differunt secundum dictum modum.

I. Refert in hoc tex. id, in quo plurimi Veterum Philosophorum conspirarunt circa ea, quæ nuper sancita sunt; & id, in quo ijdem discrepauere. Quo autem consilio id præstet, ratio multiplex est. Primò, ne videatur aliorum inuenta sibi arrogare, sed indicando quid alij quoq; viderint candide vnicuique tribuat quod suum est. Secundò vt relatis, & inter se comparatis illorum opinionibus, ionoreiicat,

tescat quid illi rectè dixerunt, *quasi ab ipsa veritate coacti*, & in quonam ab eadem veritate aberrauere: vt nimirum illud parato animo amplectamur, hoc verò euitemus. Tertiò, quia ex ijs, quæ hucusque tum a Veteribus, tum ab Aristotele pronunciata, atque ostensa sunt, (quod videl. omne, quod fit, fiat ex suo contrario) videretur sequi, quod omnia contraria statuenda sint principia rerum naturalium, cum illud, ex quo aliud fit, censeatur illius principium. Iccircò necessè habuit Arist. omnes contrarietates redigere ad aliquam vnam, quæ sola constituatur pro principijs, quæ nunc indagamus. Has itaque ob causas in hoc & seq. contex. recenset, & inter se comparat Veterum Philosophorum opiniones.

II. Quasi itaque deducens ex dictis, ait, *Hucusque igitur ferè secuti sunt & aliorum plurimi, quemadmodum diximus prius*. Quæ quidem verba communiter exponunt interpretes, quod Arist. dicat, hucusque plurimos antiquorum Philosophorum esse progressos, quod contraria statuenda sint rerum naturalium principia, vt indicauimus prius, idest in tex. 41. Cui interpretationi haud accedo. Primò, quia illud. *Hucusque* significat, id, de quo immediatè superius agitabatur sermo: Hoc verò haud erat expressè, quod contraria essent principia, sed erat, quod omne quod fit, fiat ex suo determinato contrario: Et omne, quod interit, intereat itidem in suum contrarium. Quam veritatem attigerunt etiam alij Veteres, & luculenter docuerat Plato, quemadmodum in tex. præced. adnotaui. Secundò, quia Arist. hoc loco ait, *plurimos* alios id cognouisse: Dum autem loquitur de contrarietate principiorum, asseuerat, *omnes* induxisse eam contrarietatem, vt patet in tex. 41. Quinimo hic neque absolutè ait, *plurimos*, sed *ferè plurimos* id deprehendisse. Tertiò, quia tunc Philosophos in breuissima huius contex. periodo, insulsè bis eandem rem reculcaret: Siquidem statim subdit, *omnes enim elementa, & ab ipsis vocata principia, contraria dicunt*. Aliud itaque intelligit in primis tex. verbis. *Hucusque* &c. aliud in his, quæ nunc apposui.

III. Quocirca sic expono. Quod *ferè plurimi* Veterum Philosophorum assecuti sunt veritatem, de qua nos in contextibus proximè præced. verba fecimus; videl. omne, quod fit, fieri ex suo determinato contrario, & omne, quod interit, interire in suum contrarium. Et cum ait, καθάπερ εἴπομεν πρότερον, aut verto præterito imperf. *sicut dicebamus prius*: & se refert ad tex. proximè præd. Aut si referat ad tex. 41. indicat, se in eo tex. dixisse huius rei causam, quam hoc quoque loco statim subnectit, *omnes enim elementa, & ab ipsis vocata principia, quamuis sine ratione ponentes, tamen contraria dicunt*, &c.

IV. Hinc quasi quintuplex Veterum Philosophorum consensus eruitur. Prima est, quod eorum ferè plurimi hucusque progressi sunt, omne, quod fit, fieri ex suo contrario. Secunda, quod omnes initia rerum naturalium, quæ deinde Plato, & aliquandu Arist. vocarunt elementa, appellabant principia. Tertia, quod ea principia, quæcunq; illa inducerentur, constituebant contraria. Quarta, quod *hoc*, nimirum principia esse contraria, asseruerunt sine ratione. Quinta denique, quod hoc dixerunt, quasi ab ipsa veritate coacti.

In secunda part. tex. refert eorumdem Philosophorum dissensionem, & discrepantiam, eamque illustrat exemplis, cum ait, *differunt autem ab inuicem ex eo, quod alij quidem priora, alij posteriora accipiunt; & quod hi quidem notiora secundum rationem, illi autem secundum sensum &c.*

Pro cuius rei intelligentia scito, quod ex contrarijs institutis a Veteribus pro principijs, alia sunt vniuersaliora, & ea sunt etiam priora: alia sunt minus vniuersalia, & hæc sunt illis posteriora: sicut V. G. animal est quippiam vniuersalius homine, aut boue: ac proinde est etiam hisce prius, cum ab eo non conuertatur subsistendi consequentia. Homo autem, & bos existunt quædam minus vniuersalia, & sic etiam sunt posteriora, quàm animal. Item, vniuersaliora continent minus vniuersalia: & ista continentur ab illis. Hanc contrariorum varietatem insinuat Auctor in tex. sequ. dum ait, *contrariorum hæc quidem continent, illa autem continentur*. Quamquam hæc verba alio quoque intellectu possint exponi, quemadmodum in eo tex. audies. V.

Rursus, vtraque vniuersalia, videl. tam magis, quàm minus vniuersalia, subdiuiduntur, quod alia sunt notiora secundum sensum, alia secundum rationem. Subijciamus exempla. Contraria notiora secundum sensum, minus vniuersalia, sunt rarum, & densum: supra quæ sunt calidum, & frigidum; vtpote vniuersaliora: Nam rarum, & densum causantur ex calido, & frigido, sicut etiam ostendit Philosophus in secundo de Ort. & inter. Rursus supra calidum, & frigidum collocantur excessus, & defectus. VI.

Eodem pacto, vniuersalia notiora secundum rationem, minus quidem vniuersalia, sunt congregatio, & disgregatio: quibus communiora sunt Lis, & Amicitia: supra quas est magnum, & paruum: supra quæ impar, & par.

Ex quibus liquido conspicis, quomodo Veteres Philosophi vario modo constituerant contraria. Enimuerò quicunque pro principijs inuexerunt contraria, rarum, & densum, vt plerique omnes Physici, ij constituebant contraria notiora secundum sensum; & minus vniuersalia. Qui autem innexerunt calidum, & frigidum, vt Parmenid. ij etiam constituerunt contraria notiora secundum sensum, sed tamen vniuersaliora. Ita deinceps. Consimili ratione philosophandum est de ijs, qui constituebant contraria notiora secundum rationem. Ita multi cum Democrito, Leucipp. & Epicur. amplexati sunt congregationem, & segregationem atomorum. Congregatio illa, & segregatio non sensu, sed ratione expenditur. Supra congregationem, & segregationem est Lis, & Amicitia Empedoclis; quæ iidem VII.

Digitized by Google

dem sola cogitatione comprehenduntur, & sunt ipsa congregatione, & disgregatione vniuersaliores, cum Amicitia vniat, & Lis disiungat. Adhæc, Plato accepit magnum, & paruum, quæ adhuc existunt magis communia, & magis vniuersalia: siquidem tam amicitia, quàm lis potest & magna, & parua esse. Demum, Pythagoræi induxerunt impar, & par, quæ adhuc sunt magis vniuersalia. Propterea Stagirites in tex. ponit quattuor exempla istorum, dicens. *Hi enim calidum, & frigidum, illi autem humidum, & siccum; alij autem impar, & par; quidam verò litem, & amicitiam.* Lis, & Amicitia refertur ad Empedoclem: calidum, & frigidum ad Parmenidem: impar, & par ad Pythagoreos: At humidum, & siccum haud apparet cuinam ab Stagirite tribuatur, maxime verò cum nemo Veterum commemoretur, qui pro principijs hanc contrarietam inuexerit. Hinc varia exorta sunt interpretum commenta, quæ quidem missa facio, quia non attingunt rem. Ego pro humido, & sicco hic intelligo rarum, & densum: quia humiditas laxat, & rarefacit: siccitas indurat, atque condensat.

TEXTVS XLIX.



Vare est eadem dicere quodammodo, & altera ab inuicem: altera quidem, quemadmodum & videtur plurimis: eadem autem secundum analogiam; accipiunt enim ex eadem coordinatione. Hæc enim continent, alia autem continentur contrariorum. Sic igitur similiter dicunt, & aliter; & peius, & melius. Et hi quidem notiora secundum rationem, sicut dictum est prius, illi autem secundum sensum: vniuersale enim secundum rationem notum est; singulare autem secundum sensum: ratio enim vniuersalis est, sensus autem particularis, vt magnum, & paruum secundum rationem, rarum autem, & densum secundum sensum. Quod igitur contraria oportet esse principia, manifestum est.

I. Infert in præsenti contex. aliquid ex ijs, quæ nuper edisseruit, Deinde, adhuc vberius explicat consensionem, & dissensionem eorumdem Veterum Philosophorum: Demum, colligit conclusionem iam dudum intentam.

Si, inquit, vera sunt quæ nunc recensuimus, liquidò apparet, quod præfati Veteres aliquo modo dicebant eadem inter se: aliquo autem dicebant altera, ac diuersa. Explicat vtramque partem. Asserebant altera, ac diuersa ab inuicem *quemadmodum & videtur plurimis*. nempe, sicut videtur alijs quoque plurimis hominum, qui illos ipsos Philosophos de suis dogmatibus audiuerunt edisserentes. Vel, quemadmodum videtur etiam ipsis rudibus, & ignaris hominum. Hoc quippè pollet τοῖς πλείοσι. Porrò quotusquisque est, qui audiens opiniones illorum Veterum, non illico iudicet, alia, ac diuersa principia poni a Parmenide positione calidi, & frigidi; alia a Thalete, aut a Diogene, Heraclito, & alijs per rarum, & densum; alia ab Empedocle in sua Lite, & Amicitia, alia a Platone per magnum, & paruum; alia a Pythagoræis per impar, & par?

Caue illud *quodammodo* referas etiam ad hanc partem, vt sensus sit, quod Veteres aliquo modo constituerunt principia altera, & diuersa inter se, vt plerique omnes interpretum accipiunt, sed malè. Nam Veteres non *quodammodo*, sed absolutè fecerunt principia diuersa, *& altera ab inuicem*. sed refer solum ad alteram partem, videl.

II. Dicebant *quodammodo* eadem; quia dicebant *eadem secundum analogiam*. Cuncti illi in principijs ab se constitutis, seruabant quandam analogiam, & proportionem. Quam Auctor subnectit, λαμβάνουσι γὰρ ἐκ τῆς αὐτῆς συστοιχίας. *accipiunt enim ex eadem coordinatione*, siue conserie. Eos, inquit, Stagirites eadem quodammodo circa principia dicere, argumento est, quòd omnes in ijs constituendis seruant quandam analogiam, quæ in eo sita est, quod omnes ea accipiunt ex eadem συστοιχίᾳ conserie. Subdit. *Hæc enim continent, alia continentur contrariorum*. Quæ verba bifariam exponuntur. Primò, vt ea vnà cum præcedentibus efficiant vnam integram vnius analogiæ rationem. Secundò, quod ea sola indicent aliam analogiam, diuersam a priori.

III. Verùm, vt præfatam analogiam, ac proportionem penitus deprehendas, concipe animo duas conseries, siue duos ordines inuicem oppositos, atque e regione sibi respondentes. V. G. vnus ordo sit a latere dextro, alter a latere sinistro: Quorum primus sit rerum perfectiorum, ac nobiliorum: secundus autem sit rerum minus perfectarum, ac ignobilium: ita vt in vno, id est in primo, sit calidum: vtpote perfectius: in altero sit frigidum: in vno sit rarum; in altero densum: in vno amicitia; in altero lis: in vno magnum, in altero paruum: in illo impar, in hoc par: in illo exsuperantia, siue excessus; in hoc defectio: Dic semel, in vno sit forma, in altero sit priuatio.

IV. Hinc syncerè conspicis, quomodo omnes illi accipiebant sua principia ex eadem coordinatione, & conserie; & quomodo in contrarietate principiorum ab ijsdem inductorum seruabatur quædam analogia. Quandoquidem in sententia omnium illorum, priora contraria, vtpote nobiliora, obtinebant locum excessus, seu exuperantiæ, & cuiusdam perfecti: posteriora verò tanquam ignobiliora habebant rationem defectus. (nam ad aures etiam Stagiritæ cùm sæpe alibi, tum secundo de cælo tex. 58. & decimo Metaphys. tex. 17. *semper alterum contrariorum secundum priuationem dicitur*) Sic idem Philosoph. in tex. 55. huius lib. explicans contraria a priscis pro principijs rerum naturalium accepta, aiebat, fuisse ὑπεροχὴν, *excessum*, καὶ ἔλλειψιν, *& defe-*

Digitized by Google

defectum, quorum vice Arist. substituit formam, & priuationem.

Tunc perge. Et quia proprium perfecti, ac formæ est continere, est enim id quoddam agere, proprium verò imperfecti, & priuationis est contineri, eapropter subiungit Philosophus rationem, quod priora contraria sunt vt forma, & posteriora vt priuatio, inquiens, *hæc enim continent, alia autem continentur contrariorum*.

V. Secundò, explico eadem verba, *hæc enim continent &c.* quod illis indicetur alia principiorum analogia, præter illam, quæ ex coordinatione depromebatur, vt sensus sit. Quod omnes quidem illi Veteres contraria faciunt principia, cæterùm contraria existunt multiplicia. Quædam sunt vniuersaliora, alia minus vniuersalia, quemadmodum in tex. præcedenti enucleaui: illa continent, cum magis vniuersale contineat sub se minus vniuersale: & hoc continetur. Sic illa sunt etiam priora, & notiora secundum rationem; ista autem sunt priora, & notiora secundum sensum. Veteres itaque dicunt principia diuersa, & *altera ab inuicem*, in eo quod alij ponunt illa magis vniuersalia, & continentia; alij minus vniuersalia, & contenta. Dicunt autem *quodammodo eadem*, quia sicut qui constituunt principia magis vniuersalia, ponunt illa proporcionata, ita qui faciunt principia minus vniuersalia, ponunt etiam contraria iisdem sibi proporcionata.

VI. Lubeat, familiari exemplo rem illustrare. In Prædicamento substantiæ sunt differentiæ, supremæ, intermediæ, infimæ: quæ quidem omnes iure optimo censentur oppositæ: Nos, vt rei præsenti inseruiamus, appellemus eas contrarias. Sunt itaque contraria corporeum, & incorporeum: sunt contraria viuens, & non viuens: sunt sentiens, & non sentiens: sunt rationale, & irrationale. Qui poneret pro principijs corporeum, & incorporeum, profectò altera, ac diuersa diceret ab eo, qui constitueret viuens, & non viuens: aut aliquid aliud ex minus vniuersalibus: nihilominus vtrobique esset analogia, & proportio. Nam sicut se habet corporeum ad incorporeum, ita viuens ad non viuens: illud enim esset velut forma, & perfectio; hoc autem esset veluti priuatio. Sic in proposito philosophare de contrarijs inductis pro principijs ab antiquis.

VII. Propterea infert, *sic igitur similiter dicunt, & aliter: & peius, & melius*. Melius nimirum dicunt, qui principia constituunt magis vniuersalia, & notiora secundum rationem: peius autem, qui inuexere minus vniuersalia, & notiora secundum sensum. Quod statim ita probat. Principia rerum naturalium talia statui debent, quæ sint priora, & communiora; adeò vt amplectantur generationem omnium, quæcunque ex principijs oriuntur: Sed contraria magis vniuersalia, & notiora secundum rationem sunt magis talia, quàm minus vniuersalia, & notiora secundum sensum: quare melius illa, quàm hæc pro principijs constituuntur. Minorem probat, dum subdit. *vniuersale enim secundum rationem notum est, singulare autem secundum sensum: ratio enim vniuersalis est, sensus autem particularis*. Subiungit exempla: vt magnum, & paruum inducta pro principijs a Platone, sunt notiora secundum rationem: suple etiam vniuersaliora: rarum autem, & densum posita a Thalete, Diogine, Heraclito, & alijs, sunt notiora secundum sensum: atque etiam minus vniuersalia.

Ex his, quasi latenter hoc pacto velit insinuare. VIII.
Si melius philosophati sunt, qui pro principijs rerum naturalium constituerunt contraria vniuersaliora, & notiora secundum rationem, quàm alij, profectò nos rectè fecimus, qui pro ijsdem principijs contrarijs constituimus formam, & priuationem, quæ porrò vniuersalissimæ sunt, & notiores secundum rationem.

Demum, concludit vniuersam disputationem de contrarietate principiorum, *Quod igitur contraria oportet esse principia, manifestum est.*

Adnotationes, & difficultates circa tex. 48. & 49.

HVcusque igitur ferè secuti sunt & aliorum plurimi. Illud, *ferè*, potest coniungi cum nomine *plurimi*, quod ex alijs etiam Philosophis sciè plurimi cognouerunt, id quod fit, fieri ex suo contrario. Potest etiam necti cum verbo *secuti sunt*. & sensus erit; ferè secuti sunt, id est, penè & exiliter attigerunt. Deinde, callidè adiecit verbum, συνηκολουθήκασιν. quod propriè pollet simul secuti sunt, vt indicaret, opinor, illos non ratione aliqua ductos, id ita sanxisse, sed in hoc secutos esse alios. Quinimo quasi ex industria vsus est septem syllabarum verbo, συνηκολουθήκασιν, vt eius prolixitate ceu ob oculos nobis sisteret, quod illi quasi pecudum more armentatim alter alterum simul insequerentur. IX.

Omnes enim elementa, & ab ipsis vocata principia. X.
Cuncti Veteres prima rerum naturalium initia appellauere principia: quæ postea, vt refert Simplic. in hoc tex. ex sententia Eudemi, primò Plato, dein. Arist. vocarunt elementa. Nihilominus Arist. prisco etiam nomine principij haud rarò vti voluit. Sic in primo tex. huius lib. vocem principij ter adiecit: & in tex. vlt. colligit, *Quod igitur sint principia, & quæ, & quot numero, determinatum sit nobis sic*. & in tex. 7. coniungit vtrumque, *quare principium, & elementum quærunt, vtrum sit vnum, an multa*, & sexcentis alijs in locis. icircò in præsens ait, *elementa, & ab ipsis vocata principia*.

Ad hæc, vide scriptoris iudicium. Fecit mentionem principiorum, & elementorum; quæ quidem videntur esse principia interna rerum; quandoquidem elementum, ex quinto Metaphys. cap. 1. statuitur esse id, *ex quo aliquid inexistente componitur primò*. At quia Philosophus hoc loco refert non modo ea, quæ Veteres pro internis rerum principijs inuexere, sed quascunque etiam alias contrarietates ab ijs ipsis in re proposita constitutas, cuiusmodi XI.

Digitized by Google

V. G. fecit Lis; & Amicitia, quæ Empedocli censebantur causæ effectrices, iccircò haud est contentus geminaris illis vocibus, *principia*, *& elementa*, sed adiecit etiam *causas*, dum inquit, *Alij impar, & par; quidam litem, & amicitiam generationis causas ponunt*. quia nimirum causa complectitur etiam causas externas. Hinc sedulo animaduerte, quod Arist. adijcit hic nomen causæ, vt indicet aliquid vniuersalius, quàm significent principia, & elementa. Quæ si vera sunt, putida omninò est quorundam speculatio, inter quos est Zabarel. dum aiunt, hæc tria vocabula, principia, elementa, & causas propterea in hoc tex. simul recenseri, quia omnia tria significant penitus idem; quemadmodum etiam ijdem auctores adnotabant circa tex. s. Verùm ipse planissimè vides, ea neutiquam poni pro eodem.

XII. *Sequitur, quamuis sine ratione ponentes*. Auerr. in com. ait, Veteres inuexisse principia contraria, non absolutè sine ratione. sed sine ratione perfecta, quia vsi quidem erant inductione, verumtamen imperfecta, *in qua non induuntur omnia particularia*, vt ipsa Auerr. loquitur. Quæ quidem expositio potest suaderi ex Arist. lib. primo Metaphys. cap. 6. quo loci hæc habet. *Eorum, qui dicunt de principio, & causa, nemo extra ea, quæ in ijs quæ de Natura sunt, nobis determinata, dixit; sed omnes debiliter quidem, illas tamen quodammodo videntur attigisse*, Attigerunt itaque, sed debiliter.

Alij verò, inter quos est Piccol. à contra contendunt, Veteres nulla vnquam ratione, neque perfecta, neque imperfecta, neque etiam inductione, sine perfecta, sine imperfecta innixos, protulisse principia esse contraria; sed id ita pronunciasse inconsideratè & casu. Quocirca quemadmodum pueri sua sponte complura proferunt, rationi quidem consentanea, quæ tamen nulla ratione ab ijs ostenduntur, ita se se Veteres in re proposita habuere. Probant, quia si illi vsi fuissent aliqua ratione, eam profectò Stagirites adduxisset: Nunc autem nullam affert. Quin verò libere, & ingenuè asseuerat, eos *sine ratione, & a sola veritate coactos* id fecisse. Hinc præfati auctores vlterius colligunt, quod Philosophus his verbis, quasi dicat. Quod Veteres contraria sanxerint principia, nullam hac in parte mereantur laudem, quoniam hoc fecerunt sine ratione.

XIII. Equidem de antiquis omnino distinguendum existimo; quod alij fuerunt affatim vetusti, alij floruerunt quidem priores ipso Aristotele, nihilominus ei viciniores, vt Plato, Democritus, &c. Quam porrò distinctionem licet accipere ex eodemmet Philosopho in tex. 20. huius lib. *conturbabantur verò*, inquit, *etiam posteriores, sicut prisci*. Anterioris classis Philosophi, quicumque contrarietatem principiorum delibarunt, eam sanè protulerunt sine vlla ratione, & absque inductione, an perfecta, an imperfecta. *Nam balbutienti assimilata fuit prima Philosophia de omnibus; tanquam in principijs noua existens*. ait Stagirites in primo Metaphys. cap. vlt. Qui quidem prisci vix etiam duas duntaxat causas. *degustarunt materiam, & vnde motus: obscure tamen, & nihil clarè; sed quemadmodum inexercitati in prælio faciunt. Etenim illi circumeuntes egregias plerumque plagas infligunt, sed nec illi ex scientia, nec isti videntur scire quid dicunt*, vt legimus in cap. 3. eiusdem lib. De his itaque antiquis vera est secunda sententia, nunc a nobis relata. Si verò verba facias da auctoribus secundæ classis, profectò attulerunt illi quidem inductionem, vt vel ex vno Platone cognoscere licet, cuius verba adduxi in Adnotationibus ad tex. 47. Nihilominus neque isti germanam, ac demonstratiuam eius rei causam induxere. Quò, vt opinor, prospiciens Simplic. in com. huius tex. ait, Aristotelem dicere, *sine ratione, id est sine demonstratiua causa*. Auerrois autem opinio intellecta de auctoribus secundæ classis, vera est.

XIV. *Tanquam ab ipsa veritate coacti*. Quæ verba gemino modo expono. Primò. Cum quæcunque cognitio nostra ortum trahat a sensu, illæ cogitationes, ac ratiocinia censenda sunt vera, & rationi consentanea, quæ consentiunt cum rebus sensatis: Cum autem res ipsæ testantur oppositum, quàm cogitatio, & discursus exposcit, tunc res dicuntur cogere nos: Cogit enim, compellitque sensata, atque apparens veritas. V. G. Zeno per ratiocinationem inficiatus est motum, quia in motu infinitæ partes spacij deberent finito tempore pertransiri. Verùm quoniam sensus oppositum clamat, cogebatur Zeno fateri, motum esse. Sic Veteres, dum principia rerum nuda tantummodo cogitatione lustrârent, varia atque inopinabilia de ijs sensere; dum verò oculis suis cernerent, transmutationem fieri inter contraria, cogebantur ab hac sensata, & apparente veritate fateri, principia debere esse contraria. Sic Parmenides ratiocinando inuexit pro principijs rerum vnum ens, idque immobile: a sensu autem fuit coactus adiungere calidum, & frigidum. Sic alij.

Hæc explicatio colligitur ex Arist. primo Metaphys. cap. 3. vbi edisserens de Veteribus in inueniendis principijs, hæc omninò committit litteris. *Ex his itaque solam quis causam illam, quæ in materiæ specie dicitur, putabit. Hoc autem modo procedentibus ipsa res eos duxit, & coegit vlterius quærere*. Et paucis interiectis, *Post hæc, & huiusmodi principia, tanquam non sufficientia, vt entium naturam, generarent, rursus ab ipsa veritate, vt diximus, coacti, illud quod sequitur, quæsiuerunt principium*. Et in cap. 5. ait, quod *Parmenides coactus sequi ea quæ apparent, induxit duas causas, & duo principia, calidum, & frigidum: & calidum quidem cum ente, frigidum verò cum non ente collocauit*.

XIV. Secundò illa eadem verba sic explico; quod res omnes naturali quadam propensione trahuntur in proprium bonum. *Siquidem omnia*

Digitized by Google

bonum appetunt; vt legimus in principio Ethic. Veritas est quoddam bonum, & perfectio intellectus humani. Hinc Optimè Aphrodisæus in primo Prior. cap. 2. *Veritas*, inquit, *homini*, & *maximè propria*, & *maximum bonum est*. Et ratio quoque in promptu suppetit, quia verum est obiectum intellectus: omne autem obiectum est bonum, & perfectio eius potentiæ, cuius est obiectum: fertur itaque intellectus noster naturali quodam pondere ad ipsam veritatem, tanquam & proprium bonum, ac pene dixerim in suum centrum. Quo fit, vt eam, interdum naturaliter attingat, etiam si neque eam, neque causam illius cognoscat. Vt ergo graue suapte natura propendet, & cogitur a loco deorsum, eumque haud rarò attingit, quamuis quid agat, minimè sentiat, sic hominis intellectus dicunt trahi, & cogi ab ipsa veritate. Hac ratione. Veteres contraria principia pronunciarunt *tanquam ab ipsa veritate coacti*.

XVI. Hinc collige 1. Quod quemadmodum graui nulla debetur laus, quòd locum, ad quem naturaliter, ceu ad centrum inclinatur, & cogitur, interdum attingat, sic Veteres illi Philosophi nullam merentur commendationem, quòd dixerint, contraria esse principia: nam id non ratione, sed veritatis ope coacti protulerunt.

XVII. Collige 2. quod si illi ab ipsa veritate attracti sanxerunt, contraria esse principia, ergo veritas ita est. Atque hinc Stagirites quasi eruit validam confirmationem pro sua sententia a tex. 42. & deinceps constituta.

XVIII Collige 3. quod si naturale est homini in ipsam veritatem ferri, hæc naturalis propensio nequit in omnibus hominibus frustra otiari; quandoquidem naturales propensiones alicuius speciei in vniuersa illa specie inanes, & cassæ constitui haud possunt. Quo fit, vt licet hic, aut ille a veritate aberret, attamen omnes ab ea neutiquam aberrabunt; sed vnus aliquis attingit vnam, alius aliam. Huc, opinor, respexit Stagirites, dum in secundo Metaphys. tex. 1. aiebat, *speculari de veritate partim difficile, partim facile esse. Signum autem, quod neque satis eam aliquis consequitur, neque aberrant omnes ab ea, sed quisque aliquid de natura dicit*.

XIX. Collige 4. quod ex hac radice, scil. naturali intellectus propensione ad verum, eruitur aliquale fundamentum pro constituenda, ac saluanda diuinatione, prophetia, bona fortuna, idque genus prædictionibus, ad Stagiritæ aures, de qua re alio loco. Hinc Auerr. in duodec. Metaphys. com. 36. aiebat, *quod Prophetæ multa enunciant, quæ non intelligunt*. Hem, si eundem Stagiritem audias in septimo Etich. cap. 18. dicentem, quod πάντα φύσει ἔχει τι θεῖον, *omnia, natura habent aliquid diuinum*, profectò id maximè habebit homo, per quod veluti raptus attingit veritatem, *quæ*, vt Alex. loco nuper indicato loquitur, *omnibus bonis*, & *apud Deos*, & *apud homines antecellit*.

Postremò, scito, quod par, & impar inducta a Pythagoræis pro rerum initijs, non sunt in Prædic. Quantitatis, vt nonnulli interpretum perperam opinati sunt, Nam omninò numeri a Pythagora pro principijs rerum accepti, non erant accidentia, sed ipsæ rerum essentiæ, vt colligimus ex Aristotele in primo Metaphys. cap. 5. & doctè explicat Franc. Piccol. in lib. de Placitis Veterum Philos. cap. 6. XX.

Verùm neque id te lateat, quod cum nos communi loquendi vsu dicamus par, & impar, tamen Arist. inuerso ordine præposuit impar ipsi pari, inquiens, *alij autem impar*, & *par*. Id consultò fecit, quia in illa συστοιχία coordinatione, impar collocabatur in serie nobiliorum, quæ obtinent locum formæ: par autem erat in serie ignobiliorum, & locum priuationis subeuntium. Nobilius autem præponi debet ignobiliori, & forma priuationi.

Quem tamen ordinem, Arist. non seruauit in referendis Lite, & Amicitia Empedoclis, sed primò posuit Litem, postea Amicitiam. Cur? Etiam hoc ex arte præstat. quia sicut impar, iuxta Pythagoræos, erat causa, vt res fierent, ideòque impar erat veluti forma, par autem censebatur causa destructionis rerum, ita Lis apud Empedoclem erat causa, vt res, atque spectabilis hic mundus fieret: Amicitia autem erat causa, vt eædem res, & mundus ipse destrueretur, & fieret mundus sphærus, Cum igitur Arist. in præsenti inuestiget *causas generationis*, iudiciosè litem præposuit amicitiæ. XXI.

Demum, quomodo ratio sit vniuersalium, sensus autem particularium, exposi. tum a nobis habes in quæst. de primo cognito. Sed iam ad Aristotelem per. go. est igi. tur.



CAPVT.

CAPVT VI.

De numero principiorum rerum naturalium.

TEXTVS L.



Onsequens autem erit dicere vtrum duo, aut tria, aut plura sint. Vnum enim impossibile est, quoniam non vnum contraria, infinita autem non: quoniam neq; scibile quod est, erit. Et vna contrarietas in omni genere vno: substantia autem vnum quoddam genus est. Et, quia contingit ex finitis: melius autem ex finitis quemadmodum Empedocles, quàm ex infinitis, omnia namque assignare opinatur, quemadmodum Anaxagoras ex infinitis. Amplius sunt alia alijs priora contraria, & fiunt altera ex alijs, vt dulce, & amarum, & album, & nigrum, principia autem semper oportet manere. Quod igitur neque vnum, neque infinita sint, manifestum est ex his.

I. Patefecit hucusque qualia sint principia rerum natura constantium, dum ostendit, esse contraria; vt ipsemet in calce capitis præcedentis conclusit, *Quod igitur contraria oportet esse principia manifestum est.* Consilium eius deinceps est determinare, quot, & quæ sint eadem principia. Prius theorema, videlicet quot sint, examinat in præsenti capite, & aperit præter duo contraria iam in capite antegresso patefacta, omninò esse necessariam tertiam aliquam subiectam naturam: Nec præter illa contraria, & hanc naturam requiri quicquam aliud pro rerum generatione. Vnde vides, principia esse tantum tria. Ex qua quidem determinatione satis etiam indicatur, quæ sint, seu quid sint hæc ipsa principia, de qua tamen re in capite sequenti. nunc de primo theoremate.

II. Proponit in principio huius textus suam intentionem. Deinde, colligit principia non esse vnum: postea ostendit, non esse infinita: postremò apponit conclusionem. Inquit itaque. *Consequens autem est dicere, vtrum duo, aut tria, aut plura sint.* Circa quam Stagiritæ propositionem aduerte, quod de numero principiorum quinque quæsita excitari possunt. Primum, an principia sint vnum tantum: Secundum, an sint duo tantum: Tertium, an sint tria tantum: Quartum, an plura tribus, sed determinato, ac finito aliquo numero comprehensa. Quintum, sint ne numero infinita. Horum duo extrema, scilicet esse vnum tantum, aut infinita, in sententia Aristotelis apertè sunt falsa. Etenim in capite secundo, & tertio demonstrauit contra Parmenidem, & Melissum, principia nequaquam esse vnum: Tum in capite quarto aduersus Anaxagoram commonstrauit, non esse infinita: reliqua verò tria membra maiori egent indagine: propterea hæc duntaxat tria proponit hic examinanda, inquiens, dicendum esse, vtrum principia sint *duo, aut tria, aut plura*: Nihilominus ne quisquam eum carperet, quod duo illa extrema membra ieiunè transiliret, reddit rationem, cur id faciat, quia illa, inquit, sunt apertè falsa, atque impossibilia. Et hoc significat dictio illa causalis. *Vnum enim impossibile est*, sic alterum quoque extremum reijcit, partim ex dictis superius, partim nouis argumentis, quæ subijcit.

Ratio quod principia non sint vnum.

Ratio Philosophi est manifesta. Contraria non sunt vnum: Principia sunt contraria, non igitur sunt vnum. Prima propositio relinquitur de se conspicua, quia nihil est sibi ipsi contrarium. Et si vis, potest etiam ita probari. Contraria, auctore eodem Philosopho in quinto Metaphys. cap. 10. plurimum sub eodem genere distant, tum inuicem pugnant, tum ab eodem susceptibili semet mutuò expellunt. At plurimum distare, inuicem pugnare, mutuoq; se expellere impossibile est, vt vni, atque eidem rei conueniant: quare impossibile est contraria esse vnum. Secunda autem propositio patefacta est in capite præcedenti. III.

At obijcies: Ex hac ratione potius videtur sequi, principia esse vnum. Nam contraria, cum sint sub eodem genere, conueniunt in genere, ac proinde sunt vnum genere: Principia sunt contraria: erunt igitur vnum, scilicet genere.

Occurrendum est, quod contraria positiua conueniunt in vno genere: contraria autem priuatiua nequaquam. Quippe cum priuatio formaliter sit non ens, & carentia formæ in subiecto apto, ex lib. 10. Metaphys. cap. 7. quomodo potest cum ente conuenire in vno genere? Cum itaq; omne sermo sit de contrarietate priuatiua, quæ est omnium prima, vt patet ex eodem decimo Metaphys. cap. 4. constat, principia neque etiam genere, siue prædicamento esse vnum.

Colliguntur quatuor Philosophi rationes quod principia non sint infinita.

Prima ratio est ea, quam etiam in tex. 35. aduersus Anaxagoram adhibuit, & vberius explicauit; ideò in præsenti concisè indicat. *Infinita autem non, quoniam neque scibile quod est, erit.* Integra ratio huiusmodi est. Infinitum, qua infinitum intelligi, ac sciri non potest. Quod ita: quia intellectus noster quæcunq; intelligit, ac scit, ea comprehendit, & quasi intra se complectitur, atq; ambit: Quod autem nullos habet terminos, quale est infinitum, id comprehendi, & ambiri nequit, ac proinde neq; intelligi, ac sciri. Quare si principia essent infinita, ea intelligi, ac sciri non possent. Qui autē nescit IV.

Digitized by Google

principia, necessariò nesciet etiam principiata. vt disimus ad tex. 1. & 35. Vnde si principia rerum naturalium essent infinita, nulla vnquam res naturalis posset sciri. Hoc autem est absurdum. Primò, quia nos flagramus naturali desiderio sciendi; neque hic quidem, ille autem non, *sed omnes homines natura desiderant scire* ex principio Metaphys. Hoc autem naturale desiderium fatuum esset, si res haud possemus scire. Secundò, nos habemus à natura intellectum aptum sciendi res: Hic esset in nobis frustra, si res ipsæ sciri non possent. Quæ si absurda sunt, profectò principia non erunt infinita. Similem consequentiam intulit Aristoteles in secundo de ortu & inter: text 36. ac facit in hoc tex. dicens, quod si elementorum contrarietates essent infinitæ, non possent elementa cognosci, & definiri, *& non erit neque terminatum esse aliquid, neque generari*.

V. Secunda ratio est, *& vna contrarietas in omni genere vno: Substantia autem vnum quoddam genus est.* Circa quam rationem mirum est, quot, quàmque variæ interpretum extiterunt imaginationes, quas prolixa oratione prosequitur Philoponus, & longè prolixiori Simplicius. Quas quidem hic subijcere, superuacaneum duco. Eam duntaxat dabo, quæ mihi magis ad mentem Philosophi videtur, quæ est Alexandri Aphrod., Themistij, Magni Syriani, & Auerrois: Pro qua accipio primò, intentionem Aristotelis hoc loco esse, inquirere, & tradere principia substantiæ completæ. Id quod vel ex eo apparet, quia hic quæruntur principia generationis, & rei genitæ: Sola autem substantia, eaque completa, propriè generatur, accidentia autem consequuntur ad eam. Tamen, quoniam huiuscemodi principia sunt abdita, inueniuntur per principia transmutationum accidentalium, vt per notiora nobis: quæ principia substantiæ iam inuenta, accomodantur postea per quandam analogiam etiam prædicamentis accidentium. Hinc Auerroes in com. huius tex. *qui tradit*, inquit, *principia substantiæ, simul tradit principia omnium prædicamentorum*.

Accipio secundò, in præsenti esse sermonem de prima contrarietate, quæ est inter formam, & priuationem. Nam quæritur contrarietas principiorum substantiæ, in qua non inuenitur alia contrarietas, quàm priuatiua.

Accipio tertiò, Aristotelem per genus, dum ait, *vna contrarietas est in omni genere vno*, intelligere Prædicamentum; vt solemus dicere, substantia est vnum genus rerum, quantitas aliud, id est, illa est vnum Prædicamentum, hæc aliud. Quibus positis.

Ratio ita struitur. In omni genere vno, id est in vnoquoque Prædicamento, est vna tantum prima contrarietas, ad quam reliquæ omnes eius Prædicamenti contrarietates reducuntur: substantia est vnum quoddam genus, ac Prædicamentum, quare in ea est vna tantum prima contrarietas, ad quam reuocantur reliquę omnes, quęcunque in eodem Prędicamento reperiuntur. Vnius autem contrarietatis sunt tantum duo extrema, quia vnum vni tantum est contrarium, ergo tantum abest, vt principia substantię, de quibus hic sermo est, sint infinita, vt potius coarctentur ad vnam contrarietatem, cuius extrema sunt forma, & priuatio, quæ postea exigunt subiectum, vt mox audies.

Circa maiorem propositionem aduerte, Aristotelem consultò dixisse, in omni genere *vno*: Addidit *vnum*, vt indicaret, se loqui de genere vniuoco, cuiusmodi sunt omnia Prædicamenta, de quibus, vt exposui, intelligitur illa propositio; & vt excluderet genus analogum, quod sicut non habet vnam naturam communem omnibus analogatis, ita neq; habet vnam primam contrarietatem. VI.

Aduerte præterea, quod contraria positiua non reperiuntur in quocumque Prædicamento, neq; enim substantiæ, aut quantitati quicquam est contrarium, quemadmodum in earundem categorijs habemus, contraria autem priuatiua, quæ quidem expressa sunt ab Arist. decimo metaphys. cap. 3. nomine *habitus, & priuationis* in quouis Prædicamento reperiuntur. Quod vel ex eo dignoscere, quia quodlibet genus diuiditur per duas oppositas differentias inæqualis perfectionis, quarum perfectior quidem significatur nomine habitus, imperfectior autem subit conditionem priuationis, quia vid. priuatur maiori perfectione. V.G. animal diuiditur in rationale, & irrationale. Hinc rationale significatur nomine formæ, & habitus: irrationale autem, quia deficit à perfectione rationalis, indicatur nomine priuationis: Sic in qualitate calidum censetur habitus, frigidum autem existimatur priuatio quædam calidi, vt dicitur in secundo de cœlo tex. 18. & omninò *alterum contrariorum secundum priuationem dicitur*, auctore eodem Philosopho decim. Metaphys. cap. 3. cit. & rursus, *omnis contrarietas habet alterius contrariorum priuationem*. Hæc contrarietas est prima in quocunque genere, astipulante Philosopho in eod. cap. dum *prima*, inquit, *contrarietas habitus, & priuatio est*. Ad hanc ergo priuatiuam contrarietatem reducuntur reliquæ omnes, quæ in tali Prædicamento sunt. Nam subsequentia rediguntur ad primum. Vnde apparet quod in omni genere, seu Prædicamento est vna contrarietas. Vbi etiam aduerte cum Simplic. quod licet tot sint primæ contrarietates, quot sunt Prædicamenta: nihilominus contrarietas formæ, & priuationis Prædicamenti substantiæ est adhuc omnium contrarietatum reliquorum Prædicamentorum prima, quemadmodum ipsum Prædicamentum substantiæ est omnium Prædicamentorum primum.

Secundò, explico eandem propositionem. *In omni genere vno, est vna contrarietas*, non de sola prima contrarietate priuatiua, vt erat præced. expositio, sed absolutè, quod in vnoquoque genere est vna tantum prima contrarietas talis, qualis est apta reperiri in hoc, aut illo Prædicamento: si hoc Prædicamentum habet contraria positiua, in eo porrò vna erit prima contrarietas positiua, ad quam reliquæ omnes eius Prædicamenti rediguntur. V.G. VII.

in

in Prædicamento Qualitatis vna est prima contrarietas positiua, videl. calidi, & frigidi. Nam licet primæ qualitates circumferantur quatuor, caliditas, frigiditas, humor, & siccitas, vnde videntur oriri duæ primæ contrarietates, nihilominus caliditas, & frigiditas, secundum aliquam conditionem sunt priores humiditate, & siccitate: quatenus illæ sunt qualitates actiuæ, hæ passiuæ: Actiua autem naturaliter sunt priora passiuis. Hinc vides, in Categor. Qualitatis esse vnam tantum primam contrarietatem calidi, & frigidi, ad quam sequitur secunda humidi, & sicci, tum aliæ secundarum qualitatum. Quam quidem doctrinam vberius exposui in secundo lib. de gener. & corrupt. Ita philosophare in reliquis Categor. in quibus adest contrarietas positiua, in quibus autem non adest, tunc erit accipienda vna prima contrarietas habitus, & priuationis, vt contingit in Prædicamento substantiæ, aut Quantitatis. Quare propositio Philosophi est vniuersaliter vera eo modo, quo in hoc, aut alio Prædicamento reperitur contrarietas: semper enim in vno Prædicamento est vna prima: ac proinde *vna contrarietas est in omni genere vno*.

VIII. Tertia ratio, *Et quia contingit ex finitis*. ἐνδέχεται hic non significat contingentiam, sed quod possibile est. Ratio sic struitur. Quando in natura potest aliquid æquè commodè fieri, ac saluari per principia finita, non sunt intrudenda infinita: At generationes rerum naturalium, atque adeò res ipsæ non minus commodè fieri, ac saluari queunt per principia finita, quàm per infinita. Hanc minorem probat Arist. quia Empedocles, constituens sex principia, vid. quatuor elementa, & litem, ac amicitiam, æquè commodè seruat rerum generationes, & reddit rationes omnium, quæ fiunt, ac facit Anaxagoras per sua principia infinita. Prima verò propositio innititur duabus certissimis Naturæ legibus, quarum vna est, *quod Natura*, vt legimus in primo de gener. animal. cap. 1. *infinitum vitare solet, quia infinitum fine caret*: Natura autem semper finem quærit. Altera est, quòd Natura nunquam facit per plura, quod æquè commodè præstare potest per pauciora. Natura, vtpote præpotentis Dei ars, est ingeniosissima, vnde nec molitur, nec includit quicquam superuacanei, vt dicitur in primo de cœlo tex. 31. Quod etiam explicat Auerr. in hoc com. exemplo ex artibus accepto, *nam qui potest saluare modica actione, ille agit actione artificiali: si autem laborauerit in actione maiori, otiosè faciet, & superfluè*. Consimilia exempla adducit in lib. oct. Phys. com. 48. & lib. secundo de cœlo com. 35. & primo de Anim. com. 45.

IX. Quarta demum ratio pro eadem infinitorum principiorum confutatione est, *Amplius, sunt alia alijs priora contraria, & fiunt alia ex alijs &c.* Ita formetur. Si principia, quæ iam constituta sunt contraria, essent infinita, sequeretur, omnia contraria esse principia: consequens est absurdum, quare absurdum etiam est, principia esse infinita. Consequutio maioris redditur manifesta ex illa infiniti conditione, quod infinitum includit in se omnia sui generis, ita vt extra illud nihil eius generis possit accipi: Consequens autem esse absurdum, declarat Arist., quia dantur multa contraria, quorum alia sunt priora, alia posteriora: Tum alia fiunt ex alijs, vt dulce, & amarum fiunt ex humido, & sicco; album, & nigrum ex lucido, & opaco, & etiam resoluuntur in alia. Quæ contraria nullo pacto possunt statui principia, cum principia neque habeant alia se ipsis priora, ex quibus fiunt, neque in alia resoluantur, *nam principia semper debent manere*.

Ex his colligit in calce tex. conclusionem. *Quod igitur neque vnum, neque infinita sint, manifestum est ex his*.

Adnotationes & difficultates circa tex. 50.

Dubitatur primò, quid Auctor intelligat per, *id quod est*, siue τὸ ὄν, *ipsum ens*. dum ait, *quia neque scibile id quod est erit*? Sunt qui volunt eum intelligere totum ens, vt complectitur tam entia naturalia, quàm substantias abstractas. Primò, quia, id videtur importare τὸ ὄν, ipsum ens. Secundò, quia si principia essent infinita, profectò totum ens, etiam abstractum, nec inueniri, nec sciri posset: Etenim naturæ abstractæ inueniri nequeunt, nisi per motum cœlorum: motus autem ignoraretur, si principia forent infinita: proindeque constitutis principijs infinitis, ignorarentur etiam abstractæ illæ naturæ, atque adeò omne omninò ens. X.

Quæ expositio non placet. quia Auctor illud ens in præsenti intelligit, quod fuisset ea principijs infinitis, intrusis à Veterib. Sed ens conflatum ex ijs principijs, ad illorum aures, erat solum ens naturale, non autem ens abstractum. Neque enim Anaxagoras mentem composuit ex infinita sua Homæomeria, quin verò eam seruauit, vt posset mouere, quemadmodum refertur oct. Phys. tex. 37. primò de Anim. tex. 23. & 31. & primo Metaphys. cap. 4. & lib. 3. de anima tex. 4. Neque Democrit. & Leucipp. composuit naturas abstractas ex atomis. Quare Arist. hoc loco per *ipsum ens*, intelligit solum ens naturale. Præterea, cum Arist. in præsenti agat vt Physicus, non est cur transcendat ad aliud entis genus, nempe ad Metaphysicum.

Neque argumenta supradictæ sententiæ quicquam concludunt. Primum enim malè accipit nomen entis, vt ex nuper dictis apparet. Secundum autem argumentum nihil valet. Nam si essent principia infinita, atque ex ijs etiam conflaretur motus, tunc ignoraremus vtique motum cognitione scientifica, & per causas, cum istæ fuissent infinitæ; at verò neutiquam ignoraremus motum esse in rerum natura, quoniam hoc testatur sensus ipse. Posita autem existentia motus, commodè possunt ex eo colligi, ac demonstrari entia abstracta, quemadmodum re ipsa facit Philosophus in oct. Phys.

Digitized by Google

non enim eo loci quærit quid motus sit, sed eo strato, atque supposito, colligit entia abstracta, eo fundamento innixus, quod omne quod mouetur, debeat moueri ab alio: & in mouentibus per se subordinatis non sit in infinitum abeundum. Quamobrem falsum est, quod ex infinitate principiorum ignoraretur etiam omne ens in tota sua latitudine.

XI. Existimo itaque Stagiritem, per *id quod est*, siue per *ipsum ens*, hoc loco intelligere ens duntaxat naturale. vt sensus sit, si principia essent infinita, nos nihil rerum naturalium sciremus. Quæ expositio vel ex hoc ipso contex. eruitur, dum Philosophus in tertia ratione ait, quod Empedocl. cum paucitate principiorum, perinde seruabat *omnia*, atque Anaxagoras cum principijs infinitis. Porrò omnia, quæ Empedocl. seruare, & quorum rationes assignare opinabatur, sunt res naturales. Quare easdem res intelligit Arist. per *id quod est*. Quod etiam clarius exposuit per *omnia*. Adde, quod si pressius loqui volueris, per *id quod est*, indicat Arist. sola composita naturalia. Quæ expositio videtur habere fundamentum in tex. 35. vbi hanc ipsam rationem habemus, cuius confirmatio subnectitur, *quia tunc opinamur cognoscere compositum, cum cognouerimus ex quibus, & quot sit*. Ita in tex. 51. ens accipit pro composito, dum ait, quidam autem & plura sumunt, ex quibus constituunt *τὴν τῶν ὄντων φύσιν*, *naturam entium*, id est compositorum. Assignant aliqui rationem, cur per id quod est, intelligatur compositum; quia, inquiunt, id quod est, siue *ipsum ens*, est vox concreta, deducta ab essentia: compositum autem est quoddam concretum. Syncerior tamen est hæc ratio: quod id quod est, denotat illud, quod propriè est, & existit: solum autem compositum propriè est, & existit.

XII. Perpendo, 2. quod ait *Amplius sunt alia alijs priora contraria*. Per contraria priora intelligo communiora; per posteriora autem, intelligo contraria minus communia; quemadmodum etiam exposui circa tex. 48. Et cum contraria alia sint priora secundum sensum, alia autem sint priora secundum rationem, vt ibidem dixi, Arist. hoc loco intelligit contraria priora secundum sensum, vt ex eiusdem exemplis animaduertere possumus, quæ sunt dulce, & amarum, album & nigrum. Hæc enim discernit sensus.

XIII. Perpendo, 3. *principia autem semper oportet manere*, quæ verba turbauerunt omnes expositores. Nam Philosophus sermonem habet præsertim de principijs contrarijs, quæ sunt forma, & priuatio: Hæc autem assiduò fiunt, & corrumpuntur: quomodo igitur possunt semper manere? Deinde, in tertio lib. de cœlo tex. 61. ait, *æternorum quidem æterna, corruptibilium autem corruptibilia esse principia*. Quo igitur pacto hic asseuerat, principia rerum corruptibilium *oportere semper manere*? Adhæc, videtur secum pugnare. Nam in tex. 59. huius lib. ait, in mutatione solum subiectum permanere: reliqua autem non item. *Homo*, inquit, *permanet, factus musicus homo: non musicum autem, & immusicum, neque simplex, neque compositum permanet*.

Variæ extant expositiones. Philoponus tres refert, & confutat. Quidam dixerunt, Aristotelem per principia, quæ *semper debent manere*, intelligere principia cœlestia, quæ sunt causæ effectrices horum inferiorum: semper autem manent; quia sunt æternæ. Alij existimarunt, denotari Ideas, quæ etiam sunt causæ exemplares eorundem inferiorum, & semper atque eædem perseuerant: Alij imaginati sunt, his verbis innui trinam dimensionem, siue formam corporeitatis, quæ cum sit coæua, & coæterna materiæ, ideò dicitur *semper manere*.

Quæ expositiones longè absunt à Stagiritæ mente. Et quidem priores duæ, quia hoc loco sermo est de principijs internis generationis. Principia autem cœlestia, & Ideæ non sunt huiusmodi. Tertia etiam expositio conspicuè est falsa, Nam talis trina dimensio, aut forma corporeitatis coæua materię, non datur, vt suo loco ostendi. Præterea, quia, vt etiam arguit Philoponus, Arist. hic loquitur de principijs formalibus, siue de contrarijs: talis autem dimensio, & forma corporeitatis in materia nihil haberet contrarium.

Germanus itaque illorum verborum sensus est, XIV.
non quod præfata principia, forma, & priuatio, eadem numero semper maneant, ac seruentur; hoc enim impossibile est; alioquin nulla de nouo celebraretur generatio, aut corruptio; sed dicuntur semper manere, quia semper in omni transmutatione inueniuntur: & omnis omninò transmutatio fit secundum ipsas. Hoc idem significauit Alex. Aphrod. lib. primo Quæstion. Natural. cap. 16. dum hæc principia appellat æterna. *Poterunt*, inquit, *& æterna demonstrari: non enim si singulares formæ, & priuationes ostenduntur successiuè inuicem mutari, propter hoc non æterna: sed si semper appareant necessario circa materiam vtrumque istorum existens, erunt vtique æterna habitus, & priuatio, & si non hic habitus, neque hæc priuatio æterna sit*. Probat hoc suum dictum duplici ratione. Primò, quia materia existit æterna: Hæc non potest existere sine determinata forma: & tunc etiam habet priuationem aliarum formarum, ergo forma, & priuatio, erunt semper æternæ. Secundò, materia est potentia ad oppositas formas, ergo cum non possit illas simul habere, quando informatur vna aliqua forma, tunc est in potentia ad aliam. Quod si est in potentia ad illam, ergo tunc est cum priuatione illius formæ, ad quam est in potentia: semper igitur materia est cum aliqua forma, & cum priuatione: proindeque forma, & priuatio erunt semper, & æterna, quemadmodum est ipsa materia.

Quam interpretationem, vt penitus introspicias, XV.
expende Philosophi rationem. Dixit contraria, quæ sunt priora, & posteriora, & quorum alia fiunt ex alijs, non posse statui prima principia, de quibus est sermo. Probat, quia principia debent semper manere, id est inueniri in, omni mutatione:

Præ-

Digitized by Google

Præfata autem contraria non semper manent. Quod patet, nam si generetur ignis ex aqua, non inuenitur in ea generatione dulce, & amarum, aut album, & nigrum. quare ista contraria non erunt prima principia. Rem exemplo Philoponi adhuc declaro. Si quis de materiali causa quærens, diceret, ligna non esse materiam rerum, quia non semper manent, siue non inueniuntur. Nam in æneis vasibus, aut aureis, ligna, vt materia non subijciuntur: materiam autem communem oportet semper in omnibus inueniri, id est in omni mutatione: sic Arist. cum quærit hic communissima rerum omnium principia formalia, ait, oportere ipsa semper inueniri, id est in omnibus rebus materialibus eadem esse, atque per ipsa omnem transmutationem fieri. Hæc ille.

Hinc apparet etiam solutio ad rationes dubitandi. Etenim quamuis hæc forma, & hæc priuatio corrumpantur, nihilominus semper manet forma, & priuatio indefinitè, vt cum Alex. diximus, & explicui etiam supra quæst. 1. circa tex. 42. in solutione ad 1. argumentum.

Ad aliud ex tertio de cœlo dico, alio modo esse æterna principia æternorum, alio autem corruptibilium. Principia æterna sunt æterna, & manent semper non solùm indefinitè, & si vis, in specie, sed determinatè, & eadem omninò numero. Principia autem rerum caducarum ac corruptibilium determinatè, & in numero haud sunt æterna, neque manent semper, sunt autem sempiterna, semperq; manent indefinitè, vt dixi.

XVI. At verò temperare me nequeo, quin subijciam quorundam interpretationem, inter quos est Piccol. asserentium, verba illa, principia *debere semper manere*, nil aliud significare, quàm quod in eorundem principiorum definitione dictum fuit; videlicet, ea neque ex alijs, neque ex alterutris fieri. Vnde idem est, principia debere semper manere, ac debere esse prima. Quid verò? illicò inueneruunt etiam Aristotelis locum, quo id confirmarent. Nam in primo Poster. cap. 3. principia, inquiunt, prima dicuntur stare; quod idem est, ac manere. Ait enim Philosophus *reperiemus aliqua immediata principia, in quibus nobis erit standum.*

Quæ expositio inanis est. Primùm, quia ratio Philosophi non innititur illi fundamento, vt cuiq; vel oscitanter consideranti liquet: & tu ipse vidisti, dum eam struximus; Deindè, deberent isti considerare, quod prima, & immediata principia sciendi neque stant, neque ambulant, sed nos in ijs statum facimus. quia vlterius progredi non valemus: vnde stare in principijs, refertur ad nos: Hic autem *manere* non refertur ad nos, sed ad ipsa principia; quapropter extra rem refertur locus ille. Verùm de hoc tex. satis.

TEXTVS LI.



Voniam autem finita, non facere duo tantùm, habet quandam rationem. Dubitabit enim aliquis, qualiter densitas raritatem facere apta nata sit, aut hæc densitatem: similiter autem, & alia quæcunque contrarietas. non enim amicitia litem congregat, & facit aliquid ex ipsa. neque lis ex illa; sed vtraque alterum quiddam tertium. Quidam autem & plura recipiunt, ex quibus construunt eorum, quæ sunt, naturam.

Si principia neque vnum, neque infinita sunt, vt in tex. proxime antegresso demonstratum est, erunt certo aliquo numero comprehensa; at quoto, nondum apparet. Hoc itaque erit deinceps inquirendum. Et quia post vnum, sequitur dualis numerus; Et etiam quia dixit in principijs sufficere vnam contrarietatem: vnius autem contrarietatis suoi tantùm duo extrema; propterea nunc inuestigat, an hæc sola duo contraria sufficiant pro principijs rerum naturalium, an verò præter hæc addendum sit aliquod tertium; aut etiam aliqua plura? Et affert quinque rationes, quibus luculentissimè demonstrat, haud esse satis, ponere solùm duo illa contraria. Affert autem rationes hoc ordine, quod in hoc tex. 51. probat non sufficere duo sola contraria pro generatione rerum naturalium: in tex. autem sequ. probat, eadem duo contraria non sufficere pro ipsa re genita. I.

Ait itaque, cum iam patefecerimus, principia esse finita, rationabile est, quod non sint solùm duo contraria: & statim subiungit rationem, *dubitauerit enim &c.* quæ ita struitur. Principia, ex quibus debet fieri generatio, & corruptio rerum naturalium, debent esse talis naturæ, & conditionis, vt possint habere inter se actionem, & passionem, quæ requiritur pro generatione, & corruptione. At duo sola contraria nequeunt habere inter se huiusmodi actionem, & passionem, quæ pro generatione, & corruptione rerum requiruntur. quare duo sola contraria non sufficiunt. II.

Minorem sic ostendit. Duobus modis concipere possumus inter duo contraria intercedere actionem, & passionem pro alicuius rei generatione. Vno quidem, vt vnum contrarium habeat actionem generandi alterum contrarium: Altero autem, vt vnum contrarium habeat actionem, vt ex altero contrario generet aliquid tertium. Vtrumque agendi modum expressit illis verbis. *Non enim amicitia litem congregat:* Ecce primus operandi modus. *& facit aliquid ex ipsa, neque lis ex illa,* ecce secundus. Sed neutro illorum potest inueniri actio inter duo contraria. Quæ quidem minor declaratur ab Auctore, exemplo contrariorum,

quæ

quæ ab ijsdem antiquis pro principijs fuere intrusæ: densitas, inquit, non facit raritatem, neque è contra raritas densitatem, quæ duo erant principia Thaleti, Diogeni, Heraclito, alijsque Physicis. Ita neque Empedoclis Lis facit Amicitiam, aut e contra. *& similiter quæuis alia contrarietas*, non facit suam contrarietatem. Non igitur inter contraria potest esse primus modus agendi.

III. At neque inuenitur secundus modus actionis. Nam densitas non facit aliquod aliud ex raritate, neque raritas facit aliquod tertium ex densitate. Profectò nemo mentis compos dixerit, quod caliditas faciat aliquam rem ex frigiditate: quare cum contraria neutro modo possint habere inter se actionem, & passionem, requisitas pro alicuius rei generatione, non poterunt duo tantum recensita contraria statui principia, *sed hæc vtraque faciunt aliud quiddam tertium*. videlicet hæc vtraque versantur circa aliquod subiectum, ex quo per alternam successionem faciunt alias, atque alias res. Hinc vides, quomodo præter duo contraria principia insinuetur tertium, id est subiectum.

IV. Confirmat hoc ipsum auctoritate aliorum Philosophorum, dum ait. *Quidam autem & plura accipiunt, ex quibus conficiunt eorum, quæ sunt naturam*. Hoc, ait, quod modo diximus, ita alij quoque Philosophi pro comperto habuere, vt aliqui, contrarijs ab ipsis pro principijs constitutis, non vnum, sed plura subiecta supposuerint, circa quæ contraria deberent agere, vt conficeretur natura eorum quæ sunt, videlicet compositorum. Sic Empedocles pro principio materiali statuit quatuor elementa, Parmenides ignem, & terram. Thales aquam, Diogenes aerem, alij aliud.

T E X T V S LII.



Dhæc autem adhuc & hoc aliquis dubitauerit, nisi quis aliam supposuerit contrarijs naturã. Nullius enim videmus eorum, quæ sunt, substantiam, contraria. principium autem non de subiecto oportet dici aliquo: erit enim principium principij. subiectum enim principium, & prius videtur esse prædicato. Amplius, non esse dicimus substantiam contrariam substantiæ. Quomodo igitur ex non substantijs substantia vtique erit? aut quomodo prius non substantia, quàm substantia erit?

I. Pergit, & quatuor rationibus efficacissimè in præsenti contex. commonstrat, præfata duo contraria haud esse principia sufficientia pro re genita. Ac primò quidem ait, *Adhæc autem & hoc aliquis dubitauerit, nisi quis aliam supposuerit contrarijs naturam*. Quibus quidem verbis non affert aliam rationem, vt perperam existimauit Alex. relatus hic à Simplic. sed solum indicat problema, de quo posset aliquis dubitare: & propterea subdit, *nullius enim videmus* &c. quæ loquutio causalis ponit rationem, propter quam aliquis posset dubitare, vt optimè adnotat etiam Simplic.

Scito, quod in omnibus codic. græcis sic lego πρὸς δ' τούτοις ἔτι κἂν τόδε τις ἀπορήσειε. Quę ita sonant. *Præter autem hæc, adhuc & si hoc aliquis dubitauerit*. Ego putauerim haud esse legendum κἂν τόδε, sed καὶ τόδε, *& hoc*. & sensus erit planus. quod sicut dubitauimus in tex. præced. & attulimus rationem, quomodo contraria non sufficiant pro generatione eorum, quæ sunt; ita adhuc *& hoc* aliquis dubitauerit, quomodo illa eadem contraria sufficiant pro re genita constituenda, *nisi aliam supposuerit contrarijs naturam*? Perpende Stagiritæ loquutionem: perinde enim est, ac si dicat. Si quis præter duo contraria supponat aliam tertiam naturam, id est subiectum, statim tollit difficultatem. Deinde cum ait, *supposuerit*, apertè indicat, eam tertiam naturam esse materiam, quæ est natura alia, atque distincta tum à forma, tum à priuatione. & vtrique successiuè subijcitur, propterea etiam in tex. 82. definitur *subiectum primum*. His prælibatis. II.

Accedo ad rationes Aristotelis, quas vario modo struunt, si non destruunt interpretes etiam primæ notæ. Sunt qui contendunt, hic ab Stagirite tres tantum rationes afferri. Equidem inuenio quatuor, vt mox audies. Et quidem prima ratio in omnibus græc. codicibus sic legitur, οὐδενὸς γὰρ ὁρῶμεν τῶν ὄντων οὐσίας τἀναντία. quæ verba corruptè ab omnibus translata sunt. Argirop. vertit. *Nullius enim videmus eorum quæ sunt, substantia contraria*. Sic etiam habet interpres Themistij, cum inquit, item, *Nulli rei videmus substantia esse contrarias* quam sequitur S. Thom. Antiqua translatio habet, *Nullius enim eorum quæ sunt, substantiam contrariam esse videmus*. cui adhæret Auerr. & sic etiam legit, & interpretatur Philoponus. sic etiam interpretatur Simplic. quamuis in versione legat, *Nullius enim videmus eorum quæ sunt, substantiæ, contraria*. tamen ipse coniungit, *substantiam* cum *contrarijs*, dum ita loquitur. *Cum dicat, Arist. nullius enim quæ sunt, videmus substantiam contrariam esse, perinde atque hæc sit causa dubitandi &c.* ita Philoponus. *Nullius enim eorum quæ sunt videmus substantiam contrariam esse, id est nihil habet substantiam in eo quod contrarium est &c.* Alij sic habent, *Nam contraria nullius rei essentiam esse videmus*. Alij sic, *Nullius enim videmus eorum quæ sunt, substantiam, contraria &c.* III.

Equidem alios hic nil moror, miror autem, IV.
quin verò indignor interpretib. Græcis, Themistio, Simplic. Philopono, & Argiropol., quod non considerarint τἀναντία, *contraria*, esse neutr. gener. οὐσίας autem esse gen. fœmin. ac proinde *contraria* nullo modo posse coniungi cum οὐσίας *substantia*, vt illi coniungunt, dicentes *contrariam substantiam*. Adde, quod versio Argiropoli, & le-

ctio

hic Themistij in latino sermone est error: cum enim oratio pendeat ex verbo *videmus*, nequit dici *videmus substantia contraria*. Sed dicendum est in alio casu.

V. Tu verò accipe 1. ἐναντία *contraria*, hic esse subiectum in propositione, quod euincit articulus appositus. Accipe 2. οὐδενὸς τῶν ὄντων, *nullius eorum quæ sunt*, siue *nullius entium*, idem esse, atque nullius entis. Accipe 3. per entia hic intelligi res naturales, & si vis, ipsa composita, quemadmodum in tex. præcedent. & in tex. 50. adnotaui. Accipe 4. quod si retineas communem lectionem, οὐσίας, quæ habetur, vt supra indicaui, in omnibus codicibus Græcis, dupliciter potest verti: Primò est casus gen. *substantiæ*: & coniungenda est cum illo οὐδενὸς *nullius*: & sensus est, videmus nullius substantiæ eorum quæ sunt, id est compositorum, ipsa contraria, suple, esse principia. Secundò, potest esse casus accus. num. multitud. & verti debet, *substantias*. & sensus erit, Videmus, contraria nullius compositi esse substantias. Suspicor, non esse legendum οὐσίας, sed οὐσίαν, id est substantiam, & intellectus erit, videmus, nullius eorum quæ sunt, substantiam esse ipsa contraria.

VI. Vnde tripliciter etiam struo Philosophi rationem iuxta hanc vltimam lectionem sic. Principia sunt cuiuscunque entis substantia, siue essentia: sed contraria nullius entis sunt substantia, siue essentia; ergo contraria nullius entis sunt principia. Cuius quidem argumenti ponit solam minorem: & eam profert veluti manifestam, cum ait, *videmus*. Quis enim non videt, principia cuiuscunque rei debere in vnum coire, simulque consistere, si rem illam compositura sint? Quis autem nescit, id e regione aduersari contrarijs?

Iuxta communem autem lectionem si οὐσίας vertas, *substantiæ*; ratio sic formatur. Contraria nullius substantiæ eorum quæ sunt, id est compositorum, sunt principia. At nos quærimus principia substantiæ compositorum, tales enim sunt res naturales, quarum principia inuestigamus: ergo contraria non sunt illius principia.

Demum si οὐσίας vertas *substantias*: sic collige. Principia sunt vniuscuiusq; entis compositi substantiæ, nam substantiæ compositæ, de quibus hic est sermo, debent componi ex substantijs: sed contraria nullius entis compositi sunt substantiæ, ergo contraria nullius entis compositi sunt principia. Mihi magis placet prima, sed fortasse nimius ego in hac ratione.

VII. Secunda ratio iacet ibi: *Principium autem non de subiecto oportet dici aliquo: erit enim principium principij. subiectum enim principium est, & prius videtur esse prædicato*. Quæ quidem verba sunt, qui cum superioribus ita continuant, vt ex his, & illis forment vnicam rationem: sed falluntur. In his enim adiungitur alia ratio à præced. distincta. Quinimo est ratio, veluti duplici medio termino instructa: quæ sic formatur. Principia non debent præsupponere aliquid aliud ante se, & non debent esse in aliquo subiecto: Contraria præsupponunt aliquid aliud ante se, & sunt in aliquo subiecto: quare contraria non sunt principia. Minor subiicitur ab Aristotele, ceu manifesta, cum enim contraria, vt dicitur decim. Metaphys. cap. 3. plurimùm distent sub eodem genere, omninò habent ante se naturam genericam, quæ vtroque contrario prior est. Item contraria sunt nata fieri in eodem subiecto, & ab eodem mutuo se expellere, ergo contraria sunt in subiecto. Et sane contraria sunt quædam formæ, quæ omninò egent fundamento.

VIII. Maiorem autem probat Philosophus quoad vtramque partem hoc medio: *erit enim principium principij*. & quidem priorem partem sic collige. si principium præsupponeret aliquid aliud ante se, illud præsuppositum esset istius principium; & sic istud simul esset principium, & non esset principium. Hoc autem inuoluit contradictionem. Consequentia autem est manifesta. Quod enim esset principium, iam supponimus: Quod autem non esset principium, etiam est manifestum, quia ratio principij est, vt non habeat aliud ante se, vt patet vel ex ipsa definitione principiorum, ergo si principium supponeret ante se aliquid aliud, daretur *principium principij*. Eodem pacto: si principium esset in subiecto, (quæ est secunda pars illius maioris) sequeretur, esse principium principij. quod probat, *quia subiectum principium est, & prius videtur esse prædicato*. Vide hic duos medios terminos. Vnum est, quod subiectum est prius prædicato, nempe eo quod in subiecto est: Alter, quod subiectum est principium, eius, quod in subiecto est. Quos tu applica ad maiorem, vt eam struximus. Et nota, quomodo istæ rationes sunt probationes illius propositionis, quam nos in conficiendo syllogismo apposuimus. Solet enim Stagirites sæpenumero omittere propositionem, & solum ponere illius probationem.

IX. Addit duas alias rationes, cum inquit, *Amplius, non esse dicimus substantiam contrariam substantiæ. Quomodo igitur ex non substantijs substantia vtique erit?* Primò, iacit hoc fundamentum, demonstratum in Categoria substantiæ, quod substantia non est contraria substantiæ, quinimò ei nihil est contrarium.

Digitized by Google

trarium. Ex quo sic colligit. Substantia non est contraria substantiæ, ergo si principia essent contraria, illa procul dubio essent non substantia. Quo posito, est prima ratio. Ex principijs fiunt substantiæ: sed si principia sunt contraria, ea sunt non substantiæ. ergo substantiæ fiunt ex non substantijs. Hoc autem est impossibile. quare impossibile etiam est, principia esse contraria.

X. Secunda ratio, *est quomodo prius non substantia, quàm substantia erit*? Principia sunt priora ijs, quorum sunt principia: ac proinde principia substantiæ sunt priora quacunque substantia: sed contraria, vt in fundamento apparuit, non sunt substantia, ergo si principia sunt contraria, non substantia erit prius, quàm substantia. Hoc autem quis vnquam dicet? Hinc in septimo Metaphys. tex. 4. legimus, *quod substantia, & ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum est*. Ex his itaque liquet, quomodo duo sola principia contraria non sufficiunt, sed necessariò addendum erit tertium, quod est materia, ac subiectum, si volumus tueri, & quod principia sint contraria, vt superius dictum est, & quod contraria sola non sufficiant, quemadmodum modum vidimus. sic ipsemet Philosophus colligit in tex. sequ.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 52.

XI Circa primam rationem dubitatur, in qua dictum est, contraria nullius rei esse substantiam. Contra: forma est vnum contrarium inter principia, & tamen est substantia rei: item in eadem dictum est, principia esse substantiam rei: Contra. Priuatio est principium. Nihilominus nullius rei substantia est.

Ad 1. respond. quod Arist. ait, contraria nullius rei esse substantiam, id est, nullam rem componunt, cum simul consistere nequeant, ita forma, & priuatio nullam componunt rem: neque vnquam forma potest cum priuatione simul consistere, aut è contra. Ad 2. dico, In præsenti sermonem esse de principijs rei, non generationis, ex quibus artificiosissimè colligit Arist. necessitatem materiæ, vt in tex. seq. videbitur.

Circa secundam rationem. Primò occurrit dub. circa id, quod in ea dicitur, scilicet principium non præsupponere aliquid aliud ante se: forma enim equi præsupponit materiam, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, ex tex. 82. vt ex cuius potentia educitur. Secundò falsò etiam dicitur in eadem ratione, principia non esse in subiecto: Nam forma, & priuatio sunt in materia tanquam in subiecto: materia enim est primum subiectum ex tex. 82.

Tertiò, etiam falsum est, quod in eadem ratione accipitur, videl. principij non esse principium: quia solus supremus rerum opifex Deus caret principio: cætera autem cuncta necessariò habent aliquod principium, à quo etiam dependent. hinc in duodecimo Metaphys. tex. 38. de Deo legimus, quod *à tali principio tum cælum, tum natura dependet*.

Postremò, falsum quoque est, subiectum esse prius prædicato, vt in ea ipsa ratione assumitur. Enimuerò prædicatum est quid superius subiecto: ob id etiam prædicatur directè de eo. At superiora sunt etiam priora, vt dicitur in Postprædic. cap. de Priori. *Nam prius*, inquit Philosophus, *huius generis dicitur, à quo non commeat retro vicissim consequentia*. quo fit, vt prædicatum potius sit prius subiecto, quàm è contra. vt hic asseritur.

Quæ quidem difficultates facilè depelluntur. XII Depellitur prima, quia materia nunquam præsupponitur ad formam. Nam materia dupliciter potest spectari: Primò in communi: Secundò in particulari, vt est hæc materia, huius, aut illius rei: Materia primo modo, nullo pacto est ante formam, cum nunquam sine omni forma existant. At neque secundo modo præcedit formam. quia hæc materia dicitur relatiuè ad hanc formam. ita asserente Philosopho in secundo Physicorum tex. 26. *quod eorum, quæ sunt ad aliquid, materia est: Et ad aliam formam, alia est materia*. Quid verò? si materia intelligitur substerni huic formæ, ac proinde videtur præcedere aliqua prioritate naturæ, in genere causæ materialis, etiam forma intelligitur in suo genere præcedere materiam, cum causæ sint sibi inuicem causæ, vt explicatur in tex. 27 libri secundi huius operis.

Præterea dico, quod cum dicimus, principium non debere præsupponere aliquid aliud ante se, intelligimus non præsupponere aliud in eodem genere, ac est illud principium. Nihil autem vetat, quominus in diuerso genere præsupponat, sic forma particularis præsupponit aliquam materiam, ex cuius gremio educitur.

Ad 2. dico, Neque formam, neque priuationem propriè esse in subiecto. Hoc enim est proprium accidentium, vt in Categ. de substantia determinatur. Iccirco secundæ substantiæ, quamuis insint in primis, nihilominus non propterea dicuntur esse in ijs, velut in subiecto. XIII Forma itaque est in materia, vt proprius actus in propria potentia, in qua fit, *nam vniuscuiusque actus in eo, quod potentia est, & in propria materia aptus natura est fieri*. ex secundo de Anima. tex. 26. Priuatio autem pro fundamento est idem, quod materia ex tex. 60.

huius

huius lib. formaliter verò accepta est non ens, vt explicat Stagirita in tex. 79. quare neque hæc potest dici esse in subiecto.

Ad 3. dico, illud nihil attinere ad rem, de quà agimus: Hic sermo est de principijs internis rerum: Deus autem nullius rei huiusmodi principium est.

Ad 4. Duplex est subiectum. Vnum inhæsionis: Alterum prædicationis: subiectum prædicationis est quidem posterius suo prædicato, à quo etiam non conuertitur subsistendi consequentia. Subiectum autem inhæsionis est prius prædicato, sine eo, quod in tali subiecto inhæret. & propterea etiam dicitur principium inhærentis in eo. De hoc subiecto inhæsionis loquitur hic Arist. Instantia verò in argumento facta procedit de subiecto prædicationis.

XIV. Adhæc, dubitatur circa id, quod in tertia ratione dictum est, videlicet principia substantiæ debere esse substantiam. Primò, principium oportet esse diuersum ab eo, cuius est principium. At si principia substantiæ essent substantia, non essent diuersa, quia substantia non est diuersa à substantia. Secundò, si principia substantiæ essent substantia, ergo de nouo non fieret substantia, sed esset antequam fieret. Hoc autem impossibile est. Tertiò, supra à tex. 43. & inde habitum est, omne quod fit, fieri ex suo contrario, idque tam in simplicib. quàm in compositis. Contrarium substantiæ est non substantia, quare necessariò substantia fit ex non substantia.

XV. Hæc quoque argumenta nulla sunt. Ad 1. dico, principia interna, & componentia, profectò debent esse aliquo pacto diuersæ conditionis à compositis, nihilominus debent esse eiusdem gradus, & Prædicamenti cum composito: alioquin substantia internè posset componi ex accidentibus, & qualitas ex quantitate, & hæc ex relatione, vel alia Categoria, atque adeò quodlibet ex quolibet, quod dictu est absurdissimum: sunt itaque principia rem componentia eiusdem gradus cum ijs, quæ componunt, sed simplicia, & incompleta, & iuncta conficiunt aliquod completum. Ita materia, & forma sunt simplices, & incompletæ substantiæ. Ex his autem coalescit substantia completa. Hinc simplic. *Materia*, inquit, *& forma non sunt tales substantiæ, qualem faciunt, sunt tamen substantialia quædam, ex quibus completur substantia*. Hinc patet etiam solutio ad 2.

Ad 3. dico. Aliquid fieri ex aliquo, duobus modis contingit. Vno quidem vt ex termino à quo: ita fit ex suo contrario. Alio autem vt ex parte componente, & constituente ipsum: quo pacto non fit ex suo contrario. Anne densitas componetur ex raritate, aut calor ex frigore, aut è contra? Hoc secundo modo loquitur Stagirites hoc loco dum ait, *substantiam non fieri ex non substantia*. Hæc est communis responsio. Sed tu recole doctrinam a nobis superius, in quæstione 1. ad tex. 42. & ad tex. 47. vberrimè explicatam, quod aliud est, fieri ex aliquo: aliud esse ex aliquo. Fieri, est ex termino a quo: esse est internè componi. Modo Arist. in hoc tex. non ducit pro absurdo, quod substantia fiat ex non substantijs: sed ducit, quod substantia sit, idest componatur, ex non substantijs. Audi eum, & mecum semper admirare eius diligentiam. *Quomodo igitur ex non substantijs substantia vtique erit?* audis, quomodo *erit?*

Postremò, in vltima ratione pro absurdo XVI. ducitur, non substantiam esse priorem substantia: At hoc non modo non est absurdum, sed potius est necessarium. Primò, quia priuatio est non substantia: quæ tamen est prior substantia: Nam priuatio est principium rerum naturalium, quæ sunt substantia. principia autem sunt priora principiatis. Secundò, substantiæ fiunt de nouo, cum non essent. fiunt autem per præuias dispositiones: vt ignis ex ligno per calorem, & siccitatem, præuiæ autem dispositiones sunt non substantia, ergo prius est non substantia, quàm substantia.

Ad 1. dico Priuatio accepta pro fundamento est substantia, *est enim cum materia numero vnum. forma autem & ratione duo*, vt habetur in tex. 60. formaliter autem cum sit non ens, nihil est prius ista substantia. Ad 2. Dispositiones sunt instrumenta producendæ substantiæ: & producunt substantiam in virtute substantiæ, quæ vtique est prior.

TEXTVS LIII.



Vocirca, si quis & priorem veram putabit esse rationem, & hanc, necessarium est, si debet saluare vtrasque rationes, subijcere quoddam tertium, quemadmodum dicunt vnam quandam naturam, dicentes esse vniuersum, vt aquam, aut ignem, aut medium horum.

I. Ex his, quæ hucusque edisseruit, colligit necessitatem tertij principij, quæ est materia. Si volumus, inquit, & priorem rationem tueri, qua in præced. capite ostensum est, contraria esse principia, & volumus etiam tutari rationē, qua nuoc in tex. proximè antegressis, patefecimus, principia haud esse contraria, omninò cogimur dictis contrarijs supponere, atq; subijcere tertium principiū, quod tanquam subiectum vtriq; contrario commune sit, atq; modo abijciat vnum contrarium, recipiendo alterū:

Digitized by Google

modo abiecito illo, recipiat alterum: Vide quàm ingeniosè inuenit tertium principium, quod est subiectum, siue materia.

II. Dandum etiam esse huiuscemodi tertium principium, & subiectum, confirmat auctoritate Veterum Philosophorum, dum ait, *quemadmodum affirmant vnam quandam naturam, dicentes esse vniuersam, vt aquam, aut ignem, aut medium horum.* sic, inquit, etiam fecerunt Veteres Philosophi, qui *vniuersum* id est, principium rerum omnium faciunt vnam naturam, siue materiam. Nam qui V. G. raritatem, & densitatem pro contrarijs inducerant, hi omnes statuerunt etiam quoddam tertium, vt Thales aquam, Diogenes aerem, Heraclitus ignem, Anaximander quoddam medium inter ignem, & aerem. quod quidem tertium esset *τὸ πᾶν, ipsum* omne: id est, esset principium omnium rerum naturalium; vel esset ipsæmet res omnes naturales: atque illud esset natura rerum omnium. Modus loquendi Arist. *οἱ μίαν τινὰ φύσιν λέγοντες τὸ πᾶν. qui vnam quandam naturam dicunt ipsum omne*, siue, *ipsum vniuersum*, est iuxta modum Veterum Philosophorum. Illi namque, pro eodem accipiebant aliquid esse ex hoc, atque esse hoc: ideò qui principium constituebant aquam, aiebant, omnia esse aquam: qui ignem, asserebant, omnia esse ignem. Et ratio est, quia ad illorum aures, sola materia est natura, vt refertur in secundo lib. huius operis tex. 7. & deinceps: ergo qui aquam V. G. constituebant pro materia, omnium rerum naturam aiebant esse aquam: sic ergo illam vnam naturam asserebant esse *τὸ πᾶν.* ipsum omne, seu ipsum vniuersum, id est, res omnes naturales.

T E X T V S LIV.



Idetur autem medium magis, ignis enim & terra, & aer, & aqua, contrarietatibus complexa sunt. Ideo non irrationabiliter faciunt, subiectum alterum ab his facientes, aliorum autem quidam aerem, aer enim minimè habet aliorum differentias sensibiles, consequens autem est aqua.

Venatus hucusque est, præter duo principia contraria, omninò adiungendum esse tertium, Iam
I. docendi methodus exposcit, vlterius duo declarari. Vnum, quantum ad naturam iam constituti subiecti; explicare videlicet, cuiusnam naturæ, & conditionis sit illud subiectum: Alterum, quantum ad numerum principiorum. Vtrumne in hoc ternario principiorum numero, hucusque deprehēso sistere debeamus, an verò vlterius eum extendere? Primum extendit in hoc tex. 54. & in tex. seq. secundum autem deinceps examinat.

Vt prius exequatur, refert Veterum opiniones circa naturam, & conditionem tertij illius principij, easque inter se confert: eo nimirum consilio, vt qui magis ad veritatem accessisse visi sunt, eos ipse imitetur; qui verò à veritate longius deflexerunt, eos deuitet. Facit itaque in hoc tex. tres comparationes.

Prima comparatio est. Quod cum Antiqui, II
alij quidem pro materia subijcerent vnum aliquod ex quatuor elementis, alij autem constituerent quoddam medium inter elementa, vt in tex. præced. indicauit, quamuis omnes errarint; tamen melius senserunt illi, qui posuerunt hoc medium, quàm quicumque alij. Ratio est. Illud subiectum, quod debet formari differentijs contrarijs, eò melius constituitur, quò magis de sua natura fuerit indifferens ad has, aut illas contrarietates: sed illud medium inter elementa esset magis indifferens ad has, aut illas contrarietates, quàm quoduis elementum. Huius minoris probatio solum habetur in tex. *ignis enim, & terra, & aer, & aqua contrarietatibus complexa sunt.* illud autem medium, aut de se nulla vnquam esset contrarietate complicatum, aut certè minus esset contrarietatibus complicatum, quàm extrema. ergo melius censuerunt illi, qui illud medium pro principio materiali constituerunt. & vt Auctor loquitur, *non irrationabiliter faciunt, subiectum alterum ab elementis facientes*, quàm qui intrudunt vnum aliquod elementum.

Secunda comparatio, *τῶν δὲ ἄλλων οἱ ἀέρα.* III
Malè habent codic. latin. *Aliorum autem quidam aerem.* Dic. *Aliorum autem illi, qui aerem.* Si, inquit, inter se comparentur illi, qui pro principio materiali supponunt vnum ex quatuor consuetis elementis, illi minus improbabiliter opinati sunt, qui tale principium fecerunt aerem, quàm qui aliquod ex reliquis. Ratio est eadem, quoniam aer minus, quàm quoduis aliud elementum habet determinatas sibi differentias, cum sit veluti medius inter extrema elementa. Quam rationem indicat, dum inquit, *aer enim minimè aliorum habet differentias sensibiles.*

Tertia comparatio: *Consequens autem est aqua.* IV.
Post eos verò, qui posuerunt aerem, melius adhuc arbitrati sunt illi, qui aquam, quàm qui ignē. Itaque iuxta hanc Aristotelis comparationem, melius existimauit Anaximander, qui posuit illud medium, quàm quiuis alius ex relatis Veteribus: Post hunc, melius censuerunt Anaximenes, & Diogenes, qui posuerunt aerem: post hos verò, melius Thales, qui aquam: Postremò, & maximè incongruè statuerunt Hippasus Metapontinus, & Heraclitus Ephesius, qui ignem: quia ignis inter elementa est maximè præditus differentijs determinatis, ideòque est maximè remotus à

natura

natura indifferentis, cuiusmodi debet esse primum subiectum, vt possit recipere postea omnes determinationes rerum generandarum.

Adnotationes & difficultates circa tex. 54.

V. ANte omnia expende fructum eximium, quem Arist. vult nos ex hac opinionum comparatione decerpere, qui est, vt cognoscamus, quod commune rerum omnium subiectum, secundum suam naturam debet esse à quacunque contrarietate, & quacunque differentia formæ immune, expoliatum, ac liberum. Et quò fuerit magis immune, eò melius constituitur: quia hoc pacto erit magis indifferens, & melius recipiet: iuxta regulam Aristotelis in tertio de Anim. tex. 4. Ex quo deducimus, longè melius in Peripato opinari illos Doctores, qui censent, materiam primam esse puram potentiam, quàm qui eam vestiunt, aut forma corporeitatis, aut actu entitatiuo, aut quantitate interminata. Siquidem iuxta illam positionem materia erit magis indifferens, atq; adeò aptior ad recipiendum.

VI. Deinde dubito. Ac primò quidem, cur Arist. non recensuit etiam terram inter principia: quemadmodum fecit de aqua, de aere, de igne, cum præsertim terra maxime videatur obtinere conditionem materiæ? Quod sic ostendo; quia materiæ proprium est subijci, contineri, & permanere in permutationibus. Terra subijcitur reliquis omnibus elementis, ab ijsque continetur, & propter suam soliditatem, videtur permanere in mutationibus. Adde, quod materia est illa, ex cuius gremio procreantur res: ex terra autem videmus prodire semina, fructus, plantas, animalia. Hinc Arist. in primo de Gener. animal. cap. 2. cum dixisset marem tenere originem motus, & generationis; fæminam autem tenere id, quod est materia, subdit. Marem namque id animal dicimus, quod in alio gignit: fæminam, quod in seipso. *Quamobrem in vniuerso quoque naturam terræ, quasi fæminam, matremque statuunt, cælum autem, & solem, & reliqua generis eiusdem, nomine genitoris, patrisque appellant.*

VII. Adhæc, cur etiam omisit eos, qui infinita principia constituunt, vt Anaxag. & Democr? debuit porrò etiam illos comparare.

Respon. ad 1. Terram solam nemo Veterum Philosophorum posuit pro principio, vt scribit Arist. in primo Metaphys. cap. 7. sed solum quidam prisci Theologi, veluti Hesiod. vt dicitur in eodem lib. cap. 4. Hic enim de generatione Vniuersi cecinit.

Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος, . .
Ἠδ' ἔρος, ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισι quæ
sonant.

Ante omnia fuit Chaos: deinde terra spatiosa.
Et amor, qui inter omnes immortales elucet.

Ratio autem cur terra sola à ratione principij exclusa sit, triplex est. Prima, quia terra est complicata extremis, & maximè sensibilibus qualitatibus. Hoc autem repugnat naturæ materiæ, vt vidimus. Secunda, quia est maximè densa, quo fit, vt difficillimè possit quicquam in se recipere, quod est officium materiæ. Tertia, quia materia terminatur à forma: Terra autem ob sui siccitatem non est terminabilis termino alieno. *Humidum* enim, vt legimus in secundo de ort. & inter. tex. 9. *est facilè terminabile termino alieno, siccum autem est difficile terminabile*. Conditiones autem in argumento adductæ de terra, nullæ sunt. Nam materia debet subijci formæ substantiali, non alijs corporibus, quemadmodum subijcitur terra. Ita debet contineri, ac terminari à forma, non ab ambiente. Postremò, terra etiam ipsa transmutatur substantialiter, quemadmodum in secundo de ort. & inter. ab Aristotele ostenditur, vnde non permanet. Dictum autem Arist. ex lib. de gen. animal. nihil officit: ibi namque est sermo non de materia prima, sed de secunda, & proxima generationis. Deinde, illa terræ, & cœli comparatio est per Metaphoram, quæ ad rem præsentem nihil attinet.

Ad 2. consultò præterijt Empedoclem ponentem pro materia quatuor elementa, & Anaxagoram, ac Democritum, inducentes principia infinita, quia hic eos dumtaxat recenset, qui naturam vnam, non plures substrauerant, vt inde suam opinionem confirmaret, qui vnam etiam materiam primam est suppositurus.

Adhæc dubitabis, quia Arist. in primo Metaphys. cap. 7. præ cæteris Philosophis, commendat eos, qui pro principio constituerant ignem. *Quicunque*, inquit, *principium statuunt, maximè conuenient huic rationi dicent*. En tamen, quia *illud maximè videtur esse omnium elementale, ex quo primo coniunctione fiunt: Tale autem illud fuerit profectò, quod partium minutissimarum, subtilissimumque corporum sit.* VIII.

Respond. Aristotelem in præsenti contra. loqui tantummodo de principio passiuo, quod debet terminari ac formari à contrarijs, & varijs formis. Porrò tale principium ineptè constituitur ignis, cum is sit præditus ac implicatus differentijs extremis, quæ apprimè eiusmodi terminationi, ac formationi resistent. In primo autem Metaphys. citato, sermonem habet de principio, quantum attinet ad vim actiuam, ad quam quidem ignis, propter rationem Aristotelis nunc indicatam, est maximè accomodatus. Adiunge, quod hic refertur principium materiale, ignis autem inter elementa videtur potius obtinere conditionem formæ: & reliqua elementa censentur ei veluti materia subijci, & suppeditare alimentum, quemadmodum in secundo de Anim. dicitur. Hinc nonnulli Veteres animam, quæ procul dubio, est forma, dixerunt esse ignem, vt legere est in primo de Anim. tex. 29.

Ad extremum quæres, quid Philosophus intelligit per differentias sensibiles; dum ait. *Aer* IX.

raim

enim minimè aliorum habet differentias sensibiles: Minimè aliorum, id est, minus quàm alia elementa.

Respond. Intelligit qualitates sensibiles, seu tangibiles, quibus aliquod elementum est sensibiliter complicatum. Porrò videmus sensibiliter, ignem maximè omnium esse complicatum calori. Hic enim nunquam suum exuit calorem, neque vnquam frigesit: reliqua autem elementa deponunt aliquo modo suas qualitates, quippè aqua, aut terra excalfiunt, aer autem omnium maximè. Deinde, qualitates aeris propter eius raritatem minus sentiuntur, quàm qualitates, & differentiæ reliquorum elementorum, vt testatur sensus ipse.

TEXTVS LV.



Ed omnes vnum hoc contrarijs figurant, vt densitate, & raritate, & eo, quod magis, & minus: hæc autem omninò sunt superabundantia videlicet, & defectus, sicut dictum est prius. Et videtur antiqua esse etiam hæc opinio, quòd vnum, & superabundantia, & defectus principia entium sint: verùm non eodem modo, sed Antiqui duo quidem agere, vnum autem pati: posteriorum autem quidem è contrario; vnum quidem agere, duo autem pati dicunt magis.

Dilucidat adhuc ex eorundem Veterum consensione idem problema de natura, & conditione subiectæ materiæ, de qua dixit in tex. præced.: ac simul insinuat secundum problema, quod erat de numero principiorum. Ait itaque omnes vnum hoc contrarijs figurant, vt densitate, & raritate, & eo, quod est magis, & minus. Ex quo quidem dicto duo collige. Alterum, quod si illud vnum commune subiectum, ab omnibus antiquis figuratur contrarijs. ergo natura illius existimata est à quacunque contrarietate immunis, ac libera: alioquin contrarietas illi naturaliter complicata, atque insistens, prohiberet extraneam. Alterum, quod si præfati antiqui illud vnum figurant contrarijs, ergo iuxta illorum doctrinam principia rerum naturalium sunt tria: vid. vnum subiectum & duo contraria. Subiungit duo genera contrariorum ab ijsdem antiquis accepta.

II. Vnum, cum ait, *vt densitate, & raritate*: densitas, & raritas erant côtraria principia posita à nonnullis Veteribus vt in tex.42. dictum est. Verùm quoniã alij alia adhuc contraria ponebant principia, iccircò subnectit, καὶ τῷ μᾶλλον, καὶ ἧττον, *& eo, quod est magis, & minus*, id est, illud vnum etiam figurant contrarijs, quorum vnum est magis, ac veluti forma; alterum autem est minus, & veluti priuatio, de qua re etiam dixit in tex. 47. Quæ quidem vlterius explicat, inquiens, *Hæc autem* ὅλως omnino, seu *vniuersaliter sunt*. ὑπεροχὴ δηλονότι, καὶ ἔλλειψις, *exsuperantia vid. & defectus, quemadmodum prius diximus*. Dixit verò in tex. 32. omnia contraria posita ab antiquis, vniuersè contineri his duobus vocabulis quæ sunt, *exsuperantia, & defectio*, siue *excessus, & defectus*.

Perpende modum dicendi Philosophi, *hoc vnum* σχηματίζουσι *figurant*. Respicit enim modum loquendi Veterum, qui quidem naturam, & substantiam rerum existimabant esse solam materiam, reliqua autem omnia esse passiones, aut habitus, aut dispositiones; ac proinde esse accidentia, quemadmodum legimus in secundo lib. huius operis tex. 9. Vnde etiam de medio sustulerunt omnem generationem substantialem, vt dicitur in primo de ort. & inter. à tex. 8. ideò materiam solùm diuersis figuris variabant, & propterea Arist. dicit, quod hoc vnum *figurant*.

III. Deinde καὶ ἔοικεν, *& apparet* opinio, inquit, quod vnum, & excessus, & defectus sint principia rerum naturalium, est antiqua. Quod si ita est, ergo hic principiorum numerus est approbandus, vtpote multorum sæculorum auctoritate confirmatus. Nam falsa, & inania inuenta dies absumit, veritatem fouet, adaugetque. Vide Aristotelis obseruantiam erga antiquitatem. In tex. 41. principia esse contraria, comprobauit Veterum dictis: In tex. 53. & 54. eorundem testimonio confirmauit vnitatem subiectæ naturæ: In præsenti vtraque simul, atque adeò ternarium principiorum numerum fulcit, venerando Venustatis testimonio, quia vt ipse loquitur in primo Metaphys. cap. 3. *honorabilissimum, quod antiquissimum*.

Postremò, *verùm non eodem modo &c.* indicat IV. tamen antiquorum differentiam in eo numero constituendo, quòd prisci, vt Thales, Diogenes, & eius classis alij, qui vnum, & densitatem, ac raritatem innexerant, duo illa contraria posuerunt ex parte agentis, seu informantis (agere enim hic accipitur laxiori modo, vt etiam complectatur ipsum informare, ac terminare) tertium autem constituerunt ex parte patientis, ac materiæ: subsequuti autem Philosophi, vt Plato opposito modo opinati sunt. Nam vnum dixerunt agere, duo autem pati. Vnde Plato in Timæo materiam appellat magnum, & paruum, vt etiam refert Philosophus in tex. 80. huius lib. Et quia proprium materiæ est pati, ideò duo dicuntur pati. Formam autem idem Plato vocat vnum, quia eius munus est agere, seu formare, & terminare, propterea dicebat vnum agere. Huc etiam referri possunt Pithagoræi, qui materiam appellauerunt *binarium, formam autem vnum*.

TEX-

TEXTVS LVI.



Ria igitur dicere elementa esse, & ex his, & ex huiusmodi alijs considerantibus videbitur vtique habere quandam rationem, sicut prædiximus: plura autem tribus non amplius. Ad patiendum enim sufficiens est vnum. Si autem quatuor existentibus, duæ erunt contrarietates, oportebit seorsum ab vtraque esse alteram quandam naturam mediam. Si autem ex se inuicem possint generare, ociosa vtique altera contrarietatum erit: simul autem & impossibile est, plures esse contrarietates primas. Substantia enim vnum quoddam genus est entis; quare eò quod prius, & posterius differunt solum ab inuicem principia, sed non genere. semper enim in vno genere contrarietas vna est. omnes autem contrarietates reduci videntur ad vnam.

Ternarium principiorum numerum laudatum in tex. præced. auctoritate Veterum Philosophorum, nunc in hoc tex. decernit duplici conclusione, & ratione ab se inuenta confirmat. Monui aliàs, Aristotelem eatenus opinionibus antiquorum adhærere, quatenus eas animaduertit rationi afines.

Prima conclusio est. Principia sunt tria. Quam Sic effert. Tria igitur dicere elementa esse, & ex his, & ex huiusmodi alijs considerantibus videbitur vtique habere quandam rationem. At & ex his, quæ hucusque dixit, & ex huiusmodi alijs, innuens hunc numerum ex alijs quoque capitibus facilè posse comprobari, pro qua re etiam nos adducemus infra aliqua alia argumenta.

Secunda conclusio. Principia non debent statui plura tribus. Probat. Si essent plura tribus, necessariò aut oporteret multiplicari subiecta, aut contrarietates. At neque subiecta, neque contrarietates multiplicari possibile est. Quod ita ostendit. Et quod attinet ad subiecta, *quia ad patiendum sufficiens est vnum*. Si vnum subiectum sufficit, non sunt intrudenda plura, quia reliqua forent superuacanea: At vnum sufficit, siquidem officium subiecti est pati, & subijci contrarijs in transmutatione: Ad patiendum autem sufficit vnum, ergo principia ex parte subiecti multiplicari non possunt. Quod verò spectat ad contrarietates, commonstrat triplici ratione.

Prima est, *si autem quatuor* &c. si essent duæ contrarietates, ac proinde quatuor prima contraria principia, tunc necessariò statuenda esset etiam duplex natura media inter illas contrarietates, hoc est, duplex subiectum, seu duplex materia. Quid ita? quia vnaquæque contrarietatum exigit suum subiectum. Ostensum autem est, sufficere vnum subiectum, quare neque contrarietates possunt multiplicari.

Secunda ratio, *sin autem ex se inuicem &c.* si essent duæ contrarietates, aut vnaquæque illarum seorsim ab altera, sed cum vno illo subiecto siue materia, posset generare omnia entia naturalia, aut non. Si posset, ergo altera contrarietas esset ociosa, ac superflua: Sin autem non posset generare omnia, sed tantum generaret aliqua entia, reliqua autem generaret altera contrarietas, tunc neutra illarum contrarietatum esset primum principium omnium entium naturalium, nam prima principia talia debent esse, ex quibus generentur omnia.

Tertia, *simul etiam & impossibile est, plures esse contrarietates primas. substantia enim* &c. qua ratione in tex. quoque 50. sed alio consilio vsus est. Eo namque loci vtebatur ad probandum, principia non esse infinita: hic autem vtitur ad ostendendum, prima contraria esse tantum duo, & non plura. Semper enim in omni genere vno, siue in omni vno Prædicamento est vna prima contrarietas: Substantia est vnum quoddam genus: in ea igitur est vna prima contrarietas: cum itaque nos inquiramus contrarietatem, quæ est in substantia, omninò fatendum erit, hanc contrarietatem primam non esse nisi vnam.

Posset quispiam carpere maiorem Philosophi propositionem, quod *semper in vno genere est vna contrarietas*. Nam, vt reliqua Prædicamenta sileam, in genere substantiæ suppetunt plures contrarietates inter se diuersæ, veluti corporeum, & incorporeum est vna contrarietas. animatum, & inanimatum est vna alia contrarietas: sensitiuum, & non sensitiuum est alia contrarietas, & quod magis est, vna istarum contrarietatum est forma, altera autem priuatio. Corporeum enim, animatum, & sensitiuum denotant aliquod positiuum, & formam, incorporeum autem, inanimatum, & non sensitiuum, indicant priuationem, ecce ergo in vno genere substantiæ plures contrarietates.

Occurrit Arist. ὥστε τῷ πρότερον, καὶ τῷ ὕστερον διοίσουσιν ἀλλήλων αἱ ἀρχαὶ μόνον, ἀλλ' οὐ τῷ γένει *quare per prius, & per posterius differrent solum inter se principia, sed non genere*. Solutio est, quod in vno Prædicamento reperiuntur quidem multæ contrarietates, vt in argumento indicatur, quæ tamen omnes non eodem modo se habent, verùm aliæ sunt natura priores, aliæ natura posteriores: quocirca differunt solum secundum prius, & posterius, sed non differunt genere, quia omnes continentur in eodem genere, seu Prædicamento, V. G. contrarietas corporei, & incorporei est natura prior, contrarietate animati, & inanimati, & hæc natura itidem est prior contrarietate sensitiui, & non sensitiui, quia differentiæ genericæ sunt natura priores specificis, vt dicitur in Postprædic. cap. de Priori, & decimo Metaphys. cap. 3. ergo in hisce prioribus, & posterioribus contrarietatibus necessario deuenitur ad vnam primam, ad quam reliquæ omnes

eius

Digitized by Google

eius generis debent reduci. Hoc exponit Auctor cum inquit. *omnes autem contrarietates reduci videntur ad vnam.* iure itaque optimo diximus, in omni genere vno esse vnam, id est, primam contrarietatem.

Adnotationes & difficultates circa tex. 56.

V. PRimò dicit Arist. si sunt duæ contrarietates, oportere etiam esse duplicem naturam mediam, id est, duplicem materiam: Cur materiam vocat naturam mediam?

Ante omnia incommoda est transl. latin. quæ habet, *oportebit seorsum ab vtraq; esse alteram quandã naturam mediam.* græcè δεήσει χωρὶς ἑκατέρας ὑπάρχειν ἑτέραν τινὰ, μεταξὺ φύσιν. dic. *oportebit seorsim ab vtraque*, vid. contrarietate, *esse aliam aliquam mediam naturam*: vel expressius, *esse aliquam aliam naturam*, μεταξὺ *inter*: vid. inter (in græco enim codic. non legitur, *media*: siquidem media græcè est μέση, quæ hic expressa non est.) extrema vtriusque illius contrarietatis. ita vt vna natura seorsim esset inter extrema huius contrarietatis: & alia seorsim esset inter extrema alterius contrarietatis. Claritatis tamen gratia eam naturam, id est, materiam, cum omnibus interpretibus voca mediam.

VI. Ceterùm medium multiplex est, vt alio loco adnotaui, sed quantum ad præsens attinet, aliud medium est, quod verè, & actu vtrumq; extremum participat, vt sapores medij, & aqua tepida. Atque hoc appellauerim medium positiuum. Aliud medium est, quod neque actu participat extrema, neque vnquam potest actu participare, sic lapis dicitur medius inter videns, & cæcum: & tale medium voco negatiuum. Aliud est medium inter habitum, & priuationem, & hoc adhuc est duplex. Vnum, quod recedit aliquo pacto à priuatione, & participat diminutè atque exiliter habitum, vt lippitudo est media inter visum, & cæcitatem: & antelucanum tempus est medium inter lucem, & tenebras. & hoc dicitur medium secundum magis, & minus. Aliud demum est medium, quod actu nullum extremum participat, sed tamen vtrumque potest habere, veluti infans dicitur medius inter iustum, & iniustum, quia quamuis tunc neque iustitiam, neque iniustitiam habeat, nihilominus potis est vtramque habere, & hoc appello medium priuatiuè. Materia prima dicitur media postremis his duobus modis. Primò, quia secundum se est exuta quacunque forma, & quacunque priuatione, si priuatio accipiatur formaliter: potest tamen successiuè vtramque recipere. Hoc etiam scripsit Auuerr. in com. dum adducens differentiam inter medium positiuum, & materiam, ait, *quod materia est vtrumque extremum potentia pura: medium etiam est vtrumque extremum non pura potentia, sed alia potentia: in medio enim est vtrumque extremum actu, sed tamen non in vltima perfectione. subiectum verò pura potentia est vtrumque extremum.* Secundò, materia est media etiam per recessum à priuatione, & accessum ad habitum, quantum ad esse. Pro quo scito, quod forma, siue actus habet propriè esse: vt auctor est Philosophus in tex. 69. huius lib. & secundo de Anim. tex. 7. *nam cum vnum & esse multipliciter dicatur, quod propriè est, actus est.* Itaque materia cum sit pura potestas, neque quicquam actus in se contineat, erit media inter priuationem, quæ propriè non habet esse, & inter formam, quæ propriè habet esse.

Dubit. 2. circa consequentiam ijsdem verbis illatam, vid. si sunt duæ contrarietates, ergo oportet etiam esse duo subiecta. Quæ quidem conseq. videtur falsa. Primò, quia potest esse vnum subiectum, in quo multæ contrarietates, formæ, & priuationes insideant, V. G. in vno pomo est vna contrarietas colorum, vt forma rubedinis, & priuatio albedinis: in eodem est alia contrarietas odorum, alia Saporum &c. VII.

Secundò, Arist. in secundo de gen. & inter. cap. 2. statuit quatuor prima contraria, calidum, frigidum, humidum, siccum: quæ porrò efficiunt duas primas contrarietates: Et nihilominus istæ non exigunt duas materias, siue duo subiecta, quæ seorsim vtriusque contrarietatis extremis respondeant, & seorsim subijciantur vtrique contrarietati, sed vtraque insidet in vna omninò, atque eadem materia, ergo &c.

Tertiò, in vnoquoque genere est vna prima contrarietas, quemadmodum Philosophus ipse in hoc tex. asseuerat: sunt autem decem Prædicamenta, quare decem etiam primæ contrarietates. Quis verò asseuerabit, pro ijs exigi decem materias? exigerentur autem, si Stagiritæ consequutio teneret.

Nihilominus Stagiritæ consequentia vera, & solida est. Et primò dicunt aliqui, eius necessitatem ex eo colligi, quia variorum contrariorum, varia sunt media: sed materia est media, inter contraria: vnde etiam dicta est, *media quædam natura.* ergo variorum primorum contrariorum erunt etiam variæ primæ materiæ. Præterea, Vni, vt vnum est, proximè iungitur solum vnum: Materia est vnum commune subiectum, ergo ei, vt talis est, non est apta iungi nisi vna contrarietas. Alij autem dicunt, quod materia respicit formam, tanquam naturalem sui perfectionem, & tanquam perfectibile suum naturale perfectiuum; Vnius autem rei perfectibilis vna est naturalis perfectio, & vnum naturale perfectiuum: ergo materia recipit solam vnam formam. Vnius autem formæ est vnum oppositum. ergo vna materia est solum inter vnam formam, & eius oppositum: idcòque si VIII.

essent

Digitized by Google

essent plures contrarietates, necessariò etiam essent plures materiæ. Quas rationes non aspernor.

IX. Existimo tamen, germanam causam necessitatis illius conseq. esse, quam subijcio. Nam hæc vna prima contrarietas, diceret Arist. quam nos constituimus, est formæ substantialis, & priuationis; quæ exigit tale medium subiectum, id est, ens omninò indeterminatum, & solum potentia. si per se datur alia itidem prima contrarietas, ergo illa aut est contrarietas etiam formæ substantialis, & priuationis: aut est aliqua alia diuersa. Si est contrarietas formæ substantialis, & priuationis, profectò non distinguetur à priori contrarietate, vt de se manifestum est: si autem est alia contrarietas, atque alterius naturæ ab illa priori, siue illa sit contrarietas priuatiua, siue positiua, necessariò etiam exposcit habere materiam distinctam à materia priori, & alterius rationis, sibique proportionatam. Hinc fit, vt si essent duæ, aut plures primæ contrarietates, necessariò etiam deberent esse duæ, aut plures materiæ primæ.

X. Hinc depelluntur argumenta quoque contraria. Ad 1. est euidens discrimen, quod inter materiam primam, & formam substantialem intercedit naturalis quidam nexus, seu habitudo, propter quam materia, & forma dicuntur relatiuè, vt auctor est Arist. in secundo Phys. tex. 26. ac proinde in materia est huiusmodi nexus etiam ad priuationem, vtpote ipsi formæ contrariam: In pomo autem pro exemplo in argumento adhibito, non adest eiusmodi nexus respectu colorum, aut saporum, & eorundem priuationum: Quod quidem vel ex eo deprehendes, quod materia non potest sine omni forma, & sine omni priuatione existere, benè autem pomum sine colore rubro, aut sine tali sapore: propterea in vno pomo valent duæ vel plures contrarietates consistere, in materia autem prima nequaquam.

Resp. 2. quod contrarietas coloris rubei, & eius priuationis: & saporis, & eius priuationis materialiter quidem sunt duæ, sed formaliter est vna tantum contrarietas, nempe formæ, & priuationis. Quamobrem etiam in dicto pomo formaliter est vna tantum prima contrarietas.

Respond. ad 2. illa quatuor calidum, frigidum, &c. haud esse prima contraria absolutè, sed dici prima contraria respectu qualitatum tangibilium. Non sunt autem absolutè prima, quia reducuntur ad aliam priorem contrarietatem, vid. ad habitum, & priuationem: etenim calidum est forma; frigidum autem censetur priuatio, vt alias diximus ita humidum est forma, siccum autem itidem priuatio: In quibus etiam omnibus vides formaliter esse vnam contrarietatem, quæ est formæ, & priuationis. Eodem pacto occurrendum ad 3. omnes enim contrarietates omnium decem Prædicamentorum formaliter sunt vna idest formæ, & priuationis.

Dubito 3. circa id, quod ait, *ad patiendum sufficit vnum*. Hoc videtur falsum. Primùm, quia idem Philosophus in tex. 47. decreuit, non quodlibet indifferenter agere in quodlibet; neque quodlibet indiscriminatim pati à quolibet, sed contrarium dumtaxat in suum contrarium; & pati itidem determinatè à suo contrario. Quæ dicta apparent falsa, si ad patiendum sufficit vnum: siquidem hoc vnum posset à quolibet pati, atque in illud vnum quoduis agens posset agere. XI.

Deinde, agens, & patiens sunt relatiua. Multiplicato autem vno correlatiuo, multiplicatur, & alterum: Constat autem, agentia esse multa, ac varia, quare etiam passa erunt multa ac, varia: non itaque sufficit vnum.

Nihilominus occurrendum est, passum esse in duplici differentia. Vnum quidem proximum: Alterum autem remotum. Passum prioris conditionis proculdubio est multiplex; veluti lignum, aqua, &c. & hoc vtique respicit etiam multiplex agens: atque de huiusmodi passo loquitur Stagirites in tex. 47. Et inter tale passum, & proprium agens reperitur etiam mutua multiplicatio. Passum autem posterioris conditionis, idest remotum, quæ est materia prima, optimè potest esse vnum respectu omnium agentium, quoniam ea non recipit influxum agentis immediatè, sed qua est tali, aut tali forma induta, nimirum quatenus est hoc, aut illud indiuiduum.

Respondeo 2. quod etiam in re, de qua loquimur, est vnum tantum agens respectu illius vnius passi, ac subiecti; quia hic est sermo de transmutatione substantiali: omnia verò, quæ substantialiter transmutant materiam primam, censentur veluti vnum agens, ideòque ad omnia illa sufficit vnum subiectum; sicuti ad omnia calefacientia successiuè, sufficit vnum subiectum frigidum.

Dubitatur 4. circa illa verba, quod principia discriminentur inter se per hoc tantum quod sint priora, & posteriora, *sed non genere*. Nam principia sunt in eo genere, in quo sunt orta ea ipsa: At principiata sunt diuersorum Prædicamentorum, omnia namque Prædicamenta principiata sunt. Præterea principia sunt materia, forma, & priuatio. At priuatio, cum sit non ens, nequit eodem genere cum materia, & forma contineri. XII.

Respond. Ad 1. hic esse sermonem de principijs solius substantiæ, quemadmodum retrò etiam adnotaui: ea quorum analogia expli-

ganda veniunt principia quoque reliquorum Prædicam.

Ad 2. respond. Priuatio numero est vnum cum materia, vt dicit Arist. in tex. 69. quæ ratione est eiusdem generis cum forma: quippe tam materia, quàm forma, vtpote substantiæ incompletæ, reducuntur ad Prædicamentum substantiæ. An autem ratio principij vniuoce, vel alio modo de tribus hisce principijs dicatur, infra in Tractat. de Priuatione erit determinandum. Nunc circa duas illas Aristotelis conclusiones, & circa illa verba, quibus ipse in tex. sequ. concludit, *Quod igitur neque vnum sit elementum, neque plura duobus, vel tribus, manifestum est.*



QVAESTIO VNICA.

Vtrum principia rerum naturalium sint tantum tria.

SECTIO PRIMA.

Argumenta, quod principia rerum naturalium non sint tantum tria.



PArticula exclusiua, Tantum, efficit, vt propositum theorema debeat per duas propositiones exponibiles declarari, quarum vna est, quod principia sint tria, & non pauciora: Altera, quod sint tria; & non plura tribus. In vtroque sensu subijciam in hac sect. rationes dubitandi. deinde in seq. sect. explicabo veritatem Peripateticam.

I Arg. quod sint pauciora tribus. Primò, ostendo formam neque generationis, neque rei genitæ esse principium. Principium est prius eo, cuius est principium, *si enim principium est id, vnde primum aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur*, vt dicitur in quinto Metaphys. cap. 1. necessariò est prius ijs, quæ ex eo aut sunt, aut fiunt, aut cognoscuntur. At forma non est prior, neque generatione, neque re genita: quare neutrius erit principium. Minor probatur. Quoad primam quidem partem, quia forma producitur per generationem, non enim est æterna, ergo non est ante generationem, alioquin effectus antecedet suam causam. Quoad secundam partem etiam prob. quia forma non existit, nisi per totum compositum: est enim forma pars compositi: pars autem non existit, nisi per ipsum totum: ergo prius existit compositum, postea forma: ac proinde forma non est ante compositum, atque adeo non est illius principium.

Confirm. 1. si forma est principium generationis, maximè esset, quoniam forma esset terminus per se generationis: sed hoc est falsum. Nam terminus per se præcipuus generationis est ipsum compositum. Quod vel ex eo apparet, quia illud est terminus per se generationis, quod per se generatur, per se est, & per se existit, cum generatio, vt dicitur in quinto Phys. tex. 8. terminetur ad esse. Huiusmodi autem est solum compositum, quod quidem cum sit quoddam indiuiduum de genere substantiæ, id solum per se est, & existit.

Confir. 2. principium, & terminus opponuntur: principium enim est id, vnde incipit operatio: terminus autem est id in quo ea terminatur, ac desinit, ergo si forma est terminus generationis, non potest esse principium eius.

Secundò, ostendo, neque priuationem esse principium, aut generationis, aut rei genitæ. II Primum hoc pacto. Principium debet esse, cum sit principiatum. At priuatio non est, cum in materia fit generatio. Quod prob. quia cum generatio sit instantanea, in eodem instanti, in quo ipsa est, necessariò etiam est forma generanda. in instantaneis enim idem est fieri, &

factum

Digitized by Google

factum esse: ergo cum in materia intelligitur fieri generatio, simul etiam intelligitur fieri forma. ergo tunc in materia non est priuatio. Hæc consequentia est euidens, quia aliàs simul in eadem materia esset priuatio formæ, & ipsa forma, quod omninò repugnat. Secundum etiam prob. Quod est per se non ens, & nihil, statui nequit principium entis realis, cum principium, & principiatum debeant inter se proportionari, vnde etiam Arist. in hoc lib. tex. 72. ait, ex non ente nihil fit. At priuatio, auctore eodem Philosopho in eodem loco tex. 75. & 79. est per se non ens: ergo priuatio statui non potest principium rei naturalis genitæ.

III. Tertiò, prob. neque materiam esse principium rerum naturalium. Principia compositorum naturalium debent esse notiora natura ipsis compositis, quæ e contra debent esse notiora nobis, vt in proœm. huius lib. docuit Arist. dum inquit, nos cognoscere ea, quæ sunt notiora natura, diuidendo composita, inquit enim, *sunt autem primùm nobis nota, & manifesta confusa magis: posterius autem ex his nota sunt elementa, & principia diuidentibus hæc*. Sed materia prima non est notior natura, ergo non est principium rerum naturalium. Minor prob. Notiora natura sunt ea, quæ sunt maioris entitatis, & vt communiter Auctores dicunt, quæ sunt verioris entitatis: propterea Deus, & intelligentiæ, cum sint verissimæ entitates, sunt etiam notissimæ natura, vt asserit Philosophus in secundo Metaphys. tex. 2. Atqui materia est minimæ entitatis, ergo non est principium rerum naturalium.

Ex altera parte prob. principia esse plura tribus. Primò, Ideò materia, forma, & priuatio statuuntur principia generationis, quia necessario requiruntur ad omnem generationem: sed etiam necessario ad omnem generationem requiritur generans, ergo etiam istud eodem pacto erit generationis principium. Minor prob. quia generatio est quædam productio, quæ de nouo fit. Productio autem sine producente nec esse, nec intelligi potest. Tale autem producens est generans. Tum etiam, quia ex quinto Phys. cap. 1. in qualibet mutatione interueniunt quinque: mouens, seu transmutans, mobile, tempus, terminus à quo, & terminus ad quem, sed ista non conueniunt nisi vt principia, vt patet de mobili, & terminis à quo, & ad quem. ergo eodem pacto etiam conueniunt reliqua duo, & cum generatio sit quædam mutatio, ad eam necessario statuenda erunt omnia supradicta quinque principia.

V. Secundò, ideò priuatio statuitur principium generationis, quia est terminus necessarius à quo generatio incipit: sed etiam forma substantialis præexistens in materia, est terminus necessarius, à quo itidem incipit eadem generatio: Quod patet, quia cum materia semper sit sub aliqua forma substantiali, non potest transire ad nouam formam, nisi à forma: quare etiam forma præexistens in materia erit principium generationis.

Tertiò, per principia rerum naturalium aut intelligis principia per se, aut principia per accidens. Non primum, quia principia per se sunt tantum materia, & forma: siquidem priuatio est principium per accidens, vt docet Philosophus in hoc libr. tex. 66. 67. 75. 76. & 77. Neque etiam secundum, quia principium per accidens generationis sunt infinita ex mente Philosophi quinto Phys. tex. 6.

SECTIO II.

Explicatur, quod principia rerum natura constantium nec plura, nec pauciora sint tribus: & sunt materia prima, forma substantialis, & priuatio: & quomodo sint.

SIC habes ab Stagirite luculentissimè demonstratum à cap. 5. per tria integra capita. V. Verùm quia hic idem Philosophus in text. 56. monuit, quod *tria dicere elementa sit, & ex his, & ex huiusmodi alijs considerantibus videbitur vtique habere quandam rationem*, innuens, præter ea, quæ hic adduxit, alia quoque capita suppetere, ex quibus eadem veritas possit commonstrari, subijciam hic aliqua.

Ac primò quidem ita perstringe. Res naturales aut ipsæ sunt principia, aut habent principia, ex quibus coalescunt. Non prius. Habent ergo principia. Hæc aut sunt vnum tantum, aut multa. Vnum tantum esse non possunt, alioquin res omnes naturales essent vnius naturæ. Quid ita? quia omnia, quæ ex vna tantum re constant, ea vtique vnius naturæ sunt; quemadmodum quæ ex vna sola aqua constant, sunt vnius naturæ aqueę. Adde, quod quicquid fit, per se fit ex suo determinato contrario, alioquin esset antequam fieret. Contraria autem non possunt esse vnum, cum nihil sibi ipsi sit contrarium. Impossibile igitur est, principia esse vnum tantum.

Si autem sunt plura vno, aut sunt numero finita, aut infinita. Non infinita, quia tunc principia essent ignota, cum infinitum, quà infinitum est, cognosci non possit: Ignoratis autem principijs, principiata cognosci, & sciri nequeunt; quemadmodum cum Aristotele diximus in tex. 35 & 50. ac proinde nulla res naturalis posset cognosci, & sciri, quod tamen est falsum.

Sunt ergo numero finita. Non possunt autem esse sola duo contraria, quia principia de- VI.

bent vnà coire, & constituere vnum tertium: Duo autem contraria haud vnquam vnà colbunt, neque quicquam tertium valent constituere: non enim frigus potest vnà cum calore stare, neque quicquam vnà cum illo constituere.

Quare ad hoc vt aliquid fiat, id est, vt fiant principiata, necesse est, dari tertium quoddam subiectum, quod ex vno contrario in aliud transmutetur. Hoc subiectum est vnum principium, & dicitur principium materiale, ac re ipsa est materia prima: duo verò illa contraria dicuntur principia formalia, & sunt priuatio, & forma substantialis: omninò igitur ad generationem, & res naturales necessaria sunt præfata tria principia.

Plura autem his tribus admitti non debent, quia per hæc sola sufficientissimè completur omnis generatio, & corruptio: superuacanea igitur essent reliqua. Nam materia prima prout deponit hanc formam, & accipit aliam, qua erat priuata in causa est, vt fiant omnes generationes, & corruptiones rerum naturalium: Hinc vides, principia rerum naturalium neque plura esse, nec pauciora dictis tribus.

Secundò eadem veritas ita colligitur. Datur in natura generatio simplex, & substantialis, per quam omne agens naturale hoc naturæ consilio agit, vt se ipsum saltem secundum speciem tueatur, ac perpetuet; & quo ad eius fieri potest, *particip.t eo, quod semper, ac diuinum* est; vt ostendit Philosophus in secundo de Anim. tex. 34. & primo de ort. & inter. tex. 46. & libr. secundo eiusdem operis tex. 56. Generatio autem simplex ac substantialis fit, cum res de nouo acquirit formam substantialem. ergo datur in natura forma substantialis, per quam res habent esse, & dicuntur participare, eo quod semper, ac diuinum est: ideò forma in primo Phys. tex. 81. dicitur *diuinam, bonum, & appetibile*. Forma igitur est vnum principium. Quod si datur forma, quæ est diuinum bonum, & appetibile, ergo datur & aliud, quod naturali inclinatione ad illud feratur, & illud appetat: & istud est materia prima, & alterum principium. Hic appetitus materiæ non debet esse inanis: reducitur ergo aliquando ad actum, & materia coniugitur cum forma: Quando hoc fit, iam est res naturalis, quare habemus duo principia componentia. Adhæc, illa forma non fuit semper in tali materia, nec erit semper: habet igitur priuationem, ea qua incepit esse in tali materia, quæ priuatio est contraria ipsi formæ, & hæc est ternium principium. Neque præter hæc tria aliud quicquam requiritur aut ad generationem, aut ad res naturales constituendas, cum ex his solis abundè compleatur generatio, & constituantur ipsæ res. ergo principia tantum sunt hæc tria.

VIII. Tertiò, potest addi, quod principia rerum naturalium debent perfecto numero comprehendi. Hic autem videtur ternarius. Vnde Philosophus quoque in primo de cœlo tex. 2. *ipsa*, inquit, *tria, omnia sunt, & ipsum ter omniquaque, quemadmodum enim Pythagorei aiunt, ipsum omne, & omnia tribus determinata sunt: finis enim, & medium, & principium numerum habent eum, qui est ipsius omnis*. Quæ sanè in prima rerum principia aptissimè cadunt. Tria enim sunt quodammodo omnia, & res omnes: & in ipsis est initium, id est, terminus à quo inchoant generationes, & res ipsæ, quæ est priuatio, quemadmodum declarat Philosophus in primo Phys. à tex. 43. & inde. Est medium nempe materia prima, quæ etiam ab Arist. in tex. 56. dicta est *media quædam natura*. Et denique est finis, qui est forma, cum forma sit finis generationis, auctore eodem Philosopho in secundo Phys. tex. 70. Ea his itaque, & huiusmodi alijs apparet, principia rerum naturalium esse tantum præfata tria.

IX At scito, principia, alia quidem esse principia generationis, seu transmutationis, quæ etiam appellantur principia in fieri: alia autem esse principia rei genitæ, & in facto esse. Principia generationis per se sunt materia, & priuatio, & forma, quia mutatio per se est à quodam in quoddam: & omne quod fit, fit per se à suo contrario: Hoc autem contrarium, ex quo aliquid fit per se, est priuatio, vt cum Arist in tex. 43. & inde exposuimus. Principia autem rei genitæ per se sunt tantum materia, & forma: priuatio autem respectu rei genitæ non est principium per se, sed solum per accidens. Nam illud est per se respectu alienius rei, quod manet in ea re, quamdiu hæc durat: Priuatio durat quamdiu generatio est, non perseuerat autem in re facta, quamdiu hæc permanet: ideò priuatio est principium generationis quidem per se, rei autem genitæ solum per accidens.

Hinc vides, principia secundum vnam rationem esse tria, secundum aliam duo. Adhæc, Materia, & priuatio re, & subiecto sunt vnum idemque, ratione autem & definitione sunt duo, quemadmodum docet Philosophus in tex. 60. iccircò ex hoc etiam capite principia aliquo pacto, id est secundum rem, sunt tantum duo, aliquo autem, nempe secundum rationem sunt tria. Quod clarissimè indicat Stagirites in tex. 67. illis verbis, διὸ ἔστι μὲν ὡς δύο λεκτέον εἶναι, τὰς ἀρχὰς, ἔστι δὲ ὡς τρεῖς. quæ communiter vertuntur. *Quocirca est quidem vt duo dicenda sint principia, est autem vt tria*. qui est consuetus dicendi modus Philosophi, & idem pollet atque secundum vnam rationem, & secundum aliam, de quo modo loquendi alio loco.

SE.

SECTIO III.

Diluuntur argumenta sect. prima.

X. AD 1. respond. aliud iudicium esse ferendum de forma respectu generationis, aliud respectu rei genitæ. Forma est principium generationis, non qua forma, sed formaliter, qua terminus ad quem. Non est principium generationis vt forma; quia de ratione formæ est esse in eo, cuius est forma: At forma generanda non est in generatione, sed est in subiecto. quare hac ratione nequit esse principium generationis, sed est præcisè vt terminus eius ad quem illa terminatur, quia generatio est quædam mutatio: omnis autem mutatio, ex quinto Phys. tex. 4. & duodecim. Metaphys. tex. 12. est à quodam in quoddam: Quo fit, vt quemadmodum priuatio est principium generationis solum vt terminus eius à quo, ita forma fuerit principium eiusdem generationis solum vt terminus eius ad quem.

Quare pro hac parte neganda est vniuersè illa maior, quod principium sit prius eo, cuius est principium. Vel claritatis gratia disting. Est prius secundum rem, & executionem, nego: est prius secundum intentionem naturæ, concedo.

Si autem forma referatur ad rem genitam, est prior ea, non quidem tempore, quia auctore Philosopho duodec. Metaphys. tex. 16. causæ quæ sunt *vt ratio, simul sunt: forma enim æneæ sphæræ simul est, atque ænea sphæra.* Sed est prior, vt constituuum formale suo constituto. Et licet forma non existat nisi per totum; tamen proprium formæ est; causare antequam existat, vt in primo de ort. & inter. in quæst. de termino generationis diximus.

Ad 1. confir. terminus generationis est du- IX plex: alius adæquatus, & est compositum: alius formalis, & est forma vt in eadem quæst. exposui. Ad 2. confir. patet, ex dictis: Forma enim est principium generationis vt terminus eius ad quem. Scito autem quod forma non ideò est principium generationis, & rei genitæ, quia est vtcunque generationis, terminus, sed quia terminat dando esse formaliter composito. Compositum autem terminat eandem generationem vt principiatum, & vt habens esse à forma, propterea compositum non terminat generationem vt primum principium, de quo in præsens est sermo.

Ad 2. arg. quantum ad primam eius partem, XII. respond. quod cum priuatio sit principium generationis, vt terminus à quo ipsius, haud est necesse, eam adesse in materia, dum in ea aduenit generatio, & forma, sed tunc euanescit, perinde atque adueniente illuminatione, ac luce, euanescunt tenebræ. Deinde adde, quod licet generatio, vtpote actio instantanea, à parte rei sit simul cum forma, nihilominus possumus eam per intellectum dupliciter concipere. Primò, veluti in fieri, secundò, in esse completo: quatenus prius intelligitur aliquid fieri, postea factum esse. Quando intelligimus generationem incipere aduenire in materia, tunc intelligimus etiam priuationem incipere ab eadem materia recedere: quando autem iam est generatio in facto esse, tunc est etiam forma cum illa, & tunc necessit omninò priuatio. Ad secundam prob. eiusdem arg. respond. quod principia per se rei genitæ, & componentia rem, procul dubio debent cum ea proporcionari, & de huiusmodi principijs intelligit Philosophus, dum in tex. illo 72. ait, ex non ente nihil posse fieri. Priuatio autem est principium solum per accidens rei genitæ, vt exposui. ideò &c.

Ad 3. neganda est minor: Ad prob. dico, notiora natura esse simpliciora; quæ vel sunt sim- XIII. plicia, quia omninò recedunt à materiali compositione, & huiusmodi sunt Deus, & intelligentiæ: vel sunt simplicia, quia sunt partes compositorum, vt in quæst. de hac re exposui. hoc modo materia est notior natura, quamuis sit longè minoris entitatis: quàm compositum.

Ad arg. autem quibus probabatur, principia esse plura tribus. Ad 1. respond. generationem gemino modo posse spectari: Vno quidem, vt formaliter est quædam transmutatio: altero, vt est quædam origo, productio, & actio. Primo modo generatio formaliter non respicit nisi subiectum, & terminus à quo, & ad quem. Hæc tria duntaxat sunt de ratione mutationis, quemadmodum explicat Stagirites in hoc lib. à tex. 43. & quinto lib. tex 4. & duodec. Metaphys. tex. 12. Secundo autem modo, vid. quatenus est quædam actio respicit agens, & transmutans, quinuerò etiam finem. In præsenti generatio consideratur priori, non posteriori modo: ideò agens, atque transmutans non constituuntur eius principia. Eodem modo respondendum est ad secundam probationem. Nam mouens, & tempus non respiciuntur intrinsecè à generatione, vt generatio est: subiectum autem, & duo termini sunt de intrinseca ratione generationis.

Ad 2. respond. quod forma præexistens in materia est terminus à quo futuræ generationis, sed est terminus per accidens. priuatio autem est terminus à quo per se generationis, vt exposui in quæst. 2. ad tex. 42.

Ad 3. patet ex dictis: principia per se rei genitæ sunt duo: principia autem generationis itidem per se sunt tria. Verùm iam ad Aristotelem reuertamur: est igitur.

CA

Digitized by Google

CAPVT VII.

Quæ sunt principia rerum naturalium.

Continuatio huius partis cum præced. & intentio dicendorum.



Eclarauit Philosophus in cap. 5. qualia sunt principia rerum naturaconstantium, dum patefecit contraria: deinde ostendit in cap. 6. quot sint, dum præter duo contraria commonstrauit necessariam esse tertiam quandam naturam, quæ illis substernatur: vnde veluti in communi indicauit etiam quæ sint principia, vid. duo contraria, & subiectum. Nunc consilium eius est, distinctè, & in particulari explicare, quæ sunt dicta principia, siue quid sunt. Verumenimvero cum de re simplici duo inquiri soleant, prius an sit, postea quid sit, & hucusque Aristot. patefecerit, in generatione dari priuationem, quæ est terminus à quo, dari formam, quæ est terminus ad quem, & dari materiam, tenetur singillatim explicare, & expendere quid vnum quodque istorum sit: & dum hoc facit, adhuc vberius, & distinctius declarat necessitatem materiæ. Porrò legitima methodus indagandi, quid aliquid sit, est diuisio, vt docet Philosophus in secundo Poster. cap. 10. & ipse sæpenumero obseruauit. Sic enim facit in indaganda natura, lib. secundo huius operis cap. 1. sic in inueniendo motu, in lib. tertio cap. itidem 1. sic in perscrutanda animæ essentia, lib. secundo de anima cap. 1. sic alibi sæpe. Et ratio est, quoniam per diuisionem deprehendimus differentiam, quam habet illud, quod inquirimus, ad alia: ex qua quidem differentia postea deprehendimus illius definitionem: definitio autem explicat, quid res est. Sic igitur in præsenti, vt penitus deprehendat, quid præfata principia sint, orditur à differentia, & distinctione, quæ inter materiam, & priuationem intercedit. Quod vt assequatur, debet inuenire, an priuatio sit aliquid aliud præter materiam; an verò sit eadem cum illa; & quomodo eadem, & quomodo diuersa. Hoc autem inuenire non est parui laboris, tum quia res suapte natura est abstrusa: tum quia complures alij Philosophi, maximè verò Plato, non distinxerunt priuationem à materia, vt apparebit in tex. 79. Hæc est difficultas, quam Stagirites insinuat in hoc tex. cum ait.

TEXTVS LVII.



Vod igitur neque vnum sit elementa, neque plura duobus, vel tribus, manifestum est. Horum autem vtrum, quemadmodum diximus, dubitationem habet multam. Sic igitur nos dicamus primùm de omni generatione aggredientes. est enim secundum naturam communia primùm dicentes, sic circa vnumquodque propria speculari.

I. In quo tex. tria facit. Refert ea, quæ in superioribus determinata sunt. Proponit dicenda, & indicat methodum, qua deinceps vturus est. Ait itaque, manifestum esse ex hucusque habitis, quod principia non sunt *vnum, neque plura duobus, vel tribus*. Deinde proponit vtrum sit istorum: vid. an statuenda sint duo, vel tria: ita vt priuatio constituatur distincta à materia, an non; & hoc, ait, habere multam difficultatem *quemadmodum diximus*.

At hic torquentur aliqui, inter quos est Zabarella existimantes, non proponi ab Aristotele hic dubitationem de distinctione inter priuationem, & materiam. Mouentur autem, quia Philosophus dicit, præsentem difficultatem esse eam, de qua etiam superius fuit dictum, *quemadmodum diximus*, &c. Sed superius nusquam fuit tacta dubitatio, an priuatio sit distincta à materia, nec ne ergo non proponitur talis difficultas ab Aristotele.

II. Facilè tamen occurritur dicendo, quod superius non fuit quidem hæc difficultas proposita expressè, fuit tamen implicitè. Addo, quod satis etiam fuit expressè indicata, quando propositis rationibus vna quidem ex parte à tex. 41. vsque ad 47. quod principia essent contraria: ex altera autem parte in tex. 51. & 52. quod non essent contraria, tandem in tex. 53. dicebat, quod si quis velit, *vtrasque rationes saluare, necessarium est subijcere quoddam tertium*. (saluare autem vtrasque rationes, est explicare, quomodo principia sunt contraria, & quomodo non: proindeque quomodo tria, & quomodo duo.) Quod quidem assertum tunc neque ratione aliqua probauit, neque declarauit, sed solum Veterum exemplo confirmabat, aientium, *vnam quandam naturam esse vniuersum*. Nunc igitur hæc res erit ex professo explicanda, ob quam quidem rationem etiam in hoc tex. 57. loquitur cum disiunctione, *neque plura duobus, vel tribus*

Atqui

Digitized by Google

Atqui vbi patefecit, quomodo materia, & priuatio se habeant, concludit in tex. 67. *Quocirca est quidem vt duo dicenda sint principia; est autem vt tria, & est quidem vt contraria, vt si aliquis dicat, musicum, & immusicum, aut calidum, & frigidum, aut congruens, & incongruens, est autem vt non: à se inuicem enim contraria pati impossibile est &c.* Idem repetit in tex. 68. & tex. 70. & alibi.

III. Deinde, *sic igitur nos dicamus*, &c. aperit institutum suum, & ordinem dicendorum, & est ille idem, qui etiam in proœmio fuit propositus, vt à communioribus exordiamur. Huic igitur ordini, inquit, insistentes, agrediemur primum dicere de omni generatione: videlicet explicabimus primùm principia generationis in communi acceptæ; vt postea ad principia generationis substantialis, seu à communibus ad propria progrediamur. Cuius quidem ordinis eam subnectit rationem, *quia est secundum naturam communia primùm dicentes sic circa vnumquodque propria speculari*. Illud dicentes græcè est εἰπόντας, quod est elapsi temporis: Tum οὕτω τὰ περὶ ἕκαστον ἴδια. Quocirca sic verte. *est enim secundum naturam, communia primùm cum dixerimus, sic ea quæ sunt circa vnumquodque propria, speculemur*.

Adnotationes circa tex. 57.

IV. TRiplex hic emergit difficultas: Prima, quid Auctor intelligat, per omnem generationem, dum ait, dicendum esse *primùm de omni generatione*?

Secunda. Quomodo, & cuinam *est secundum naturam* dicere primùm communia?

Tertia, an Philosophus in tradenda scientia naturali seruauerit præscriptum hunc ordinem, declarandi primùm communia, postea minus communia? Et videtur minimè seruasse. Quia obiectum Philosophiæ naturalis ex æquo complectitur tam sublunaria omnia, quàm corpora cœlestia: si igitur Philosophus vult seruare dictum ordinem, primò debet explicare principia communia, tam mortalibus, quàm corporibus cœlestibus: postea explicare principia mortalium. Hic autem oppositum facit: siquidem in hoc opere solum declarat principia rerum generabilium, & corruptibilium, quæ sanè respectu cæterarum sunt pars exigua.

Ad 1. respond. Aristotelem per *omnem generationem*, de quà primùm ait esse agendum, intelligere generationem absolutè secundum communem rationem generationis, quæ complectitur generationem substantialem, & accidentariam: per ea *autem, quæ sunt circa vnumquodque propria* intelligere differentias, & ea quæ sunt propria vniuscuiusque generationis: & præsertim, quæ sunt propria generationis substantialis, scil. principia, quæ hic accipere meditatur. Et quod

V. per *omnem generationem* intelligat generationem complectentem, & generationem substantialem, & accidentalem, signum euidentissimum est, quod statim in tex. seq. vtramque apponit, inquiens, *diximus enim fieri ex alio aliud, & ex altero alterum: aut simplicia dicentes, aut composita*. Idque summa cum ratione facit, quia semper cognitio vniuersalium præcedit cognitionem particularium. Sic idem Philosophus, quod est exemplum Philoponi, volens docere differentias syllogismorum, prius docuit, quid esset syllogismus simpliciter, quoniam qui ignorauerit, quid sit syllogismus simpliciter, nunquam scire poterit, quid sit syllogismus demonstratiuus, ita in præsenti philosophare. Hinc liquidò conspicis, malè opinati eos, inter quos se met intrudit Zabar. qui *omnem generationem*, hic intelligunt solam generationem accidentalem. Malè etiam Auerr. *per omnem generationem*, hic interpretatur generationem, *quæ fit vnius ex vno*: per *propria autem circa vnumquodque*, intelligit generationem, quæ *fit ex pluribus, quæ*, inquit, *est mixtio*. Ita vt de priori agat Arist. primùm in his libris: de posteriori autem in lib. de ort. & inter. Quæ omnia sunt procul à mente Philosophi, vt tu ipse vides.

VI. Ad 2. verba illa, *est enim secundum naturam, &c.* Primò explico, vt referantur ad naturam nostram: quod nobis est hic progrediendi modus naturalis, vt in tractandis rebus, primùm, dicamus communia, post quorum explicationem dicamus propria circa vnumquodque. Cuius dicti ratio est, quia naturaliter ea explicamus primùm, quæ nobis existunt notiora; cum recta ratiocinandi ac discurrendi ratio debeat procedere à noto ad minus notum. Communia autem existunt nobis naturaliter magis nota, quàm propria, vt docuit Philosophus in proœm. huius lib. tex. 3. & 4.

VII. Secundò, præfata verba possunt referri ad naturam ipsarum rerum, & sensus erit, quod ordo secundum naturam rerum est hic, vt in scientia primùm explicentur communia, postea propria. Quia in scientia ita res sunt ordinandæ, & explicandæ, sicut per naturam factæ sunt: cum scientiæ sint res ipsæ per imitationem: At per naturam primùm sunt communia, vltimo autem sunt propria vniuscuiusque. Nam auctore Philosopho in secundo de Gen. animal. cap. 3. *finis postea contingit: proprium autem est finis cuiusque generationis*. Sic ergo natura rerum exigit, vt primùm explicentur communia, inde &c.

Ad 3. variæ circumferuntur auctorum responsiones, vt videre licet apud Piccol. Germana est ea, quam adhibet Philopon. quod Arist. hoc loco sermonem habet de principijs generabilium, & corruptibilium, non quod cœlestia non contineantur intra obiectum Philosophiæ naturalis, sed quia principia rerum generabilium, & corruptibilium sunt nobis notiora: Ex his postea dedu-

eas

sit orationem etiam ad ea principia, quæ sunt æternorum. Hoc probat Philopon. ex tex. 68. Et hoc idem voluit Alexand. Aphrod. referente Auerr. duodecim. Metaphys. com. 29. aiebat enim ex principijs, & causis mortalium, per similitudinem declarari etiam principia & causas æternorum, *quæ in substantia æternæ inueniuntur etiam causæ, quæ per similitudinem dicuntur cum causis generabilibus, & corruptibilibus.*

TEXTVS LVIII.



Icimus enim fieri ex alio aliud, & ex altero alterum, aut simplicia dicentes, aut composita. dico autem hoc sic: est enim fieri hominem musicum, est autem, & non musicum quippiam fieri musicum, aut non musicum hominem, hominem musicum. Simplex igitur dico, quod factum est; hominem, & non musicum, & quod fit simplex, musicum: compositum autem. & quod fit, & quod factum est, cùm non musicum hominem dicimus fieri musicum hominem. Horum autem hoc quidem non solum dicitur hoc aliquid fieri, sed etiam ex hoc, vt ex non musico musicus, hoc autem non dicitur in omnibus. non enim ex homine factus est musicus, sed homo factus est musicus.

I. Aggreditur inuenire differentiam inter materiam, & priuationem. Considerat autem, quod in termino à quo generationis includuntur duo, vid. subiectum, & priuatio. quare in termino à quo generationis substantialis continebuntur duo principia rerum naturalium, materia, & priuatio. Quam quidem differentiam incredibili ingenio scrutatur, & deprehendit duplici ratione: Primò, in hoc tex. ex diuerso loquendi modo, quo vti consueuimus, cum de vna, atque de altera loquimur: Secundò, in tex. seq. ex ipsa natura rei.

Atque vt à communi generatione exordiatur, quemadmodum in tex. præced. constituit, diuidit omnem generationem, quod alia quidem est simplex, ac substantialis, cum *ex alio fit aliud*: Notum est, differentiam specificam, & essentialem facere aliud, vt etiam à Porphyrio in cap. de differentia explicatum est: alia autem est generatio secundum quid, & accidentalis, cum *ex altero fit alterum*. Hoc etiam est clarum, quod mutatio in accidentibus non facit aliud, sed alterum.

II. Subiungit, *aut simplicia dicentes, aut composite*. Quæ verba dupliciter explico. Primò, ea accipio in eadem significatione, in qua exposui consimilia verba posita in tex. 45. quæ erant *similiter autem hoc & in alijs, quoniam ea, quæ non simplicia, sed composita sunt, secundum eandem rationem se habent*. Vbi per simplicia, exposui ea, quæ simpliciter, ac substantialiter generantur, per composita, exposui ea, quæ quouis alio modo accidentaliter, & per artem fiunt, sic in præsenti. Et huius expositionis ratio videtur manifesta, nam Arist. his verbis *aut simplicia dicentes*, &c. declarat duo illa membra, quod quædam fiunt alia, quædam altera: Alia quidem fiunt, quæ simplicia, seu simpliciter fiunt: Altera autem fiunt, quæ secundum accidens, siue per naturam, siue per artem transmutantur, & quia ista composita existunt nobis notiora, propterea ex ijs accipit exempla de musico homine, & immusico.

Secundò explico, & melius, quod per simplicia, hoc loco intelligit, vel solam priuationem, III.
vel solum subiectum: vel solam formam generandam: per composita autem intelligit priuationem, & subiectum simul: aut formam generandam, & subiectum. Quæ tam in ijs, quæ simpliciter, quàm in ijs quæ secundum quid generantur, accipere possumus, sed Arist. tantum declarat exemplo secundi generis, cum ait, *dico autem hoc sic*, &c. Porrò in his generationibus exprimendis, possumus vti tam terminis, ac vocibus simplicibus, quàm compositis: idque cùm ex parte termini a quo, tum ex parte termini ad quem. Terminus, seu vox simplex ex parte termini à quo, est aut sola priuatio, aut solum subiectum: ex parte autem termini ad quem est sola forma in concreto.

En auctoris exempla: & quidem ex parte termini à quo, *simplex igitur dico, quod factum est*, (male *factum est*, τὸ γιγνόμενον, dic quod fit, siue fiens) *hominem, & non musicum*: homo indicat solum subiectum, quod transmutatur: *non musicum* autem solam priuationem. Vnde simplices generationes dicentur, cum dico, immusicum fit musicum: & homo fit musicus. Ex parte autem termini, ad quem, καὶ ὃ γίγνεται, *& illud quod fit, simplex musicum*. Musicum expresse significat solam formam musices in concreto. Termini autem compositi sunt, cum ex parte termini à quo sumitur totum aggregatum ex subiecto, & priuatione. & ex parte termini ad quem, totum itidem aggregatum ex subiecto, & forma, *vt cum non musicum hominem dicimus fieri musicum hominem*.

Quibus iactis, colligit intentam differentiam inter materiam, & priuationem, cum ait, *Horum autem hoc quidem*, &c. Duo modi, inquit, reperiuntur in communi vsu loquendi, atque ij etiam inter Sapientes recepti: Vnus in recto, IV.
Hoc fit hoc: Alter in obliquo, Ex hoc fit hoc. Quæ porrò diuersitas non temerè, sed aliqua ratione instituta est. Nunc in proposito: dum de priuatione loquimur, indifferenter vti possumus vtroque dicendi modo: dicimus enim immusicum

cum

Digitized by Google

rum fit musicum, & ex immusico fit musicum: loquentes autem de subiecto, haud valemus in omnibus indiscriminatim vtroque modo vti; sed est determinatus loquendi modus: non enim dicimus, ex homine factus est musicus, sed homo factus est musicus.

Ex his huiusmodi ratio eruitur. Illa, de quorum vno vti possumus tali dicendi modo, iuxta communem loquendi regulam, quo non possumus vti de altero, sunt inter se diuersa: quia diuersus modus loquendi indicat aliquam diuersitatem in re: sed de priuatione vti possumus tali loquendi modo, quo de materia vti neutiquam possumus: ergo priuatio, & materia sunt inter se diuersæ.

TEXTVS LVIIII.



Orum autem, quæ vt simplicia dicimus fieri, aliquid quidem permanens fit, aliud verò non permanens: homo enim permanet factus musicus homo: non musicum autem, & immusicum, neque simplex, neque compositum permanet.

I. Pergit explicare eandem differentiam inter materiam, & priuationem ex ipsa natura rei: & differentia est conspicua; quia materia post generationem remanet, priuatio autem post generationem non remanet: quare materia, & priuatio differunt, alioquin idem simul & remaneret, & non remaneret. Assumptum ostendit exemplo iam toties inculcato, quippe cum homo ex immusico fit musicus, homo, qui est eius transmutationis materia, ac subiectum permanet, factus homo musicus: immusicum autem, quæ est priuatio, haud permanet: secus in eodem subiecto simul esset habitus, & priuatio, lux, & tenebræ. Quid verò? non modo ipsum immusicum, quod est sola, ac simplex priuatio, non permanet, sed neque ipsum compositum, & aggregatum ex priuatione, & subiecto permanet, facta generatio-

II. ne, quamuis subiectum solum permaneat.

Ratio est, quia quandocunque aliquid est compositum ex multis, totum dicitur corrumpi, licet non corrumpantur omnia, quæ illud componunt, sed tantum aliqua: quemadmodum dicitur corrumpi, id cuius altera solum pars, id est forma intereat, quamquam eius materia perseueret: sed in re proposita, totum aggregatum coalescit ex subiecto, & priuatione, quare quamuis subiectum non corrumpatur, sed permaneat, quia tamen priuatio non permanet, idcircò totum hoc aggregatum ex homine, & immusico, non dicitur permanere: hoc significat Auctor, dum ait, *Non musicum autem, & immusicum, neque simplex neque compositum permanet.*

Oculatè geminat illa verba, *non musicum, & immusicum*, quia non musicum potest sumi etiam negatiuè, vt in tex. 43. ostendi: ob id declarat, se hic non musicum, accipere priuatiuè: pro eo, quod est immusicum. Quod quidem eo magis debuit explicare, quia in tex. præced. priuationem simplicem indicauit per non musicum inquiens, *est autem & non musicum quippiam fieri musicum*. Quasi igitur dicat, tale non musicum hic intelligo, quod sit immusicum. Quid si dicas, quod priuatio duplex est? Vna remota, altera proxima, vt supra in quæst. 3. ad tex. 42. exposui. Atque vtraque ab Arist. per hæc verba insinuetur? Remota priuatio in materia est minor, & quodammodo videtur accedere ad naturam negationis, cum in subiecto illam habente, sit minor aptitudo ad formam: & propterea innuitur hic per *non musicum*: priuatio autem proxima est magis propria, quia importat determinatam aptitudinem: idcircò exprimitur per *immusicum*. III.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 58. & 59.

AIt in tex. 58. nos de priuatione quidem rectè posse loqui, & in recto, & in obliquo casu, de subiecto autem, ac materia non posse in omnibus loqui in casu obliquo. Atqui oppositum huius sanxit, in tex. 61. ait enim modum loquendi in obliquo. Ex hoc fit hoc, conuenire materiæ, modum autem in recto non item. *At verò, inquit, & in permanentibus, id est, in subiectis, aliquando dicitur similiter: ex ære enim statuam dicimus fieri, non æs statuam.*

Secundò, illud quod ponitur in definitione alicuius, competit omni definito, ac semper: In definitione autem materiæ dicitur, ex ea fieri aliquid, quippe materia, vt legitur in tex. 82. *est primum subiectum, ex quo fit aliquid cum insit*, ergo omni materiæ, & semper competit, ex ea fieri aliquid, seu modus dicendi in obliquo. Et non vt Arist. loquitur hic modus *non dicitur in omnibus*. IV.

Pro solutione scito, quod modus loquendi in recto, hoc fit hoc, consueuit & subiecto, & priuationi adscribi, sed vtrobique diuersa denotat. Cum attribuitur subiecto, propriè significat id, quod actu permanet in vtroque termino transmutationis, vt in generatione accidentali obtingit, veluti cum homo fit musicus, aut lignum fit album: & tunc non rectè vtimur modo dicendi in obliquo, non enim dicimus, ex homine fit musicum: sic habes in tex. hoc 58. *Non enim ex homine factus est musicus, sed homo factus est musicus.* Cum autem attribuitur priuationi, non significat formaliter ipsam priuationem, non enim V.

Digitized by Google

priuatio fit forma futura, aut compositum, sed denotat subiectum, quatenus est priuatum. Quocirca cum dico, immusicus fit musicus, sensus est, homo priuatus musica, fit musicus. Eodem pacto modus dicendi in obliquo; & materiæ, & priuationi adhibetur, at diuersa ijdem ratione, cum enim de priuatione profertur, significat terminum à quo generationis; sic ex immusico fit musicum. Et quia omnis priuatio est terminus generationis à quo, idcircò semper, ac indifferenter de priuatione proferre possumus, ex hoc fit hoc.

VI. Quando autem hic idem dicendi modus refertur ad materiam, varia habet significata, prout materia ipsa varias subit considerationes. Consideratur primò, qua est id, ex quo formæ educuntur; quo pacto asserimus, formas substantiales fieri ex materia. Secundò, qua est pars, ex qua, & altera comparte constituitur compositum; quo sensu dicimus, hominem, aut equum fieri, & constare ex materia. Tertiò, qua est materia proxima generationis substantialis, quæ tamen in ea generatione non perseuerat, sed corrumpitur: sic dicimus ex semine fit animal, ex ligno ignis, ex nube pluuia. Quartò demum, vt est subiectum actu; in qua significatione potius vtimur modo dicendi in recto, quàm in obliquo, vt nunc iudicaui.

Verùm, quia artefacta imitantur naturalia, in his quoque eadem ratio, ac proportio seruanda est. Quare æs, V. G. si spectetur vt est altera pars componens statuam, & est id, ex cuius potentia euocatur figura statuæ, dicitur esse id, ex quo fit statua: sic quia ligna, & lapides sunt partes componentes domum, rectè dicimus, domum fieri ex lignis, & lapidibus. Hac ratione considerat Arist. æs in tex. 61. cit. cum ait, *ex ære dicimus fieri statuam, non autem æs statuam*. Cæterùm si æs consideretur quatenus est aliquod subiectum, quod actu in vtroque transmutationis termino perseuerat, tunc rectè asserimus, hoc fit hoc, sed tunc, quemadmodum dixi, non dicimus in obliquo, ex ære fit statua. Quam quidem varietatem volens innuere Arist. in tex. hoc 58. cum dixisset, quod de priuatione possumus non solum in recto, sed etiam in obliquo loqui. *Horum autem hoc quidem*, idest priuatio, *non solum dicitur hoc aliquid fieri, sed etiam ex hoc, vt ex non musico musicus*: tamen de materia limitat modum dicendi in obliquo, quod eo non possumus vti semper, siue in omnibus. *Hoc autem non dicitur in omnibus; non enim ex homine factus est musicus, sed homo factus est musicus*; Cur non in omnibus? quia videl. in aliquibus possumus eo vti: vt habes in exemplis adductis, in aliquib. autem non: & hoc etiam indicat in tex. illo 61. cum etiam ibi limitat dicens, *At verò, & in permanentibus aliquando dicitur similiter. Vides è aliquando.*

VII. Hinc vides, quomodo de omni priuatione possumus semper, & indifferenter vti vtroque dicendi modo, & ex hoc fit hoc, & hoc fit hoc: quamuis magis congruè vtamur modo per casum obliquum, vt explicat Arist. in tex. illo 61. non autem id idem possumus dicere de omni materia: sed in ea est determinatus dicendi modus. Vnde vlterius vides differentiam positam ab Arist. ex modo loquendi inter materiam, & priuationem, esse in omnibus verissimam. Hinc quoque apparet solutio ad argumenta opposita. Ad 1. Iam scis, quando, & quomodo liceat de materia vti dicendi modo in obliquo, & quomodo non liceat. Ad 2. respond. Aristotelem in tex. 82. definire materiam, vt ex ea educuntur formæ, quæ illi insunt non secundum accidens, & vt est altera compositi pars, qua ratione competit omni materiæ, ex ea fieri aliquid: sed tunc non competit alter dicendi modus; non enim dicimus materia prima fit equus.

TEXTVS LX.



Determinatis autem his, ex omnibus, quæ fiunt, hoc est accipere, si aliquis inspexeris, sicut dicimus, quod oportet semper aliquid subijci, quod fit, & hoc, & si numero est vnum, at forma quidem non vnum; forma enim dico, & ratione idem, non enim idem est homini, & immusico esse: & illud quidem permanet: hoc verò non permanet: etenim non oppositum permanet. homo enim permanet, musicum autem, & immusicum non permanet: neque ex ambobus compositum, vt immusicus homo.

Colligit ea hucusque determinatis, vnà cum materiæ necessitate differentiam intercentem inter materiam, & priuationem. Deinde explicat, quonam pacto inter se ea differant, & statuit, ac probat dupliciter, eas esse vnum re, ac subiecto: duo autem formaliter. I.

Ait itaque, his ita constitutis, ex consideratione eorum quæ fiunt, hæc duo licet accipere (ἄν τις ἐπιβλέψῃ, ὥσπερ λέγομεν, malè plerique codic. latin. *Si aliquis inspexerit, sicut diximus*. dic: *etiamsi aliquis leuiter inspexerit, vt dicimus*. Ait, *vt dicimus*, quia hæc dicendi formula græcè est quasi adagium, dum significamus, aliquem leuiter, & superficietenus rem considerare, qua quidem vtitur cum sæpe alibi, tum etiam septimo Metaphys. cap. 7. in fine, ἐάν τις ἐπιβλέψῃ. Hæc, inquam, duo licet accipere. Vnum, quod in omnibus, quæ fiunt, oportet aliquid subijci, quod fit, vid. subiectum, siue materiam. Alterum, quod hoc subiectum numero quidem, ac fundamento est vnum, forma autem, siue definitione, & essentia, sunt diuersa. Siquidem alia est definitio, & essentia

materiæ,

Digitized by Google

materiæ, alia priuationis. Porrò, quoniam nomen *formæ* poterat aliquam ambiguitatem parere, idcircò explicat, quid nomine formæ hic intelligat, inquiens, *forma enim dico, & ratione idem.* Nomen, inquit, formæ in præsena haud accipio pro tertio principio, sed idem voco atque esse vnum, aut diuersa ratione, definitione, siue essentia.

II. Hanc distinctionem probat gemina ratione: Primò, *non enim idem est homini, & immusico esse.* Non est idem essentia hominis, scil. subiecti, ac est essentia priuationis: nam illa est aliquid positiuum, hæc autem est mera carentia formæ. Secundò: Illa differunt inter se definitione, & essentia, quorum vnum post generationem permanet, alterum verò non permanet. Ita se habent materia, & priuatio, *nam homo permanet, musicum autem, & immusicum non permanet.* Cuius adhuc rationem subnectit, *etenim non oppositum permanet.* Ratio cur subiectum, ac materia post aduentum formæ perseueret, est, quod ea non opponitur formæ aduenienti, priuatio autem est opposita, idcircò vna cum ea nequit cohærere. Quinimo non modo ipsa priuatio, facta transmutatione, non permanet, sed neque ipsum aggregatum, *ac compositum ex ambobus, vt immusicus homo*, quemadmodum etiam dixit in tex. præcedent. & nos eo loci reddidimus rationem.

Hinc luculenter habes, quod in omni transmu-
III. tatione necesse sit subijci aliquam materiam, quę quidem licet numero sit idem cum altero principiorum contrariorum, id est cum priuatione, nihilominus formaliter, & secundum definitionem distinguitur ab ea: & sic ex parte termini à quo generationis habemus duo principia.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 60.

IV. PRimò, priuatio secundum se est non ens, auctore eodem Philosopho in tex. 65. & 69. Non ens autem neque essentiam, neque definitionem habet, quia non entium nullæ sunt affectiones, ergo male dicit Arist. priuationem differre à materia *forma, & ratione*, & nos exposuimus, differre essentia, ac definitione.

Deinde, ea inter se distinguuntur essentia, ac definitione, quorum vnum potest absque altero definiri: At neque priuatio absque materia, neque materia absque priuatione potest definiri: Quod sic ostendo, & quidem de priuatione, quia in eius definitione perpetuò ponitur materia. nam priuatio definitur carentia formæ in materia apta. Similiter in definitione materiæ semper includitur priuatio: est enim materia subiectum carens forma, aptum tamen habere illam: non igitur priuatio, & materia possunt inter se definitione differre.

Præterea, difficultatem facit, quod Auctor ait, materiam, & priuationem esse *numero vnum*, & nos ex communi interpretum mente exposuimus, esse vnum subiecto. Contra. Ea dicuntur esse vnum subiecto, quæ ambo inhærent vni tertio, vt albedo, & dulcedo in lacte, aut flauum, & dulce in melle: Vel quorum vnum re ipsa est in altero veluti, in subiecto; quemadmodum paries, & albedo illi inexistens, dicuntur esse vnum subiecto. Priuatio autem, & materia nequeunt esse ambæ in aliquo tertio, velut in subiecto: cum nihil tale tertium excogitari queat: sed neque ipsa priuatio formaliter considerata potest dici esse, ac inhærere in materia, quia si inhæreret, ergo esset ens aliquod: Hoc verò est falsum: ergo, &c.

Adhæc, contra id, quod subdit, *formæ autem non vnum*, est difficultas. Quæcunque differunt forma, & ratione, ea differunt specie; vt discimus ex Arist. quinto Metaphys. tex. 12. dicente, *Vnum numero sunt, quorum materia vna: specie vero quorum ratio vna.* Impossibile autem est, quod aliqua sint vnum numero, & non sint vnum specie. Quod prob. ex eod. Arist. loco nunc indicato, vbi cum exposuisset, Vnum dici quatuor modis, numero, specie, genere, & analogia, ita subnectit, *semper autem posteriora sequuntur præcedentia, vt puta, quæcunque numero, specie quoque vnum sunt: quæcunque autem specie, non etiam numero, sed genere sunt vnum omnia: quæ, & specie: quæcunque autem genere, non omnia specie.* Si igitur posteriora semper sequuntur præcedentia, & vnitas numerica, vtpote maxima, est omnium postrema, profectò materia, & priuatio, si sunt vnum numero, nequeunt non esse etiam vnum forma, & specie. malè igitur dicit Arist. eas *esse numero quidem vnum, forma autem non vnum.*

VI. Quas quidem difficultates sic dilue. Ad 1. dic, quod definitio essentialis vtique non est nisi verorum entium, & eorum, quæ ex genere, & differentia coalescunt: definitio autem descriptiua commodè etiam non entibus potest conuenire. Hæc enim nihil aliud est, quàm concisa quædam declaratio eius, quod definitur: siue ea fiat secundum nomen, siue secundum rem: Tali definitione complectimur res simplices, & præterea infinitum, vacuum, negationes, centauros, chimeras, sexcenta alia, quæ re ipsa sunt penitus non entia. Huiusmodi definitionem habet priuatio, per quam eius essentia, & ipsum esse priuatiuum declaratur. Adde, quod quamuis priuatio formaliter, & in recto non sit aliquod ens reale, nihilominus in obliquo connotat reale quippiam, ideò à quibusdam appellatur carentia realis. Et Auer. in proœm. suo ad primum lib. Poster. ait, priuationem definiri per habitum, quia *est ens per reductionem ad habitum.*

VII. Ad 2. neganda est minor quo ad vtramque partem. Ad probationem respond. & quidem de priuatione, dico, eam commodè definiri posse absque materia prima: reperitur namq; priuatio in multis alijs præter materiam primam. De materia verò respond. quod ea dupliciter potest considerari. Aut absolutè, vt est quædam substantia incompleta, &

ens quoddam potentiale: aut respectiuè, quatenus dicit ordinem ad formaa, & ea secundo Phys. tea. 26. est correlatiua formæ. Hoc secundo modo considerata materia definiri nequit sine priuatione., quia si respicit formam, quam actu non habet, erit in actuali carentia, & aptitudine ad illam. Hæc autem duo constiuunt priuationem. Spectata autem primo modo, potest definiri sine priuatione. Hinc conspicis, tum materiam, tum priuationem seorsim habere definitiones, & essentias suo modo.

VIII. Ad 3. respond. quod priuatio eo fermè modo dicitur vna subiecto cum materia, quo albedo, & paries sunt vnum subiecto, quia illa inest in hoc. Verumtamen hac differentia, quod albedo est forma realis, & essentialiter distincta à substantia parietis, priuatio autem solum concipitur ab intellectu, ceu forma quædam, & accidens, quod in subiecto insideat, ob id in tex. 66. legimus, quod materia dicitur *hoc aliquid magis: & quod fit, non secundum accidens ex ipso fit: priuatio autem, & contrarietas, est accidens.* Qua consideratione etiam ab Arist. in secundo lib. huius operis tex. 15. priuatio dicta est *forma quodammodo*.

IX. Ad 4. Vnum, quantum ad præsens attinet, aut accipitur pro eo, quod est entitatiuè, & formaliter vnum: aut pro ijs, quę entitatiue quidem sunt vnum, formaliter autem sunt multa: nam formalis distinctio est minor entitatiua, seu reali. Ea quæ sunt vnum priori modo, repugnat non esse vnum etiam specie, quia ista essentialiter in recta linea prædicamentali sunt inferiora ad speciem: De his loquitur Arist. in quinto Metaphys. tea. 12. in arg. cit. Quando autem aliqua sunt vnum solum entitatiue, ac realiter, non autem formaliter, benè possunt esse vnum numero, multa autem forma, & specie, vel etiam genere generalissimo. Sic actio, & passio sunt vnum numero, cum sint vnus numero motus, nihilominus dissident toto Prædicamento. Sic motus, & terminus eius ad quem, sunt vnum entitatiuè, ac re, nihilominus terminus est directè in aliquo Prædicamento, motus autem non item: sic ergo materia, & priuatio numero est vnum, at forma non vnum. Vel dic. Quæ sunt vnum numero per se, ea vtique sunt etiam vnum specie, vt animal, & rationale in homine sunt vnum numero per se, propterea sunt etiam vnum specie. Quæ autem sunt vnum numero per accidens, ea non sunt vnum etiam specie, vt homo cum sua albedine est vnum numero, siue subiecto, sed per accidens: at non sunt vnum specie.

TEXTVS LXI.



Ed ex aliquo fieri aliquid, & hoc non fieri, magis quidem dicitur in non permanentibus, vt ex immusico musicum fieri, ex homine autem non. At verò, & in permanentibus aliquando dicitur similiter: ex ære enim statuam dicimus fieri, non æs statuam. Hoc tamen ex opposito, & non permanente vtroque modo dicitur, & ex hoc, hoc. & hoc, hoc. namque ex immusico, & immusicus fit musicus, quocirca, & in composito similiter. etenim ex immusico homine, & immusicus homo dicitur fieri musicus.

Patefecit in tex. 58. differentiam inter materiam, & priuationem ex diuerso modo loquendi: quod loquentes de priuatione possumus tali dicendi modo vti, quo de materia vti non possumus: deinde, propter celeritatem ingenij sui, quasi impatiens, statim in tex. 59. subdidit differentiam inter eas ipsa ex natura rei acceptam, eamque in tex. 60. declarauit: nunc reuertitur diligentius explicare illam primam differentiam, & adiungit aliquam exceptionem. I.

In tea. tria facit. Primùm explicat modum loquendi circa priuationem, cum ait, *sed ex aliquo fieri aliquid, & hoc non fieri, magis quidem dicitur in non permanentibus.* Regula est: In priuationibus (quas in tea. præced. diximus in generatione non permanere) magis, ac pressius dicimus, aliquid fieri ex aliquo, quàm aliquid fieri aliquid: id est, significantius vtimur casu obliquo, quàm recto. Quamuis itaque de ea vtroque dicendi modo, tam in rectò, quàm in obliquo valeamus vti, nihilominus pressius est dicendi modus in obliquo: vnde melius dicimus, ex immusico fieri musicum, quàm immusicum fieri musicum.

Deinde, cum ait, *ex homine autem non.* adijcit alteram regulam circa materiam, & subiectum, quam etiam posuerat in tex. 58. quod loquutio in obliquo non conuenit subiecto. non enim dicimus *ex homine factus est musicus, sed homo factus est musicus*, vt dixit Arist. in tea. 58. & indicat in tea. præs. *ex homine autem non.* Quæ tamen regula patitur limitationem, & propterea Auctor subdit, *At verò, & in permanentibus aliquando dicitur similiter.* Aliquando etiam in materia, & subiecto, quæ hic appellantur permanentia, similiter possumus vti casu obliquo, quemadmodum facimus in priuatione. Sic *ex ære fit statua*, sed tunc non possumus vti casu recto, non enim afferemus *æs fit statua*. De qua re vide quæ adnotaui ad tea. 58. II.

Postremò, *Hoc tamen ex opposito, & non permanente vtroque modo dicitur, & ex hoc, hoc; & hoc, hoc.* Ecce differentia inter materiam, & priuationem. III.

Digitized by Google

uationem: Loquentes, inquit, de priuatione, (quam vocat oppositum, & non permanens) possumus vtroque dicendi modo vti: vt ex hoc fit hoc: tum hoc, fit hoc. Siquidem dicimus, *ex immusico fit musicus: & immusicum fit musicum.* Hinc collige, quod si priuationi conuenit vterque dicendi modus, materiæ autem nunquam conuenit vterque simul, sed alter duntaxat, liquidò apparet, vnam differre ab altera. Subdit, Quocirca, *& in composito similiter, &c.* Hoc ipsum videre est etiam in toto aggregato ex subiecto, & priuatione: asserimus namque, & ex immusico homine fit homo musicus, & immusicus homo fit homo musicus.

TEXTVS LXII.



Multipliciter autem cum dicatur, ipsum fieri. & horum quidem non simpliciter fieri, sed hoc aliquid fieri, simpliciter autem fieri substantiarum solum, manifestum est quod secundum alia quidem necesse est, subijci aliquid, quod fit. etenim quantum, & quale, & ad alterum, & quando, & vbi fiunt subiecto aliquo: propterea quod sola substantia de nullo alio dicitur subiecto, sed alia omnia de substantia. Quod autem substantia, & quæcunque alia simpliciter entia ex subiecto quodam fiant, consideranti fiet vtique manifestum. Semper enim est aliquid, quod subijcitur, ex quo fit quod fit, vt plantæ, & animalia ex semine.

I. Deprehendit in præcedentib. tex. in generatione, ex parte termini à quo adesse duo principia: materiam, & priuationem: & patefecit, quomodo sint duo. Posset aliquis quærere, hæc duo suntnè perpetua in omni generatione, an solum in aliqua? Intendit igitur Arist. in hoc, & seq. tex. demonstrare, ea in omni omninò transmutatione adesse. Ostendit autem sic. In omni transmutatione inuenitur materia: At priuatio est idem numero cum materia, vt nuper est patefactum, quare in omni transmutatione inueniuntur illa duo. maior nunc est ostendenda, pro qua.

II. Ait, quod ipsum generari, ac fieri *multipliciter*, id est dupliciter dicitur. (duos enim tantum recenset modos). Quædam fiunt simpliciter, & sunt ea, quæ substantialiter generantur: & hic modus est proprius substantiarum, id exprimit, inquiens, *simpliciter autem fieri substantiarum solum*. Quædam autem non dicuntur fieri simpliciter, sed *fieri secundum aliquid*. quo pacto fiunt quæcunque secundum aliquod accidens transmutantur, veluti cum Petrus V. G. calefit, aut dealbatur, augetur, aut imminuitur; non enim tunc absolutè dicimus, P. fit, quemadmodum asserimus, cum substantialiter generatur, sed fit calidus, albus, maior, aut minor. Id indicat Arist. inquiens, *& horum quidem non simpliciter fieri, sed hoc aliquid fieri*. Et horum, idest accidentium, non est fieri simpliciter. Græca lectio est plana, *πολλαχῶς δὲ λεγομένου τοῦ γίγνεσθαι, καὶ τῶν μὲν οὐ γίγνεσθαι ἁπλῶς, ἀλλὰ τό δέ τι γίγνεσθαι. ἁπλῶς δὲ γίγνεσθαι, τῶν οὐσιῶν μόνον*. quæ sic resolue. Cum ipsum fieri dicatur multipliciter, & quædam dicantur non simpliciter fieri; sed hoc aliquid fieri, simpliciter autem fieri est solum substantiarum.

Adiecta hac partitione, ostendit in generatione tam non simplici, quàm simplici, æquè necessarium esse subijci aliquam materiam. Et quidem in illa, *secundum alia quidem manifestum est, quod necesse est subijci aliquid quod fit.* (per alia intelligit accidentia, quæ sunt alia à substantia) ostendit inductione, & ratione: Inductio est. Nam, & quantum, & quale, & *ad alterum*, id est relatio, & quando, & vbi, & omninò omnia accidentia fiunt, *ὑποκειμένου τινός*, *subiecto quodam*, suple existente. Ratio est. *Propterea quia sola substantia de nullo alio dicitur subiecto, alia autem omnia de substantia*. Sola substantia non est in subiecto, reliqua autem cuncta sunt in ea, veluti in subiecto. Quæ ratio sic struatur. Sicut res se habet ad esse, ita ad fieri: cum fieri nihil sit aliud, quàm transire ad esse: & ideò ambo habent proportionem: Atqui accidentia non sunt sine subiecto, sed in subiecto, quare neque possunt fieri sine subiecto, sed necessariò fiunt in aliquo, quod illorum generationi subijcitur. III.

Demum, cum inquit, *Quod autem substantia, & quæcunque alia, &c.* probat etiam in generatione simplici, ac substantiali necessariò substerni aliquod subiectum, ex quo fit id, quod fit, vt patet in generationibus plantarum, & animalium, quæ fiunt ex semine. Ex his ita collige. Omnis generatio aut est accidentium, aut substantiarum: Vtraque hæc exposcit materiam subiectam ex qua, & in qua fiat, quare omnis generatio exposcit materiam in qua, & ex qua fiat. IV.

TEXTVS LXIII.



Fiunt autem quæ fiunt simpliciter, alia quidem transfiguratione, vt statua ex ære, alia verò appositione, vt quæ augmentantur; alia verò subtractione, vt ex lapide Mercurius: compositione autem alia, vt domus: alia verò alteratione, vt quæ vertuntur secundum materiam: Omnia autem, quæ sic fiunt, manifestum est, quod ex subiectis fiant.

Simplicius; cui adhærent Vicom. Piccolom. & alij I.

Digitized by Google

alij, in ea versatur opinione, quod Philosophus in hoc tex. velit exactius probare id, quod in calce tex. præced. dixerat, vid. generationem simplicem semper requirere materiam subiectam: præter autem id, enumerando quinque modos, quibus aliquid dicitur fieri simpliciter, seu substantialiter. Quæ expositio duplici fundamento innititur. Primùm, quia in eo sensu accipienda est in hoc tex. vox *simpliciter*, in quo ablata fuit in tex. proximè antegresso, alioquin Philosophus in tam proximis contextib. nos splendida æquiuocatione deluderet. Atqui in tex. præced. vsus est hac voce, pro ijs, quæ substantialiter fiunt: quare etiam hic ita vititur. Et sanè Arist. videtur in principio huius tex. facere subdiuisionem eorum, quæ simpliciter generantur, cum ait, *fiunt autem quæ fiunt simpliciter, alia quidem, &c.* Deinde, de generatione accidentium iam in tex. præced. dixerat, *est manifestum, subijci aliquid, quod fit*: de generatione autem simplici aiebat, *consideranti fore manifestum*, quod ea etiam fiat ex aliqua subiecta, ergo de generatione accidentali superuacaneum esset hic verba repetere; necessarium autem erat, generationem substantialem considerare: & sic eam in hoc tex. expendit per quinque modos, quos subijcit.

Quæ quidem interpretatio admittenda non est: Atque vel ex eo labefactatur, quòd in hoc tex. recensentur aliqui generationis modi, qui nullo pacto possunt generationi simplici conuenire, vt mox audies.

II. Vera itaque Stagiritæ intentio, & expositio tex. est, quam adhibuit Alexand. & magn. Syrianus, & sequuti suos Themist. Philopon. Auerr. & S. Thom. quod cum Arist. in præced. tex. seorsim probauerit, primùm quidem in generatione accidentali, deinde in generatione substantiarum necessitatem materiæ, in hoc contex. amplissimam conficiat demonstrationem, quæ vtrasque illas generationes simul complectatur, & ostendat quæcunque fiunt quomodocunque, ea semper, ac necessariò exigere aliquam subiectam materiam.

III. Argumenta autem Simplicij leuia sunt. Ad 1. respond. ἁπλῶς, *simpliciter*, hic non significat substantialiter, sed vniuersè, in qua significatione sexcenties vtitur Arist. ea voce. Neque propterea vlla est æquiuocatio ijs, qui Aristotelem ita legunt, vt intelligant: ac proinde nulla vnquam est hic subdiuisio eorum, quæ substantialiter fiunt. Iac. Zabar. dum huic ipsi Arg. respondet, excitat se, & considerat modum loquendi Aristotelis. *Nam si*, inquit, *voluisset significare* generationem substantialem, sicut in tex. præced. oportebat aduerbium illud ἁπλῶς ponere ante participium γιγνόμενα, id est inter participium, & articulum, hoc modo. τὰ ἁπλῶς γιγνόμενα. *Hic enim modus loquendi significasset generationem secundum substantiam, sicut etiam in tex. præced. loquutus est: sed Arist. postponit aduerbium, & dicit τὰ γιγνόμενα ἁπλῶς. qui loquendi modus alium sensum habet, vt facilè potest intelligere quilibet in græca lingua versatus, & qui proprietatem Græcæ locutionis intelligat.* Verùm hic vir, vt alia præteream, debebat considerare tex. præcedentem, in quo auctor explicans generationem eorum, quæ non simpliciter fiunt, postponit illud ἁπλῶς, simpliciter, en verba. καὶ τῶν μὲν οὐ γίγνεσθαι ἁπλῶς, *& horum quidem non fieri simpliciter*. quamuis in quibusdam lat. codic. anteponatur, *& horum quidem non simpliciter fieri*. Iuxta acumen autem Zab. debebat Aristotel. dicere, καὶ τῶν μὲν οὐχ ἁπλῶς γίγνεσθαι. putida ergo est hæc Zab. imaginatio.

IV. Ad 2. respond. quod, quamquam Philosophus in tex. præced. dixerit, in generatione accidentium esse manifestum, semper subijci aliquid, quod fit: nihilominus subtexuit duplicem eius afferri probationem: vnam ex inductione, alteram ex ratione acceptam. Quid igitur vetat, in hoc tex. adiungere tertiam? Hoc porrò non est repetitio; sed ostensio ex alio atque alio fonte hausta: His ita prælibatis.

V. In tex. duo facit. Primò recenset quinque modos, quibus fiunt omnia, quæcunque fiunt, siue generatione simplici, siue accidentali: eaque aut per artem, aut per naturam: Secundò, colligit necessitatem subiecti. Primus modus est, cum aliquid fit μετασχηματίσει, *transfiguratione*, vt statua ex ære, cum vid. subiectum transmutatur secundum quartam speciem Qualitatis, formam, & figuram. Quippe metallum V. G. siue fundatur, siue cudatur in statuam, nil aliud acquirit, quàm nouam figuram. Atque hic generationis modus est proprius arte factorum.

VI. Secundus modus est, cum aliquid fit προσθέσει, *appositione*, vt quæ secundum molem excrescunt per appositionem nouæ materiæ. Qui quidem gignendi modus, tam naturalib. quàm artefactis communis est. Et quidem in artefactis, qua si acervo lapidum alios adijcias, aut frumenti cumulo frumentum addas, excrescunt. Est etiam in ijs rebus naturalibus, quæ primo de ort. & inter. dicuntur augeri impropriè, vt ignis augetur appositione lignorum. Postremò est etiam in ijs, quæ propriissimè augentur, cuiusmodi sunt viuentia. Quæ si vera sunt, vt re ipsa sunt, vide, quàm procul a ratione abest expositio Simplicij, Vicom. & Piccolom. supra à nobis relata, quod Stagirites in præcedu. tex. de ijs duntaxat dissereat, quæ simpliciter generantur: Quid verò? Neque ea ipsa, quæ propriissimè augentur, adhuc possunt dici fieri simpliciter. Non enim, puer crescens dicitur simpliciter fieri, sed secundum quid, & maior.

VII. Tertius modus est, cum quippiam fit, ἀφαιρέσει, *ablatione*, seu *subtractione*, ita statuarius ex rudi, & informi lapide sculpendo efficit statuam Mercurij, aut Iouis. Qui quidem modus inuenitur etiam in naturalibus, vt in his, quæ diminuuntur, & labefactantur per separationem alicuius ab ijs.

VIII. Quartus est, cum aliquid fit συνθέσει, *compositione*: sic domus componitur ex lignis, lapidi-

lapidibus ; & cæmentis. Hæc enim componi potius, quàm apponi asserimus, quia quæ sic vniuntur, non præsupponunt aliquid aliud, cui adijciantur, vt fit in appositione : sic in natura quoque componi aliquid dicimus ex materia, & forma, aut ex quattuor elementis.

Quintus deniq; modus est, quando aliquid fit
IX. *ἀλλοιώσει*, *alteratione, vt quæ vertuntur secundum materiam*. Nomen alterationis hoc loco accipitur laxè, prout complectitur alterationem propriè dictam, quæ fit, quando idem subiectum manens sensibiles transmutatur in passionibus contrarijs; aut medijs, quemadmodum traditur in primo de Ort. & Inter. tex. 23. & comprehendit etiam generationem substantialem, quæ quidem ideò ab Stagirite nuncupata est alteratio. Primò, quia generatio substantialis præsupponit, atque concernit alterationem propriè dictam : siquidem non fit generatio sine præeunte alteratione. Secundò, quia quicquid generatur, profectò alteratur substantialiter. Consequenter cum Philosophus ait, quæ fiunt alteratione, *ea verti secundum materiam*, per materiam duo debemus intelligere : nimirum subiectum actu, quod in vera alteratione existit sensibile, vt V. G. cum aqua vertitur ex frigida in calidam : & subiectum potentia, id est materiam primam, quæ in alteratione substantiali mutatur, ac vertitur secundum substantiam de non esse huius rei, ad esse huius rei. Quintus hic generandi modus est solius naturæ : arti enim competere nequit, cum ars neutiquam transmutet materiam : quamquam apprimè iuuet naturam, vt eam transmutet. Ex his habes, omnia, quæ in rerum natura quomodocunque generantur ac fiunt, ea vno aliquo ex his quinque modis generari, ac fieri omninò necesse esse; nec præter hos quinque modos vllus vnquam alius potest excogitari.

His excursis, colligit : *omnia autem quæ fiunt,*
X. *manifestum est, quod ex subiectis fiunt*. necessitatem materiæ hoc pacto. Quæcunque vniuersaliter in mundo fiunt, aut fiunt transfiguratione, aut appositione, aut subtractione, aut compositione, aut denique alteratione, siue secundum qualitatem, siue secundum substantiam. Atqui in omnibus quæ ita fiunt, necessariò substernitur aliqua materia, vt discurrenti per omnes hosce quinque modos manifestè apparet, etenim quæ fiunt transfiguratione, præsupponunt id, quod transfiguratur : ita quæ excrescunt appositione, veluti puer est qui augetur, aut planta, aut aliud quippiam : eodem modo quæ fiunt subtractione, supponunt id, à quo detrahatur : similiter quæ fiunt compositione, prærequirunt ea, quæ componantur : & denique quæ fiunt alteratione, exigunt materiam, circa quam exerceatur alteratio, vel secundum qualitatem, vel secundum substantiam. Quare in omnibus vniuersaliter quæ fiunt in mundo, necessariò supponitur aliqua materia. Ex huc usque demonstratis habes, & necessitatem materiæ, & differentiam inter eam, & priuationem.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 62. & 63.

IN tex. 62. ait, accidentia exigere subiectum, XI.
in quo fiant, *propterea quod sola substantia de nullo alio dicitur subiecto, sed alia omnia de substantia*. Quam rationem ita formauimus. Res ita fit, sicuti est : Accidentia omnia sunt in subiecto : ergo omnia fiunt in subiecto. Quam ita retorqueo. Res ita fit, sicut est : substantia non est in subiecto, vt in hoc ipso contex. & in categor. substantiæ asseritur, quare substantia non fit in subiecto. Quod tamen est contra secundam partem huius tex. cum forma, quæ est substantia, re ipsa fiat in subiecto.

Respond. aliquid non esse sine subiecto, gemino modo contingere. Vno quidem, vt non sit sine subiecto extrinseco, à quo sustentetur, & cui actu existenti superueniat : altero autem, non esse sine subiecto, quod sit pars componens intrinsecè, & essentialiter. Esse in subiecto priori modo, est proprium accidentium; neque vllo pacto competit substantiæ. Posteriori autem modo, substantiæ, id est formæ sunt in subiecto, quod quidem subiectum est materia prima, quam formæ substantialiter informant, & cum qua faciunt composita substantialia. Idcircò in generatione substantiali, substantiæ, id est formæ, exigunt huiusmodi subiectum, in quo, & ex quo fiant. Dico 2. quod substantia completa non est in subiecto, forma autem est in subiecto, quod substantialiter informat.

In eodem tex. ait, *Quòd autem substantiæ, &* XII.
quæcunque alia simpliciter entia, ex subiecto quodam fiunt, &c. Quibus verbis videtur concedere præter substantiam alias res, quæ sint simpliciter entia. Hoc autem impossibile est. Primùm, quia omnia præter vnam substantiam, sunt accidentia, quæ porrò non sunt simpliciter entia, sed entis entia, vt dicitur in quarto Metaphys. tex. 21. Deinde, si præter substantiam dantur alia simpliciter entia, ergo illa etiam fiunt simpliciter, ac substantialiter : Quod autem fit substantialiter est substantia, ergo illa entia simul essent substantiæ, & non essent substantiæ.

Dicunt aliqui, inter quos est Viccomer. per illa verba, *& quæcunque alia simpliciter entia*, denotari ab Arist. artificialia, quæ sunt quædam imitationes substantiarum, & existunt per se, ideòque appellantur simpliciter entia. His non assentior, tum quia artefacta non sunt præsentis contemplationis : tum quia artefactorum effectio est accidentalis, ac proinde artefacta non possunt dici entia simpliciter, sed solum secundum quid.

Auerr. cui adhærent Zabar. & Piccolom. ait,

par.

particulam, Et, non esse coniunctiuam, sed declaratiuam, vt sensus sit, substantiæ, id est, quæcunque alia simpliciter entia. Addunt aliqui, Vel est quidam loquendi modus similis conditionali, qui nihil ponit in esse, perinde ac si diceret Arist. & si quæ alia sunt simpliciter entia.

XIV. Ego existimo, nos haud oportere ad hasce tricas confugere, sed per *substantiam*, hic indicari formam substantialem per *quæcunque alia simpliciter entia*, indicari composita naturalia; quia & ipsa forma, & ipsum compositum fit; & vtrumque fit ex subiecto, siue materia. Hunc sensum indigitat mihi lectio græca, quam in antiquis codicib. lego cum articulo ὅτι δὲ καὶ ἡ οὐσία, καὶ ὅσα ἄλλα ἁπλῶς ὄντα, verte. *Quod autem & ipsa substantia, & quæcunque alia, &c.* Articulus, ἡ, appositus ipsi οὐσία, *substantia* contrahit, & determinat nomen substantiæ ad formam, quæ apud Aristotelem est præcipuè substantia, vt videre est apud eum, tum alibi sæpe, tum præcipuè septimo Metaphys. tex. 8.

XV. Præterea, in eod. tex. ait; Relationem, & Quando fieri: quo fit, vt ad hæc Prædicamenta admittat motum: fienim fiunt, vtique per motum. In quinto autem lib. a tex. decimo ostendit, ad nullum aliud Prædicamentum esse motum, præterquam ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Vnde in tex. 18. ita scribit, *quoniam autem neque substantia, neque ipsius ad aliquid, neque ipsius facere, & fieri, relinquitur secundum qualitatem, & quantitatem, & vbi motum esse solum.*

Adhæc, in calce huius tex. 62. asseuerat, semen esse materiam, ex qua fiunt plantæ, & animalia: In secundo autem lib. tex. 32. semen reponit inter causas effectrices, his verbis, *semen autem, & medicus, & consilians, & omninò faciens, omnes sunt vnde principium mutationis, aut status, aut motus est.*

XVI. Depellitur, prima dub. quia fieri aliquid contingit duobus modis, vel per se, ac primò, vel per accidens, & consequutiuè. Relatio, Quando, & reliqua Prædicamenta præter illa tria, non fiunt primo modo, quia non sunt per se, ac primò termini mutationis, ac motus: fiunt autem per accidens, & per consequutionem, vt in lib. illo quinto explicaui. Arist. autem in præsenti accipit fieri indistinctè, ob id rectè dicit, Relationem, & Quando fieri existente aliquo subiecto: idque rectà cum ratione facit, cum nondum communstrasset, ad quænam Prædicamenta sit per se motus, & ad quæ non.

Pro secunda dub. omninò adeundus est Arist. in primo de Gen. animal. cap. 18. vbi ex instituto inquirit, in quonam genere causæ constituendum sit semen: vtrumnè sit vt materia, & patiens, an vt forma quædam, & agens, an etiam vt vtrumque, de qua se mulus disserui in secundo lib. de Anima, in tract. de sem. Nunc breuiter dicendum, semen habere veluti duplices partes, alias quidem crassiores, ac magis materiatas; alias autem tenuiores ac spirituales. Secundum priores est materia; secundum posteriores est agens, formansque. Hoc itaque diuerso respectu considerat Arist. semen, & propterea hic quidem statuit, esse materiam, ex qua fiunt animalia, & plantæ: in secundo autem Phys. reponit inter efficientia: vtrobique autem rectè.

Quod si dicas; Materia debet in vtroque termino transmutationis permanere: semen autem V. G. equi, aut plantæ, non permanet in equo genito, aut in planta genita: quare semen ineptè statuitur materia.

XVII. Respondeo, quod semen est materia proxima, siue est materia cum propinqua priuatione rei generandæ, de qua re dixi supra in quæst. 3. ad tex. 42. & ex talis materia ponitur hic ab Arist. pro exemplo; sub hac autem ratione materiam non est necesse remanere in termino ad quem; benè autem remanet materia remota, & absolutè. Hæc circa tex. 62.

XVIII. In tex. autem 63. Arist. videtur insufficienter retulisse modos, quibus aliquid fit. Nam in quinto Phys. tex. 9. asserit, quatuor esse species mutationis, sed. in substantia, in quantitate, qualitate, & Vbi. Hoc autem loco recenset solum tres. Nam eam; quæ fit secundum quantitatem, ponit in secundo generationis modo, in quo *sunt* [illegible]: eam autem, quæ fit secundum qualitatem, & substantiam, comprehendit, vt videtur, in quinto modo: de illa autem quæ fit secundum Vbi, ac motum localem, nullum adiecit verbum.

Respond. Arist. hoc loco non agitare sermonem de ijs, quæ mouentur, sed quæ generantur, ac fiunt: longè namque aliud est generari, seu fieri, ac moueri. *Siquidem mouere in plus est ipso facere*, inquit, idem Philosophus in primo de ort. & inter. tex. 45.

Respond. 2. Aristotelem in recensitis illis modis complecti etiam motum secundum locum. Primùm enim manifestum est, ea quæ fiunt per transfigurationem, per appositionem, aut subtractionem artificialem, & per compositionem itidem artificialem, omninò moueri secundum locum. Neque enim quicquam transfigurari, apponiuè, quo aliud excrescat, aut cum alio componi possit, nisi per motum secundum locum. Deinde, etiam ad ea, quæ ex appositione naturali augentur, & ex subtractione naturali diminuuntur, consequitur omninò mutatio secundum locum. Etenim quæ naturaliter augentur ex appositione alimenti, acquirunt maiorem quantitatem, atque adeò maiorem locum; id quod sine motu locali fieri nequit: ita quæ ex naturali subtractione imminuuntur, arctantur ad minorem quantitatem, & angustiorem locum. Iam verò Arist. pergit, cum inquit,

TEX.

TEXTVS LXIV.



Vare manifestum est ex dictis, quod omne, quod fit, semper compositum est, & est quidem aliquid, quod fit: est autem aliquid, quod hoc fit: & hoc duplex: aut enim subiectum, aut oppositum. Dicitur autem opponi immusicum, hominem autem subiici; & infigurationem quidem, & informitatem, vel inordinationem oppositum, as autem, vel lapidem, vel aurum subiectum.

I. Venatus hucusque est duo principia, materiam, & priuationem: nunc animus illi est, venari formam: quinimò ex dictis eam colligere. Et in hoc tex. duo facit. Primò colligit dari formam substantialem: secundò declarat, quomodo materia, & priuatio se habent ad compositionem naturalem.

Primum sic collige. Demonstratum est, in omni generatione requiri materiam: atq; eam post generationem remanere saluam atq; incolumem: ergo si de nouo debet generari aliquid, necessariò præter materiam debet poni aliud, cuius ope, ac beneficio consurga. hæc, aut illa res. Hæc autem est forma substantialis, quæ rebus omnibus elargitur esse: quare si superius dicta vera sunt, necessariò danda est forma substantialis. Porrò hæc forma non præerat in materia, alioquin res generanda esset, antequam generaretur: fit itaque de nouo in materia. Materia autem & forma iunctæ sunt compositum, ergo quod generatur, id omne semper est compositum.

II. Hæc est vis Stagiritæ rationis, quam tamen textui adhærens ita confice. *Omne quod generatur, semper est compositum*; compositum non est materia sola, sed præter eam est etiam aliquid aliud, ratione cuius fit hæc, aut illa res, ergo præter materiam, & priuationem, statuenda est etiam forma. Hæc minor continetur illis verbis *& est quidem aliquid, quod fit, est autem aliquid, quod hoc fit*. est aliquid quod fit, vid. forma, quæ prius non erat, & postea fit: est autem aliquid, quod fit hoc, scil. materia, quæ non fit simpliciter, sed fit hoc, V. G. fit lignum, equus, homo, quod prius non erat: fit autem lignum, aut equus, accepta forma ligni, aut equi.

At verò quia superius dixerat, materiam, & priuationem esse numero vnum, posset quispiam quærere, totumne hoc vnum, & conflatum ex materia, & priuatione est id, quod fit hoc, vel illud, an non? & quomodo?

Occurrit, *& hoc duplex; aut enim subiectum, aut oppositum*. Hoc, inquit, vnum duplicem habet rationem: habet rationem subiecti; habet etiam rationem oppositi, seu priuationis. Quod illustrat exemplis: nam immusicum, infiguratio, informitas, & inordinatio sunt priuationes. Homo autem, qui ex immusico euadit musicus, & æs, & lapis, & aurum, ex quibus fiunt res artefactæ, sunt subiecta. Itaque illud vnum non fit hoc, aut illud, prout est oppositum, & priuatio, quia hæc priuatio per aduentum formæ euanescit, sed fit hæc, aut illa res, prout est subiectum.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 64.

IN verbis Auctoris statim videtur aperta repugnantia: Primò ait, *omne quod fit, semper esse compositum*: deinde iisdem mox verbis subnectit de forma, quod ea etiam fit. *& est quidem aliquid, quod fit*. His enim verbis intelligit formam, vt nuper exposui. Quod si omne quod fit, semper est compositum, profectò aut forma dicenda erit compositum, cum ea etiam dicatur fieri, aut falsum est, omne quod fit, semper esse compositum. III.

Deinde, propriè loquendo sola forma videtur fieri, non verò compositum: Nam illud propriè fit, quod nunc est, cum antea omninò non esset. Id verò in solam formam cadit: etenim cum generatur V. G. ignis, sola forma ignis ita fit, vt nunc sit, & nihil omninò eius fuerit prius: compositum autem, vid. ignis est quidem etiam ipsum nunc, sed tamen aliquid illius fuit prius, vid. illius materia, ergo propriè loquendo sola forma fit, ac proinde male dicit Auctor, *omne quod fit, semper esse compositum*.

Accedit, quod auctore eodem Philosopho in tex. 62. etiam res cæterorum Prædicamentorum, videlicet accidentia, fiunt: ait enim quod *& quantum, & quale, & ad alterum, & quando, & vbi fiunt subiecto aliquo* existente. Hinc in duodecimo, Metaphys. tex. 26. ostendit, principia generationis esse communia etiam accidentibus. Atqui Accidentia non sunt composita, sed formæ simplices, quare non *omne, quod fit*, semper est compositum.

IV. Ad 1. respond. Qui verba Stagiritæ non oscitanter leget, animaduertet in iis luculentam differentiam inter effectioné compositi & formæ. Nam de composito absolutè, ac sine vlla limitatione ait, quod fit, *esse compositum*: de forma autem addit limitationem τῷ ἔστι μὲν τί τὸ γιγνόμενον. *& est quidem aliquid, quod fit*. Modo fieri absolute, & fieri aliquid, longe inter se existunt diuersa, enim in hac secunda propositione, hoc solum significetur, quod forma, quæ de nouo fit, est aliquid, quod verissimum est.

Ad 2. respond. per generationem vtrumque & formam, & compositum fieri, sed illa fit vt quo: hoc autem vt quod. Illa est terminus formalis generationis, & ordine exsequutionis primus, qua ratione Arist. in secundo Physic. auscult. tex. 14. formam indicat terminū generationis, dum ait, generationē esse *viā ad naturā*, id est ad formā, compositū autē est V.

Digitized by Google

eiusdem generationis terminus completus, adæquatus, & ordine intentionis primus; quia vt legimus in secundo de Anim. tex. 34. vnum quodque per generationem *intendit facere aliud quale ipsum, animal quidem animal, planta autem plantam.* Et quamuis hoc modo vtraque fiant, nihilominus, quod propriè fit, est compositum: quia illius est propriè fieri, quod propriè est, & existit: Propriè autem est, & existit solum compositum, cum id solum sit substantia completa, & hoc aliquid; forma autem neque per se est, neque per se existit; sed ratione compositi. idcircò propriè, & absolutè compositum solum fit, quemadmodum in principio huius tex. asseritur. Cæterum quonam pacto sit terminus generationis forma, & quo ipsum compositum, declaraui multis in primo de ort. & inter.

VI. Quare ad argumentum neganda est minor, nam compositum ita nunc est, & ita nunc existit, vt nihil eius extiterit prius, etenim materia, quæ nunc est in hoc, antequam isthuc generaretur, non erat materia huius. De forma etiam dic, quod nihil eius erat antea actu: erat tamen tota forma in potestate materiæ.

Eodem tenore depellitur 3. Simplices accidentium formæ propriè non fiunt, sed concreta accidentalia fiunt, vt ostendit Philosophus in septimo Metaphys.

TEXTVS LXV.



Anifestum igitur, (quod si quidem, sunt causæ, & principia eorum, quæ natura sunt, ex quibus primis sunt, & facta sunt, non secundum accidens, sed vnumquodque, quod dicitur secundum substantiam) quod omne, & ex subiecto, & forma fit: componitur enim musicus homo ex homine, & musico quodammodo:
I. *dissolues enim rationes in rationes eorum.*

Enucleauit hucusque tria principia τῶν φύσει γιγνομένων, eorumque natura fiunt. Nunc consiliũ eius est considerare, quomodo illa se habent, tum ad compositum naturale, tum inter se. Ostendit autem in hoc tex. materiam, & formam esse principia per se rei genitæ; in tex. autem seq. aperit, quomodo priuatio non est principium per se, sed solum per accidens eiusdem rei genitæ. Vnde apparet etiam quædam comparatio inter ea
II. ipsa principia.

In hoc itaque tex. ponit conclusionem, & eam probat. Conclusio talis colligitur. Manifestum est, quod omnia, quæ natura constant, idest composita naturalia, fiunt ex subiecto, & forma, non secundum accidens, sed per se. Hanc conditionem, per se explicat Arist. per illa verba, *non secundum accidens; sed vnumquodque, quod dicitur secundum substantiam*: hæc enim opponit illis, *non secundum accidens*. Vel ita potest efferri conclusio. Manifestum est, quod materia, & forma sunt causæ, & principia per se omnium eorum, quæ natura sunt.

Cuius probatio subiungitur, *si quidem sunt causæ, & principia eorum, quæ natura sunt, ex quibus, &c.* Si illæ sunt causæ, & principia non secundum accidens, sed per se alicuius rei, ex quibus primis res illa constat, & facta est, profectò materia, & forma erunt causæ, & principia non secundum accidens, sed per se compositorum naturalium. Cur? quia hæc componuntur ex materia, & forma, vt ex primis. Sicut *homo musicus componitur quodammodo ex homine, & musico*: sed prima propositio est vera, ergo & secunda. III.

Aduerte, initium, tex. *manifestum igitur*, quod coniunge cum illo: *omne ex subiecto, & forma fit*: intermedia autem verba lege per parenthesim. Deinde, malè translatum est, *quod omne ex subiecto, & forma fit*, græcè ὅτι γίγνεται ἅπαντα ἔκ τε τοῦ ὑποκειμένου, καὶ τῆς μορφῆς. est atticismus: quare dic: *omnia ex subiecto, & forma fiunt*. Item, vox illa, quod, cum ait, *quod omnia, &c.* est auferenda, ita etiam aufer in græc. ὅτι. Nam in principio tex. dixit φανερὸν &c. *manifestum quod*, a quo pendet illud, *omnia ex subiecto, &c.* Præterea, profert propositionem cum conditione, *si quidem sunt causæ, & principia eorum, &c.* non quod dictio, *si*, accipiatur pro quia, vt aliqui somniant, inter quos est Zabar. sed Arist. ita loqui consueuit, dum effert aliquam sententiam de se conspicuam, & ab se alijs in locis probatam. Res clarior est, quàm vt exigat probationem. Adhæc, meritò dicit, *ex quibus primis*, tum quia materia, & forma sunt partes essentiales corporum; Partibus verò essentialibus nihil est prius. Tum etiam, quia composita naturalia constant etiam ex accidentibus, sed non vt ex primis: Postremò, ait, ex quibus primis εἰσί, καὶ γεγόνασι, *sunt, & facta sunt*, id est, ex quibus constant, ac componuntur, cum iam sunt: & ex quibus etiam fuerunt facta. Quasi dicat, ex quibus primis inexistentibus nunc, cum sunt, constant: ex quibus etiam primis, cum fierent, fuerunt facta. quare.

Integra Stagiritæ ratio sic clarius formatur: Illæ sunt causæ, & principia per se alicuius rei, ex quibus primis res illa, quando est, constat non secundum accidens, sed essentialiter, & ex quibus itidem primis facta est, cum fieret itidem non secundum accidens, sed essentialiter. Atqui corpora naturalia quando sunt, constant non secundum accidens, sed essentialiter ex materia, & forma, vt ex primis, & quando, fiunt, eodem modo facta sunt ex iisdem, ergo materia, & forma sunt causæ, & principia corporum naturalium per se. IV.

Mino.

Minorem probat exemplo, & ratione. Exemplum est. *componitur enim musicus homo ex homine, & musico quodammodo.* Dicit, quodammodo, quia hoc aggregatum, homo musicus, haud est ex materia prima, & forma substantiali velut ex primis. Ratio verò est. *Dissolues enim rationes in in rationes illorum.* Sic forma; Ex ijs aliquid fit, & componitur tanquam ex causis, & principijs primis, in quæ resoluitur: Compositum naturale resoluitur in materiam, & formam, tanquam in causas, & principia prima: quare ex his fit, & componitur, vt ex causis, & principijs primis.

V. Perpende, quod Auctor non dicit; compositum naturale dissolui, seu resolui in materiam, & formam, sed *sed dissolui rationes*, videl. ipsius compositi, *in rationes eorum*, idest materiæ, & formæ.

Pro cuius rei intelligentia scito, resolutionem geminam esse. Hanc quidem per naturam: Hanc autem per intellectum. Resolutio naturalis est, cum quippiam resoluitur in sua componentia, quæ per se, & separata existunt. Quo pacto homo V.G. aut bos resoluitur in carnes, ossa, neruos, idq; genus alia: vel cum aliquod compositum resoluitur in quatuor elementa; quæ porrò resolutio propterea appellatur naturalis, quia natura ipsa resoluit, ac segregat vnum ab alio. Resolutio verò per intellectum est, cum per intellectum aliquid diuidimus in ea componentia, quæ per se, ac seiuncta cohærere, atque existere haud queunt. Sic dissoluo hominem in animal, & rationale; aut in materiam, & formam; & si vis, resoluo hominem musicum in hominem, & musicum. Qua quidem in re intellectus in eo naturam exuperat, quòd potest mul a seiungere apprehendendo seorsim vnum sine altero: & rationem vnius sine ratione alterius. Cum itaque materia, & forma per intellectum duntaxat possint ita diuidi, non enim separatæ ab inuicem valent vnquam existere, summa cum ratione Auctor ait, rationes compositi *dissolui in rationes illarum*:

TEXTVS LXVI.



Anifestum igitur est, quòd (quæ fiunt, fient ex his: est autem subiectum numero quidem vnum, forma verò duo: homo enim & aurum. & omninò materia numerabilis: nam hoc aliquid magis, & quod fit, non secundum accidens ex ipso fit. priuatio autem, & contrarietas accidens, vnum autem forma, vt ordo, aut musica, aut aliorum aliquid sic prædicantium.

I. Posset quispiam ab Stagirite sciscitari. Constituisti materiam, & formam esse causas, & principia per se eorum, quæ natura constant: de priuatione quid dicis? estne hæc quoque causa, & principium per se compositi naturalis, an non? Et posset etiam adducere huiusmodi rationem, quia in tex. 60. constitutum abs te est, priuationem esse vnum numero cum materia, sed materia est causa, & principium per se rei genitæ quare & priuatio erit causa, & principium per se eiusdem rei genitæ; alioquin vnum atque idem numero esset causa, & principium per se, & simul non esset. Iccircò explicat in hoc tex. quomodo priuatio se habet ad materiam, & quomodo ad compositum naturale, vnde etiam apparebit comparatio inter dicta tria principia.

Ait itaque, subiectum siue materiam, & priuationem numero quidem esse vnum, quemadmodum in tex. illo 60. diximus: at forma, siue essentia, ac definitione esse duo. iccircò licet materia ingrediatur compositionem rei naturalis, ideoque statuatur eius principium per se, non propterea sequitur, vt priuatio quoque eodem modo concurrat ad compositionem eiusdem compositi propter dictam distinctionem. II.

Quod autem materia, & priuatio ratione, ac definitione sint duo, ac diuersa, probat tripliciter. III.
Primò, quia *homo, & aurum, & omninò materia est numerabilis*. Materia est aliquod ens reale, vnde potest numerari inter entia: priuatio autem formaliter accepta, non est aliquid reale, nec inter entia potest numerari, ergo &c. Vide, quod cum attulisset exempla de homine, & auro, quæ sunt materia secunda, sensibilis, & ens actu, vt indicaret, se loqui de omni materia, occultè adiungit, *& omninò mat ria*. perinde ac si dicat, non modo materia secunda, homo, aurum, lapis, &c. verùm etiam materia prima est numerabilis, atq; ens reale; cuiusmodi non est ipsa priuatio.

Probat secundò, *nam hoc aliquid magis*. Materia est magis hoc aliquid, quam priuatio. Quæ verba primò expono absolute sic. Materia est hoc aliquid, nempe substantia: priuatio non est hoc aliquid, & substantia: ergo differunt. Deinde, comparatiue cum priuatione. Materia est magis hoc aliquid quàm sit priuatio, quia vt dicitur in tex. 79. materia est prope, & quodammodo substantia, priuatio autem nullo pacto: ergo magis illa est hoc aliquid, siue aliquid, quàm ista: differunt ergo. IV.

Tertio, & *quod fit, non secundum accidens ex ipso fit*. Res genitæ non fiunt ex materia secundum accidens: dicitur enim in definitione materiæ in tex. 82. eam esse primum subiectum, *ex quo fit aliquid cum insit non secundum accidens*. Hoc autem non cadit in priuationem quare materia, & priuatio sunt duo, ac diuersa ratione, & definitione. Duæ istæ vltimæ rationes possunt etiam esse probationes illius propositionis, quod *materia est numerabilis*, & aliquod ens reale; tum quia est magis hoc aliud: tum quia ex ea res fiunt non ex accidente, sed vt ex vera, & componente parte. V.

Secũdo loco subiungit de priuatione. priuatio autem VI.

tem & contrarietates accidens. Dupliciter expono. Primò, ita vt accidens hic significet per accidens, Sine secundum accidens: quia hæc vox debet ex aduerso respondere illis verbis paulatis de materia, *& quod fit non secundum accidens ex ea fit*: ita vt quod ibi de materia affirmauit, id hic neget de priuatione. Ex quo vlterius efficitur, vt quemadmodum materia est principium per se rei genitæ; sic e regione priuatio fit principium eiusdem rei non per se, sed per accidens.

Secundò expono, eadem verba, vt in tex. iacent *priuatio autem est accidens*, nimirum est accidens respectu materiæ. etenim hæc, aut illa priuatio adest, & abest à materia incolumi, prout hæc aut illa forma aduenit, aut recedit ab eadem materia. Ex quibus omnibus sic perstringe. Vnumquodque ita est principium entis naturalis, sicuti est ens. Materia, & forma per se sunt entia, ergo per se etiam sunt principia entium naturalium: priuatio autem per se non est ens, & est solum quoddam accidens respectu materiæ, priuatio itaque et it principium entis naturalis non per se, sed solum per accidens.

VII. Postremò annectit, *vnum autem forma, vt ordo, aut musica, aut aliorum aliquid quæ sic prædicantur*, male aliquid cod. latin. habent, *aliquid sic prædicantium*, græcè τῶν οὕτω κατηγορουμένων verte, *quæ sic prædicantur*. Quæ verba etiam dupliciter expono. Primò, dixerat alterum ex principijs per se, idest materiam esse numero quidem vnum, ratione autem ac definitione duo ne quispiam existimaret, etiam alterum principium per se, quæ est forma, eodem modo esse numero quidem vnum, ratione autem, ac definitione duo, propterea dicit, *forma est vnum*, id est, verè & omnino vnum & non vt materia. Secundo expono: Dixit in prima parte tex. materiam esse numerabilem,

VIII. At quæreret aliquis, à quo ergo sit actu numerata? Respondet, fieri à forma, *quia hæc est verè & propriè vnum*. nam vt dicitur in tex. 69. huius lib. & in secundo de Anim. tex. 7. *vnum, & ens cum multipliciter dicatur, quod propriè est, actus est*. Et hoc illustrat exemplis, vt ordo, de quo sæpe superius, & præcipuè in tex. 46. dictum est, aut musica, aut aliquid eorum *quæ sic prædicantur*, quæ hoc modo sunt rerum formæ, & actus, nam vnaquæque res à sua forma sortitur vnitatem tum naturæ, tum definitionis.



TEXTVS LXVII.



Vocirca est quidem vt duo dicenda sint principia, est autem vt tria, & est quidem vt contraria, vt si aliquis dicat musicam, & immusicum, aut calidum, & frigidum; aut congruens, & incongruens; est autem vt non: à se inuicem enim contraria pati impossibile. Soluitur autem & hoc; propterea quod aliud est subiectum, hoc enim non est contrarium. Quare neque plura contrarijs principia quodammodo, sed duo (vt sic dicam) numero neque iterum penitus duos; propterea quod alterum est esse ipsis, sed tria. alterum enim est hominem, & non musico esse, & infigurato, & æri.

Doctrinam aliquam tum demum rectè constitutam censemus, cum ex ea tolluntur difficultates, quæcunque circa eandem ipsam oriri queunt. Sic in præsenti se habet res. Excitauit Philosophus nonnullas dubitationes circa naturalium principia; & quidem à tex. 41. & inde, vtrum contraria essent principia necne. Deinde in tex. 51. & 52 vtrum duo sola contraria sufficerent, an verò ijs supponendum sit aliud tertium. Postea perfecit suam sententiam: nunc in hoc contex. determinat, quo pacto intelligendæ, ac diluendæ sint præfatæ dubitationes. I.

Primò autem diluit secundam dubitationem, imò ex dictis colligit solutionem dum ait *quocirca est quidem vt duo dicenda sint principia, est autem vt tria*.

Principia secundum vnam rationem asserenda sunt tantum duo; secundum aliam tria. Sunt duo, iuxta distinctionem numericam; iam enim patefactum est in tex 60. & 66. materiam, & priuationem numero esse vnum: sunt autem tria, si illorum rationes spectemus, siquidem in ijsdem contextis, demonstratum etiam est, materiam, & priuatione, esse ratione, ac definitione diuersa. Item, principia per se sunt tantum duo, id quoque ostensum in tex. 65. quod sola materia, & forma sint principia per se: sunt autem tria, si absolutè accipiantur principia, siue per se, siue ex accidente: etenim priuatio est principium tantum per accidens rei genitæ, quemadmodum in tex. 66. fuit determinatum. Adhæc, principia rei genitæ sunt tantum duo: principia autem generationis sunt tria, vt eadictia etiam apparet. *Sic ergo est vt duo dicenda sint principia, est autem vt tria*. II.

Deinde deluit primam difficultatem, idest, vtrum principia sint contraria, & ait, vno modo spectata esse contraria, alio autem non esse contraria. Priorem partem illustrat exemplis, dum III.

dum subnectat *vt si aliquis dicat, musicum, & immusicum, aut calidum, & frigidum, aut constructum, & inconstructum*. quibus exemplis retro non semel vsus est sex ad declarandum, hæc ipsa principia contraria, formam, & priuationem. Posteriorem autem partem probat, *& si enim multa contraria pati impossibile est*: quæ est ratio posita etiam in tex. 51. ad ostendendum, duo sola contraria haud esse principia, & à nobis, hoc pacto eo loci confecta est. Principia, ex quibus debet fieri generatio, & corruptio debent esse talis conditionis, vt possint inter se habere actionem, & passionem; cum generatio, & corruptio minimè fiant sine actione, & passione: At duo sola contraria non possunt habere inter se actionem, & passionem: ergo &c. Hanc rationem innuit in præsenti, dum ait, *soluitur autem & hoc, propterea quod aliud est subiectum, hoc enim non est contrarium* Depellitur, inquit, illa difficultas, quia subiectum est aliquid aliud à contrarijs: quod ab vtroq; contrario patitur successiuè, & sic fit actio, & passio, & omninò generatio, & corruptio.

IV. Concludit, *quare neq; plura contrarijs principia quodammodo &c*. Sensus est idem ac nuper appositus, sed duplici limitatione arctatus. Dicendum, inquit, est, principia haud esse plura quàm sint duo contraria: At quæ vnquam sunt hæc? Vnum est forma: Alterum est aggregatum ex materia, & priuatione existente vna numero cum materia. Quare principia secundum numericam, ac realem distinctionem sunt tantum duo: & ea hoc pacto contraria. Verum quoniam illud aggregatum ex materia, & priuatione melius exprimitur per materiam, cui annexa sit priuatio, quàm per priuationem quæ secum trahat materiam (quo fit vt hoc conflatum non censeatur contrarium formæ, cum materia non sit contraria formæ) ob id adhibet duplicem limitationem. *Quodam modo*, & *vt ita dicam*. & statim quasi corrigens subnectit, *neq; iterum penitus duo*, nihilominus absolutè loquendo, principia non sunt penitus duo; quia alia est ratio & essentia materiæ, alia priuationis, vt aliud est *esse homini, & æri, aliud immusico, & infigurato*.

TEXTVS LXVIII.

QVol igitur principia sint rerum naturalium quæ circa generationem, & quomodo tot, dictum est. Et manifestum est, quod oportet subijci aliquid contrarijs, & contraria duo esse, quodam autem modo alia non necessarium est: sufficiens enim erit alterum contrariorum absentia, & præsentia facere mutationem.

I. Tria facit. Primò, colligit per epilogum, quæ de principijs hucusq; edisseruit: Secundò, cursus reculcat eundem numerum principiorum: Postremò, explicat quomodo forma cum materia sufficiat pro mutatione.

Ait itaq; dictum est, quotnam sint principia τῶν περὶ γένεσιν φυσικῶν. *earum rerum physicarum, quæ sunt circa generationem*. & præterea, *dictum est, quomodo tot sint*. omnia ad satietatem clara.

At continere se nequit, quin subdat. *Et manifestum est, quod oportet subijci aliquid contrarijs: & contraria duo esse*. Hoc etiam haud semel recalcatum.

II. Sequitur, *quodam alio modo non necessarium est, sufficiens enim erit alterum contrariorum absentia, & præsentia facere mutationem*. Quæ quidem verba haud video, quisnam interpretum penitus introspexerit. Philoponus, Simplic. Auerr. Piccol. celiqui omnes exponunt, quod Arist. asserat, quodammodo non esse necessarium ambo contraria statuere principia. Quod ita? quia satis est alterum id est vnum contrariorū, nimirum forma, quæ sui absentia interitum, sui præsentia ortum constituat. Hinc D. Thom. ita scribit. *aliquo modo alterum contrariorum non est necessarium ad generationem sufficit enim alterum quando facere mutationem absentia sua, & præsentia*. Dum torquentur ijdem interpretes explicare, seu potius implicare, quod si alterum dumtaxat contrariorum sufficiat pro celebranda generatione, superuacaneè igitur intruditur alterum, id est priuatio.

III. Quæ omnia procul ab Authoris mente, absunt qui sua lingua sic loquitur. τρόπον δέ τινα ἄλλον οὐκ ἀναγκαῖον. est atticismus & intelligitur præpositio κατὰ. vnde clarius sic verte, *secundum aliquem autem alium modum, non est necessarium &c*. quæ verba pendent ex proximè praeced. & sensus est. Hoc pacto, sicut nos diximus, sunt statuenda principia: duo vid. contraria, quæ vicissim succedant, ac veluti agant, & vnum quod illis subijciatur, & patiatur: & non est necessarium ea ponere secundum aliquem alium modum, quemadmodum intrudebantur ab alijs, præsertim verò à Platone asserente, vnum principiorum agere, & duo pati

vt in

vt in tex. 55. fuit dictum.

IV. Quod autem ille dicendi modus, vid. vnum illud substerni contrarijs, ac pati, contraria autem esse duo, & successiue veluti agere, sit melior, probat; *quia alterum contrariorum sufficiens est præsentia facere mutationem*, Ante omnia, per alterum contrariorum, non intelligo vnum contrariorum, id est solam formam: sed modus ipse loquendi significat, vel vnum, vel alterum contrarium, id est vel formam, vel priuationem, & sensus est, quod vnum ex his duobus contrarijs, præsens in materia sufficiens est facere generationem, & absens, sufficiens itidem est, facere corruptionem, & contra V. G. forma præsens in materia facit generationem, absens ab eadem facit corruptionem. Sic è regione priuatio, præsens facit corruptionem, absens ab eadam materia facit generationem.

V. Hinc conspicuè vides, quomodo nunquam Aristoteli in mentem venit asserere, priuationem haud esse necessariam ad generationem, & solam formam sufficere, vt habet communis huius loci interpretatio: Nugæ itaq; sunt, quæ à quibusdam recentioribus huc congeruntur, quod forma quidem potest sua præsentia, & absentia facere mutationem non autem priuatio; quia non datur absentia priuationis, cum ipsa priuatio sit absentia formæ; & alia id genus figmenta inania.

TEXTVS LXIX.



Vbiecta autem natura scibilis est secundum analagiam: vt enim ad statuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliud aliquid habentium formam materia, & informe se habet, priusquam accipiat formam, sic hæc ad substantiam, & hoc aliquid, & quod est sè habet. Vnum igitur principium hæc, non sic vnum existens, neq; sic ens, vt hoc aliquid: vnam autem ratio; amplius autem contrariorum huic Priuatio.

I. Patefacto numero principiorum, tum conditione, & differentia inter materiam, & priuationem posset quispiam quærere, ecquo vnquam modo, in cognitionem materiæ primæ deuenisti? dic age, vt nos quoq; eadem methodo innixi, eadem valeamus cognoscere? propterea in hoc tex. tradit modum cognoscendæ dictæ materiæ. Et in tex. duo facit. Primò, ponit conclusionem. Secundò, colligit numerum eorundem principiorum.

Conclusio est. Materia prima est cognoscibilis per analogiam. Quam quidem analogiam non rectè exponunt D. Thom. opuscul. 32. & Scot. in 2. distin. 12. quæst. 1. quod sit habitudo materiæ ad formam, quia, inquiunt, materia non cognoscitur nisi per formam, cum ex nono Metaphy. tex. 20. forma & actus sit principium cognoscendi aliquid; atq; ideò hæc habitudo dicatur analogia, Quorum expositio approbanda non est, quia analogia non est inter duo tantum, sed necessariò ad minus exigit quatuor terminos: icircò nulla potest esse analogia materiæ præcisè ad formam, sed habitudo quam materia dicit ad formam propriè dicitur ratio.

Pro cuius intelligentia accipe ex Euclide lib. quinto Element. quod aliud est ratio, aliud analogia, aliud commutata proportio; vnde postea nascitur metaphora. Ratio est mutua habitudo duorum ad inuicem, vt dum comparo duo ad quatuor: aut quatuor ad octo. aut quinq; ad decem, habitudo quippe duorum ad quatuor, aut quatuor ad octo est tanq simplex ad duplam. Inter hasce duas habitudines consurgit postea analogia, quod sicut se habent duo adquatuor, ita quatuor ad octo. Hinc ab eodem Euclide, analogia definitur, quod sit *identitas rationum*: Commutata autem proportio est etiam inter quatuor: per quam quidem inferimus, quod sicut se habet primum ad tertium ita secundum ad quartum. Sic ergo materiam cognosci per analogiam, haud est cognosci per habitudinem ad formam quia hæc est ratio, non analogia. II.

Nunc vide, quomodo Stagirites ad explicandam analogiam, per quam materiam primam deprehendimus, accipit quatuor terminos: vid. materiem artificialem, & compositum artificiale, veluti æs, & statuam, aut lignum, & lectum: tum materiam primam, & compositum naturale, & ait, quod *vt se habet ad statuam æs, aut ad lectum lignum aut ad aliud aliquid habentium formam, materia, & informe, priusquam accipiat formam, sic se habet hæc*, id est subiecta natura, & materia prima, *ad substantiam, & hoc aliquid, & id quod est*. Illis verbis, *aut ad aliud aliquid habentium formam &c.* breuitate affectat copiam: indicat quippe id idem alijs quoq; exemplis compositorum artefactorum vniuersè posse comprobat, seu argenti ad phialam, lignorum ad nauim, terræ ad vasa, &c quæ omnia existunt denudata formis artificialibus, & vt Auctor loquitur, *sunt informia, priusquam accipiant formam*. III.

Per illa autem, *ad substantiam, & hoc aliquid, & id quod est*: nihil aliud intelligit tralata communem omnium interpretationem, quàm compositum naturale. Constitutio in promptu videtur quod Aristoteles de artefactis loquens, materiam artificialem referebat ad compositum artificiale, loquens, *vt æs ad statuam, aut lignum ad lectum*, ergo si vult seruare identitatem rationum, & analogiam, debet etiam in naturalibus referre materiam primam ad compositum naturale: secus haud vnquam seruaretur proportio, seu analogia. & sententia esset apertè falsa. Per substantiam itaq; indicat substantiam compositam directè in Prædicamento collocatam: quæ cum sit aliquid complectum, dicitur *hoc aliquid*, quasi digito possit ostendi, vt

di, vt explicatur in Categ. Subst. & hoc vlterius declaratur, esse *id quod est*, quia composita sunt ea, quæ & generantur, & existunt.

IV. Do alteram huiusce loci expositionem, quod per *substantiam* hoc loco non denotet compositum naturale, sed formam substantialem, quam sexcentis in locis absolutè nuncupat substantiam: per subsequentia autem verba, *& hoc aliquid, & id quod est*, indicet compositum naturale. Verùm tunc debet fieri duplex analogia: Vna inter materiam artificialem, & compositum artificiale, & inter materiam primam, & compositum naturale: Altera, inter materiam artificialem, & formam artificialem, & inter materiam primam, & formam substantialem. Quæ expositio mihi videtur certissima. Primùm, quia alias Philosophus redundaret in verbis: ad quid enim inculcaret tria illa, *substantia, & hoc aliquid, & id quod est*, si vnum sufficeret? Deinde, Mihi videor vtramque præfatam proportionem, & analogiam in verbis Aristotelis videre. Nam in artificiosis expressit primam, inquiens, *vt æs ad statuam*: sed expressit etiam secundam, vid. materiæ artificialis ad formam artificialem: dum subnectit, *& informe se habet priusquam accipiet formam*. Hic fit comparatio materiæ secundæ informis non ad compositum, sed ad formam artificialem, sic itaque etiam fit duplex analogia materiæ primæ, scilicet ad compositum naturale, quod propriissimè dicitur *hoc aliquid, & id quod est*, & ad formam substantialem, quæ vocatur *substantia*. Et tu considera etiam copulatiuam illam, *ad substantiam, & hoc aliquid*.

V. Deinde, colligit illa ipsa iam patefacta principia. Ac primò materiam, quam ait non esse *ita vnum, neque ita ens, vt hoc aliquid*. Quod vel ex eo probari potest, quia illud quod suapte natura non est actus, neque ens actu, sed solum potentia, non est vnum, neque ens vt hoc aliquid: Materia de sua natura non est actus, neque ens actu, quare non est vnum, neque ens vt hoc aliquid. Maior habetur apud Aristotelem, cum sæpè alibi, tum in secundo de Anim. tex 7. quo loci legimus, quod *vnum, & ens, cum multipliciter dicatur, quod propriè est, actus est*. Minor autem vel ex hoc tex. 69. est conspicua, quia si materia prima perinde se habet ad formam, & compositum naturale, ac se habet materia artificialis ad formam, & compositum artificiale: profectò quemadmodum ista est mera potentia ad huiuscemodi formas, atque composita, sic erit materia prima mera potentia:

Secundò effert formam, quam vocat rationem, Primò, quia forma est ratio, per quam compositum est id, quod est. Secundo, quia est illud, quod eligitur esse rei; & est essentia compositi, & quæ explicatur per definitionem, definitio autem vocatur ratio. Tertiò, quia est ratio, & causa proprietatum compositi, quæ ex ea dimanant.

Postremo, colligit priuationem, quam appellat formæ contrariam.

Adnotationes, & difficultates. Circa tex 69.

VI. Circa conclusionem Philosophi acris est disceptatio inter D. Thomam, & Scot. vtrum vid. materia cognoscatur solum per analogiam, an etiam secundum se possit terminare actum intellectionis, de qua re ex instituto edisseram in tract. de materia. Interea scito, quod in vniuerso sunt duo extrema, Vnum est purus actus, Alterum pura potentia. Illud est Deus, hæc materia prima: Illum esse inuenimus per motum, vt facit Arist. in oct. lib. hanc autem venamur per transmutationem substantialē, vt hic idē Autor deprehendit cū in hoc lib. Scire autem quid, & quale sit vtrumque hoc extremum est cognitu difficillimum, & quidem Deus propter imbecillitatem nostri intellectus, qui respectu illius se habet *veluti oculus nycticoracis ad lumen diei*, ex secundo Metaphys. tex. 1. Materia autem prima propter exilem & humilem sui conditionem, qua vix *est prope, & quodammodo substantia*, iuxta tex. 79. huius lib. quinimo est prope ipsum nihil.

VII Hinc duplici potissimum via cognoscimus quid, & quale sit tam Deus, quàm materia prima, vid. per negationem, & per analogiam. Et quidem per negationem, quia, vt Theologorum Princeps Augustinus loquitur, *Deus melius scitur, nesciendo*. Et Timæus apud Platonem interrogatus à Socrate *quid esset Deus*, respondet, *quid non sit, scio; quid autem sit, ignoro*. Eodem pacto materia in septimo Metaphys. tex. 8. & lib. dec. tex. 24. dicitur quod *per se ipsam neque est quid, neque quantum, nec aliquid aliud, quibus ens determinatur*. Et Plato in Timæo de materia hæc scribit. *Quamobrem Vniuersi, quod & genitum est, & sensibus omnibus manifestum, matrem ipsam receptaculumque, neque terram, neque aerem, neque ignem, neque aquam esse dicamus, neque rursus ex his aliquid constitutum, aut aliqua ex quibus propriè hæc ipsa subsistunt, sed inuisibilem potius speciem quandam, & informem sinum omnium capacem &c.*

At verò magnum intercedit discrimen inter negationem, qua Deum cognoscimus, & qua materiam primam. De Deo asseueramus, quod Deus non est elementorum, non lapis, non arbor, non leo, non homo, sed est aliquid hisce longa intercapedine perfectius, Ita non est coelum, non anima, non Angelus, sed supra hæc omnia. De materia autem opposito modo progredimur. Materia non est Angelus, non anima, non coelum, non homo, non bos: non lignum, non terra, sed est aliquid infra hæc omnia. Atque hoc est quod aliqui dicunt, modum cognoscendi per negationem posse tum perfectionem, tum imperfectionem denotare. Porrò hic modus per negationem cognoscendæ materiæ est proprius Metaphysico, quia cognoscere, an materia sit ens, an substantia, an quantum, an quale; & vniuersè an sit aliquod ex Prædic. profectò Metaphysic. partes sunt; qui suo quodam iure per hæc genera spatiatur. Quocirca cognoscere etiam quid

mate-

materia non sit, ad eundem ipsum pertinebit, cum opposita ad eandem scientiam attinent.

VIII. Alter modus cognoscendi est per analogiam. Et quidem de Deo dicimus, Quemadmodum Rex in suo regno vnus regit, sic Deus in vniuerso. Hinc in fine lib. duodec. Metaphys. *entia nolunt malè disponi; vnus ergo Rex*. Vel quemadmodum illa Phidiæ statuarij effigies tali artificio erat in medio scuto Mineruæ coagmentata, ac deuincta, vt refert Auctor libri de Mundo ad Alex. cap. 6. *vt si quis ipsam inde eximere cuperet, minimè posset, alioqui certè, quàm vt ipsum solueret simulachrum, opusq; eiusmodi compactile confunderet; hanc eandem rationem Deus habet in mundo, vt potè qui vniuersorum coagmentationem cohærentem cohibeat, & coarctet, incolumitatemq; vniuersitatis conseruet.*

Eodem pacto materia cognoscitur per analogiam, & quidem ex varia proportione. Primò, ex materia artefactorum, quod sicut se habet æs ad formam statuæ, & ad ipsam statuam, & lignum ad formam lecti, & ad ipsum lectum, sic materia prima ad formas substantiales, & ad composita naturalia. Secundò, ex loco, quod quemadmodum se habet locus ad locatum, ita materia ad formam substantialem, vt ait Plato in Timæo. Tertiò, ex matre, quod quemadmodum ex gremio matris prodit proles, sic è sinu materiæ forma. Hoc sensu materia in tex. 80. nuncupata est mater. *permanens enim cum forma causa est eorum, quæ fiunt, sicut mater*. Hinc per metaphoram à Platone dicta est fœmina, nutrix, turpis, quæ loquutiones reducuntur ad analogiam, cum metaphora, ex Arist. tertio Rhetor. *reducatur ad analogiam*.

IX. Atq; hic modus cognoscendi materiam est proprius Physici; propterea adhibetur ab Arist. hoc loco, Notat hic Simplic. quod Arist. *accepit* hunc dicendi modum, quod materia sit cognoscibilis secundum analogiam à *Timæo Pythagorico, quemadmodum Plato ab eodem accepit, dicens, materiam esse comprehendendam adulterina ratione. Nam in proprio opere sic dicit Timæus. Materiam autem adulterina ratione comprehendi, quod nondum comprehensa est recta tramite, rectoq; processu, sed per similitudinem, proportionemq;*.

X. Quod si quæras, cur non possumus affirmatiuè, ac per se cognoscere materiam primam, sed cogimur ad huiuscemodi cognitionem confugere? Dic cum Auerroe in com. huius tex. quia materia prima *non est aliquid in actu habens quidditatem*. Principium autem intelligendi, vt legimus in nono Metaphys. tex. 20. est actus: *nam quæ potentia sunt, redacta in actum inueniuntur, causa autem est, quia intellectus est actus: Quare ex actu potentia*.

Vel dic cum Simplic. quod materia prima *subingredienti assimilatur laruato*. quemadmodum ergo si quispiam omni tempore incederet personatus, sciremus vtiq; vnam substantiam esse illi laruæ subiectam, quæ verò, & qualis illa substantia esset, ignoraremus, ita de materia prima imaginari debemus. Potest hæc eadem materia cognosci à Philosopho naturali prout refertur ad formam, quia vt dicitur in secundo Physic. tex. 26. *ad aliam formam est alia materia*, cæterùm hoc pacto solum cognoscitur, quod sit potentia. Patet iisdem cognosci per resolutionem compositi, & per transmutationem substantialem, quibus modis deprehenditur solum vt diximus, quod sit, non autem quid, aut qualis sit.

Cum itaq; materia prima sit ens in potentia pura, quamuis sit ens in se, nequit cognosci per se, neq; potest per se mouere intellectum, cum nihil moueat intellectum, nisi quod sit in actu formali; ideò solum per aliud cognoscitur. Quid verò est, a. tum, cum cognoscitur, non cognoscitur per propriam speciem, sed per speciem alterius, quippe sit non est apta sua conditione mouere intellectum, nequit in intellectu formare proprium conceptum, sed intelligitur per conceptum alterius, & ita per analogiam. Cogitamus enim materiam tale quiddam esse, quod ad ens in actu ita se habet, quemadmodum æs ad formam statuæ, & eam ipsam statuam. Hoc voluit significare Plato, cum in Timæo nunc commemorato dicit materiam non cognosci nisi adulterino cogitatione. Quam Platonis sententiam declarat Plotinus lib. quarto Ennead secundæ cap. 10. & Pythagorei aiebant, materiam non cognosci per *εὐθυωρίαν*, id est, per rectam inspectionem, sed per obliquam, quod acies nostri intellectus rectè in eam ferri nequit, sed obliquè per inspectionem alterius. X I

TEXTVS LXX.



Æc autem quomodo duo, & quomodo plura, dictum est in præcedentib. Primum igitur dictum est, quod contraria solum principia sunt; posterius autem, quod necesse est aliud quippiam subijci, & esse tria. Ex iis autem quæ nunc, manifestum est quæ sit differentia contrariorum, & quomodo se habent principia ad inuicem, & quid subiectum: verum autem substantia forma, aut subiectum sit, nondum manifestum est: sed quod principia tria sint, & quomodo tria, & quis modus eorum, manifestum est. Quot igitur, & quæ sint principia, ex his consideretur.

Facit epilogum omnium eorum, quæ ab initio tractationis, id est à tex. 41. vsq; ad hunc contexit tractauit, & quidem eodem planè ordine, quo illa digesserat. Deinde occurrit tacitæ petitioni.

I Dictum, inquit est, in præced. quomodo principia sunt duo, & quomodo plura, *nam primùm dictum est, quod contraria solum principia sunt*, id explicatū habes à tex. 41. vsq; ad 50. atq; hac ratione principia videntur esse tantum duo. Deinde dictum est, *quod necesse est aliud quippiam subijci, & esse tria*, quod præstitit à tex. 51. vsq; ad 56. Ex his autem quæ nunc in hoc cap videlicet à tex. 57. vsq; ad præ.

Digitized by Google

ad præsent, contex. edisseruimus, apparet, *quæ sit differentia contrariorum: Et quomodo se habeant principia ad inuicem*.

II. Ex hucusq; dictis tria, inquit, apparent manifestè. Primum *quæ sit differentia contrariorum apparuit* vid. quod vnum contrariorum principiorum est id, ex quo generatio fit: Alterum autem, id est forma est id, ad quod eadem generatio fit. Secundò, apparuit, quod forma est principium per se: priuatio autem est principium per accidens. Tertiò apparuit, quod forma, quæ est vnum contrarium, est verè, & omninò vnum: alterum autem contrarium, id est priuatio cum materia, cum qua est vnum numero (sic enim accepit Philosophus contraria in tex. 67. vt vidimus, cum ait, *Quare neq; plura contrarijs principia quodammodo, sed duo, (vt sic dicam) numero* non est verè, & omninò vnum: sed ratione, & definitione sunt duo, ac diuersa. Deinde etiam apparuit, *quomodo se habeant principia ad inuicem*. Materia enim permanet, priuatio autem, & forma non permanent: Materia nulli contrariorum est contraria: forma autem, & priuatio sunt contraria. Materia est subiectum, priuatio est eius accidens &c. Tandem apparuit, *quid sit subiectum*, siue materia, de qua porrò abundè est dictum.

III. Dum verò subdit, *Verum autem substantia forma, an subiectum sit, nondum manifestum est*, indicat quæstionem, cuius solutio ex hucusq; dictis nõ habetur, quinimo quæstio videtur oriri ex dictis, vt mox audies. Porrò quæ sit ea quæstio, non conuenit inter expositores. Simplic. & Philosophon. quos deinde D. Thomas, & communiter latini sequuti sunt, existimant, innui hanc quæstionem: Vtrum forma, an materia sit magis substantia: postea dissident quantum ad eius solutionem. Nam Simplic. & Philophon. contendunt, eam differri ad septimum, & oct. Metaphys. D. autem Thom. opinatur, eam solui in lib. secundo huius operis. Ast ego crediderim hic nullo pacto insinuari hanc comparatiuam quæstionem. Tum quia verba Philosophi non sunt comparatiua, sed absoluta, *Vtrum substantia sit forma, aut materia*, Tum quia ex hucusq; discussis, nulla dabatur occasio quærendi, vtrum ne forma, an verò materia esset magis substantia. Quocircà dicendum existimo, *substantiam* hic denotare essentiam, & naturam rei compositæ: & quæstionem esse, Vtrum forma, an materia sit substantia, id est essentia, & natura rerum. Equidem dum græca verba considero, animaduerto, hic apponi articulum vtriq; voci, tum ipsi εἶδος, tum ipsi ὑποκείμενον. habet enim, πότερον δὲ οὐσία τὸ εἶδος, ἢ τὸ ὑποκείμενον, οὔπω δῆλον. Manifestum autem est, quod articulus appositus nomini facit illud esse subiectum in propositione. Quocirca, dicta verba ita sunt vertenda. *Vtrum autem ipsa forma, an ipsum subiectum sit substantia, nondum manifestum est*, & tunc, & sensus, est clarus, quem nondiximus, & ratio dubitandi clarissima. Primò, quia antiqui existimauerunt totam naturam, & essentiam corporum naturalium esse solam materiam, quæ opinio ex instituto confutatur in secundo lib. huius operis. Secundò quia constitutum est, materiam, & formam esse principia per se rerum naturalium: ac proinde res naturales componi ex ipsis vt ex primis inexistentib. Hinc a&c;arum emergit quæstio, num vtraq; hæc sit substantia, & natura rei naturalis, an verò sola materia, quemadmodum Veteres censuerunt? occurrit itaq; inquiens, id nondum esse manifestum: sed ex dictis *manifestum est quod principia tria sint: & quomodo tria, & quis modus eorum. Quot igitur, & quæ sint principia, ex his consideretur*.

CAPVT VIII.

Diluendo Veterum Philosophorum difficultates, amplius explicat naturam materiæ.

TEXTVS LXXI.



Vòd autem vnico modo sic soluitur, & Antiquorum dubitatio, dicamus post hæc, quærentes enim Philosophi primi veritatem; & naturam entium conuersi sunt veluti in viam quandam aliam, depulsi ob inexperientiam: dicuntq; neq; fieri eorum quæ sunt, vllum, neq; corrumpi; propterea quod necessarium est; fieri quod fit, aut ex eo, quod est, aut ex eo, quod non est: ex his autem vtrisq; impossibile esse: neq; enim quod est, fieri: esse enim iam: & ex eo, quod non est, nihil vtiq; fieri: subijci enim quippiam oportet.

Tribus modis potest opinio aliqua comprobari. Primò, rationibus, quæ eam recto tramite fulciant, roborentq;. Secundò, declarando oppositæ sententiæ falsitatem. Tertiò, dissoluendo oppositæ sententiæ argumenta: hæc quippe dum vl tima mirificè confirmant nostram positionem. Omnibus hisce vijs viget sæpenumero Arist. ad roboranda dogmata sua. Sic etiam hoc loco præstat de principijs. Primò enimuerò à tex. 41. vsq; ad 70. firmissimis rationum momentis, vt vidimus, suum dogma circa principia stabiliuit. Nunc in hoc capit. oct. reliqua duo exequitur; id est tangit absurditatem aduersæ sententiæ. I.

quam superius à cap. 2. latè confutauerat, & adducit, atq; diluit illius arg. &c.

In præsenti tex. duo facit. Proponit suam intentionem. Et apponit argumentationem, quam Veteres soluere nescientes, ad errores inextricabiles compulsi sunt: Deinde, in tex. seq. indicat eorundem absurditatem.

II. Inquit itaq; quod *μοναχῶς*, *hoc vnico modo*, quemadmodum scil. nos principia constituimus, *soluitur, & antiquorum dubitatio*. Quasi dicat. Ea opinio, per quam solam depelluntur errores, ac tolluntur ambiguitates, quæ circa rem, de qua agitur, oriri queunt, existimanda est vera: siquidem ea est veritatis vis, vt ea exorta, cunctæ ambiguitates perinde depellantur, ac tenebræ, dum exoritur lux: sed per solam opinionem nostram de principijs, depelluntur omnes errores, & tolluntur omnes ambiguitates, quæcunq; circa principia oriri possunt, nostra igitur opinio existimanda erit vera.

III. Sequitur, *quærentes enim Philosophi primi veritatem, & naturam eorum quæ sunt, conuersi sunt in viam quandam aliam depulsi ob inexperientiam*. Per Philosophos *primos*, non indicat absolute primos, cum ad eiusautes, posita mundi æternitate, nunquam dentur primi, sed denotat vetustiores, (in quorum numero non erat Plato, Socrates, Empedocl. Democr. vel etiam Pythag.) quorum nomina, & opiniones cum aliqua etiam celebritate eo tempore circumferebantur. Sic etiam distinguit in tex. 20. huius lib. *conturbabantur*, inquit, *& posteriores, quemadmodum, & antiqui*, & multis explicat in primo Metaphys. cap. 2 & 3.

IV. Ait autem ἐξετράποντο οἷον ὁδόν τινα ἄλλην ἀπο σθέντες ὑπὸ ἀπειρίας. palente dictum. *aberrarunt veluti in aliam quandam viam depulsi propter inexperientiam*. Primò scientiæ, ac disciplinæ veluti per metaphoram dictæ sunt viæ. Quinimo hæc ipsa vox methodus, deducta est ab ὁδὸς via. Hinc prouerbialiter ij dicuntur aberrare à via, & tota aberrare via, & deserere viam, qui à veritate deflectunt: sic è contra dicimus, reducere aliquem in viam, monstrare viam, aperire viam &c. Qua de re vide adagiograph.

Secundò, *in aliam quandam viam depulsi*, dicuntur *depulsi*, quia vi, & coacti one eò faerunt detrusi, & coacti, vid. à ratione, quàm sol ista nesciebat.

Deinde, *in aliam quandam viam*: quia quemadmodum viatores, ij deflectunt quidem à via, sed tamen tandem repetunt, ac tandem eò perueniunt, quò tendebant; alij verò ita à tota via deuiant, atq; exorbitant, vt in aliam penitus diuersam tendant, & post magnum exantlatum laborem, tandem cogantur ibi diuertere, & immorari. Hoc secundum perpessi sunt Veteres illi in via veritatis, & naturæ.

Hoc autem passi sunt *propter inexperientiam*, nō propter ignorantiam Logices, vt perperam exponit Auerr. nulla enim affinitas inter Logicam, & experientiam intercedit, sed quia, procedebant per communia, veluti in abstractis occupati, neglectis particularibus naturæ operibus, ex quibus hauritur experientia, quæ est singularium, vt dicitur in primo Metaphys. cap. 1. quemadmodum ars est vniuersalium. Iccircò Philosophus aiebat, quod notitia principiorum debet colligi ex his, quæ fiunt & per resolutionem compositorum naturalium, quæ vtraq; sunt particularia.

V. Ita in primo de ort. & inter. tex. 7 eandem inexperientiam tribuit Platoni, quod is in abstractionibus Mathematicis summoperè occupatus, per quas etiam eleuabatur ad ideas, haud potuit naturæ opera accuratè expendere, ob id eiuscemodi inexti rerum initia, quæ naturæ earundem rerum aptari baud poterant. Excipe verba Philosophi. *Diuidentibus autem in plana*, vt scil. faciebat Plato, *hoc seruare non licet: nihil enim præter solida fit ex planis: ex eis autem nullam valent generare affectionem. Ratio autem cur minus valeant, conspicua videre est inexperientia. propterea quicunq; magis in Physicis versati sunt, magis queunt valent statuere ea principia, quæ vt plurimum possint rebus conuenire. &c.* Sic in sexto Ethic. ait Iuuenes posse quidem esse sapientes, at prudentes, & physicos esse non posse, quia hæc egent experientia.

VI. In 2. part. tex. *Dicunt, neq; fieri eorum quæ sunt, vllum, neq; corrumpi.* apponit argumentum, quo illi coacti sunt tauea via veritatis exorbitarunt, vt assererent nihil vnquam entium de nouo generari, neq; corrumpi. Argumentum autem fuit hoc. Si ens deberet generari, ac fieri, aut fieret ex entè, aut ex non ente. Ex ente fieri nequit, quia iam esset antequam fieret. & ex ne fieret ex se ipso: Neq; ex nō ēte potest fieri, tum quia in generatione oportet aliquid subijci, tum quia ex nihilo nihil fit. Eodem modo dic de corruptione. Si enim aliquid corrumperetur, aut desineret in ens, aut in non ens, & in nihilum. Non desineret in ens, quia tune res esset, etiam postquam fuisset corrupta: vel esset corrupta antequam corrumperetur, vt de materia argumentatur Philosophus in tex. 82. Neq; desineret in non ens; quia sicut in generatione ex nihilo nihil fit, ita in corruptione nihil transit in nihilum. Vtrumq; autem est impossibile propter eādē rationē, ergo &c.

TEXTVS LXXII.

Et sic itaq; quod consequenter accidit, augentes, neq; esse multa dicunt, sed tantum ipsum quod est. Ilis ergo talem acceperunt opinionem, propter ea, quæ dicta sunt.

I. Dato vno absurdo, consequuntur alia complura: & commisso vno errorè circa principia, quæ virtute sunt omnia, emergunt deinceps alij plurimi. Sic antiquis Philosophis obtigit. Nam qui Veteres

Veteres illos subsequuti sunt, augentes illorum errorem, non modo, de medio sustulerunt generationem, & corruptionem, quemadmodum illi, sed inficiati etiam sunt entium multitudinem; asseuerantes, entia non esse multa, sed omnia esse vnum ens; id quod magis sensui aduersatur. Nemo etenim est, qui se ipsum esse distinctum quippiam ab alijs, non comprehendat. Hoc opinor; innui ab Stagirite, dum ait, neq; esse multa dicunt, *ἀλλὰ μόνον αὐτὸ τὸ ὄν sed tantum ipsum ens.*

II. At quinam fuerunt isti? Simplici Philopon. & Auerr. existimant fuisse Parmenid. & Melissa Hi namq; asseruerant ens, atq; adeò omnia esse vnum. vt in cap. 2. huius lib. & in primo Metaphys cap. 3. dictum est. Alij autem vt S. Thom. Piccolom. & Zabar. extendunt hoc dictum ad reliquos Veteres: Vnde alio etiam pacto formanda est ratio, iuxta veterumq; opinionem, ad probandum, omnia esse vnum. Et quidem iuxta secundam hanc expositionem accipiantur duo. Vnum, quod Veteres omnes constituerunt vnam materiam omnium rerum, atq; eam ingenitam, & incorruptibilem: Alterum, quod existimauerunt, illam materiam esse totam essentiam, & substantiam earundem rerum. Tunc ita colligitur ratio. Ea, quorum tota essentia, & substantia est vna, eaq; immunis ab ortu, & interitu, sunt vnum, & non multa: Atqui omnium rerum tota essentia, & substantia est vna, eaq; immunis ab ortu, & interitu, cum omnium sit vna materia, quæ est tota substantia

III. rerum, ergo omnia sunt vnum, & non multa.

Iuxta primam autem expositionem sic colligitur. Si entia sunt multa, & non sunt vnum, debet inter ea esse differentia, per quam vnum ens sit aliud, ac diuersum ab alio: sed huiusmodi differentia inter entia assignari non potest, ergo entia non sunt multa, sed omnia sunt vnum. Minor sic ostendebatur, accepto prius hoc principio. Quidquid est præter ens, est non ens: quod quidem principium, opinor, innuitur ab Arist. in hoc tex, illis verbis, *neq; esse multa dicunt*. *ἀλλὰ μόνον αὐτὸ τὸ ὄν sed solum ipsum ens*. Quo posito sic eruitur illa minor. Illa differentia, aut est ens, aut est præter ens, siue non ens. Non potest esse ens, tum quia ens non differt ab ente per ipsum ens: Tum etiam, quia in ente omnia conueniunt: sed id in quo aliqua conueniunt, nequit esse eorundem differentia, ergo illa differentia non erit ens: erit igitur præter ens, siue non ens. At per non ens nihil potest differre ab alio: ergo &c.

(:)

TEXTVS LXXIII.



Os autem dicimus, quod ex eo, quod est, aut ex eo, quod non est, fieri aut quod non est, aut quod est. facere aliquid, aut pati, aut quodcunq; hoc fieri, vno quidem modo nihil differt, aut Medicum facere aliquid, aut pati, aut ex medico esse, aut fieri. I.

Accingitur propositam Veterum Philosophorum argumentationem diluere: Diluit autem dupliciter: Primò, adhibendo distinctionem eius, quod est per se, & quod est per accidens: secundò, adhibendo aliam distinctionem eius quod est, actu, & potentia Et quidem priorem distinctionem explicat, & applicat suo proposito ab hoc tex. 73. vsq; ad 77 posteriorem autem declarat in tex. 78. I.

Ait itaq; quod ex ente, aut ex non ente, & similiter, dicere ens fieri aliquid, vel non ens facere aliquid, aut pati, *ἓν μὲν τρόπον οὐδὲν διαφέρει secundum vnum quidem modum nihil differt*, suple alterum distinctionis membrum, secundum alium autem modum differt. Quia nimirum differt fieri aliquid ex ente, vel ex non ente per se, aut fieri per accidens, ita differt facere aliquid, aut pati per se, vel facere, aut pati per accidens. Extendit suum dictum vniuersaliter, inquiens, *aut quodcumq; fieri hoc*. Ita vniuersè fieri hoc, aut illud, contingit dupliciter: Vno modo per se, altero ex accidente. II.

Rem illustrat exemplo Medici, *aut Medicum facere aliquid, aut pati, aut ex medico esse, aut fieri*, quemadmodum, inquit, vno quidem modo non differt, quod medicus faciat aliquid, aut patiatur, vel quod ex eo fiat aliquid; aut fit: Alio autem modo differt. Habemus igitur hos duos modos, per se, & per accidens, quos statim explicat, cum ait. III.

TEXTVS LXXIV.



Vare, cum dupliciter hoc dicatur, manifestum est quod ex eo, quod est; & id, quod est, aut facere aliquid, aut pati: ædificat igitur Medicus non secundum quod medicus, sed secundum quod ædificator: & albus fit non quatenus medicus, sed quatenus niger. medicatur autem, & non medicus fit, quatenus est medicus, cùm autem maximè propriè dicamus, medicum facere aliquid, aut pati, aut fieri ex medico, si secundum quod medicus hoc patiatur, aut faciat: manifestũ, quod ex nõ

ente fieri ; & hoc significat , quatenus non est quod illi quidem , non partientes , aberrauerunt ; & propter hanc ignorantiam tantum insuper ignorauerunt , quod nihil aliorum opinati sunt fieri , aut esse, sed auferebant omnem generationem .

Primò , colligit ex nuper adhibito exemplo
I. de medico intentam propositionem . Deinde, persistens in eodem exemplo medici declarat membra distinctionis : Postremò , reprehendit Veteres , quod ob ignorantiam huius distinctionis in errores inducti sint .

Ait itaq; *Quare cum hoc dupliciter dicatur , manifestum est , quod ex eo , quod est , & id quod est , aut facere aliquid , aut pati.* Cum *hoc* , quod nunc de medico asserebamus , dicatur dupliciter , scil. per se , & per accidens , vt in tex. proximè antegresso patefactum est, & mox audies . *manifestum est quod ex eo , quod est , & id quod est , aut facere aliquid, aut pati,* obuolutum edunt sensum , sed græca clarissimum . δῆλον , ὅτι καὶ τὸ ἐξ ὄντος , καὶ τὸ ὄν , ἢ ποιεῖν , ἢ πάσχειν manifestum, est quod καὶ τὸ ἐξ ὄντος , intellige ex tex. preced. γίγνεσθαι , fieri . Itaq; καὶ τὸ ἐξ ὄντος . & ipsum fieri ex ente siue fieri ex eo, quod est , dicetur dupliciter ; videl per se,& per accidens : καὶ τὸ ὄν , & ipsum ens , dicetur eodem pacto dupliciter : καὶ τὸ ποιεῖν ἢ πάσχειν , & ipsum facere, aut pati dicetur consimili ratione .

II. *Aedificat igitur medicus &c.* explicat allatæ partitionis membra . Asserimus , inquit , quoddam eges facere aliquid per se , cum facit quatenus est tale : similiterq; asserimus, aliquid pati per se, cum patitur quatenus est tale . Ita fieri aliquid ex aliquo per se , quando fit ex eo , quatenus est tale. Cape exempla . Medicus dicitur facere aliquid per se , quando facit illud vt medicus ; hoc autem est, quando medetur , quia medicina essentialiter ordinatur ad medendum . Hoc exprimit Auctor, dicens tunc *maximè propriè dicimus, medicum facere aliquid , aut pati , aut fieri ex medico , si secundum quod medicus , hæc patiatur , aut faciat .* Tunc verò dicimus , medicum operari per accidens, quando non operetur vt medicus , veluti cum ædificat ; Tunc enim eatenus dicitur operari , quatenus accidit , vt simul cum medicinæ illius coniungatur ars ædificandi : *nam ædificat medicus , non secundum quod medicus , sed secundum quod ædificator* , inquit , Arist. Eodem pacto cum dicimus , aliquid fieri ex aliquo , potest intelligi , fieri vel per se , vel per accidens. Fit per se, cum illud quod fit, fit ex alio quatenus est tale , veluti cum ex medico fit non medicus , quando vid. obliuiscitur . Fit autem per accidens , cum fit ex illo , non quatenus tale est , vt cum ex medico fit albus , *fit enim albus non quatenus medetur , sed quatenus niger .*

III. Seq. *manifestum est , quod & ipsum ex non ente fieri , & hoc significat* τὸ ᾗ μὴ ὄν , *ipsum quatenus non ens* , si , inquit , vera est adducta distinctio , conspicuum est , quod hoc significat loquutio illa , cum dicimus , aliquid fit ex non ente , intelligimus enim, illud fieri per accidens , non autem per se. Quid verò ? Hoc ipsum vlterius denotamus dicentes , aliquid fit ex non ente , quatenus non ens . Istud enim , *quatenus non ens* , debet intelligi per accidens , & ita res fiunt ex priuatione , quæ formaliter est non ens . IV.

Quod quidem illi non distinguentes &c. Quá quidem distinctionem , cum Veteres illi non adhiberent , errerunt : & ob eius ignorationem eò inscitiæ deuenerunt , vt asseruerint, nullam aliam rem præter vnum ipsum ens , quod illi ponebant pro principio, aut fieri, aut esse: ac proinde de medio sustulerunt omnem generationem .

TEXTVS LXXV.



Os autem & ipsi dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo , quod non est : sed tamen fieri ex eo , quod non est , vt secundum accidens : ex priuatione enim , quæ est per se non ens , non ex eo , quod inest , fit . Mirabile autem est hoc, & impossibile sic videtur, fieri aliquid ex eo , quod non est.

Applicat suo proposito iam declaratam distinctionem : aperitq; , quo vnquam pacto per eam depellatur antiquorum dubitatio . Et quoniam illa dubitatio, seu dilema prodibat : si aliquid fit , illud aut fit ex non ente , aut ex ente : vtrumq; autem est impossibile ; ob id Philosophus primo quidem in præsent. tex. soluit primam illius partem , ostendendo , quomodo ex non ente possit aliquid fieri , & quomodo non possit : Postea in tex. seq. commonstrat , quomodo etiam ex ente , & ex eo, quod est , nihilominus possit aliquid fieri , & quomodo non . I.

Solutio est . *Etiam nos ipsi dicimus , quod simpliciter* , id est sine distinctione , & absolutè , nihil fit ex non ente : sed tamen adiungimus, ex non ente fieri aliquid per accidens . Non ens hoc loco denotat priuationem, vt Auctor ipse explicat, eamq; appellat per se non ens , ad differentiam materiæ, vt mox dicam : dum ait . *ex priuatione enim, quæ est per se non ens , fit , &c.* Compertum autem est, res naturales ex priuatione fieri per accidens , cum ea nõ ingreditur vllius rei compositionem, qua ratione in tex. 66. priuatio statuta est principium solum per accidens rerum generandarum . Itaq; sic licet colligere . Res naturales fiunt ex priuatione,per accidens : priuatio est non ens : ergo res naturales fiunt ex non ente per accidens .

II. Quam quidem solutionem , vt penitus comprehendas , recole distinctionem ex tex. præcedenti , quod ex illo fit aliquid per se,ex quo fit, secũdũ quod illud est tale: ex illo autẽ fit per accidens quod accidit ei ex quo fit per se, vt patet in medico. Modo res naturales fiunt ex materia, quatenus ea est materia;

Digitized by Google

cui quidem accidit priuatio: nam, vt dicitur in tex 66. *priuatio, & contrarietas est accidens*, nimirum materiæ, propterea ex materia quidem, quæ est quoddam ens, & vt Philosophus in tex. illo 66. loquitur, est *numerabilis, & est hoc aliquid magis*, res fiunt per se: ex priuatione autem, *quæ est per se non ens*, quemadmodum in hoc tex. 75. legimus, fiunt per accidens.

III. Ex hac radice oritur illa alia explicatio eius, quod est, fieri per se, aut per accidens. Quod scilicet ex illo fit aliquid per se, quod ingreditur compositionem illius, & in eo iam facto permanet quæ attributa non conueniunt ei, ex quo fit per accidens. Sic materia ingreditur compositionem rerum naturalium, atq; in ijsdem factis perseuerat: priuatio autem neq; quicquam componit, & nullo pacto remanet: Hoc vult indicare Auctor, dum inquit, *ex priuatione enim &c.*

At at in græcis verbis mirabilem video structuram. *ἐκ γὰρ τῆς στερήσεως, ὅ ἐστι καθ' αὑτὸ μὴ ὄν, ἐκ ἐνυπάρχοντος γίγνεται*. Primum *στερήσεως* priuatio est fæm: gen. deinde subdit *ὅ ἐστι, quod est*. Verum sæc ille sit modus loquendi philosophicè, vt pro re, de qua agitatur sermo, vtamur neutro; qui quidem latinis quoq; sæpissimè est familiaris: Etenim latinè diceris, *priuatio, quod est ens &c.* sed ille genitiuus, *ἐκ ἐνυπάρχοντος*, cum quonam hic cohæreat, plane non video. Deberet porrò cohærere cum illo, *στερήσεως*: at non cohæret, cum illa, vt dixi, sit fæm. gen: hic autem est gen. masc. seu potius neutr. & vt cum illo *στερήσεως* coniungatur, dicendum omnino est, *ἐνυπαρχούσης*. Hanc differentiam non vides in latinis versionibus. Nam alij habent, *ex priuatione enim, quæ est per se non ens, non ex eo, quod inest. fit*. clarius Argyrop: *ex priuatione enim, quæ est per se non ens, & quæ non inest, fieri dicimus*. Atq; alia translatio sequi voluit vim græcor. verbor. *ex priuatione enim quod est quidem per se non ens, non inexistente fit*, sed tamen in voce *non inexistente*, non apparat dissonantia, quæ est in græc. Quid ergo? Aristoteles errat in locatione? absit, sed vbertas, & vehementia eius ingenij in causa est, vt ita loquatur. Sensus itaq; est. Res fit per accidens ex non ente: At quia non ens aliud quidem est non ens per se, & illud est priuatio: aliud autem est non ens solum per accidens, & istud est materia, explicat ex quonam non ente res fiunt per accidens: & inquit, hoc pacto *fieri ex priuatione*: quia priuatio est illud tale non ens, *quod ex per se non ens*: & ex isto tali non ente fit ens, & res velut ex non inexistente, ad differentiam vid. alterius non entis, nempe materiæ, ex quo fiunt eædem res, vt ex inexistente, siue vt ex permanente in ipsa re genita. Hinc vides, quomodo ens dicatur fieri ex non ente.

IV. Seq. *θαυμάζεται δὲ τοῦτο* &c. non rectè transfertur, *mirabile autem est hoc*. Dic: excipitur autem hoc admiratione, siue admirantur autem hoc. Differentia est inter vtrumq; dicendi modum, nam si dixeris, mirabile autem est hoc, significabis, rem suapte natura esse admirabilem. Hoc non intendit dicere Arist: si autem dicas, admirantur autem hoc, indicabis, quod hæc res fuit ab Aristotele cum alijs illius tempestatis Philosophis disputata, & quod illi hoc admirabantur: & videbatur illis impossibile, hoc pacto fieri aliquid ex non ente, & id adhuc exprimit Auctor, *& impossibile sic videtur fieri aliquid ex non ente:*

TEXTVS LXXVI.



Similiter autem neq; ex eo quod est, neq; id, quod est, fieri, nisi secundum accidens, sic autem, & hoc fieri eodem modo; ut si ex animali animal utiq; fiat, & si ex quodam animali quoddam animal; vt si canis ex equo fiat, fiet enim non solum ex quodam animali canis, sed etiam ex animali, at non quatenus est animal: est enim iam hoc: si autem aliquid debet fieri animal, non secundum accidens, non ex animali erit.

Explicat in hoc tex: alteram partem illius minoris, quomodo scil. aliquid fiat ex eo quod est; siue, quomodo ens fiat ex ente. Et in tex. duo facit. Primùm ponit solutionem. Deinde, eandem exemplo illustrat. I.

Solutio est, *similiter* in proposito asserendum est, quemadmodum diximus in tex. præced. vt enim ex non ente non fit per se ens, sed fit per accidens. *similiter, inquam, neq; ex eo quod est, neq id quod est. fieri, nisi secundum accidens:* sic, inquam neq; asserimus, ipsum ens, & id quod est, fieri per se, atq; absolutè, ex ente, & eo, quod est, sed solum fieri per accidens. Quod vlterius explicat, *sic autem, & hoc fieri eodem modo*, sic autem effici, dicimus effici eodem modo, id est per accidens, atq; dictum fuit in præcedenti.

Aduerte, ens hoc loco denotare ens actu, completum, & ipsum compositum. Vnde materia non est tale ens: imò potius dicenda est non ens. Cæterùm non ens est duplex, vnum est non ens per se, & absolutè, qualis est priuatio, de qua fuit affirmatum in tex. præced. quod sit per se non ens: Aliud autem est non ens in comparatione alterius: & huiusmodi non ens est materia: qua ratione ea ipsa prima materia in septimo Metaphys. tex. 8. dicta fuit *per se neq; esse quid, neq; quantum &c.* Ait itaq; Arist. entia, nimirum composita naturalia, & completa, per se quidem fieri ex non ente, id est ex materia prima: per accidens autem fieri ex tali, aut tali ente naturali, & completo, cum VG. fit aer ex aqua, per se quidem fit ex non ente, id est, ex materia prima. per accidens autem fit ex aqua: Ratio est manifesta. Primò, quia forma aquæ accidit materiæ primæ: Secundò, quia ex illo aliquid fit per se, quod ingreditur compositionem illius, & II.

in eo

Digitized by Google

in eo iam facto permanet: ex illo autem fit per accidens, quod non ingreditur compositionem, & nô permanet, sed recedit: At materia ingreditur compositionem rei genitæ, & in ea iam genita permanet. aqua autem neq; aerem componit, neq; in eo iam facto perseuerat.

III. Deinde, cum ait, *veluti si ex animali ζῶν ἂν γίγνοιτο, animal fieret, & si ex aliquo animali aliquod animal; veluti si canis ex equo fieret.* Rem totam illustrat exemplo: Accipiamus inquit, quod animal generetur ex animali, (generetur, inquam, ex animali, non vt ex efficiente, sed vt ex subiecto, ac materia, hac enim ratione loquimur in præsenti de generatione eius quod fit: Quamquam verò sit impossibile, animal gigni ex animali, ceu ex materia, id nihil vetat, quo minus nos ita imaginatione concipere valeamus) Accipiamus præterea, quod aliquod determinatum animal, V.G. canis, generetur itidem vt ex subiecto, ex alio determinato animali, veluti ex equo. Tunc istud determinatum animal canis non solum fieret ex determinato animali equo, sed etiam fieret ex animali, cum non detur aliquod determinatum animal, quod non etiam sit animal. Veruntamen canis diuerso modo fieret ex illo animali, ac fieret ex determinato animali, equo. siquidem ex animali non fieret per se, cur? quia ex illo non fieret quatenus animal, cum foecundum hanc rationem iam esset animal, antequam fieret. Hanc partem probat Arist. Ex illo aliquid fit per se, ex quo fit secundum quod, illud est tale: sed animal canis tunc fieret ex illo animali *non quatenus animal est: est enim iam hoc:* ergo animal canis non fieret ex illo animali per se, sed solum fieret per accidens. Per se autem canis fit ex tali determinato non animali, id est ex equo, qui determinatè est animal, quod non est canis. Hoc significat Auctor, dum inquit, *si autem aliquid debet fieri animal non secundum accidens, non ex animali erit.*

IV. Hinc vides vtramq; hanc propositionem esse veram. animal canis non fit ex animali, & animal canis fit ex animali. Non fit ex animali, quia non fit ex illo quatenus animal est; fit ex animali, quia fit ex tali animali, quod non est canis. Sic hæc vtraq; est vera, ens non fit ex ente, quia non fit ex illo, quatenus ens est: Et ens fit ex ente, quia fit ex tali ente, quod non est illud, quod fit: sic e conuerso, quemadmodum animal canis fit per accidens ex illo animali, per se autem fit ex non cane, ita hoc ens aer fit per accidens ex ente, per se autem fit ex non ente, id est ex materia prima. Hoc explicat Auctor in textu seq; cum ait.

TEXTVS LXXVII.



Et si aliquid fit, non ex eo quod est, neq; ex eo, quod non est. quod enim ex eo, quod non est, dictum est nobis quid significet, quod quatenus non est. Amplius autem, & esse omne, aut non esse, non remouemus.

Locutio pendet ex similitudine edducta de animali, & ait, καὶ εἴ τι ὄν, ἐκ ἐξ ὄντος οὐδὲ ἐκ μὴ ὄντος *& si aliquod ens, non ex ente, neq; ex non ente.* id est, ita cum fit aliquod ens, illud non fit ex ente, neq; fit ex non ente, vt nuper de cane dicebamus: subiungit rationem τὸ γὰρ ἐκ μὴ ὄντος εἴρηται ἡμῖν τί σημαίνει: quæ obscurissimè ita sunt translata. *quod enim ex eo, quod non est, dictum est nobis quid significet*, sic verte. *Dictum enim à nobis est, quid significet illud ex non ente:* ὅτι ᾗ μὴ ὄν, quod vid. significat *quatenus est non ens.*

V erùm posset illi aliquis obijcere. Tu concedis duo contradictoria: siquidem esse, & non esse sunt contradictoria: sic fieri ex eo quod est, & fieri ex eo quod non est; sic fieri ex ente, & fieri ex non ente, sunt contradictoria. Tu autem hoc asseris, & sic destruis commune illud effatum, quod omne aut est, aut non est. II.

Occurrit. *Amplius autem, & esse omne, aut non esse, non remouemus*, Hoc est, inquit, commune effatum *omne esse, aut non esse*, non propterea destruimus. Ratio est, quia contradictio est affirmatio, & negatio eiusdem respectu eiusdem. Hoc autem non contingit in præsenti, quia non dicimus, fieri ex ente, & ex non ente respectu eiusdem, sed respectu diuersorum, vt videre licet in exemplis allatis, quando V. G. fit aer ex aqua, dicitur fieri ex ente, & fieri ex non ente: & eodem pacto aqua dicitur, & ens, & non ens respectu diuersorum, est enim ens, quatenus est in se ipsa. est autem non ens, quatenus non est aer, neq; est illud ens, quod debet fieri, sic ergo Incomparabilis vir, vno modo per distinctionem per se, & per accidens, tollit dubitationem, quæ tantopere priscos Philosophos exanimauit, & in tam fœdos, atq; inextricabiles contrusit errores. III.

TEXTVS LXXVIII.



Nus autem modus hic est. Alius autem quod contingit eadem dicere secundum potentiam, & actum. Hoc autem in alijs determinatum est cum diligentia magis. Quare, quod quidem dicebamus, dubitationes soluuntur, propter quas coacti remouent dictorum quædam, propter hoc enim tantum auersi sunt Priores à via in generationem, & corruptionem, & omninò mutationem. hæc enim visa natura, omnem soluit hanc ipsorum ignorantiam.

I. Hic est secundus modus diluendi illam ipsam Veterum Philosophorum dubitationem, & traditur per aliam distinctionem, quæ est secundum potentiam, & actum; qui etiam modus præfatam difficultatem funditus tollit; vt pote qui hauritur ex ipsamet natura, & conditione materiæ primæ.

Monet autem Arist. se iam alio loco hanc distinctionem, actus, & potentiæ, exactiori diligentia determinasse: Hoc verò fecit in lib. nono Primæ Philosophiæ. Neq; aliud quicquam de hac solutione in præsens adiungit. Tu verò sic eam applica. Ens est duplex: Vnum est ens actu, cuiusmodi sunt composita. Alterum est ens solum potentia, & ista est materia prima. Itaq; fieri aliquid ex ente, aut ex non ente, erit duplex: Vnum fieri ens actu ex ente actu: Alterum fieri ens actu, ex ente potentia. Sic ergo ens naturale V. G. aer, aut equus, quæ sunt entia actu, non fiunt ex ente, id est actu: sed fiunt ex non ente actu; ente autem in potentia. Tale autem ens potentiale est materia prima, ex qua quidem prodeunt, & procreantur cuncta naturalia. Hinc vides, quomodo ens neq; fiat ex ente, ita vt sit antequam fiat, neq; rursus fiat ex nihilo; quia ad hoc vt fieret ex nihilo, deberet fieri ex tali non ente, quod neq; actu, neq; etiam potentia esset ens.

Tandem concludit, *quare, quod quidem dicebamus dubitationes soluuntur &c.* hinc apparere dissolutas dubitationes, propter quas antiqui Philosophi coacti sustulerunt non nulla eorum, quæ dicta sunt. vt generationem, & corruptionem substantialem, & multitudinem entium, quemadmodum in tex. 72. & 73. indicauimus; atq; adeò *aberrarunt à via* ducente *ad generationem; & corruptionem, & omninò mutationem.* Causa tanti mali fuit, quod legitimam materiæ naturam ignorauerant, hæc enim visa natura soluit hanc ipsorum ignorantiam. Sic itaq; apparet id, quod in tex. 71. dicebamus, quod solum per nostra fundamenta *καὶ μοναχῶς. & vnico modo sic soluitur, & antiquorum dubitatio.*

CAPVT IX.

Distinguit priuationem à materia: & insinuat aliquid de forma.

TEXTVS LXXIX.



Angentes igitur, & alij quidam fuerunt ipsam; sed non sufficienter. Primùm enim confitentur simpliciter fieri aliquid ex eo, quod non est, quod Parmenidem rectè dicere: postea videtur ipsis, si quidem est numero vna, & potentia vnum tantum esse: hoc autem differt plurimùm. Nos enim materiam. & priuationem alterum esse dicimus: & horum. materiam quidem non ens esse secundum accidens, priuationem autem per se. & materiam quidem propè, & quodammodo substantiam, priuationem autem nequaquam.

Connexio huius partis eruitur ex vlt. verbis tex. I.
præced. quibus asserebatur, quod visa, & comprehensa natura materiæ, obijcietur omnis Antiquorum dubitatio; aperietur q; omnis illorum ignorantia. At diceret aliquis, Plato abundè cognouit naturam materiæ: ergo ille etiam poterat eandem antiquorum dubitationem depellere. Non est ergo quod te, Aristoteles, tantoperè efferas, & prædices, vnum ac solum esse modum tuum soluendæ dubitationis. Iccircò animus illi est, per tres textus ostendere, Platonem non ritè deprehendisse naturam, & conditionem materiæ, sed eam imminutè, ac insufficienter cognouisse. Et in hoc tex. tria facit: Primò, indicat suam intentionem: Secundò, refert duo Platonis errata: Tertiò, adijcit suam sententiam.

Ait itaq;, *θιγόντες μὲν οὖν καὶ ἕτεροί τινες εἰσὶν αὐτῆς.* non rectè sat. legitur, *tangentes igitur, & alij quidam fuerunt ipsam.* dic. *Profectò tetigerunt, & alij quidam ipsam, sed non sufficienter.* Sanè, & alij nonnulli, vt Plato, quemadmodum apud eum videre licet in Philebo, in Sophista, præsertim verò in Timæo circa medium, protulerunt quidem multa de materia prima, at non omnia introspexerunt, quæ eius rei necessitas deposcebat, quin imò defecerunt. II.

Primùm enim confitentur &c. defecerunt primò, quia fatentur, fieri aliquid simpliciter, & per se ex non ente; quod iden fecerunt, quia fatentur, Parmenidem rectè dixisse: nempe Parmenidis ratione conuicti sunt. Porrò Parmenides constituebat, ens esse vnum; quod ex eo confirmabat, quia quicquid est præter ens, est non ens, quemadmo- III.

dum

dum quicquid est præter album, est non album; sed non ens est nihil, ergo ens est vnum. Plato loquens de materia, nulla adhibita distinctione, concessit, eam esse præter ens: ac proinde concessit, eam esse non ens: & tale non ens, quale posuit Parmenid. id est nihil. Vnde non cognouit, quod materia habet quidem in se aliquid non entis, id est priuationem, sed tamen ea in se non est absoluta non ens, sed est quoddam ens in potentia, quemadmodum nos supra exposuimus. Ex hac Platonis concessione sequitur, res fieri per se, & simpliciter ex non ente, siue ex nihilo. Quod sic colligitur. Res fiunt ex materia: Materia, iuxta Plat. est non ens simpliciter, & nihil: quare res fiunt ex non ente simpliciter, & ex nihilo. Hoc autem est impossibile, vt in tex. 75. ostensum est, sic ergo Plato defecit primò.

IV. *Deinde videtur ipsis &c.* defecit secundò, quod non seiunxit priuationem a materia, sed opinatus est, quod si materia est vna numero, & subiecto cum priuatione, debeat etiam esse vna tantum δυνάμει, *virtute*, id est essentia, & definitione; In quo vehementer deceptus est, quia *hoc*, vid. esse aliqua vnum numero ac subiecto, & esse vnum definitione, & essentialiter, *plurimum differt*, quemadmodum in tex. 66. patefactum est. An non vides, lac, albedinem, odorem, & saporem in pomo, idq. genus sexcenta alia esse numero, & subiecto vnum, quorum tamen diuersa est essentia, & definitio? deinde cum ait,

V. *Nos autem materiam &c.* exponit quid ipse de re proposita sentiat, & ait, se in ea esse opinione, quod materia sit aliquid alterum, siue diuersum à priuatione. Cuius quidem diuersitatis duplex assignat discrimen. Vnum est, quod materia est non ens tantum secundum accidens: priuatio autem est non ens secundum se. Alterum, quod materia est prope, & quodammodo substantia, priuatio autem nequaquam.

Ex his quasi ita latenter colligit Arist. Ex his duabus differentijs assignatis à nobis inter materiam, & priuationem, maximè declaratur natura, & conditio materiæ. Has ignorauit Plato, aut certè non explicauit, ergo imminutè, ac insufficienter de ea locutus est: ac proinde Plato non poterat soluere antiquorum dubitationem.

(o)

TEXTVS LXXX.



Vidam autem quod non est magnum, & paruum similiter, aut simul vtrumq; aut seorsum vtrumq; : quare penitus alter est modus hic trinitatis, & ille. Huc usq; enim processerunt, quod oportet quandam supponi naturam: hanc tamen vnam faciunt, etenim, si aliquis dualitatem facit, dicens magnum, & paruum ipsam, non minus idem facit: alteram enim despexit: permanens enim cum forma causa est eorum, quæ fiunt, sicut mater; altera verò pars contrarietatis, sæpe per imaginationem videbitur ad maleficium ipsius intendenti intellectum, neq; esse penitus.

I. Dixi in tex. præced. Platonem tetigisse quidem materiam, at insufficienter, cum eam neutiquam secreuerit à priuatione. Posset quispiam pro Platone occurrere, quod etiam ille distinxit, & à parte materiæ posuit dualitatem, quemadmodum tu ipse facis. Primùm enim Plato constituit pro principijs Magnum, Paruum, & Vnum, ea ita distincta principia, quemadmodum tu ipse statuis materiam priuationem, & formam Deinde, sicut tu constituis ex parte materiæ duo principia, id est materiam, & priuationem; ita Plato ex parte eiusdem materiæ induxit duo, vid. magnum, & paruum. His enim duabus vocibus ille appellabat τὸ μὴ ὂν ipsum non ens, id est materiam primam: quare, tu, Aristoteles, calumniaris Platonem.

Ideò in hoc tex. primùm occurrit huic obiectioni: Deinde, explicat diuersitatem opinionum, suæ, & Platonis: Postremò, aliquo pacto eundem quasi excusat.

II. Ait, οἱ δὲ τὸ μὴ ὂν, τὸ μέγα, καὶ τὸ μικρόν, ὁμοίως: sic verte, *Hi autem*, Vel, *illi autem ipsum non ens, magnum, & paruum similiter, &c.* hæc enim locutio est aduersatiua illius in tex. præced. positæ: *Nos verò materiam, & priuationem alterum esse dicimus.* Quare ineptè latin. codd. habent. *Quidam autem quod non est, magnum, & paruum &c.* Hi verò, inquit, id est Plato, & eius asseclæ, ipsum non ens, omissum materiam, appellant quidem magnum, & paruum: sed id faciunt *similiter*, nempe sine vlla distinctione, & sine vlla varietate materiæ, & priuationis: siue duas hasce voces, *magnum, & paruum*, proferant simul; siue proferant seorsim, semper per eas nihil aliud intelligunt, nec significare intendunt, quàm ipsam, ac solam materiam. Quare Plato, & eius sectatores non distinxerunt priuationem à materia: ac proinde penitus alio pacto illi posuerunt tria principia, ac penitus nos. Ternarius quippe principiorum numerus à nobis constitutus est distinctarum notionum, distinctarum definitionum, & distin-

distinctarum rationum formalium: ternarius vero à Platone positus, id est magnum, paruum, & vnum, est tantum ternarius vocum: Vnde re ipsa apud eum principia sunt duo duntaxat, materia, & forma; quas tribus illis vocabulis significabat.

III. Hoc indicat Arist. inquiens *quare penitus alter est modus hic trinitatis, ac ille*. Quod vlterius explicat. *Hucusq; enim processerunt &c.* Nam illi Veteres hoc tantum cognouerunt, quod in generatione oportet subijci, ac supponi aliquam naturam, ex qua procreentur res: quam tamen faciunt tantum vnam. Et quamuis videantur ponere quandam distinctionem, & inducere in illa ipsa natura dualitatem, dum magnum, & paruum proferunt, nihilominus nullam inducunt, neq; per hæc geminata vocabula intendunt significare aliqua duo. Cur à quia alteram, id est priuationem, neglexerunt. *Quia alteram neglexit*. Quibus verbis quasi excusat Platonem. Non secreuit Plato, (inquit Arist.) priuationem à materia, quoniam illam despexit: ductus hac ratione, quòd vna, ac sola materia permanet in generatione, atq; sola vt concausa simul cum forma, facit composita; recipiendo vid. in se formam, & è suo gremio promendo res, perinde ac facit mater. *Altera verò pars contrarietatis &c*. At verò priuatio, quæ est altera pars, & contraria formæ, Platoni non est visa digna, cui nomen principij detur, propterea quod est penitus non ens: Quod autem est penitus non ens, id porrò non debet statui principium. Quod autem priuatio sit penitus non ens, illud suadebit, quia si quis animum aduertat ad maleficium illius, qui est interitus, cuius terminus est non esse, indicabit eam *neq; esse penitus*. id est omninò non esse.

IV. Vnde sic poterit colligi pro Platone: Illud, quod in generatione permanet, & est concausa corum, quæ fiunt, & omninò se habet perinde, ac mater, debet inter principia annumerari: illud autem, quod est penitus non ens, & maleficium, debet negligi: sed primum est materia: secundum autem est priuatio: ergo materia debet annumerari inter principia: priuatio autem negligi.

(n)

TEXTVS LXXXI.



Xistente enim quodam diuino, & bono, & appetibili, aliud quidem contrarium ipsi dicimus esse; aliud autem quod natura aptum est appetere, & desiderare ipsum secundum suam ipsius naturam: quibusdam autem accidit, contrarium appetere suam ipsius corruptionem, attamen neq; ipsum suam ipsius possibile est, appetere formam, propterea quod non est indigens; Neq; contrarium, corruptiua enim sunt sui inuicem contraria: sed hoc est materia, sicut si fæmina masculum, & turpe pulchrum. verùm non per se turpe, sed secundum accidens, neq; fæmina, sed secundum accidens.

Textus hic vario modo cum præced. connectitur: ego sic necto. Posuit in calce tex. proximè antegressi rationem, cur Plato priuationem à numero principiorum eiecerit, quia vid. quicumq; eius maleficium considerauerit, opinabitur, eam esse penitus non ens. Vult itaq; Arist. in præsent. contex. ostendere, quod, non obstante hoc priuationis maleficio; adhuc ea inter principia debeat connumerari, vt aliquid à materia distinctum. Et hoc facit duabus rationibus: deinde corrigit aliud Platonis dictum. Quare particula illa, *enim*, quæ est nota continuandi hunc tex. cum superiore, reddit quidem causam, sed non eius, quod immediatè dictum est, cur scil. priuatio sit naturæ maleficæ, vt multi hallucinantur, sed reddit causam principalis asserti, quod quamuis priuatio sit naturæ maleficæ, nihilominus inter principia recensenda est, tanquam distincta à materia: vt tandem appareat quod Plato; cum eam non secreuerit à materia, errarit. I.

Illis itaq; verbis, *existente diuino quodam, & bono, & appetibili*, græce ὄντος γάρ τινος θείου, καὶ ἀγαθοῦ, καὶ ἐφετοῦ, qui genuin. absolut. clarius efferetur, si dicas, *cum sit*, siue *cum detur diuinum quoddam, & bonum, & appetibile &c.* quàm dicere *existente diuino quodam, & bono, & appetibili.*) insinuat duas rationes, siue duos medios terminos, quibus perstringit Platonem. II.

Vna ratio est: Datur inter principia aliquod diuinum, id est excellens, & bonum, quæ est forma, ergo datur etiam aliquod ei contrarium: Hoc non est materia, hæc quippe non aduersatur formæ: quare inter principia præter materiam datur priuatio distincta: malè igitur Plato eam non secernit à materia. Prima conseq. est nota, siquidem diuinum, excellens, & bonum est quod exuperat alia, quæ ab eo

in bonitate, & excellentia deficiunt, sicut tenebræ deficiunt à luce, & frigidum à calido, & nigrum ab albo, & ideò tenebræ sunt contrariæ luci, frigidum calido, nigrum albo; iccircò Philosophus hanc conseq; colligit vt notam, & inter viros doctos protritam, inquiens, *aliud contrarium ipsi dicimus esse.*

III. Secunda ratio sequitur ex prima. Datur inter principia aliquod appetibile, nam si est bonum, & diuinum, est etiam appetibile: ergo datur, *& aliud, quod natura aptum est appetere, & desiderare ipsum secundum suam ipsius naturam.* Hoc autem suapte natura appetens in prima non est forma: non est priuatio; sed est materia: ergo euidens est, materiam, & priuationem non esse vnum, & idem. omnia ista membra probat in tex.

IV. Sed prius animaduerte, in illis verbis latinis, *quibusdam autem accidit, contrarium appetere suam ipsius corruptionem: attamen neq; ipsum suam ipsius possibile est appetere formam*, duplicem insidere errorem. Priora verba græcè sunt, τοῖς δὲ συμβαίνει τὸ ἐναντίον &c. Dic. *His autem accidit, &c.* nimirum Platoni autem, cui inquit, & in præced. contex. & nunc edisserimus, accidit hoc inconueniens, *vt contrarium appetat suam ipsius corruptionem*

Alter error est, καίτοι οὔτε αὐτὸ ἑαυτοῦ οἷόν τε ἐφίεσθαι τὸ εἶδος &c. ita sunt, *attamen neq; ipsam suam ipsius possibile est appetere formam.* Primò, interpres, τὸ εἶδος, mutato genere, vertit, *formam*: deinde, illud, αὐτὸ, retinuit in suo genere neut. & vertit, *ipsum*. Præterea, non animaduertit, illud verbum, ἐφίεσθαι, apud nos construi cum genitiuo, qui in tex. præs. est ἑαυτοῦ: sed verbum transtulit, *appetere*, deinde retinuit illius casum ἑαυτοῦ, & vertit *ipsius*. Et peius facit, cum ipsum coniungit cum *forma*, & vertit dicens; *neq; ipsum suam ipsius possibile est, appetere formam.* Tu ad verbum sic verte. *Tum verò neq; possibile est, ipsam se ipsam appetere formam.* Ipsa forma non appetit seipsam, cur? *propterea quod non est indigens.* Si enim forma est diuinum, bonum, & omninò ea, quæ appetitur, qui vnquam indigebit se ipsa? & si non indigat, sanè non appetit. Hinc derida ineptam quorundam interpretationem, qui præfata verba trahunt ad compositum, vt sensus Philosophi sit, quod in præsentia appetens est vnum ex his tribus, aut compositum; aut priuatio, aut materia. At non est compositum, quia *ipsum* non appetit suam ipsius formam. cum eam iam habeat: Vnde inter alios Zabar. expendens hæc verba *non possunt*, inquit, *hæc verba intelligi de forma, sed de composito habente formam; forma enim non potest, dici sui ipsius forma.* quæ sunt splendidæ nugæ. Arist. sermonem habet de principijs: de composito autem nullum hic verbum.

Ex his conspicua est probatio illius minoris quo ad primam partem, quod illud appetens, de quo in præsentia est sermo, non est ipsa forma. Quod verò neq; sit priuatio, confirmat; *neque*, inquiens, *contrarium: corruptiua enim sunt sui inuicem contraria.* Ita sanè: quæ se inuicem destruunt, seipsa non appetunt: contraria, vt in re nostra, Forma, & priuatio se inuicem destruunt: non igitur priuatio potest appetere formam. Relinquitur itaq; à partium enumeratione, vt illud appetens sit sola materia, quod etiam exprimit Auctor, *sed hoc est materia.* V.

His ita constitutis, vrget Platonem. *His autem accidit contrarium appetere suam ipsius corruptionem. Ita confice*: si priuatio, & materia sunt omninò vnum, & idem, quemadmodum Plato asseuerat, sequitur aliquid appetere sui ipsius corruptionem: Hoc autem est maximum inconueniens, cum omnia appetant esse, & qua re cunq; possunt, annitantur illud conseruare; Consecutio verò prob. quia iam ostensum est, materiam secundum suam ipsius naturam appetere formam; si itaq; priuatio est omninò eadem cum materia, profectò priuatio etiam appetet formam: At forma est corruptio priuationis, illa namq; adueniente, hæc euanescit; quare si priuatio est omninò eadem cum materia, priuatio appetet sui ipsius corruptionem. VI.

Cum dixisset, solam materiam appetere formam, explicat qualis nam sit hic appetitus, & inquit, *sicut fæmina marem, & turpe pulchrum.* Exempla desumpta sunt a Platone, qui in Timæo materiam appellat fæminam, & turpe: sed corrigenda mox ab Arist. VII.

Quæ quidem exempla mirum in modum à quibusdam distorquentur. Sunt, qui dicunt, inter quos est Vicomer, quod materia ita appetit formam, *sicut fæmina marem*, id est, sicut fæmina cupit esse mas. Quæ expositio est absurda; tum quia similitudo Philosophi esset inepta, cum materia nunquam appetat esse forma: tum quia, si vlla vnquam fæmina cupit esse mas, huiusmodi appetitus est rei impossibilis: Appetitus autem materiæ reipsa adimpletur. tum demum, quia fæmina nequit euadere mas, nisi in se ipsa corrumpatur: Nihil autem cupit corrumpi.

Alij fæminam hic accipiunt in fieri, dum adhuc in vtero matris est embryo, & tendit ad acquirendam formam humanam. Tunc, aiunt, illa fæmina naturaliter inclinatur ad formam maris, Nam vnum quodq; naturaliter fertur ad eam perfectionem, quam potest habere, & actu non habet: Forma autem maris, siue mas ipse est perfectior, quam fæmina, cum, auctore Philosopho in secundo de VIII.

generat.

Digitized by Google

generatione animal. cap. 3. *fæmina sit quasi mas læsus*. Hinc fit, vt tunc fæmina, id est materia, quæ subest fæminitati, vtor eorum verbis, in fieri, appetat potius fieri mas, quam fæmina, ita materia appetit indui forma maris. Sic inter alios Federicus Pendas.in sua textura Naturalis Philosophiæ; M. Anton. Ianua, Lodoui. Buccafer. & aliquando secutus est Zabar. vt ipsemet fatetur in expositione horum verborum.

IX. Quæ expositio multipliciter falsa est. Primò, quia embryo, dum tendit ad formam humanam, actu eam non habet, ergo tunc nequit dici fæmina, neq; appetere formam maris. Secundò, quia dicti auctores male intelligunt formationem foetus: non enim ita debemus concipere, quod embryo primùm induatur forma fæminæ, neq; ipsa fiat fæmina, postea progrediatur vlterius, & euadat mas, sed fæmina fit propter defectum, aut conditionem materiæ, & fæmina, & mas tunc est, cum partes habent. quibus fæmina differt à mare, vt scribit Philosophus lib. quarto de generat. animal. cap. 1. Eodem autem auctore in septimo de Hist. animal. cap. 3. *Cum foetus in vtero formatur, fæmina tardius, quàm mas, perfectionem quarumcunq; partium recipit*. Tertiò, quia Arist. non ait, fæminam appetere formam maris, aut appetere fieri mas, sicut neq; materia cupit fieri forma, sed dicit, quod sicut, *si fæmina appetat marem*.

X. Germana itaq; illius exempli expositio est, quam insinuant Græci, quod ita materia appetat formam, sicut si fæmina appetant coniungi cum mare: Appetit, inquam, coniungi non propter delectationem, quamquam hæc quoq; ex ipsa naturæ intentione insit; sed quia ex tali coniunctione fæmina naturaliter perficitur.

Quod sic contemplare. Maxima fæminæ perfectio est generare, adeo vt aliqui dixerint, fæminam non ob alium finem esse à natura procreatam, quàm propter prolem. Ea in generatione est principium passiuum, ac proinde suapte conditione est quippiam indeterminatum, vt multis ostendi in lib. secundo de Anima. Principium autem passiuum eget reduci ad actum à principio actiuo: principium actiuum, siue agens in generatione est mas, eget igitur fæmina naturaliter mare, & ipsum naturaliter appetit, vt reducta ad actum generat; & determinata ad talem actum adipiscatur naturalem suam perfectionem. Sic materia suapte natura est principium passiuum, & de se indeterminatum: fit autem actu, & re ipsa determinata à forma existit: atq; ei iuncta edit compositum veluti prolem. Quo fit, vt naturaliter appetat iungi cum forma. Vide quàm pulchra, & apta similitudo.

XI. Vnde etiam apparent inanes quorundam obiectiones contra hanc expositionem. Prima est, quod fæmina desiderat coniunctionem maris, non vt ab ea perficiatur, sed vt delectetur: Materia autem appetit formam, vt perficiatur. Secunda, non magis fæmina appetit marem, quàm mas appetit fæminam, quare si Stagiritæ similitudo constat, dicendum erit, quod ita materia appetit formam, quemadmodum vicissim forma appetat ipsam materiam. Quod tamen asserendum non est.

Inanes inquam sunt, nam fæmina, vt dixi, appetit marem, vt perficiatur, mas autem appetit naturaliter prolem, propterea quod ex secundo de Anima tex. 34. *naturalissimum est omni animanti generare sibi simile*. & consequenter naturaliter appetit etiam formam, sine qua prolem habere non potest. sicut pulchrè explicat Philosophus in primo Polit. cap. 2. sed non appetit vt perfectiuum sui, sed vt id, quod ipse perficit. Naturalis autem appetitus syncere est erga illud, quod aliquis non habet, & ex cuius acquisitione perficitur: & talis est appetitus materiæ, vt infra latius explicabo.

Sic intelligo etiam alterum exemplum, & XII.
si turpe pulchrum. Turpe appetit pulchrum, vt ab eo exornetur. An verò alia, quæ pulchra non sunt, instinctu quodam excitantur ad pulchra? vnde pulchrum est, quod alia ad se allicit, & nobis pulchrum καλὸν dictum est à καλεῖν, quod est voco, quia omnia ad se vocat. Neq; te turbet obiectio quorundam, inter quos est Pandas, quod si turpe appeteret coniunctionem cum pulchro, appeteret, apparere turpius, quàm in se sit, cum opposita iuxta se posita magis elucescant. Item, turpe non appetit iungi cum pulchro, vt inter ea fiat comparatio, sed vt ab illo exornetur, quemadmodum dixi.

Validius posset obijci, quia Arist. in tex. ait, contrarium non appetere suum contrarium: At turpe, & pulchrum sunt contraria, quare illud non appetit istud, aut falsa est comparatio. Respon. quod vnum contrarium in abstracto non appetit alterum: talia sunt forma, & priuatio, & sic turpitudo non appetit pulchritudinem: benè autem in concreto. sic Arist. in lib. sexto Eth. ex veteri effato dicit, quod *terra amat imbrem*.

Postremò, corrigit vtrumq; hoc Platonis ex- XIII.
emplum: *Verùm non per se turpe, sed secundum accidens, neq; fæmina, sed secundum accidens*. Plato materiam, nulla adhibita limitatione, appellauit turpem, ac fæminam: At optimus magister ait, materiam neutiquam esse turpem per se: neq; per se fæminam. Quid ita? quia, quod est per se tale, nequit ex suo illo esse remoueri, nisi corrumpa-

tur: ita si materia esset per se turpis, nunquam posset à forma exornari, & si per se esset indeterminata, ac imperfecta, nunquam posset determinari, ac perfici à forma, nisi in seipsa corrumperetur. Quo si, vt si per se esset turpis, ac per se fæmina, appetendo, appeteret sui ipsius corruptionem; sed dicitur, & turpis, & fæmina per accidens, vid. ratione priuationis, nam apetit formam, quia ea caret.

TEXTVS LXXXII.

Corrumpitur autem, & fit, est quidem vt sic; est autem, vt non; quatenus enim est, id in quo, secundum se corrumpitur: quod enim corrumpitur in hoc, est priuatio. quatenus autem secundum potentiam, non per se, sed incorruptibilem, & ingenitam, necesse est ipsam esse. Si enim fiat, subijci aliquid oportet primum ex quo inexistente fiet: hoc autem est ipsius natura; quare erit antequam fiat, dico enim Materiem, primum subiectum vniuscuiusq., ex quo fiat aliquid, cum insit, non secundum accidens: & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum: quare corrupta erit, antequam corrumpatur.

I. Pro coronide tractationis materiæ: probat in præs. tex. eam per se esse ingenerabilem, & incorruptibilem. Cuius instituti triplex est ratio: Primò, quia ostendit, eam per se quidem neq; oriri, neq; interire posse: at secundum quod dicit priuationem, vtrumq. pati. ex quo euidentius adhuc colligitur aduersus Platonem, priuationem, & materiam haud esse omninò idem. Secundò, quia perennitas materiæ maximè conducit ad exactiorem illius cognitionem. Tertiò, quia in præced. non semel materiam dixit fieri, & generari, vt in tex. 58. 59. & 60. quocirca necessè habuit explicare, qua ratione fiat, & qua non.

In tex. tria facit. Primò, statuit distinctionem: Secundò, ponit primam conclusionem de eo, quod per se in materia corrumpitur. Tertiò, statuit alteram bimembrem conclusionem, eamq. confirmat pro vtraq; parte. Distinctio est, *corrumpitur autem & fit, est quidem vt sic, est autem vt non*. Materia, siue aggregatum ex materia, & priuatione, secundum vnam rationem corrumpitur: secundum aliam autem non corrumpitur. De hoc dicendi modo ἔστι μὲν ὥς, ἔστι δ' ὡς οὔ. *est quidem vt sic, est autem vt non*, dixi ad tex. 67.

II. Deinde, ponit primam conclusionem, quæ talis est. ὡς μὲν γὰρ τὸ ἐν ᾧ, καθ' αὑτὸ φθείρεται. Quæ verba malè habentur in omnibus latinis cod. *quatenus enim est id in quo, secundum se corrumpitur*, ita vertit etiam Argyr. *Nam vt est quidem id in quo, per se corrumpitur*: Quæ translationes omninò mutant ementitissimi auctoris sensum: *Nam id in quo*, est materia: significat enim illud subiectum, in quo est aliud. Hæc autem est materia, in qua est priuatio: quare iuxta latina verba conclusio Stagiritæ erit hæc. Aggregatum ex materia, & priuatione, quatenus est materia, per se corrumpitur. Quod falsissimum est, & Arist. è regione oppositum asseuerat. Quid his non miscent, præsertim aliqui recentiores, vt Vicomer. Pendas. Zabar. Piccol? quorum ego dicta absit. vt referam, nedum confutem. Non merentur. Vnde non est mirum, si Arab. & Latini interpret. torquentur, & inueniunt, vt ipsi aiunt, in Aristotelis conclusionibus euidentes contradictiones.

Tu sic verte, *vt enim est id, quod est in hoc, secundum se corrumpitur*, & sensus est: Illud aggregatum ex materia, & priuatione, quatenus est priuatio, & est id, quod est veluti quoddam accidens in materia, secundum se corrumpitur. Hunc intellectum vnus Simplic. quoquo pacto olfecit, dum in com. ita scribit. *Vocat autem accidens ipsi, id in quo, pro eo, quod est in ipsa: id est in materia: nam accidentis hæc est natura, vt sit in aliquo, & illud in quo, propriè quidem subiectum indicat*. Quid verò antiqu. translatio ceu per vmbraculum vidit, quo hic tendendum sit, dum ita vertit, *secundum quidem enim quod est in quo, secundum se corrumpitur*: Vides quomodo non dicit, secundum quod est *id in quo*, quia hæc locutio significat materiam, sed ait, *secundum quod est in quo*, videl. secundum quod est priuatio, & vt est in alio. Hoc apertissimè declarat Auctor subsequentibus verbis, *quod enim corrumpitur in hoc est priuatio*. III.

Cape itaq; integrum huius loci sensum, & auctoris consilium. Totum, inquit, hoc aggregatum ex materia, & priuatione secundum vnam rationem corrumpitur per se, secundum aliam autem non corrumpitur per se: Corrumpitur per se, quatenus est priuatio, & veluti quoddam accidens in materia: non corrumpitur autem per se (vt mox in altera conclusione dicet) secundum quod est materia: ergo magna est differentia inter priuationem & materiam, quam differentiam cum non animaduertetit Plato, errauit.

Hæc est legitima interpretatio: nihilominus vt videas quomodo fecunda quorundam ingenia supra vano fundamento, speciosas plerumq. extollunt machinas, subijciam hic aliam eorundem verborum interpretationem, retenta versione latina, *quatenus enim est id, in quo, secundum se corrumpitur*. iuxta quam versionem *corrumpi per se*, non refertur ad priuationem, sed ad materiam. Dicunt isti, materiam dupliciter posse considerari: Primò, secundum modum existendi, siue secundum existentiam: Secundo in sua essentia. Materia non habet propriam existentiam, sed omnem emendicat à forma: habet autem propriam essentiam, est quippe potentia quædam substantialis. Dicit itaq; Arist. quod materia secundum quod est id in quo, videl. secundum quod est id in quo est forma, a IV.

proinde

Digitized by Google

proinde secundum quod existit, corrumpitur per se, quia abeunte hac forma, hæc materia amittit hanc existentiam, & induta alia forma, accipit aliam existentiam. Quod autem amittit, & acquirit existentiam, id porrò per se dicetur corrumpi. sic igitur materia dicitur hic *quatenus est id in quo*, per se corrumpi. secundum autem suam essentiam. vt mox Auctor asseret, est ingenerabilis, & incorruptibilis.

V. Quæ expositio ingeniosa est, sed non ad mentem Philosophi. Primò, non attingit eius intentionem, quam nuper exposui. Secundò, quia nunquam Philosophus concedet, materiam per se corrumpi. Tertiò, hanc interpretationem conuincunt subsequentia verba, quibus luculentissimè asseritur, id quod in præsenti corrumpitur per se, non esse materiam, aut existentiam ipsius, sed priuationem, *quod enim corrumpitur in hoc est priuatio*. & ita perpende, quod hæc est ratio supradicti asserti.

VI. Ponit deinde secundam conclusionem, *quatenus autem secundum potentiam, non per se, sed ingenerabilem & incorruptibilem necesse est esse* illud aggregatum ex materia, & priuatione, in quantum dicit potentiam; nimirum vt est materia, cuius essentia est potentia *non per se*, supple, non corrumpitur per se: sed hac ratione per se est ingenerabilis, & incorruptibilis.

Probat. si materia secundum suam essentiam fieret, & corrumperetur, sequitur, quod esset materia, antequam fieret & similiter esset corrupta, antequam corrumperetur. Hoc est omninò impossibile, quare ea neq; fieri, neq; interire potest. Conseq. probat, quia si materia fieret, ac generaretur, oporteret in eius generatione *subijci aliquod primum; illud, inquam, ex quo inexistente fieret*. propterea quod quicquid fit, id ex aliquo primo inexistente fiat necesse est: cum ex nihilo nihil fiat, sed natura materiæ est hæc, vt sit primum, quod in generatione subijcitur, ex qua inexistente cuncta oriuntur: ergo si materia fieret, ea præsupponeretur, antequam fieret. Ita si corrumperetur, esset corrupta antequam ea ipsa corrumperetur: & etiá remaneret post. Nam omne quod corrumpitur, desinit vltimum in materiam: non enim terminatur in nihilum: At natura siquidem materiæ est, vt sit vltimum, in quod abit aliquid, cum corrumpitur. Vtramq; hanc partem probat Arist. proponendo definitionem materiæ. *Dico*: inquit, *materiam, primum subiectum vniuscuiusq; ex quo fit aliquid cum insit non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum*.

VII. Quæ quidem definitio quo ad singulas sui partes erunt ex hucusq; in hoc libro dilucidatis. Verum enim verò materia dicitur *subiectum*, tum quia in ea subiectatur forma, tum quia in eadem fit generatio. Quæ particula tenet locum generis, cum subiectum latius pateat, quàm materia.

At quia etiam substantia completa, V. G. paries, est subiectũ formarũ accidentaliũ, quæ tamé substantia completa præsupponit alteram sui partem, materiam, vt subiectum: vnde etiam appellatur materia secunda, propterea in definitione apponitur *primum*, quod vid. non resoluitur in aliud subiectum prius: Et quod est subiectum formæ primæ, id est substantialis. Per quæ quidam verba materia prima distinguitur tum à forma, tum à materia secunda, vt de se manifestum est.

Adiungitur vniuscuiusq; græcè τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάστῳ, *ipsum primum subiectum vnicuiq;*, id est, materia est illud primum, quod vnicuiq; subijcitur.

Ex quo fit aliquid, cum insit non secundum accidens. Ante omnia caue, hæc verba, *cum insit*, referas ad illud, *fit aliquid*, vt sensus sit; ex quo fit aliquid: id est forma, quæ educitur ex materia, cum in ea insit,) quemadmodum plerįq; omnes latini exponunt. Et quia formæ substantiales continentur in materia per se, id explicetur per subsequentia verba, *non secundum accidens*, caue, nunquam, ita intelligas, sed refer ad materiam, quod vid. ex ea fit aliquid, ita vt illa insit, & remaneat in re facta: græcè ἐξ οὗ γίγνεταί τι ἐνυπάρχοντος. Ad verbum dic, ex *quo fit aliquid inexistente*. Præterquam quod, *aliquid*, hoc loco significat particulare, quia particularia sunt, quæ fiunt: Modo formæ rerum insunt potentia in materia, non res ipsæ. Itaq; materia est illud subiectum, ex quo inexistente fiunt res. Per quæ quidam verba vides luculentam distinctionem materiæ à priuatione: quippe etiam ex priuatione fiunt res, vt dicitur in tex. 58 & 63. verùm non vt inexistente, ac perseuerante in re facta; priuatio enim non inexistit in re genita, vt in illis ipsis tex. asseritur, sed fiunt ex priuatione vt ex termino à quo, & aliquo recedente.

Verba autem illa, *non secundum accidens*, dupliciter exponuntur. Simplic opinatur, ea idem significare, quod præcedentia, *cum insit*, vel vt nos vertimus, *inexistente*. Cuius ratio est, quia fieri aliquid ex aliquo inexistente, ac permanente in re facta, est illud fieri per se: profectò non fit secundum accidens. Adduntur itaq; præfata verba, *non secundum accidens*, veluti declaratiua à contrario sensu verborum præcedentium, ita vt illa omnia ponantur ad declarandam vnam, ac solam distinctionem materiæ à priuatione, vt integer sensus sit, quod materia est id, ex quo aliquid fit per se, non secundum accidens, sicut etiam ex priuatione res dicuntur fieri. Nec te turbet, quod Arist. addat huiusmodi verba, *& non secundum accidens*, vt præcedentium explicatiua: solet enim ipse id non semel facere, vt videre licet in definitione Naturæ libro secundo tex. 3. & in definitione loci lib. quarto tex. 42. & alibi sæpè. VIII.

Alexan. autem Aphrod. referente eodem Simplic. in ea fuit opinione, ea verba, *non secundum accidens*, nequaquam addi propter priuationem, quia, inquit, priuatio satis fuit exclusa, ac distincta à materia per illa verba *cum insit*, siue *inexistente*. Deinde, quia in definitionibus non debent obtrudi

verba

verba, quæ idem significent: sed adijci, inquit Alexan. dicta verba propter quædam alia, quæ simul cum materia in re facta perseuerant quidem, sed tamen sunt per accidens. V.G. si ex ligno rubro cudatur statua, statua non fit per se ex illo colore, sed ex accidente, quamuis color ille in statua facta permaneat. Dicit itaq; Philosophus, ad aures Alexandri, materiam esse primum omnium subiectum, ex quo inexistente, ac permanente in re fit res per se, non autem secundum accidens, sicut rubedo ligni permanet quidem in statua, sed tamen statua non dicitur fieri per se ex illa rubedine.

IX. Equidem priorem interpretationem existimo syncetam, tum quia Arist. hoc loco sermonem habet de materia prima, quam a materia secunda secreuit per illam vocem *primum*. Atqui in generatione substantiali cum materia prima nulla accidentia permanent: cum in eiusmodi generatione fiat resolutio omnium, vt suo loco dicam. quare verba illa, *non secundum accidens*, non possunt poni propter alia, ex quibus permanentibus in re facta dicerentur, hæc fieri per accidens ex ijs: Tum etiam, quia per præcedentia verba, ex quo fit aliquid, cum *insit*, siue *inexistente*, non solum excluditur priuatio, sed omnia etiam illa, quæ Alex. contendit, excludi per subsequentia verba. Nam fieri ex inexistente, est fieri per se: quare per hanc ipsam particulam excluduntur omnia, ex quibus aliquid non fit per se: At ex illis recensitis ab Alex. res non fit per se: ergo etiam illa excluduntur per illam eandem particulam. Falsum igitur est, hæc abijci per subsequentia verba, *non secundum accidens*.

X. Nec te turbet, quod objicitur videl. in definitionibus haud esse abtrudenda verba idem significantia. Hoc porrò in definitionibus quidditatiuis fieri non debet, at in descriptionibus nil vetat, quominus addantur aliqua, quæ vberius dilucident præcedentia: sic facit Arist. in definitione naturæ lib. secundo tex. 3. sic in lib. quarto tex. 42. in definitione loci, & alibi sæpe, dum adiungit eadem verba, *& non secundum accidens*.

XI. Sequitur, *& si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimùm*. Iure merito materia constituitur subiectum, in quod vltimùm resoluitur compositum substantiale, dum corrumpitur. Nam primum origine vtiq; censendum est vltimum resolutione. Quod si materia est vltimum, in quod corruptum abit, non enim corruptio desinit in nihilum; profectò impossibile est, eam posse corrumpi. alioquin aut esset corrupta, antequam corrumperetur, aut remaneret superstes, postea quam fuisset corrupta; quorum vtrumq; contradictionem inuoluit: est igitur materia secundum suam essentiam ingenerabilis, & incorruptibilis, vt in reliqua textus parte idem Philosophus colligit.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 82.

Circa naturam, & conditionem materiæ primæ plurimæ, & eximiæ agitantur inter scholasticos controuersiæ, quas indicabo quidē inferius; ex instituto autem discutiam vna cum Arist. in lib. primo de ort. & inter: nunc eas duntaxat excito, quæ ex præs. contex. videntur oriri. Prima est, quod illa verba, *quatenus enim est id in quo, siue quatenus est id, quod est in hoc, per se corrumpitur*, non exposuimus, quod in quantum est priuatio, per se corrumpitur. Ast id illicò apparet impossibile: quia priuatio est non ens, Non ens autem qui vnquam potest per se corrumpi? Quod enim per se corrumpitur, abit in tale non ens, quale illud prius non erat: At non ens in quod nam, & quale non ens abibit? Accedit, quod priuatio est quædam corruptio; ergo implicat, eam posse corrumpi, alioquin dateiur corruptio corruptionis. Adhæc, Arist. in princip. tex. distinguit ortum, & interitum illius totius aggregati ex materia, & priuatione, dum inquit, *corrumpitur autem, & fit &c.* postea de priuatione solum, explicat quomodo corrumpitur: cur non etiam explicat, quomodo fiat? XII

Facile occurritur. Priuatio dicitur ab Stagirite per se corrumpi, non quod re ipsa, ac propriè intereat, sed dicitur corrumpi per se, in comparatione ad materiam: quia vid. priuationi competit corruptio, seu desitio ratione sui, & non per aliud: materiæ autem per se, & ratione sui non competit vlla corruptio, aut desitio, sed benè per accidens, quatenus in ea corrumpitur hæc, aut illa priuatio, ex hæc, aut illa existentia, corrumpitur hæc, aut illa forma substantialis, quemadmodum in summa indicaui. Adde, quod vnicuiq; vt competit esse, ita etiam corrumpi. Atqui priuatio non est omninò non ens: quemadmodum est V.G. pura negatio, sed denotat realem aptitudinem in subiecto, vt diximus ex quinto Metaphys. tex. 27 quare potest etiam aliquo modo dici, corrumpi per se. XIII.

Ad 2. respond. Corruptio formaliter non est priuatio, sed est veluti via ad priuationem, quæ ad illam consequitur, ceu quædam concepta forma. Qua ratione legimus in secundo lib. huius operis tex. 15. quod *priuatio forma quodammodo est*. Ad 3. dic, quod ex modo, quo priuatio interit, colligimus modum, quo oritur. si contrariorum est eadem ratio. XIV.

Secundo dub. quia Arist. hoc loco difinit materiam absolutè, ac sine vllo respectu: & cum definitio præstet nobis cognitionem definiti, materia erit absolutè, & sine vllo respectu cognoscibilis. Cuius oppositum docuit in tex. 69. inquiens materiam esse *scibilem per analogiam*.

Deinde, in tertio lib. de coelo tex. 61. statuit *oportere fortassis sensibilium quidem sensibilia, sempiternorum verò sempiterna, corruptibilium autem corruptibilia esse principia, atq; omninò eiusdem generis cum ijs, quæ subijciuntur*. At in hoc tex. decernit,

Digitized by Google

æternis, rerum phisicarum, & corruptibilium principium, id est materiam esse incorruptibile, atq; æternum.

Præterea, In decimo Metaphys. tex. 22. determinat, *nihil secundum accidens corruptibile esse* Hic autem asseuerat materiam secundum accidens corrumpi. Accedit, quod in nono Metaphys. tex. 1. legimus, sempiterna esse priora, ac præstantiora mortalibus, inquit enim, *æterna priora corruptibilibus substantia sunt*. si igitur hoc loco materiam facit incorruptibilem, & æternam, & ex altera parte forma est caduca, & corruptibilis, fateator necesse est, materiam esse, & priorem, & præstantiorem forma: Hæc autem quis vnquam feret.

Ad extremum, Res corrumpitur propter materiam, vt legitur in sexto Metaphy. tex. 5. quare, ea magis corrumpitur. siquidem propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.

XV. Ad 1. respond. re vera allatam materiæ definitionem includere respectum tum ad formam, tum ad compositum: proindeq; etiã per analogiam. Enimverò si materia est subiectum, nonne respicit id, cuius est subiectum? Hæc autem est forma si ex ea inexistente fit aliquid, nonne innuit compositum? quod enim ex ea fit, compositum est. Demum, si in corruptione est vltimum, nonne indicat compositum, quod corrumpitur? & omninò materia ita *se habebit ad substantiam, & hoc aliquid, & ipsum quod est: vt ad statuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliud aliquid habentium formam materia. & informe se habet: priusquàm accipiat formam?* vt in tex. illo 69. asseritur.

Ad 2. respond. Principia æternorum debent omnia esse æterna, & hoc asserit in tex. illo 61. principia autem rerum caducarum quædam in particulari sunt corruptibilia, vt est forma, & si vis, etiam priuatio, quamquam in cõmuni seruentur potentia: aliquod autem, vid. materia, est principium commune tum omnibus sublunaribus, tum etiam corporibus coelestibus, quamuis cum aliqua differentia, vt in lib. de coelo dicetur, & hoc nihil vetat, esse interitus expers, ac sempiternum.

XVI. Ad 3. respond. aliquid corrumpi, vel non corrumpi per accidens, gemino modo potest intelligi: Vno quidem, quando non corrumpitur ratione sui, sed ratione subiecti, in quo est. ita dicuntur corrumpi omnia accidentia in corruptione compositi substantialis: quia ad illius interitum desinunt. Secundò, dicitur aliquid corrumpi per accidens, quia corrumpitur aliquid, quod est in subiecto: quem corruptionis modum aliqui cum Simplicio vocant corrumpi obiectiuè. ita dicimus corrumpi album, quia corrumpitur albedo, quæ in subiecto est. Hoc pacto materia dicitur corrumpi per accidens, quia corrumpitur in ea tum priuatio per aduentum formæ, tum existentia, per quam materia existebat ope præexistentis formæ. Atq; de his corruptionibus secundum accidens non loquitur Philosophus in decimo illo Metaphys. citato: sed sermonem habet de re ipsa, quæ corrumpitur.

Statuit quippe eo loci contrariorum alia quidem esse eiusmodi, vt vnum de se tale, possit secundum accidens esse oppositum. V. G. coruus, qui de se est niger, potest ex accidenti fieri albus, si tali colore oblinatur: Alia autem esse, quæ id pati nequeunt. Subdit exemplum vt corruptibile, & incorruptibile, siquidem quod de se est corruptibile, id nequit per accidens esse incorruptibile: quia, inquit *nihil corrumpitur per accidens*: nam esse corruptibile, vel incorruptibile, consequitur necessariò naturam, atq; essentiam rei, quæ neq; etiam secundum accidens valet immutari. quemadmodum homo nequit per accidens esse irrationalis. Hoc indicat Philosophus, dum ait, *corruptibile autem de numero est eorum, quæ his, quibus competunt, necessariò insunt*, alioquin. *idem, & vnum corruptibile, atq; incorruptibile erit*. Ad quem locum Angelicus Doctor solita sua pietate adnotat, *quod licet hoc sit verum secundum naturam, per hoc tamen non excluditur, quod virtus diuina possit aliqua corruptibilia secundum suam naturam, incorruptibiliter conseruare*. Hinc habes, quomodo locus in argumento inductus nullo pacto officit materiæ, quam hic tractamus.

Ad 4. respond. sempiterna vtiq; præstare mortalibus, quando fit comparatio inter res eiusdem conditionis: At in argumento comparatur materia, quæ suapte natura est potentia, proindeq; imperfectissima, cum forma, & actu: ob id comparatio nulla est. XVII.

Ad 5. Regula illa, propter quod vnumquodq; &c. in præsenti deficit, quia id, quod prædicatur in propositione posita in argumento, id est corruptio, non competit vtriq; extremo, scil. materiæ, & composito. Deberet autem competere, ad hoc vt verificaretur: sic enim ea regula intelligitur, & de hoc tex. satis.

(O)

TEXTVS

TXTVS LXXXIII.



E principio autem secundum Formam; vtrum vnum, an plura, & quot, aut quæ sint, cum diligentia, primæ Philosophiæ opus est determinare, quapropter in illud tempus reponatur: De Physicis autem, & corruptibilibus formis in posterius demonstrandis dicemus. Quòd igitur sint principia, & quæ, & quot numero, determinatum sic à nobis sit. Rursus autem aliud principium sumentes, dicamus.

I. Iobuiam in hoc tex. tacitæ cuidam petitioni. Posset quispiam ab Aristotele expectare consimilem declarationem de forma, quæ constituta est vnum ex tribus principijs, qualem de materia prima, & de priuatione exequutus est: ea suffultus ratione, quod materia, & forma, iuxta præscripta in secundo lib. huius operis tex. 26. sunt correlatiua: Qui autem vnum correlatiuorum dilucidat, tenetur alterum quoq; dilucidare. Cum itaq; adeò accuratè natura, & conditio materiæ primæ hactenus enucleata sit, eadem profectò ἀκριβεία prima etiam forma videretur explicanda. Occurrit Philosophus. Et in tex. quatuor facit. Primò, indicat proprium locum huius tractationis. Secundò, ostendit de quibusnam formis acturus est, vt Philosophus naturalis: Tertiò, facit epilogum eorum, quæ de principijs in hoc lib. discussit. Postremò, proponit nouam tractationem, quam mox in lib. sequenti aggrederetur.

II. Ait itaq; *de principio secundum formam, vtrum vnum, an plura, & quot, & quæ sunt, cum diligentia, primæ Philosophiæ opus est determinare.* Porrò quid per principium secundum formam denotet? Primo quidem aspectu videtur significare formam physicam: tum quia forma physica respondet materiæ primæ, quæ physica est: Tum etiam, quia ea forma hic exponi debet, quæ inter principia rerum naturalium posita est. Huiusmodi autem forma est physica. At res haud ita se præbet. Verùm peritiori artificio *per principium secundum formam*, intelligit genus formarum abstractarum.

Procutius rei intelligentia reuoca in memoriam ex secundo Metaphys. tex. 3. quod in omni genere causæ est accipere vnum primum, *secundum quod & in alijs inest vniuocatio*. Est in natura rerum vnum primum mouens, seu efficiens omnium: Vna prima omnium materia: Vnus vltimus cunctorum finis. Vna deniq; prima forma. Duo priora, vid. primum mouens, & prima materia, vt optime adnotauit Auerr. in proœm. ad hunc lib. sunt physicæ contemplationis, siquidem Naturalis Philosophus ex instituto vtrumq; istorum inuenit: Primam quidem materiam per transmutationem secundum substantiam: primum autem mouens per motum, quemadmodum Arist. facit in oct. lib. Duo verò posteriora, primam, inquam, formam, & finem omnium vltimum, contemplari, atq; expendere, non attinet ad naturalem, sed ad Primum Philosophum. Hanc igitur primam formam intelligit Stagirites per *principium secundum formam*. Non quod ea sit correlatiua primæ materiæ, neq; quod sit principium rerum natura constantium, & cum materia iuncta faciat res naturales. Nihil huiusmodi: sed eo consilio tangit hanc primam formam, vt quemadmodum edisseruit de prima materia, quæ in suo genere est absolutè prima, sic indicaret etiam radicem formarum, & alterum extremum, quod in genere formæ est tridem absolutè primum, à quo cæteris formis inest vniuocatio.

Quamuis autem forma absolutè prima existat vna duntaxat numero, prima, inquam, illa mens atq; ens, *à quo pendet coelum, & vniuersa natura*, vt dicitur duodecim. Metaphys. tex. 49. attamen per quandam analogiam, Arist. *per principium secundum formam*, intelligit omnes formas abstractas, quemadmodum etiam in oct. Phys. & duodec. Metaphys quæcunq; de primo motore, & prima intelligentia dicit, eadem per attributionem vult intelligi de reliquis etiã motoribus abstractis; sic in præsenti. Dicit ergo determinare, δι᾽ ἀκριβείας, *exquisitè*, vtrum istud principium secundum formam sit vnum, an plura, & quot numero, & quæ, haud esse præsentis, & physicæ tractationis, sed attinere ad Metaphysicam iccirco ad eum vsq; locum expectes, & sustineas necesse est. Exsequitur autem promissa in duodec. Metaphys. Porrò consultò ait, Primæ Philosophiæ partes esse de principio secundum formam exquisite determinare, quia etiam Physicus de hoc genere formarum abstractarum agit, sed non exacta inquisitione, sed solum quantum ad existentiam, & planè in confuso. III.

Subdit, *de physicis autem, & corruptibilibus formis in posterius demonstrandis, dicemus.* Male nonnulli, τῶν ψυχοδιάνων, quos inter est Zabar. dicunt, particulam, *&*, hoc loco haud esse continuatiuam, sed declaratiuam, quia, inquiunt omnis forma physica est corruptibilis, quam propositionem eo consilio proponunt, vt trudant etiam animam rationalem inter formas corruptibiles. Hem, particula illa, *&*, hoc loco vera est copulatiua, quinimo limitat: Nec temerè adiungitur ab Aristotele physicis, *& corruptibilibus*, sed ideò, quia apud eum datur aliqua forma physica, quæ re ipsa corruptibilis non est, cuiusmodi est forma humana. Hunc locum considerauit etiam in opere de Triplici statu animæ Disput. quinta sect. 9. Inquit itaq; Stagirites de genere formarum physicarum, & corruptibilium inferius agendum fore: quòd istarum contemplatio est physica: Et hæc forma est correlatiua materiæ, & principium generationis. IV.

At di-

At dices. Philosophus Naturalis agit de formis cælorum motricibus, vt in octauo huius operis lib. constat: At huiusmodi formæ neq; corruptibiles, neque omninò physicæ sunt: malè igitur ait Arist. Philosophum Naturalem agere solum *de formis physicis, & corruptibilibus.*

Respondeo, Physicum agere de formis cælorum motricibus, ac ipso primo motore, non absolutè: qua sunt formæ ab omni materia abiunctæ, sed qua sunt principia motus, qua ratione dicunt habitudinem tum ad motum, tum ad mobile, & hoc sufficit, vt Naturalis Philosophus de ijs agat ex officio, vt in principio ad lib. octauum explicabo.

V. Dein adijcit Arist. epilogum, *quod igitur sint principia, & quæ, & quot numero, determinatum sic à nobis sit.* Ait, se dixisse, *quod sint principia.* non quod directè, ac per se patefecerit, ea esse: nam hoc facere, non est opus Physici, vt ipsemet Philosophus docuit in tex. 83, sed id præstitit, partim quidem indirectè, refellendo fallas opiniones Veterum Philosophorum, qui dum pro principijs ea ponerent, quæ non poterant esse principia, quodammodo ea auferebant. partim præstitit indutus habitu dialectico, & Metaphysico. Adhæc ait, se aperuisse; *& quæ sint.* id autem factum fuit, dum est inuenta necessitas materiæ, dum sunt posita duo contraria, & vnum subiectum; dum ostensum est, materiam, & priuationem fundamento esse vnum; ratione autem duo. Postremo, *quot numero sint*, vid. tria. Atq; hic epilogus artificiosissimè respondet propositioni factæ in primo tex. huius libri. Ibi enim proposuit, *primum determinare ea quæ sunt circa principia scientia, quæ de natura est.* hic colligit, se id iam præstitisse.

Rursus autem aliud principium capientes dicamus. Quæ verba Auerr. tripliciter exponit. Primò, quod Arist. per *aliud principium* tot e innuat primũ mouentem, in cuius gra[tia] ... applicatur omnia alia in hoc opere Phys. *omne enim, de quo loquitur Arist. in hoc lib.* id est, in opera Phys. *principaliter est propter illud primum.* Secundò, quod per *aliud* principium denotet initium doctrinæ, quia absolutè, & per se loquendo, initium scientiæ naturalis debat *esse à secunda tractatu*, id est, ab hoc secundo, lib. Tertiò, quod per *principium* intelligat naturam, quæ est principium motus, de qua instituit agere in 2. lib.

Quarum solutionum prima est falsissima. Et, vt alia sileam, falsum est, omnia, quæ in lib. Phys. tractantur, explicari in gratiam primi motoris: imo primus motor assumitur ad explicandum primum motum, vt ad initium lib. oct. dicam.

Secunda est absurda, vt ex connexione libri secundi apparebit. Tertia nihil explicat Et etiam, quia Philosophus non dicit simpliciter, capiendum esse principium, sed *aliud* principium. Quare per dicta verba denotat tractationem de ijsdem principijs secundum aliam rationem, vt in connexione libri sequentis explicabo.

Finis textuum libri primi.

DISPVTATIO I.

DE PRINCIPIO MATERIALI.



Exactam materiæ primæ tractationem differam ad primum lib. de Ort. & inter., quòd eo loci Stagirites eius naturam, & conditionem ex instituto inuestigat, atq; aperit: & complures expositorum eam ipsam ibidem expendunt: Nihilominus ne te in præsens ieiunum dimittam, vtque aliquo pacto prospicias, quò tendendum sit, tangam de ea aliqua breuiter, & strictim. I.

SECTIO I.

An in rerum natura sit materia prima, & quid ea sit.



Reperiri in rerum natura primam materiam, iam ex ijs, quæ ab Stagirite in hoc lib. enucleata sunt, abundè deprehendisti. Et adhuc sic deprehendes. Primò, quia in omnibus, quæcunque transmutantur, ac fiunt, necesse est, aliquod subiectum substerni, vt in ipsis transmutationibus accidentalibus animaduertere licet, in quibus videmus perpetuò subijci aliquod subiectum. Datur autem aliqua transmutatio substantialis, in qua neque idem nomen, neq; eadem definitio rei transmutatæ seruatur, quare necesse est, in ea supponi aliquod subiectum, quod exuat vnam formam substantialem, & accipiat alteram, ratione quarum, tum essentiam, tum etiam nomen immutet. Subiectum huius transmutationis est materia prima. II.

Secundò, eam ipsam colliges ex conditione agentis naturalis. Quippè agens definitur in nono Metaphys. tex. 2. quod sit, *principium transmutandi aliud, quatenus aliud.* Omne autem id, quod agens physicum transmutat, omninò aut materia est, aut certè materiam

Digitized by Google

habet: alioquin non poſſet illius influxum recipere. Adde, quod omne, quod propriè generatur, eſt compoſitum, ex lib. primo Phys. tex. 64. & ſeptim. Metaphys. tex. 27. & lib. octauo tex. 14. Compoſitum verò phyſicum conſtat ex materia, & forma, tanquam ex internis ſuis principijs.

Tertiò, quia niſi eſſet materia, non darentur multa indiuidua ſub eadem ſpecie. Quid ita? quia materia eſt radix, cur aliqua numero differant; Etenim, *quæcunque multa numero, materiam habent*, ait magnus præceptor duodec. Metaphys. tex. 49 Hinc definiens idem Philoſophus in quinto eiuſdem operis lib. vnum numero ait, *eſſe id, cuius materia eſt vna*.

Ad extremum, datur in Vniuerſo actus purus in genere entis, cuiusmodi eſt rerum apex, Deus quemadmodum in octauo. Phys., & nono, ac duodec. Metaphys. demonſtratur. Dantur actus coniuncti cum potentia, vt ſunt compoſita. qua re debet etiam dari potentia in genere eiuſdem entis, quæ vt alterum extremum de ſe ſit immunis a quocunq; actu, *etenim contrariorum, ſi alterum natura eſt, neceſſe eſt, alterum eſſe natura, ſi ſit contrarium, & eſſe quandam ipſius naturam*, vt legimus in ſecundo de Cælo tex. 18 Iam pergo.

III. Quod ſi materia eſt huiuſmodi, proculdubio erit quoddam ens. Ens, inquam, potentia, non ens actu; quemadmodum in primo Phys. tex 78. dicitur. Et ens quidem ſecundum ſe, non ens autem ex accidente, propter annexam priuationem ex eodem lib. tex 79. Et quod ſit ens, vel ex eo apparet, quoniam eſt intima verarum rerum pars; eſt principium per ſe earundem; eſt alterum membrum diuiſionis, dum ens per actum, & potentiam diſtribuitur; & denique, quia eſt ſubiectum primæ tranſmutationis; adeo vt Vetuſtiores Philoſophi materiam abſolutè, ac ſolam cenſuerint ens, ſubſtantiam, & naturam rerum, vt in ſecundo Phyſ. tex. 8. refertur: ex aduerſo autem Plato in Timæo, Sophiſta, & alibi materiam ſimpliciter appellat non ens, Stagirites autem medium ſe ſe conſtituit, quod nimirum materia eſt non ens actu, ens autem ſolùm potentia. Hinc in primo de Ort., & inter. tex. 12. *Materia*, inquit, *potentia solùm eſt hoc, & ens: ſimpliciter autem neq; hoc, neq; ens. Si enim nihil, ſed omnia potentia &c.*

IV. Inſuper materia prima vtiq; eſt ſubſtantia. Tum quia Philoſophus vbique partitur ſubſtantiam in materiam, formam, & quod ex his conſurgit compoſitum, ita in ſecundo de Anima tex. 2. in ſeptim. Metaphys. tex. 7., in lib. octau. tex. 2. Tum quia ſi materia non eſſet ſubſtantia, tunc ſubſtantia fieret ex non ſubſtantijs, & non ſubſtantia eſſet prior, quàm ſubſtantia: quæ velut abſurda, & impoſſibilia intulit Stagirites in primo Phys. tex. 52. Tum etiam, quia materia eſt natura, quemadmodum ex ſecundo Phys. cap. 1. conſtat: Natura autem ſubſtantia eſt. Tum denique quia materia recipit, & ſuſtentat immediatè quidem formam ſubſtantialem, mediatè autem reliqua omnia. Hoc autem eſt officium ſubſtantiæ. Hinc meritò Philoſophus ſeptimo Metaphys. tex. 8. *Materia*, inquit, *ſubſtantia eſt. Nam ſi hæc non eſt ſubſtantia, quæ alia eſt, fugit nos.* Et hoc probat, quia reliqua videntur adeſſe, & abeſſe ab ea, hæc autem remanere.

Scito autem, ſubſtantiam aliam eſſe completam, ac compoſitam, quæ directè in Categ. ſubſtantiæ collocatur; aliam verò eſſe incompletam, ac ſimplicem, quæ reductiuè duntaxat eſt in eadem Categ. Materia prima haud eſt ſubſtantia primo, ſed ſecundo modo: alioquin ex ea, & forma neutiquam coaleſceret vnum per ſe. Et, quia ſubſtantia compoſita, ac completa eſt verè, propriè, & principaliter ſubſtantia, quemadmodum colligitur ex eius Prædic. vnde ſecundo de Anima tex. 3. dicitur, *ſubſtantiæ autem maximè videntur eſſe corpora*, fit, vt materia, quaſi ad illam collata, ſæpenumero dicatur eſſe infra ſubſtantiam. Ita in primo Phys. tex. 79. *materia eſt prope, & quodammodo ſubſtantia*, & ſeptimo Metaphys. tex. 8 *Materia non eſt quid*. Quo etiam intellectu Simplic. in primo Phys. ad tex. 52. hæc ſcribit. *Materia, & forma ſunt principia propria ſubſtantiæ, quæ eſt ipſa ſubſtantia compoſita: vtraq; autem ſcil. forma, & materia, per ſe ſubſtantia non ſunt, ſed ſubſtantiales ſolùm: Nec corpora ſunt, ſed corporea, vt etiam videtur Eudemus inſinuare, cum vocet materiam corpoream.* V.

Ad hæc, ſubſtantia ſimplex, & incompleta eſt duplex. Vna quidem potentia, altera actua. Ita diſcimus ex ſecundo de Anima tex. 2. Materia eſt ſubſtantia poteſtate tantum, forma autem eſt ſubſtantia, quæ eſt actua. Atq; ex his iunctis conſurgit ſubſtantia completa, fitq; vnum per ſe, vt explicat Ariſt. oct. Metaphys. tex. 15., & ſecundo de Anim. tex 7. VI.

Ex his, quæ hucuſq; diſſerui, vel tua ſponte intelliges vtramq; materiæ primæ definitionem ab Stagirite datam. Vna eſt in primo Phys. tex. 82., quod materia, *eſt primum ſubiectum vniuſcuiuſq;, ex quo inexiſtente fit aliquid non ſecundum accidens. & ſi corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimùm*, quam in com. illius tex. copioſè enucleaui, iccircò hic verbum non addam. Altera verò iacet in ſeptimo Metaphys. tex. 8. his omninò. *Materia eſt, quæ per ſe ipſam, neq; quid, neq; quantum, neq; aliquid aliud quicquam dicitur, quibus ens determinatur.* VII.

Quint

Cuius ratio ea est, quia subiectum est aliquid aliud ab eo, quod est in subiecto, vt vel ex primo Phys. a tex. 42. & inde ostenditur. Materia prima est vltimum subiectum omnium Prædicamentorum. Siquidē Prædicamenta aut sunt substantia, aut accidentia. Accidentia, *prædicantur de Substantia*, nempè insunt in ea, (nomine substantiæ nunc intelligo formam substantialem, quæ est id, quo accidentia sunt in toto) Substantia autem, *prædicatur de materia*; quare sicut substantia, vtpote subiectum, est aliud quippiam, ac diuersum ab accidentibus, ita materia, ceu vltimum subiectum omnium, erit aliquid aliud, ac diuersum tam a substantia, siue forma, tum a quantitate, qualitate, & reliquis Prædicamentis, ac proinde neq; est *quid seu substantia, neq quale &c.* Hæc ratio innectitur ab Aristotele his verbis *Est enim, materia aliquid, de quo singula horum prædicantur, cui esse, ac cuiq; Prædicamentorum diuersum est. Cætera namq; de substantia prædicantur; hæc verò de materia. Quare quod vltimum est per se, neque quid, neq; quantum, nec aliquid aliud est.*

VIII. Germanus itaq; præfatæ definitionis hic est sensus: quod materia prima secundum suam essentiam, non est substantia completa, neq; est forma, & actus. Pari ratione neq; est quantitas actu, neq; qualitas actu, nec quicquam reliquorum Prædicamentorum, *sed est in potentia omnia decem Prædicamenta*, vt ibidem exponit Auerr. Atq; hoc ipsum indicat Philosophus, dum in tex. 82. huius lib. essentiam materiæ appellat potentiam, secundum quam, ait, eam esse ingenerabilem, & incorruptibilem. *Quatenus autem, inquit, secundum potentiam, non per se, sed incorruptibilem, & ingenitam necesse est, ipsam esse.*



SECTIO II.

Ad quem Philosophum pertineat ostendere, materiam primam esse ponendam?



Viceunas, relatu Auerr. in calce Primi Phys. & fusius in lib. secundo tex. 22. in ea fuit opinione, quod non sit opus naturalis Philosophi inquirere, ac demonstrare, materiam primam in rerum natura dari: sed hoc esse munus primæ Philosophiæ, & naturalem Philosophum accipere a prima Philosophia, & supponere dari materiam primam, & sic circa eam iam suppositam versari; quemadmodum idem Auicen. etiam opinatur, probare, quod datur prima forma abstracta scil. Deus, haudquaquam pertineat ad philosophum naturalem, sed ad Metaphysicum. In eadem sententia videtur esse Simplicius, cum in primo Phys. tex. 54 dicit, non esse offitium Philosophi naturalis ostendere, quod sint rerum naturalium principia, & elementa, ideoq; Aristotelem hanc quæstionem in Physica neglexisse sed esse munus primæ Philosophiæ. Cui quidem sententiæ adhærent etiam aliqui recentiores, inter quos Franciscus Piccolom. circa tex 51. libri primi Phys. hæc inter alia scribit. *Quare dicamus, Aristotelem minimè ostendere dari materiam, sed eam esse numerandam inter principia, & quæ ac qualis sit.* IX.

Quæ sententia probatur argumento Auicennæ. X.
Nulla scientia demonstrat sua propria principia, vt docet Arist. lib. primo Poster. cap. 2. quia cum demonstratio debeat esse ex primis, immediatis, prioribus, notioribus &c., & in quacunq; scientia nihil sit prius principijs illius, impossibile vtiq; est, ea in tali scientia demonstrari esse. Sed materia prima est primum principium rerum naturalium; ergo Philosophus naturalis non demonstrat, eam esse.

Secundò, sicut se habet ars ad res artificiales, XI.
ita natura ad res naturales, vt docet Arist. sexcentis in locis: Atqui nulla ars considerat primam materiam omnium rerum artificialium, sed vnaquæque propriam, vt faber ferrarius ferrum, aut æs, ædificator ligna, ac lapides, medicus corpus humanum sanabile: quare neq; scientia naturalis considerabit materiam primam rerum naturalium: & præsertim an ea sit: atq; vt Auiceonas apud eundem Auerroem, loco inducto, ait. *Naturalis non loquitur nisi de materia propinqua vnicuiq; enti: de prima autem non considerat, nisi primus Philosophus.*

Iam verò pertinere ad Metaphysicum ostendere, materiam primam dari, vel, ex eo suadetur, quia Metaphysica versatur in contemplandis primis

Digitized by Google

substantiæ caosis, quemadmodum testatus Philosophus initio duodec. Metaphys. sed materia prima est causa, & principium substantiæ, eius igitur partes erunt ipsam considerare.

Hinc Arist. in illa scientia ex instituto inuestigat materiam primam, ita in septimo Metaphys. tex. 8., & in octauo eiusdem operis lib. tex. 4. hic omninò probat, eam esse dandam. *Quod autem materia quoque substantia est, patet. In cunctis namque oppositis trasmutationibus est aliquod trasmutationis subiectum, vt puta secundum locum, quod nunc hic, rursus alibi: & secundum augumentationem, quod nunc tantum, rursus minus, aut maius: & secundum alterationem, quod nunc sanum, rursus agrum: similiter autem, & secundum substantiam; quod nunc in generatione, rursus in corruptione. Et nunc quidem subiectum, vt quod quid, rursus autem subiectum, vt secundum priuationem &c.* Hæc pro hac sententia. Nihilominus pro determinatione veritatis.

XII. Dico, Partes Philosophi naturalis sunt inquirare, ac demonstrare, dari primam materiam: ac proinde agitare quæstionem, an materia prima sit, est opus Philosophi naturalis.

Prob. Eius Philosophi est demostrare materiam primam esse, qui considerat primum, ac potissimum medium, quo ea ipsa demostratur esse, quia, auctore Aristotele in primo Poster. cap. 3. eiusdem scientiæ est considerare medium, & extrema de monstrationis. Atqui Philosophus naturalis ex officio considerat primum, ac potissimum medium, quo materia prima demonstratur esse. Nam hæc non aliunde potest ostendi esse, quàm ex trasmutatione secundum substantiam, per quam conuincitur, præter formas, quæ sibi inuicem succedunt, omninò supponendum esse aliquod tertium subiectum, vt vel ex hoc primo lib. apparet, quod sit subiectum, & ens solum potentiale, quæ est materia prima: Cum itaq; considerare transmutationem secundum substantiam sit germanum, legitimumq; opus Philosophi naturalis, eiusdem quoque erit ostendere, materiam esse.

Profectò non est, quod quisquam dubitet, modò legerit ea, quæ Philosophus scribit in primo Phys. a tex. 42. vbi ostendit, in omni transmutatione necessariò debere subiterri aliquod subiectum. Et in primo de Ort. & Inter. cap. 2. dum probat, dari generationem simpliciter, in qua supponitur aliqua materia. Et ita etiam sentiunt omnes Peripatetici. Hinc Auerr. in proæm. ad lib. Phys. Philosophiæ, inquit, naturalis est, *cognoscere materiam primam, & mouens primum: formæ autem primæ, & finis primus a Metaphysico considerantur.*

Scito autem, etiam Metaphysicum contemplari materiam primam, sed alio considerandi modo, siue sub alia ratione formali, qua videl. est ens, quæ potentia, &c. quemadmodum supra in quæst. prima ad proæm. sect. 3. multis exposui.

XIII. Neque argumenta in oppositum confecta quicquam negotij facessunt. Ad 1. dico, scientiam non demostrare suum subiectum esse, demonstrationa simpliciter, & propter quid; quia non habet alia priora, per quæ ita demonstret: commodè autem potest id præstare a posteriori, & demonstratione Quia.

Ad 2. respond. materiam primam non esse principium substantiarum, quæ expenduntur in Metaphis. Istæ enim sunt substantiæ ab omni materia, & motu abstractæ: sed est principium substantiæ physicæ. Præterquamquod, materia etiam subit Metaphysicam contemplationem, at sub alia ratione, vt dixi. Vnde nihil mirum, si in septimo, & octauo lib. illius operis etiam inducatur sermo de ea, vt in tertio arg. adiungebatur. Vel dico, Aristotelem eo loci reponere id, quod in Physicis demonstrauit. Argumentoest, quod vtitur medio termino physico, *quod in omnibus oppositis transmutationibus est aliquid transmutationis subiectū.* &c. transmutatio enim procul dubio probatio physica est. Sed iam dices.

SECTIO III.

Materia prima, secundum suam essentiam, includit ne aliquem actum, an omninò nullum?



Vnt qui distinguunt actum, vt alius quidem sit formalis, qui est forma substantialis completa physica, *secundum quam iam dicitur hoc aliquid*, vt loquitur Arist. secundo de Anima tex. 2. talis est forma substantialis lapidis, plantæ, equi, hominis: Alius autem sit actus transcendentalis, & entitatiuus. Pro cuius rei intelligentia accipiunt, triplicem esse potentiam: Vnam actiuam: Alteram passiuam: Tertiam appellant obiectiuam. XIV. Hanc vltimam nihil, aiunt, aliud esse, quàm rem ipsam, dum nondum producta est, potest tamen esse, & produci: iccircò fobdunt, eam esse quandam non repugnantiam. V. G. rosa verno tempore futura, nunc in hyeme est in potentia obiectiua, & mundus, antequam à Deo Opt. Max. crearetur erat in potentia obiectiua illius. Et quoniam cuicunque potentiæ respondet aliquis actus, præfatæ potentiæ obiectiuæ respondet actus entitatiuus, per quem res, quæ prius erat in tali potentia, atq; in suis causis, postea ponitur extra eas, & dicitur actu esse in se ipsa, & recensetur in serie rerum.

Iam in re nostra: Materia nunc est quidem in potentia passiua, siua subiectiua ad actum formalem, qui recipitur in materia, tanquam in subiecto: at non est in potentia obiectiua, cum ea ipsa XV

ipsi iam sit producta, ergo est in actu entitatiuo, respondente illi potentiæ obiectiuæ: siue habet eum actum, per quem est aliqua realis entitas, re vera posita actu extra suas causas. ita Scot. in 2. dist. 12. quæst. 4. & septimo Metaphys. quæst. 5. tum omnes eius asseclæ, & etiam extra eius scholam quamplurimi alij, quos longa serie refert P. Suarez. in metaphys. disp. 13. sect. 4. PP. Conimbric. & Mastr., & Bellut.

XVI. Fundamentum itaq; est, quia id, quod actu est extra suas causas, habens entitatem realem, distinctam ab entitate cuiusuis alterius rei, necessariò habet actum, per quem est actu, & non est amplius in sola potentia producentis, quemadmodum erat antea: Materia, secundum suam essentiam, nunc est entitas realis actu extra suas causas, & distincta a quacunque alia entitate; ergo habet actum, per quem nunc est extra suas causas, qui est actus entitatiuus.

XVII. Alij verò eidem materiæ secundum se spectatæ, tribuunt actum Metaphysicum, id est differentiam essentialem. Innixi hac ratione, quia omne, quod differt ab alio, omninò per aliquem actum differat necesse est, *nam actus est, qui distinguit, & separat*, ex decreto Philosophi septimo Metaphys. tex. 49. Materia secundum suam essentiam, differt tum a forma; tum etiam a materia Cæli.

Alij demùm materiæ primæ appendunt quan-
XVIII dam formam communem, formam corporeitatis appellant, quæ sit ipsi materiæ coæua, ab eaq; inseparabilis, & de se quidam indeterminata, determinetur autem ad hanc, aut illam speciem per formas specificas: & hæc denique tribuat esse corporeum rebus omnibus. Sic Auicenn. lib. primo suffic. cap. 2. cui deinde adhæsit Scot. in 4. sent. dist. 11. quæst. 3. & alij.

Probant, tum quia anima definitur in secundo de Anim. tex. 7. esse *actus primus corporis physici &c.* ergo præsupponit corpus, cuius est actus: illud corpus alia forma corporeitatis. Tum etiam, quia in homine est esse corporeum: id ab eius anima proficisci nequit, cum ea sit immaterialis, ac incorporea: nihil autem immateriale, ac incorporeum potest alicui tribuere esse materiale, ac corporeum.

XIX. Ante omnia scito, quod aliud est loqui de entitate essentiæ materiæ primæ, aliud verò de entitate existentiæ eiusdem. Nunc verba facimus de entitate essentiæ: mox de altera quoque audies. Quæ quidem entitas, seu essentia materiæ re vera est quoddam ens reale, & substantia incompleta, vt superiùs patefeci. Tum est extra suas causas, est tamen ens contradistinctum ab omni omninò actu: ideoq; dicitur ens solum potentiale, & pura potentia: Hoc enim pacto ex ea, & forma coalescit vnum per se. Sic etiam docet Philosophus, dum essentiam materiæ appellat potentiam, quemadmodum in hoc lib. primo tex. 82. in primo de Ort. & Inter. tex. 18. in secundo de Anima tex. 2.
X X. in octauo Metaphys. tex. 3. & 15. & 16. & sexcentis aliis in locis. de qua re in lib. de Ort. & Inter. latissimè dixi, nunc pergo, &c.

Dico 1. Prima opinio semper mihi visa est improbabilissima. Nam, vt alia sileam, de quibus suo loco, actus est alicuius actuati actus: Atqui actus entitatiuus, in re proposita nihil est aliud, quàm ipsamet materia prima; quare ipsa materia est actus materiæ.

Item, actus entitatiuus est ipsamet entitas materiæ, atq; adeò ea ipsa materia; ergo distortè, & malè asseritur, quod materia prima habet actum entitatiuum: siquidem nihil vnquam dicitur habere seipsum, & habere id, quod illud ipsum est, cum inter illud, quod dicitur habere, & id, quod dicitur haberi, omninò aliqua differentia interueniat, necesse sit.

Quid verò? si actus entitatiuus est ipsamet entitas materiæ, iam idem fuerit dicere, materia prima habet actum entitatiuum, ac dicere, materia prima habet materiam primam. Quæ loquutiones a viro philosopho procul abigendæ sunt.

Adde, quod materiam primam appellare actum, est conspicuè contra Aristotelem, qui perpetuò eam vocat potentiam, vt vel in locis nunc indicatis liquet. Potentia autem, & actus opponuntur, vt ostendit idem Philosophus sexto Metaphys. tex. 8.

Quid verò? Stagirites conceptis verbis asseuerat, materiam primam esse potentia ens: actu autem esse non ens: Audi eum in primo de Ort. & Inter. tex. 18. *& nunc breuiter dicendum, quod aliquo quidem modo ex non ente simpliciter generatur, modo autem alio ex non ente semper: ipsum enim, idest materia prima, potentia est ens: actu autem non ens.* At illa sententia Scoti è regione XXI. asserit, materiam, & esse ens actu, & actum.

Fundamentum autem eius opinionis procedit a superiori ad inferius affirmatiuè, ideoq; est vitiosum. Cum enim ens diuidatur per actum, & potentiam, vt docet Stagirites tertio Phys. tex. 3. & primo de Gener. & Corrupt. tex. 18. & quarto Metaphys. tex. 20. & lib. duodec. tex. 7. & lib. decimotertio cap. 3. & alibi sæpe, perinde est, argumentari hoc modo: Hoc est ens reale extra suas causas; ergo est actus, siue habet actum, ac dicere, Hoc est animal, ergo homo: Sed inferri debet: Materia est ens reale, & extra suas causas, ergo vel est actus, vel est potentia: quæ consequutio vera est, quia materia est ens quoddam potentiale, & syncera potentia substantialis, vt nuper ex Aristotele adduxi. Hæc solutio est Aristotelis ad consimile arg. in primo de Ort. & Inter. tex. 21. quippè cum dixisset, generationes esse ex ente potentia, non ente autem actu, addit, non tamen eas fieri ex non ente absolutè, siue ex nihilo, quia ens dicitur, tam de ente potentia, quàm de ente actu, *vtroq; enim*, inquit, *modo dicitur*. XXII.

Verùm hic haud desinam, quin circa primam illam opinionem adhuc duo subijciam. Referam quorundam Scotistarum explicationem de actu entitatiuo: Et apponam quædam Philosophi loca

ab ijs

ab ijs ipsis pro eodem actu exaggerata. Quod ad primum spectat, dicunt aliqui, inter quos est Mastr. & Bellut. in Phys. Disput. 8. art. 2. quod per actum entitatiuum, siue per materiam eo actu præditam, nihil aliud intelligi debet, quàm quod materia sit aliqua entitas realis, quæ non est in potentia obiectiua tantùm, sed est extra suas causas re a quacumque alia, & distincta. In cuius asserti confirmationem vocant etiam Scotum in 2. dist. 12. quæst. 1. quo loci *Doctor*, aiunt, *aliud probare non intendit, quàm materiam non esse in potentia obiectiua tantùm* Et afferunt eius conclusionem in littera C quæ talis est. *Igitur sequitur, quod est aliquid, non in potentia obiectiua tantùm, vt probant omnes rationes supradictæ.*

XXIII. At si ita suum actum entitatiuum intelligunt, ijs in re non repugno. Nam etiam ipse fateor, & contendo, materiam primam esse entitatem realem, nec esse amplius solùm in potentia obiectiua Dei, sicut nunc est Antichristus, sed verè esse ens extra suas causas, idq; substantiale, & diuersum, tum a forma, tum a quacunque alia re. Sed hoc ens contendo, non esse appellandum actum, siue habens actum, siue per se in actu, sed ens solùm potentiale.

Profectò nusquam inueni materiam primam actum ab Aristotele nominatam: sed vbique eam vocat potentiam, vt vel ex locis supra indicatis manifeste apparet. Hinc dum explicat constitutionem vnius per se, vt in oct. Metaphys. tex. 15. & 16. semper statuit id ita fieri, quia fit ex potentia, & actu. Porrò iuxta oppositam sententiam posses etiam dicere, vnum per se fieri ex actu, & actu. Quæ locutio nullo pacto ferenda est. Nec parum refert nominibus rerum rectè vti. Etenim recta locutio rectæ opinionis inditium est; & qui rectè locutus est, eum rectè etiam sensisse opinamur, si ex primo de Interpret. cap. 1. *voces sunt earum, quæ in anima sunt passionum notæ.*

XXIV. Venio ad alterum. Actus, aiunt, entitatiuus fuit cognitus, & indicatus a Philosopho. Adducunt insignem, vt ipsi loquuntur, locum, relatum à Scoto in 4. dist. 11. quæst. 3. ex nono Metaphys. tex. 11. qui communiter ita iacet. *Est autem actus existere rem, non ita sicut dicimus potentia.* vbi clarissimè dicitur, quod actus est aliquid esse, & existere. Hic autem est actus entitatiuus, per quem aliquid est, & existit extra suas causas. Expendunt verba: est autem actus existere rem: en, aiunt, *actus entitatiuus*: non ita sicut dicimus potentia, *en acceptio potentiæ huic actui opposita.*

Addunt, immò Arist. ibi dicit, non dari tantum potentiam actiuam, & passiuam: sed dari quoque alteram, quæ ex diuisione actus manifesta fiet, dum ait, *Non solum hoc dicimus possibile, quod natura aptum sit aliud mouere, aut moueri ab alio, sed etiam aliter.* Deinde effunduntur aduersus oppositæ opinionis auctores, quasi iam confecerint rem.

XXV. Cæterùm prior locus non modo communiter in codicib. latinis, verum etiam in plerisque græcis (vt ego existimo, & ante me olfecit Magn. Bessarion) est corruptus. Deinde, etiamsi accipiatur, vt in latina translatione iacet, nihil adhuc, ex eo pro actu entitatiuo colligitur. Communiter sic legitur, ἔστι δὲ ἡ ἐνέργεια τὸ ὑπάρχειν τὸ πρᾶγμα, μὴ οὕτως, ὥσπερ λέγομεν δυνάμει. quæ sic latinè respondent, *est autem actus existere rem, non ita sicut dicimus potentia.* Læsio est in voce ἐνέργεια, & omninò legendum est, ἔστι δὲ ἐνεργείᾳ, casu dandi, *est autem actu.* Hinc Bessarion, non minus doctrina, quàm sacra purpura admirandus, ita, & rectè vertit. *Est autem actu rem existere, non ita, quemadmodum dicimus potestate.* Sic etiam transferi codex Parisiens. Iam sic esse legendum, euincit tum sensus, tum textus ipse.

Sensus, quoniam ibi Arist., vt explicet actum, XXVI. declarat quid sit esse actu, & quid esse potentia. Dicimus namque quippiam existere, seu esse actu, dicimus etiam existere, & esse potentia. Declarat Arist. primò hoc secundum membrum, inquiens, *Dicimus enim potestate, vt in ligno Mercurium, & in tota,* (subaudi linea) *dimidiam, eò quod auferri possit, & scientem etiam illum, qui non speculatur, modo speculari possit.* Deinde declarat primum membrum, videl quid est esse actu, & ait, *Est autem hoc actu, vt ædificans ad ædificatiuum, & vigilans ad dormiens, & videns ad conniuens, habens tamen visum, & segregatum a materia ad materiam, & elaboratum ad inelaboratum.* In quibus omnibus vides, explicari ea, quæ sunt potentia, & quæ sunt actu: quippè ædificans, vigilans, videns, non actus, sed actu sunt. Atque hæc declarat Eximius præceptor ex differentia, quoniam alio modo res existit, dum est in potentia, alio dum est actu. Ex quibus postea luculenter conspicitur, quid sit actus. Est enim actus quædam dispositio opposita potentiæ, atque ea, quæ hanc dispositionem habuerint, dicuntur esse actu, vt ibidem subnectit Philosophus, dum inquit, *Huic autem differentiæ alteri pars actus applicatus sit, alteri verò possibile.*

Quid verò? Arist. ibi se se excusat, si actum non explicat per definitionem, sed solùm inductione, & proportione, *nec oportet*, inquit, *omnium quærere definitionem*: (actus enim, & potentia cum sint simpliciter, vt aiunt, simplicia, non possunt definiri) Quæ excusatio locum non haberet, quia definiret, aut describeret actum, si diceret, *est autem actus rem existere.*

Clarius eandem lectionem conuincit textus. Pri- XXVII. mùm, quia ita debet legi primum membrum illius propositionis Aristotelis, sicut legitur secundum: alioquin propositio esset inepta. Atqui Arist. in secundo membro ait, δυνάμει *potestate*, ait enim, *non ita sicut dicimus potentia*; ergo etiam in primo membro non debet legi, *est autem actus*, sed *est actu*. Præterea, in eo tex. Philosophus, vt suum propositum aperiat, quinquies ponit vocem, ἐνεργείᾳ, *actu*, & toties etiam ponit, δυνάμει, *potestate*;

eius ve-

cur ergo in primo solo loco debet poni, *ἐνέργεια* ꝗ *actus*? Sed, quod omnium caput est, Auctor colligit in fine illius capitis, se iam declarasse, quid, & quale est esse actu. Audi verba, *τὸ μὲν οὖν ἐνεργείᾳ* &c. *Quid igitur, & quale sit, quod actu est, ex his, & huiusmodi manifestum nobis sit*. Quæ si vera sunt, inanis profectò est imaginatio, quæ actum entitatiuum ex hoc loco struit.

Respondeo, 2. quod etiam retenta communi illa lectione, *est autem actus rem existere non ita, sicut dicimus potentia*, nullo pacto colligi potest, aut actus entitatiuus, aut potentia obiectiua. Resolue propositionem. Actus est, quando res non ita existit, sicut existit, quando est potentia: siue, actus est, quando res est alio modo, ac est, quando est in potentia. Si ex hoc colligitur actus entitatiuus, aut potentia obiectiua, ego desipio.

XXVIII. Eodem pacto in altero loco ab ijsdem auctoribus inducto, ne per vmbram quidem innuitur vlla potentia obiectiua, distincta ab actiua, & passiua: sed Arist. solùm ait, quod præter potentiam actiuam, & passiuam: quæ sunt cum motu, quas deprehendimus ex earundem actu, vt ædificare, & ædificari, datur etiam alia potentia actiua, & passiua sine motu, cuiusmodi sunt videre, intelligere &c. vt ipsemet Auctor circa finem eiusdem capitis explicat. Hæc Aristotelis loca volui vberius hic explicare, quia video, aliquos illius opinionis auctores ijs exultare, & asinum non albis, vt aiunt, equis vehi. Sed ad alia pergo. Itaque.

XXIX. Secunda etiam sententia, quæ materiæ tribuit actum Metaphysicum, & differentiam, falsa est. Nam differentia respicit genus: si in materia est differentia, genus etiam adesse, necesse est. Quod autem constat ex genere, & differentia, id omne compositum est; quare materia prima secundum suam essentiam esset substantia composita, & completa, & in Prædicamento in recta linea collocata. Hoc autem nemo mentis compos admiserit.

XXX. Fundamentum autem eius opinionis oritur ex inaduertentia inter differens, ac diuersum. Quandoquidem aliud est differre ab aliquo, aliud esse diuersum. Audi magnum præceptorem in decimo Metaphys. tex. 12. *Differentia, & diuersitas aliud est. diuersum enim, & illud, a quo diuersum, non est necesse aliquo esse diuersum: differens autem ab aliquo, aliquo differens* &c. Differunt inter se, quæcunque in aliquo vniuocè conueniunt, in aliquo autem discriminantur: sic homo, & leo differunt, quia quemadmodum in animali conueniunt; ita proprijs dissident differentijs. Atq; omnia huiusmodi sunt composita. Ea autem nuncupantur diuersa, quæcunq; non per aliquod aliud, sed se ipsis distinguuntur, quia videl. existunt simplicissima. Hoc pacto distinguuntur inter se decem Categoriæ, vltimæ rerum differentiæ, & in re nostra, sic distinguuntur materia, & forma, tum materia cæli, ac sublunaris.

XXXI. Porrò ex huius diuersitatis ignoratione nonnulli eam deuenerant insaniam, vt perfractè assererent, & pugnaciter tuerentur, Deum, & materiam primam esse vnum, idemq;. Auctorem huius inopinabilis erroris Albertus quidem magnus in primo Phys. tract. 3. cap. 13. ait, extitisse quendam Alexandrum Epicureum: D. autem Thom. in prima part. quæst. 3. art. 8., & in primo contra Gent. cap. 17. eum errorem tribuit cuidam Dauidi de Dinanto. Quisquis ille fuerit, hoc argumento fuit euictus. Aut Deus, & materia prima sunt vnum, & idem, aut differunt inter se? Non differunt, quia essent composita, sunt ergo idem. Fatua conclusio. Non enim si aliquid non differt ab alio, statim erit idem cum illo. Sed inter idem, & differens datur esse diuersum, vt dixi.

Tertia denique sententia de forma corporeitatis omninò inanis est. Nam Arist. in primo Phys. XXXII.
tex. 69. ait, materiam primam ita se habere ad formas substantiales, & composita substantialia, quemadmodum se habet æs, aut lignum ad formas artificiales, & composita artefacta, *vt enim*, inquit, *ad statuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliud aliquid habentium formam, materia & informe se habet, sic hæc*, id est materia prima, *ad substantiam, & hoc aliquid, & quod est, se habet*. Æs autem, & lignum ne vestigium quidem habent actu in se ipsis formarum artificialium: eodem igitur pacto neq; materia habebit in se quicquam formæ substantialis. Illa autem forma corporeitatis esset forma substantialis. Perpende etiam, quod materiam vocat *informe*.

Ratio quoque id idem euincit. Nam si in XXXIII.
materia prima incubat huiuscemodi forma corporeitatis, iam in quacunque re composita naturali actu erunt duæ formæ. Tunc peto: tribuit ne hæc vtraq; rei esse specificum, an verò altera quidem dat solùm esse genericum, ac commune; altera verò elargitur esse specificum? Si dederis primum, sequitur, vnam, atq; eandem rem esse in duplici specie vltimata, & completa. Quod omninò vsquequaq; repugnat. Sin autem admiseris secundum, delaberis in alterum absurdum, quia nulla forma potest constituere aliquid in esse generico, quin illud ipsum constituat in aliqua specie, vt euidenter cernis in formis accidentalibus, quæ sunt minus perfectæ, quam substantiales. Non enim videmus aliquid esse coloratum, quod non sit aut album, aut nigrum, aut alicuius alterius speciei coloris. Eadem ergo, ac potiori ratione impossibile erit, quod forma substantialis, cuiusmodi esset illa corporeitatis, elargiatur composito substantiali gradum genericum, & non specificum. Præterquamquod, illa forma cum esset in rerum natura, constitueret illud, cum quo iungitur physicè, compositum, & indiuiduum; alioquin illa forma esset vniuersalis, ceu quædam Platonis idea, quæ nulla vnquam ratione dari potest: ergo constitueret illud idem compositum in aliqua specie. Enimuero apertè repugnat, dari in re-

rum.

rum ferie indiuiduum, quod non fit collocatum in aliqua fpecie.

Xxxv. Argumenta autem in oppofitum adducta affatim futilia funt. Ad 1. occurrendum eft; Animam dici actum primum *corporis*, non quia præfupponit corpus, eique per aliam formam conftituto, adhærefcat, fecus enim haud faceret vnum per fe: fed intelligitur caufaliter, quia scil. facit corpus: periode ac lumen eft actus perfpicui actu, quemadmodum legimus in fecundo de Anim. tex. 69. non quòd vllum fupponat diaphanum actu, fed quia illud conftituit, vt in lib. de Anim. diximus. Ita de Anima philosophare. Porrò fi anima præfupponeret corpus, quia dicitur, *actus corporis*, cum eadem fit actus corporis, *physici, organici*, hæc quoque deberet præfupponere. Tunc autem quid ipfa faceret?

Ad 2. Anima intellectris virtute continet vegetatiuam, & fenfitiuam, ficut numerus fuperior continet inferiorem, & pofterior figura priorem, vt dicitur in fecundo de Anim. tex. 32. ob id commodè illa poteft formaliter tribuere alicui effe corporeum. Quod tamen aliæ res immateriales, ac incorporeæ, veluti Intelligentiæ, aut Deus neutiquam valent præftare, quia non continent fupradictos gradus: Præterea dices.

SECTIO IIII.

In materia prima fecundum fe accepta eft ne annectenda aliqua quantitas, an nulla?

Xxxvi. 

Vnt, qui diftinguunt, quòd quantitas alia eft terminata; alia interminata. Illa eft, quam in rebus ipfis cernimus, & tribuitur vnicuiq; rei a fua forma fubftantiali. Proprium quippè formæ eft, auctore Philofopho in primo de Anima tex. 91. continere, atq; adeò terminare. Hinc forma V. G. hominis exigit talem terminationem, & figuram: forma equi aliam, ita reliquæ. Quantitas autem interminata præcedit in materia omnem formæ receptionem; & eft ortus, ac interitus prorfus expers: Hæc eft fixa, atque coæua materiæ: terminatur autem poftea a forma vniufcuiufq; rei. Ita Auerr. in primo Phys. coment. 36. in lib. de Subft. orb. cap. 1. & alib. fæpe. Quam amplectuntur multi, inter quos validè eam tuentur P. Bened. Perer. lib. quinto fuæ Phys. cap. 18., & Iacob. Zabar. lib fecundo de prima rerum materia cap. 8. Et in hac opinione videtur fuiffe Philoponus in primo de Gener. & Corrupt. ad tex. 33.

Quam opinionem hunc in modum fuadent. Si materia prima fecundùm fe effet quacunque quantitate exuta, tunc id, quod ea ex, & forma fubftantiali confurgit, nullo pacto foret quantum, fed effet indiuifibile, puncti inftar. Quæ confequutio probatur, iacto prius triplici fundamento. Vnum accipitur ex quinto Metaphys. tex. 12. quod diuifibilitas ita eft propria quantitatis, vt nihil fit diuifibile, quod non fit quantum, vel faltem fit diuifibile propter quantitatem. Alterum eruitur ex primo de Ort. & Inter. tex. 8., & lib. fexto Physic. aufcult. tex. 2. quod ex pluribus non quantis, fiue indiuifibilibus, impoffibile eft fieri quantum, & diuifibile. Tertium depromunt ex octauo Metaphys. tex. 10. quod forma fubftantialis fecundum fe non fufcipit magis, & minus, fed eft indiuifibilis; Tunc ita colligunt: Si materia ante receptionem formæ non eft aliqua quantitate prædita, illa porrò erit indiuifibilis, ex primo fundamento: Atqui etiam forma fubftantialis, ex tertio fundamento, eft indiuifibilis: quare ex vtraq; non fiet aliquod quantum, & diuifibile, iuxta fecundum fundamentum. Cum itaque compofita fubftantialia fint quanta, fateamur neceffe eft, materiam ex fe effe quantam quantitate illa interminata. Xxxvii.

Quæ tamen imaginatio aduerfatur aperte Philofopho, qui in feptimo Metaphys. tex. 8. conceptis verbis afferuerat, *materiam per fe ipfam non effe quantum*. Nec dici poteft, quod ab ea excludat tantummodo quantitatem terminatam; Nam abfolutè decernit, eam fecundùm fe non effe quantum. Si autem haberet annexam, & coæuam vllam quantitatem, iam per illam effet quanta. Xxxviii.

Aduerfatur etiam rationi, quia ex materia, & illa quantitate, vtpote ex rebus diuerforum generum, fieret vnum ens per accidens: ex materia autem, & forma fubftantiali fit vnum per fe: Impoffibile autem eft, effe prius ens fecundum accidens, quàm ens per fe, quemadmodum impoffibile eft, effe prius domum albam, quàm domum. Quocirca nulla vnquam ratione effici poteft, vt ante omnem receptionem formæ fubftantialis in materia, infit in illa vlla vnquam quantitas.

Ad fundamentum verò illius opin. facilè occurritur. Materia prima fecundum fe fpectata, actu quidem eft non quanta, & indiuifibilis, quemadmodum eft etiam quæuis fubftantia, vt iam patefeci. *potentia autem eft omnia*, vt ait Philofophus in primo de Ort. & Inter. tex. 12. ac proinde potentia eft etiam quanta. Quod autem potentia eft, deinde fit actu. Ita formam confequuntur determinata accidentia. Nam forma dat effe: qui autem tribuit effe, tribuit etiam ea, quæ ipfum confequuntur. Dic itaque ad illud effatum, quod ex ijs, quæ non funt quanta, nequit quicquam quantum confurgere; fi fint non quanta, & indiuifibilia tam actu, quàm potentia, concedendum eft: ita ex innumeris punctis ne tantillum, quidem quantum confurget vnquam; fecus autem res fe habet in propofito. Progredior, & quæro. Xxxix.

SECTIO V.

Materia secundum se habet ne propriam aliquam existentiam, an verò omnem emendicet a forma substantiali?

XL. Ngens hic inter auctores dissidium. Quidam absolutè contendunt, materiam primam de se nullam penitus habere existentiam, sed omnem emendicare, & accipere a forma substantiali, sub qua est. Hinc D. Thomas in prima part. quæst. 7. art. 2. in resp. ad 3. *Materia*, inquit, *prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantum: vnde magis est aliquid concreatum, quam creatum*. Et quæst. 4. de potent. art. 1. in corpore, ait, *Quicquid in rerum natura inuenitur, actu existit, quod quidem non habet materia, nisi per formam, quæ est actus eius*.

Cui quidem assertioni validè suffragari videtur Arist. non modo, dum materiam appellat non ens, aut ens potentia, aut prope, & quodammodo substantiam, vt retro indicaui, verùm etiam, quia in quinto Metaphys. tex. 15. clarè asseuerat, formam esse causam existentiæ, secundùm quam res existunt. Cum enim dixisset, quod *substantia dicuntur, & simplicia corpora, vt terra, ignis, aqua, & quæ talia sunt, & vniuersaliter corpora, & quæ ex his consistunt animalia, & dæmonia, ac eorum particulæ; hæc verò omnia dicuntur substantia, quoniam non dicuntur de subiecto, sed de eis cætera*, subnectit de forma. *Alio verò modo, quodcunque fuerit causa existentiæ, talibusque inexistens, quæ non dicuntur de subiecto: vt anima animali. Atque hæc est, perpetua sententia in Schola* D. Thomæ, vt loquuntur P. P. Complutenses in Phys. disp. 3. de materia prima, quæst. 5. eamque validè prosequuntur, vt etiam faciunt Capreol. in 2. dist. 13. quæst. 1. Caiet. de ente, & essentia cap. 3. Ferrar. in 1. contr. Gent. cap. 4. Paul. Soncin. 7. Metaphys. quæst 17. Dominic. Bannes, Nazar. & alij doctissimi eius familiæ viri.

XLI. Fundamentum est. Primò, Si materia haberet de se existentiam, iam esset ens actu: quippè quicquid de se existit, actu ens est: ergo forma substantialis ad veniret illi, iam actu existenti. Tritum autem est dictum, quod omne, quod aduenit enti actu existenti, non facit vnum per se, sed vnum ex accidenti. Si igitur materia prima prædita esset propria existentia, ex ea, & forma non fieret vnum per se. Quod est absurdum.

Præterea, si materia de se habet existentiam, ergo, & forma habebit suam, Quod enim alicui minus perfecto conceditur, non debet negari ei, quod perfectius est. Forma est magis, & perfectior substantia ex secundo Phys. tex. 12.

Quod si occurras. Hæc argumenta procedere de existentia perfecta, ac completa, cuiusmodi non est existentia materiæ, sed est incompleta: completur autem ab existentia, quæ postea datur a forma. idcircò ex materia, & adueniente forma fit vnum per se, quale est compositum physicum.

Insurgunt. Nihil potest, in eodem ordine esse actus, & potentia, quamuis possit esse in diuerso ordine, cum actus, & potentia ex Aristotele in Metaphys. opponantur. Hinc, quia forma substantialis in ordine essentiæ est actus, nulla ratione potest in hoc eodem ordine esse potentia: benè autem est potentia in ordine subsistendi, & existendi: comparatur enim ad actus subsistentiæ, & existentiæ per modum potentiæ. At quæuis existentia est actus in ordine existendi. Si autem daretur incompleta illa materiæ existentia, esset vtiq; actus, cum existentia sit actus, & esset etiam in eodem ordine, potentia, nimirum ad existentiam completam subsecuturam. Item; existentia ex proprio, & formali conceptu suo est vltimus terminus substantialis, vbicunq; inuenitur. Repugnat autem aliquid aliud esse post vltimum in eodem genere. XLII.

Alij verò distinguunt existentiam, vt nunc in respons. indicaui, in completam, & incompletam. Hanc tribuunt materiæ primæ, secundùm se spectatæ; illam negant. In hac sententia versantur plurimi grauissimi iidem viri. Henric. Quodlib. 1. quæst. 10. Scot. in prim. distinct. 12. quæst. 1. P. Suarez in Metaphys. dispu. 13. sect. 4. Perer. lib. quint. Phys. cap. 13. secuti deinde sunt quicunque ex ea societate labores suos publici iuris fecere, vt Ant. Ruui. in hoc lib. tract. 2. quæst. 2. Hurtad. disput. 8. Arriag. disput. 2. sect. 5. Ouiedo in Physic. Contr. 2. puncto 5. Mastr. & Bellut. in Phys. disput. 2. quæst. 2. art. 1. XLIII.

Probant 1. Materia prima habet essentiam distinctam ab essentia formæ: quare etiam habet existentiam distinctam ab existentia, quæ ei tribuitur a forma. conseq; prob. quia essentia, & existentia, præsertim in rebus simplicibus sunt vnum, & idem.

Probant 2. quia si materia omnem existentiam sortiretur a forma, & a composito; ergo materia toties corrumperetur, quoties forma, & compositum corrumpuntur, Quid ita? quia corrumpi

nihil aliud est, quàm amittere esse, siue existentiam; tunc etenim res transit ad non esse. Atqui materia, iuxta oppositam sententiam, toties amitteret esse, & existentiam, quoties corrumpuntur forma, & compositum, ergo toties ea etiam corrumperetur.

XLIV Porrò, vt quid ego hac in re sentio, paucis efferam, sterno hoc fundamentum: quod, quemadmodum nomen entelechiæ, siue actus, est æquiuocum. dicitur namque, & de substantia, secundo de Anim. tex. 7. & de accidente, veluti de motu, tertio Phys. tex. 6. & de ipsa rerum omnium causa prima, Deo, in duodec. Metaphys. tex. 49. ita vox, esse, & existentiæ est æquiuoca. Et quemadmodum potentiæ, seu ipsum pati, ac alterari itidem sunt æquiuoca, quippè, & ipsum pati *aliud est corruptio quædam e contrario, aliud autem est salus magis eius, quod est potentia ab eo, quod est actu*, inquit idem Philosophus secundo de Anim. tex. 57. Ex ea eo liquet, quia passio salutaris, ac perfectiua vix recipit rationem passionis, ac alterationis. Nihilominus cogimur, eas vno, eodemq; nomine nuncupare, *quoniam innominata est ipsarum differentia, necesse est ipso pati, & alterari: tanquam proprijs nominibus vti*. vt idem auctor subiungit in tex. 62. sic de esse, & existentia philosophare.

Itaque vna quidem existentia est propria, quæ est id, quo aliquid per se in rerum natura existit; vel saltem est id, per quod aliquid fit aptum per se in rerum serie existere. Hanc existentiam appello formalem, & actualem; A qua omninò est quædam actualitas, & actus eius, quod præfato modo existit. Alterum esse, siue existentia est impropria, exilis, & nomine tenus, quæ nihil est, aliud, quàm ipsamet rei entitas, atq; essentia, prout est extra suas causas, & per quod distinguitur res illa ab omni eo, quod degit tantummodo in potentia agentis, ac producentis. V. G. in re proposita materia, quamuis sit quoddam ens potentiale, nihilominus alio pacto censetur entitas nunc, cum re ipsa est producta, ac extra suas causas, quàm fuerit, quando erat in potentia duntaxat producentis eam. Hanc existentiam voco quidditatiuam, & potentialem.

XLV. Hinc vlterius vides, quo pacto dictæ duæ existentiæ, formalis, inquam, & potentialis, toto ordine inter se se discriminantur. Illa semper se tenet ex parte actus, seu formæ: Hæc non necessariò sequitur aliquam formam, sed potest etiam esse in entitate sola, & in re mera potentiali. Quæ quidem differentia haud exprimitur ab alijs auctoribus, qui materiæ secundum se acceptæ tribuunt existentiam incompletam, quia completam; & incompletam ad eundem ordinem spectant; & solummodo differunt secundum magis, & minus: ideoque omnis existentia, siue completa, siue incompleta videtur ab aliquo actu proficisci. Qui cum nullus in materia adsit, non apparet, quo vnquam pacto ei tribuenda sit huiusmodi incompleta existentia. Existentia autem quidditatiua, & potentialis, non est necesse, vt ad aliquem actum consequatur. His prælibatis.

XLVI. Dico 1. Materia prima secundum se accepta nullam habet existentiam formalem:

Prob. Existentia formalis est, quâ aliquid per se existit in rerum natura, vel saltem est aptum per se existere. Materia autem prima suapte natura, ac sine omni substantiali forma, neque vnquam existit, neq; est apta ita existere. Iuxta hanc conclus. intelligo D. Thomam dum in prima part. quæst. 7. art. 2. asserit, quod *materia non existit in rerum natura per se ipsam*. Perpende, quod ait, eam *non existere per se ipsam*, vt videl. existunt reliquæ res. Hæc autem est existentia formalis. Quocirca hanc existentiam formalem reijcit S. Doctor a materia prima. Et ad hanc ipsam existentiam eadem materia *non fuit creata, sed concreata*, vt loquitur idem S. Thom. quippè creatio terminatur ad rem verè, ac per se existentem; Materia autem non est talis.

Et de hac quoque ipsa existentia formali sermonem habet Philosophus in quinto illo Metaphys. tex. 15. cit. cum ait, formam esse causam existentiæ. Tam enim Arist. quam S. Doctor verba faciunt de existentia propriè dicta: Huiusmodi autem est existentia formalis.

De hac eadem existentia procedunt fundamenta illiusmet opinionis. Si enim materia secundum se tali existentia foret prædita, procul dubio esset ens actu: Et ea forma, ac ea nequaquam coalesceret vnum per se. Et denique diluitur vlt. instantia, quia existentia formalis, & existentia potentialis sunt diuersi ordinis, vt dixi.

XLVII. Dico 2. Materia prima secundum se considerata, habet esse, & existentiam quidditatiuam, seu potentialem.

Prob. Entitas materiæ, seclusa quacunque alia entitate, aut habet esse solùm per intellectum; & in suis causis: quemadmodum nunc est entitas Rosæ, suo tempore futura, aut habet esse absque opere intellectus, & secundum se. Primum nulla vnquam ratione affirmari potest: alioquin materia, nunc haud esset producta, ergo secundum: videl. materia de se, ac sine ope intellectus, a parte rei habet aliquod esse. Hoc esse est existentia quidditatiua, & potentialis; quam in materia constituo.

At dices. Materia de se, ac sine vllo opere intellectus vtique habet esse. Veruntamen isthuc esse est essentiæ, habet enim ea suam essentiam realem, a quacunque alia re segregatam: at non est esse existentiæ, quia existentia oritur ab actu, qui in materia secundum se accepta, ne concipi quidem potest.

Hæc

XLVIII. Hæc responsio non effugit arg. Nam quicquid est absque actu intellectus, id re vera est secundum se. Quod autem est secundum se, iam eo modo, quo est, etiam existit. Hæc consecutio est ita vniuersaliter vera, vt amplectatur etiam ea, quæ ope, ac ministerio solius intellectus concipiuntur. Valet enim. Genera, & species sunt per intellectum, ergo existunt per intellectum. Item cælum, elementa mixta sunt citra opus intellectus, sed sunt ex se, ergo existunt ex se, & sine opere intellectus. Eodem pacto forma est cum dependentia a materia, ergo existit cum dependentia a materia, similiter accidentia sunt in alio, ergo existunt in alio. Vt igitur vnumquodque est, ita dicetur existere: Et eo modo, quo est ens, eo etiam existit. Cum itaque materia sine opere intellectus, ac de se sit in rerum natura, nec non suopte ingenio sit quoddam ens potentiale, profectò existit etiam existentia potentiali, vt dixi.

XLIX. Secundò. In materia prima idem est essentia, & esse, siue existentia: ergo si ea habet essentiam independenter ab intellectu, & a forma, habeat etiam existentiam suo modo, omninò necesse est. Assumptum prob. Ac primo quidem ex Aristotele, tertio de Anim. tex. 9. quo loci cum dixisset, quod *aliud est magnitudo, & magnitudini esse, & aqua, & aquæ esse*, idest, aliud sunt res ipsæ, tam Mathematicæ, quàm naturales, aliud earum quidditas, & essentia. ex quibus verbis plerique omnes doctrinæ D. Thomæ addicti, colligunt distinctionem essentiæ ab existentia, subdit Philosophus, *sic, & in multis alijs, non tamen in omnibus: in quibusdam enim idem est carni esse, & carnem.* Vltimis verbis videas affirmari, esse aliqua, in quibus idem sint essentia, & res ipsæ, inter quæ reponitur materia prima, tum etiam forma: quemadmodum ad eum tex. 9. adnotaui.

Deinde, ratio etiam id idem euincit, quia essentia discriminatur ab existentia, tanquam inclusum, ac receptum, ab includente, ac recipiente, vt docet S. Thom. tùm alibi sæpè, tùm præcipuè in secundo contra Gent. cap. 52. Vnde in prim. part. quæst. 3. art. 4. *esse*, inquit, *est actualitas omnis formæ, vel naturæ: Non enim bonitas, vel humanitas significatur in actu, nisi prout significamus, eam esse oportet igitur, quod ipsum esse comparetur ad essentiam, quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam*. Manifestum autem est, quòd in materia prima non adest inclusum, & includens, non receptum, & recipiens, non denique actus, & potentia, cum sit natura vsquequaque simplex; quare in ea non est aliud essentia, aliud esse.

Demum hoc ipsum conceptis notis asserit Philosophus octauo Metaphys. tex. 8. cum de anima, (eadem autem est ratio de materia) ita scribit. *Quod quid erat esse formæ, & actui adest. Anima namque, & animæ esse idem est, homini verò, & homo non idem.* sed de hac re suo loco vberius.

Interea hoc fundamentum, quo etiam secunda illa sententia pro existentia materiæ vtebatur; existimo validissimum.

Secundum autem fundamentum illius sententiæ, quanquam a nonnullis magni fiat, re ipsa nullum est. Nam etiamsi materia de se nullam omninò haberet existentiam, sed omnem mutuaretur a forma, & composito, non propterea diceretur corrumpi, quoties forma, & compositum interit, quia tunc res corrumpitur, cum ita amittit existentiam, vt non acquirat aliam. Materia autem, dum exuit vnam formam, induitur alia, ac proinde, dum deponit vnam existentiam, in eodem instanti accipit aliam: & idcircò non corrumpitur. Ita respondent etiam illi, qui a materia ejciunt omnem omninò existentiam. L.

SECTIO VI.

Materia appetit ne formam, & quomodo?



Ppetitus alius est elicitus, alius naturalis; vt optimè explicat S. Thom. in prim. part. quæst. 19. art. 1., & quæst. 59. art. 1. & quæst. 61. art. 1. ad 2. & quæst. 80. art. 1. Ille supponit cognitionem: per quam fertur in bonum, & si fertur in bonum cognitum per intellectum, dicitur voluntas: si verò fertur in bonum apprehensum per sensum, est appetitus sensitiuus. Huiusmodi appetitu materia non appetit, cum sit incapax cuiuscunque cognitionis. Appetitus autem naturalis nil aliud est, quàm innata quædam propensio, & pondus, quo quidem vnaquæque res absque vlla cognitione propendit in proprium bonum, quo re ipsa, & actu caret: qualis est inclinatio V. G. lapidis ad centrum terræ, & ignis ad locum sursum, & de hoc appetitu inquirimus. LI.

Negat Auicenna lib. primo suæ suffic. cap. 2. & ante eum Iustinus Martyr., ac Philosoph. in confutatione dogmatum Aristotelis. Quæ opinio suadetur primùm, quia habens huiusmodi appetitum, adhibet quendam conatum ad consequendum id, in quod propendet, quemadmodum vel in ipso lapide cernere licet, qui nisu, ac pondere perpetuo admittitur deorsum. Materia prima nullum habet conatum ad consequendas formas. Quod prob. quia niti est agere: *agere autem est a forma*, vt auctor est Stagirites primo de Ort. & Inter. tex. 55. quare materia nullum habet conatum, atque adeò neque appetitum. LII.

Deinde. Si materia appeteret alias formas, præter eam, quam habet, appeteret corruptionem totius, cuius ea est pars: ille etenim appetitus

Digitized by Google

deberet reduci ad actum. Nequiret autem reduci, nisi cum expulsione huius formæ, & corruptione totius. At repugnat, partem appetere corruptionem totius. Videmus enim quamcunq; partem naturaliter inclinari ad conseruationem totius: Quinuero fortius rapi ad bonum totius, quàm ad bonum proprium, ergo materia non appetit. Nihilominus,

Explorata veritas est, quod materia prima verè appetitu naturali appetit formas.

LIII. Ita docuit magnus præceptor in tex. 82. secuti deinde sunt omnes Philosophi. Et ratio est, quia quicquid est in hac rerum vniuersitate, fertur naturaliter in bonum sibi proprium, & conueniens, quo quidem ex se caret, & ex cuius acquisitione perficitur; *nam bonum omnia appetunt*, vt dicitur in principio Ethic. Materia prima ex se caret omni forma, & ea eius acquisitione perficitur, quippè ex formæ adeptione completur, accipit speciem, existit in rerum natura, & omninò fit hoc aliquid, cum secundum se vix attingat rationem substantiæ, ergo fertur naturaliter in formas, quod est, appetit eas appetitu naturali.

Quod si petas, ecquid tandem est hic materiæ appetitus?

LIV. Profectò non est aliquod accidens. Nullum enim accidens potest immediatè in ipsa materia inhærere. Neque est aliqua alia entitas eidem materiæ superaddita, alioquin materia non esset natura simplex; sed est ipsamet essentia materiæ, quatenus vi sua fertur, atque propendet in formam, ceu in proprium bonum. Ex quo vlterius habes, hunc appetitum discriminari ab eadem materia sola ratione; perinde ac de potentia eiusdem materiæ dici consueuit, quod est re ipsa eadem materia, & distinguitur sola ratione. De qua tamen potentia suo loco plura.

Quæres præterea, appetitus materiæ ad quasnam formas fertur, ad formam ne in communi, an verò ad formas particulares.

L V. Respond. Materia primariò, & adæquatè appetit formam in communi, fertur nimirum indifferenter ad formam sub ratione formæ amissibilis; secundariò autem, atque inadæquatè, & præsupposita in ea aliqua determinata dispositione, appetit formas particulares, hanc, aut illam. Materia enim secundum se indifferenter se habet ad hanc, aut illam formam: nihilominus præparata, ac destinata potius ad hanc, quàm ad illam, fertur ad hanc magis, quàm ad aliam. Quemadmodum visus primariò, & adæquatè respicit coloratum in communi: secundariò autem, atq; inadæquatè, & præsupposita in eo aliqua dispositione, potius fertur ad hoc visibile, quàm ad illud.

Ad hæc dices: Materia appetit ne etiam formas, quas aliquando habuit, & amisit, an illas duntaxat, quas nunquam habuit?

LVI. Dico, Materia, quantum est ex se, verè appetit etiam formas, quas aliquando habuit, & quibus postea exuta est. Ratio huius asserti est, quia materia, quantum est ex se, ita se habet nunc ad formas olim habitas, quemadmodum se habebat, antequam ad illas disponeretur, neque ipsa acciperet. Nil enim potest concipi in ea, aut tunc plus, aut nunc minus. quare sicut, priusquam illas reciperet, appetebat, ita appetit & nunc. Confirmo. Ideò forma, V. G. equi, dum corrumpitur, non dicitur annihilari, quia licet cesset omninò esse, neque ex ea quicquam aliud fiat, tamen remanet in potentia materiæ, vt est communis Doctorum sensus, & explicat S. Thom. in prim. part. quæst. 104. art. 4 ad 3. Ad quod autem est potentia in materia, ad id est etiam appetitus.

Nec propterea appetitus ille, & potentia ad formas olim habitas erunt frustra, quòd naturaliter illas amplius obtinere nequeat. Nam hoc est aliquid a materia extrinsecum, & proficiscitur aliunde, quia videl. non datur naturale agens, quod easdem dispositiones applicet, & introducat, siue educat easdem formas: Quod porrò non immutat naturam, & conditionem materiæ secundum se acceptæ: quare nec efficit, quin illa habeat appetitum, & potentiam.

Deinde, Ne ille appetitus, & potentia sint frustra, satis est, quod reducantur ad actum ad alias formas eiusdem speciei, aut consimiles. Id, quod apertè in eadem materia euinces, quia portio materiæ, V. G. huius ligni, antequam fieret lignum, erat in potentia ad formam huius lapidis, & illum appetebat, quam tamen formam lapidis, nec habuit, neque habebit vnquam.

Nec propterea dicimus, illum appetitum, & potentiam esse frustra: sic in proposito philosophare.

Dices vlt. Materia appetit ne etiam formam, quam actu habet, an non?

Respond. Appetitus duplex est. Alius quidem est appetitus desiderij, alius complacentiæ. Quæ LVII.
duo in actibus Voluntatis clarissimè conspiciuntur. Appetitus desiderij, fertur in rem absentem; nemo quippè desiderat, quod actu possidet: appetitus complacentiæ, qui proprie nuncupatur fruitio, est de re præsente, ac possessa, quam olim amauimus, & concupiuimus. Pari ratione possumus in rebus naturalibus, atq; adeò in materia ipsa hos duos appetitus distinguere. Et quidem appetitu desiderij materia appetit formas, quas non habet: appetitu autem complacentiæ, appetit formam, quam actu habet, & a qua actu perficitur, quaque, vt ita dicam, actu fruitur. Geminum hunc materiæ appetitum mihi videor introspicere apud Aristotelem in tex. 81. dum de materia ait, quod *est natura apta*, ἐφίεσθαι, καὶ ὀρέγεσθαι *appetere, & desiderare*. Per ἐφίεσθαι, intelligo appetitum complacentiæ: Per ὀρέγεσθαι, appetitum desiderij. Enimuero ἐφίεσθαι, est aliquid communius: & significat amore capi. Vide Thesaurum Ling. Græc. & Budæum. Et propterea etiam Argyropol. illa verba transtulit *Alterum suapte natura affectat, atque appetit ipsum*. Nunc etiam intelligis, cur

oculis

Digitized by Google

oculatissimus præceptor in eodem rex. statim loquens de priuatione, non appellat verumq; illud verbum, sed solùm ἐφίεσθαι, quod est *desiderare*, quanquà malè in latin. uertat *appetere*, quia in priuatione nunquam possit adesse appetitus complacentiæ, qui in eo, in quo est, significat actu adesse formam, cuius indicatur complacentia.

LVIII. Demum, respondendum est ad duo illa argumenta aduersus appetitum materiæ, initio sect. confecta. Ad 1. distinguenda est maior. quando appetitus naturalis oritur ab aliqua forma, vt contingit in lapide ad locum deorsum, tunc adhibetur quidam conatus ad consequendum finem: quia scil. formæ est agere. quando verò appetitus oritur a materia, haud est necesse, vllum adhiberi conatum, nisi nomen conatus accipias largo quodam modo, pro inclinatione, sic se habet res in materia.

Potest præterea dici, quod forma alia quidem est partis, vt forma lapidis: alia autem est forma totius, & est ipsamet essentia cuiuscunque rei, quæ dicitur quasi forma rei. Cum itaque aiunt, appetitum oriri a forma, intelligendum est, vel a forma partis, vel a forma totius; quo pacto etiam in materia prima est forma, habet enim hæc suam essentiam. Hac significatione formæ diuidit etiam S. Thom. appetitum, dum in prim. part. quæst. 80. art. 1. ait, appetitum sequi formam cuiuscunque rei. Et quia forma alia est naturalis, alia intentionalis, ideò appetitum alium esse naturalem, alium elicitum. Et quia forma intentionalis est principium cognitionis, & cognitionalis est sensitiua, alia intellectiua, propterea appetitum alium esse sensitiuum, alium intellectiuum.

LIX. Ad 2. dicendum, quod materia, quæ est pars, non appetit corruptionem totius per se, sed appetit per accidens, & propter maius bonum: quo pacto appetere, non solum non repugnat parti, sed est etiam illi consentaneum. Quod vt penitus deprehendas, scito, omnes formas sublunares informare materiam modo amissibili, siquidem omnes possunt ab ea expelli. Cuius rei ea est ratio, quia nulla harum formarum explet capacitatem materiæ, nec satiat eam. Cum itaque materia sit amissura hanc formam, ne nuda remaneat, quod essat ei penitus interire, appetit aliam formam. Illam recipere nequit, sine prioris formæ expulsione, & corruptione totius, ita per accidens, & consequenter appetit, & expulsionem præsentis formæ, & totius interitum.

Item, præcipuum bonum, ad quod materia ex instituto naturæ ordinatur, est ipsum Vniuersi bonum, & perfectio. Bonum autem Vniuersi consistit in nouis generationibus, quia res sublunares, vtpotè caducæ, ac fluxæ, non nisi per alias, atque alias generationes valent perpetuari. Nouæ generationes inferunt nouas corruptiones, cum huius ortus sit illius interitus: ideirco materia appetit nouas formas. Illas suscipere nequit, nisi præsenti forma exuatur, proindeque totum intereat: propterea materia per accidens appetit etiam expulsionem formæ, quam habet, quia hoc ordinatur ad maius bonum. Atque de principio materiali hæc satis. iam fit.

DISPVTATIO II.

DE PRINCIPIO FORMALI.

SECTIO I.

Forma substantialis quibus vnquam è priscis Philosophis fuerit ignota: Et ad quemnam pertineat de ea tractare?



Forma substantialis est alterum rerum natura constantium principium, de quo paulo plenius incumbit differendum, quàm de materia fecimus. Tum quia de ea Stagirites vix aliqua in præsenti lib. tetigit: I.
Tum etiam, quia non redibit de ea ipsa alibi ex instituto sermo. Hæc priscos Philosophos syncerè latuit; *nec a quoquam illorum clarè fuit assignata*, quemadmodum testatur Arist. in primo Metaphys. cap. 6. Illi etenim materialem quidem, & efficientem causam deprehenderunt, *formalem autem, & finalem non attigerunt vsque ad tempora Socratis*, loquit Auerr. ex Arist. in primo de Partibus Animal. cap. 1. Ex quo etiam intelligis, cur Philosophus in hoc primo lib. tum in primo de Ort. & Inter. cap. 1. tum in primo Metaphys. a cap. 2. & deinceps, tum alibi retulerit varias Veterum Philosophorum opiniones de materia rerum naturalium: at de forma nullam.

Antiquiores itaq; omnes in ea versati sunt opinione, quòd tota rerum natura, atque essentia esset sola materia, quam alij aliam supposuere, quemadmodum locis nunc indicatis abundè ab Stagirite narratur. Reliqua verò omnia, quæcunque in rebus inueniuntur, asseruerunt esse accidentia, & *quemadmodum vnusquisque illorum ponebat principia, siue vnum, siue plura, hoc, & tot dicit esse omnem substantiam, alia autem omnia passiones istorum, & habitus, & dispositiones*, vt loquitur idem Philosophus in secundo Phys. tex. 9.

Consultò autem Stagirites ait, formam substantialem haud fuisse a quoquam Vetustiorum assignatam *clarè*, & Auerr. rectè adijcit, quod eam II.

non ab-

Digitized by Google

non attigerant vsque ad tempora Socratis, quia circa Socratis tempora nonnulli eam olfecerunt, sed obscurè, atque exiliter. Hinc in secundo Phys. auscult. tex. 22. dicitur, *quod ad exiguam partem quandam Empedocles, & Democritus formam, & quod quid erat esse, tetigerunt.* Cognouit deinde expressius formam Timæus Locrensis, a quo postea Plato, qui quidem in Dialog., cui etiam nomen Timæi indidit, formas appellat rerum æternarum, ac verè existentium: nempè idearum simulacra, imagines, & prolem. Cum enim dixisset, materiam semper eandem manere in transmutationibus, perinde atq; æs, & aurum manet idem, mutatis figuris, ita de forma pergit. *Quæ verò ingrediuntur, & exeunt, verè, & semper existentium rerum simulacra sunt miro, & vix explicabili modo ab ipsis rebus, quæ verè sunt, figurata quemadmodum deinceps narrabimus, Tria in præsens genera sumenda sunt. Vnum, quod gignitur: Aliud a quo gignitur: Aliud, a quo similitudinem habet, quod nascitur: ideirco comparare hæc ita decet. Quod recipit, matri: vnde recipit, patri: naturam istorum mediam, proli.* Eandem formam indicat nomine vnius, referente Philosopho in primo Phys. tex. 55. primo Metaphys. cap. 6. Qua quidem de re adi Plotinum Enead. 2. lib. sep. cap. 3. & Enead. 6. lib. 3. cap. 8. Marsil. Ficin. lib. 1. de Theolog. Plat. cap. 3. & Ioann. Carpentan. in Alcin. Digress. 3.

III. P. P. Conimbr. in hoc lib. cap. 9. quæst. 10. art. 2. pro hac eadem re adducunt hæc Plat. verba ex eodem Dialog. *Mundus hic aspectabilis necessitate, & mente constat.* & interpretantur, quod constat necessitate, nempe materia, & mente, idest, forma. At eruditi Patres longè a Platonis mente absunt: Nam Plato per mentem eo loci intelligit mentem opificem, Deum, cuius ope, ac vi mundus hic, & constitit, & conseruatur. Quod luculenter colligitur ex verbis, quæ Plato continuò subiungit: & adnotauit etiam Thomas Giu. lib. quarto suæ Phys. cap. 1. Nihilominus Conimbric. illam interpretationem hauserunt ex Mars. Ficin. in Timæum cap. 39. sed re vera vtriq; præter Platonis mentem.

At verò dices. Ad quemnam scientificum attinet, tractare de forma, ad Physicum ne, an ad primum Philosophum?

IV. Svnt, qui hanc prouinciam demandant Metaphysico. Primùm, quia qui considerat primam alicuius ordinis causam, considerat etiam reliquas eiusdem ordinis causas, quòd istæ dependeant ab illa: Primus Philosophus expendit primam omnium formam, quemadmodum in duodec. lib. eius operis constat, idem igitur contemplatur & reliquas formas. Deinde forma est quidditas: At quidditas consideratur a Metaphys. quocirca totus fermè septimus eius operis liber occupatur in expendenda ipsa quidditate: quare &c.

V. Cuius tamen rei determinatio tribus assertionibus est dirimenda: Quarum prima est. Non pertinet ad Philosophum naturalem agere de Forma in tota sua latitudine sumpta.

Secunda est, Philosophi naturalis munus est, contemplari formas physicas, & corruptibiles.

Tertia, Philosoph. naturalis pertractat de formis a materia abstractis quantum ad existentiam, non verò quantum ad essentiam; seu tractat de ijs, quatenus sunt principium motus; siue inuestigat, an sint, non autem, quid sint: expendere autem essentiam, & conditionem earum, est officium primæ Philosophiæ.

Prima, & secunda conclus. constituuntur expressè ab Arist. in tex. vlt. lib. primi Phys. Et quidem illa his omninò verbis, *De principio autem secundum formam, vtrum vnum, an plura, & quot, aut quæ sunt, cum diligentia Primæ Philosophiæ opus est determinare.* Idem repetit cùm alibi sæpè, tùm lib. tertio de Cælo tex. 2. Et ratio in promptu suppetit, quia illud, quod includit diuersas rationes formales, nequit ad vnum artificem attinere, Forma secundum totam suam latitudinem accepta, includit diuersas rationes formales, quippè includit cùm formas caducas, tùm formas ab omni materiali concretione abiunctas. quare &c.

VI. Secunda quoque assertio luculenter effertur in eodem tex. cum Philosophus ait, *de physicis, & corruptibilibus formis in posterius demonstrandis dicemus.* Et ex eo etiam liquet, quia quæcunque forma existit in materia, & est principium motus, ea porrò ad naturalem contemplationem spectat. Manifestum autem est, omnes formas physicas, & corruptioni obnoxias insidere in materia, & esse principium motus. Prima propositio ex se est conspicua, quoniam Philosophus naturalis ex instituto considerat materiam, quare & ea, quæ in illa sunt: Deinde, considerat motum, ergo & principium, a quo ipse prodit: Forma autem est principium motus, vt ostendit Arist. secundo Phys. tex. 3. Ad hæc, relatiua considerantur ab eadem scientia: Materia, & forma physica, & corruptibilis sunt relatiua ex secundo Phys. tex. 26. ergo &c.

VII. Tertiam denique conclusionem quoad vtramque partem introspicio in illo ipso tex. cum contendit *determinare de principio secundum formam*, idest, de forma in communi μετ' ἀκριβείας, *cum diligentia, & exquisitè*, esse opus Primæ Philosophiæ. Perinde est, ac si dicas: Physicus etiam agit de forma abiuncta a materia, at non μετ' ἀκριβείας, quoniam inuestigat solùm, an huiusmodi formæ sint: Metaphysicus verò expendit quid, quales, & quot sint. Et quia hæc tractatio longo interuallo existit perfectior: & denominatio habetur a perfectiori, vt dicitur in secundo de Anim. tex. 49. ideircò contemplatio formarum abstractarum absolutè tribuitur Metaphysico, quemadmodum videre licet in secundo Phys. tex. 71. in primo Metaphys. cap. 1. & 7. & alibi sæpe. Hinc

in duo-

in duodec. eius operis lib. tex. 5. cum Arist. dixisset, tres esse substantias, vnam sensibilem, corruptibilem, alteram sensibilem sempiternam, tertiam immobilem; asitumque determinat, priores duas esse Physicæ contemplationis; tertiam verò Metaphysicæ. *Illæ itaque*, inquit, *Naturalis; cum motu namque sunt: ista autem alterius est, si nullum eis commune principium est.*

Quod verò Naturalis quoque Philosophus agat de ijs ipsis substantijs abstractis, an sint, siue quæ sunt principia motus, argumento est liber octauus Phys. in quo a sempiterno motu deprehensus est primus motor immobilis; ac proinde per quandam analogiam deprehenduntur reliqui cælorum motores.

VIII. Argumenta autem prioris sententiæ parum habent firmitatis. Diluitur primum, quia quando reliqua alicuius ordinis sunt eiusdem conditionis cum primo illiusmet ordinis, tunc, qui considerat primum, considerat & reliqua, vt apparet V. G. in prima intelligentia, & in reliquis, quæ omnes expenduntur ab eodem Metaphysico: secus verò si illa reliqua sint diuersæ naturæ a primo illiusmet ordinis, vt in re proposita accidit. Quippè prima forma est quacunque materia soluta, formæ autem physicæ semper degunt cum materia: ideò &c.

Ad 2. dic, quod quæuis forma, & quidditas consideratur tum a Primo Philosopho, tum a Naturali, sed diuersa ratione. Ab illo quidem qua est ens: ab isto autem, qua est principium generationis, qua altera pars rei naturalis, qua motus radix: omninò qua respicit materiam. Non est autem nouum, eandem rem considerari a pluribus scientijs sub diuersa ratione: Docuit enim Philosophus quarto Metaphys. tex. 4. quando multiplicia objecta sunt vnius, & quando alterius, atque alterius scientiæ. *Quare*, inquiens, *cum vnum multipliciter dicatur, hæc quoque*, entia: *multipliciter quidem dicentur. Vnius tamen est cuncta considerare. Non enim si multipliciter, ideò alterius; sed si neq. secundum vnum, neq; ad vnum rationes reducuntur, tunc alterius.*

SECTIO II.

Datur ne in natura forma substantialis, an non?

IX. 

Ari in rerum natura formas substantiales, iamdudum apud omnes in confesso est: & commostrat Philosophus in secundo Phys. auscult. cap. 1. dum patefacit, formam esse naturam. Natura enim substantia est: Et ideò substantiam perpetuò diuidit in materiam, formam, & quod est ex his, vt in secundo de Anim. tex. 2. in septim. Metaphys tex. 7. & lib. octau. tex. 3. & alibi sæpe. Quæ quidem veritas, vt complura alia præteream, ex tribus capitibus clarissimè enucleatur, idest, ex constitutione, ex transmutatione secundum substantiam, & ex ipsis rerum operationibus.

Ex primo sic hauritur. Corpora, quæcunque X.
in vniuerso reperiuntur, aut omnia sunt penitus vnius, atq; eiusdem essentiæ, ac speciei; aut inter se essentialiter, & specificè discriminantur. Primum vel cogitare, aperta fatuitas est. Enimuerò quis vnquam dicat, hominem, equum, vermem, plantam, ferrum, terram, ignem, idq; genus alia corpora vsqueadeò diuersa, atq; contraria, esse vnius, & eiusdem essentiæ, ac speciei? Quis verò animo concipiat, non magis hominem, quàm bouem, aut plantam, vel etiam lapidem esse rationalem, vel non minus hominem differre ab homine, quàm a cane, aut a planta? Quæ tamen omnia, vel inuito animo confitenda forent, si in omnibus, quæ in mundo sunt, vna, & eadem essentia, ac species sit. Omninò igitur dicendum erit secundum. At nequeunt res essentialiter, ac specificè inter se discriminari penes materiam primam, quoniam hæc in omnibus corporibus est vnius naturæ; & vna, atque eadem perseuerat in cunctis transmutationibus: seq; indifferenter habet ad omnia: debent igitur differre per aliquod aliud.

Hoc nequit statui aliquod accidens. Primò, accidens haud valet constituere quicquam in gradu, & specie substantiali, alioquin eleuaret aliud vltra suas vires. Quod contradictionem inuoluit. Secundò, quia substantia completa componeretur ex accidente; quod etiam repugnat: *quomodo enim ex non substantijs substantia vt quæ erit?* vt inquit Arist. primo Phys. tex. 52. Tertiò, quia nullum corpus naturale esset ens: & vnum per se, neque posset in vllo Prædic. directè collocari, sed omnia essent entia per accidens, cum componerentur ex rebus diuersorum generum, vid. ex materia, quæ est substantia, & accidente. Adde, quia forma accidentaria non facit ens actu simpliciter; sed ens actu tale, aut tantum, ceu album, aut magnum, aut id genus aliud, quemadmodum ostenditur in primo de ort. & Inter. tex. 12. Quod etiam in causa est, cur accidens semper aduentat subiecto iam præexistenti in actu. Relinquitur ergo id, a quo corpora naturalia internè constituuntur, & per quod essentialiter, & specificè inter se distinguuntur, necessariò esse aliquam substantiam, quæ immediatè iuncta, atq; vnita cum materia prima constituat has, aut illas res, & inter eas inducat specificam differentiam. Et hanc appellamus formam substantialem.

Secunda via est hæc. Datur in rerum natura duplex transmutatio, Altera penes nonnulla accidentia: Altera substantialis, in qua syncerè generatur aliqua substantia, & interit eidem alia substantia. XI.

Duas

Duas hasce transmutationes colligit Philosoph. in primo de Ort. & Inter. tex. 12. Primo ex communi hominum sensu. Quippè videmus aliqua transmutari, quæ tamen non dicimus simpliciter fieri, sed fieri talia, aut tanta, V. G. dum aqua calefit, aut infrigidatur, non dicimus simpliciter fieri aquam, sed fieri calidam, aut frigidam. Eodem pacto dum augetur, aut imminuitur puer, aut planta. Atque hæc nuncupatur transmutatio accidentalis. Cernimus præterea aliam mutationem, in qua affirmamus, rem simpliciter, & absolutè fieri, aut simpliciter corrumpi, veluti cum homo generatur, & aqua corrumpitur, & fit aer. Et ista meritò appellatur transmutatio substantialis.

Deinde, conspicimus nonnulla immutari secundum aliqua, & nihilominus seruare idem nomen, & eandem definitionem, vt aqua excalfacta, re ipsa est aqua: Alia verò sic permutari, vt neq; idem nomen, neque eandem definitionem retineant amplius.

Accedit, quod aliqua transmutata, adhuc edunt easipsas operationes, quas prius exercebant; alia verò non item. Hoc discrimen poni nequit, nisi dicas, in hac mutatione, quam substantialem vocamus, immutari, generari, & corrumpi aliquam substantiam. Hæc substantia nequit esse materia, erit itaque altera pars, quam formam substantialem appellamus.

Hue etiam facit, quod terminus generationis est forma, vt commonstrat Arist. secundo Phys. tex. 14 Terminus autem generationis substantialis nequit esse forma accidentaria, alioquin cum generatio specificetur a termino, ad quem tendit, iuxta præscriptum Philosophi sexto Phys. cap. 4. profectò illa generatio esset substantialis, & non esset substantialis.

Tertia, eaque luculenta ostensio depromitur ex
XII operationibus, quas in his ijsdem rebus nos ipsi animo, & oculis pellustramus. Ac primò sa nobis offerunt plantarum accretiones, viriditates, omnigenæque efflorescentiæ, item animalium sensationes, varijq; motus, & hominum cogitationes, intellectiones, volitiones. Deinde peculiares quidam effectus lapidum, gemmarum, herbarum, humilium etiam quorundam animalium, planè admirandi, quod V. G. magnes attrahat ferrum, quod vna quidem ex parte trahat, ex altera verò pellat, quod iaspis comprimat sanguinis fluxum, quod pyralis, bestiola alata paulò maior musca, in maximis ignium flammis enascatur, & viuat, quod salamandra obiuat, extinguatq; ignem, & id genus sexcenta alia omni admiratione dignissima, de quibus adeundus est Arist. in libris de animalib. & de admirat. audit. Plin. cùm alibi sæpè, tum lib. 11. cap. 36. & lib. 38. cap. 4. Albert. lib. 2. mine tract. 2. Cardan. lib. 7. de subtil. cap. 8 & lib. 5. de variet. cap. 18. Scaliger Exerc. 94. 113. & 126. Simon Maiol. in Dieb. canicu. ex quibus plurima congessit Barthol. Amic. in sua Phys. tract. 6. art. 2.

Tu in re nostra sic perge. Istæ operationes, & XIII
effectus vsqueadeò diuersi, ac admirandi, nullo vnquam pacto possunt a materia proficisci, cum ea sit vna, atq; indifferens, & etiam nullius actiuitatis. Neque deriuari queunt ab accidentibus. Quod ostendo: nam vel oriuntur a primis qualitatibus, calore, frigore, humido, ac sicco; vel a secundis: reliqua enim accidentia non sunt actiua. Ab illis non possunt oriri, cum præfatæ operationes, & effectus longa intercapedine sint perfectiores, ac nobiliores primis qualitatibus: impossibilè autem est, effectum excedere in perfectione suam causam. Præterea, Vna aliqua res, variatis in ea primis qualitatibus, adhuc tamen perinde suas exercet operationes, ac prius. Herculeus V. G. lapis eodem planè modo attrahit ferrum excalfactus, ac dum erat frigidus. Quod si vis illa trahendi ferrum proficisceretur in magnete a primis qualitatibus, profectò variaretur, pessumq; iret, illis variatis.

Eadem ratione dictæ operationes dimanare nequeunt a qualitatibus secundis, aut ab vllo alio accidente causato a primis qualitatibus, cum hæc omnia existant longè imperfectiora, quàm sint actiones illæ, & effectus. Et his etiam variatis, adhuc dictæ operationes eodem affatim modo exercentur. Quare assignanda necessariò est alia quædam perfectior, ac sublimior natura, quæ sit germana causa, & radix istarum operationum, atque affectuum. Et hanc appellamus formam substantialem. Hoc ipsum, ne longe abeas, planè euincit operatio aquæ, dum calfacta reducit se ad pristinam frigiditatem. Ea quippe reductio nisi a forma eius substantiali, sanè a nullo alio proficisci valet.

Quod si quispiam dicat, has actiones vtique XIV
non oriri a qualitatibus, & accidentibus recensitis, ac nobis manifestis: veruntamen oriri ab alijs principijs, quæ nobis sunt occulta, vtpote connexa ab his accidentibus sensibilibus. Quæ tamen principia non sunt formæ substantiales, sed accidentia priora his sensibilibus.

Hic non effugit argumentum. Primùm, Huiusmodi priora, & connexa accidentia intruduntur absq; vllo fundamento: quocirca eadem facilitate, qua asseruntur, etiam reijciuntur. Deinde, illa essent perfectioris, & altioris naturæ, quàm communia hæc, & patentia accidentia, ergo essent substantiæ: Quod enim est supra accidentia, id porrò substantia est: ac proinde illa omninò erunt id ipsum, quod nos contendimus, nempè aliqua forma substantialis, quæ perpetuò degit varijs accidentibus ornata, nostrisq; sensibus occulta, non enim substantia sentitur per se, vt in secundo de Anima tex. 134. docemur, atque adeò semper operatur per accidentia.

Parco alias rationes contexere, veluti ex proportione materiæ primæ ad formam, quod cum illa sit potentia quædam substantialis, forma etiam ad-

eam erit

Digitized by Google

eam erit actus substantialis, vt actus, & potentia collocentur in eodem genere. Quod propria quædam accidentia peculiariter, & perpetuò comitentur determinatas quasdam rerum species; cuius causa aliunde assignari nequit, nisi quia talis accidentium apparatus sequitur, & comitatur talem formam: Quod in rebus cernitur ingenita quæpiam, & occulta sympathia, & antipathia, quarum radix omninò aliqua natura, & substantia sit, necesse est. Quod denique anima rationis compos est humani corporis forma, & est substantia, cum a corpore segregata, sua ope subsistat: Quæ omnia si vera sunt, meritò, atque optimo iure hæc veritas Doctorum omnium consensione iandudum in Scholis, & recepta est, & firmata.

XV. Nihilominus oppones 1. Arist. septimo Metaphys. tex. 8. expressè docet, solam materiam esse substantiam, *cætera autem omnia esse corporum passiones, affectiones, potentias*. Quod etiam probat, *quia cæteris sublatis, nihil præter ipsam remanere videtur*. Et lib. secundo de Anim. tex. 7 tum octau. Metaphys. tex. 15. asseuerat ex materia, & forma conflari vnum, *sicut cera, & figura est vnum: Et æs, & rotundum sunt vnum*. Modo figura, & rotunditas sunt formæ accidentales, & cera, atq; æs faciunt vnum per accidens: quare etiam anima, & forma, quæ comparantur figuræ, & rotunditati, erunt formæ accidentales.

Respond. Stagiritæ mens clarissima est, quod forma, de qua incumbit sermo, sit substantia, vt iam planè a nobis patefactum est, & testatur Arist. in illo ipso septimo Metaphys. cit. 10 tex. immediatè præced. his verbis. *Quare si forma prior est, & magis ens, quàm materia*. Itaq; ad 1. arg. dic, quod eo loci ponit rationem antiquorum Philosophorum existimantium solam materiam esse substantiam, propterea quod ea sola videatur permanere, cæteris immutatis. Ita interpretantur Alex. Auerr. S. Thomas. Et quia prisci illi Philosophi errabant in constituenda materia, dum eam, aut aerem, aut aquam, aut quicquam huiusmodi aliud facerent, icircò pergit Arist. *& ostendit positionem illam procedere ex ignorantia materiæ, & consequenter dicit, quid sit materia secundum rei veritatem*: inquit D. Thom. ad eum locum quod, *neque est quid, neque quantum &c.* vt subdit Arist. deinde, vbi patefecit, impossibile esse, vt sola materia sit substantia, concludit in fine illius tex. *Quapropter forma, & id, quod ex vtrisq; constat, substantia magis, quàm materia videbitur esse*, quod etiam fusè docuerat in secundo Phys. cap. 1. & in primo de Partib. Animal. cap. itidem 1. Illa autem propositio, quod cæteris sublatis, non videatur, aliud quicquam relinqui præter materiam, duobus modis intelligi potest. Vno quidem, quod sublatis alijs, idest accidentibus, non remaneat nisi materia prima, quo intellectu falsa est: quia variatis accidentibus, remanet substantia composita. Alio autem, sublatis cæteris, idest, tam accidentibus, quàm formis substantialibus, non remanet, nisi materia: quo sensu vera est. Ast hinc non tollitur, quominus forma, de qua loquimur, sit substantia.

Ad 2. auctoritatem facilè respond. Stagiritam similitudinem in eo collocatam esse, quod sicut non quærimus, quomodo ex cera, & figura, tum ex ære & rotunditate coalescat vnum; quia altera illarũ est materia, altera forma, ita non *oportet quærere, si vnum est anima, & corpus* vt ipse Philosophus loquitur in secundo de Anim. tex. 7. Quam quidem enunciationem eo consilio protert, vt ostendat, rectè ab se definitam fuisse animam, quod sit actus corporis. Non autem similitudo illuc spectat, quod quemadmodum figura, & rotunditas sunt accidentia, ita de anima, & forma censendum sit. Congruè autem Ethnius præceptor a compositione accidentaria, vtpote nobis notiori manuducit nos ad substantialem.

Oppones 2. Nihil reperitur in rerum vniuersitate, cuius non sit aliquis vsus, & aliquod genuinum opus, cum natura nihil patiatur otiosum, vt docet Philosophus primo de Cælo tex. 32. & in secundo eiusdem operis tex. 50. & 59. & tertio de Anim. tex. 45. Nullus autem potest assignari ita proprius formæ substantialis vsus, & ita syncerum eius opus, quæ non commodius attribuantur formis accidentalibus. Quod ita ostendo. Formæ substantiales propter duo potissimùm inducuntur, vid. vt constituant corpora, & vt sint principia operationum. Vtrumq; autem hoc abundè formæ accidentales præstant. Præstant prius, quoniam primæ qualitates sunt accidentia: Nihilominus constituunt elementa, vt etiam in peripato permulti viri docti tuentur. Præterea mixtorum formæ, quin etiam ipsæ animæ nihil aliud esse videntur, quàm quædam symmetriæ, & contemperationes earundem primarum qualitatum. Præstant etiam posterius, nam principia operationum procul dubio sunt accidentia: & ideò alteratis, auctis, aut imminutis primis qualitatibus, variantur rerũ operationes, id quod vel in nobis ipsis animaduertere licet, qui alio modo operamur ingruente austro, alio sæuiente frigore, alio vrgente syrio. XVI.

Ad quod argumentũ neganda est minor. Ad prob. primæ partis respond. dogma illud, quod primæ qualitates sint formæ constitutiuæ elementorũ, est omninò a veritate alienum, vt in lib. de Ort. & Inter. patefeci. Præterquam quod auctores illius placiti contendunt, dictas qualitates, quæ constituunt elemẽta, haud esse accidentia, sed substantias. Didicerunt nimirum ex primo Phys. tex. 52. quod ex non substãtijs impossibile est fieri substantiam. Sic a veritate alienæ quoque sunt opiniones, quod formæ mixtorum, vel animæ sint contemperationes earundem qualitatũ, vt in lib. primo de Anim. demõstrat Arist. XVII

Ad prob. secundæ partis, dic, principiũ actionum proximum quidem esse qualitates, & instrumenta, primum autẽ, ac radicale est forma substantialis, vt apparet in secundo de Anim. tex. 24. de ipsa anima, quæ est principium, quo operamur *primò*. Et in tex. 40. carpit eos, qui in plantis, & animalibus causam nutritionis, & accretionis sanxerant ignem, seu calorem, nulla facta animæ mentione, & decernit, *quod ignis concausa quidem quodam*

modo est, non tamen simpliciter causa, sed magis anima. Nec mirum, quod validius intensis, aut remissis externis qualitatibus, vt in eodem arg. annectebatur, videtur rerum operatio: nam illæ immutatæ immutant instrumenta corporea, & proxima principia, per quæ anima, & omnis omninò forma operatur; quæ instrumenta alterata immutant deinde actionem.

XVIII Oppones 3. Repugnat, esse substantiam, & esse formam. Quippè *omni substantiæ hoc est commune, in subiecto non esse*. ex Categ. Subst. Omni autem formæ commune, ac necessarium est, esse in subiecto, siquidem forma per se ipsa cohærere, ac consistere nullo pacto potis est. Hinc in secundo Phys. tex. 12 dicitur, quod *forma non existit separabilis, nisi secundum rationem*, quia scil. semper est in subiecto, & propterea materia dicta est in primo Phys. tex. 82 *primum subiectum*.

Adde ex alia proprietate substantiæ, in eodem cap. de subst. adiecta, quod *substantiæ est proprium maximè, vnà, eademque cum sit numero, vim habere recipiendi contraria*. Hoc autem repugnat formæ. Hinc nonnulli etiam ex recentioribus, formas renuunt appellare substantias, sed vocant actus substantiales. Alij verò qualitates substantiales; nec desunt, qui tam materiam, quàm formam non substantias, sed quasdam substantiæ contentas appellari; inducti hoc arg. quia forma, & materia sunt elementa substantiæ; elementa autem substantiæ non sunt substantiæ; nam si esset, iam substantia esset, antequam fieret. Qua de re videndus est Simplic. in primo Phys. com. 51. & Thom. Gian. in sua Phys. lib. 4. cap. 16.

XIX. Sed hæc leuia sunt: Et quod attinet ad subiectum, Alex. Aphrod. lib. 1. quæst. Natur. cap. 17. Simplic. in Categ. Subst. & complures alij absolutè negant formam esse in subiecto: quòd id, aiunt, est proprium accidentium. Nihilominus claritatis gratia distinguendum est, quod esse in subiecto gemino modo contingit: vel inhærendo, vel substantialiter informando. Accidentia sunt in subiecto priori modo. Et hoc propriè significat esse in subiecto: forma autem substantialis est in subiecto posteriori modo, quia immediatè residet in materia prima, quæ eque est subiectum, sed subiectum in potentia, quemadmodum illud accidentium est actu.

Hanc distinctionem olfacio apud Arist. secundo de Anim. tex. 4 quo loci probat, animam non esse corpus, *quia corpus non est eorum, quæ in subiecto: magis autem sicut subiectum, & materia*. Vides Philosophi rationem esse hanc. Anima est eorum, quæ sunt in subiecto: corpus non est eorum, quæ sunt in subiecto, sed potius est sicut subiectum, & materia. Perpende, vt Stagirites supponit, animam esse ex ijs, quæ sunt in subiecto. Perpende etiam in his ipsis verbis distinctionem subiecti, & materiæ: subiectum quidem refertur ad ea, quæ inhærent: materia verò ad ea, quæ substantialiter informant.

Nec te turbet, quod S. Thom. in prim. part. q. quæst. 75. art. 2. ad 1 dixerit, formas substantiales corruptibiles, *inhærere materiæ*, nam accipit inhærentiam impropriè.

Quare ad arg. dic, quod cum Arist. ait, *commune esse omni substantiæ in subiecto non esse*, intelligit, haud esse in subiecto propriè, & inhærendo: non autem negat, esse eo modo, quo nos exposuimus. Vel dic, attributum illud censeri proprium substantiæ compositæ, & completæ. De qua intelligitur etiam aliud attributum in eodem arg. adductum, quod substantia eadem numero recipit contraria.

Ad illos autem, qui contorquentur, & renuunt, formas appellare substantias, sed communiter alia nomina, dico, eos inaniter inquietari; neque in verba facienda esse vim: iam nos ex Arist. didicimus, formam absolutè annumerari inter substantias, & euidenti ratione cuicimus, eam esse substantiam. Postremò ad illud, quod materia, & forma sunt elementa, & principia substantiæ, ideòque non esse vocandas substantias, etiam tyrones Philosophiæ norunt, substantiam aliam esse incompletam, & simplicem: talis est materia, & forma: aliam completam, & compositam: Hæc sit ea illis vorita. Sed iam vlterius pergo. XX.

SECTIO III.

Diuisio formæ communiter acceptæ, & quibus nominibus forma substantialis ab Aristotele efferatur.



FOrma prima sui partitione diuiditur, vt alia sit substantia, alia accidens. Illa rursus alia existit ab omni materia segregata, cuiusmodi sunt substantiæ abstractæ, quæ nuncupantur formæ, non quòd vllam formæ causalitatem exerceant, sed propter illarum actualitatem, & pulchritudinem: Alia autem est forma in materia. XXI.

Rursus formarum, quæ in materia degunt, triplex est genus. Vna est forma assistens, veluti nauta est forma, & *entelechia nauis* ex secundo de Anim. tex. 11. & sic etiam sunt intelligentiæ cælorum motrices assistunt quippè suis orbibus, quamquã in sententia Philosophi sint illis naturaliter applicatæ.

Digitized by Google

plicatæ, & colligatæ, quemadmodum in lib. de Cœlo dixi. Alia autem est forma informans. Et hæc aut aducitur de potestate materiæ, ac proinde pendet ab ea in esse, fieri, & conseruari, ita vt citra materiam ne momento quidem possit consistere. Huius classis, & conditionis sunt omnes formæ caducæ; Alia est forma, quæ non extrahitur ex sinu, gremioque materiæ, & ideò pro aliquo quidem tempore pendet a materia, sed tamen potest ab ea separata per se subsistere, quemadmodum anima rationalis, quæ corrupto homine, remanet superstes: Ex quo vlterius deducetur, vt etiam omnes formæ eductæ de potestate materiæ sint extensæ, ac diuisibiles ad extensionem, ac diuisionem corporis, cuius sunt formæ; formæ autem non eductæ sunt inextensæ, atque indiuisibiles; vt in lib. de Anim. dixi.

XXII. Eodem pacto forma, quæ est accidens, alia est extrinseca, vt idea, siue exemplar, quippè exemplar recensetur ab Aristotele in secundo Phys. tex. 28. inter causas formales: quia forma est ratio eius, quod est hoc aliquid. Atqui hoc, aut illud artificiatum est tale propter exemplar existens in mente artificis: Alia est forma intrinseca. Et hæc vel est artificiosa, vt figura scamni, vel est Physica. Quæ adhuc est duplex: alia competit naturaliter subiecto, vt calor in igne; alia non conuenit subiecto naturaliter, sed tamen inhæret in eo, vt albedo in pariete.

XXIII Gradus formarum substantiæ sunt septem: & totidem sunt gradus formarum accidentium. Primus gradus illarum sunt formæ corporum simplicium, vt forma ignis, aeris &c. Secundus sunt formæ mixtorum similarium, vt metallorum: & per has formas res habent esse, & actu existere. Tertius gradus sunt formæ plantarum, quæ est anima vegetatiua. & per illam res viam sortiuntur viuere, vt ostenditur in secundo de Anim. tex. 14. & deinceps. Quartus gradus est plantanimalium, qui quidem gradus elargitur animalibus sensum tactus, vt ostenditur in tertio de Anim. cap. vlt. Quintus est animalium perfectorum, rationis tamen expertium, quibus competunt etiam ex alijs sensibus, & etiam motus progressiuus, de quibus in eodem tertio de Anim. a tex. 42. Sextus est forma intellectiua hominis, quæ summa cum ratione omnium sublunarium censetur regina, qui quidem gradus tribuit ratiocinari, intelligere, velle. Septimus denique sunt formæ a materia abstractæ, quarum apex est primum ens, & mens illa suprema, Deus, *a quo pendet cælum, & vniuersa natura*, vt dicitur in duodec. Metaphys. tex. 39.

XXIV. Gradus quoque formarum accidentium recensentur septem. Primus est quantitas: Hæc enim proximius accedit ad substantiam; vnde etiam immediate recipitur in substantiis: & mediante illa inhærent reliqua accidentia, propter quod quantitas in scholis appellari consueuit, subiectum quo. Secundus gradus sunt quatuor primæ tangibiles qualitates cũ suis annexis, vt est durities, mollities, asperitas, lenitas &c. Tertius sunt secundæ qualitates, vt color, sapor, odor &c. Quartus sunt figuræ, vt quadrangulum, aut rotundum mensæ. Quintus, sunt formæ actionum, & passionum. Sextus relationum, vt paternitas: Septimus denique est formarum intentionalium, ac spiritualium, vt species visibiles, audibiles, lumen, & ipsæ species intelligibiles. Nos in præsenti non loquimur de formis substantialibus a materia abiunctis, sed de ijs, quæ sunt in materia, & illam informant: deinde dicemus nonnihil de forma etiam accidentali.

Quam varijs nominibus appellatur ab Aristotele forma substantialis.

PRimò, dicta est *actus*, & *entelechia*, secundo Phys. tex. 12. & secundo de Anim. tex. 2. tum, quia actuat, perficitque materiam, quæ suapte natura est potentia, & imperfecta. Tum, quia forma de se nullam habet potentialitatem respectu alicuius alterius formæ physicæ, sed est ipsamet actualitas. Tum etiam, quia per formam fit aliquid actu. XXV.

Secundo dicitur *forma*, primo Phys. tex. 23. & lib. secundo tex. 12. & secundo de Anim. tex. 2. quia ornat materiam, quæ est veluti turpe quoddam ex primo Phys. tex. 81. eique formositatem elargitur.

Tertiò, appellatur *species*, propter hanc ipsam causam, quia materiæ, & rebus ipsis dat pulchritudinem: quippè species idem etiam pollet, quod pulchritudo, vel ipso Porphyrio auctore in cap. de specie. Id in causa est, cur Arist. hæc duo nomina, *forma*, & *species* sæpe numero coniungit, vt in secundo Phys. tex. 12. & secundo de Anim. tex. 2. *alterum*, inquit, *vt forma, & species*. Præterea, forma vocatur species, quia contrahit materiam, quæ secundum se est indeterminata, ad vnam certam speciem, & largitur etiam rebus ipsis esse specificum, vt in tract. de causis dicetur.

Quartò, nuncupata est, *ipsum quod quid erat esse*, nempè quidditas rei, ita in septim. Metaphys. tex. 8. & lib. octauo. tex. 12. & 13. & alibi persæpe. XXVI

Quinto, dicta est *ratio*, primo Phys. tex. 69. secundo de Anim. tex. 37. septimo Metaphys. tex. 53. & lib. octauo tex. 3. & lib. duodec. tex. 16. Primò, quia forma est ratio, propter quàm compositum est id, quod est. Nam quod homo V. G. sit animal rationale, nulla alia reddi potest ratio, quàm quod est homo, vt ait Philosophus septim. Metaphys. tex. 58. Secundò, quia forma est ratio, & causa proprietatum, & affectionum in composito, siquidem proprietates in rebus proficiscuntur ratione formæ. Aliquando forma appellata est *ratio ipsius quod quid erat esse*, veluti secundo Phys. tex. 28. & lib. quinto Metaphys. tex. 2. 27.

Sextò, dicta est *substantia secundum rationem*, sic in secundo de Anim. tex. 9.

Septimò, appellatur *essentia*, vt in eodem lib.

Digitized by Google

tex 36. *causa*, inquit, *ipsius esse omnibus essentia est*, videl. forma.

Octauò, vocatur *finis*, secundò Phys. tex. 74. quia est id, cuius gratia generans operatur: siquidem vnumquodq; intendit producere simile sibi. Est autem simile ratione formæ. Ad hæc, dicitur finis, quia finit actionem agentis.

Nonò, dicitur *terminus*, secuo Phys. tex. 67. & lib. quart. tex. 35. & primo de ort. & inter. tex. 55. & primo de Anim. tex. 90. & oct. Metaphys. tex. 12. tum quia terminat materiam, quæ secundum se est interminata: tum quia terminat, vt ouoc dixi, actionem generantis.

XXVII. Decimò, dicitur *principium secundum formam*, primo Phys. tex. 83. ad differentiam princip. secundum materiam, & principij secundum priuationem.

Vndecimò, vocatur *exemplar*, secundo Phys. tex. 28. quia forma potindè d. rigit actionem agentis ad producendum formam suæ for æ similem, ac si ipsum agens intueretur aliquod exemplar in operando. Aut etiam, quia quod generatur, est quasi exemplar, & similitudo generantis.

Postremò, dicitur *diuinum*, *bonum*, *& appetibile*, primo Phys. tex. 81. Primò, forma nuncupatur diuina, nempè etmia, & admirabilis; Quippè græcè θεῖον, est etiam θαυμαστόν. Quo intellectu Latinus quoque poeta dixit, *celatum diuini opus Alcimedontis*. Deinde, forma est actus: ac proinde habet expressiorem similitudinem cum actu primo, & diuino, ideircò dicta est diuina. Ad hæc, quemadmodum a primo ente, Deo, communicatur cunctis rebus esse, & viuere, *bis quidem clarius, bis autem obscurius*, vt dicitur in primo de Cælo tex. 100. sic forma cuilibet rei communicat esse, ideò &c. Dicitur bona, quia perficit: perficiens autem habet conditionem boni. Demum, quia appetitur a materia, iure optimo nuncupatur appetibilis. Hæc de nominibus formæ; iam quid ea ipsa sit, diligenter expendamus.

SECTIO IV.

Quid sit forma substantialis.

XXVIII 

Cademici, referente Simplic. in primo Phys. tex. 69. Plotin. Enead. 5. lib. 9. cap. 5. & Mars. Ficin. lib. 15. Theolog. Plat. cap. 2. in ea fuerunt opinione, quod forma substantialis sit *imago ideæ*, siue *imago exemplaris diuini in materia impressa*. Mars. Ficin. loco indicato, *Formæ*, inquit, *in corporibus nil aliud sunt, quàm idearum imagines diuinarum, vt figura, quæ imprimuntur in cera, nil aliud sunt, quàm imagines sigilli aurei*. Addunt, quod sicut in speculo excitatur imago rei obiectæ, sic in materia excitantur ab ideis formæ rerum caducarum. Quocirca istæ formæ sunt exigua, atq; exilia quædam simulacra, & propterea potius vmbræ veratum formarum, quàm formæ appellandæ veniunt. *Forma natura nil aliud est, quàm ipsius boni imago tenuis, & vmbratilis similitudo*, loquitur Ioan. Picus Mirand. in Heptap. lib. 1. cap. 2. Et si vis, forma est quædam lux in materia expressa. Quo fit, vt quemadmodum a corpore luminoso excitatur lumen in corpore apto, sic forma exoritur ab idea in materia disposita. Hinc Ficin. lib. 2. Epist. *Forma omnis est lux, quæ oculis videtur, vel cogitatur, & quia finita est, vmbra quædam est ad Dei formam, & lucem.*

Quidam autem Arabum, vt refert D. Thom. 3. de Cælo ad tex. 2. asseruerunt, *formam esse primi actus participationem rebus impressam*. Quippè forma nil laoè videtur esse aliud, quà n participata quædam similitudo Dei, in materia, qui Deus est actus primus sine materia. Cæterùm istæ opiniones iam a Scholis explosæ sunt; & de illa Platonis inferius etiam redibit sermo; Arabum verò optimo est per metaphoram dicta. XXIX

Arist. duplici potissimùm definitione expressit formam. Primùm in secundo Phys. tex. 28. *forma*, inquit, *est ratio ipsius quod quid erat esse rei*. Deinde, in secundo de Anima tex. 2. *forma est, secundum quam iam dicitur hoc aliquid*. Quæ definitiones vel ex ijs, quæ nuper de omnibus formæ attuli, liquent. Nihilominus Doctores nostri vario modo tentarunt naturam formæ explicare. XXX.

P. Suarez. in Metaphys. Disput. 15. sect. 5. formam in communi ita describit. Forma est substantia quædam simplex, & incompleta, quæ vi actus materiæ, cum ea constituit essentiam substantiæ compositæ. In qua descriptione, (substantia,) stat loco generis, siquidem substantia est multiplex: & per hanc particulam distinguitur hæc forma ab accidentibus, tum a modis substantialibus qui quidem, licet reuocentur ad Prædicamentum substantiæ, nihilominus propriè non appellantur substantia. Additur (simplex, & incompleta) vt per priorem particulam forma separetur a substantia composita: per posteriorem verò a formis separatis, quæ sunt etiam substantiæ simplices, sed completæ. Reliqua definitionis verba secernunt formam a materia, quæ itidem est substantia simplex, & incompleta, tameo est vt potentia, forma autem est veluti actus primarius.

P. P. Conimbr. in hoc lib. cap. 9. quæst. 10. art. 2. formam definiere, quod sit actus simplex substantialis, vnum per se cum materia constituens. Quæ definitio sic declaratur. Dicitur actus, per quam particulam forma secernitur a materia. Dicitur, simplex, vt distinguatur a concreto, quod constat ex multis actibus inter se diuersis, vt est album dulce, quod non est actus simplex. Additus, sub- XXXI

tur, substantialis, vt forma separetur ab accidentibus. Per vltima denique uerba, seiungitur a formis abstractis, & intelligentijs, quæ non constituunt cum aliqua materia vnum aliquod per se. Alij ex eadem societate alio pacto efferunt, vt videre potes apud Barch. Amic.

XXXII. Qui omnes, vt, quod sentio, efferam, acutè quidem, sed tamen in aliquo deficiunt. In definitionibus struendis maximè debemus esse soliciti, ne quid ommittatur necessarium, aut redundet superfluum. At in primi descriptione multa apparent superuacanea. Enimuerò si tantum dicas, Forma est substantia, quæ cum materia constituit substantiam compositam, siue essentiam substantiæ compositæ, commodè separabis formam ab omnibus ijs, a quibus ponitur distingui per cæteras particulas. Primùm per vocem (substantia) segregatur ab accidentibus, atque eadem ratione distinguitur etiam a modis substantialibus: Per subsequentia autem verba, (quæ cum materia constituit essentiam substantiæ compositæ) secernitur forma ab ipsa materia, quandoquidem materia non constituit cum materia substantiam compositam. Item, per hæc eadem verba forma distinguitur tum a substantia composita, hæc enim non constituit, sed constituitur; tum a substantijs, & formis abstractis, quæ non constituunt cum materia vllam substantiam, siue essentiam substantiæ compositæ.

XXXIII. Posterior etiam definitio deficit. Primùm, quia, cum actus alius quidem sit primus, vt scientia, alius secundus, vt contemplatio ex secundo de Anim. tex. 3. & 5. videbatur in ea definitione addendus, actus primus, sicut reipsa addidit Arist. in definitione animæ lib. cit. tex. 7. inquiens *est actus primus corporis*. Deinde, vox (simplex) redundat. Nam etiam sine ea, & per solam dictionem actus, optimè potest forma distingui tum a substantia composita, quàm nemo dixerit actum, quamuis sit actu; tum etiam a concreto ex actibus inter se diuersis; cum concreta, quæcunque illa fuerint, non sint actus. Adde, quod particula (substantialis) est sine vlla necessitate adiecta, nam per subsequentia verba, (vnum per se cum materia constituens) abundè exprimitur, eam esse actum substantialem, propterea quod apud omnes est clarum, quod accidentia cum materia non constituant vnum per se. Si itaque forma est actus cum materia vnum per se constituens, conspicuè est actus substantialis: ac proinde vox (substantialis) est superflua.

XXXIV. P.P. Compluten. in Phys. disput. 4. quæst. 1. definiunt formam, quod sit, *actus primus corporis*. At nimis ieiunè: sic enim forma, de qua loquimur, neque distinguitur ab actu assistente, cum etiam nauta dictus sit *actus, & entelechia nauis*, secundo de Anim. tex. 11. neque a forma accidentali, nam albedo procul dubio est actus primus corporis. Est quidem primus, cum habeat actum secundum, quæ est actualis disgregatio: est autem corporis, cum afficiat illud. Neque distinguitur a formis artificiosis, quæ sunt actus primus itidem corporis, id est artificiosi. Prætereo alias eius rei definitiones, quas alij, atq; alij tradiderunt, vt Thomas Gian. in Phys. lib. 4. cap. 18 duas: Picol. in secundo Phys. cap. de forma Physica: tum alij.

Equidem formam substantialem dupliciter definio. Primò. Forma est altera pars compositi substantialis, qua posita illud ponitur, & qua ablata, aufertur. Particula *est altera pars compositi*, stat loco generis: quia pars, & compositum multiplex est, & per hanc distinguitur forma a composito, quod non est pars. Vox deinde, *substantialis*, distinguit formam, primùm quidem ab accidentibus, quæ non sunt partes compositi substantialis, sed accidentarij. Deinde, si vis, distinguit etiam a modis illis substantialibus, qui porrò non sunt partes vllius compositi. Postea, distinguit a formis abstractis, & assistentibus: non enim ex intelligentia, & orbe consurgit vnum compositum substantiale. Per subsequentia autem verba, *qua posita &c.* secernitur forma a materia, quæ æquè etiam est altera pars compositi substantialis, attamen ea posita, non ponitur res: quandoquidem materia mea ponitur in cadauere, nec propterea erit homo: de forma autem res secus se habet, quia forma dat esse rei. XXXV.

Hanc definitionem colligo ex secundo de Anim. cap. 1. & præsertim tex. 8. & 9 vbi cum Arist. probaret, quod si securis esset animal, forma, & anima ipsius esset illa eius constructio, & incidendi vis. Annectit rationem, *separata autem hac, non vtique amplius securis esset, nisi æquiuocè*. Quod repetit in altero exemplo de oculo, *qui si esset animal, anima vtiq; ipsi visus esset*. quia *hic est substantia oculi, quæ secundum rationem*, id est forma: *oculus autem materia visus est*. Quod rursus probat. *deficiente enim visu, non est amplius oculus: nisi æquiuocè, sicut lapideus, aut depictus*. Ex quibus eruitur hæc propositio, quod forma, siue anima est ea, qua posita, est res, & qua ablata, non amplius est: Verba autem alia, quæ nos in ea definitione videmus addidisse, vid. *altera pars compositi substantialis*, colliguntur etiam ex ijs, quæ in eodem cap. Philosophus dixerat. Imo verò in eo ipso exemplo oculi vides expressa, quod *oculus est materia*, vis autem videndi sit *οὐσία ἡ κατὰ λόγον*, *illa substantia, quæ est secundum rationem*, dic vno verbo, est forma.

Secundò sic effero. Forma est actus primus substantialis informans corporis physici. Per quam descriptionem cumulatissimè forma distinguitur a quacunque alia re, & in ea nihil redundat. Cum enim dicitur, actus, distinguitur a materia, & composito: cum adijcitur, primus, distinguitur ab actu secundo, cum additur, substantialis, seiungitur ab actu primo accidentali, qualiscunque ille sit, vt scientia, & figura: cum adiungitur, informans, segregatur a forma assistente: cum denique XXXVI

annecti-

annectitur, corporis physici, explicatur subiectum, cuius ea est. Quippe formæ definiuntur ad modum accidentium, in quorum definitione ponitur subiectum, vt cum Arist. septimo Metaphys, tex. 4. explicat S. Thom., & in secundo de Anim. tex 2. & nos diximus in eo lib. ad tex. 7. Agnoscis, opinor, hanc quoque formæ definitionem esse constructam ad tenorem definitionis animæ, traditæ ab Arist. in tex. illo 7. solùm enim ab hac nostra definitione formæ deest particula, *organici*, per quam anima distinguitur a formis rerum non viuentium; de qua tamen re vbertim dixi, & in Opere de Triplic. Stat. anim. Disput. 1. sect. 6. & in comment. ad lib. de Anim.

XXXVII Sed dices, non rectè formam appellari *actum*: Primò, aut forma ita est actus, vt respuat omnem potentialitatem; aut includit aliquam. Si primum, ergo forma erit actus purus: quippè quod est omnia potentialitatis expers, id porrò actus purus est. Hoc autem est impossibile; quoniam tunc quæcunque forma esset Deus, cum iuxta veritatem nostram, solus hic sit actus purus. Sin autem includat aliquam potentialitatem, ergo constat ex actu, & illa potentia: quocirca adhuc consequitur, malè eam appellari *actum*: Quod ostendo, primùm, quia nulla pars prædicatur de toto: nec enim dicimus homo est anima: Atqui actus iam esset altera tantum pars, quare non prædicabitur de ea. Deinde, si forma est actus admixtus alicui potentię, ita vt componatur ex actu, & potentia, quæro iterum de actu illo, qui hanc formæ compositionem ingreditur, est ne actus purus, an compositus? & redit idem argumentum.

XXXVIII Secundò, si forma est actus, non erit substantia. Quod sic prob. Substantia est, quæ alijs substat, aut certè de se subsistit, vt in Categ. Substantiæ asseritur. Actus autem neque cuiquam substat, quin potius alia substant illi: neque per se subsistet vnquam, quandoquidem actus, & perfectio nequit sine eo esse, quod actuat, atq; perficit.

XXXIX De primo arg. multa disserui in opere de Triplic. stat. anim. Disput. 1. sect. 7. nunc ita declaro. Forma secundum se est quædam entitas omninò simplex, atque in se spectata non est quippiam conflatum, neq; etiam ex actu, & potentia, tanquam ex duplici parte; nihilominus non est dicenda actus purus; quoniam licet respectu alicuius sit tantum actus, nullam omnino includens potentialitatem, respectu enim materiæ, quam actuat, nullam habet potentialitatem, tamen est potentia

XL ad multa alia. Primò, est potentia collata ad totum, cum totum coalescat ex ea, & materia; ac proinde vtraque hæc pars sit in potentia, tanquam vnibilia, quæ vnita conficiunt totum. Sic habes ex Arist. qui secundo Phys. tex. 31. edisserens de causa materiali, enumerat etiam partes. *Causarum*, inquit, *alia quidem sunt, vt subiectum, vt partes*. Et rursus. *Elementa enim syllabarum, & materia factibilium, & ignis, & huiusmodi corporum, & partes totius, vt id, ex quo causa sunt*. Vbi conspicis, sicut se habent literæ ad conficiendas syllabas, & materia secunda ad artefacta, & elementa, ignis, ac reliqua ad mixta, sic esse partes ad totum; ac proinde totum respectu partium, habet rationem formæ: partes autem sunt tanquam totius materia. Quod Arist. repetit, cùm sæpe alibi, tùm quinto Metaphys. tex. 2.

Secundò, forma est in potentia ad accidentia, tam propria, quàm alia. Illa namq; recipit saltem vt quo.

Tertiò, forma viuens, nempe anima est etiam in potentia ad suas operationes.

Quartò, denique est in potentia ad ipsum esse, & existentiam, quæ est vltima omnium actualitas. Huc pulcherrimè faciunt verba D. Thomæ ex prim. part. quæst. 50 art. 2. ad. 3. vbi cum dixisset, *quod licèt in Angelo non sit compositio formæ, & materiæ, est tamen in eo actus, & potentia*, subiungit, *Quod quidem manifestum potest esse ex consideratione rerum materialium, in quibus inuenitur duplex compositio. Prima quidem formæ, & materiæ; ex quibus constituitur natura aliqua. Natura autem sic composita, non est suum esse, sed esse est actus eius: vnde ipsa natura comparatur ad suum esse, sicut potentia ad actum. Subtracta ergo materia, & posito, quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formæ ad ipsum esse, vt potentia ad actum*. Sic ergo forma licet sit actus, tamen est etiam potentia.

Purus autem actus, Deus, ita est actus, vt respectu nullius potentia esse queat. Hinc rectè Doctores nostri asseuerant, Deum nullo vnquam pacto posse constitui alicuius rei causam formalem, neque vices gerere cuiuspiam formæ. Ex quibus manent etiam dissolutæ probationes in eodem argumento adiunctæ. Præterquamquod. Ad 1. quod pars non prædicatur de toto, occurrendum etiam est, id esse verum in parte Physica: secus autem in Metaphysicis. Rectè enim dicimus, homo est animal. homo est rationalis, quæ sunt eius partes Metaphysicæ. Ad. 2. prob. etiam patet, nam eadem met simplex formæ entitas collata ad diuersa subit rationem tum actus, tum potentiæ: quocirca haud est in actubus abeundum in infinitum. XLI

Ad 2. argumentum respondeo, substare, & per se subsistere, sunt attributa substantiæ compositæ, & completæ, quam Stagirites in ea Categ. habebat præ oculis, quemadmodum etiam retrò monui: non autem sunt cuiuscunque substantiæ: siquidem materia est substantia, nec tamen substat immediatè vlli accidentium: nec per se vllo pacto potest subsistere.

(d)

SECTIO

SECTIO V.

Num formæ substantiales præexistant in materia, siue secundum se totas, siue secundum aliquid sui: an verò penitus fiant de nouo?

Explicatio tituli, & ratio difficultatis.



Vlum a nobis hucusque est, quod in rerum natura se ipsa dantur formæ substantiales; & quid eæ sunt: proximum est, vt videamus, quo modo fiant, seu quomodo fiant, quæ res in omni ætate abstrusa, ac perdifficilis habita est.

XLI. In primis autem scito, hic non agitari sermonem de anima intellectiua, quæ quidem in opinione quorundam Veterum Philosophorum, vt Merc. Trismegisti, Pythagoræ, Platonis, &, vt opinor, etiam Stagiritæ, præexisteret ad corpus, eique vniretur solum, vt forma assistens, & vt motor mobili, ideòq; sicut dicitur in secundo de Gener. animal cap. 3 *deforis accidat*: de qua re habes integram disputationem in Opere nostro de triplic. stat. anim D. put 4 & in Comment. ad lib. 3. de Anim. tex 20 De hac forma ad istorum autem præteritam quæstio excitat: Cessat etiam de hac eadem anima in sententia nostra vera, & catholica, dum constanter asseueramus, animam intellectiuam eo temporis articulo, quo corpus vltimatè dispositum, instructumq; est, creari a Deo Opt. Max. & in corpus infundi. Hæc, si deforis accedit, iam præextitit? Et si nunc creatur, tota quidem nunc fit, sed tota fit ab extrinseco agente Deo, qui eam creando infundit, & infundendo creat: nec quicquam illius est in materia, cum creatio producat totam omninò rem, ex nullo præsupposito subiecto.

XLII. Præterea, cum hæc difficultas discutiatur in Peripato, excluduntur ab ea etiam formæ cælorum, & elementorum, si secundum se totæ spectentur: quia cum Philosophus mundum constitueret vtrumque æternum, fatuum esset quærere, vtrumne eorum formæ præextiterint, & quomodo factæ sint. Supposita verò nostræ fidei veritate, quod cæli & elementa initio temporis a præpotente Deo ex nihilo condita sint, erit a nobis inferius inuestigandum, an illæ formæ sint eductæ ex materia; nec ne. Præsens itaq; difficultas procedit solum de alijs formis substantialibus; quarum occasione dicemus, etiam de formis accidentalibus.

Præcipua verò dubitandi ratio est, quia cum forma substantialis iam sit quædam res verè a materia distincta, peto, an sit ne aliquid in materia ante generationem, an nihil? Si est aliquid, profectò illud erit tota forma, cum forma secundum se sit indiuisibilis: Hoc autem est impossibile, tum quia si forma, & quidem tota præesset in materia, iam res essent, antequam generarentur. Quippè vbi est materia, & forma alicuius rei, ibi illa etiam est. Tum quia hoc pacto nulla daretur generatio substantialis; Tum demum, quia sic incubarent in vna materia tot, tamque diuersæ, ac repugnantes formæ, quot deinceps ex eadem materia tractu temporis producuntur. Sin autem dicas, formam ante generationem in materia nihil esse, sequitur, eam, cum fit, fieri ex nihilo. cui dicto vniuersa Philosophia reclamat. XLIII

Quod si dicas, Forma non fit, sed compositum fit; *omne enim, quod fit, compositum est*, vt dicitur in hoc primo lib. tex. 64 compositum autem fit ex materia, iccircò non sequitur, aliquid fieri ex nihilo.

Nihil dicis. Nam licet compositum dicatur fieri propriè, & vt quod, nulla tamen ratione negari potest, quin etiam forma fiat, vt latè exposui supra ad tex. illum 64. Præterea, accipio hanc numero formam, prout est res quæpiam a materia distincta, & sic vrgeo. Hæc entitas antea non erat, & postea est, ergo est facta. Adhæc, cum corrumpitur totum substantiale, forma verè desinit esse, cum antea esset; quare & cum illud generatur, forma incipit esse, cum antea non esset, fit ergo.

Propter hanc difficultatem Veteres in varias abierunt absurditates atq; *berrauerunt & propter hanc ignorantiam tantum insuper ignorauerunt, vt nihil aliorum opinati sint fieri, aut esse: sed auferebant omnem generationem* inquit Arist. in tex 74 huius lib. Qui quidem Veteres, & si hac difficultate oppressi sustulerint, & generationem substantialem, & formas substantiales, vt supra etiam indicaui, adhuc tamen difficultatem non diluerunt, nisi simul etiam negarent formas accidentales: ac proinde auferrent penitus omnem omninò mutationem, adeò vt vix relinquerent etiam motum localem: Quod quam sit dictu absurdum, etiam fatui norunt. Quod autem non possent dictam difficultatem diluere, ex eo apparet, quia eadem difficultas proponi potest de forma accidentali. Nam hæc quando est, vtiq; est aliqua entitas; aut ergo erat aliquid antequam fieret, aut nihil. Si erat aliquid, ergo non fit: quod enim est, amplius non fit: si nihil erat; ergo fit ex nihilo. XLIV

Opinio Anaxagoræ relata, & reiecta.

XLV. TRiplex extat in re proposita opinionum classis. Quidam asseruerunt, nullam formam

vllam

Digitized by Google

vllius rei fieri vnquam de nouo, sed totam actu præextitisse. Alij formam generandam præextitisse quidem in materia, sed non actu totam, & secundum perfectam sui rationem, sed solummodo secundum aliquid sui. Alij demum nihil formæ generandæ præesse actu in materia, sed totam omninò fieri tunc, cum res ipsa generatur. In prima opinione fuit Anaxagoras, qui quidem, attestante Philosopho in hoc primo lib. tex. 35 & in primo de Ort. & inter. cap. 1. tum in primo Metaphys. cap. 6 opinatus est, per illam suam *πανσπερμίαν*, omnisementiam, & *ὁμοιομερίαν*, similipartiam, de qua alio loco diximus, quaslibet res esse permixtas in quibuslibet rebus, atq; *omne esse in omni*: ac proinde formas omnes omnium rerum esse in omnibus itidem rebus. Cæterum alias res, ac formas nos latere: apparere autem nobis, & nominari solùm vnam, illam videl. cuius plurima corpuscula homogenea in ea sint congesta. *Apparere itaque res differentes, & appellari alteras ab inuicem, ex eo, quod maximè superabundat, propter multitudinem in mixtura infinitorum, syncerè enim totum album, aut nigrum, aut dulce, aut carnem, aut os, non esse, sed cuius plurimum vnumquodq; habet, hoc videri esse naturam rei*, inquit Arist. in tex. 34. primi Phys. cit.

Inductus autem est Anaxag. ita credere, propter difficultatem nuper indicatam, quia videmus, aiebat, quodlibet posse fieri ex quolibet; & vnum contrarium fieri ex altero. Forma itaque huius albi, quod nunc fit ex nigro, aut præerat in nigro, aut non: Si non præerat, & fit de nouo, ergo aut fit ex ipso nigro, & hoc existimatur penitus impossibile. Quis enim credat, albedinem fieri ex nigredine, aut caliditatem ex frigiditate, aut ignem ex aqua? aut fit ex nihilo. Et hoc longè est impossibilius: præerat ergo.

XLVI Huc etiam reuoco Democritum, & Empedocl. qui *ad exiguam quandam partem attigerunt formam, & ipsum quod quid erat esse*, vt dicitur in secundo Phys. tex. 22 quorum ille res generabat per atomorum congregationem, hic autem per condensationem, & rarefactionem elementorum, quemadmodum reliqui Veteres Physici.

Hæc Anaxagoræ sententia tam ab Stagirite cùm alibi, tùm loco nuper commemorato funditus euersa est: quemadmodum illa Democriti in prim. de Ort. & inter cap. 2 Præterea, Anaxag. sicut, & Democr. non potuerunt formas rerum, quæ essent altera pars compositi, præexistere; sed constituerunt integra corpuscula ille quidem homogenea, corpuscula similium partium: hic autem atomos, *positione, figura, & ordine* diuersas, quæ congregata facerent apparere hanc, aut illam naturam disgregata autem efficerent, vt exdem res euanescerent, & corrumperentur. Propterea in hac opinione expendenda haud est nobis immorandum.

Opinio constituentium in materia inchoationes formarum: & præcipua eorumdem argumenta.

Secunda opinionum classis constituit, formas substantiales præexistere quidem in materia actu, at non secundum totum, & perfectum sui esse, sed tantum secundum aliquid sui. Hoc verò sit quædam inchoatio, & seminarium formarum, quæ deinde promoueatur, & fiat forma absoluta: Quæ quidem opinio varijs modis explicatur. Dicunt aliqui in materia prima geminam insidere potentiam. Alteram quidem passiuam, secundum quam ea est apta recipere successiue omnes formas, qua ratione ab Stagirite primo Phys. tex. 82. fatetur, *primum subiectum vnius cuiusque*. Alteram autem formalem, quæ quidem profluat a forma quadam coæuea, atq; coæua materiæ, quæ forma perpetuo dictæ materiæ adhærescat, tamquam habitus quidam, & appellatur etiam forma corporeitatis: Hæc itaque forma, & potentia formalis sunt in materia actu inchoatiua, ex æquo omnium formarum deinceps generandarum: & formæ particulares continentur in illa forma quasi indistinctè, postea autem actione agentium naturalium extrahuntur, atq; euadunt distinctæ. Sic etenim, inquiunt, facilè possumus intelligere, quomodo forma virtute contineat formam, quomodo simile producat simile, & quomodo formæ non fiant ex nihilo. In hac sententia fuit Linconien. in lib. de luce & quidam alij relati a Barthol. Amic. in Phys. tract. 6 quæst. 3. disput. 1. art. 1. XL

Alij ponunt in materia non vnum tantum inchoatiuum omnium formarum, vt præcedens opinio, sed aiunt, actu inesse in materia proprium inchoatiuum vniuscuiusq; formæ postea producendæ. Qui deinde in explicando dicto inchoatiuo non parum dissident. Sunt, qui volunt, formas substantiales præditas esse varijs gradibus, ex quibus veluti coalescant, & absoluantur. Eorum graduum semper, inquiunt, remanet aliquis in materia, qui postea vi agentis naturalis perficitur, donec tota forma educatur, & absoluatur: Ille igitur prior gradus est inchoatio formæ. Ita prorsus, quemadmodum qualitas intenditur, ex eo quod gradus eius præexistens in subiecto, magis in eodem radicatus, perficitur, & ad absolutiorem actum euocatur. Vt ergo intensus, V. G. calor (sic occurrunt ad illam difficultatem) non fit ex nihilo, ita de hac, aut illa forma substantiali erit philosophandum. Ita Bacc. in 2. distin. 18. quæst. vn. art. 2. & quodl. 2. quæst. 6. art. 2. Pro hac etiam opinione Magister Soto in 1. Phys. quæst. 7. refert Aureol. in 2. dist. 18. & deinde congerunt alij, vt etiam facit Barth. Amic. Sed certè eam opinionem neq; Capreol. retulit ex Aureol. neq; apud eum auctorem legitur, vt etiam adnotauit P. Suarez. in Metaphys. disp. 15. sect. 2. XLVIII

Asserue;

XLIX Asseruerunt alij, illud inchoatiuum formæ, quod in materia præexistere contendunt, nil aliud esse, quàm purum quoddam possibile, seu possibilitatem eius formæ, cuius dicitur inchoatiuum: & hoc possibile, ac potentiale in quauis generatione conuerti, seu transire in formam, cuius erat initium. Eodem pacto in corruptione formam destrui, & resolui in suum possibile. Sic ex Durando in 2. dist. 18. quæst. 2 refert P. Suarez in sect. illa 2. deinde passim alij.

L. Proximè his accessit doctiss. æquè, atq; Excellentiss. Ioan. Bapt. Contar. meritissimus æternæ Reipub. Senator in disput. de Orgin. Formarum, qui ne cogeretur concedere, formas substantiales fieri ex nihilo, vt ipsemet fatetur in principio cap. 14. in eam venit opinionem, quod in materia prima, & in quacunque eius parte insit quædam spiritualis essentia, perpetuò, & inseparabiliter illi inhærens, quæ quidem fuit a Deo per æternam emanationem ipsi materiæ concreata: & quoad absolutam suam essentiam, est indistincta, & indeterminata: in sui autem gremio plurimos gradus essentiales comprehendit: qui gradus sunt formæ illæ determinatæ, quæ determinatas naturas compositorum constituunt, & latent in illa spirituali essentia, tanquam in seminario, & dum materia ab aliquo extrinseci agentis afficitur, dispositione præparante ad aliquam naturam, tunc exurgit, & refulget gradus, seu forma talis naturæ, & materiam illam secundum actum illius naturæ determinatè informat.

Addit exemplum, vt dum subiectum aliquod afficitur calore, & siccitate, & inde ad recipiendam formam ignis disponitur, tunc statim ex spirituali seminario illi subiecto cohærente educitur, ac fulget gradus quidam, qui antea delitescebat, & quodammodo fuerat consopitus, qui quidem gradus tunc in illa essentia spirituali redundans, & gradum caeteros que subiectum illud informantem, V. G. ligni, supprimando, affert illi corpori determinatam naturam ignis. Et cum subiectum illud ad aliam naturam transmutatur, veluti dum in eodem subiecto ignis per dispositionem ex calore, & humiditate educitur forma aeris, tunc gradus, qui priùs informationem, & determinationem præbuerat, scil. gradus ignis, non quidem intereuns, sed solùm a determinatione illius suppositi desistens, & gradui aeris, tunc supereminanti cedens, se denuò condit, & claudit in eodem seminario, in quo tandiu lateat, quousque ex consimili dispositione denuò ad illam materiam informandam euocetur. Totque huius modi gradus, seu formas intra seminarium illud contineri putat, quot repetiuntur: vel reperiri possunt naturæ materiales: Vnde fit, vt forma ignis a forma aeris, & a quacunque alia forma (præter formam intellectiuam) sit eiusdem essentiæ, & solùm quoad gradum essentialem diuersa.

Huc nonnulli asportant etiam verba D. August. lib. 3. de Trin. cap. 8. asserentis, in materia corporali inesse quasdam seminales rationes rerum, quæ dein tractu temporis enascuntur: & ob id ea, quæ fiunt, non creari ab agentibus naturalibus. En eius verba *Non enim ipsi eas creauerunt: omnium quippe rerum, quæ corporaliter, visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi huius elementis latent.* LI.

Scio, non deesse, qui eximunt Albertum ab hac inchoationum opinione, ita Soncin. lib. 7. Metaphys. quæst. 18. qui licet eam opinionem non reputet improbabilem, nihilominus negat, Albert. eam fuisse in ea. Et sic etiam facit P. Suarez loco nuper indicato, adduciiq; verba ipsiusmet Albert., qui solum ait, in materia, quæ est subiectum formarum, inesse habitum confusum earundem formarum: hunc autem habitum declarat, nil esse aliud, quàm potentiam habitualem, qua materia claudit in se formas: quia scil. formæ, vt infra explicabimus, sunt in potentia materiæ, & inde ea euocantur ad actum. Hinc idem Albert. in oct. Phys. cap. 4. potentiam materiæ ad formam vocat *inchoationem formæ*, & in quinto Metaphys. tract. 2. cap. 12. ait, *totam formam esse ab intra, secundum esse potentiale, & ab extra secundum esse actuale*. Verùm enimuerò exquirere, quid hic auctor opinatus sit, parùm, aut certè nihil habet vtilitatis.

D. autem Augustinum explicat S. Thom. in prim. part. quæst. 115. art. 2. in corp. quod per *rationes seminales* intelligat virtutes actiuas, & passiuas, quæ rebus insunt ad generationem: Quæ porrò virtutes neutiquam sunt inchoationes, aut partes formarum, sed sunt facultates causarum naturalium, ad producendas formas, & res ipsas generandas. Eas autem rationes seminales induxit Aug., vt patefaceret, Magos, & Dæmones non sua virtute creasse animalia in Aegypto, sed applicando actiua passiuis illa protulisse in lucem. Equidem non omiserim, te admonere, quod D. August. seminales illas rationes hausit ex fontibus Platonicorum, quibus apprimè addictus erat, vt ostendi in opere de Triplic. Stat. anim. Disput. 5. sect. vlt. ad quorum aures, vt multis prosequitur Mars. Ficin. tùm, in Theolog. Plat. tùm in Plotin. Enead. 4 lib. 4. cap. 13. *formæ vel rationes seminales in natura sunt vltima quædam vestigia diuinorum* nempe Idearum. LII.

Digitized by Google

Præcipua argumenta pro formarum inchoationibus.

VErùm lubeat iam præcipua aliqua argumenta pro hac formarum præexistentia,& inchoatio- LIII. ne in materia, in qua omnes huius classis auctores conueniunt, hic audire.

Primò, Accipiunt ex Arist. septimo Metaphys. tex. 29. id adesse discrimen in generatione rerum naturalium, & artefactorum, quod illarum principium est intus, istarum autem est extra. Per hoc autem principium non intelligit Arist. principium passiuum, & materiam, cùm hoc vtrobique, & semper sit intus, sed intelligit de principio quouis modo efficiente. Si itaque tale principium efficiens, & cooperans in generatione naturali debet esse intus, profectò id non erit aliud, quàm aliqua forma, aut aliquid ipsius. Hæc consequentia eo est conspicua, quia formæ est agere, materiæ autem solùm est pati, vt docet Philosophus in primo de Gener. & Corrupt. tex. 53. Addunt ex eodem loco, quod Stagirites expresse dicat in materia naturali esse aliquã partem rei faciendæ, quæ pars non est in materia artificiali: & illa pars postea promoueatur. Et propterea *sanitas* V. G. fit & arte, & casu. non autem domus: quoniam in illis est aliqua pars rei, quædam *talis, vt a se ipsa moueatur: quædam non*, quia videl. pars rei producendæ per artem non est in artefactis.

Secundum arg. Si in materia non est aliqua forma, siue eius inchoatio, sequitur, generationem naturalem esse, mutationem violentam. Quod dictu est absurdissimum. Conseq. prob. Violentum, ex tertio. Ethic. cap. 1. est, cuius principium est extrinsecum, passo non conferente vim: At in casu nostro principium producens generationem, esset externum, & materia nihil ad eam generationem conferret, neque cooperaretur, cùm materia, quà materia, nullam habeat actiuitatem: ergo illa generatio esset violenta.

Tertium, Omne, quod fit, debet prius esse in potentia, vt fiat: forma fit: fuit ergo prius in potentia. Est igitur in materia aliquid, quod nunc est solùm potentia, & postea fiet actu. Sed hoc potentiale non potest esse ipsa materia, quia materia, & eius potentia non sunt id, quod fit forma, sed est id, quod recipit formam: Hæc enim LIV. est natura subiecti: ergo illud potentiale est id, quod inchoationem formæ appellant.

Ad extremum, & est argumentatio Contareni, qua ipse, vt in calce cap. 14. fatetur, tanquam a vehementissima rationis vi cogitur ita sentire, quæ ab eo in cap. 10. & 11. fusè agitatur: potest autem ita perstringi. Nulla substantia potest ab agente naturali essentialiter produci, quin subiectum aliquod constitutiuum concurrat: Sed formæ rerum naturalium, quæ sunt substantiæ, non habent ex quo possint subiectiuè constitui: ergo non possunt essentialiter produci ab agente naturali: ergo secundum essentiam sunt coæternæ ipsi materiæ.

Maior ostenditur, tùm quia id, quod ex nullo subiecto producit de nouo aliquam formam, debet habere infinitam virtutem: quæ nulli agentium naturalium competit. Tùm etiam, quia hoc intellecta determinat Arist. quicquid fit, ex aliquo fieri, & non ex nihilo: ita in hoc primo lib. tex. 33. & 34. approbat commune illud Philosophorum decretum, quod ex nihilo nihil fit. Et in tex. 75. affirmat impossibile esse, vt ex simpliciter non ente aliquid fiat, & septimo Metaphys. tex. 22. colligit quod *omne, quod fit, & ab aliquo, & ex aliquo, & aliquid fit*. Quod etiam habet in secundo de Gener. animal cap. 1.

Minor autem habet duas partes. Altera est, quod, formæ rerum naturalium sint substantiæ. Altera, quod nullum ens reperiatur, ex quo illæ possint constitutiuè produci. Prior pars est extra omnem ambiguitatem, cum Philosophus in secundo Phys. a tex. 6. multis ostendat, formam esse naturam, & substantiam. Posterior autem pars ita probatur, quia illud, ex quo deberet forma constitutiuè produci, aut est materia, aut est forma, aut compositum, aut denique aliquod accidens. Non potest fieri ex materia, tùm quia hæc est essentia penitus diuersa, & oppositi generis; est enim ens in potentia, ex quo non videtur, quo vnquam pacto valeat extrahi entitas actualis. Tùm quia ea est lex principiorum ex tex. 42. huius libri, vt non fiant ex se inuicem. Nec potest forma fieri ex forma, nam hæc aut esset forma generantis, & hoc dici non potest, quia generans non effundit totam suam formam in semine: aut esset forma præcedens: & hoc etiam non, quia illa est indiuisibilis. Nec potest forma fieri ex composito, alioquin forma non esset principium rerum naturalium, sed principiata ab eis. Nec denique potest fieri ex aliquo accidente, quia ex primo Phys. impossibile est, vt ex ente secundum quid, nimirum ex accidente, fiat ens simpliciter, idest substantia. LV.

Cum itaque formæ naturales ita de nouo produci nequeant, omninò fatendum erit, eas habere esse æternum. Et cum non possint habere illud esse determinatum, & perfectum, sequitur, quod habeant esse confusum, indeterminatum, & potestatiuum, donec latent intra essentiam illam spiritualem, materiæ semper inhærentem, quæ est ipsarum formarum inchoatio, ac seminarium, in qua forma illa, quæ de nouo in generatione apparet, non tanquam ex aliqua diuersa essentia producta, sed tanquam illius essentiæ gra-

dua

Digitized by Google

dus exurgens, cæterisq; gradibus redundans genitum illud secundum rationem suæ naturæ informat, ac determinat.

SECTIO VI.

Reijciuntur inchoationes formarum actu in materia contrusæ.



LVI. Nullam præexistere actu in materia, seu rem, seu entitatem, ab ipsa materia distinctam, quæ sit siue inchoatio, siue essentia, siue semen formarum deinde producendarum, hodie est inter Doctores communi suffragio receptum, iccircò non est, quod hic auctores subijciam: Plurimos citat. P. Amic. in Phys. tract. 6. quæst. 3. disput. 1. & Mastr. ac Bellut. in Phys. disput. 2 quæst. 7. art. 1. Pro omnibus stet vnus Angelicus Doctor, cuius hæc tantum verba excribam ex prim. part. quæst. 45. art. 8 cui titulus est, *Vtrum creatio admisceatur in operibus naturæ, & artis*, deinde in corpore ita scribit. *Respond. dicendum, quod hæc dubitatio inducitur propter formas, quas quidam posuerunt non incipere per actionem naturæ, sed prius in materia extitisse, ponentes latitationem formarum. Et hoc accidit eis ex ignorantia materiæ, quia nesciebant distinguere inter potentiam, & actum. Quia enim formæ præexistunt in materia*
LVII. *in potentia, posuerunt eas simpliciter præexistere*. Et Scot. in 2. dist. 18. quæst vnic ex professo has formarum inchoationes refellit. His itaq; scholasticæ Reipub. columinibus lubens ego quoque subscribo.

Et probo. Primò; illa entitas ne intelligi quidem potest, nedum explicari, quæ vnquam, & qualis sit. Nam aut est actu aliqua substantia, aut accidens.

Non substantia. Primò, cum omnis substantia, auctore Philosopho in secundo de Anima tex. 2. aut sit materia, aut forma, aut ex his: illa entitas, inchoatio, actu in materia insidens non est forma: alioquin ea, ac proinde etiam res generanda præesset, antequam fieret. Non est compositum, vt liquet: Non denique materia, cum supponatur esse res distincta a materia; erit igitur merum figmentum

Secundò, quia tunc non materia sola, sed duplex substantia constituendum esset subiectum primum generationis. Quod nullatenus asserandum est.

Tertiò, Inchoatio, & initium alicuius rei deinceps expediendæ, debet esse similis naturæ, & conditionis cum re, cuius statuitur inchoatio: Modò formæ tractu temporis procreandæ, sunt inter se diuersæ, discrepantes, oppositæ: sic igitur essent etiam earundem initia, & inchoationes. Quod si ita est, quis vnquam animo concipiet, tot numero entitates, vsqueadeò diuersas, atque oppositas actu coexistere in vna simplissima materia? Profectò Anaxagoræ chaos, & *omnia simul erant*.

Postremò, formæ substantiales, ad aures Arist. in materia successiuè recipiendæ, sunt infinitæ: ergo si illarum inchoationes sunt aliquæ entitates, nunc in materia sunt actu infinitæ entitates substantiales. Et si inchoatio ponatur vna omnium formarum, illa non erit inchoatio viuentium, & prætetea, debebit esse aut forma, aut materia, aut compositum.

Quod autem non sit accidens. Primò, nemo LVIII
illorum auctorum id asserit: Deinde, hunc in modum demonstratur. Accidens exigit pro subiecto ens actu, vt docet Auerr. primo Phys. tex. 69. & nos patefecimus suo loco. Contradictionem ergo inuoluit, quod illa entitas, scil. inchoatio, immediatè inhæreat in materia, quæ suapte natura est pura potentia. Postea, si est accidens, quo vnquam pacto poterit constitui inchoatio, ac semen substantiæ, & formæ substantialis? num substantia ex non substantijs fieri potis est? Adhæc; Et si admitteremus, aliquod accidens immediatè præesse in materia, quod tamen non admitto, adhuc non euitatur proposita difficultas, quin tota entitas formæ substantialis fiat ex nihilo sui; quia accidens nequit statui, ac decerni quicquam intrinsecum formæ, sed ad summum illa inchoatio esset solum quædam dispositio ad formam producendam.

Quod si occurras, quod inchoatio formæ est ip- LIX.
samet forma actu existans in materia, sed secundum esse sui imperfectum, & veluti latitat in confuso, postea actione agentium naturalium, perficitur, discriminatur, & apparet expolita. Sunt, qui adhibent hoc exemplum. Fingas animo, quod aliquod marmor sit humana effigie figuratum, quæ tamen figura sit in confuso, neque cuiquam appareat. Accedat deinde statuarius, expoliat illud marmor, efficiatq; vt figura, quæ prius secundum esse imperfectum, & in confuso delitescebat, clarè appareat. Ita de forma substantiali philosophare. Quocirca quemadmodum statuarius non producit illam formam ex nihilo, sed tectam detegit, atque euocat in lucem, ita &c.

Verùm hæc sunt diuerticula. Primò, re-

 deunt

deunt omnia argumenta facta. Deinde, Nunc sermo est de entitate actuali, quæ fit actu extra suas causas, distinctaque a materia. Hæc si est forma, profectò vel est talis forma, *secundum quam iam est hoc aliquid*, vt loquitur Arist. vel illam ignorauit Arist. & ista erit fictitia. Deinde, illa inchoatio, & forma imperfecta, aut est eiusdem speciei cum forma, cuius constituitur inchoatio, aut est diuersæ speciei. Si est eiusdem speciei, ergo fatua est natura, quæ tā valdè satagit producere istam aliam formam. Quid ita? quia iam haberet in materia formam existentem in illa ipsa specie. ad quid ergo conaretur producere aliam? maximè cum natura per se intendat solùm species. Sin autem illa inchoatio, & forma imperfecta est diuersæ speciei ab hac forma, postea producta, quomodo illa erit huius inchoatio? forsan ne vna species potest esse inchoatio alterius?

Deinde, contra eandem ipsam responsionem sic argeo. Si illa inchoatio est actus forma in esse imperfecto, postea perficitur, absolutaque; hæc absolutio duobus modis potest intelligi. Vno modo, quod illa actu imperfecta, postea per sui intensionem fiat perfecta: Altero, quod illa transmutetur in aliam perfectam. Non enim est possibile, aliud modum præter hosce excogitare. Siquidem aut remanet eadem res, mutata solum imperfectione, & perfectione, & fit prior modus, aut non remanet eadem res, sed ex ea corrupta fit alia, vel illa ipsa conuertitur in aliam, & est posterior modus. Modò vterque hic modus in re nostra est impossibilis. Et quidem prior, quia forma substantialis non suscipit magis, & minus. Posterior autem, quia si illa forma secundum esse imperfectum corrumpitur, & non remanet, ergo non perficitur. Exemplum autem illud nihil valet? Nam si in eodem marmore esset effigies equi, effigies leonis, & aliarum omnium, re vera, & actu, quid illud marmor esset?

LXI. Præterea, opposita sententia principaliter ita oppugnatur, quia ex illa sequitur, in eadem materia simul esse priuationes, & formas ipsas, quarum sunt priuationes: Quod omninò repugnat: tùm quia forma, & priuatio se totis opponuntur; tùm quia tunc in eodem simplici subiecto esset absentia formæ, & simul non esset. Ita perstringe; illa, quæ se totis essentialiter opponuntur, & quorum vnum est absentia alterius, omninò repugnat, esse simul in eodem simplici subiecto. Priuatio, & forma se totis essentialiter opponuntur, & vnum, id est, priuatio est absentia alterius: ergo apertè repugnat, esse simul in eadem materia. At modo in materia est priuatio formæ etas producendæ: quare omninò repugnat, nunc in materia adesse illam formam, aut partem, aut inchoationem illius.

Item illa, quæ inter se essentialiter sunt diuersa, & repugnantia, impossibile est, esse simul in aliquo; sed formæ substantiales diuersarum rerum, V. G. forma equi, & forma ignis sunt inter se essentialiter diuersæ, ac repugnantes. Quod ostendo, quia illa essentialiter est viuens, hæc essentialiter non viuens: illa essentialiter sentiens, hæc non item, & ita etiā de cæteris formis philosophandum: ergo penitus impossibile est, illas esse nunc simul in eadem simplici materia. Hinc Arist. in primo Phys. tex. 23. aiebat, *formam, impossibile est, omnium esse vnam*. In opposita autem sent. nunc in vna, atque eadem simplici materia est forma, siue essentia formæ equi, essentia formæ ignis, & omninò essentia formarum omnium.

Nec dici potest, quod priuatio, & forma spectata secundum esse perfectum, siue secundum illum gradum exurgentem in materia, & secundum existentiam, vtique opponuntur se totis, & vna expellit alteram: Cæterum priuatio, & forma accepta secundum esse incompletum, & imperfectum, siue secundum essentiam, non opponuntur, & ita sunt simul. Vnde forma non fit quo ad esse, sed fit quo ad inesse. XLII.

Hoc, inquam, sustineri nequit; Primò, quia forma substantialis non habet partes, aut gradus, sed est entitas omninò simplex, & per se indiuisibilis, neque magis suscipit, aut minus, vt docemur in cap. de substantia, & oct. Metaphys. tex. 10. ergo non potest dici modo completa, modo incompleta, modo secundum vnam partem, aut gradum; modo secundum alium, modo secundum essentiam, modo secundum existentiam.

Quod etiam confirmatur ex Aristotele loco nunc indicato, vbi habemus: formas substantiales esse sicuti numeros: in quibus si tantillum addas, aut demas, non amplius est ille idem numerus, sed fit alius, ita in formis. *Et quemadmodum de numero, ablato, aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diuersus, etiamsi minimum auferatur, aut addatur, ita nec definitio, nec ipsum quid erat esse, erit amplius, ablato aliquo, aut addito*. At auctores oppositæ sententiæ addunt formæ esse perfectum, adduot gradum exurgentem, adduut existentiam, & nihilominus volunt, esse eandem formam.

Secundò, eadem responsio ita, aut ego fallor, euertitur. In rebus simplicibus, essentia, & existentia sunt omninò idem, vt in dispu. præced. dixi de materia, & eius existentia; & clariuùs idem dicendum est de forma. Scribit enim Arist. oct. Metaphys. tex. 8. hæc omninò, *quod quid erat esse forma, & actui adest: animæ nanque, & animæ esse idem est, hominis verò, & homo non idem*. Sed iuxta oppositam sententiam, essentia omnium formarum nunc est in vna materia, ergo nunc in eadem erunt omnes formæ secundum suas existentias? Quod vel opinari, est insensatio. XLIII

Nec etiam illud argumentum, quod de diuersitate, ac repugnantia formarum perstrinxi, potest dilui, si dicas, formas substantiales haud esse inter se diuersas, ac contrarias, ratione sui, sed tantum ratione dispositionum contrariarum, quas quidem exigunt, vt sint in actu completo.

Hoc non soluit, quia forma, quę essentialiter est viuens, & forma, quæ essentialiter non est vi-

uens, re

uens, re vera secundum se sunt diuersæ, ac repugnantes. Repugnat nanque formæ ignis esse viuentem, & similiter repugnat formæ equi non esse viuentem. Et omninò repugnat, vnam speciem esse alteram.

LIV. Sed quod omnium caput est, etiamsi huiusce modi inchoationum imaginationes admittantur, adhuc tamen non soluunt præcipuam difficultatem. Nam gradus, seu pars formæ, quæ actu non præerat in materia, sed per intensionem, aut per gradum exurgentem, aut quocunque alio modo, de nouo fit, profectò fiunt ex iis, quæ non sunt: hæc enim pars formæ non præerat actu in materia, neque hic gradus; ergo fiunt ex nihilo. Adde, pars illa formæ, seu gradus, quæ de nouo fit, distinguitur realiter ab illa, quæ in materia præexistebat: illa enim erat absque hac; ergo hæc pars fit ex nihilo, etiamsi illa præexisteret. Ac proinde redit Sisyphi saxum, quod tota forma producatur ex nihilo, cum videatur eadem ratio de parte, seu de gradu formæ, ac de tota.

Confutantur argumenta aduersæ opinionis.

LV. AD argumenta verò illorum. Ad 1. dico, eos malè legere, & peius intelligere Aristotelem. Falsum est, quod Arist. eo loci vllum constituat discrimen in generatione rerum naturalium, & artefactarum. Hem, ponit differentiam solum inter artificialia: & differentia in hoc sita est. Dubitat Arist. in principio tex. cur eorum, quæ ab arte fiunt, aliqua interdum fiant etiam a casu, & sine arte, veluti sanitas, quæ amissa, aliquando quidem per medicinam, aliquando verò etiam absque ea recuperatur: aliqua verò nunquam fiunt sine arte? Et respondet, id euenire, quia aliquando in materia, ex qua, seu circa quam occupatur ars, præcedit quædam pars rei producendæ, quæ pars est principium promouendi illam materiam, etiam absque alio agente extrinseco: ita vsu venit in sanitate rehabenda; præcedit quippè in homine calor naturalis, qui potest aliunde excitari, atque confirmari, vt absque medendi arte, & veluti casu quodam, vel, vt exponit Auerr. a natura, efficiat sanitatem. Interdum verò in materia, in qua versatur ars, non adest huiusce modi principium, & vis actiua, vt in lignis, lapidibus, cæmentis respectu domus animaduertere licet, propterea sequitur ex ipsis citra artem effici domum.

Hæc ex Arist. Vbi clarissimè duo cernis. Alterum, falsum esse id, quod auctores illi arripiunt, vid. eo in loco poni ab Stagirite discrimen in generatione rerum naturalium, & artefactarum. Alterum, per *partem rei*, non intelligere vllam formarum inchoationem, neq; intelligere ipsam aptitudinem materiæ ad formam, vt exponit S. Thom. sed intelligit vim actiuam, quæ aliquando in materia insidet, sic etiam exponunt Alex. & Auerr.

LVI. Quid verò? Hanc ipsam differentiam repetit Arist. in tex. 31. constituitque eam in rebus quoque naturalibus conspici: siquidem aliquando passum, ex quo res naturalis gignitur, est in sola potentia passiua: & tunc nequit ex eo quicquam progigni, nisi accedat agens naturale extrinsecum, quod dictum passum reducat ad actum; vt ex ligno nunquam fit ignis, nisi accedente igne extrinsecus: interdum verò passum habet adiunctam sibi vim seminalem actiuam, quæ est veluti pars eius materiæ, & pars ipsiusmet rei producendæ, quemadmodum contingit in semine, aut in grano tritici; & tunc commodè potest generari effectus sine alio extrinseco agente vniuoco.

Ad 2. arg. neganda est consecutio: ad prob. respond. violentum esse illud, in quo passum repugnat: Modo materia prima in generatione substantiali non modo nõ resistit agenti, sed sua natura quodammodo inclinatur, quatenus est apta, & appetens recipere formam.

Ad 3. respond. Forma est in potentia materiæ: esse autem aliquid potentia in aliquo, non est, quod id, aut secundum se totum, aut secundum aliquid sui actu in eo præexistat, sed solum est, quod subiectum habeat potentiam, vt ex illo eliciatur hoc, sicut infra explicabo. Dic age. Vinum est in potentia calidum: an propterea habet in se actu aliquid caloris? Hæc de secunda opinionum classe.

Ad vltimum argumentum, plana, & adæquata est responsio. Concedenda est maior, quod nullum agens naturale valeat quicquam ex nihilo facere. Hoc syncerè Peripateticum censeo. Minor autem, quod non adsit aliquod ens, ex quo forma fiat, omninò neganda est. Profectò, forma non fit ex aliquo accidente, non ex composito, non ex alia forma, sed fit ex materia, in qua prius continetur potentia, postea educitur, fitque actu, quemadmodum inferius explicabo. Hinc Philosophus nono Metaphys. tex. 16. *materia* inquit, *est potentia, quia progredi potest ad formam*. LVII.

Ad primam autem probationem, quod materia est diuersa essentia a forma, ergo hæc non potest extrahi ab illa, dicendum est. quod si hæc ratio est vera, euertitur omnia omninò potentia passiua. Quippè conspicuum est hanc potentiam esse diuersam ab actu: omne namque, quod patitur, existit in potentia, quæ proculdubio est diuersa ab actu. *Est enim potentia passiua in ipso patiente principium mutationis passiuæ ab alio, in quantum aliud est*, vt loquitur Stagirites lib. nono cit. tex. 2. Non ergo valet illa consequentia, materia est potentia, ergo ex ea nequit educi forma: immò verò si non esset potentia, profectò ex ea non posset forma euocari

Ad secundam probationem. Solutio est accipienda ex iis, quæ in quæst. 1. ad tex. 42. circa definitionem principiorum dixi. Arist. non ait, vnum principium non fieri, sed ait, vnum non esse, id est, non componi ex altero. Quod uero verius est.

Quod

Quod igitur in materia non præexistat actu aliqua forma aut secundum inchoationem, aut secundum esse imperfectum, aut secundum essentiam, hoc pacto a nobis dictum sit.

SECTIO VII.

Expenditur opinio asserentium, formas substantiales fieri de nouo tunc, cum res, quarum sunt formæ generantur, sed fieri ab aliquo agente superioris ordinis.

Lxviii Ertia opinionum classis asseuerat, nihil formæ substantialis actu præesse in materia, sed totam eo temporis articulo fieri de nouo, dum res ipsa, cuius est forma, generatur. Quæ adhuc tripartito subdiuiditur. Nam alij dicunt, omnes formas substantiales ex toto produci in materia a principio extrinseco ordinis superioris, ideòque formam induci potius in materiam, quàm ex ea educi: Alij asserunt, formam fieri quidem tunc, sed fieri ex nihilo. Alij demum aiunt, eam fieri ex ipsamet materia, quod vocant, educi de potentia materiæ. Prior existimatio est hic a nobis examinanda: de alijs verò duabus, ex ordine postea dicemus. In illa fuit Plato, & Auicenna. De Platone refert Auerr. septim. Metaphys com. 31. Albert. in 2. dist. 18. art. 12. & colligitur ex eo in Phædone: Auicenn. autem sic habet in 1. sufficient. cap. 10. & nono Metaphys. cap. 4. & refert Auerr. loco nunc indicato. Alpharabius etiam dubitauit de hoc. vt refert idem Auerr. in eadem digress.

Lxix. Qui tamen partim conueniunt, partim dissident. Conueniunt, quod vterque constituit omnes formas substantiales produci in materia a principio extrinseco: quod porrò est, eas creari. Quocirca quod nos ex veritate nostra catholica asserimus de sola anima intellectiua, eam videl. eo temporis momento, quo materia fuerit vltimatè disposita, ac præparata, creari in ea a Deo, id illi de omnibus formis substantialibus asseuerant. Hinc Angelicus Doctor in prim. part. quæst. 45. art. 8. cum dixisset, quod quidam posuerunt formas non incipere per actionem naturæ, sed *prius in materia extitisse, ponentes latitationem formarum*, de qua ac diximus in sect. præced. *Et hoc accidit eis ex ignorantia materiæ &c.* ita subdit. *Alij posuerunt formas dari, vel causari ab agente separato per modum creationis. Et secundum hoc cuilibet operationi naturæ adiungitur creatio. Sed hoc accidit eis ex ignorantia formæ Non enim considerabant &c.*

Dissident autem quantum ad principium productiuum. Quippè Plato veras, & genuinas formas existimauit esse solas ideas: formas autem rerum caducarum censuit esse tantum idearum imagines, simulacra, imitationes, vmbras: & excitari, induci, ac imprimi in materia ab ipsismet ideis, sicut a sigillo imprimitur figura in cera, & in speculo suboritur species ab obiecto. Hinc Academici cum eodem Platone in Timæo, cuius verba inferius audies, formam appellarunt prolem, quæ fiat ab idea, tanquam a mare, & recipiatur in materia, tanquam in matre.

Auicenn. autem posuit formas substantiales effici a quadam intelligentia separata, quam ille præter motrices cælorum constituit præsidere huic mũdo sublunari. quæ quidem esset eiusdem naturæ cum intelligentijs cælestium orb. motricibus, at dignitate, ac perfectione longè inferior. Hæc contineret in se virtute omnes formas, & eas tribueret, atque induceret in materiam. vbi hæc ab agentibus naturalibus vltimatè foret disposita ad illas excipiendas: Hinc illam appellauit Colcodeam, idest datricem formarum. *Auicenn. credidit, omnes formas esse ab intelligentia agente, quam vocat datorem formarum*, inquit Auerr. in com illo 31. Lxxi.

Eruunt aliqui, inter quos est Thom. Giann. in Phys lib. 4, cap. 28. & 29 etiam aliud discrimen inter Platonem, & Auicenn. quod. Plato existimarit, formas excitari, inducique in materia absque vlla prorsus materiæ alteratione, ac mutatione, Auicenn. autem cum mutatione materiæ. De Platone colligunt; Primò, quia ad eius aures ita fit forma in materia, sicut species visibilis in speculo: ista autem fit sine vlla speculi alteratione, & mutatione; quare etiam forma substantialis fit in materia absque vlla eius alteratione, ac mutatione. Secundo, omne, quod alteratur, & mutatur, recedit a potentia, in qua erat, & accedit ad eum alterationis, ac mutationis actum: Materia nunquam recedit a propria potentia, sic enim de ea Plato In Timæo, *Eadem de illa natura, quæ cuncta recipit corpora, ratio est: idem semper esse, dicenda est. Siquidem ex propria potentia recedit nunquam*, quare &c.

Sed hoc discrimen haud rectè ab his adijcitur. Lxxii. Profectò, & Plato, & Auicenn. in præparatione, & si vis, in mutatione materiæ conueniunt. Neque enim Auicen. aut quisquam alius affirmat, materiam secundum se, & suam essentiam in generatione rerum alterari. aut mutari: corrumperetur enim: sed aiunt, materiam dici alterari, & mutari, quatenus alterato, & corrupto composito, ipsa deponit hanc, & accipit illam formam: Et quatenus in ea corrumpitur priuatio, vt explicat Philosophus in primo Phys. tex. 82. Et talem mutationem neque Plato negauit vnquam. Quis enim ita sensu destitutus est, quiquidem inficietur,

materiam

Digitized by Google

materiam disponi, ac præparari ab hoc agente potius ad hanc, quàm ad aliam formam? V. G. ab igne potius ad formam ignis, quàm ad formam aquæ? Quis autem nescit, hanc præparationem, & alterationem esse quandam alterationem, & mutationem? Sed negat, quod materia mutetur secundum suam essentiam, quia ipsa, vtpote incorruptibilis, perpetuò manet essentialiter eadem, sicut aurum, æs, cera, quæ sunt exempla Platonis ibidem, non mutantur substantialiter, dum recipiunt figuram quadrati, aut trianguli.

LXIII. Quare dum ait, materiam nunquam *recedere a propria potentia*, nomine potentiæ intelligit ipsam materiæ essentiam, cum ea re ipsa sit pura potentia substantialis. Sic etiam Arist. essentiam materiæ vocauit potentiam in primo Phys. tex. 82. cit. cum enim dixisset, eam corrumpi secundum priuationem, subdit, *quatenus autem secundum potentiam, non per se, sed incorruptibilem, & ingenerabilem, necesse est ipsam esse*. Et quando Platonici dicunt, formas imprimi in materia ab ideis, vt imprimuntur species visibilis in speculo, similitudo non est quantum ad alterationem, sed quod formæ istæ non sunt veræ formæ, sed imagines idearum, sicut imago hominis in speculo non est verus homo.

LXIV. Quod autem quæ dixi, sint ex mente Platonis, in eodem loco, ipse dijudica ex eius verbis, quæ sunt: *Sed apertius quod volumus exponamus. Si quis enim cunctas figuras ex vno, eodemque auro materia fictas continuè in alias, & alias reformet, deque vna quadam illarum præsens aliquid quid sit, quærat, verè admodum, & tutissimè respondere possumus, aurum illud esse: triangulum verò esse aut aliam figuram earum, quæ impressæ eo sunt, & continuò permutantur, quasi re vera sint, non licet dicere. Sola quippe illa responsione, tanquam tutissima contenti esse debemus. Eadem de illa natura, quæ cuncta recipit corpora, ratio est: idem semper esse dicenda est. Siquidem ex propria potentia recedit nunquam. Suscipit enim semper omnia, nec vllam vnquam iis similem vllo pacto sibi formam contrahit. Omnis sanè natura fictioni subiecta est, agitataq; ab ingredientibus, & figurata quodammodo, alias aliter se habere videtur. Quæ verò ingrediuntur, & exeunt, verè, ac semper existentium rerum simulacra sunt, miro, & vix explicabili modo ab ipsis rebus, quæ verè sunt figurata.*

Verum; quin hæc etiam ex eodem loco excribam, temperare mihi haud possum. *Tria*, inquit, *in præsenti genera sumenda sunt. Vnum, quod gignitur. Aliud, a quo gignitur. Aliud, a quo similitudinem trahit, quod nascitur. Iccirco comparare hæc ita decet. Quod recipit, matri: vnde recipit, patri: naturam istorum mediam, proli. Sed ita intelligendum est, quod cum esse debeat effigies rerum omni formarum varietate distincta, nunquam illud ipsum formationis huius gremium bene erit præparatum, nisi informe sit, & suapte natura omnibus formis, quas recepturum est, careat.* Conueniunt itaque Plato, & Auicenn. quantum ad dispositionem, & præparationem materiæ: discrepant autem quantum ad principia productiua: de qua re egit etiam D. Thom. cùm alibi, tùm lib. 2. contra Gent. cap. 113. & prim. part. quæst. 65. art 4. & quæst. 110. art. 2.

SECTIO VIII.

Fundamenta Platonis, & Auicennæ de productione formarum a principio extrinseco.



Ed dic age, quæ vnquam ratio impulit præclaros hos viros ita credere de productione formarum? Platonis fundamentum duplex tangitur ab Auerr. in septim. Metaphys. com. 31. cit. Primum est, quia omne, quod est in potentia, fit in actu ab eo, quod est sui generis, aut suæ speciei in actu: Quæ propositio colligitur etiam ex Arist. in tex. illo 31. & sanè quicquid fit, fit ab eo, quod est actu simile, aut in specie, vt homo ab homine, & equus ab equo, aut in genere, vt mulus. Sed videmus multa animalia, & plurimas plantas exire de potentia in actum sine semine, quod generetur a suo simili secundum formam, ergo oportet, istorum formas causari, ac tribui ab aliqua forma existente in actu, quæ sit similis in specie, vel in genere cum formis producendis. Illa forma actu existens est idea, & productiua huius formæ. *Et hæc*, inquit Auerr., *est maior ratio, quæ attribuitur Platoni*. LXV.

Secundum fundamentum desumitur ex ijs, quæ generantur per propagationem seminalem. Manifestum enim est, formam substantialem esse distinctum quippiam a qualitatibus, & complexione rei. Hæc forma dum fit, a quonam generatur? Nam aut generatur a se, & hoc est impossibile, quia tunc generatio erit a non generante: aut generatur ab aliquo extrinseco: quod quidem extrinsecum vel est aliquod indiuiduum eius speciei, aut generis, cuius est forma genita, vel est forma separata. At non est primum, quia res generatæ a semine non videntur generari ab aliquo eiusdem generis, aut speciei: Cur? quia proximum generans est semen: semen autem, cum non sit animatum, non est eiusdem generis, aut speciei cum re genita. Relinquitur igitur huiusmodi generans, & tribuens formam, esse formam

separa-

Digitized by Google

separatam. Quarum rationum prima procedit de genitis ex putri materia: Secunda verò de genitis per seminalem propagationem: vtraque tamen innititur eidem fundamento, quod omne ens in potentia non deducitur ad actum, nisi ab aliquo ente in actu eiusdem generis, aut speciei cum ipso.

LXXVI. Subiungit Auerr. fundamenta Auicenn. quorum vnum fuit, *quod illud, quod est in potentia, non exit in actum, nisi ab aliquo extrahente suæ speciei, aut generis.* Alterum, *quod formæ substantiales materiales, neque sunt actiuæ, neque passiuæ essentialiter, & quod actiuæ, & passiuæ sunt primæ qualitates, & ex istis sequitur, vt agentes istas formas sint principia non naturalia.* Ita collige. Si forma substantialis produceretur ab agente naturali, deberet produci ab eius forma, seu substantia, cum substantiæ potentia debeat procedere e substantiæ actu suæ speciei, vel generis: Sed a substantia agentis nequit procedere. Primò, quia videmus sæpenumero oriri formas substantiales, vbi nullum adest agens naturale, quod illas præstet, vt nuper in prima ratione Platonis dicebamus: Secundò, Si forma substantialis produceretur a substantia agentis naturalis, substantia huius deberet agere: substantia autem non est actiua, sed solùm agant primæ qualitates, quæ porrò substantiam producere non valent, alioquin operarentur vltra suum gradum: ergo formæ debent produci ab aliqua forma separata, &c.

Confutatio opinionum Platonis, & Auicennæ.

LXXVII VErùm vtraque hæc imaginatio iamdudum a communi hominum cœtu non tam verbis, quàm re ipsa explosa est. Et ideæ ab Stagirite multis in locis funditus euersæ. Et Colchodea ille arabica decimi ordinis est merum figmentum. Et quidam Auerr. loco indic. vtrique opinioni sic obijcit. Si forma fieret a mente abstracta, siue illa esset idea, siue intelligentia agens, sequitur, generationem fieri ex non præsupposita materie: consequens est impossibile, vt vel ex primis Philosophiæ rudimentis constet. Consecutio autem dupliciter prob. Primò, quia mens abstracta non dependet in agendo a materia: nam ita agit, sicut est, cum modus operandi sequatur modum essendi. At non dependet in esse a materie, ergo neque in operando, ac proinde produceret formam independenter a materie, siue non præsupposita materia. Secundò, omne producens producit sibi similes vel secundum speciem, vel secundum genus: si igitur generans esset forma abstracta, & incorporea, producet aliam formam abstractam, & incorpoream: Talis autem neque est forma rerum naturalium, neque vt fiat, vllam exposcit materiam.

Objicit 2. Quod generat formam materialem, LXXVIII & corpoream, debet alterare materiam: Agens abstractum non potest alterare materiam, quia cum alteratio fiat per qualitates alteratiues, necessario omne, quod ita alterat, debet esse corpus, aut virtus corporis: ergo agens abstractum, vtpote incorporeum, eiqueadeo qualitatum alteratiuarum expers, nequit alterare materiam, ac proinde neque producere formam.

At quia posset aliquis pro Platone, & Auicenna occurrere, quod agens particulare alterat, & disponit materiam: agens autem illud vniuersale, & abstractum condit, atque inducit formam, vt ea vere præfati auctores asseuerabant, ideò Auerr. nititur ostendere, quod *idem agens disponit materiam, & inducit formam.* Quæ propositio, quomodo intelligenda sit, multis exposui in opere de Triplic. Stat. anim. Disput. 2. sect. 5 Est enim verissima, quando forma est eiusdem ordinis cum alteratione, & dispositionibus, idest ordinis, & gradus corporei, ac materialis: non autem si forma fuerit ordinis superioris, quemadmodum contingit in productione animæ nostræ intellectiuæ: & propterea in ratione ille Auerr. addidit, quod generat formam *materialem, & corpoream.* Scio, has Auerrois rationes conuelli a nonnullis; defendi autem mordicus a Zim. theorem. 114. & a Giann. in Phys. lib. 4. cap. 29. sed hic labor inutilis est. Si rationibus Auerrois non acquiescis.

En tibi syncera huius rei demonstratio, quam LXXIX affert Philosophus in septimo illo Metaphys. præcipuè in tex. 26. 27. & 32. & iterum S. Thom. in prim. par. quæst. 65. art. 4. & quæst. 110. art. 2. & lib. 2. contr. Gent. cap. 103 quia forma non generatur per se ipsam, sed quod fit, est compositum. Lubet hic excribere verba Angelici Doctoris ex art. illo 4. cit., qui cum retulisset Platonis, & Auicennæ dogma, ita subdit: *omnes autem hæ opiniones ex vna radice processisse videntur. Quærebant enim causam formarum, ac si ipsæ formæ fierent secundum se ipsas: sed sicut probat Arist. septim. Metaphys. id, quod propriè fit, est compositum, formæ autem corruptibilium rerum habent vt aliquando sint, aliquando non sint absque hoc, quod ipsæ generentur, aut corrumpantur, sed compositis generatis, aut corruptis, quia etiam formæ non habent esse, sed composita habent esse per eas: Et ideo cum simile fiat a suo simili, non est quærenda causa formarum corporalium aliqua forma immaterialis, sed aliquod compositum, secundum quod hic ignis generatur ab hoc igne.*

Addi etiam potest, quod effectus, nempe hæc forma genita, est particularis, quare & generans debet esse particularis. Siquidem ex secundo Phys. tex. 38. effectuum particularium causæ sunt particulares, & vniuersalium causæ sunt vniuersales, quo loci Auerr. aiebat, *& dixit hoc, præseruando se a Platonis opinione, vid. quod vniuersalia sint causæ particularium.*

Auer.

Euertuntur fundamenta Platonis, & Auicennæ. Et breuiter explicatur, quomodo viuentia fiant ex putri.

LXX. AD fundamenta autem Platonis, ad primum de viuentibus ex putri materia procreatis, respond. legitimam causam effectricem illorum esse cælum, iunctum enim intelligentia naturaliter illi applicata, qua ratione verè ab Arist. cùm alibi sæpè, tùm secundo de Cælo tex. 13. dicitur animatum, & viuens. Hoc itaque animatum, ac viuens concurrit ad omnes huius mundi effectus motu, lumine, & influxu, velut instrumentis, quemadmodum in opera de Meteoris lect. 8. ostendi; vario tamen modo. Nam ad generationem animalium, quæ per semen procreantur, solùm concurrit, vt causa vniuersalis, tùm quia ab eo dependet, & *gubernatur omnis vis, & virtus* huius mortalis mundi, vt dicitur in primo Meteor. cap. 2. tùm etiam, quia præter cælum adest in hoc effectu pater, qui est causa propria principalis, & adest etiam causa instrumentaria, quod est semen. Atque hoc intellectu *Sol, & homo generant hominem*, secundo Phys. tex. 26.

LXXI Pro generatione autem viuentium, quæ ex putri materia progignuntur, cælum non modo est causa communis, sed fungitur præterea munera causæ propriæ, quatenus per dicta instrumenta infundit vim quandam viuificam, spiritum appellat Philosophus in secundo de Gener. animal. cap. 3. & lib. tertio cap. 11. Hæc vis habet a Cælo viuo, & animato, vt sit vitalis; & si vis etiam animaria; cæterùm vt hanc, vel illam vitam, & animam producat, V. G. vt hic producat ranam, ibi laceriam &c. non habet a cælo, quà cælum est, cum hoc pacto sit indifferens, sed habet, quatenus recipitur in materia tali, aut tali pacto disposita, & præterea quod sit tanta, & in tali determinata mensura, quæ huic, vel illi speciei congruit. Hinc vides, quomodo cælum est causa tùm eorum, quæ ex semine propagantur, tùm eorum, quæ ex putri procreantur. neque præter hanc causam vlla alia, siue idea, siue colcotia quærenda est.

Hanc doctrinam inspexit etiam S. Thom. in prim. parte quæst. 45. art. 4. in respons. ad. 3. dum ait. Ad 3. dicendum, quod ad generationem animalium inperfectorum sufficit agens vniuersale, quod est virtus cælestis; cui assimilantur non secundum speciem, sed secundum analogiam quandam; neque oportet dicere, quod eorum formæ creantur *ab agente separato*.

Quod si obijcias; Cælum non est simile viuentibus natis ex putri, quare assignanda est alia istorum causa effectrix ijs similis, si omne, quod est in potentia, fit in actu ab eo, quod est sui generis, aut suæ speciei in actu, ab eo videl. quod est illi simila vel secundum speciem, vel saltem secundum genus. LXXII

Primùm, negandum est, cælum non esse simile his viuis effectibus secundum vitam, quamquam non sit secundum hanc, aut illam speciem. Etenim si cælum, vt dixi, est vnum quoddam animatum, ac viuens, ergo simile in vita. Deinde, audiuisti ex S. Thom. quod imperfecta animalia *a virtute cælesti producta, assimilantur ei non secundum speciem. sed secundum analogiam quandam.* id, quod satis est. At at, hæc ratio longè vehementius vrget Platonem, & Auicennam: siquidem magis simile est cælum, corpus animatum, ac viuens his effectibus viuis, V. G. plantæ, aut laceriæ sponte genitæ, quàm sit forma illa penitus abstracta, incorporea, immaterialis. Sic ergo manet solutum primum fundamentum Platonis.

Quod si modum etiam cupis introspicere. quo præfata animantia ex putri materia, & calorifico, seu viuifico cæli afflatu procreantur, is ita se habet. Putrescit res, quia calor eius proprius, atque innatus turbatur, euaporat, & perit in proprio humido a calore alieno, cum quo calor ille natiuus veluti immiscetur, & tandem superatur. Hinc fit, vt humidum rei turbetur, & difluat, tùm quia *exeunte proprio calido, coeuaporat, quod est secundum naturam humidum*, vt loquitur Arist. quarto Meteor. cap. 2. tùm quia humor destitutus proprio calore, a quo prius continebatur, difluat, necesse est, quasi sine termino, & sine cohibente effusus. Calor alienus in re putrescente vlterius augetur, & iam in re illa pergit dominari, vique sua vincit rursus illud humidum, quod in tali re difluebat, & illud coquit: quod quidem humidum coctione crassescit, terminatur, & fit quoddam corpus, calore superante præditum, & vt Philosophus loquitur in cap. illo 11. cit. *fit tanquam bulla spumosa*, & omninò fit corpus consentaneum tali, aut tali animali, quod ex illa putri materia debet gigni; & illud corpus tandem perfectè a calore terminatum fit animal. LXXIII

Hinc Philosophus lib. de longit. & breuit. vitæ cap. 5. ait, quod *animal est natura humidum, & calidum: & ipsum viuere tale est*. Nunc vnum Stagiritæ locum de hac re subjiciam, qui est in cap. illo 11. lib. tertij de Gener. animal. *Generantur*, inquit, *in terra, humoreque animalia, & plantæ, quoniam humor in terra, spiritus in humore, in vniuerso autem calor animalis inest, ita vt quodammodo plena sint animæ omnia: Quamobrem consistunt celeriter, cum calor ille comprehensus, siue exceptus est: comprehenditur autem, & humoribus corporeis incalescentibus, efficitur velut bulla spumosa: sed differen-*

tia nobilioris, ignobiliorisue generis constituendi, in comprehensione principij animalis est. Huius autem rei causam, & loca habent, & corpus, quod comprehenditur. Hæc Arist. nec ego de hac re hic plura.

LXXXIV Redeo ad fundam. Platonis, & ad 2. dico, quod forma, seu potius compositum generatur à semine, tanquam ab instrumento, quod agit virtute sui, principalis agentis: Quocirca effectus productus non debet assimilari semini, sed principali agenti; quemadmodum neque scamnum assimilatur serræ, sed exemplari existenti in mente artificis. *Semen enim facit, sicut ea, quæ ab arte sunt: habet etenim potestate formam, & a quo semen est quodammodo vniuocum*, inquit Philosophus septimo Metaphys. tex. 31.

Hinc patet solutio etiam ad fund. Auic. Et ad illud, quod formæ substantiales non sunt actiuæ &c. dico, eas esse actiuas remotè, vt quò, & vt ita dicam, radicaliter: primas etiam qualitates esse iisdem actiuas, vt quò, sed proximè; composita autem esse principia, quæ propriè operantur, ex primo Metaphys. cap. 2. sic ignis producit ignem, & equus equum. Sed iam pergo.

SECTIO IX.

Expenditur Philoponi opinio de productione formæ ex nihilo.

LXXXV 

Classis, quæ formam constituit, eo temporis momento fieri, cum materia fuerit aptè præparata, tripartitò diuisa est, quemadmodũ in principio sectionis præced. adnotaui. Quidam opinabantur, formam induci in materiam ab agente extrinseco ordinis superioris, cum quibus hucusque egi. Alij volunt, formam substantialem fieri ab agentibus naturalibus tunc, cum res generatur, sed fieri ex nihilo, cum quibus nunc est nobis edisserendum.

Ioannes Grammaticus, ex relatione Simplicij in oct. Phys. in digress. contra eundem Philoponum, quæ est post tex. 9. opinatus est, omnes formas rerum naturalium, quinimò etiam artefactas, dum fiunt, fieri ex nihilo, & dum intereunt, interire, atque abire iisdem in nihilum. *Hinc conatus est, ostendere, falsam esse illam rationem, quæ dicit, ex nihilo nihil fieri*, inquit idem Simplic.

Subiungit idem auctor tria Philoponi fundamenta, quæ Philopon. habet in nono, & vndecim. contra Proclum. Primum, & secundum spectant creationem mundi, & materię primæ à Deo, quæ res examinabitur a nobis in octauo huius operis lib. vbi etiam expendam veritatem huius trite effati, quod ex nihilo nihil fit. Tertium autem Philoponi fundamentum est de productione formæ ex nihilo, de qua nunc instat sermo.

Est itaque Philoponi propositio hæc. *Ea, quæ fiunt tàm a Natura, quàm ab arte, ex eo, quod non est, fiunt, & in id, quod non est, intereunt.* LXXXVI Probat, quia tàm in naturalibus, quàm in artefactis, solæ formæ fiunt, & ex solæ intereunt. At istæ fiunt ex nihilo, & similiter corruptæ abeunt in nihilùm: ergo omnia, quæ tàm ex natura, quàm ex arte fiunt, ea fiunt, ex eo, quod non est, fiunt ex nihilo: & similiter, dum corrumpuntur, abeunt in nihilum. Maior prob. nam materia non fit, cum sit ingenerabilis: similiter non corrumpitur, quia est expers corruptionis: sic etiam erit philosophandum de materia secunda respectu artefactorum. At verò neque compositum totum fit, quippè non fit vtraque eius pars. Relinquitur ergo, vt sola forma fiat, & ratione eius dicatur compositum fieri, aut interire. Minor etiam, quod istæ formæ fiant ex nihilo: prob. Illud, quod ita nunc fit, vt nihil eius præcesserit, fit ex nihilo. Formæ substantiales ita nunc fiunt, vt nihil illarum antecesserit: Quare fiunt ex nihilo. Eodem pacto erit philosophandum de earundem interitu. Nam ita intereunt, vt nihil earum post remaneat: ergo transeunt in nihilum.

Philopono adhæsisse visus est Georg. Ragus. in LXXXVII suis disput. Peripat. disput. 16. cap. 18. vbi respondens ad primum argum. factum in cap. 4. ait, formas vtique fieri ex nihilo: non tamen dici creari, quia creatio non præsupponit in se aliquas disposi ones, productio autem formæ præsupponit dispositionum apparatum. *Concedimus*, inquit, *formam ex nihilo fieri, eam tamen creari, negamus: id enim, quod creatur, nullarum affectionum vi a Deo ex nihilo producitur: forma verò, de qua loquimur, a materiali agente, illarum affectionum vi, quæ in materia reperiuntur, in lucem editur.* subdit se hanc doctrinam desumpsisse ex Fernelio. At hic auctor iam in cap. 17. eius ipsius disput. dixerat cù eodem Fernel. actum formalem, seu formam proficisci a corporibus cælestibus, in materia iam præparata, perinde ac lumen dimanat a sole in corpore capaci.

Opinio

Digitized by Google

Opinio Philoponi de productione formæ ex nihilo, & secundum Aristotelem, & secundum veritatem falsa est.

LXXXVIII. QVod præfata Philoponi opinio intrudatur præter Stagiritę mentem, nil miror: quandoquidam Philoponus eo consilio disputationem eam de productione alicuius ex nihilo suscepit, vt aduersus Aristotelem ostenderet, motum, & mundum haud fuisse ab æterno, quemadmodum ille in octauo Phys. planè commonstrat. Id ille pro consilio, quemadmodum ego interpretor, vt pote Christianæ fidei cultor, præstare aggressus est, sed extra Peripatum: Vnde etiam Simplic. in digressionibus ad octauum Phys. Philoponum acerrimè dilacerat. Veruntamen intemerata fidei nostræ veritas neutiquam pendet ex Aristotelis voto: & nos in præsenti versamur intra Lycei cancellos. Itaq;

Quod forma substantialis non fiat ex nihilo, LXXXIX primo probo ea fundamento eniti damnet Philoponi, quo ille suffultus, vt loco supra iudicato retulit Simplic. conabatur probare Deum facere res ex eo, quod non est, siue ex nihilo, quia sicut vnumquodq; habet suam substantiam, & actionem erga materiam, ita quoq; operatur dependenter, vel independenter a materia: Sed *Deus habet suam substantiam, & actionem separatam ab omnibus rebus: Natura autem substantiam suam, & actionem habet in subiecto, & sine illo neq; est, neq; agere potest.* ergo Deus etiam operatur independenter ab omni re: & tunc producat ea eo, quod non est, & ex nihilo.

Quo quidam fundamento iacto, sic ad hominem perstringo. Id, quod fit dependenter a subiecto, non fit ex eo, quod non est, siuè ex nihilo: Hęc propositio liquet ex nunc allato fundamento: Sed formæ substantiales fiunt dependenter a subiecto, Quod vel ex eo conspicitur, quia formæ substantiales fiunt ab agentibus naturalibus: His enim est naturalissimum *facere alia, qualia ipsa sunt, animal quidem animal, plantam autem plantam*. Quod porrò consequuntur ratione formæ. Sed omnia agentia naturalia operantur dependenter a materia, cum omnia secundum suam substantiam, & actionem sint in materia: quare nullum agentium naturalium potest quicquam facere ex nihilo. Hæc ratio euincit, iacto Philoponi fundamento, et non absolutè Non enim absolutè verum est, id, quod essentiam, & actionem habet separatam, siue independenter a materia, posse quicquam ex nihilo procreare: alioquin quilibet Angelus potis esset facere ex nihilo, ac creare.

XC. Deinde, probo absolutè meam assertionem. Id, quod prius est in potentia materiæ, & postea fit actu, nó fit ex nihilo. Nã quod fit ex nihilo, id porrò præsupponat nihil, omninò necesse est. Quod autem fit ex potentia, præsupponit tum ipsam potentiam, quæ est aliquid reale: tùm id, in quo ea ipsa insidet: Atqui formæ substantiales prius sunt potentia in ipsa materia; postea ab agente naturali (vna humana anima dempta) fiunt actu: quare formæ substantiales non fiunt ex nihilo.

Hæc minor iacet expressè apud Arist. sequentis in locis: aliqua subijciam. In secundo de genar. animal cap. 3. inuestigans quomodo fiant formæ, siue animæ in animali gignendo, hæc omninò commitit literis *Animam igitur vegetalem in seminibus, conceptibus scilicet nondum separatis, haberi potentia, statuendum est. non actu. prius quam eo modo, quo conceptus, qui iam separantur cibum trahunt, & officio eius animæ funguntur.* Vides, vt anima vegetatrix (hæc porrò est forma substantialis) prius contineatur potentia in semine, & concepto, postea fit actu? & fit tunc, cum iam operationes eius animæ edit? Et mox, *omnes enim*, id est animas, *potentia prius haberi, quàm actu, necesse est.*

Item Stagirites eodem in loco hoc subnectit discrimen inter animas, quod vegetatiua, & sensitiua nequeunt extrinsecus aduenire, quoniam illa principia, quorum operationes exerceri non valent sine corpore, non possunt extrinsecus aduenire, sed necessario fiunt ex materia. Anima vegetatiua, & sensitiua sunt principia, quorum operationes sine corpore exerceri nullo vnquam modo possunt, velut ambulare nunquam fuerit sine pedibus. ergo dictæ animæ nequeunt extrinsecus accedere, sed omninò ex præiacente materia exoriuntur: Mens autē sola, anima, inquam, intellectrix, accedit forinsecus, eaq; sola diuina est. Hoc discrimen inane esset, si omnes formæ, seu animæ fierent ex nihilo. Quod enim ex nihilo fit, id sanè non fit ex materia, quamquam fiat in materia; vt de anima intellectiua iuxta veritatem nostram asserimus.

In eodem lib. cap. 1. quærit. *Quonam pacto ex semine generetur aut planta, aut animal? Quod enim gignitur & ex aliquo, & ab aliquo, & aliquid gigni necesse est ex qua igitur materia est* Et paucis interiectis, *Ab eo quod actu est id, quod potentia est, efficitur tùm in natura, tùm in artis operibus: & formam inesse in illo oportet.* Item, *Quæcunq; aut natura, aut arte efficiuntur, ab eo, quod acta est, fiunt ex eo, quod potentia tale est.* ibidem, *semen, ac fructus potestate huiusmodi* (id est animarum) *corpus est.* XCI. Et septimo Metaph. tex. 30. *Sicut*, inquit *in syllogismis omnium principium est substantia, (ex ipso enim quid est, syllogismi sunt) sic etiam generationes similiter se habent, & quæ natura constituta sunt. Semen namq. facit sicut ea, quæ ab arte sunt. Habet enim potestate formam &c.* ergo inana est opinari, animam vegetatiuam, & sensitiuam, & omninò formam substantialem fieri ex nihilo. Tunc enim non deberet præesse in cuiusquam potentia.

At suppetit mihi pulcherrimus Philosophi locus, XCII. in quo luculentissimè docemur, formam exire ex materia, tanquam id, quod fit acto, ex eo, quod erat in potentia: & est in nono. Metaph. tex. 1. quo loci, explicãs, Stagirites quonã pacto se habere ea, quę sunt actu, ad ea, quæ sunt potentia, ait,

Digitized by Google

vt ædificans ad ædificatiuum, & vigilans ad dormiens, & videns ad conniuens, habens tamen velut καὶ τὸ ἀποκεκριμένον ἐκ τῆς ὕλης, πρὸς τὴν ὕλην. *& id, quod est ex materia secretum, (hoc est forma) ad materiam.* Vbi perpendo, quod forma comparatur actui, materia verò comparatur potentiæ, vt ipsemet Philosophus explicat, ita subnectens, *Huius autem differentiæ alteri parti actus applicatus sit, alteri verò possibile.* Deinde hunc actum, & formã appellat τὸ ἀποκεκριμένον ἐκ τῆς ὕλης. *id quod est secretum*, seu *separatum ex materia*. Hoc porrò ecquid aliud est, quàm formam extrahi, educiq; ex materia, in qua ceu commixta continebatur? Non igitur fit ex nihilo, Præterea alia Stagiritæ loca, & præsertim ex primo Phys. e tex. 43. quæ in Comment. nostris exposui.

Hic temperare mihi nequeo, quin subijciam verba Auerrois, quamquã pluscula ex duodec. Metaph. com. 18. qui admonet, generationem esse mediam inter creationem, & latitationem Anaxagoræ. *Nam dicentes latitationem, dicunt, quod quodlibet est in quolibet, & quod generatio est exitus rerum ab inuicem, & quod agens non est, nisi extrahens, & distinguens eas ab inuicem. Dicentes autem creationem, dicunt, quod agens creat totum ens de nouo ex nihilo, quod non habet necesse ad hoc, vt sit materia, in quam agat; sed creat totum*, &c. Deinde subdit, *Tertia autem est opinio Arist. & est, quod agens non facit, nisi compositum ex materia, & forma, & hoc fit mouendo materiam, & transmutando eam, donec exeat de ea illud, quod est de potentia in ea, ad illam formam in actu.* Et paucis interiectis, *agens autem*, inquit, *apud Arist. non est congregans inter duo in rei veritate, sed est extrahens illud, quod est in potentia ad actum, & quasi congregat inter potentiam, & actum, scil. inter materiam, & formam, secundum quod extrahit potentiam ad actum non destruendo subiectum recipiens potentiam: & tunc efficiuntur in composito duo, scil. materia, & forma. Et etiam assimilatur creationi, in quantum illud, quod est in potentia, fit in actu, sed differt a creatione &c.*

XCIII. At dicet aliquis. Id quod ita fit, vt neq; ipsum, neq; vlla eius pars præsupponatur, ex qua fiat, profectò fit ex nihilo. Forma substantialis ita fit, vt neq; ipsa, neq; quicquam eius præsupponatur; propterea fit ex nihilo.

Hic non rectè philosophatur. Primò, quia quod fit ex nihilo, neq; actu, neq; potentia debet aliquid sui supponere: At formæ substantiales, etsi nihil sui præsupponant actu in materia, nihilominus præsupponunt potentia, siquidem tota forma est potentia in materia, vt dictum est. Secundò, Quod fit ex nihilo, debet in sui productione præsupponere ipsum nihil: Formæ in sui productione non præsupponunt nihil, sed aliquod verè ens, nempe materiam. Tertiò, si ideò forma substantialis fit ex nihilo, quia fit ex nulla præsupposita sui parte, sequitur, etiam formas accidentales fieri ex nihilo. Consecutio est euidens, quia nulla forma accidentalis præsupponit actu in subiecto aliquid sui: calor V. G. per se fit ex non calore, *& album fit ex non albo, & non ex omni, sed ex nigro, aut medijs, & musicum, ex immusico*, ait Arist. in tex. 43.

Philoponus concedit, formas etiam accidentales fieri ex nihilo: aiebat namq; apud Simplic. loco iam indicato, quod *ea, quæ fiunt tam a Natura, quam ab arte, ex eo quod non est, fiunt; & in id, quod non est, intereunt*. Ast hoc asseritur præter omnem rationem. Atq; vt alia sileam, cum formæ artificiales per se fiant per solum motum localem, veluti per solam sectionem fit scamnum, quis vnquam credat, per solum motum localem produci ex nihilo aliquod ens reale, cuiusmodi sunt dictæ formæ? Deinde, redeunt omnia argumenta, quæ de forma substantiali confeci. XCIV.

Alij verò fatentur, nulla vnquam accidentia fieri ex nihilo: quia, inquiunt, accidentia producuntur per emanationẽ ex substantijs, cum sint entia notæ inferioris. Ita fit lumen, quod nihil aliud est, quàm radij quidam ex corpore luminoso, in proximum perspicuum continuò defluentes. Pariter & qualitates omnes, vt calor, frigus, albedo, odor, idq; genus alia; vtpote quæ consurgunt per emanationem ex aliqua substantia actu existente, quæ quidem vel est illorummet subiectum, vt substantia ignis erga calorem, vel est agens extrinsecum, vt se habet ignis ad ferrum ignitum. Sic refert Ioan Bapt. Contaren. in disput. de origine form. cap: 11. XCV.

Ast hi non cohærenter loquuntur: Primùm, si forma substantialis, ad eorum aures, ideò fit ex nihilo, quia nihil eius actu præcedit in materia, profectò cum etiam nihil accidentium, & formarum artefactarum præcedat in subiectis, eadem ratione omninò fatendum erit, hæc quoq; procreari ex nihilo: Vel, si hæc non fiunt ex nihilo, neque formæ substantiales. Deinde, si accidentia, quæ incomparabili interuallo sunt minoris entitatis, & vix nomen entis merentur, non fiunt ex nihilo, longè minus poterunt formæ substantiales edi ex nihilo.

Secundò eam ipsam assertionem sic prob. Facere aliquid ex nihilo est, facere nullo præiacēte subiecto. Hæc propositio est conspicua, tùm ex definitione creationis, quæ est productio totius entis ex nihilo, idest, nullo præsupposito subiecto, Tùm ex sententia eiusdem Philoponi, asserentis materiam primam esse factam a Deo ex nihilo: in cuius productione haud poterat vllum præsterni subiectum. At sensata est repugnantia, quod agentia naturalia valeant quicquam operari non supposito subiecto. Quid ita? quia agentia naturalia, vtpote corporea, et materialia, nullo modo possunt aliquid producere, nisi per actionem transeuntem, & transmutationem physicam. Manifestum autem est, quod tam actio transiens, quàm transmutatio Physica penitus exposcunt subiectum, in quo exerceantur. Quare contradictionem inuoluit, XCVI.

vt agen-

vt agentia naturalia possint formas substantiales facere ex nihilo.

XCVII. Tertiò, Ad productionem cuiuspiam ex nihilo requiritur in agente, saltem principali, (agentia autem naturalia in procreandis formis sunt principalia) virtus infinita, vt docet Magist. Sent. in 2. dist. 5. & S. Thom. cùm sæpe alibi, tùm in prim. part. quæst. 45. art. 5. Alber. Mag. in 2. dist. 1. art. 7. Scot. in 4. dist. 1. quæst. 1. & communis scholasticorum consensus, de qua re abundè Caietan., & Banes in prim. part. cit. Ferrar. in 2. contr. Gent. cap. 21. Capreol in 2. dist. 2. quæst. 3. Suarez in Metaphys. disput. 20. sect. 2. & nos etiam diximus in opere de Triplic. Stat. Anim. Disput. 3. sect. 6. Et ratio est, quia vis, seu virtus potentiæ non modo attenditur ex re facta, sed etiam ex modo: Atqui modus producendi ex nihilo indicat infinitam vim in agendo, siquidem ad extrahendam aliquam formam ex aliqua potentia requiritur in agente aliqua virtus: & quò potentia fuerit remotior a forma, eò maiori virtute opus est in agente, V. G. maioris virtutis est producere ex aqua ignem, quam ex aere, sed nihil in infinitum distat ab ente, cum inter ens, & non ens, seu nihil nulla intercedat proportio. Tunc subdo: Sed nullum agentium naturalium habet virtutem infinitam, sicut neq; habet esse infinitum: ergo nullum agens naturale potest seu formam, seu quicquam aliud facere ex nihilo.

Responsio quorundam: & ostensio, quod inter ens, & nihil sit infinita distantia: & quomodo.

XCVIII. SVnt, qui hanc rationem in eo vellicant, in quo vis argumenti sita est, quod nimirum inter ens, & nihil sit infinita distantia. Dicunt quippe, quod alio modo distat ipsum nihil ab ente, alio autem ens a nihilo. Ipsum nihil vtiq; distat ab ente infinitè, seu potius indefinitè, ac indeterminatè; quia nihil aliud potest magis distare ab ente, quàm ipsum nihil: vel quia non habet vnam determinatam distantiam, sed potest habere maiorem, ac maiorem, secundum varios gradus entis. Ens autem non distat a nihilo infinitè, sed distat solum secundum illos gradus entitatis, quos in se habet: Vnde sequitur, vt solum ens infinitum, vtpote quod infinitos gradus entitatis continet, distet infinitè, seu in infinitum a nihilo, alia verò entia non item.

Afferunt rationem, *quia vnum oppositorum tantum distat ab altero, quantum de altero participat*, quare illud tantum ens distabit in infinitum a nihilo, quod participat, siue est, ens infinitum. Hinc, subdunt, materia prima dicta est ab August. esse prope nihil: Quod autem prope est, non distat in infinitum. Sic refert P. Suarez in Metaph. disput. 20. ex Henric. quodlib. 4. quæst. vlt. Richard. in 1. sent. dist. 1. art. 4. quæst. 4. Scot. in 4. dist. 1. quæst. 1. quin verò citat etiam D. Thom. in 4. dist. 5. quæst. 1. art. 3. ad 5. dicentē, non esse distantiam infinitam inter ens, & non ens ex parte ipsius entis, nisi quando ens est infinitum.

Ego in hac re tres profero propositiones, Vna est: Inter quodcunq; ens reale creatum, etiam si sit exiguæ entitatis, vt est materia prima, & non ens, siue ipsum nihil, simpliciter loquendo, est infinita distantia; XCIX.

Altera est; Inter quodcunque ens creatum, & ipsum ens per essentiam infinitum, qui est Deus opt. Max. est itidem distantia infinita.

Tertia: Vtraq; distantia accepta in actu, si consideretur ex parte dicti entis creati, vt in exemplo posito, ex parte materiæ, non est infinita, sed determinata, ac finita.

Probo primam, distantia infinita est, quando non potest assignari tanta quin sit alia maior, & rursus alia maior, & ita in infinitum: est enim infinitum ex tertio Phys. tex. 60. cuius accipienti semper relinquitur aliquid accipiendum; sed ab hoc ente reali V. G. a materia prima, progrediendo versus ipsum nihil, non potest assignari tanta distantia, quin sit alia, atq; alia semper maior vsq; in infinitum, cum enim nunquam possimus deuenire ad terminum ex parte ipsius nihil, non potest dari, aut animo concipi vna aliqua distantia, quin possit vlterius penetrari: ergo ab hoc ente reali, materia prima, versus nihil simpliciter loquendo, est infinita distantia. C.

Item, illud est infinitum, quod vel vtraq; ex parte caret termino, ac fine, vel saltem, ex altera: sed distantia incipiendo ab hoc ente reali versus nihil nullum habet terminum, ac finem, non enim in ipso nihilo est accipere terminum, ac finem: illa igitur simpliciter loquendo est infinita.

Eodem pacto conuincitur secunda propositio, nam ab hac eadem materia ascendēdo versus primum, & secundum essentiam infinitum ens, Deum, est itidem distantia infinita. Siquidem vnum ens est perfectius altero, quoniam magis accedit ad primum, vt est communis Theologorum consensus, & explicat D. Thom. in prim. part. quæst. 47. art. 1. & docuit etiam Arist. in secundo de nat. & inter. tex. 59. vbi ait, aliqua entia non posse eadem numero incorruptibilia permanere, διὰ τὸ πόῤῥω τῆς ἀρχῆς ἀφίστασθαι. *propterea quod longe a principio distant*. Sed non potest dari aliqua res creata ita perfecta, quin possit produci alia perfectior, idq; vsq; in infinitum. Nulla quippe creatura potis est ad tantam perfectionem pertingere, vt adæquet perfectionem diuinam: ergo etiam inter quodcunq; ens creatum, & ens per essentiam infinitum est infinita distantia.

Tertia quoq; propositio clarissima est, quandoquidem si cogitatione progrediamur ab ipso nihilo versus ens creatum iam a nobis acceptum, deueniemus ad istud actu ens, quod est actu terminus that

lius distantiæ, ac progressionis, ergo ex parte huius entis distantia terminatur, ac proinde non est infinita. Eodem pacto descendendo ab ente per essentiam infinito versus hoc idem ens iam acceptum, terminatur progressio: ergo etiam hæc distantia, ac progressio, quatenus fertur ad ens creatum, quod iam supponimus esse actu, est terminata. Et hoc existimo velle Angelicum Doctorem in articulo 3. citato, dum ait, *non esse distantiam infinitam inter ens, & non ens, ex parte ipsius entis, nisi quando ens, est infinitum*. Perpende limitationem, *ex parte ipsius entis*. Addidi ego in propositione nostra adhuc aliam limitationem, si distantia accipiatur in actu: quia potest distantia variari, & ex ipsa distantiæ protrahi, & extendi, si accipiatur aliud ens perfectius, quod procul dubio magis, saltem materialiter, distabit a nihilo: & ita etiam magis accedet ad primum, & infinitum ens.

CI. Quæ omnia declaro exemplis. Protrahatur linea ab hoc puncto B. versus C. vsq; in infinitum: accepta hac linea infinita, manifestum est, quod progrediendo a B. versus C. erit distantia infinita, cum distantia, & progressio proportionetur cum dicta linea: At progrediendo a C. versus B. finitur. Rursus trahe aliam lineam ab eodem puncto B. versus A. itidem infinitam, eodem pacto erit etiam distantia infinita, si pergas a B. versus A. si autem procedas e contra ab A. versus B. deuenies ad fixum, ac determinatum terminum B. Hæc applica. B. sit quodcunq; ens creatum V. G. materia prima. C. sit ipsum nihil: A. sit ens per essentiam infinitum. Et cum entia possint variari secundum perfectionem, & imperfectionem per maiorem, aut minorem accessum ad primum, et infinitum illud ens, variatur etiam distantia, & fit maior, aut minor, sed materialiter, non autem variatur secundum rationem infinitudinis, sicut variaretur linea illa infinita inter B. & C. si ipsi a parte B. adderetur alia linea V. G. vnius cubiti.

CII. Rem totam sic etiam animo concipe. Suppone id, quod Stagirites ex animo opinatus est; motum, & tempus vtraq; ex parte esse æterna, & duratione infinita. Tunc in re de qua loquimur, ipsum nihil comparo parti præteritæ motus, & temporis: ens autem comparo parti futuræ eiusdem motus, & temporis. Deinde accipio hodiernum diem: Hic procul dubio infinitè distat a parte ante, cum incipiendo ab hoc die versus anteactum tempus, nunquam deueneris ad vnum aliquem diem, ante quem non extiterit alius. Rursus hic idem hodiernus dies distat itidem infinitè a parte post, cum eadem ratione nunquam poteris pertingere ad vltimum diem. Distat itaq; hodiernus hic dies infinitè tùm a parte ante, tùm a parte post. Ita hoc ens reale creatum V. G. materia prima distat in infinitum & a parte ipsius nihil, quia nunquam ex hac parte deuenitur ad aliquem terminum, & pariter distat in infinitum ab ente per essentiam infinito, quod continet in se infinitos gradus entitatis.

Præterea dies crastinus, vel dies mille ab hinc annis futurus magis distat ab infinito anteriori, quam distet dies hodiernus, ac proinde magis accedit ad infinitum posterius. Sic in proposito philosophare, quod vnum ens magis distat a nihilo, quam aliud, ac proinde magis accedit ad ens per essentiam infinitum, quàm aliud, quia est perfectius alio: ergo versus vtrumq; videl. & versus ipsum nihil, & versus ens per essentiam infinitum, est progressio infinita.

Ex his liquidò, aut ego omninò desipio, conspicis, quomodo re vera inter quodcunq; ens reale creatum, etiam si sit exiguæ entitatis, simpliciter loquendò intercedat distantia infinita: (dico simpliciter loquendo, quia si addas, ex parte ipsius entis creati; distantia erit terminata, vt supra exposui:) & per consequens illud, quod debet extrahere aliquid ex nihilo ad actum, omninò debet in se habere virtutem infinitam: quam quidem cum nullum agens naturale obtineat, nullum potest quicquam facere vnquam ex nihilo.

Fundamentum autem Philoponi, quod non fiunt composita, sed formæ, est apertè contra Aristotelem qui modo non clamat in primo Phys. tex. 64. *quare omne quod fit, semper compositum est*. Et id etiam ex industria probat in septimo Metaph. tex. 27. Porrò quomodo forma dicatur fieri, aut non, exposui in quæst. prima ad tex. 42. & in prima de ort. & int. cum agerem de termino generationis, quæ hic repetere operæ precium haud est. CIII.

Dic præterea, formas minus propriè dici fieri, quia educuntur de potentia materiæ, vt inferius apparebit. Ita composita sunt, quæ propriè corrumpuntur, formæ autem syncerè dicuntur desinere esse. Non autem annihilantur, quoniam in materia, quantum ipsa in se est, remanet potentia ad eas ipsas formas, vt in Disput. de principio materiali dixi: At quod annihilatur, neq; actu, neq; potentia in aliquo remanet.

Hinc manet etiam solutum aliud argumentum, quod a quibusdam magni fit, videl. Quod ex nulla parte præsupposita sui fit, id sane fit ex nihilo: formæ substantiales fiunt ex nulla sui parte præsupposita, fiunt igitur ex nihilo.

Manet, inquam, solutum, quia quod fit ex nulla sui parte neq; actu, neq; potentia præsupposita, vtiq; fit ex nihilo: Non fit autem ex nihilo, si est in potentia subiecti, quemadmodum fiunt formæ, vt supra ostendi.

Denique fundamentum Regusei, quod videl. forma fit quidem ex nihilo, non tamen creatur, quia formæ fiunt præeuntibus dispositionibus; quæ dispositiones in creatione non præeunt, falsissimum est: & conuincitur euidenter in anima humana, ad cuius aduentum, & creationem præsupponuntur in materia plurimæ dispositiones. Veruntamen has, eiq; consimiles opiniones vnico verbo expedies, quia in Peripato in confesso habetur, ex nihilo nihil posse fieri vnquam. CIV.

Si igitur formæ substantialis non inducitur in materiam ab aliquo agente extrinseco ordinis superioris

ioris

Digitized by Google

rioris, neq; præexistit actu in materia secundum aliquid sui, neq; fit ex nihilo, necesse est, eam fieri ex ipsa materia vi agentium naturalium, quod dicimus, eam educi de potentia materiæ; quæ res, vt penitus introspiciatur, quæro.

SECTIO X.

Quid sit, formam substantialem educi de potentia materia.

Cv. Ductionem formæ de potestate materiæ varijs modis efferunt, circumscribuntque auctores. P. Suarez in Metaphys. Disput. 15. sect. 2. num. 14. tres huius rei affert explicationes. Prima est, formam educi de potentia materiæ est, fieri eadem actione, qua fit compositum, ex materia præcedente, quæ per illam actionem non fit. Quam quidem descriptionem, ait, insinuari a D. Thoma, cum asserit, formam non creari, sed educi, quia non est forma, quæ per se producitur, sed compositum: formæ verò comproducuntur ex præiacente materia. Probat Suarez, tùm inductione, quia constat, ita fieri in omnibus formis, quæ ex potentia materiæ educuntur, tùm ratione, quia eductio in hoc consistit, quod sit actio, vel mutatio per se, & essentialiter pēdens a materia: per hanc autem actionem simul forma fit, & vnitur materiæ: ideòque per eandem fit per se primò compositum, & comproducitur talis forma.

Cvi. Quæ descriptio approbanda non est, vtpote quæ vna quidem ex parte deficit: ex altera verò redundat. Deficit, quia si intelligatur de sola eductione formæ substantialis, (vt re ipsa eius auctores intelligunt, vnde, & P. Suarez post disput. 15. instituit in Disput. 16 sermonem *de formali causa accidentali*) si, inquam, accipiatur de eductione solius formæ substantialis, deficit, quia nullam habet particulam, per quam explicet, & distinguat huiusmodi eductionem formæ substantialis a formis accidentalibus: nam illa verba, *fieri eadem actione, qua fit compositum*, cadunt etiam in accidentia, tùm propria, tùm aliqua communia, quandoquidem etiam ea fiunt eademmet actione, qua fit totum compositum: atque adeò comproducuntur. Ignis enim, dum gignit ignem, quemadmodum educit, seu comproducit eius formam substantialem, ita comproducit etiam calorem. Idcircò in dicta descriptione addenda esset aliqua vox, quæ peculiarem hanc formæ substantialis eductionem innueret: Saltem dicendo; qua producitur compositum substantiale. Si verò illa descriptio intendit amplecti omnem omninò eductionem, etiam formæ accidentalis, non rectè subiungit, *ex materia præcedente*: cum composita artefacta, & accidentalia non fiant ex materia, (materia namque simpliciter prolata denotat materiam primam) sed fiunt ex subiecto actu. Deinde, exundanter adijciuntur verba sequentia de materia, *per illam actionem non fit*. Porrò si materia debet hanc eductionem, atque adeò hanc actionem præcedere, quis vnquam ambigat, quod ea non producitur per illammet actionem?

Subdit Suarez secundam explicationem, quod formam educi de potentia materiæ est, fieri in materia cum dependentia ab illa in esse, & fieri: quam descriptionem complures alij proferunt, quamquam cum aliqua varietate. Nam aliqui, inter quos est Auers. quæst. 20 sect. 7. dicunt, formam educi de potentia materiæ, re vera nihil esse aliud, nisi quod fiat dependenter a materia illam sustentante: communiter autem alij aiunt, formam educi de potestate materiæ esse, quod ea dependeat a materia in esse, fieri, & conseruari. Hinc P. Peret. lib. 5. Phys. cap. 22. cum quo postea alij recentiores apponunt quinque proprietates, seu conditiones, de quibus mox audies. Quæ explicationes vera quidem dicunt, at non afferunt causam eductionis eiusmodi formæ. Cvii.

Quam syncerè attulit S. Thomas in prima parte. quæst. 90. art. 2. in respon. ad 2. dum ait. *Actum extrahi de potentia materiæ, nihil aliud est, quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia*, scil. materiæ, vt ex contex patet. Eandem repetit in quæst. de Spiritual. creatur. art. 2. ad 8. & in 2. contr. Gent. cap. 86. & alibi sæpe: Et nos latè exposuimus in opere de Triplic. Stat. anim. Disput. 3. sect. 2. & procul dubio est expressa Stagiritæ mens oct. Metaphys. tex. 15 quo loci exponens, quomodo forma fiat, & vniatur materiæ, ait, ipsū agēs in causa esse, vt, quod potentia est, actu sit. En eius verba. *Quæ igitur huius causa est, vt quod potentia est, actu sit, in quibuscunque generatio est, præter illud, quod fecit? Nulla enim alia causa est, vt actu sphæra sit, quæ potentia sphæra erat, sed hoc erat ipsum, quod erat vtrique.* In quibus verbis duo vides. Vnum est agens: Alterum fieri actu id, quod erat potentia. Cviii.

Pro cuius rei intelligentia scito, quod omnis effectus virtute continetur in sua causa, alioquin illa causa daret, quod nec actu, neq; virtute contineret, atque omninò produceret id, quod producere non potest; quæ absurda, & impossibilia sunt. Hinc fit, vt aliquid (quantum ad præsens attinet) duobus modis possit esse potentia in alio. Primò est, vt in agente, sic filius potentia est in patre, antequam generetur, sic artefactum in artifice, antequam actu conficiatur, sic omnis omninò forma est in causa effectiua: Secundò est potentia in alio, vt in materia, & causa materiali: ita in materia

prima

prima V. G. hominis potentia est forma cadaueris, forma aquæ, ignis, & aliæ rerum infinitarum, cû ab ipsa materia successiuè infinitę formæ queant educi: Ita in ære, aut ligno potentia latitant formæ artificiales, ad quas illud idem æs, & lignum per artem reduci potest. Hanc doctrinam tradit etiam Arist. nono Metaphys. tex. 5. *potent*, inquit, *est & eo quod ipsum habeat patiendi potentiam, & eo quod aliud ab eo*, de qua te etiam dixi in opere de Triplic. statu Anim. Disput. 2. sect. 2.

CIX. Eædem itaque formæ sunt potentia, tùm in agente, tùm in materia; sed in illo sunt in potentia actiua, in materia autem sunt in potentia receptiua, seu ea qua, tanquam e subiecto debent in lucem euocari. Ratio huius differentiæ est, quia vnaquæque causa continet effectum suum proprium suum modum causandi: & cum efficiens causet, quatenus est actu, continet effectum per modum actualitatis, siue actiuitatis; materia autem causat, quatenus est pura potentia, ac proinde continet effectum per modum potentialitatis, & receptionis. Formam igitur educi de potestate materiæ, est illam extrahi ab agente, & fieri actu ea illa potentia, in qua continebatur in materia.

Quæ si vera sunt, ergo illæ solummodo formæ educuntur de potestate materiæ, quæ in ea continentur potentia: si qua autem forma non præfuerit in potentia materiæ, ea non dicitur educi, quemadmodum reipsa contingit de anima intellectiua, quæ iuxta veritatem nostram, eo temporis momento, cum materia vltimatè fuerit disposita, creatur in ea a Deo. Ad aures autem Arist. secundo de Genet. animal. cap. 3. deforis accedit. Cognoscimus autem, an forma contineatur potentia in materia, vel non, ex ipsius operatione, siquidem forma non educta de sinu, gremioque materiæ, habet aliquam propriam operationem, in qua non communicat materia, nec actu corporalis vlla, cuiusmodi est intelligere; operationes autem formę eductæ, semper sunt cum dependentia a materia.

CX. Hinc liquidò conspicis, syncertam eductionis formæ de potestate materiæ explicationem, ac causam, esse eam, quam nos ex Arist. & D. Thom. attulimus: Et conditiones illas, quod forma pendeat a materia in esse, fieri, & conseruari, oriri tanquam a causa ex eo, quod educenda forma præerat potentia in materia, & postea facta est actu. Quippè omnis effectus pendet a sua causa in esse: ista forma est effectus materiæ, cum in ea contineatur, vt exposui, quare pendet ab ea in suo esse. Et quia vnumquodque, sicut habet esse, ita & fieri, ac conseruari, propterea pendet ab eadem materia, tùm in fieri, tùm in conseruari.

Ex hac eadem radice consequuntur quinque illæ proprietates, seu notæ, quibus aliqui, maximè verò P. Perer., vt supra indicaui, opinantur, se aptissimè explicuisse, quid sit, formam educi de potentia materiæ. Prima est, quod huiusmodi formæ materiales, eductæque ex materia producuntur ab agentibus materialibus per actiones, & dispositiones materiales. Secunda, quod tales formæ pendent in fieri a materia, hoc est, non possunt gigni, nisi intra materiam. Tertia, quod pendent a materia in esse, nam extra eam materiam, in qua ab initio productæ sunt, ne puncto quidem temporis possunt conseruari, sed idem est, eas separari a sua materia, quod penitus interire. Quarta, quod pendent a materia in operationibus. Quinta denique, quod pendent a materia quidditatiuè: Quo fit, vt sine ea, nec definiri, nec perfectè intelligi possint.

Rectè. Nihilominus hæc omnia non explicant radicem, & causam eductionis; sed potius sunt quædam notæ, ac signa, quibus educta forma dignoscitur; & sunt effectus causæ a nobis allatæ. Quod enim eiusmodi formæ producantur ab agentibus materialibus, per actiones, & dispositiones materiales, vt prima conditio indicat, ex eo fonte emanat, quòd ista forma inerat prius in potentia materiæ. Cum enim cuicunque potentiæ passiuæ naturali, vt ostenditur quinto Metaphys. tex. 17. & lib. nono tex. 2. correspondeat agens proportionatum, & omne, quod est in potentia alicuius, debeat reduci in actum per actionem sibi, ac subiecto, in quo est, proportionatam, & illa forma sit in materia, ac proinde materialis, consequens est, vt ab agente materiali, & per actionem etiam materialem euocetur ad actum. CXI.

Ex eodem fonte manant aliæ duæ conditiones, quod talis forma pendeat in fieri, & in esse a materia. Si enim est in materia, tanquam in causa materiali, omninò ab ea tùm in fieri, tùm in esse pendeat, necesse est, cum omnis effectus id habeat erga suam causam. CXII.

Et si pendet in esse, pendet vtique etiam in operatione, cum modus operandi sequatur modum essendi:

Vltima quoque proprietas, quod huiusmodi formæ pendeant a materia quidditatiuè, ad alias reducitur.

Hinc habes, quàm verè dictum sit, *educi de potentia materiæ nihil aliud esse, quàm aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia*.

Habes præterea, omnes formas materiales, ac corruptibiles absoluté educi de sino materiæ, animam verò intellectiuam non item.

Habes demum solutionem illius difficultatis, cur formæ non dicantur creari, quamuis nihil earum actu in materia præcedat. Solutio est, quia istæ formæ fiunt ex præsupposito subiecto, in quo virtute continebantur; creatio autem est productio totius entis ex nihilo, idest, ea nullo præsupposito subiecto. Enimuerò anima rationalis, quamuis fiat in materia, cum sit actus materiæ; *vniusituis que autem actus in eo, quod potentia existit, & in propria materia aptus natura sit fieri*, vt loquitur Philosophus secundo de Anima tex. 26. tamen non fit ex materia.

SECTIO

SECTIO XI.

Vtrum omnes formæ accidentales educantur de potentia subiecti.

CXIII. Onfulò non dixi, num accidentia educantur *de potentia materiæ*, sed *de potentia subiecti*, quia materia propriè dicitur respectu formæ substantialis: Subiectum autem est in ordine ad formam accidentariam, & inhærentem, ac proinde est ipsum compositum, ita colligitur ex lib. secundo de Gener. & Corrupt. tex. 10. & octau. Metaphys. tex 12. & secundo de Anim. tex. 4. qua ratione neq; forma ipsa substantialis dicitur esse in subiecto, vt in Categ. Subst: dictum est, *commune esse omni substantiæ in subiecto non esse*. Scio, aliquando materiam appellari subiectum, vt in primo Phys. tex 82. sed id fit minus propriè. Adde, quod aliquid educi videtur de eius potentia, in quo est: accidentia autem inexistunt in composito: ob id summa cum ratione quærimus, an educantur *de potentia subiecti*.

CXIV. Formarum accidentalium, seu accidentium varia extant genera. Quædam intrinsecè inhærent, afficiuntq; rem, cui dicuntur accidere, vt albedo, calor &c. quædam autem solum extrinsecè rem denominant, vt actio, quæ in passo existens, denominat agens, & dextrum in columna a dexteritate mea. Rursus accidentia prioris classis, hæc quidem sunt materialia, hæc autem spiritalia, siue intentionalia, vt lumen, & species intentionales, & si vis etiam species intelligibiles.

Accidentia materialia in quadruplici gradu distribuo. Alia sunt propria, & connaturalia ei subiecto, cuius sunt accidentia, vt calor igni, frigus aquæ, risibile in homine. Alia sunt præter naturalem subiecti inclinationem, quæ haud incongruè dixeris violenta, vt calor in aqua: Alia sunt quasi neutra, vt calor, frigus, siccum, humidum excitata ab extrinseco agente, V. G. in ligno. Nam licèt tam in aqua, quàm in ligno fiat calor ab agente extrinseco, vt ab igne, diuersa tamen est vtrobique dispositio passi. Aqua, vtpote corpus simplex, & naturaliter summè frigidum, habet omnimodam repugnantiam ad calorem, quam lignum, cum sit compositum ex quatuor elementis, non habet, saltem ita naturalem, sicut habet aqua. Alia denique accidentia sunt formæ rerum artefactarum, vt forma domus, statuæ, exedræ, atq; alia id genus.

Præter hæc sunt etiam alia accidentia supernaturalia, quæ in Peripato haud sunt nota, cum vniuersam naturam immenso ordine excedant, ac supergrediantur, vt gratia, fides, & aliæ diuinæ dotes, quæ a nostris Doctoribus per se infusæ appellantur. de quibus omnibus singillatim erit a nobis edisserendum.

Num accidentia materialia, siue connaturalia subiecto, siue ab extrinseco agente in subiecto excitata, educantur de potentia suorum subiectorum.

IAm Indicaui, accidentia alia quidem esse connaturalia alicui subiecto, alia verò non item. CXV. Accidentia primi generis producuntur eadem met actione, qua fit ipsa forma substantialis, & producitur totum compositum: quippè huiusmodi accidentia fluunt ab essentia, & resultant in re naturali quadam emanatione. Accidentia verò secundi generis excitantur per aliam actionem distinctam ab ea, qua fuit editum subiectum, vt si nunc excitetur calor in hoc ligno.

Etquod spectat ad accidentia primæ conditionis, multi, inter quos est Soncin. 7. Metaphys. quæst. 8 Ægid. in 2. dist. 3. quæst. 3. Suarez in Metaphys. dispnt. 16. sect. 2. Auers quæst. 20. sect. 7. & nonnulli alij recentiores absolutè aiunt, ea accidentia dici debere, educi de potentia subiecti. Non enim affirmari queunt, fieri ex nihilo, ac creari, neque alio proprio nomine eorum productio potest appellari.

Nihilominus mihi melior, ac magis proprius videtur ille dicendi modus, quod accidentia subiecto connaturalia, non tam dici debeant, educi de potestate subiecti, sed potius coeduci, nimirum ad eductionem formę. CXVI.

Quia huiusmodi accidentia non fiunt per aliquam propriam actionem, cuius effectus sit eductio, sed per illam, per quam forma suo modo fit, atque educitur, atiam ipsa confiunt: quare etiam propriè non debent dici educi, sed coeduci, vnà videl. cum forma substantiali subiecti.

Præterea, Qui dat formam, dat consequentia quoque ad formam: Præfata accidentia interè, ac naturaliter consequuntur formam quare qui illam educit de sinu, gremioque materiæ, profectò eadem actione coducit etiam dicta accidentia. Hinc etiam vides, quonam nomine hæc accidentium productio nuncupanda sit, de quo quidem nomine præcedens opinio angebatur. Adi, si lubet, Simplic. in prima digress. octaui Phys. & Franc. Piccol. lib. primo de Creatione, cap. 7. & Patres Compluten. in Phys. Dispnt. 4. quæst. 5. Ita etiam existimo

Digitized by Google

conduci de potestate subiecti qualitates secundas, colorem, saporem, odorem, &c.

CXVII. Pergo ad alia accidentia iidem naturalia, quæ tamen sint contra naturalem subiecti inclinationem, vt calor in aqua, educuntur ne etiam ista de potentia suorum subiectorum, an non?

Sunt, qui vacillant propter hanc rationem, quia illud educitur de potentia alicuius, quod in eo tanquã in causa materiali virtute cõtinebatur, vt ex præced. sect. constat. Manifestum autem videtur, eiusmodi accidentia non contineri virtute in subiectis Quis enim credat, calorem etiam intensum, ac pene summum contineri virtute in aqua, quæ sua natura est summè frigida? quo fit, vt eiusmodi accidentia non educantur de potentia talium subiectorum.

Firmè nihilominus asserendum est, hæc accidentia extrahi, atque educi de potentia subiectorum, in quibus ab extrinseco agente excitantur, veluti calor vi ignis euocatur de potentia aquæ. Ratio est conspicua. Namea non fiunt ex nihilo, siue non creantur: fiunt namque ab agente naturali, & ex præsupposito subiecto. Non fiunt per totalem alicuius alterius rei conuersionem in ipsa; cum ibi nihil huiusmodi interueniat. Non transeunt ab agente, siue ab aliqua alia re in illud subiectum, cum accidens non migret de subiecto in subiectum, neque re conducuntur cum aliquo alio. Relinquitur itaque, vt de eius potentia euocentur, in quo etiam recipiuntur, & inhærent.

Præterea. Formæ, quæ in esse, & fieri dependent a subiecto, verè educuntur de illius potentia, vt in omnibus formis eductis, facilè commonstratur. Dicta accidentia dependent in esse, & fieri a suis subiectis: quare ex eorundem potentia educuntur.

Ad rationem autem illam dubitandi, respond. quod calor, etiam summus, vtique continetur virtute in aqua: Non quidem ratione formæ aquæ, sed ratione materiæ: cum enim materia sit *πανσπερμία* quædam omnisementia, & vt ait Philosophus in primo de Ort. & Interit. tex. 12. *potentia sit omnia*. Et ob hanc eandem materiam *ipsa elementa omnia nata sunt adinuicem transmutari*, vt dicitur lib. secundo eiusdem operis tex. 24. ratione materiæ in aqua virtute continetur etiam calor.

CXVIII. Postremò, accidentia neutra, quæ videl. non vsqueadeo uidentur contra naturalem subiecti inclinationem, vt calor respectu ligni, aut stupæ, absolutè educuntur de potentia iisdem suorum subiectorum. Quod quidem assertum eruocunt a fortiori rationes ouoc confectæ: propterea de gradu accidentium naturalium, verbum amplius non addam.

Expenduntur formæ artificiales.

Acrius dissidium extat inter Doctores de formis artificialibus, num hæ quoque educantur de potentia suorum subiectorum, an non? CXIX.
Partem negatiuam tuentur viri grauissimi, at non omnes eadem incedunt via, neque eodem fundamento fulti. Nam P. Suarez in Metaphys. disput. 16 dub. vlt. existimat, formas artificiales solum esse modos quosdam accidentales, & ad illas non esse per se actionem physicam, ideoque eas fieri solùm per resultantiam. Quod ita explicat: Intentio artificis tendit quidem per se ad huiusmodi formas, & ideò tali modo dirigit per artem actionem suam, vt formam intentam inducat, tamen actio ipsa, per quam exequitur intentionem suam, non terminatur per se, & immediatè ad talem formam, sed ad aliquem alium modum, ex quo talis forma resultat. Semper enim hæ formæ fiunt per motionem localem, quæ proximè terminatur ad vbi, & inde resultant variæ figuræ artefactorum vel per incisionem, & diuisionem partium, vel per compositionem, & ordinatum situm earum, & ideò in effectione harum formarum non est propria eductio, sed qualis in naturali resultantia esse potest. Hæc ille. Hinc vlterius colligit, hoc non esse proprium harum formarum, eò quod per artem fiant, sed commune esse omnibus figuris, etiamsi per actionem merè naturalem efficiantur: semper enim fiunt per solam resultantiam, vel ad productionem, vel ad rarefactionem, densationem, aut situationem quantitatis.

Alij autem, inter quos sunt P. P. Conimbr. in primo Phys. cap. 9. quæst. 12. art. 7. negant, præfatas formas educi de potestate subiecti, quia subiectum, ex cuius potentia educitur forma, habet naturalem potentiam ad illam: quinimmò habet naturalem inclinationem, quia causa naturaliter inclinatur ad suos effectus. Atqui respectu formarum artificialium, subiectum non habet naturalem potentiam, & eò minus habet inclinationem aliquam naturalem, sed solum est in potentia obedientiali respectu artis humanæ, ergo dictæ formæ non educuntur de subiectis.

Alij demum, vt Thom. Gian. in Phys. lib. 4. cap. 42. consentiunt quidem præced. opin. quod formæ artificiales non educantur de potentia subiecti, sed non quia potentia, quæ est in illarum materia sit obedientialis, & non naturalis, sed quia, aiunt, eiusmodi formæ fiunt absque vlla alteratione; nam ars nullam habet vim alterandi subiectum: Sine alteratione autem non oritur ulla forma, quæ educitur de potestate materiæ. Idem etiam opinantur de motibus violentis. Pro

tis. Pro determinatione.

CXX. Dico 1. Omnes formæ artificiales, & omnes figuræ, quæ de nouo excitantur in aliquo subiecto, verè educuntur de potentia suorum subiectorum.

Probo. Forma, quæ fit ex priuatione, tùm ex subiecto dependenter, & per veram subiecti transmutationem, verè educitur de illius potentia. Hæc propositio in omnibus formis eductis apparet liquidò: Formæ artificiales fiunt ex priuatione sui, quippè ex ære, quod erat non statua, poterat autem esse statua, fit statua, & ita forma statuæ facta est ex priuatione sui, & ex subiecto, & quidem ab eo etiam dependenter. Demum fit per veram æris transmutationem. Nam *artes sunt principia permutatiua aliud, vt aliud*, inquit Philosophus nono Metaphys. tex. 3. Hinc idem Philosophus in primo Phys. tex. 45. *Necesse*, inquit, *omne constructum ex inconstructo fieri, & inconstructum ex constructo, & corrumpi constructum in inconstructionem: Et hanc non in quamlibet, sed in oppositam.* Et in tex. 46. hoc idem extendit ad ea quoque, quæ aut ordine, aut compositione, aut alio modo fiunt. *quia manifestum est, quod eadem est ratio. Etenim, & domus, & statua, & quodlibet aliud fit similiter. Domus enim fit ex eo, quod non composita, sed diuisa sunt hæc sic: & statua, & figuratorum aliquid ex infigurato*; ergo præfatæ formæ artificiales educuntur ex potentia suorum subiectorum.

CXXI. Secundò prob. Formæ artificiales verè sunt accidentia realia absoluta, vt cuique liquet. Manifestum autem est, hæc nullo pacto posse induci, atque apponi materiæ ab agente extrinseco, quia tunc transirent ab vno ad aliud subiectum. Neque possunt fieri solum per aliquam simplicem resultantiam in subiecto, vt mox dicam, relinquitur ergo, vt educantur ab ipsa potentia subiecti, quia nulla alia excogitari potest via, qua fiant.

Tertiò, Arist. semper coniungit effectionem formarum artificialium cum effectione formarum physicarum, ergo idem iudicium facit de vtrarumque eductione, atque adeò si formæ physicæ educuntur de potestate materiæ, profectò etiam artefactæ educentur de potentia suorum subiectorum: Conseq. videtur clara. Assumptum autem sexcentis in locis iacet apud eum, vnde in septimo Metaphys. tex. 22. hisce verbis complectitur omnia. *Eorum, quæ fiunt, quædam natura, quædam arte, quædam a casu fiunt. Omnia vero, quæ fiunt, & ab aliquo, & ex aliquo, & aliquid fiunt.* Ipse singula perpende.

CXXII. Addidi in conclus. etiam figuras educi de potestate subiecti, *quæ de nouo excitantur in aliquo subiecto*, quoniam figuras, quæ naturaliter, atque ab ipso rei conceptu adhærescunt, non tam educi quam coeduci dixerim. Ita figura V. G. equi, dum hic formatur, & figura oui, cum naturaliter sequantur formam equi, & oui, coeducuntur de potentia materiæ, ex qua formæ substantiales eorumdem extrahuntur, ita prorsus, quemadmodum superius constitui de accidentibus connaturalibus. Cæterùm cum V. G. nunc cuditur ex ligno statua, aut ex eodem tornatur ouum, hasce figuras omninò assero, de potentia illius ligni educi.

Ad tres autem illas opiniones, nuper a nobis recensitas, dicendum est. Et quidem speculatiu Suarez, vt alia eius dicta transiliam, deficit vehementer, dum ait, quia ad formas artefactas non est per se, ac immediatè actio physica, ideircò eas fieri solùm per resultantiam, neque in earum effectione adesse propriam eductionem. Nam quod non fit per se, & immediatè actio physica, non tollit, quominus illud verè dicatur educi de potentia materiæ: Siquidem neq; ad formas substantiales, neque ad accidentarias naturales est per se, & immediatè vlla actio physica, cum formæ absolutè non fiant, vt ex Arist. septimo Metaphys. tex. 26. exposuimus, non enim forma equi, sed equus generatur: neq; fit albedo, sed album. Et nihilominus istæ formæ verè educuntur de potestate materiæ: quare non rectè colligit Suarez, Si ad formas artificiales non est per se, & immediatè actio physica, *ideò in earum effectione non esse propriam eductionem.* Deinde, ex eo, quod eiusmodi formæ artificiales resultant, seu potius consequuntur ad aliquam actionem, etiam non tollitur, quin verè sint ex subiectis eductæ. Nam etiam forma substantialis resultat in materia ex vi vltimatæ dispositionis: Nihilominus est educta. CXXIII.

Ad fundamentum autem Conimbr. respond. Materiam artificialem habere potentiam obedientialem respectu artis humanæ, quæ quidem potentia non est extra latitudinem potentiæ naturalis. Cuius rei ratio in promptu est, quòd ea potentia potest ab agente naturali reduci ad actum, siue talis actus naturaliter illi potentiæ debeatur, siue non. Propterea dum artifex excitat talem formam, re vera excitat illam per virtutem motiuam naturalem, quamuis eam moueat per voluntatem, & dirigat per artem. Vnde sæpe etiam accidit, vt talis forma artificialis fiat ex concursu plurium causarum, & nonnunquam etiam casu. Attestatur spuma illa Neaclis, pictoris præcipuæ notæ, qui cum equum ab exercitatione venientem, modo non viuum, labore industriæ suæ comprehendisset, *enim naribus spumas adiicere cupiens, multum, ac diu frustra teneretur, indignatione deinde accensus; spongiam, omnibus imbutam coloribus, forte iuxta se positam, apprehendit, & veluti corrupturus opus suum tabellæ illisit. Quam fortuna ad ipsas equi nares directam, desiderium pictoris coegit explere*, CXXIV.

 Itaque

Itaque quod ars adumbrare non valuit, casus imitatus est, inquit Valer. Max. lib. 8. cap. 11. Plin. lib. 35. cap. 10. & Plutarch. libello de Fortuna.

Demum ad fundam. tertiæ sent. respond. ad eductionem alicuius ex aliquo, haud requiri veram alterationem. Quod vt melius innotescat, voco vltimo loco in dubium.

SECTIO XII.

Vtrùm qualitates intentionales, vt lumen, & species intentionales, tum etiam species intelligibiles educantur de potentia suorum subiectorum, an non?

CXXV. 

Nficiantur Soncin. 7. Metaphys. quæst. 8. Ægid in 2. dist. 13 quæst. 2. Ales. Alens. 7. Metaphys. ad tex. 13. Thom. de Argent. art. 3. Thom. Giann. in Phys. lib. 4. cap. 42. & quidam alij. Mouentur autem.

Primò, quia huiusmodi formæ intentionales fiunt in instanti absque vlla contrarij obiectione, & absque transmutatione materiæ; quocirca communiter etiam appellantur formæ sine materia. Formæ autem eductæ debent fieri successiuè, & cum expulsione contrarij, & vera alteratione materiæ: ergo dictæ formæ non educuntur de potentia materiæ.

Secundò, quoniam hæ formæ non modo excitantur in corporibus sublunaribus, ac caducis, verum etiam in cælestibus. Manifestum autem est, nullam vnquam formam posse educi de potentia cæli; alioquin cælum reciperet extraneas impressiones, & alterationes, atq; adeò esset obnoxium corruptioni. Quod cum in Peripato dici nequeat, neq; dici poterit, præfatas qualitates educi.

Dicendum nihilominus est, quod lumen, & CXXVI. species intentionales, sicut sunt qualitates reales quidem, at non materiales, sed spirituales, ita suo modo educuntur de potentia subiecti, in quo recipiuntur.

In qua quidem assertione vnum suppono, alterum assero. Suppono, relatas qualitates re vera esse entia realia, at non physica, ac materialia, sed spiritualia, atque intentionalia, quemadmodum in opera de Meteor. lect. 25. vberrimè patefeci. Iccircò habent alium etiam modum essendi in subiecto. Accidentia enim physica sunt in subiecto inhærendo, accidentia intentionalia sunt in subiecto solùm, tanquam in deferente. Propterea nequa dabent dici ex proprietate educi de potentia subiecti, qua educuntur accidentia physica: nihilominus suo modo etiam ista verè educuntur. Quod his rationibus mihi persuadeo.

De his formis intentionalibus debemus verba CXXVII. facere ex proportione formarum naturalium. Modo omnia, quæ concurrunt in eductione accidentium naturalium inueniuntur suo modo etiam in lumine, & speciebus intentionalibus. Primò in eductione accidentis naturalis adest agens, quod producit formam, & hic adest corpus luminosum, *Nam lumen*, auctore Philosopho secundo de Anim. tex. 69. *est præsentia corporis luminosi*.

Secundò, adest ibi materia, siue subiectum, in quo forma naturalis recipitur, & cuius est actus: est hic etiam suo modo subiectum deferens, idest perspicuum, in quo lumen suscipitur, & cuius est actus: quippè in eodem tex. 69. & 73. legimus, quod *lumen est actus perspicui*. Et etiam quod *lumen vt color est perspicui*.

Tertiò, ibi subiectum est priuatum forma ex illius potentia aducenda, hic etiam subiectum, ac medium deferens lumen, & species actu quidem est luminis, & colorum expers, aptum autem ea suscipere, dicitur enim in eodem secundo de Anim. tex. 71. quod coloris *quidem susceptiuum est sine colore, soni autem sine sono*.

Quartò, accidentia naturalia dependent a subiecto in esse, & conseruari: & lumen etiam, ac species dependent a subiecto, quod eas defert. Hinc Stagirites lib. cit. tex. 74. carpit Democritum, quòd asseruerit, si inter nos, & cælum mediaret vacuum, *perspici vtique exquisitè, etiamsi formica in cælo esset*. Hoc, inquit Arist. impossibile censeri debet, quia species colorum deferantur oportet per aliquod medium: Quod in vacuo nullum asset.

Quintò, quod vtraq; fiunt per alterationem subiecti: illa quidem per alterationem physicam, & corruptiuam, hæc autem per alterationem perfectiuam, ac salutarem. Sextò, quod vtraq; fiunt ex priuatione.

Succurrit his pulcherrimus Philosophi locus ex CXXVIII. duodec. Metaphys. tex. 22. quo loci sicut in alteratione physica assignat tria, vidal. terminum a quo, vt nigrum, terminum ad quem, vt album, & subiectum, vt superficies, ita in generatione luminis pro constitutione dici ait, conspirare tenebras, vt terminum a quo; aerem, vt materiam; & lumen, vt terminum ad quem, & formam. Excipe eius verba, *omnium verò ita quidem dicere non est, sed analogicè: quemadmodum si quis dicat, quod principia sunt tria, forma, priuatio, & materia: Verùm vnumquodque horum circa vnumquodque genus aliud est, vt in coloribus album, nigrum, superficies; lumen, tenebræ, aer: ex his verò dies, & nox*. Si itaque in generatione hominis, & specierum intentionalium supponuntur illa ipsa attributa, quæ in accidentibus physicis designant

gnant

gnant eorum eductionem ex potentia subiecti, profectò etiam lumen, ac species suo modo educuntur de potentia subiecti.

Præterea prob. eandem assertionem communi ratione. Lumen, & species intentionales sunt vera, realia, & absoluta quædam accidentia, Hæc non creantur: neque fiunt in vno aliquo, an agente, an subiecto, & postea facta introducuntur in subiectum, in quo nunc insunt, sed exciantur in eo ipso susceptibili, in quo sunt, & ab eo dependent suo modo in genere causæ materialis, quemadmodum nuper indicaui: quare educuntur ex potentia illiusmet subiecti.

CXXIX. Duo autem illa aduersæ sententiæ argumenta inania sunt. Minor primi arg. falsissima est quo ad omnes suas partes. Falsum est, formas eductas debere fieri successiuè, & non in instanti: Enimuero forma substantialis equi fit in instanti, si generationes sunt mutationes instantaneæ, vt re ipsa sunt ex principio lib. quinti huius operis: Deinde accidens physicum, V. G. calor non ne fit successiue? Nihilominus educitur de potestate subiecti. En ergo eductio formæ tùm successiua: tùm instantanea.

Falsum quoq; est; quod eductio formæ debeat fieri cum expulsione contrarij a subiecto. Hem, formæ substantialis educitur ex materia, nec tamen in ea eductione expellitur altera forma substantialis contraria, cùm vna substantia non sit contraria alteri substantiæ.

Falsum denique est, quod eductio formæ requirat alterationem, & transmutationem physicam subiecti: sed ad eductionem formæ physicæ requiritur transmutatio physica, & corruptiua: ad eductionem autem formæ intentionalis sufficit, & requiritur alteratio perfectiua subiecti. Nam atiam aer, V. G. aut aliud corpus diaphanum in receptione luminis realiter, quamuis diminutè, mutatur. Tum quia re ipsa reducitur de potentia in actum, & transit ex carentia alicuius formæ ad habendum illam: Tum quia verè in se recipit aliquid reale. Cæterùm quoniam huiusmodi alterationes non sunt physicæ, ac materiales, iccircò huiusmodi entia dicuntur formæ sine materia, & fieri sine materia.

CXXX. Hinc diluitur etiam secundum arg. Cælum est alterabile alteratione perfectiua, quæ tantum abest, vt interitum afferat, vt potius asportet perfectionem, ac salutem.



SECTIO XIII.

Vtrum formæ supernaturales educantur de potentia subiecti, in quo sunt.



POstremò Doctores nostri in dubium vertunt, vtrum ne formæ supernaturales, euiusmodi est gratia, fides, charitas, idq; genus aliæ uirtutes, quæ ab ijsdem Doctoribus appellantur per se infusæ, educantur de potentia subiecti, in quo fiunt, an alio pacto procreentur. CXXXI.

Et quidem pars negatiua suadetur; tùm quia nihil educitur, nisi ex eo, in quo veluti in causa aliquo modo continebatur; siquidem educi, est fieri actu id, quod erat in potentia, vt cùm S. Thom. prim. part. quæst. 90. art. 2. dixi in sect. 10. huius disput. Atqui anima humana nullo pacto potest continere, tanquam causa qualitates supernaturales. Quod ex eo ostendo, quia quod continetur in alio, tanquam in causa, est eiusdem ordinis cùm illo, alioquin causa erit improportionata effectui qualitates autem supernaturales sunt in infinitum superioris ordinis ad animam humanam, & eius potentias. Præterea, causa naturaliter inclinatur ad suum effectum: Atqui anima humana, cum sit aliquid naturale, non inclinatur ad huiusmodi qualitates supernaturales: quare &c.

Deinde, subiectum habet potentiam naturalem ad id, quod ex illius potentia extrahitur: Conspicuum autem est, animam intellectiuam, & potentias eius, videl. intellectum, & voluntatem, in quibus resident gratia, fides, charitas, nullam habere potentiam naturalem ad has formas.

Demum, quia complures Theologi asseuerant, gratiam, & similes formas creari: Alij autem concreari, omnes verò dicunt, eas infundi: non igitur educuntur de potestate subiecti.

Nihilominus in opposito stat commune Theologorum sanctorum, quod quamuis productio qualitatum supernaturalium non sit productio naturalis, tamen non fit extra latitudinem eductionis formæ de potentia subiecti: atq; adeò simpliciter sit dicendum, huiusmodi qualitates fieri per eductionem de potentia obedientiali subiecti, in quo fiunt, & in quo recipiuntur. CXXXII.

Ita docet S. Thomas cùm alibi, tùm quæst. vnica de Virtutibus art. 10. Caietan. tom. 3. opusc. 3. quæst. 2. Barth. Medin. super prim. secund.

D. Thom.

D. Thom. quæst. 112. art. 1. P. Suarez tùm in 1. & 3. tom. 3. part. tum in Metaphys. disput. 16. sect. 2. numero 10. P. P. Complut. in Phys. disput. 4. quæst. 5. & communiter alij. Fundamentum autem est, quia formæ, quæ in fieri, & conseruari pendent à subiecto, educuntur de eius potentia: sed qualitates supernaturales pendent à subiecto in fieri, & conseruari; nam sunt accidentia, quorum natura est inhærere.

Præterea, dictæ qualitates non creantur, cum creari, sicut & generari sit subsistentium. quare accidentia sicut non generantur, ita neque creantur. Neque etiam dicta accidentia concreantur, quia illud dicitur concreari, quod creatur simul cum alio, cuius hoc est aliquid. Nihil autem tale in productione accidentium supernaturalium potest assignari, vt de se liquet: Si igitur neque creantur, neq; concreantur, omninò fatemur necesse est, ea educi de potentia subiecti: quia eductio formæ in rebus absolutis adæquatè distinguitur contra creationem, ita vt hæc consequ: vsleat. Hæc forma non creatur, non concreatur, ergo educitur ea subiecto.

CXXXIII. Neque te turbet, quod forma propriè non fit, vt tertiò ex Aristotele 8. prim. Metaphys. tex. 22. & 25. fuit dictum; & nihilominus forma rationalis, iuxta Veritatis nostræ decreta, creatur. Nam anima intellectiua habet suum proprium esse, & dum degit in corpore, adhuc existit vt quod, quemadmodum in Oper. de Triplic. Stat. Anim. Disput. 4. sect. 5. ostendi. Quod tamen de accidentibus supernaturalibus affirmari nequit.

CXXXIV. Ad argumenta verò aduersæ sent. facilè occurritur. Ad 1. respond. quod contineri aliquid potentia in alio, etiam tanquam in materia, & subiecto, gemino modo contingit. Primò continetur in potentia illius naturali. Ita formæ eductæ continentur in materia, & tunc causa, & effectus sunt eiusdem ordinis, & causa naturaliter propendet ad effectum. Secundò continetur aliquid in potentia obedientiali: & quod hoc pacto continet, haud est necesse, vt sit eiusdem ordinis, neque naturaliter inclinatur ad effectum: sed solùm habet capacitatem, vt agens superioris ordinis viatur illo pro arbitratu suo. Ita continentur in anima formæ supernaturales; quoniam anima intellectiua prædita est huiusmodi aptitudine, qua reliquæ res carent. Hinc illud D. Augustini *posse habere gratiam, & gloriam, natura est hominum: habere autem, gratia est Dei.*

Ad 2. neganda est maior, si vniuersaliter capienda sit. Haud enim vniuersè verum est, vt quodcumq; subiectum, ex cuius potentia aliqua forma extrahitur, habeat naturalem potentiam ad illam formam, sed sat fuerit, si habeat aut naturalem, aut aliquam aliam: Optimè P. Suarez in sect. illa 2. ad formas, inquit, supernaturales non concurrit subiectum per naturalem potentiam; quam conditionem auctores illi requirunt in subiecto, vt forma dicatur de illius potentia educi. Quod tamen non probant, vnde solum videtur illa conditio adducta ad has formas excludendas, quomodo potest vnusquisq; aliam conditionem excogitare, & adiungere, vt alias formas excludat: Quare illa conditio, quamuis sit necessaria ad eductionem naturalem, non tamen ad eductionem simpliciter, sub qua eductio supernaturalis continetur.

Addunt aliqui ex Caietan. tom. 3. opuscul. tract. 3. quæst. 2. quod potentia obedientialis, licèt ex parte subiecti sit naturalis: est enim quædam aptitudo, quam sortitur anima intellectiua, propterea quod est alis naturæ, nihilominus ex parte agentis, & termini ad quem, est supernaturalis. Causa huius est, quia ratio potentiæ passiuæ non desumitur ex subiecto, in quo est, cum in vno, atque eodem subiecto haud rarò reperiantur plures potentiæ, sed pensitatur ex ordine ad actum recipiendum, & ipsum agens: quandoquidem auctore Philosopho secundo de Anim. tex. 33 potentiæ specificantur per actus. Hinc vides, adesse sufficientem etiam proportionem inter potentiam obedientialem animæ, & formas supernaturales ex eius potentia educendas. CXXXV.

Ad 3. respondeo, productionem gratiæ, fidei &c. vocari creationem moraliter, quatenus dictæ virtutes non fiunt ex meritis. Dicuntur etiam infundi, quatenus non continentur in potentia naturali animæ, & producuntur ab agente supernaturali. Verùm de his in præsens haud plura.

SECTIO XIV.

Forma cælorum, & elementorum initio creationis mundi fuerunt ne educta de potentia materiæ, an non?



Præsens dilceptatio nullum habet in Peripato locum, in quo mundus hic vniuersus extitit ex omni æternitate absque vlla vnquam inceptione, quemadmodum in oct. lib. huiusoperis ab Arist. commonstratur: sed quæstio agitatur a Doctoribus nostris, quia secundum veritatem nostram *in principio creauit Deus cælum, & terram.* Dissident autem inter se, altercanturq; vehementer. Nam alij tuentur partem affirmatiuam, veluti P. Vasquez in prim. par. quæst. 45. art. 2. & ante eum Barthol. Molina, quos deinde complures alij premunt, vt videre li- CXXXVI.

dere licet apud Ruui, in hoc lib. tract. de Formæ, quæst. 2.

Probant. Forma, quæ fit dependenter a materię, educitur de potentia materiæ: formæ cælorum, & elementorum in prima eorum productione, factæ sunt dependenter e materia; ergo educuntur. Minor prob. quia dictæ formæ nunc pendent in esse, & conseruari e materia; quare etiam factæ sunt dependenter ab illa: quandoquidem quale est alicuius esse, tale est fieri.

Deinde, formæ elementorum in prima productione non sunt factæ per vnam, eãq; eandem actionem, per quam facta est eorum materia prime, sed præsupponunt materiam creatam per aliam actionem, & postea per aliam actionem dictæ formæ inducuntur in materiam. ergo verè sunt eductæ de potentia illius materiæ: conseq; est clare. Assumptum autem sic ostenditur: Actio, per quam fuit producta prima elementorum materie, perseuerat ea ipsa etiam nunc, quia conseruat materiam in suo esse: conseruatio autem rei est continuata ipsius productio. Actio autem, per quam fuerunt productæ formæ elementorum, nunc non perseuerat, cum dictæ formæ iam sint corruptæ. & ita actio productiue illarum iam cessauit ad earundem productionem; si igitur actio conseruatiua materiæ elementorum nunc est, actio autem conseruatiua formarum nunc non est; atque eadem est conseruatio, ac productio, manifestum est, per aliam actionem fuisse productam illam materiam, & per aliam formas. Et cum formæ nullo pacto queant produci ante materiam, cum exigant esse in alio, fatendum erit, prius fuisse productam materiam; vt subiectum, ex quo illicò, & in quo educerentur, & reciperentur dictæ formæ.

CXXXVII Dicendum nihilominus est, formas cælorum, & elementorum in prima illorum productione nequaquam esse eductas de potestate materiæ, sed ad creationem cælorum, & elementorum eas fuisse concreatas.

Ita docet S.Thom. cùm sæpe alibi, tùm in prim. part. quæst. 65. art. 4. in corpore his verbis. *In prima autem corporalis creaturæ productione, non consideratur aliqua transmutatio de potentia in actum. Et ideò formæ corporales, quas in prima productione corpora humana habuerunt, sunt immediatè a Deo productæ, cui soli obedit materia, tanquam propriæ causæ.*

Ratio est, quia vnumquodq; sicut habet esse, ita & fieri, cum fieri ordinetur ad esse: At partes, idest materie, & forma in cælo, & elementis non habent esse per se, sed in toto, & existunt ratione totius: quare etiam in prima sui productione non sunt factæ per se, sed ad productionem totius cæli, & elementorum sunt comproductæ, & concreatę: non igitur eductæ.

CXXXVIII Præterea, in omni eductione formæ de potentia materiæ, opus est, vt materia tempore præcedat formam educendam: sed in prima rerum productione, materia non præcessit tempore formas, ac proinde istę non sunt eductæ de potestate illius. Maior vel ex eo est manifesta, quia in iis, in quibus est potentia, & actus, & quæ ex potentia transferuntur ad actum, semper potentia est tempore prior ipso actu, vt constat ex Aristotele secundo de Anima tex. 6. & lib. tertio tex. 20. & lib. nono Metaphys. tex. 13. ergo si forma in prima rerum conditione esset potentię in materia, & ex ea deberet transferri ad actum, profectò materia in educendis formis debet tempore prægredi formas. Minor etiam est conspicua, quia in creatione rerum non fuit primò producta per se materia prima, & postea informata, quamuis aliqui spectatæ auctoritatis viri ita opinati sint de anima rationali, & corpore primi hominis, vt refert S. Thom. prim. part. quæst. 90. art. 2. sed fuerunt creata ipsa composita cælum, & terra.

Item, quando aliqua forma educitur de potentia alicuius subiecti, debet tale subiectum esse prius in priuatione reali illius formæ. Sed quod est in priuatione reali alicuius, est ante illud. Adde, quod per nullam potentiam potuit materia primà produci per se, ac sola; quia cum suapte natura sit ens quoddam potentiale, esset actu sine actu.

Demum, si formæ cælorum, & elementorum in prima eorum productione essent eductæ de potentia materiæ, sequitur, vt cæli, & elementa non dicerentur creata, sed propriè genita. Hoc e regione aduersatur sacrę Genesi, in qua legimus, quod *in principio creauit Deus cælum, & terram.* CXXXIX. Consecutio verò videtur clara, quia tunc dicitur aliquid propriè generari, cum ex potentia materiæ educitur eius forma, (vna excepta forma rationali) vt inductione apparet in omnibus, quæcunque generantur. Si igitur formæ cælorum, & elementorum initio suæ conditionis fuerunt eductæ de potestate materiæ, fateare necesse est, cælos, & elementa non fuisse creata, sed genita.

Ad 1. Autem arg. in oppositum confectum respond. quod si prima eius propositio reddet hunc sensum, quod formæ cælorum, & elementorum sint productæ dependenter e materia, ita vt materia prius extiterit, postea dependenter ab ea sit euocata forma, falsum est quia qui *viuit in æternum, creauit omnia simul.* Sin autem intelligat, quod formæ sint dependenter e materia productæ, idest sicut materia, ita illæ formæ fuerunt comproductæ, & concreatæ ad creationem cæli, & elementorum, concedenda est: Ast. hinc haud eruitur, illas formas esse eductas. CXL.

Ad 2. arg. vtique conseruatio non est actio realiter distincta a creatione rei, sed est continuata quædam creatio, & productio rei, quemadmodum *conseruatio luminis in aere est continuatus quidam influxus a sole,* inquit S. Thom. in prim. part. quæst. 104. art. 2. Cuius ratio in promptu etiam suppetit, quia per quamlibet actionem agentis, si sit efficax, fit aliquid in effectu: Quocirca si conseruetio CXLI.

seruatio esset actio distincta realiter a creatione, oportet, vt per actionem conseruantis aliquid fiat in re producta: Quod affirmari non potest. Nam per huiusmodi actionem neq; fit ipsum esse rei, quia quod iam est, non fit, neque aliud quippiam superadditum: quia vel non continuè conseruaretur res in esse, vel aliquid continuè adderetur rei creatæ, ac productæ. Quod etiam est inconueniens.

CXLII. Ad arg. itaq; respond. quod si sermo sit de conseruatione cæli, dico, quod perdurat eadem, & est eadem actio, quæ ab initio fuit creatiua. Nam tunc illa fuit creatio cæli, concreatio autem materiæ, & formæ cæli ita etiam nunc perseuerat: siquidem primatio aeper se conseruat cælum: consequutiuè etiam conseruat eius partes. Quare arg. hac in parte nullum habet robur. Si verò sermo tractatur ad conseruationem elementorum, dico, quod quando prima vice corrupta est aliqua pars elementi, (totum enim corrumpi impossibile est) V. G. cum primus pugillus aeris transmutatus est in aquam, & fuit corrupta forma illius aeris, cessauit conseruatio Dei respectu formæ illius: & cessat etiam conseruatio respectu materiæ, quatenus conseruatio erat eadem concreatione, per quam dicta materia fuit comproducta: & incipit alia conseruatio, quæ est eadem cum actione Dei, qua vna cum causa secunda produxit, seu generauit rem illam. Verùm de Forma hæc satis, pergo ad tertium rerum naturalium principium.

DISPVTATIO III.

DE PRINCIPIO SECVNDVM PRIVATIONEM.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit priuatio.

I. 

Tertium generationis rerum naturalium principium ab Aristotele constitutum, est priuatio: quæ porrò quid sit, non ita facilè constat. Pro cuius explicatione accipe ex Aristotele quatuor Metaphys. tex. 4. & lib. decimo tex. 15. quod *priuatio est carentia formæ in subiecto natura apto*: Quo sit, vt eius ratio duo exposcat. Vnum est, absentia formæ, siue habitus: Alterum, est habilitas, & aptitudo subiecti ad eam formam, siue habitum: Atque vbi alterum ex his defuerit, ibi non est propriè priuatio. Hinc tibi innotescat discrimen inter priuationem, & simplicem negationem, quod priuatio dicit carentiam formæ in subiecto, sed natura apto ad habendum illam: negatio verò dicit carentiam formæ in subiecto, sed quod non sit aptum, vt illam habeat, quo pacto lapis non dicitur priuatus visu, sed negatus. Atque hoc ipsum est, quod nonnulli aiunt, inter quos est Franc. Piccol in primo Phys in digress. ad tex 61. quod negatio solùm remouet, & nihil ponit, ideòque ab Stagirite recensetur inter ea, quæ non sunt, priuatio autem remouet, & ponit, videl. remouet formam, sed ponit aptitudinem. Hæc in rigore verissima sunt.

Nihilominus scito ex Aristotele quinto Metaphys. cap. 22. priuationem multifariam vsurpari, & variari tùm ex parte aptitudinis, tùm ex carentia, & absentia formæ habendæ. Et quidem ex parte habilitatis recensentur ab Aristotele quinque modi. Primus attenditur ex parte rei priuatæ, non ex parte subiecti; dicitur quippè hoc pacto priuatio, quando ab aliquo non habetur id, quod aptum natum est haberi, quamuis id, quod eo caret, non sit aptum habere illud. *Priuatio*, inquit Philosophus. *vno modo dicitur, si non habeat aliquid eorum, quæ apta sunt natura haberi ab aliquo, licèt id, quod dicitur priuari, non sit aptum natum habere illud; & isto modo planta dicitur oculis priuari*. quia nimirum oculi sunt apti nati ab aliquo, idest ab animali possideri, iccircò quamuis planta non sit natura apta illos habere, nihilominus hac significatione appellabitur oculis priuata. Veruntamen hæc priuationis significatio coincidit cum negatione. II.

Secundus priuationis modus est, cum quippiam priuatur aliquo, quod licèt ipsum non sit aptum natum habere, nihilominus eius genus est aptum habere illud, sic talpa dicitur priuata visu, propterea quod esti ipsa per se nunquam efficiatur apta possidere visum, tamen genus eius, animal, est natura aptum possidere, & re ipsa possidet visum. Multa enim sunt, a quibus aliquid non impeditur ratione generis, sed ratione differentiæ, sicut homo non impeditur, quominus habeat alas ratione generis, sed ratione differentiæ. III.

Tertius modus est, cum aliquid priuatur aliqua forma, quam ipsum per se sit aptum natum habere, & non habet. Ita homo cæcus dicitur visu priuatus: Vtrumque hunc modum expressit Philosophus, dum subdit, *Alio modo, si cum aut ipsum, aut genus eius aptum habere sit, non habeat: veluti aliter cæcus homo visu priuatur, & aliter talpa*. Homo est aspectu priuatus, quia ipse est aptus eum habere, & eo re ipsa caret: ideòque homo, vt Stagirites explicat, *secundum se dicitur priuari*: cæterùm talpa non ipsa, sed eius genus est aptum, ob id *priuatur*, non secundum se, sed *secundum genus*. IV.

Quæ-

Digitized by Google

V. Quartus priuationis modus accipitur ex circumstantijs temporis, loci, partis determinatæ, & respectu ad aliquid aliud. Ex tempore quidem, quia si aliquid est natura aptum habere aliquam formam, sed in aliqua determinata temporis parte non est aptum habere illam, tunc non dicitur priuatum illa, sed tunc synceré appellatur priuatum, *si aptum natum, & quando aptum natum est habere, & non habet*. Quare catelli ante nonum diem syncerè non sunt appellandi cæci.

VI. Similiter ex circumstantia, *in qua*, id est loci, vnde nos, quæ est priuatio lucis, non dicitur in quocunque loco, a quo lux abest, sed in eo solùm, vbi apta nata est lux esse. Quocirca in subterraneis, & cauernosis latibulis nemo, si ritè loqui vellit, dixerit, adesse noctem. Ita ex conditione *secundum quid*, videl. secundum aliquam corporis partem, quo facto homo non dicitur priuatus dentibus, seu edentulus, si non habet dentes an in manu, an in pectore; verùm si ea in parte non habet, secundum quam natura aptus est habere.

Pari ratione, *& ad quod, & vt si non habet aptum natum*, ex comparatione ad aliud, & modo. Homo enim neutiquam dicetur priuatus corporis magnitudine, & statura, si non habet magnitudinem montis, aut elephanti; sed, si ea corporis mole non potitur, cuius est capax, & aptus, appellatur priuatus. Ita non dicetur tardus, si non perinde ac lepus, aut ceruus currat:

VII. Quintus demum priuationis modus exponitur ab Aristotele *Amplius, cuiusque per vim ablatio, priuatio*. Cum enim omne violentum sit contra impetum naturalem rei, manifestum est, quod ablatio per violentiam, est respectu illius, quod quispiam aptus natus est habere, sed ab eo remouetur, vt vides in lapide a suo naturali centro auulso. Hæc Philosophus de priuatione ex parte aptitudinis, siue formæ habendæ, siue subiecti.

VIII. Pergit explicata eandem priuationem ex parte negationis, & absentiæ formæ, & totidem recenset modos, quos porrò hic subijcere parum refert. Ex his, quæ hucusque tetulimus, clarissimè vides, quod quanuis communis illa, tamque in scholis trita priuationis definitio, quod sit carentia formæ in subiecto natura apto, declaret vtcunquè priuationem, tamen non exprimit priuationem omninò perfectam, & exactam, quoniam illi deest aliqua circumstantia necessariò addenda. Propterea syncera, & completa priuationis definitio fuerit hæc. Priuatio est carentia formæ in subiecto natura apto, quod, quando, & vt aptum natum est habere illam formam, non habet.

Rursus priuatio alia est in subiecto actu, IX. vt in pariete albo est actu priuatio nigredinis: alia in subiecto potentia, cuiusmodi est materia prima. Ad hæc, priuatio vel antecedit formam, vel sequitur formam, seu potius interitum formæ. Priuatio, quæ antecedit formam, remouet a subiecto formam recipiendam, at non facultatem recipiendi eam, vt priuatio, quæ nunc est in materia ligni ad formam ignis, excludit nunc formam ignis, veruntamen non remouet a materia potentiam suscipiendi illam. Priuatio autem, quæ sequitur interitum formæ, remouet non modo formam, verum etiam facultatem recipiendi, saltem eandem numero formam. Propterea illa dicitur priuatio antecedens; hæc autem priuatio consequens. A priuatione antecedente non dicitur dari, aut non dari regressus ad habitum, quia habitus, ac forma non præfuit, sed dicitur dari progressus. Et hæc priuatio in materia prima est terminus a quo generationis, & principium rerum naturalium, de quo loquimur. A priuatione autem consequente interitum formæ ad eandem numero formam, naturaliter nunquam datur regressus, & hæc priuatio est terminus ad quem corruptionis, & de hac intelligitur Stagiritæum illud, quod a priuatione ad habitum non datur regressus. Cæterùm vt natura priuationis penitus innotescat; sit:

SECTIO II.

Vtrum priuatio sit aliquid reale, & quomodo?



Idetur esse aliquid ens X. reale. Primò, in quinto Metaphys. tex. 17. legimus, quod eo ipso, quod aliquis habet priuationem, habet aliquid; & quod ideò priuatio ponitur exprimit, vt quidam habitus. Et subditur, *Quod si priuatio habitus quodammodo est, omnia, propterea quod habent, profectò aliquid erunt. Sic*

in secundo Phys. auscult. tex. 15. dicitur, quod *priuatio forma quodammodo est*. & in primo eiusdem operis lib. tex. 66. priuatio appellatur *accidens materiæ*. Habitus autem, & forma, & accidens, omninò sunt aliquod ens: idq; reale, ergo priuatio est aliquod ens reale. Demum, in quarto Metaphys. tex. 2. expressè Philosophus ait, ens dici analogicè non modo de substantia, de eius effectiuo, tùm de via ad ipsam, & de eius affectionibus, & qualitatibus, sed etiam de *priuatione*, id autem, de quo ens prædicatur, ens est; quare &c.

Secundò, quod a potentia sensitiua attingitur, id porrò est quoddam ens, & quidem corporeum, quia obiectum cuiuscunq; sensus necessariò tale quippiam est. At visus ex secundo de Anim. tex. 138. attingit, ac *discernit*, *& tenebras*, *& lumen*: quare tenebræ, quæ priuatio sunt, vtique erunt aliquod ens, & quidem corporeum.

XI, Tertiò, Priuatio agit. Quod ostendo, primò, quia priuatio corrumpit, veluti cæcitas corrumpit visum, & omninò priuatio corrumpit habitum, vt malum corrumpit bonum: Quod autem corrumpit, agit. Tùm etiam quia priuatio ex primo Phys. tex. 80. dicitur operari maleficium in materia, Quod verò agit, id omne est aliquod ens; cum non entis nullæ sint affectiones; ergo priuatio re vera est aliquod ens.

Quartò, Natura in omni motu intendit aliquod ens. Nam ex secundo Phys. auscult. cap. 7. agit propter finem, & bonum: Atqui generatio, & corruptio sunt quidam motus; Natura igitur in his motibus intendit aliquod ens: Modo per generationem intendit formam, per corruptionem intendit priuationem: priuatio igitur est aliquod ens, sicut est ipsa forma.

Quintò, Quod appetitur, est quoddam ens, & bonum: non enim appetitus potest in nihilum, aut in malum ferri; Sæpe autem numero appetimus priuationem alicuius rei, vt carentiam ægritudinis, & ouis appetit absentiam lupi; ergo priuatio est aliquod ens, & bonum.

Refertur multiplex sententia circa rem propositam; & explicatur propria Authoris opinio.

XII. Conuoluuntur hic plerique omnes. Ante omnia autem relinquenda est opinio illa, quod priuatio constituta ab Aristotele tertium rerum naturalium principium, sit forma præcedens; quatenus habet annexam priuationem formæ generandæ: quam quidem opinionem confutauimus supra ad tex. 43. quæst. 3. Hoc enim intellectu priuatio procul dubio esset aliquid reale, & a parte rei.

At non defuerunt alij, vt videre licet apud August. Suesan. in primo Phys. com. 8. qui asseruerunt, priuationem esse formam quandam realem existentem in subiecto realiter ab eo distinctam. Et Simplic. in 1. Phys. comm. suo 57. tribuit Alexandro, quod dixerit, priuationem esse qualitatem: Quamuis Zabar. lib. primo de Prima rerum materia aliò trahat Alexandrum.

XIII Quidam autem alij distinguunt ens reale in positiuum, & priuatiuum; Deinde aiunt, quod priuatio non est a parte rei ens reale positiuum, sed tamen est a parte rei ens reale priuatiuum. Ita tuentur multi etiam ex recentioribus, vt videre licet apud Mastr. & Bellut. in Phys Disput. 4. quæst. 1. art. 4.

Sunt, qui ex Scoto in 1. distin. 23. quæst. vnic. distinguunt negationes, quod sint in duplici genere: aliæ sint negationes rationis; Aliæ reales. Negationes rationis eæ sunt, quæ competunt rebus per solum intellectum; ita negatio subiecti in homine posito a parte prædicati, cum dico, Petrus est homo, competit ei per solum intellectum; Negationes autem reales, nullo cogitante intellectu, adhuc repertuntur in rebus, veluti negatio lapidis in homine: quippè homo ex natura sua est non lapis, & non quia ita cogitat intellectus. In hoc secundo genere ponunt priuationes; ac proinde fatentur, priuationes esse aliquid reale. Ita in schola Scoti tuentur multi, & sequuntur etiam Mastr. & Bellut. in Phys. disp. 4. quæst. 1. art. 1. Quamuis deinde explicent, quod negatio, & priuatio est a parte rei, non quidem sumendo esse propriè, vt significat existentiam rei positiuam, sed abusiuè tantum, quatenus licèt non existat realiter positiuè, tamen nullo cogitante intellectu apta est verificare propositiones. Istæ omnes sententiæ stant in vno extremo, quod videl. priuatio sit aliquid reale.

XIV. In altero extremo sistunt alij, existimantes priuationem, & negationem formaliter esse ens rationis, ac fieri per intellectum, nec esse a parte rei, nisi fundamentaliter, quemadmodum sunt alia entia rationis, quæ habent fundamentum in re. Ita Soncin. 10. Metaphys. quæst. 15. P. Peter. 1. Phys. cap. vlt. Domin. Sotus 1. Phys. quæst. 8. quibus videntur fauere Auerr. duodec. Metaphys. com. 4. 14. & 15. & D. Thom. quæst. 21. de Verit. art. 1.

Alij demum media via incedunt, aiunt enim, priuationem nec habere esse reale positiuum a parte rei, at neque esse solùm ens rationis; sed a parte rei habere esse

quod.

quoddam priuatiuum, seu abusiuum in subiecto; ita P. Suarez in Metaphys. disput. 34. sect. 3. & ante eum Capreol in 2. dist. 34. quæst. 2. ad 1. Caietan. in prim. part. quæst. 48. art. 2. Ferrar. 3. contr. Gent. cap. 9 P. P. Conimbr. in prim. Phys. cap. 9. quæst. 7. art 1. Ruui. tract. de priuatione quæst. 1. Auers. quæst. 3. sect. 14. Amic & alij.

XV. Porrò vt quid hac in re dicendum existimem, distinctè proferam, Accipio, priuationem triplicitet posse considerari. Primò, materialiter, & pro subiecto priuato: Secundò, pro ipsa aptitudine, & habilitate eiusdem subiecti: Tertiò, formaliter pro ipsa, ac sola absentia formæ in subiecto. Quæ trie vides V. G. in cæcitate. Primò etenim accipitur materialiter, idest pro oculo, qui priuatur visu: quia oculo, secundum quod oculus est, debetur visus. Secundò, capitur pro aptitudine eiusdem oculi ad visum: naturaliter cum oculus est aptus natus ad visum. Tertiò, Sumitur formaliter pro ipsa absentia visus. Ita priuatio lucis, quæ sunt tenebræ, primò capitur pro subiecto, quod est aer tenebricosus; secundò pro ipsa virtute, & habilitate eiusdem aeris, per quam aer est receptiuus lucis: tertiò, formaliter, que est mera absentia, & carentia lucis. Quibus positis.

XVI. Dico 1. Priuatio tam materialiter, & pro subiecto accepta, quàm etiam pro aptitudine, & habilitate subiecti, est aliquid reale, & reuera est aliquod ens à parte rei.

Vtraque pars vel ex ijs, quæ nunc adnotaui, liquet conspicua. Et quidem prior, quia cum priuatio sit negatio formæ in subiecto apto, necessariò præsupponit subiectum, quod procul dubio est aliquid reale: quare etiam priuatio hoc pacto accepta est aliquid reale. Ita accipit Philosophus priuationem, cum in primo Phys. tex. 60. & 67. asserit, eam esse vnum numero cum materia. Quapropter sicut materia est ens quoddam reale, ita & priuatio materialiter capta.

Posterior etiam pars est manifesta, quia habilitas, & aptitudo subiecti ad formam, qua est priuatum, est illi naturalis, veluti aptitudo lapidis ad centrum, aeris ad lucem, & ipsiusmet materiæ primæ ad formas. Nam aptitudo, & potentia materiæ re ipsa nihil aliud est, quàm ipsamet materia. vt in tract. de ea dixi.

Dico 2. Priuatio sumpta formaliter pro ipsa carentia formæ in subiecto, non est aliqua forma realis, nec omninò quicquam reale in subiecto e parte rei.

XVII. Ratio est euidens. Priuatio hoc pacto accepta re vera est non ens; est enim mera carentia, remotio, & absentia alicuius entis realis, quare penitus repugnat, quod sit aliqua forma realis, & omninò quod sit aliquod ens reale in subiecto e parte rei. Assumptum patet, nam aerem V. G. formaliter esse priuatum luce, nihil est aliud, quàm non habere lucem; & lignum esse priuatum forma ignis, nil aliud est, quàm non habere formam ignis. Non habere autem aliquid, non est quicquam reale, ac positiuum. Iuxta hanc assertionem intelligit Arist. dum priuationem sæpenumero appellat *per se non ens*, vt decim. Metaphys. tex. 15. & primo Phys. tex. 71 & 79.

Ex his manet etiam reiecta illorum imaginatio, qui distinguunt ens reale in positiuum, & priuatiuum, & aiunt, quod licèt non detur priuatio a parte rei, vt ens reale positiuum, est nihilominus ens reale priuatiuum.

XVIII. Manet, inquam, confutata, quia si intelligit, quod priuatio pro subiecto, vel eius aptitudine sit ens reale priuatiuum, euidenter errat, cum priuatio hac ratione accepta, sit ens reale verum, & positiuum, quemadmodum in conclus. præced. ostendi. Sin autem intelligit, quod priuatio formaliter sumpta sit huiusmodi ens priuatiuum, etiam errat; cum priuatio ita accepta non sit ens, sed non ens, vt in hac conclusione aiebam.

Præterea, ens reale intrinsecè dicit entitatem positiuam in suo conceptu formali, per quem primò distinguitur a non ente, & ab ente rationis: ergo contradictionem inuoluit, quod aliquid sit ens reale, & non sit aliquid positiuum.

Vlterius sic vrgeo. Omne ens reale ponit aliquid in re: at nullum priuatiuum ponit aliquid in re, sed potius remouet a re: ergo si priuatio esset aliquid reale priuatiuum, illa poneret aliquid in re, & simul non poneret, sed remoueret.

Deinde, In materia prima sunt priuationes infinitarum rerum, cum materia ad mentem Aristotelis possit successiuè infinitas formas suscipere. Illæ priuationes, iuxta hanc sententiam, sunt entia realia priuatiua; ergo nunc in materia sunt infinita entia realia. Quod porrò concesserit nemo.

Ad extremum, quia eadem planè ratione possemus dicere, quod ægritudo est valetudo priuatiua, & tenebræ sunt lux priuatiua. Quæ locutiones sunt ridiculæ. Constat ergo, priuationem formaliter extra intellectum, & in recto, re vera nihil esse reale.

Dico 3. Quamuis priuatio formaliter non sit aliquid reale, nihilominus duplici de causa concipitur vt aliquid. Primò, quatenus ea carentia apprehenditur ab intellectu, vt in aliquo subiecto, tanquam afficiens illud, & sic est quoddam ens ra- XIX.

tionis. Secundò, quatenus actu, & a parte rei priuat subiectum, & vt nonnulli loquuntur, habet esse a parte rei abusiuè.

Prior pars est expressa Stagiritæ mens, quarto Metaphys. tex. 2. vbi dum multiplicea entia accepitones tafatur, apponit etiam priuationes; & negationes ea ratione, quia cum istæ dicant aliquam attributionem, seu ordinem ad substantiam: quam considerat primus Philosophus, debet idem Philosophus agere de ijs. & ideò circa eas negotiatur intellectus, quasi circa aliqua entia, & de ipsis format propositiones etiam veras, veluti cum dicit. Non ens est non ens: vnde concludit Philosophus: *Quare, & ipsum nonens, esse non ens dicimus.*

Ratione ita collige. Illa, circa quæ intellectus negociatur, & de quibus format propositiones veras, conci piuntur ab eo, tanquam aliqua entia, videl. entia in anima, siue entia rationis. Ita se gerit intellectus circa priuationes, & negationes: quare istæ erunt aliqua entia, scil. entia in anima. *Non enim absurdum est, quod id, quod non est ens rei atque adeo ens in natura, accipiatur, vt ens rationis, vel in ratione, quatenus illud cognoscit, & de eo compositionem facit, vt cum de priuatione, vt de cæcitate formatur affirmatiua propositio, cæcitas est*, inquit S. Thom. 4. Metaphys. lect. 1. Et denique in hac significatione accipi solet, ac debet priuatio, & negatio in illa trina diuisione entis rationis, in priuationem, negationem, & relationem. Hoc ergo pacto priuatio formaliter dicitur esse aliquid.

XX. Posterior pars, quod priuatio dicatur esse aliquid, quatenus actu, & a parte rei priuat subiectum forma, cuius est priuatio, est etiam manifesta. Nam nullo cogitante intellectu, & a parte rei, est cæcitas in Petro. Et re ipsa ante opuatorellectus noctu sunt tenebræ, sic *tenebræ erant super faciem abyssi.* Genes. 1. ita priuatio dicitur fieri de nouo in materia, aut aboleri, & qui fenestram claudit, dicitur facere priuationem. Quæ locutiones hunc reddunt sensum, quod a parte rei est in hoc, vel illo subiecto carentia, absentia, & remotio huius, aut illius formæ.

Diluuntur argumenta, quibus probabatur, priuationem esse aliquod ens positiuum, ac reale.

XXI. EX his facilè depelluntur etiam argumenta in contrarium confecta. Primum procedit da priuatione iuxta tertiam nostram assertionem: sic enim qui habet priuationem, dicitur habere aliquid, quia re ipsa habet carentiam formæ realis. Et priuatio dicitur quodammodo habitus, tùm forma, tùm accidens materiæ, quia concipitur quasi aliquid in subiecto, quemadmodum in eadem assertiona exposui.

Verùm, vt locum illum ex quinto Metaphys. non ita perfunctoriè, sed medullitus deprehendas, scito, quod Philosophus eo loci recenset varias potentiæ significationes, & distinguit potentiam actiuam a passiua, in eo potissimum, quod illa semper oritur ex aliquo habitu, ac forma, ista autem aliquando ex eo, quia subiectum pote otia passiua præditum, habet in se quandam dispositionem, quæ est causa, & principium eius passionis. Quæ quidem causa, & principium possunt alicui inesse dupliciter. Vno modo ex eo, quod illud subiectum habet in se aliquid: Altero ex eo, quod priuatur aliquo. Primo modo homo infirmatur, & patitur, ex eo, quod in se habet prauos humores, per quos ducitur ad ægritudinem. Secundo autem idem homo dicitur infirmari, pro pterea quod caret aliquo, id est earat virtute naturali valida, quæ possit resistere, & repugnare ægritudini. Hoc expressit Philosophus, dum ait, *quandoque enim propterea quod habet, quandoque propterea quod priuatur, tale videtur esse.*

Quod si priuatio habitus quodammodo est XXII. *ὥσπερ τῷ ἔχειν ἕξιν τι.* *omnia ex eo, quod habens, vtique aliquid esset.* Quoniam tenitua est, si dicamus, quod priuatio est aliquo pacto habitus, & sit vt aliquid habitum, quemadmodum lib. quarto tex. 2. diximus, tunc omnia subiecta prædita tali potentia passiua, erunt, idest, erunt passiblia ex eo solùm, quod habent aliquid. Et ita duo illi modi principij patiendi reducentur in vnum, quod aliquid patitur ex eo, quod in se habet aliquid, idest priua ionam. At quia priuationem nominauit aliquo modo habitum, & dixit, eam habere, ne quispiam deciperetur, occurrit Eximius præceptor duplex et. Primò, dum subdit *æquiuocè enim dicimus ipsum ens.* Nam turbetia, inquit, quod priuationem appellaui quodammodo habitum, quia ens aliquid æquiuocum, vnde priuatio non est ens reale. Secundò, co ait, *εἰ ἐνδέχεται ἔχειν τρόπον* quæ sic verte, *si possibile est, priuationem habere.* Ex his vides quema modum locus hic tantum abest, vt figurice, priuationem formaliter esse aliquid reale, ac verum ens, vt potius mirificè declaratur sanius tertiæ nostræ assertionis.

XXIII. Ad 2 argumentum dicendum est, quod visus videt, seu discernit tenebras non per se, ac positiuè, quasi actus vidandi terminetur in ipsas tenebras, sed per accidens, & negatiuè, quia videl. non attingit in illo diaphano lucem. Hinc optimè Stagirites tertio de Anim. tex. 25. *priuatio*, inquit, *contraria quodammodo cognoscitur, vt malum per bonum.* Et lib. primo eiusdem operis tex. 85. id idem illustrat exemplo recti, & obliqui, quod quidem obliquum cognoscitur per rectum, *quia recta, & ipsum, & obliquum cognoscimus.* Hanc differentiam videndi lucem, & tenebras satis indicauit idem Philosophus in illo ipso tex. 138. lib. secundi de Anim. in arg. cit. cum enim dixisset, quod visu discernimus, & lucem, & tenebras, subdit, *sed non similiter.* Præterquamquod Arist. non di-

Digitized by Google

non dicit, visum videre tenebras, sed ait, *cum non videmus, visu descernimus & tenebras & lumen.* Et hoc ipsum vniuersè affirmat in tex. 96 de quocunque sensu externo, quod discernit, & suum obiectum, & eius priuationem. *Adhuc*, inquit *sicut auditus, & vnusquisque sensuum. hic quidem audibilis, & inaudibilis ille verò visibilis, & inuisibilis, & olfactus odorabilis & inodorabilis.*

Xxiv. Ad 3. negandum est, quod priuatio agat. Ad 2. prob. respondeo, quod id, quod corrumpit aliud effectiuè, influendo verè in subiectum, vit que agit, & est aliqua natura realis, & a parte rei. Secus autem quod corrumpit aliquid formaliter, qua ratione priuatio corrumpit habitum, ita cæcitas corrumpit visum, & malum corrumpit bonum, inquantum cæcitas est ipsa visus priuatio. Eodem modo occurritur ad 2. prob. Priuatio enim dicitur operari maleficium in materia, quatenus est ratio, cur materia appetat alias formas, ac proinde moliatur corruptionem.

Xxv. Ad 4. Natura diuerso modo intendit formam, ac priuationem. Formam intendit principaliter, & per se, priuationem autem intendit solùm secundariò, & per accidens, quatenus sine priuatione alicuius formæ nequit vlla introduci forma. Nam ad hoc, vt generetur V. G. ignis ex aqua omninò requiritur non esse formæ aquæ, & sic etiam suo modo intenderetur. Quod igitur intenditur a natura primo modo, vtique debet esse ens, cum ens, & bonum conuertantur. Non autem quod intenditur secundo modo.

Pari pacto dicendum est ad 5. Priuatio non appetitur nisi per accidens, & propter conseruationem alicuius eius positiui. Ita appetimus carentiam ægritudinis, quod est, appetimus sanitatem, & ouis appetit absentiam lupi propter conseruationem propriæ vitæ. Sed iam vlterius pergo, & quæro.

SECTIO III.

Quanam sit ratio formalis priuationis; aptitudo ne subiecti ad formam, an verò ipsa negatio, & carentia formæ?

Xxvi. 

Cum priuatio sit carentia formæ in subiecto natura apto, quod quando, & vt aptum est, illam habere, non habet, duo omninò in ea veniunt consideranda: videl. subiectum naturaliter aptum, siue eius aptitudo, & ipsa absentia formæ: propterea optimo iure inquirunt auctores, vtrum ratio formalis, & essentia priuationis (essentiam dico suo modo, non enim priuatio habet propriè essentiam) consistat ex æquo in vtroque, an in altero tantùm: & in quonam.

Valles contr. 11. Phys. opinatus est, priuationem quasi æqualiter componi ex negatione, seu carentia formæ, & aptitudine subiecti, tanquam ex duabus partibus.

Nihilominus communis sententia est, rationem formalem, & essentiam priuationis sitam esse in ipsa negatione formæ in subiecto: ita vt priuatio formaliter, & in recto dicat solam dictam formæ absentiam: in obliquo autem connotet aptitudinem in subiecto. Ita Soncin. 10. Metaphys. quæst. 15. Suarez in Metaphys. disput. 54. & communiter recentiores, vt videre licet apud Ant. Ruui Tract. de Priuat. quæst. 2. Auers. quæst. 3. sect. 14. Mastr. disput. 4. art. 2.

Quæ sent. prob. 1. ex definitione priuationis, in qua negatio formæ ponitur in recto; subiectum autem ponitur in obliquo: definitur enim priuatio, quod sit carentia formæ in subiecto apto. Xxvii.

Secundò, prob. ex modo loquendi. Nam rectè dicimus, quod cæcitas est negatio potentiæ visiuæ: non autem rectè diceres, quod cæcitas est aptitudo, seu capacitas potentiæ visiuæ, sed solùm in obliquo, quod est negatio talis potentiæ in subiecto habente aptitudinem ad talem potentiam, & formam, ergo in recto priuatio importat solam negationem formæ, in obliquo autem indicat aptitudinem subiecti.

Tertiò negatio formæ est incompossibilis cum forma, & per eam ista expellitur a subiecto: aptitudo autem non est incompossibilis cum forma, neque vnquam expellitur a subiecto, ergo priuatio formaliter, & in recto non est aptitudo, sed est illa negatio. conseq; est clara, quia priuatio est contraria formæ.

Propria Auctoris opinio.

Nihilominus existimo, quod ratio formalis, & essentia priuationis non consistit absolutè in negatione, siue absentia formæ in subiecto, sed consistit in ipsa aptitudine subiecti ad talem formam. Xxviii.

Quod prob. Illud, quod formaliter distinguit aliquid a quocunque alio, etiam illud ipsum constituit: Tritum enim est, idem esse distinctiuum, & constitutiuum alicuius: ac proinde illud erit ratio, & essentia ipsius: Atqui priuatio non distinguitur a quocunq; alio per negationem formæ in subiecto, sed per aptitudinem subiecti ad formam, vt omnes fatentur, & explicat Philosophus quinto Metaphys. tex. 27. dum docet, negationem, & priuationem dici eodem modo quantum ad ablationem formæ, quæ exprimitur a Græcis per particulam A. (quæ quidem latino sermone

posset

Digitized by Google

pollet I N) appositam dictioni, vt ἄνισος inæquale, ἄνισον, impest differt eutem negano a priuatione subiecto. *Et quoties*, inquit Arist. *negationes ab IN, vel simili negatione incipientes dicuntur, toties etiam priuationes dicentur. Inæquale namque dicitur, eo quod non habeat æqualitatem, aptum existens habere &c.* quare habilitas, & aptitudo subiecti, non autem ablatio formæ in subiecto fuerit ratio formalis priuationis.

XXIX. Torquentur hic vario modo permulti. Quidam dicunt, quod priuatio non distinguitur per intrinseca a simplici negatione, sed solùm penes connotata. Et regula illa, quod distinctiuum est idem, ac constitutiuum, est quidem, aiunt, vera in positiuis, non autem in priuatiuis. Alij ampliant dictam regulam, quod illa valet tantùm in absolutis, non autem in connotatiuis: siquidem ista, inquiunt, essentialiter, & in principali significato non differunt, sed tantùm penes connotata. Ita communiter recentiores.

Verùm prima responsio non modo non effugit argumentum, sed in illud planè incurrit. Nam si priuatio non differt a simplici negatione per intrinseca (quæ intrinseca ego intelligo, quatenus vtraque est absentia formæ) sed differt tantum penes connotata, quæ sunt subiecta, profectò ratio formalis priuationis non est desumenda ex absentia formæ, sed ex connotato, videl. ex subiecto apto, siue ex eius aptitudine ad talem formam. Vnde etiam apparet, quod gratis, ac sine ratione illi auctores restringunt dictam regulam, quod sit vera in positiuis solùm, non autem in priuatiuis; cum in his quoque, quod distinguit, etiam constituat.

Secunda etiam responsio euidenter est falsa. Nam album, & nigrum sunt nomina connotatiua, sed hæc non differunt inter se solùm penes connotata sua, quæ sunt eorum subiecta: ergo falsum est, connotatiua non differre essentialiter, & in principali significato, sed duntaxat penes connotata. Maior est certa, vnde etiam communiter dicitur, quod album formaliter significat solam formam, connotet autem subiectum. Et in summulis vniuersaliter dicitur, *quod terminus absolutus, idem est, quod apud Grammaticos, nomen substantiuum, & est ille, qui significat per modum per se stantis. Connotatiuus autem idem valet, ac nomen adiectiuum, & est ille, qui significat per modum alteri adiacentis*. Minor etiam est conspicua est: quandoquidem album, & nigrum non differunt inter se ratione subiecti, sed ex sua natura. At pergo.

Et probo eandem meam assertionem alijs rationibus: quare arguo secundò. Id, quod est commune pluribus, nequit constituere ratio formalis, &

XXX. essentia alicuius determinati: At negatio, & absentia formæ in subiecto est aliquid commune tum simplici negationi, tum etiam priuationi. Nam ita est absentia visus, ac formæ in lapide, in quo est negatio visus, ac est in homine cæco, in quo est priuatio eiusdem visus: ergo negatio, & absentia formæ in subiecto non erit ratio formalis priuationis, sed est aliquid aliud.

Tertiò probo. Quandocunque aliquid est ratio formalis alicuius rei, posito illo, & excluso per intellectum quocunque alio, commodè saluatur res illa, vt de se manifestum est; & docet Arist. secundo de Anim. tex. 8. & 9. At iuxta oppositam sententiam ratio formalis priuationis est negatio, & carentia formæ in subiecto, quare vbicunque hæc fuerit, erit etiam priuatio. Quod tamen est falsum, vt apparet in lapide, in quo est negatio, & absentia visus, nec tamen est priuatio. XXXI

Quod vlterius sic explico. Si ratio formalis, & essentia priuationis est negatio, & carentia formæ in subiecto, sequitur, vt quicquid aliud est in priuatione, sit extra eius essentiam: ergo posita sola negatione formæ in subiecto & remoto quocunque alio, siue id sit subiectum connotatum, siue aptitudo, adhuc remanebit essentia priuationis. Retenta enim alicuius rei essentia, & sepolito quocunque alio, remanet illa res. Hoc autem ep. paruit falsum: ergo &c.

Quartò, negatio formæ in subiecto in definitione priuationis se habet vt genus, aptitudo autem subiecti se habet vt differantia: Manifestum autem est, rationem formalem, & essentiam cuiuscunque rei desumi ab eius differentia, non autem a genere. Non enim homo est homo, quia animal, sed quia rationalis; quare essentia, & ratio formalis priuationis non desumitur a negatione formæ, sed ab aptitudine. XXXII.

Primam propositionem, quod scil. negatio formæ in definitione priuationis stet loco generis, deprehendes ex methodo definiendi accidentia cum ea definimus in abstracto, & dum ea definimus in concreto. Quando definimus accidentia in concreto, subiectum tenet locum generis, forma autem, siue accidens, habet locum differentiæ. Quando autem definimus accidentia in abstracto, res e contra se habet. Forma, seu accidens obtinet locum generis, subiectum autem sortitur rationem differentiæ, vt inter alios optimè, & fusè P. P. Complut. in sua Logic. disput. 5 de gener. quæst. 2. explicant ex Arist. & D. Thom. & nos alio commodiori loco rem fusius explicamus. Nunc rem accipe exemplo toties ab Stagirite inculcato de *simo*, & *simitate*. Nam simum est quoddam concretum, & quidem priuatum rectitudine nasi. Definitur autem *simum*, quod sit *nasus curuus*, vbi nasus ponitur loco generis, cum reperiantur nasi alia etiam figura præditi curuitas verò, seu curuum est differentia. Simitas autem est quoddam accidens in abstracto, & est quædam priuatio: & definitur *simitas*, quod sit *curuitas nasi*: vbi curuitas non est differentia, nec ratio formalis, sed tenet locum generis, alioquin vbicunque esset curuitas, esset, & simitas, & e proinde linea curua esset sima; sed differentia est subiectum, id est nasus, qui secundum se,

& qua

& qua nasus, est aptus habere debitam rectitudinem, & ea caret. Hinc apparet veritas illius maioris, quod negatio formæ in definitione priuationis habet locum generis, subiectum autem natura aptum, & eius aptitudo sortiuntur rationem differentiæ.

XXXIII. Hanc eandem veritatem ex eo etiam deprehendes, quòd non potest concipi aptitudo subiecti, quin concipiatur forma, ad quam illa est, & ex qua forma concipitur consequenter etiam absentia eius in subiecto. Nam priuationes, & negationes cognoscuntur per suos habitus: Benè autem concipitur absentia formæ sine aptitudine: ergo aptitudo subiecti ad formam, & non absentia eius, est radix priuationis. Hinc etiam dixi in tertio de Anim. ad tex. 26. quæst. 5. quod priuatio concipi nequit, quin apprehendatur subiectum, negatio autem, saltem absolutè considerata, potest intelligi absque eo, quod apprehendatur aliqua res, cui illa sit veluti affixa, vt cum dico, non homo, non substantia.

Argumenta autem aduersæ sententiæ superius XXXIV. adducta, nullo negotio diluuntur. Ad 1. dico, quod priuatio definitur tanquam aliquod accidens in abstracto: & ideo ipsa absentia formæ, quæ concipitur per modum cuiusdam formæ afficientis subiectum, tenet in ea definitione locum generis: subiectum autem aptum, habet conditionem differentiæ. Manifestum autem est, rationem formalem cuiuscunque rei desumi ex eius differentia, non ex genere.

Ad 2. nego, hanc esse rectam locutionem. Cæcitas est negatio potentiæ visiuæ. Etenim negatio potentiæ visiuæ est etiam in lapide, nec tamen in eo est cæcitas. Et magis rectè dixero, cæcitatem esse capacitatem potentiæ visiuæ. Nam cum dico capacitatem potentiæ visiuæ, duo significo: Vnum est, ipsa aptitudo subiecti: Alterum est absentia potentiæ visiuæ: Nam capacitas, & aptitudo est ad illud, quod actu non possidetur, sed potest possideri.

Ad 3. respond. quod aptitudo subiecti alia est remota, & communis, vt in materia capacitas indifferenter ad omnes formas: alia est particularis ad hanc formam. Ista expletur, & cessat, dùm adest forma, ad quam est aptitudo. Nam aptitudo, quæ nunc est in materia ligni ad hanc formam ignis, accedente hac forma ignis, cessat.



SECTIO IV.

Quomodo priuatio se habet ad subiectum, siue quomodo ab eo distinguitur?



Plato penitus idem fecit materiam, & priuationem, nec vllam inter eas adiecit distinctionem: Ita refert Stagirites in primo Phys. tex. 79. & 80. Quam quidem opinionem subsecuti Platonici, & præcipuè Plotin. Ennead. 2, lib. 4. cap. 14. validè nituntur conuincere: Et potest etiam confirmari ex Arist. qui in lib. cit. tex. 60. & 66. planè constituit, materiam, & priuationem *esse numero vnum*; Quæ autem sunt vnum numero, ea porrò nullo modo inter se discriminantur, quia vnitas numerica; vt docet idem Philosophus quinto Metaphys. tex. 12. est vnitatum maxima. XXXV.

Alij verò e contra absolutè pronunciant, priuationem non esse idem cum subiecto forma priuato, sed ab eo distingui. Quinimò distingui realiter, distinctione reali priuatiua, seu negatiua. Ita Socin. 10. Metaphys. quæst. 17. cui adhærent multi recentiores, qui deinde conglomerant hinc inde argumenta, vt apud eos videre potes.

Praeclara, & facili solutione, recolenda est tripartita illa priuationis consideratio, in sect. 2. huius disput. a nobis explicata: quod priuatio accipitur tum materialiter, seu pro subiecto: tùm pro radicali aptitudine subiecti ad formam. tùm formaliter pro ipsa mera absentia formæ a subiecto. Qua distinctione posita, respondeo ad quæstionem tribus assertionibus. XXXVI.

Prima est. Priuatio sumpta materialiter, non distinguitur a materia, neque reali, neque formali distinctione: quinimo neque ratione ratiocinata, sed solum ex modo concipientis, & vt in scholis loquimur, sola ratione ratiocinantis.

Secunda assertio. Priuatio sumpta pro radicali aptitudine materiæ, quam indifferenter habet ad omnes formas, non distinguitur a materia, neque realiter, neq; formaliter, benè autem ratione ratiocinata.

Tertia assertio. Priuatio accepta formaliter pro ipsa mera absentia formæ in subiecto, distinguitur re ipsa a materia, non quidem distinctione positiua, & quasi res a re, sed distinctione reali impropriissima, quatenus incolumi manente materia, priuatio incipit esse in ea, atque ab ea ipsa perit: Et hanc distinctionem Doctores nostri appellant realem negatiuam, seu priuatiuam.

Omnia explico singillatim. Ac primò quidem, ea distinguuntur inter se vera distinctione reali, XXXVII.

quæ a

Digitized by Google

quæ a parte rei sunt re ipsa duo entia, & duæ res, quo pacto distinguitur inter se Petrus, & Paulus, aut ego, & scamnum, & propterea hæc dicitur distinctio rei a re. Atqui priuatio materialiter, & pro fundamento accepta, & materia, non sunt a parte rei duæ res, sed vna tantum: quare non distinguuntur inter se vera distinctione reali, quemadmodum in prima parte primę assertionis dixi.

Rursus; Ea distinguuntur formaliter, quæ licèt habeant eandem realitatem, ac entitatem realem, nihilominus habent diuersas rationes formales, seu diuersas definitiones formales, quemadmodum distinguuntur actio, & passio, quæ quidem sunt vnus, atque idem motus realis, attamen habent diuersas rationes, & diuersas definitiones formales. Sed priuatio pro subiecto accepta non habet aliam, ac diuersam formalitatem ipsam a materia, sed est illa ipsa, quæ est & materiæ; ergo priuatio pro fundamento non distinguitur formaliter a materia, vt in secunda parte eiusdem primæ assertionis dixi.

Præterea, Ea distinguuntur inter se ratione ratiocinata, quæ secundum se, & a parte rei sunt vna, & eadem realitas, & formalitas, quæ tamen est talis conditionis, vt possit esse fundamentum proximum, supra quod intellectus possit fundare duos conceptus inadæquatos: Ita distinguuntur in nobis anima intellectiua, sensitiua, & vegetatiua: ita in Deo eius iustitia ab eius misericordia. At in re proposita non est tale fundamentum proximum, supra quod valeat intellectus fundare duos conceptus inadequatos; vnum de materia, alterum de priuatione, cum priuatio pro fundamento sit ipsamet materia, quemadmodum superius explicui: ergo priuatio ita accepta, & materia non distinguuntur inter se neque etiam ratione ratiocinata, vt in tertia parte eiusdem primæ assertionis dixi.

XXXVIII Possunt autem distingui ex modo concipientis, & ratione ratiocinantis. Nam distinctio rationis ratiocinantis est inter illa, in quibus a parte rei, nec etiam reperitur aliquod fundamentum, in quo intellectus possit fundare duos conceptus; sed tota distinctio tenet se ex parte intellectus: & hoc modo concipimus, Petrum distingui a se ipso. Sic itaque intellectus concipit priuationem pro fundamento, quę est ipsamet materia, distingui ab eademmet materia; & hoc est, quod in vlt. parte primæ nostræ conclusionis asserimus.

Ex his colligitur etiam prima, & secunda pars secundæ nostræ assertionis, quod videl. priuatio sumpta pro ipsa radicali aptitudine materiæ non secernatur ab ea, neque realiter verè, neque formaliter. Etenim cum ea materiæ aptitudo, & capacitas non sit alia res, neque alia formalitas a materia; alioquin materia non esset natura simplex, manifestum est, eam neque realiter verè, neque formaliter distingui.

Quod verò distinguatur ratione ratiocinata, sicut tertia pars eiusdem conclusionis asserit, vel ex eo euinces, quia licèt præfata materiæ aptitudo sit eadem ac materia, nihilominus sub alio conceptu apprehenditur, quatenus est materia, & sub alio quatenus est aptitudo, quemadmodum in disputatione de materia dixi etiam de potentia eiusdem materiæ, quod distinguitur a materia ratione ratiocinata. Consultò autem addidi in conclusione aptitudinem radicalem, quia aptitudo proxima in materia oritur ab hac, vel illa dispositione, vt alio loco declaraui.

Quod demum priuatio formaliter capta separetur a materia eo modo, quo tertia nostra conclusio asseuerat, est expressa Stagiritæ mens, qui in hoc primo lib. tex. 69. hæc omnino scribit. *Aes enim idem est homini, & immusica esse: & illud quidem permanet, hoc verò non permanet. etenim non appositum permanet: homo enim permanet, musicum autem, & immusicum non permanet. neque ex ambobus compositum, vt immusicus homo.* Et in tex. 59. *Eorum*, inquit, *quæ vt simplicia dicimus fieri, aliud quidem permanens fit, aliud verò non permanens, homo enim permanet factus musicus homo, non musicum autem, & immusicum, neque simplex, neque compositum permanet.* Ex quibus verbis habetur aperta distinctionis demonstratio inter materiam, & priuationem formaliter acceptam. Enimuerò si vna post transmutationem remanet, altera autem non remanet, profectò re ipsa non sunt idem. Et propterea in tex. 79. idem auctor ait, *materiam, & priuationem alterum esse dicimus, & horum materiam quidem non ens esse secundum accidens: priuationem autem per se*: ita in tex. 66. probat triplicitatem, quod materia, & priuatio sint ratione duo. Licet ergo priuatio hoc pacto formaliter sit non ens, dicitur tamen distingui realiter priuatiuè, quatenus consurgit, aut euanescit a subiecto: Ita communiter dicimus, tenebras distingui ab aere. XXXIX

Verùm hic duæ emergunt dubitationes. Altera, si priuatio dicitur a materia distingui, quatenus ei accedit, & ab eadem decedit, perinde ac ipsa forma substantialis accedit, ac recedit ab eadem materia: hinc sequi videtur, quod sicut dum recedit forma, remanet in materia priuatio illius; ita recedente ab eadem materia priuatione illius priuationis; & rursus illius alia; idque vsque in infinitum. Altera est, Esto, quod priuationes formaliter acceptæ ita secernantur a subiecto, quemadmodum in tertia assertione dictum est, at inter se ipsæ priuationes quomodo, & vnde nam distinguuntur? XL

Ad 1. neganda est consecutio. Non est eadem ratio de forma, ac de priuatione. Illa est habitus: ideircò eius datur priuatio: ista autem est quædam absentia. Quarè sicut absentiæ non est absentia, nec præsentiæ est alia præsentia, ita priuationis non est alia priuatio. Quod si laxius loqui volueris, priuationis priuatio est immediatè

Digitized by Google

mediatè ipsa forma; qua illa priuat. Quocirca qui diceret, materiam, recedente ab ea priuatione, acquirere illius priuationis priuationem, re ipsa significarat, quod materia, recedente priuatione, acquirit formam oppositam illius priuationis. Et hoc verissimum est.

Ad 2. dub. respondeo, quod priuationes, vt explicat Philosophus decimo Metaphys. tex. 15. pensitantur a suis formis: Quocirca priuationes sunt eædem, aut diuersæ inter se, eo modo, quo sunt formæ, quarum sunt priuationes: vt si formæ discriminentur inter se solo numero, earum priuationes different solo numero, vt duæ cæcitates. Si illæ dissident specie, vt visus, & auditus, priuationes etiam distant specie, vt cæcitas, & surditas. Si denique illæ discrepant genere, vt forma hominis, & forma ignis, priuationes genere different inter se. Cuius rei ea est ratio, quia priuatio ita habet vnitatem, & distinctionem, sicut habet esse. At priuationis esse haud est aliud, quàm esse absentiam formæ: quare ex forma sortitur etiam vnitatem, & distinctionem.

Hinc deduco 1. quod quamuis priuationes
XLI. per se non reponantur in Categorijs, nihilominus reuocantur ad Categorias earum rerum, quarum sunt priuationes.

Deduco 2. quod priuatio non potest aliter definiri, nisi per formam: idcirco Stagirites oct. Topic. cap. 6. ait, quædam esse genera oppositorum, quæ per se mutuò definiuntur, cuiusmodi sunt relatiua: alia verò esse, quorum vnum definitur per alterum, id autem non vicissim per illud, cuiusmodi sunt habitus, & priuatio: siquidem habitus ponitur in definitione priuationis, priuatio autem non adijcitur in definitione habitus. Rectè etenim dicimus, tenebras esse carentiam lucis. at non e contra, quia lux est forma tenebrarum.

Deduco 3. quod priuatio formaliter non cognoscitur, nisi per habitum suum, vt docet Philosophus cum alibi sæpe, tùm præcipuè tertio de Anim. tex. 23. dicens, *priuationem cognosci contrario, vt malum per bonum*. Et primo de Anim. tex. 85. *rectum*, ait, *est index sui, & obliqui*. Immo verò priuatio non cognoscitur, nisi per speciem alienam, idest formæ priuatæ. Quo fit, vt nec possit vnquam cognosci primò, non cognita prius forma: ideò fœtus in vtero, qui nunquam aspexit lucem, non dicitur videre tenebras, & qui non cognoscit visum, nescit, quid sit cæcitas. Verùm quomodo cognoscatur priuatio, vberrimè dixi ad illum tex. 25. tertij de Anim. in quæst. 3.

Ex his patet etiam solutio ad difficultatem
XLII. initio sect. adductam ex auctoritate Philosophi. Nam priuatio materialiter accepta, est vtique *vnum numero cum materia*: formaliter autem sumpta est distincta, quemadmodum in nostris assertionibus diximus. Et hoc fatetur idem Philosophus in illis ipsis textt. 60. & 66. cum enim dixisset, materiam, & priuationem esse numero vnum, statim annectit. *Forma autem non vnum: forma enim dico, & ratione idem*. & probat hanc diuersitatem, *non enim idem est homini, & immusico esse*. &c.

SECTIO V.

Quomodo priuatio constituatur principium tùm generationis, tùm rei genitæ. Et quando principiat actum generationis? quando est an verò quando non est?



Abundè exposui in quæst. 3. ad tex. 42. quænam materiæ aptitudo, & priuatio statuenda sit terminus a quo generationis, ac proinde tertium principium rerum naturalium. Exposui etiam in quæst. vnica ad tex. 56. præter ea, quæ Arist. habet in tex. 56. 65. & 66. quæ sunt principia per se generationis, & in fieri, & quæ sunt principia iisdem per se rei genitæ, & in facto esse, quæ si hic repetam, actum agam: propterea in præsenti breuiter. XLIII.

Dico 1. Priuatio est principium per se generationis, & in fieri. Assertio est communis inter Doctores, & ostenditur ex instituto ab Aristotele a tex. 43 & inde, & in tex. 66. quia omne, XLIV.
quod per se fit, fit a suo contrario; *non enim quodlibet fit ex quolibet, nisi quis accipiat secundum accidens. Qualiter enim fiat album ex musico, nisi accidens sit albo, aut nigro musicum? sed album quidem fit ex non albo, & hoc non ex omni, sed ex nigro: & musicum ex non musico, sed non ex omni, sed ex immusico*. Et sic certã cõmonstratur. Illud est per se alicui rei, sine quo res illa esse, & con-

Digitized by Google

cipi nequit. At sine priuatione, & termino a quo, generatio neque esse, neque intelligi potest, cum omnis transmutatio fit a quodam in quoddam; quare priuatio, & terminus a quo est principium per se respectu generationis. Omninò adcundus est Alex. Aphrod. lib. 2. Quæst. Natur. cap. 11. vbi inter alia ait. *Res naturales per se fiunt ex priuatione, quia oportet, id, quod fit, antea non esse, & posse esse: id autem nihil aliud est, quàm priuatio.*

XLV. Dico 2. Cum priuatio possit accipi tùm materialiter, & pro subiecto, tùm pro aptitudine materiæ, eaq; aut radicali, aut proxima, tùm demum formaliter pro ipsa absentia formæ, non est tertium principium, de quo hic loquimur, secundum priores duos modos, benè autem secundum duos posteriores.

Prob. Priuatio ea ratione est tertium principium, qua est terminus a quo generationis, sed priuatio non est terminus a quo generationis accepta materialiter, cum hoc pacto sit ipsamet materia, quæ est subiectum generationis, & remanet post generationem; terminus autem a quo recedit, accedente generatione: ergo priuatio sumpta materialiter, non est tertium principium, de quo hic sermonem agitamus.

Eadem ratione priuatio accepta pro radicali, & communi aptitudine materiæ, non est hoc tertium principium, quia talis aptitudo comitatur intrinsecè materiam, & indifferenter respicit omnes formas, & est communis respectu omnium formarum; & accedente hac, aut illa forma, non perit illa aptitudo in materia: ergo non est terminus a quo generationum, cum hic, accedente generatione, & forma, cesset.

Aptitudo autem proxima est dispositio, destinatio, & contractio materiæ, seu communis illius aptitudinis ab hoc agente facta, vt materia potius sit destinata ad hanc formam, quàm ad illam: Ista est terminus a quo generationis, & perit accedente generatione: ergo hæc priuatio est tertium principium. Quas duas materiæ aptitudines fusè explicaui in quæst. illa 3. ad tex. 42.

Eodem pacto se habet priuatio formaliter, & pro carentia formæ. Hæc enim euanescit, dum adest perfecta generatio, vtpote terminus a quo: ac proinde iure est hoc ipsum principium, de quo loquimur. Hæc conclus. colligitur ex Aristotele tex. 43. 56. 60. & 66.

XLVI. Dico 3. Priuatio non est principium per se rei genitæ, & in facto esse, sed tantum per accidens. Etiam hæc assertio est communis, & ostenditur a Philosopho in tex. 65. & 66. Et quod priuatio non sit principium per se rei genitæ, vel ex eo patescit, quia illa sunt principia per se alicuius rei, ex quibus primis illa res fit, & inexistentibus essentialiter componitur. Manifestum autem est, corpora naturalia ita fieri, & componi solùm ex materia, & forma, non autem ex priuatione: quare sola materia, & forma sunt principia per se rei genitæ, non autem priuatio. Item, Illa sunt principia per se rei genitæ, quæ manent in ea, quandiu hæc durat: Priuatio non durat in re genita.

Quod autem eadem priuatio sit principium solùm per accidens respectu eiusdem rei genitæ, etiam ostendit Arist. in tex. illo 66. quia vnumquodque ita est principium, sicuti est ens. At materia, & forma sunt per se entia, priuatio autem est aliquid tantum per accidens, accedit enim materiæ, & ab ea recedit: ergo priuatio est principium rei genitæ solùm per accidens. Sic in tex. 75. & 79. priuatio dicitur esse non ens: ex non ente autem nihil fit, nisi secundum accidens, vt in eodem tex. asserit Arist..

SECTIO VI.

Quandonam priuatio principiat generationem, vtrum ne quando est in subiecto, an verò quando non est?



Liquammulti ex Doctoribus nostris acriter, & inuolutè hac de re quamplurima congerunt: Nos breuiter, & quo ad eius fieri potest, clarè conabimur dicere. Punctus difficultatis est, quod supposito, quod transmutatio, & generatio substantialis est instantanea: in instantaneis autem idem est fieri, & factum esse: tunc ita vrgetur. XLVII

Si dicas, priuationem principiare generationem, quando ipsa est in subiecto, sequitur, vt cum in illo instanti sit etiam transmutatio, & per consequens sit etiam forma, cum ea sit in eodem instanti cum transmutatione, sequitur, inquam, vt in illo subiecto simul sit priuatio, & etiam eius forma: & per consequens eadem res simul erit, & non erit. Quæ est aperta cōtradictio, & aduersatur primo illi, ac trito effato,

tradito

tradito ab Arist. quarto Metaphys. tex. 27. quod *de qualibet verum est affirmare, vel negare, de nullo autem vtrumque simul*.

Si autem ex opposito asseras, priuationem principiare, & exercere actum principiandi, quando ipsa re vera non est in subiecto, sed tantum fuit, alia vrgetur ratione. Primùm, actualis principiatio transmutationis est relatio priuationis: sed posito vno relatiuo, necessariò debet poni, & alterum, cum ea ex Categ. de ad aliquid sint simul natura, & cognitione: ergo quando est actualis principiatio transmutationis, atque adeò ipsa transmutatio, tunc necessariò debet adesse actu priuatio. Deinde, effectus in actu, omninò exposcit causam in actu: Atqui transmutatio, & generatio est effectus priuationis; pendet enim a priuatione, tanquam principiatum a principio: principiatum verò est effectus principij: ergo quando actu est transmutatio, & generatio, actu etiam debet esse priuatio: & cum forma sit simul, & in eodem instanti cum transmutatione, quia in instantaneis idem est fieri, & factum esse; relaberis in eandem contradictionem.

XLVIII. Aliqui absolutè dicunt, priuationem esse principium, & principiare generationem, quando re vera ipsa est in subiecto: vnde admittunt in eodem instanti, generationis esse priuationem simul cum forma in eadem materia. Ita Baconus in 3. distin. 3. quæst. 2. art. 3. & alij relati ab Aueria quæst. 10. sect. 6. & Barth. Amic. tract. 7. quæst. 2. dub. 3. Quo etiam videntur iuisse P. P. Conimbr. 1. Phys. cap. 9. quæst. 8. art. 2. in respons. ad 3. quamuis ijdem lib. oct. eiusdem operis, cap. 8. quæst. 2. absolutè, & verè supponant, non dari simul in eodem instanti esse, & non esse rei.

Quidam verò, vt contradictionem euitent, quod res esset simul, & non esset, distinguunt. & aiunt, quod priuatio est quidem simul in eodem instanti temporis cum forma in eadem materia, tamen assignant ibi duo naturæ signa, in quorum vno est priuatio, & non forma, in altero autem est forma, & non priuatio. Ita nonnulli recentiores, vt etiam refert Mastr. disput. 4. quæst. 4.

Ex opposito alij itidem absolutè aiunt, priuationem principiare, quando ipsa non est, sed ad summum immediatè antea fuit. Frequens est hic dicendi modus inter Doctores, & insinuatur a S. Thom. in prim. part. quæst. 53. art. 3. & in 1. 2. quæst. 113. art. 7. ad 5. & 3. part. quæst. 75. art. 7. ad 1. & quodlib. 7. quæst. 4. art. 9. Sequuntur Caietan. ad ea loca. Capreol. in 1. distin. 17. quæst. 2. art. 1. conclus. 29. atque ita merito plurima recentiorum pars.

Ego tali vtor distinctione: Priuationem esse in subiecto, quando actu est generatio, & per consequens quando actu est forma, potest intelligi duobus modis. Primò, quod priuatio sit in subiecto, quasi aliqua forma, saltem animo concepta, inhærens: & permanens in eo, quæ deinde dicatur principiare generationem: sicut V. G. calor est in subiecto, quando actu principiat calefactionem. Secundò, intelligitur, quod priuatio sit in subiecto per modum recessus: quando actu est generatio; quod videl. priuatio toto anteacto tempore fuit in tali subiecto: quasi quædam forma, per quam illud erat priuatum, & in instanti, in quo iam est generatio; illa recedit. Qua distinctione posita. XLIX.

Ad quæstionem dico. Si priuatio accipiatur primo modo, per modum formæ in subiecto permanentis existentis, principiat generationem, quando non est, sed quatenus immediatè ante fuit: si autem accipiatur secundo modo, principiat generationem, quando ipsa est.

Prima pars conuincitur argumento superius primo loco confecto, quia si priuatio, vt forma denominans subiectum priuatum, esset quando actu est generatio, & per consequens quando est forma, cum in instantaneis idem sit fieri, & factum esse, euidenter sequitur, simul in eodem subiecto esse habitum, & priuationem: atque adeò eandem tam esse, & non esse. Quod ne fatuus quidem dederit.

Secunda etiam pars ex eo suadetur, quia terminus a quo, vt huius modi terminus, est eius conditionis, vt quasi incipiat transmutationem per recessum sui: ergo talis terminus est tunc in subiecto per modum recessus, quando actu incipit, & est transmutatio. Manifestum autem est, quod priuatio principiat generationem, vt terminus a quo: ergo priuatio accepta per modum recessus est in subiecto, quando est ipsa generatio, atque adeo ipsa forma.

L. Contemplare quæ dixi, in illuminatione. Tenebræ, quæ sunt priuatio, si spectentur vt quoddam permanens in aere, & quæ ipsum quasi nigredine quadam afficiunt, non sunt in aere, dum in eo ipso aere intelligitur illuminatio, alioquin idemmet aer esset & tenebricosus, & lucidus. Si autem considerentur, vt quidam recessus ab aere, profectò in eodem instanti sunt recedendo, dum accedit illuminatio, & ipsa lux. Quocirca non sequitur, vt ille aer simul sit tenebris, & luce perfusus; quia tenebræ sunt recedendo, illuminatio autem accedendo. Et totum hoc celebratur in eodem momento: vt verum sit dicere, in hoc instanti recedunt tenebræ, & in hoc eodem est lux.

Digitized by Google

LI. Quid verò non modo de priuatione, verùm de forma quoq; substantiali recedente in corruptione, & generatione, eodem modo philosophandum est. cum V. G. corrumpitur aqua, & generatur aer. Nam etiam hic fit eadem difficultas, quã supradicti auctores in priuatione vrgentur. Aut enim quando in materia est generatio aeris, est etiam in eadam materia forma aquæ, aut non est. Si dixeris prius, cum generatio aeris ex aqua sit actio instantanea, in qua idem est fieri, & factum esse, sequitur, vt in eadem materia simul cum forma aquæ, sit etiam forma aeris. Quod contradictionem inuoluit, quia duæ formæ substantiales adæquatæ actu informarent eandem numero materiam. Sin autem asseras posterius, quod scil. quando est in materia generatio aeris ex aqua, tunc non est forma aquæ, sed solùm toto tempore præcedenti fuit; ergo cum in alio anteriori instanti recesserit a materia forma aquæ, & in alio sit generatio aeris, & inter instans, & instans, necessariò intercedat tempus, cum tempus non componatur ex instantibus consequenter se habentibus, vt ostenditur in sexto Phys. cap. 1. euidenter sequitur, vt materia prima in aliquo tempore sit a parte rei sine omni forma substantiali. Quod non minus inuoluit contradictionem.

Propterea dico, quod forma præcedens aquæ LII.
potest considerari, & vt forma positiua verè existens in subiecto: & vt recessus, & terminus a quo. Priori modo non abit, quando actu est generatio, & forma aeris; benè autem posteriori, ita vt ritè asserere valeas, in hoc instanti est recessus formæ aquæ, ergo in hoc eodem instanti est accessus formæ aeris. De qua tamen re dixi in libris de Ort. & Inter. neque amplius quicquam addo de priuatione.

Et hæc sunt, quæ de primo lib. Phys. dixisse volui, quæ omnia cedant in gloriam DEI benedicti, & Deiparæ Virginis MARIÆ.

Finis quæstionum libri primi Physicorum.



COM:

Digitized by Google

COMMENTARII IOANNIS COTTVNII VERIENSIS

In secundum librum Physicorum Arist. unà cum quæstionibus.

CONNEXIO LIBRI.

1. 

Ehemens dissensio est inter expositores de continuatione præsentis libri cum præced. Philoponus in ea versatur opinione, quod Arist. cum in superiori lib. diligentissimè exposuerit cuncta, quæ ad materiam, & priuationem attinent, nunc proponat, sunt verba Philoponi, *in hoc lib. agere de forma: sed quia forma est vniuscuiusq; natura, nam vniuscuiusq; natura nihil aliud est, quàm forma ipsius, & e contra forma cuiusq; nihil aliud est, quàm natura illius, ob id tum de forma tractare velit, ab exordio huius lib. quærit, quid sit natura.* In hanc eandem sententiam iuit Simplic. Addit autem, quod Arist. ex tractatione principij formalis descendat ad causam effectricem, & finalem.

II. Eruunt hi auctores fundamentum suæ opinionis ex vlt. tex. libri superioris, vbi Stagirites, cum imposuisset finem tractationi de materia, ac priuatione, & reiecisset exactam considerationem formæ in communi ad Metaphysicum, subiungit, se in posterius demonstrandis dicturum *de formis physicis, & corruptibilibus.* Hoc igitur nunc exequitur. At, quoniam huiuscemodi formæ sunt natura, & coincidunt etiam cum causa tùm efficiente, tùm finali, vt in progressu idem aperit, propterea agit tùm de natura, tùm de causis.

Quæ sententia approbanda non est. Nam, vt reliqua prætercam, Arist. in tex. 27. huius lib. proponit non modo dicendum de forma, sed vniuersè de omnibus causis. Reddensq; huius instituti causam, non dicit, se agere de reliquis causis, propterea, quod coincidunt cum forma, sed ait, *cum hoc negotium sciendi causa sit, scire autem non prius opinamur vnumquodq;, quàm ceperimus ipsum propter quid circa vnumquodq;: hoc autem sit accipere primam causam, manifestum est, quod, & nobis hoc faciendum est.* Nec fundamentum oppositæ sententiæ quicquam euincit. Promissio enim tractandi *de formis physicis, & corruptibilibus*, adimpletur suo loco, in lib. vid. de Anim. & de animalib.

Auerr. alio pacto connectit: ait Aristotelem *intendere in hoc tractatu loqui de his, quæ sunt quasi fundamenta, & principia huius scientiæ, & ideo incipere notificare naturam, quid sit.* Quid verò hic intelligat per fundamenta & principia, altercantur eius sequaces. Pendas. contendit intelligere duo fundamenta, quæ in hoc lib. declarantur, quorum vnum est definitio Naturæ: Alterum est differentia posita ab Arist. inter Philosophum Naturalem, & Mathematicum. Burleus autem, Zabar. & quidam alij volunt, indicare principia doctrinæ, & scientiæ Naturalis. III.

At neq; hæc opinio admittenda est. Primùm, quia nullam ponit huius lib. connexionem cum præced. Deinde, quia Auerr. fuit in eo errore, vt patet in com. vlt. lib. præced. quod re uera hic secundus liber sit initium scientiæ Naturalis, vt inferius refertur. Postea, cur dicit, *quasi fundamenta, & principia*, si id intelligit de definitione naturæ, aut de principijs cognitionis? cur addit quasi? Hæc quippe absolutè sunt fundamenta, & non *quasi fundamenta*, & principia.

D. Thomas sic nectit. *Postquam Philosophus in primo lib. determinauit de principijs rerum naturalium, hic determinat de principijs scientiæ Naturalis: ea autem, quæ primo oportet cognoscere in aliqua scientia, sunt subiectum ipsius, & medium, per quod demonstrat.* Alij aliter, quorum imaginationes referre operæ precium haud est. IV.

Equidem existimo, connexionem præsentis lib. & auctoris intentionem indicari clarissimè per vlt. verba lib. præced. quæ sunt, *Rursus aliud principium capientes dicamus.* Dicamus, sumpto alio orationis, seu tractationis principio.

Pro cuius rei intelligentia reuoca in memoriam ea, quæ initio huius operis in compendio librorum V.

Physic.

Digitized by Google

Physic. & ad tex. 1. primi libri, dixi, quod principia trifariam considerari possunt. Primò, in fieri, quatenus ex ijs res fiunt: qua ratione propriè dicuntur principia. Secundò, vt sunt illa, ex quibus primis inexistentibus res constant, qua ratione syncerè appellantur elementa. Tertiò, vt sunt illa, per quæ eædem res cognoscuntur, & vocantur causæ. Secundum triplicem hunc respectum, Arist. expendit principia. Considerauit in primo lib. principia primo modo spectata, vt ipsemet in tex. vlt. confessus est, nunc docendi ratio exigit, vt ea ipsa consideret secundo modo: Hoc se ipsa facit in prima parte huius secundi libri; & quia hæc est noua consideratio, ideò ait, *rursus aliud principium capientes, dicamus*, est itaq; intentio Stagiritæ in prima parte præsentis lib. considerare principia, prout sunt elementa ea quibus primis inexistentibus res naturales constant.

Principia hoc modo sunt duo duntaxat materia,
VI. & forma, non quidem absolutè, sed pro vt sunt in re composita. Hac ratione vtraq; est natura: quare si Philosophus vult cognoscere præfata principia, debet profectò cognoscere, quid sit natura. Vnde potest rationem ita colligere. Principia, vt elementa, sunt materia, & forma, quatenus reperiuntur in re naturali composita: Materia, & forma, quæ sunt in re naturali composita, sunt natura: quare qui dicta principia vult considerare, debet considerare naturam: sic facit Arist.

Adest & alia ratio, cur Philosophus necessè habuit explicare principia hoc secũdo modo spectata, & ostendere hęc vtraq; internè, ac primò componere rem, atq; adeò vtrumq; esse naturam: quia vid. Veteres Philosophi, quemadmodum in progressu innotescet, eliminauerant formam a ratione partis internè, ac substantialiter componentis, proindeq; excluserant a consideratione naturæ. Addi potest, quod res naturales sunt, ac denominantur naturales a natura: Philosophus naturalis considerat res naturales: quare debet etiã considerare naturam, a qua res illæ censentur tales. Propterea Arist. a tex. 1. vsq; ad 16. expendit, quid sit natura, quid naturale, & quid secundũ naturam. Postea in tex. 17. adiecto veluti nouo exordio, proponit sibi dicendum de ijsdem met principijs secundum tertiam contemplationem, vt vid. sunt causæ; & sic edisserit vsq; ad tex. 75. Exinde verò vsq; in finem lib. tractat de modo operandi Naturæ. Qui quidem ordo est secundum naturam, cum res secundum naturam primò fiant, inde sunt, postea cognoscuntur, demum operantur.

Quæ si vera sunt, malè Auerr. in com. vlt. citato, & cum eo multi alij, inter quos est Zaba-
VII. ral. in lib. de constit. Naturalis scientiæ cap. 9. dicunt, initium Naturalis scientiæ re vera sumendum esse ab hoc lib. secundo, *quia nullum*, inquiunt, *est scientia Naturalis conuenientius initium, quàm a definitione subiecti, & declaratione huius nominis Natura, quæ fiunt in hoc secundo lib:* Arist. autem præposuit huic libro primum librum, *propter nostram meliorem cognitionem. Vnde liber primus præcedit hunc solum per accidens.* Hæc illi.

Qui tamen re vera non sunt assequuti admirabilem Stagiritæ ordinem in disponendis, & explicandis rebus naturalibus, quem nuper indicaui, & ante me indicauit Franc. Piccolom. Ratio autem illorum futilis est, nam longè conuenientius doctrinarum initium est, primo aperire principia subiecti, mox indagare eius definitionem, sic præstitit Eximius præceptor.

Fœdius decepti sunt Ioannes Franc. Beatus, Iacobus Sadnletus, & quidam alij, asserentes, se- VIII.
cundum librum Metaphysicorum, qui a Græcis minor primus appellatur, non esse Metaphysicum, sed pertinere ad libros Naturalis scientiæ. Et statim inuenerunt legitimum quoq; locum, in quo ille reponendus sit. Dicunt, eum esse collocandum inter primum, & secundum hunc Physicorum librum. Cui sententiæ antea adhæserat etiam Franc. Patritius, vir alioquin in Aristotelis scriptis versatus, dum tom. 1. discuss. Peripat. lib. 9. hæc scribit. *Primo itaq; loco eum locamus librum, qui Physicorum primus est: secundo loco eum, qui secundus. præposito tamen illi primo, & tertio capite minoris A. Metaphysicorum a Græcis appellati:* Quæ imaginatio absurda est. Opera viri incomparabilis Arist. non ita ad arbitratum cuiusq; sunt turbanda. At quibus argumentis hi auctores inducti, sic crediderunt? planè inanibus: ea adducit, & multis confutat Franc. Vicom. & Zabar. hoc loco: ego immorari nolo: sed Aristotelem audiam, qui sic loquitur;

TEXTVS I.



Orum, quæ sunt, alia quidem sunt natura, alia verò propter alias causas. Natura quidem sunt, & animalia, & partes ipsorum, & plantæ, & simplicia corpora, vt terra, & ignis, & aer. & aqua, hæc enim, & huiusmodi natura esse dicimus. Omnia autem, quæ dicta sunt, videntur differentia ab ijs, quæ non natura existunt: quæ enim natura sunt, omnia videntur habere in seipsis principium motus, & status, hæc quidem secundum locum, illa verò secundum augmentum, & decrementum, quædam autem secundum alterationem.

Intentio Philosophi in tribus primis contextib. est inuenire definitionem naturæ, propter causas, I.
quas in connexione adduxi. Aptissima autem via deprehendendæ definitionis est diuisio, quemadmodum discimus ex secundo Poster. cap. 10.

propte-

Digitized by Google

propterea progreditur a diuisione *eorum, quæ sunt.*
Diuisio est: Ea, quæ sunt, *alia sunt natura, alia ob alias causas*. Statim declarat, quænam
entia sint à natura, & ait, esse *animalia, & partes ipsorum, & plantas*, subaudi & partes ipsarum, *& corpora simplicia, vt terram, aquam, aerem, ignem*, itidem intellige, & partes ipsorum. Hæc autem esse a natura confirmat ex communi loquendi modo, *quia hæc, & huiusmodi alia natura esse dicimus.*
Deinde cum ait, *omnia autem &c.* adijcit di-
II. scrimen inter membra allatæ diuisionis. & ait,
quod omnia, quę a natura sunt, *videntur* (græcà
φαίνεται, apparant, quod arguit euidentiam etiam secundum sensum) *differentia* ab ijs, quæ ob aliae causas existunt, id est ab artificialibus, quòd illa habent in seipsis principium motus, & status, hæc verò huiusmodi principium non habent.
Probat priorem partem sensata inductione ex
III. omnibus rerum naturalium generibus. Vida-
mus, inquit, aliqua *moueri secundum locum*, vt animalia ambulare, volare, natare, repere: Videmus quædam alia, cuiusmodi sunt vegetabilia, moueri secundum augmentum, & decrementum, quotusquisq; enim est, qui non animaduertat, plantas ex seipsis augeri, aut diminui? Conspicimus demum alia moueri *secundum alterationem*, vt corpora simplicia, quæ qualitatibus contrarijs prædita, tùm se ipsa assiduo, tùm alia alterant, quare omnia entia naturalia habent in seipsis principium motus, & status.
Auerr. per *alterationem* intelligit tam generationem, & corruptionem, quàm alterationem
IV. propriè dictam; sed male. Quia Philosophus
hoc loco considerat *ea, quæ sunt*, non ea, quæ generantur, & corrumpuntur. Aliqui alij moueri *secundum alterationem* referunt ad animalia; ita idem Auerr. & S. Thomas, quibus adhærent alij, inter quos est Piccolom, quòd ista alterant semetipsa ob partium varietatem, veluti cor calefacit præcordia, cerebrum obtundit calorem cordis, & ita de cæteris membris. Vnde primum motionis genus, id est, *secundum locum* referunt ad elementa, sub quibus etiam continebuntur mixta, inanimata, quæ porrò mouentur a prædominante. Sed mihi expressior videtur prior interpretatio. Mixta autem inanimata, & etiam cœlum æstimo innui per illa verba, Hęc enim, *& huiusmodi, natura esse dicimus.*

TEXTVS II.



Ectus autem, & indumentum, & si quid huiusmodi aliud genus est, secundum quod quidem sortitum est prædicationem vnamquamq; & quatenus est ab arte, ne vnum quidem habet impetum mutationis innatum, quatenus autem accidit ipsis lapidea, aut terrea esse, aut mixta ex his eatenus habent.

Obijceret aliquis. Lectus, indumentum,
scamnum, idq; genus alia non sunt a natura, sed I.
artificialia. Nihilominus ipsa quoq; videntur in semetipsis continere principium sui motus, & quietis. Scamnum namq; demissum perinde descendit, ac facit saxum, aut terra, quare discrimen allatum nullum est.
Occurrit in hoc tex. Hæc artefacta gemino II.
modo spectari: Vno quidem secundum quod vnumquodq; τετύχηκε τῆς κατηγορίας, sortitum est *appellationem*, seu *denominationem*: nempe a forma artificiali, quam vnumquodq; eorum nactum est: denominatio enim, & appellatio fit a forma. Quod vlterius explicat, *& quatenus est ab arte*. Altero autem secundum quod est corpus naturale, V. G. lapideum, terreum, ligneum, aut mixtum ex his. Præfata corpora primo modo spectata non habent in se principium sui motus, aut status, & vt ipse ait, οὐδεμίαν ὁρμὴν ἔχει μεταβολῆς ἔμφυτον, *nullum habent impetum mutationis innatum*: Secundo autem modo considerata, *quatenus accidit ipsis esse lapidea, aut terrea, aut mixta ex his*, dic vno verbo, quatenus sunt corpora naturalia, *habent* principium motus, & status.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 1. & 2.

E*Orum, quæ sunt*. Per ea, quæ sunt. Auctor
non intelligit absolutè quæcunq; entia: er- III.
enim & Deus, & intelligentiæ, & materia prima *sunt*, quæ tamen hic nullo pacto comprehenduntur. Argumentum est, quod ea, quæ sunt in eodem tex. diuiduntur alia esse a natura, alia ob alias causas. Deus autem, intelligentiæ, & materia prima, neq; a natura, neq; propter alias causas existunt. Intelligit itaq; limitatè entia physica. Atq; ego existimo, Aristotelem per ea, quæ sunt, intelligere composita, atq; concreta substantialia, quorum alia quidem pendent ex natura, & causis naturalibus, alia verò ex arte
constant,

Digitized by Google

constant, & ab his veluti a nobis manifestioribus dixerim eum progredi ad inuestigationem naturæ.

Alia ob alias causas. Causę propter quas aliquid
IV. fit, aut est, vario modo ab Arist. recensentur. In primo Rhetoric. cap. 10. enumerat septem, quæ sunt, Natura, Ratio, Consuetudo, fortuna, Violentia, Ira, & Cupiditas: In duodecim, autem Metaphys. tex. 13. eas in quatuor redigit, Naturam, Artem, Fortunam, & Casum. Hoc verò loco per *alias causas*, intelligit solùmmodo artem. Et ratio est, quia omnes illæ septem causæ rediguntur ad quatuor, vt eum Arist. dixi, ad Naturam, Artem, fortunam, & casum: Quæ istorum scil. Casus, & fortuna sunt causæ per accidens, quemadmodum discimus in secundo cap. 4. & 5. relinquitur igitur, vt remaneant solum duæ causæ per se, & principales, vid. Natura, & Ars: & ideò diuisio hic adhibita est bimembris, quod alia sint a natura, alia per artem, quæ solæ sunt causæ per se. Adde, quod concreta substantialia profectò non fiunt per se, nisi ab altera istarum causarum.

Natura sunt animalia, & partes ipsorum &c.
V. Turbas excitauere hæc verba inter expositores. Difficultas est. Cur Philosophus referens animalia, addit *& partes ipsorum*, quod tamen de reliquis recensitis non facit?

Alex. Aphrod. relatu Simplicij, existimauit, adijci, *& partes ipsorum*, ad differentiam artificialium, nam partes rerum naturalium perinde sunt a natura, atq; res ipsæ totæ: Partes autem rerum artefactarum haud sunt ab arte, sed a natura; veluti tota quidem domus est ab arte; at lapidea, cæmenta, & ligna sunt a natura.

Obijcit Simplic. contra Alex. quia etiam partes rei artefactæ plerunq; sunt ab arte. Quid enim?
VI. an manus, oculi, vel nasus, V. G. statuæ, quæ sunt ipsius partes, non sunt ab arte? an cubilia, parietes, tecta, partes domus, non sunt ab arte? Postea nititur Simplic. tueri Alex. dicens, quod ille intelligit de partibus simplicibus. Profectò lapis, calx, lignum, quæ sunt partes simplices domus, neutiquam sunt ab arte. At quæuis etiam simplicissima pars rei naturalis, est a natura.

Hæc Simplicij contemplatio vera quidem est: Nihilominus neq; ipsa, neq; responsio Alexand. euacuant difficultatem: Deinde non sunt ad rem: Quod non euitent difficultatem, ex eo apparet, quia (sicut etiam vrget Pendasius, in sua textura parte 2.) si Philosophus dixisset, animalia, *& partes ipsorum* ad differentiam artificialium, debuisset etiam de plantis, & corporibus simplicibus adiungere, & partes eorum; cum hæc omnia pariter sint à natura: atque commune sit omnibus naturalibus, eorum partes esse a natura, ad differentiam artefactorum. Reddenda itaq; erat causa, cur tantum de animalibus dixerit, *& partes ipsorum*, non item de reliquis? Quod autem dictæ responsiones Alexandri, & Simplicij non faciant ad rem, hinc etiam liquet, quia Arist. nullam in dictis verbis meditatur differentiam inter naturalia, & artefacta: siquidem eam ponit in tex. 2. quod naturalia prędita sint principio motus, & quietis: quo artificialia carent: non solet autem Arist. eandem sæpius apponere crambem.

Suppetit mihi alia valida instantia aduersus eandem Alexandri, & Simplicij responsionem: VII.
Nam sicut in artificialibus non omnes eorum partes sunt ab arte, sed aliquæ accipiuntur a natura, veluti lapides, & ligna in domo, sic in naturalibus quoq; res se habet: siquidem non omnes eorum partes sunt a natura. Compertum quippè est, materiam primam esse præcipuam rerum naturalium partem, nec tamen ea est a natura, cũ potius ipsa sit natura, vt in progressu dicetur. Vt ergo artificialium materia non est ab arte. sic etiam materia rerum naturalium non est a natura: vnde allata illa differentia nulla est.

Hinc aliqui dicunt, addi, *& partes ipsorum*, non ad differentiam artificialium, quemadmodum supradicti auctores opinantur, sed ad differentiam aliarum rerum naturalium, vid. plantarum, & corporum simplicium, & differentia est hæc, non quod partes quidem animalium sint a natura, partes autem plantarum, & elementorum non sint a natura; (quippe vtræq; a natura sunt) sed quia partes horum duorum scil. elementorum, ac plantarum esse a natura, est ita manifestum, vt nulla vnquam oriri posset dubitatio partes autem animalium tam affabrè, & admirabiliter factæ sunt, vt videantur non a natura, sed ab aliqua supernaturali causa esse factæ, ideò expressit, *& partes ipsorum*. Ita Pendas. loco indicato. Cæterùm hæc non interpretatio, sed leuis imaginatio est, nullo innixa fundamento: Et vt aduersus eam rectè vrget Zabar. Totum animal excellentius quippiam est, quàm eius partes, si igitur nulla cadit suspicio: quin animalia fiant a natura, quomodo potest cadere de eorum partibus? Enimuero, si quod maiorem excellentiam præsefert, est a natura, cur non & id, quod in eodem genere minus perfectum est?

Zabar. consentit quidem, præfata verba adijci ad differentiam plantarum, & elementorum: sed IX
propter aliam rationem, quia, inquit, inter ipsum animal, & ipsius partes, est quædam dissimilitudo, & dissimilaritas, quæ quidem inter plantas, & earum partes, tùm inter elementa, & eorum partes non ita apparet. At quærendum est ab hoc homine, nonne etiam plantæ sunt dissimilares? ita docuit Stagirites cùm alibi sæpè, tùm in secundo de Anim. tex. 6. est igitur etiam inter plantas, earumq; partes dissimilitudo, & dissimilaritas, redit igitur Sysiphi saxum.

Non præterierim Piccolom. cuius expositio est, quod Arist. hic considerat res naturales cum respectu ad motum secundum naturam: proprium autem est partium animalis, vt sint præditæ aliquo prin-

quo principio proprij motus, distincti à motu totius, veluti oculi quidem in suo loco reuoluuntur, lingua autem proprio quodam motu cietur peculiari, ac distincto à motu totius corporis: Hoc competit partibus animalium, non autem competit partibus plantarum, & corporum simplicium. ideircò dic inctè eas voluit referre.

X. Ego locum hunc alio pacto intelligo. Primò existimo, nullam hic ab Stagirite intendi differentiam inter naturalia, & artificialia, (quamuis secundariò etiam hinc aliqua possit elici) nec, re ipsa hic poni; cum ea ponatur in tex. 2. Deinde assero, neque etiam poni vllam differentiam inter animalia, & plantas, atque elementa; sed intentionem Philosophi esse, solum referre ea omnia, quæ à natura sunt. Et ideò quod de animalibus asserit, id idem intelligit & de plantis, & de corporibus simplicibus. Quare, *& partes ipsorum*, refero non modo ad animalia, verùm etiam ad plantas, & elementa: & sensus est, à natura sunt animalia, & partes ipsorum, item plantæ, & partes ipsarum: tum corpora simplicia, & eorundem partes. Arist. autem compendio studens, omisit id idem repetare in posterioribus membris. Suppetit mihi luculentissimus Philosophi locus ea tertio de Cœlo tex. 5. qui hanc interpretationem omninò euincit, vbi sic leges. *Quoniam autem eorum, quæ natura dicuntur, hæc quidam sunt substantiæ, alia verò opera, & passiones horum, dico autem substantias quidem, simplicia corpora, vt ignem, & terram, & quæ sunt eiusdem cum his ordinis, & quæcunque ex his, veluti & totum Cœlum, & partes eius: & rursus animalia, & plantas, &* (vides?) *partes horum. &c:* Et lib. primo de Partib. animal. cap. 1. *Quod si homo, cæteraque animalia, & partes eorum natura constant.* Quid si Arist. verba, quæ expendimus, ita scripserit? à natura sunt animalia, & plantæ, & partes ipsorum, & corpora simplicia; scriptorum autem incuria fuerint immutata? Fortasse ita est. Verùm de his haud plura.

XI. Quærunt præterea interpr. Cur Arist. in enumeratione rerum natura constantium non referat etiam Cœlum, cum sit à natura, vt patet vel ex loco nunc indicato?

Alex. Aphrodis. vt refert Simplic. in expositione tex. 1. existimauit, non referri, nisi sola mortalia. Quæ quidem opinio falsa est, quia etiam elementa secundum se tota non sunt mortalia: quæ nihilominus ab Stagirite expressa sunt. Dicendum itaque est, in dicta enumeratione comprehendi etiam cælum, vt rectè censent Simplic. Auerr. & D. Thomas. Quis enim credat, quod Arist. ita solicitè intendat referre omnia natura constantia, vt, ne aliquid eorum videretur prætermisisse, recenseat etiam *partes ipsorum*, omittat autem cœlum? Intelligit igitur etiam cœlum: non quidem in voce *animalium*, vt plerique temerè opinantur, sed intelligit inter corpora simplicia, qui postquam enumerauit terram, ignem, aerem, aquam, subdit, *hæc enim, & huiusmodi natura esse dicimus*. Perpende, quod vox *hæc* necessariò refertur ad omnia natura constantia iam relata, cum igitur addat, & *huiusmodi*, necessariò intelligit præter hæc aliquid aliud, quod porrò nihil aliud esse potest, quàm cœlum. Consultò autem non expressit ipsum inter corpora simplicia, quoniam nondum ostenderat, cœlum esse tale corpus: ostendet autem in primo de cœlo.

Postremò scito, multas adesse differentias inter naturalia, & artefacta. Primò res denominantur artificiales extrinsecus, videl. ab arte: non enim res nuncupatur artificialis propter materiam, quam habet, aut absolutè propter substantialem suam formam, sed quia talis forma fuit ei impressa ab artifice: Res autem dicuntur naturales intrinsecè, quia habent in semetipsis naturam. XII.

Secundò, forma artificialis habet pro subiecto ens actu, forma autem naturalis habet pro subiecto ens tantum potentia.

Tertiò, forma artificialis est solummodo in superficie rei artefactæ, quocirca ars dicitur operatiua superficie tenus: forma autem naturalis vsquequaque adest in quauis parte rei informatæ.

Quartò, res artificialis non conuenit cum suo agente in esse, neque illi assimilatur secundum esse, sed tantum conuenit cum forma existente in illius mente, siue idea. Res autem naturalis conuenit cum suo agente vniuoco in esse, eique essentialiter assimilatur. *sic planta producit plantam, animal autem animal*, vt dicitur in secundo de Anim. tex. 34. Vide P. Peretium lib. septimo suæ Phys. cap. 2. qui octo huius rei differentias elegantissimè prosequutus est. Nihilominus differentia posita hic ab Aristotele, quod naturalia habent in seipsis principium motus, quo mouentur, & principium quietis quo consistunt, artificialia verò existunt experti huiuscemodi principij, est omnium maximè sensata, & apprimè Philosophi instituto deseruit: ex ea enim colliget definitionem naturæ, vnde sic loquitur.

TEXTVS III.



Anquam Natura sit principium aliquod, & causa mouendi, & quiescendi in quo est, primum, per se, & non secundum accidens. Dico autem non secundum accidens, quoniã fiet vtiq; sibi ipsi aliquis causa sanitatis, cum sit medicus, attamẽ non quatenus sanatur, medicinã habet,

sed accidit eundem medicum esse, & sanari. quapropter & separantur aliquando ab inuicem. Similiter autem & aliorum, quæ fiunt, vnumquodque: nullum enim ipsarum habet in seipso factionis principium: sed alia quidem in alijs, & ab exteriori, vt domus, & aliorum manufactorum vnumquodque; alia autem in seipsis quidem, sed non secundum seipsa, quæcunq; secundum accidens causæ fieri possunt ipsis. est igitur Natura, quod dictum est.

I. Colligit ex differentia constituta inter naturalia, & quæ sunt ob alias causas, naturæ definitionem: Et in tex. tria facit. Tradit definitionem. Explicat peculiariter quandam eius particulam, & demum ex opposito declarat adhuc eandem naturæ definitionem.

Definitionem colligit hoc syllogismo: Illud est natura, per quod naturalia differunt à non naturalibus. Hæc propositio est certa, quemadmodum etiam in libr. secundo de Anim. cap. 1. concludit, animam esse id, per quod animata discriminantur ab inanimatis: sic etiam Plato tum alibi, tum in Phædro, & in lib. 2. de legib. inuenit animam. At patefactum est in tex. 1. præced. naturalia differre à non naturalibus ea eo, quod illa quidem habeot in se principium motus, & status, hæc autem non habent: quare natura est tale principium. Et hanc illationem significat in principio tex. per illa verba, ὡς οὔσης τῆς φύσεως &c: *tanquam existente natura, principio, & causa,* &c: integra definitio sic eruitur. *Natura est principium quoddam, & causa mouendi, & quiescendi eius, in quo est, primò, per se, & non secundum accidens.*

II. Circa quam immorandum nobis tantisper est. Postò, si in omni definitione enucleanda magna diligentia adhiberi debet, vt sæpe docet Arist. propterea quod ea est principium cognitionis aliorum, profectò in definitione naturæ impendenda est quammaxima, cum ex ea pendeat cognitio vniuersæ scientiæ Naturalis, quæ sæpenumero ab Stagirite nuncupatur scientia de Natura. Itaque primò singulas eius particulas diligenter exponam, non quidem referendo varias aliorum imaginationes, sed eo sensu, quo ego explicandas puto: Postea nonnullas celebriores quæstiones, quæ in scholis agitantur, discutiam.

III. *Principium, & causa* stant loco generis: reliquæ particulæ subeunt locum differentiæ. Ante omnia non assentior Simplic. Philopono, Zabar. & alijs quam plurimis, asserentibus principium, & causam hoc loco significare idem. Primò, quia non conuenit in definitionibus contrudere nomina synonima. Secundò, quia ex quinto Metaphys. cap. 1. principium est aliquid communius, quàm causa, adeò vt *omnis causa sit principium, non autem omne principium sit causa.* Causa addit supra principium influxum realem, vt suo loco explicabo. Itaq; aliud in definitione naturæ est principium, aliud causa.

Ratio verò, cur dictæ voces geminentur, alia ab alijs excogitata est: Hæc placet quamplurimis interpretibus, quod entia naturalia sunt in duplici conditione. quædam mouentur à seipsis, cuiusmodi sunt viuentia, quædam autem solum mouentur ab alio, vt grauia, & leuia, quæ, oct. Phys. auscult. tex. 32. dicuntur *moueri à generante, vel remouente prohibens.* Quo fit, vt Natura diuerso modo sit origo, & fons motus, & quietis in his, atque in illis. In ijs, quæ seipsa mouent, Natura est principium motus, & quietis, principium, inquam, efficiens. quia illa habent tale principium in se, per quod & seipsa ad motum excitare, ac mouere, & aliquando etiam, prout lubuerit, sistere valent. In grauibus verò, & leuibus, natura non est principium, sed solum causa motus, & quietis, quia habent quidem in se causam, cur sic moueantur, quæ est leuitas, & grauitas, at non habent principium, per quod effectiuè excitent se ad motum, & seipsa moueant, aut sistant. Vt ergo Arist. hæc duo rerum naturalium genera indicaret, adiunxit *principium, & causa.*

Quæ expositio omninò falsa est. Primò, quia grauia, & leuia, remotè quidem mouentur à generante: proximè autem mouentur à suis formis, quæ re vera sunt natura, & efficiunt illorum motus, vt in quæst. de hac re ostendi. Secundò, etiam si illa opinio, quantum ad motum grauium, & leuium admittatur, malè applicat principium quidem ijs quæ seipsa mouent, causam autem applicat motis ab alio: sic enim causa est quippiam minus, quàm principium. Quod est dicto ineptum: & contra Arist. quinto Metaphys. cit. Tertiò, debuissent illi auctores considerare, quod Philosophus in tex. illo 32. indic. grauibus, & leuibus tribuit principium, idque passiuum erga motum. *Quod igitur*, inquit, *nihil horum ipsum mouet seipsum, manifestum est, sed motus habet principium non mouendi, neq; faciendi, sed patiendi.* Malè ergo isti principium tribuunt mouentibus seipsa: causam autem adscribunt motis ab alio. Non referam alias aliorum imaginationes.

Ego hanc existimo legitimam. Natura re vera est duplex: materia, scil. & forma: vt Philosophus in progressu ostendet. Vnde in tex. 4. ait, *subiectum enim quoddam, & in subiecto est Natura semper.* & tex. 10 *Vno igitur modo Natura sic dicitur, prima vnicuique subiecta materia, habentium in seipsis motus principium, & mutationis: Alio autem modo forma, & species, quæ est secundum rationem.* Has duas naturas respicit Eximius præceptor, dum in definitione Naturæ geminat illa verba. Materia alio modo est natura, alio forma. Illa est natura solum vt *principium*, non vt causa. Quid ita? quia materia de se nullam habet actiuitatem. Quæ conditio optimè accomodatur principio, quod non infert necessariò aliquam actionem: vt vides in principio magnitudinis, aut temporis, non autem potest accomodari causæ, quæ, vt indicaui, supra principium addit influxum. At forma est Natura vt *causa*, quia proprium formæ est agere: vt discimus ex secundo de ort. & int. tex. 55. IV.

Quod

Quod autem agit, causa est. Vnde non rectè facit Simplic. in Digress. ad tex. 15. dum contendit, Naturam absoluiè significare principium efficiens, in quam sententiam iuerunt postea Vicomer. Piccol. alij; sed debent distinguere de Natura: de qua tamen re in quæstionibus erit sermo.

Additur, principium, *quoddam*: Quod ne te turbet, quasi sit quædam nota particularis, ac proinde aliena a conditione definitionum, quæ vt docet Arist. in secundo Poster. cap. 8. & septimo Metaphys. tex. 52. debent esse vniuersalium, non, inquam, te turbet, quia eam notam consueuimus haud rarò adiungere ipsi generi, vt illud quasi per eam contrahamus ad differentiam: sic dicimus, homo est animal quoddam rationale.

Sequitur τοῦ κινεῖσθαι, καὶ ἠρεμεῖν *vt moueatur, & quiescat*, vid. ipsum mobile. Itaque Natura est illud principium, & causa, per quam mobile mouetur, & quiescit.

Quæ quidem verba, *vt moueatur, & quiescat*, siue motus, & quietis (malè plerique lat. codic. habent, motus, & status: quia aliud est ἠρεμία id est quies, aliud στάσις nempe status. Arist. hoc loco habet ἠρεμεῖν, quod est quiescere) non accipio disiunctiuè, vt sensus sit, natura est principium, & causa motus, aut quietis; neque appositiuè, sed intelligo re ipsa copulatiuè, ita vt Natura in vna, atque eadem re sit principium, & causa, tum motus, tum quietus.

V. Veruntamen hic duo sedulò sunt obseruanda. Vnum est, quod *motus* hoc loco ponitur communes acceptus, quatenus complectitur omnes species motus, etiam generationem, & corruptionem: vnde etiam materia prima est principium, & subiectum horum motuum. Alterum quod *quies* accipitur etiam communiter, vel pro ea, quę reuera terminat, finitque aliquem motum, qualis est quies lapidis post motum: vel pro ea, quæ est in aliquo corpore, quod licet incessanter moueatur secundum vnam rationem, tamen secundum aliam dicitur non moueri, & quiescere, vt est cœlum, quod quamuis circulo semper moueatur, nihilominus secundum se totum stat, & quiescit, de qua re in sua quæst.

In quo est, significat naturam esse principium, & causam intrinsecam ei, cuius est natura, ad differentiam quarundam artium, quæ sunt quidem causæ nonnullorum motuum in aliquibus rebus, sed extrinsecæ. V. G. ars statuaria est causa motus, ac mutationis in marmore ad figuram statuæ, promouendo, sed causa externa, cum ea sit in lapicida, motus verò & transmutatio fit in marmore. Cæterùm Natura est intrinsecum principium, & causa eius, quod mouetur, & transmutatur. sic Natura in lapide est intrinsecum principium, & causa motus deorsum, sic anima in planta est interna causa cur augeatur, in animali autem cur moueatur.

Primò, & per se. torquentur multi cum Auerr. in explanandis his vocibus, & assignanda differentia inter *primò, & per se*: Etenim ex primo Posterior. id, quod primò inest alicui, inest etiam per se: vnde in definitione Naturæ videtur altera istarum vocum, redundans atq; superflua. Hinc varia diuerticula excogitauere. Tu facilè dic. Naturam esse principium, & causam &c. *primò* nempe est principium radicale motus, & quietis; ad differentiam principij proximi eiusdem motus, quæ est potentia motiua: sic in secundo de Anim. tex. 24. anima constituta est id, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus *primò*: sic in eodem lib. tex. 16. animal dicitur constitui per sensum *primò*, sic alibi sæpe. *Per se* autem adiungitur propter illa, quæ se habent ex accidente, vt medicina in medico se ipsum sanante, de qua re mox Arist. dicet.

Demum adiungit, *& non secundum accidens*. Quæ verba iuxta communem interpr. expositionem, non sunt pars definitionis distincta, sed explicatiua eius, quod dictum est, *per se*: consueuit Philosophus præfata verba tanquam declaratiua appendere definitionibus: vt V.G. in quarto Phys. tex 42. definiens locum asserit superficiem vltimã, corporis ambientis, immobilem, primò, per se, & *non secundum accidens*. Atque id in causa est cur Philosophus, cum alibi refert Naturæ definitionem, nusquam addit ea verba, *& non secundum accidens*. VI.

Addo præterea, illa verba, hic vbi ea institutio expenditur Natura, non esse inutiliter adiecta, sed magna cum ratione, quæ est, quia id, quod est per se habet sibi multa opposita. Opponuntur enim ei, tum illud, quod dicimus per accidens, vt musicus ædificat: tum illud, quod dicimus per aliud. Itaq; Philosophus adiecit, *& non secundum accidens*. vt ostenderet, se non accipere illud *per se*, quatenus contra distinguitur ab eo, quod est per aliud. sed quatenus contradistinguitur ab eo, quod est per accidens, quia aliqua Natura mouet per aliud, veluti anima mouet corpus per neruos, & musculos: at nulla Natura mouet per accidens, neque vnquam Natura est causa motus per accidens.

Posset aliquis dubitare de arte medendi, quæ est in medico se ipsum sanante: cui videntur competere omnes conditiones positæ in definitione Naturæ. Ea namque est principium, & causa sanationis, quæ est tum quidam motus, tum etiam quies, quæ est in sanitate adepta: at, in quo est &c. ergo tradita Naturæ definitio est vitiosa, cum competat alij a definito. VII.

Quam difficultatem proponit Arist. & soluit in secunda parte tex. *dico autem non secundum accidens, quoniam fiet vtique sibi ipsi aliquis causa sanitatis*. Occurrit, quod medicina illa in tali medico est causa solum per accidens illius sanationis. Quod ita probat. Illa, quæ ab inuicem separantur, sunt accidentaliter coniuncta, sicut e contra illa, quæ per se sunt coniuncta, nullo modo possunt seiungi. Esse medicum, & sanari separantur ab inuicem: Hem miserrimi essent omnes medici, si sanatio ab ipsis non posset separari.

Ex hac responsione infert, *similiter autem, & aliorum, quæ sunt vnumquodq;* rem consimili modo se habere in alijs artificiosis, *nullum enim ipsorum habet in seipso factionis principium*. Sed tale principium est extrinsecum, vt principium domus est ædificator, & statuæ statuarius; & si aliquando huiusmodi principium est in ipsis, tunc est per accidens, vt de medico dictum est. Hinc veluti ex opposito colligit, quod sola naturalia sint prædita interno principio motus, ac proinde *Natura est id, quod dictum est*.

Essent nobis hoc loco multæ, eæq; celebresquæstiones discutiendæ circa hanc Naturæ definitionem, & Naturam ipsam; quas tamen, ne textuum seriem interturbem, reijciam ad finem præsentis capitis, quare est.

TEXTVS IV.



Aturam autem habent, quæcunq; huiusmodi habent principium, & sunt hæc omnia substantia. Subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper.

Explicata per defi-
I. nitionem natura, explicanda veniunt ea, quæ ex affinitate naturæ dependent, & sunt tria, Habens naturam: Naturà, siue a natura: & secundum naturam. Primùm dilucidat in hoc tex. reliqua duo in tex. sequ.

Ait itaq; ea dicuntur *habere naturam*, quæcunq; prædita sunt huiusmodi principio, quale nimirum diximus esse naturam. Assertio ratio manifesta est, quia, quæcunq; includunt aliquam definitionem, ea includunt istius definitum. Habentia principium *huiusmodi*, idest motus, & quietis, *primò per se, & non secundum accidens* includunt naturæ definitionem, quare includunt naturam: & sic dicuntur habere naturam.

Subdit, *& sunt hæc omnia substantia*. Ante
II. omnia caue, ne hæc verba, *& sunt hæc omnia*, referas ad materiam, & formam, vt nonnulli faciunt cum Auerr. qui dicunt *habentia naturam* esse materiam, & formam: sed malè dicunt. Nam si materia, & forma, ipsæ sunt natura, quomodo dicentur habere naturam? haberent enim seipsas. Deinde in principio tex. seq. Arist. ait, habentia naturam *esse secundum naturam*: At quis vnquam dicet, materiam, aut formam esse secundum naturam, cum materia, & forma sint natura ipsa? Nomine igitur habentium naturam, intelligo composita, Hæc sunt substantia, vid. composita, & completa, quæ per se subsistit, & propriè, atq; absolutè dicitur substantia: Nam etiam materia, & forma sunt vtq; substantia, sed incompleta.

Iam verò omnia naturam habentia esse huiusmodi substantiam compositam, & completam probat Arist. *subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper*. Sic strue: Omne quod constat ex subiecto, & propria subiecti forma, est substantia composita, & completa: Omne habens naturam, constat ex subiecto, & propria subiecti forma, quare omne habens naturam, est substantia composita, & completa. Huius argumenti sola probatio minoris est in illis verbis: quod *natura semper*, idest, *omnis natura est subiectum, vel in subiecto*: ergo omne habens naturam, proculdubio constabit ex subiecto, & ex propria eius forma, quæ est in subiecto. Quod perinde est, ac dicere, constat ex materia, & forma. Pergit.

TEXTVS V.



Ecundum autem Naturam sūt, & hæc, & quæcunq; his insunt secundum se, vt igni ferri sursum. hoc enim natura quidem non est, neq; habet naturam, sed a natura, & secundum naturam est. Quid igitur est natura, dictum est, & quid quod a natura, & secundum naturam.

Secundum naturam, inquit, est quid commu- I.
nius, quàm habere naturam, siquidem secundum naturam sunt, & hæc, idest habentia naturam, de quibus in tex. præced. & præterea secundum naturam sunt omnes affectiones, quæ per se insunt habentibus naturam. Quippe huiusmodi affectiones non sunt φύσει natura. At neq; dicuntur habere naturam, cum habens naturam sit substantia, quod affectionibus non competit; sed dicuntur esse secundum naturam, *vt ferri sursum in igne, non est natura, neq; habet naturam, sed est illi secundum naturam*: Ita ferri deorsum est terræ secundum naturam, quoniam istæ affectiones oriuntur a principijs constitutiuis ignis, & terræ. Eodem pacto secundum naturam est homini, esse aptum ad risum, hoc enim est homini φύσει, καὶ κατὰ φύσιν, natura, & secundum naturam.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 4. & 5.

PRimò, Arist. videtur inuertere rectum ordinem a se constitutum cum sæpe alibi, tum in II.
proœmio huius operis, quod a communiori ducendum

Digitized by Google

erendum sit initium ? At communius quippiam est, vt nuper diximus, esse secundum naturam, quàm habere naturam, quare illud debuit exponi prius, postea hoc: contra quàm facit Arist.

Respond. Commune multifariam dicitur, sed quantum ad præsens attinet, commune, seu communius duplex est. Vnum quidem secundum rem, & est illud, quod verè est aliquid superius, proindeq; simplicius: sic animal est communius respectu hominis, & equi. Aliud vocatur communius, quia habet plura significata. Quando est communius primo modo, vtiq; ab eo incipiendum est; non autem, cum est secundi gradus. Tale communius, idest secundi gradus est esse *secundum naturam*. Nam esse secundum naturam continet hæc duo significata. Primò habentia naturam, dicuntur esse secundum naturam, quatenus sunt a natura, & secundum cursum, atq; regulas naturæ, quemadmodum inferius explicabo, secundò dicuntur secundum naturam ipsæ affectiones, & vt Philosophus loquitur, *quæcunq; his insunt per se*. Et tunc non est necesse, vt ab huiusmodi communiori expediatur initium. Adest & alia ratio, quia esse secundum naturam oritur ex eo, quod est habere naturam, sicut de se manifestum est; propterea primo debuit explicari habens naturam, postea explicari id, quod est secundum naturam.

Secundò dubitat cum Simplic. Aristoteles vi-
III. detur committere circulum argumentationis; siquidem in tex 4. a compositis, & habentibus naturam processit ad describendam, ac definiendam naturam: nunc autem e contra, a natura describit, atq; definit composita, & habentia naturam; ergo &c.

Respond. 1. non esse circulum, sed regressum, qui in scientijs frequenter vsurpatur: vt alio loco exposui. Dico 2. Alio fine fuisse posita, & descripta composita, & habentia naturam in tex. 1. alio autem poni, & describi hoc loco. Ibi relata fuit, vt haberemus discrimen inter naturalia, & ea, quæ existunt ob alias causas; hic autem referuntur, vt scientificè comprehendamus, quæ sunt, & quid sunt ea, quæ habent naturam, & omninò quæ a natura deriuantur.

Tertiò, dub. Arist. in Prædic. substantiæ consti-
IV. tuit hanc substantiæ proprietatem, quod *commune est omni substantiæ in subiecto non esse*. Hic autem ait naturam, quæ porrò substantia est, *esse in subiecto*; sibi itaq; repugnat.

Occurrit Alex. quod Philosophus in Categ substantiæ loquutus est de substantia completa: cui proprium est in subiecto non esse, cum per se subsistat, & reliqua omnia sustineat. Hic autem loquitur de substantia simplici, & incompleta, cuiusmodi est forma, & hanc ait esse in subiecto. Occurrit 2. Simplic. Aristotelem alio modo vsurpare hic *esse in subiecto*, ac in Prædic. ibi namq; esse in subiecto accipit ita esse in eo, vt non sit eius pars; & hoc est proprium accidentium: Hoc autem loco dicitur esse in subiecto, vt sit etiam pars eius. Tu dic: esse in subiecto per inhæsionem in nullam cadit substantiam: esse verò in subiecto per informationem substantialem conuenit formæ, quæ est natura, de qua etiam dixi supra in Disput. de Principio formali.

Quartò, quæritur. Vtrumne sit idem, aliquid esse a Natura, & esse secundum naturam. Vna quidem ex parte Arist. videtur asserere esse idem, nam in tex. 5. de latione ignis sursum concludit, quod hoc non est φύσις natura, neq; habet naturam, *sed* φύσει, dic in casu ablat. *natura*: siue a natura: *καὶ κατὰ φύσιν ἐστίν. & secundum naturam est*. Ex alia verò non videntur esse idem, quemadmodum aliud est aliquid esse ab arte, aliud secundum artem; quandoquidem errata artis, siue artificis, sunt ab arte, at non sunt secundum artem, cum non sint secundum præcepta, ac regulas artis. Sic in natura, eius defectus, ac monstra sunt a natura, non autem secundum naturam. hinc rectè Simplic. & Themist. aiunt, quod esse aliquid φύσει, *natura*, est communius quippiam, quàm secundum naturam. Quæ si vera sunt, cur Arist. non ea secreuit?

Respond. esse φύσει, natura, seu a natura, & esse
secundum naturam, similiter esse ab arte, & secun- V.
dum arte, partim differunt, partim non. Non differunt in ijs, quæ sunt per se, differunt verò in ijs, quæ ex accidente in natura, & arte eueniunt. Dupliciter aliquis effectus potest a natura, & similiter ab arte prodire. Vno quidem modo, seruatis legibus, ac regulis naturæ, & artis: & tunc effectus, qui a natura, & arte proficiscuntur, dicitur etiam esse secundum naturam, & secundum artem. Alio autem modo non seruatis naturæ legibus, & præceptis, & eodem pacto non obseruatis regulis artis, quemadmodum cum medicus præscribendo pharmacum errat, & interficit ægrum; & grammaticus peccat in scribendo; & tunc effectus, seu potius deffectus sunt quidem ab arte, & ita etiam a natura; at non sunt secundum artem: quia ars V. G. medendi per se præcipit rectè: & intendit sanitatem, non mortem, ita neq; sunt secundum naturam, cum natura secundum se agat rectè, & *semper intendat id, quod melius est, si fieri potest*, vt loquitur Arist. oct. Physic. tex. 56.

Quod itaq; ars in hoc artifice, & natura in hoc indiuiduo præpedita, deficiat, id est omninò per accidens. Quo fit, vt loquendo per se, omne quod est φύσει natura, siue a natura, sit etiam secundum naturam, & omne quod est ab arte, sit etiam secundum artem: per accidens autem variantur. Cum itaq; esse a natura, & esse secundum naturam solum differant secundum accidens, conueniant verò in ijs, quæ sunt per se, iure optimo Arist. neglexit ponere discrimen inter ea, quia scientificus non tenetur considerare ea, quæ sunt per accidens. Hinc concludit in calce tex. dictum esse, *quid est natura, quid a natura, & secundum naturam*.

TEXTVS

TEXTVS VI.



Vod autem sit Natura tentare demonstrare ridiculum est. manifestum enim est, quod huiusmodi entia sunt multa: demonstrare autem manifesta per immanifesta non potentis iudicare est, quod per se ipsum, & non per se ipsum notum est. Quod autem contingat, hoc pati, non immanifestum est. syllogizare enim quis possit de coloribus, cum à natiuitate sit cæcus: quare necesse est talibus de nominibus esse sermonem, nihil autem intelligere.

I. Posset quispiam obijcere Aristoteli. In tractandis rebus primò ostendi debet, quod res sit, postea quid sit, vt vel ex ipso in principio lib. secundi Poster. habemus: nunc autem explicuisti quid sit natura, non præostenso, quod ea sit, ergò malè.

Occurrit Arist. & in tex. duo facit. Primò reddit rationem, cur quæstio, an natura sit, non debuerit præcedere. Secundò, rem illustrat exemplo.

Ait itaque, se non debuisse præostendere, naturam esse, quia πειρᾶσθαι δεικνύναι *conari ostendere naturam esse, est ridiculum*. Quid ita? quia in rerum ordine Naturam esse, est per se notum, atque dilucidum. Hoc probat, *Manifestum enim est, quod huiusmodi entia sunt multa*. Compertum est per sensum (oculis quippe nostris id cernitur) esse multa entia, quæ à semetipsis tum mouentur, tum quiescunt: ac proinde habent in se ipsis principium talis motus, & quietis. Sed natura nihil aliud est, quàm eiusmodi principium. quare per sensum est manifestum, esse naturam: ideircò deridiculum, ac stultum est, *conari*, atque eniti per discursus, & rationes ostendere, eam esse. Et propterea, quicumque id faceret, is porrò deficeret mente: Cum enim hoc, quod est nobis manifestum per sensum, sit magis manifestum, quocunque alio ostenso per discursus, & rationes (quid enim esse potest manifestius rebus, quas ipsi nobis subijcimus oculis, ac sentimus, profectò ille *niteretur ostendere manifesta per immanifesta*. quod est proprium eius, qui non potest iudicare id, quod per se ipsum, & non per se ipsum notum est; videl. est eorum proprium, qui habent orbatam vim intellectus, ideoque diiudicare, ac discernere res per se notas a rebus per se non notis haud queunt.

II. Miraretur fortasse quispiam, quod posset talis homo reperiri. Ideo Arist. subdit. *Quod autem contingat hoc pati &c*: Manifestum, inquit, est, quod potest aliquis ita esse affectus, qui per discursus contendat suadere ea, quæ per se, & secundum sensum existunt falsa: sed hic esset deridendus: Quemadmodum si quispiam à natiuitate cæcus, conaretur mihi, aut tibi per discursus, & syllogismos ostendere, quod in hac rerum vniuersitate dantur colores, quos esse, & existere, nos absque vllo discursu, sed sensu ipso cernimus, nonne deridiculus esset & manifesta per immanifesta ostendere conaretur? & propterea ille cæcus syllogizaretur, & disputaret solum de nominibus colorum) colores autem ipsos non intelligeret? quare subdit Arist. *necesse est talibus de nominibus esse sermonem, nihil autem intelligere*. Sic in proposito dicendum est de eo, qui in rerum ordine esse Naturam ostendere conaretur.

Circa hunc tex. nonnulli multa miscent, sed præter rationem. Nam ea, quæ hic dicit Arist. posita nostra expositione, cui non videntur manifesta, hic certè cæcus est. Nihilominus etiam dixi in quæst. 1. sect. 2. ad hoc caput. An possit demonstrari aliquo modo, Naturam esse, quæ hic repetenda haud sunt. quare me vocat. III.

TEXTVS VII.



Idetur autem nonnullis Natura, & substantia eorum, quæ natura sunt, esse, quod primum inest vnicuiq; non formatum per se ipsum, vt lecti natura lignum, statuæ autem æs. signum autem dixit Antiphon, quoniam si aliquis defoderit lectum, & accipiat potentiam putredo, vt fit germen, non vtique fieri lectum. sed lignum: tanquam quod secundum accidens est, esse dispositionem secundum legem, & artem. substantiam autem esse illam, quæ etiam permanet, hæc patiens continuè.

Hosce contex. alij alio, atque alio modo introducunt: Equidem cum Simplic. sic necto. Definiuit, & explicauit Arist. quid sit Natura, & quæ ab ea trahunt originem, vt habens naturam, à natura, & secundum naturam: nunc animus illi est, explicare partes naturæ iam definitæ: quæ sunt materia, & forma: Omninò autem necesse habuit hoc facere, quia Veteres circa hoc errarunt grauiter, existimantes, solam materiam esse Naturam: formam verò à ratione Naturæ excluserunt. Ideircò Philosophus vult considerare, vtrumne sola materia sit Natura; an verò etiam forma? Et vtra istarum sit magis natura? Propterea statim inducit illorum opinionem. Et ait, *Nonnullis* nempe Veteribus visum est, quod Natura, & substantia, id est essentia rerum naturalium, sit illud, quod primum inest vnicuique rei, & est ἀρρύθμιστον καθ' ἑαυτό, *inconcinnum* siue *informe*: *secundum se*. Dic clarè: Natura, & substantia rei secundum I.

opinio-

Digitized by Google

opinionem Veterum est materia, quæ per se est informis, ex qua primò res fit, & constituitur. *vt lecti natura est lignum, statuæ autem æs.*

II. Quæ quidem Veterum asseueratio duob. argumentis probabatur, quæ in secunda parte huius tex. concisè ab Stagirite tanguntur. Tanguntur autem, quòd ea tempestate erant communia. Primum sic formo. Illud est Natura, & substantia cuiuscunque rei, quod existit eidem principium generationis, & constitutionis. Sola materia, ex qua primum res fit, & constituitur, est tale principium, non autem forma, quare sola materia est natura, & substantia rei; forma autem non item. Prima propositio est certa: & coincidit etiam cum definitione Naturæ tradita ab Aristotele. Secunda autem propositio probatur à signo accepto à rebus artificialibus, quod adduxit Antiphon Sophista. Si fiat V.G. lectus ex tali ligno viridi, quod implantatum possit germinare: & ille lectus defodiatur in terra, & concipiat putredinem, ac germinet: profectò non producet alium lectum, sed lignum, seu plantam. ergo cum simile producatur à simili, illa germinatio prouenit à ligno, non autem à figura: At in lecto lignum est materia, figura autem est forma, ergo sola materia ibi est principium generationis, & constitutionis, non autem forma.

III. Secundum argumentum indicatur ibi *tanquam quod secundum accidens &c*: Illud est natura, & substantia rei, quod est per se, & permanens: At sola materia est talis, non autem forma, quare sola illa, non autem hæc erit Natura. Maior videtur conspicua, quia Natura, & substantia rerum debet esse eadem semper. Minor etiam videtur clara, quia forma, & figura est secundum accidens, & est quædam dispositio, quæ fit secundum præcepta, & artem. Deinde cum ait.

TEXTVS VIII. & IX.



I autem & horum vnumquodque ad aliud aliquid idem hoc passum est, (vt æs quidem, & aurum ad aquam, ossa autem, & ligna ad terram, similiter autem & aliorum quodlibet) illa naturam esse, & substantiam ipsorum. Quocirca sanè hi quidem terram, alij verò ignem, alij aerem dicunt, quidam autem aquam, quidam verò quædam horum, quidam autem omnia hæc naturam esse eorum, quæ sunt. quod enim aliquis ipsorum existimauit huiusmodi, siue vnum, siue plura, hoc, & tot dixit esse substantiam: alia autem omnia passio-

I. *nes istorum, & habitus, & dispositiones.*

In his duobus contexx. duo facit. Primùm declarat, quomodo antiqui illi exempla in tex. præced. indicata, accepta ex rebus artificialibus, applicabant rebus naturalibus. Deinde in tex. 9. refert, quod ijdem Veteres Philosophi sicut censebant de principijs rerum, ita etiam de Natura philosophabantur.

Quantum ad primum ait, *εἰ δὲ καὶ τούτων ἕκαστον.* II.
si autem vnumquodq; horum, id est, vnumquodq; eorum, quæ in tex. præced. pro exemplis adduxi, lignum, inquam, & æs, *idem hoc passum est ad aliud aliquod*, ita est affectum, siue ita se habet ad aliquid aliud: At quomodo hæc se habent ad aliquid aliud? sic. Quemadmodum in statua sunt duo, æs, & figura: sic in ære, aut in auro sunt eadem duo, materia, & forma: Materia æris, & auri censetur aqua: cum omnia metalla vtpote liquefactibilia resoluantur in aquam, quocirca etiam à Platone in Timæo metalla numerantur inter species aquæ: ossium autem, & lignorum materia est terra: ita de reliquis omnibus est dicendum: Deinde est in ijsdem forma æris, aut auri &c: Quamobrem applicatio hoc pacto colligi potest. Sicut se habet æs in statua, & lignum in lecto, sic aqua in ære, aut in auro, & terra in osse, & ligno, quia sicut æs, & lignum sunt materia statuæ, & lecti, sic aqua est materia æris, & auri, & terra est itidem materia ossis, & ligni. Sed natura, & substantia statuæ, & lecti, est solum æs, & lignum, nimirum sola materia, non autem forma, vt in tex. præced. ostensum est. quare etiam in ære, in auro, in osse, in ligno, *similiter autem & in alijs quibuslibet*, quæ sunt entia naturalia, forma autem erit solummodo quædam *passio eorum, & habitus, & dispositio*, vt adijcitur in calce tex. seq.

Hinc in tex. 9. colligit, quod ideo prisci Philo- III.
sophi alij naturam, & substantiam rerum dixerunt esse terram, vt Hesiod. poeta, & Pherecydes quemadmodum legimus in primo Metaphys. cap 3 alij ignem, vt Heraclitus; alij aerem, vt Diogenes Apolloniates; alij aquam, vt Thales Miles. quidam aliqua istorum, vt Parmenides ignem & terram, sicut dicitur in tex. 41. lib. primi Physic. alij demum cuncta hæc, vt Empedocles, qui pro principio materiali posuit omnia quatuor elementa. *Quod enim aliquis ipsorum existimauit huiusmodi, siue vnum, siue plura, hoc, & tot dixit esse omnem substantiam.* Quod quisque Veterum Philosophorum constituit pro materia, siue illud poneret vnum, siue plura, id idem etiam, & tot aiebat esse omnem substantiam id est naturam rerum. *Alia autem* omnia *esse passiones* istorum, *& habitus, & dispositiones.* esse accidentia istorum materialium principiorum, siue fixa, atque hærentia, vt passiones, siue difficulter mobilia, vt habitus, siue demum facile mobilia, vt dispositio.

TEXTVS

Digitized by Google

TEXTVS X.



T horum quidem quodlibet esse perpetuum: non enim esse mutationem ipsis ex seipsis, alia autem fieri, & corrumpi infinities. Vno igitur modo natura sic dicitur, prima vnicuique subiecta materia, habentium in se ipsis motus principium, & mutationis. Alio autem modo forma, & species, quæ secundum rationem.

I. Sequitur in prim. part. huius tex. explicare Veterum opinionem. Deinde cum ait, *Vno igitur modo, &c:* concludit, quid re ipsa sentiendum sit de materia: & indicat, in quonam Veteres defecerunt.

Ait, *& horum quidem quodlibet esse perpetuum.* Et propterea asseuerabant, quodlibet eorum principiorum materialium, ab ijs pro materia, ac natura constitutorum, esse incorruptibile, atque æternum, quia cum omne, quod fit, fiat ex aliqua præiacente materia: & illud non præsupponeret aliam materiam, nequaquam poterat ex alio fieri: neq; etiam fieri posset ex se ipso, *non enim illis principijs esset mutatio ex se ipsis*, ideircò illud esset generationis, & corruptionis expers, atque æternum: alia verò infinities fierent, & corrumperentur; propterea, quod infinities hæ, aut illæ passiones, habitus, & dispositiones afficerent materiam illam. V. G. qui aquam constituebant pro materia rerum, ac proinde pro natura earundem, asserebant, aquam nunquam corrumpi, sed remanere in omnibus rebus: fieri autem, & corrumpi æs, lignum, plantam, equum, hominem, idque infinities per circulum reuerti.

Postremò concludit. *Vno igitur modo Natura sic dicitur; prima vnicuique subiecta materia, habentium in se ipsis principium motus, & mutationis.*

II. Ex huc usque habitis collige. Veteres Philosophos duo in re proposita protulisse. Vnum, quod materia est natura, & substantia rerum naturalium: Alterum, quod formæ earundem rerum nihil aliud essent, quàm passiones, habitus, & dispositiones materiæ, & omninò essent accidentia, quæ successiuè in ea orirentur, ac interirent: & per consequens, quod forma nullius rei esset natura, atq; substantia. Aristoteles approbat primum eorum dictum. Verissimum etenim est, materiam esse naturam, & essentiam rerum naturalium: tum quia est principium, ex quo essentialiter res naturales constituuntur: tum quia est principium essentiale generationis earundem rerum. Secundum autem dictum, quod scil. sola materia est natura, & essentia rei naturalis, non autem forma, inficiatur, ac reijcit: Et firmiter asseuerat, etiam formam esse naturam. Atque hęc duo exprimit Arist. in secunda parte tex. Exprimit prius, dum ait, *Vno igitur modo &c.* Vno, inquit, modo vtique natura est ipsa materia prima, vt Veteres opinati sunt, quæ est subiecta vnicuique eorum, quæ habent in se ipsis principium motus, & mutationis. Cæterùm præter hanc est etiam alia natura, id est forma: propterea subdit, *Alio autem modo forma, & species, quæ est secundum rationem.*

Adnotationes, & difficultates circa tex. 7. 8. 9. & 10.

Circa illa verba tex. 7. quod natura, & substantia rerum naturalium sit id, *quod primum inest vnicuique non formatum per se ipsum*, est difficultas, quid Auctor per hæc intelligat? Principio certum est, intelligere materiam: Cæterum cum materia sit duplex, vt idemmet Philosophus explicat in quinto Metaphys. cap. 4. hæc quidem absoluté prima: hæc autem prima solum respectiuè, quamuis absoluté non sit prima, quia potest in aliam vlteriorem resolui. V G lignum est materia lecti: vnde etiam respectu lecti est quid informé, attamen absoluté non est prima, cum possit in vlteriorem resolui, vnde etiam dicitur materia secunda. Quo posito, dissidium est inter expositores, quamnam materiam Stagirites in dictis verbis intelligat? Simplic. & Auerr. opinantur, eum intelligere materiam absoluté primam: Franc. autem Vicomerc. & recentiores nonnulli ex aduerso contendunt, intelligere secundam, ac proximam. III

Prior sententia innititur verbis Philosophi, qui materiam, de qua verba facit, appellat *primum, non formatum per se ipsum:* Quod portò non nisi materiæ absoluté primæ conuenit: cum materia proxima neque primum sit, neque per se ipsam informe. Deinde, eam materiam in præsenti denotat, de qua postea colligit conclusionem. Atqui in tex. 10. colligit conclusionem de materia absoluté prima, non verò de materia secunda. ergo &c.

Posterior autem opinio pro se expendit Stagiritæ exempla, quæ subijcit in tex. 7. videl. *vt lecti natura lignum, statuæ autem æs.* quibus quidem verbis, conspicuè innuit, materiam non simpliciter primam, sed respectiuè; quandoquidem lignum, & æs, non sunt absoluté materia, sed lecti, & statuæ. Præterea, si intelligeret materiam absoluté primam, cum hæc sit omnium rerum vna, sequitur, naturam etiam rerum omnium esse vnam: Hoc autem dicendum non est, quia alia est natura ligni, alia equi.

Ego dicendum existimo, Aristotelem hic per illud *primum non formatum &c:* neque intelligere solam materiam absoluté primam, quemadmodum prima sententia contendit; At neque rursus intelligere solam materiam proximam, vt secunda opinio postulabat, sed abstrahere ab vtraque, & indicare IV.

dicare omne id, quod stat loco materiæ, siue illud sit verè, ac propriè materia prima, quemadmodum ab Stagirite constituitur in tex. 82. lib. primi. primum subiectum vniuscuiusque, siue sit aliquod compositum, sicuti Veteres inuexerant materiam, veluti aquam, aerem, ignem &c: seu denique sit aliquod compositum in se completum, sed tamen respectu alterius sit primum, & nihil habeat ex forma, & conditione illius, cuiusmodi est lignum respectu lecti, aut scamni: lignum etenim est primum, ex quo artefacta illa conficiuntur, nec quicquam habet formæ, aut lecti, aut scamni.

Quam quidem expositionem multis argumentis confirmare possem: nihilominus pro ea duo duntaxat expendo, quæ in hisce contexx. continentur. Vnum est, quod Aristoteles hoc *primum*, non vocat, *non formatum*, siue *informe*, vt latinæ translationes habent: Informe namque græcè est ἄμορφον, verùm vtitur voce mirabili ἀῤῥύθμιστον, quasi dicas sine rhythmo, siue expers rhythmi: ῥυθμὸς rhythmus autem pollet consonantia, elegantia, ornatus, is præsertim, qui in prosa oratione insidet. Hinc in lib. tertio Rethor. iubemur, in pedestri oratione adhibere quidem rhythmum, euitare autem metrum. Est igitur, iuxta hanc significationem, ἀῤῥύθμιστον quasi inconcinnum, inelegans, inornatum, incompomque. Hoc autem est quid commune ad omnem omninò materiam, tam primam absolutè, quàm proximam. Icircò existimo Arist. omnem hanc intelligere in dictis verbis.

Præterea scito, quod ῥυθμὸς rhythmus ionice alia idem significat, atque τύπος, typus. Typus autem est modus, siue impressio. Budæus in Com. lingu. Græc. ex Cicerone vocauit formam, sed impropriissimè. *Forma*, inquit, *est, quam τύπον illi dicunt, ex qua exprimuntur simulacra. Cicer. in Epist. Quod ad me quasi formam communium temporum totius Reip. misisti expressam.* Iuxta quam originem, ἀῤῥύθμιστον est sine modo, sine impressione: Hoc autem æquè cadit in omnem materiam, tam primam, quàm secundam. quare Aristoteles ex industria vsus est hac voce recondita, vt vtramque materiam amplecteretur.

V. Nota præterea, quod quamuis Philosophus in ea propositione materiam accipiat in tam ampla significatione, vt nunc dixi, nihilominus, dum in tex. 10. concludit, quænam materia censeuda sit natura, restringit ad solam veram materiam primam. Hoc autem non temerè, sed ex arte facit. Nam materiæ à Veteribus illis positæ pro natura, secundum veritatem non erant Natura. sed potius habebant naturam. Etenim materiæ ab ijs constitutæ erant elementa: quæ procul dubio sunt quædam composita: Composita verò, vt discimus ex tex. 12. *natura quidem non sunt, sed habent naturam*. Ita materia artefactorum propriè haud est natura, sed ita nuncupatur per quandam similitudinem: materia autem verè prima, est verè natura, & propterea de ista concludit. Quam quidem veritatem vt exprimat, adiungit, *prima*, inquiens, *Vno igitur modo Natura sic dicitur: prima vnicuique subiecta materia &c*: quam vocem, *prima*, nunquam posuit in textibus præced. Hinc etiam patet, quid dicendum sit ad argumenta adducta pro vtraque illa opinione.

In eod. contex. habet: *tanquam quod secundum accidens est, esse dispositionem secundum legem, & artem*. Malè hic κατὰ νόμον vertitur *secundum legem*. Quorsum huc inuduttur lex, vbi de artefactis est oratio? sed νόμος, nunc significat morem; seu consuetudinem, in qua quidem acceptione adagio dicimus, νόμος, καὶ χώρα, *Mos, seu consuetudo, & regio*. Sensus itaque verborum Aristotelis est, quod forma lecti est quædam accidentaria dispositio, quæ variatur secundum artem, & morem, ac consuetudinem huius, aut illius gentis, ac regionis. Natura verò, & substantia rerum debet esse constans, ac permanens, ταῦτα πάσχουσα συνεχῶς, *quæ hac patiatur continuè*, quæ videl. in perpetuum patiatur suscipiendo modo has, modo illas passiones, habitus, & dispositiones. VI.

In eod. tex. continere videtur quædam contradictio. Primò ait, *naturam lecti esse lignum*: deinde subnectit, quod si lectus defodiatur, ita vt lignum putrescat, non prodire lectum, sed germen: Natura igitur, quæ dicta fuit lignum, putrescit, ac corrumpitur. Ex alia autem parte decernit, naturam debere eandem permanere: & in tex. 10. eoàm ex communi Veterum sensu ait, *eam esse perpetuam*: alia autem fieri, ac interire infinities.

Occurrendum est, quod cum ait, si lignum defossum accipiat putredinem, & germinet, non significat, iuxta Antiphontis opinionem, cuius erat hoc exemplum, lignum corrumpi substantialiter; sed potius hac ratione permanere, & propterea etiam producere aliud lignum: corrumpi autem formam lecti: vnde nulla est in tex. repugnantia.

Expende præterea in eodem tex. mirabilem Auctoris locutionem, καὶ λάβοι δύναμιν ἡ σηπεδὼν, *& accipiat potentiam putredo*. Putredo gemina spectari potest. Vna quidem, quæ tollit, ac destruit vim, ac potentiam rei putridæ: nempe corrumpit id, in qua concepta est: veluti poma V. G. dum putrescunt, & omninò corrumpuntur. Alia autem est posita in quodam spiritu humoris putridi, quæ proportione quadam respondet geniturae, & semini, & hæc reddit materiam fæcundam, cum excitet prolificam eius vim, vt ex ea generari possint etiam animalia, vt gentia ex putri, de qua re multa in quarto Meteor. Hæc putredo dicitur concipere potentiam, id est generandi, VII.

R r &

& de hac loquitur hic Arist. ideoque ait, *& accipiat potentiam putredo.*

VIII. In tex. 9. ait, *Hi quidem terram, alij autem ignem, alij aerem, dicunt esse naturam, eorum quæ sunt.* Asserit itaque nonnullos Veterum strauisse terram pro materia. Cuius oppositum scripsit in primo Metaph. cap. 7. & in primo de Anim. tex. 32. *omnia*, inquit, elementa sortita sunt aliquem, a quo eligerentur, *excepta terra.*

De hac re dixi ad tex. 54. lib. superioris, quæ hic repetenda non sunt. Nemo naturalium Philosophorum accepit solam terram pro principio materiali; acceperunt autem alij, qui simul etiam celebrabantur Theologi, velut Hesiodus, Pherecydes, & alij. Simplic. ad hanc difficultatem ait, quod Arist. cum enumerasset reliqua tria elementa, concursu quodam συνδρομῇ τῶν ἄλλων στοιχείων protulit etiam terram.

IX. Perpendo vlt. quòd in tex. 10. ait, *alio modo materiam esse naturam, alio autem formam.* Materia dicitur natura, ceu res præsupposita in generatione, & constitutione compositi: forma autem dicitur natura, tanquam superueniens in constitutione eiusdem compositi. Tum præterea, illa est natura tanquam determinabilis, hæc autem est tanquam determinans. Id quoque nota, quod proponens formam, eam describit inquiens, *forma, & species, quæ secundum rationem.* vt exprimat, se intelligere formam substantialem, per quam quidem res sortiuntur speciem, & definitionem, ad differentiam formarum accidentalium, quæ neutiquam sunt natura.

TEXTVS XI.



T enim ars dicitur, *quod secundum artem, & artificiale, sic & natura, quod secundum naturam dicitur, & quod naturale. Neque autem illud adhuc dicimus habere secundum artem aliquid, si potentia tantum est lectus, nondum habet autem formam lecti, neque esse secundum artem, neque in ijs, quæ natura subsistunt; potentia enim caro, aut os, neque habet adhuc sui ipsius naturam, priusquam accipiat formam, quæ secundum rationem, quam definientes dicimus, quid est caro, aut os, neque natura est.*

Constituit in tex. præced nomen Naturæ non modo dici de materia, quemadmodum Veteres opinabantur, verùm etiam de forma: nunc pergit hanc posteriorem partem confirmare; id quod tribus rationibus conficit, quarum prima iacet in hoc tex. secunda vero in tex. 13. tertia demum in tex. 14. I.

Porrò non vltima vincendi laus est, arripere ab hoste arma, & ijs ipsis illum confodere. Ita Eximius præceptor accipit arg. ex fundamento, quo Antiphon, & Veteres in re proposita vtebantur. Illi etenim argumentabantur ab artefactis ad naturalia, propter similitudinem, quæ inter Artem, & Naturam intercedit; propterea accipit hoc illorum fundamentum, quòd sicut se habet ars ad artificialia, ita Natura ad naturalia. Et sic eos perstringit. ὥσπερ τέχνη λέγεται sicut ars dicitur, (subaudi ἐκεῖνο, ἀφ' οὗ ἐστιν, illud, a quo est) τὸ κατὰ τέχνην, καὶ τὸ τεχνικόν, *id quod est secundum artem, & artificiale:* Sed aliquid est secundum artem, & artificiale a forma actuali artificiali, ergo forma artificialis est ars. *sic & natura dicitur* illud, a quo aliquid habet esse secundum naturam, & naturale: Atqui res habent esse secundum naturam, & naturales a suis formis, ergo formæ sunt natura. Quæ si vera sunt, non rectè Simplic. & cum eo plerique omnes alij aiunt, Aristotelem hic abuti nomine artis. II.

Omnia sunt plana; & quidem prima propositio est manifesta: Secundam autem, quod videl. res denominentur esse secundum artem, & artificiales a forma artificiali actuali, probat, dum inquit, *Neque autem illud adhuc dicimus habere secundum artem aliquid; Neque esse secundum artem, si potentia &c.* Non enim diceremus, illud habere aliquid secundum artem, aut esse factum secundum artem, quod est solum potentia tale artificiale. V. G. non dicimus lignum, quod est potentia lectus, habere aliquid secundum artem, neque appellamus lectum, quia tunc *nondum habet formam lecti:* Sed tunc est lectus, cum actu habet formam artificialem lecti.

Deinde applicat, ita *neque in ijs, quæ natura subsistunt.* Non habet aliquid esse secundum naturam, neque naturale, nisi cum actu obtinet formam. Nam quod est potentia caro, aut os, non habet naturam carnis, & ossis, neque omninò est caro, & os, *prius quam accipiat formam, quæ est secundum rationem,* id est substantialem: οὔτε φύσει ἐστί, neque est III.

(ita

(ita hæc verba nectenda sunt) naturâ, siue secundum naturam. Deinde per parenthesin vberius explicat, quid per hanc formam substantialem intelligit, dum inquit, *quam definientes dicimus quid est caro, aut os*. quam formam adhuc declarat, cum ait,

TEXTVS XII.



Vare alio modo natura vtique erit habentium in se ipsis motus principium, forma, & species, non separabilis existens, nisi secundum rationem. Quod autem est ex his, natura quidem non est, sed a natura, vt homo: Et magis natura hæc est, quàm materia: vnumquodque enim tunc dicitur, cum actu magis, quàm cum potentia.

I. Tria hic facit. Declarat vberius per quasdam conditiones formam, quam constituit naturam. Et præter conclusionem supradictę rationis, illis verbis illatam, *quare alio modo*, &c. ait, quod forma, quæ est natura, est ea, quæ est forma, & species *habentium in se ipsis motus principium*, id est forma naturalis, ad differentiam formarum artificialium, accidentalium, & Mathematicarum. Addit secundam conditionem, quod talis forma, *non existit separabilis, scil. a materia, nisi secundum rationem*. Ita sunt omnes formæ naturales eductæ de sinu materiæ, quæ cum ab ea dependeant in esse, nullo pacto possunt separatæ, & per se existere: sed solum separantur ab intellectu, qui hic dicitur ratio: vel separantur ratione, id est definitione per intellectum acceptæ siquidem alia est definitio formæ, alia materiæ.

At diceret aliquis, Si materia, & forma sunt natura, compositum ex his est ne ipsum quoque natura, an non? Occurrit negatiuè. *Quod autem*, inquit, est ex his, natura quidem non est; φύσις, *sed naturâ*, seu, *a natura, vt homo*.

II. Postremò, *& magis natura hæc &c*. Tantum abest, inquit Arist. quod sola materia sit natura, vt potius forma sit magis natura, quàm sit ipsa materia. Defecerunt itaque Veteres Philosophi, quod formam a conditione Naturæ excluserint: & quod non agnouerint, quæ sit magis natura. Subiungit sui asserti rationem, quæ ita strui potest. Illud est magis natura, per quod res sunt magis naturales: At qui res magis per formam, quàm per materiam sunt naturales, quia per formam habent esse actu, per materiam autem habent esse potentia: caro enim, & os sunt talia per formam, non per materiam, vt in tex. antegresso dicebamus. Ergo forma est magis natura, quàm materia. Et hanc rationem indicat in calce tex. cum ait, *vnumquodq; enim tunc dicitur, quando actu est magis, quàm quando potentia*. Quæ ratio potest etiam hoc pacto formari. Quandocunque duo conueniunt in aliquo communi, illud est magis tale, quod est in eo per modum actus, quàm quòd est per modum potentiæ; cum vnumquodque sit tale per actum: Materia, & forma conueniunt in natura, & forma quidem est veluti actus, materia autem est tanquam potentia: quare magis natura erit forma, quàm materia.

III. Simplic. & ante eum Porphyr. opinantur, Aristotelem comparare non materiam, & formam, sed materiam, & compositum, vt sententia sit, compositum esse magis naturam, quàm materiam. Quæ expositio euidenter falsa est. Tum quia Philosophus præcedentibus verbis asseruit, compositum non esse naturam: Tum quia ratio accepta ex actu, & potentia clarè ostendit comparari formam, & materiam. Sed quod me pudet horum Græcorum auctorum est, quod non considerarunt, quod Arist. dum nominat compositum, id effert per suum gen. neutr. τὸ δὲ ἐκ τούτων, *quod autem ex his*: dum autem comparat, vtitur genere fæm. αὕτη. ait enim, καὶ μᾶλλον φύσις αὕτη τῆς ὕλης, *& magis natura hæc quàm materia*. vnde nullo pacto affirmari potest, quod fiat comparatio inter compositum, & materiam, sed sit inter materiam, & formam, vt supra exposuimus.

TEXTVS XIII.



Mplius fit ex homine homo, sed non lectus ex lecto: quapropter etiam dicunt figuram non esse naturam, sed lignum; fiet vtique si germinabit non lectus, sed lignum: Si ergo hoc est Ars, & forma est Natura: fit enim ex homine homo.

I. Adducit secundum arg. ad probandum formam esse naturam: quod etiam accipit ex fundamento Veterũ, & præsertim Antiphonis, qui vt astruerent, solam materiam censendam esse naturam, sic argumẽtabãtur. Illud est natura, ex quo generatur aliud illi simile, vel quod est principium generandi aliud sibi simile. Atqui ex sola materia generatur aliud illi simile: quare hæc sola est natura. Probatio minoris erat exemplum lecti, qui defossus, & germinans, non produceret lectum, sed lignum. vnde concludebant, *figuram non esse naturam, sed lignum.*

Arist. accipit illam maiorem, & subiungit: Sed forma naturalis, est principium generandi aliud sibi simile: vel, sed ex forma generatur alia forma illi similis; ergo forma, de qua est sermo, reuera est natura. Minor prob. quia *ex homine generatur homo.* Horum similitudo pendet ex forma, & forma est principium, quo homo generat hominem.

II. Verùm, vt tex. accuratè expendam, tres illi assigno partes. In 1. indicando solutionem, seu defectum dictæ rationis, sugillat Veteres: In 2. affert integram illorum rationem: In 3. ex illa colligit suum arg. Ratio iam apparuit, & in tex. est aperta. Quam in primis verbis tex. diluit, cum ait, *fit ex homine homo, sed non lectus ex lecto.* Debebent, inquit. Veteres considerare id, quod proprijs oculis intuebantur, quod licet ex lecto defosso non fiat lectus, tamen ex homine fit homo, qui porrò non est sola materia. ergo illa similitudo non valet, & illi malè argumentabantur. Quod si ab Aristotele vlterios peterent rationem, cur non valet? prompto ore dixisset, quia forma, seu figura lecti est quoddam accidens; vnde & lectus est vnum secundum accidens, ideòque illa neque est principium motus, neque potest producere substantiam: Forma autem hominis est naturalis, ac substantia, quemadmodum ipse homo est vnum per se, propterea est principium motus, & apta producere substantiam. Antiqui non cognouerunt hanc formæ differentiam: propterea errauerunt.

III. Demum in 3. part. *Si ergo hoc est ars, & forma est natura.* Nihilominus accipiamus, inquit, id, quod ipsi ex arte eruunt, videl. id esse naturam, ex quo prodit aliud illi simile, & propterea lignum quidem asseuerant esse naturam, figuram autem abijciunt, quòd ex ista non oriatur alia figura illi similis: Si hoc verum est, sequitur, ergo *& forma est natura.* Cur? *quia fit ex homine homo,* qui non est sola materia, & operatur per suam formam, atque adeò forma hominis promit aliam sibi similem, ergo est natura. Nota, quod vox τέχνη *Ars* reperitur in omnibus codic. etiam græcis, tamen eam neque Philoponus, nec alij veteres interpretes quidam agnoscunt. Et propterea legendum est, *Si ergo hoc,* videl. si hoc verum est. ergo & forma est natura.

TEXTVS XIV.



Mplius autem Natura, dicta vt generatio, via est ad Naturam. Non enim vt medicatio dicitur non ad medicinam via, sed ad sanitatem, (necesse enim est a medicina, non ad medicinam esse medicationem.) non sic natura se habet ad naturam, sed quod nascitur, ex quodam in quoddam venit, quatenus nascitur: ad quod igitur nascitur? non ad id ex quo, sed ad quod.

Apponit tertiam rationem, quod forma sit Natura, quin etiam magis natura. Et in tex. tria facit: ponit minorem pro ea conficienda: adijcit discrimen inter mutationes naturales, & artificiales: Ex quo discrimine explicat illam ipsam minorem. I.

Ratio, quæ a plerisque interpr. in varias distrahitur imaginationes, ita struenda est. Illud, a quo aliquid dicitur natura, est natura, imo magis natura, quia *vnumquodque id ipsum maximè aliorum est, secundum quod alijs vniuocatio inest; vt V.G. ignis calidissimum: etenim cæteris hic caliditatis causa* vt legimus in secundo Metaphys. tex. 4. Sed aliquid, videl. generatio dicitur natura a forma, quare forma est natura, quinimo magis natura. Minor effertur illis verbis. „ φύσις ἡ λεγομένη ὡς γένεσις. ὁδός ἐστιν εἰς φύσιν. quæ sonant. *illa natura, quæ dicitur vt generatio, est via ad naturam.*

Pro cuius intelligentia scito, quod φύσις natura varias habet significationes, vt videre licèt apud Arist quinto Metaph. cap. 4. inter alias denotat eorum, quæ nascuntur productionem, seu generationem: & si vis, ipsam prodeuntium emanationem. Porrò quia productio ordinatur ad aliquem terminum: Hic terminus præfatæ productionis est forma: & quia quæcunque productio naturalis dicitur, & specificatur a suo termino, ad quem tendit, vt explicatur in sexto Phys. fit vt forma, a qua vt a termino generatio vocatur natura, profectò sit natura, quinimo magis natura. Et hoc est, quod Auctor ait, quod natura vt generatio, est via ad naturam, idest ad formam. Enimuero si interroges, quid est eorum, quæ in lucem prodeunt, generatio? respondebo. est via ad naturam, nempe ad formam. II.

Porrò, vt hæc propositio intimius introspiciatur, explicat in secunda tex. part. discrimen inter mutationes naturales, & artefactas, cum ait. *non enim vt medicatio dicitur non ad medicinam via, sed ad sanitatem,* & est, quod in naturalibus denominatio motationis, siue actionis, fit a termino, ad quem illa tendit, in artificialibus autem non desumitur a termino ad quem, sed a termino à quo, siue ab efficiente.

ficiente. V. G. dum aliquid mutatur a nigro in album, mutatio non dicitur à nigro, sed ab albo albefactio: Mutatio autem, & actio, medicinæ, per quam intenditur, & introducitur sanitas, non denominatur sanatio, a termino ad quem, id est a sanitate, quam molitur, sed vocatur medicatio, a medicina, quæ est terminus a quo, & principium effectiuum sanitatis. In cuius quidem discriminis assignanda ratione laborant Simplic. Philopon. Auerr. Hæc tamen videtur verior, quod denominatio in rebus debet accipi ab eo, quod est determinatum: Modo in naturalibus terminus a quo, non est determinatus, terminus autem ad quem, est determinatus.

Vtrumque vides in exemplo nunc indicato. Nam terminus, a quo incipit albefactio, potest esse album, aut fuscum, aut viride, aut alius color: terminus autem, ad quem illa tendit, omninò est determinatus: siquidem albefactio non terminatur nisi ad albedinem. Ita calefactio potest incipere a frigido, a tepido, ab humido, a sicco, at non nisi in calorem potest terminari: iccircò in his mutationibus denominatio accipitur a termino ad quem, non a termino a quo. In artefactis autem res secus contingit. Terminus ad quem, est incertus, ac indeterminatus: terminus autem a quo, est certus, ac determinatus. Planum enim, & certum est, quod actus medendi oritur a medicina, vt a termino, & principio effectiuo: incertum autem est, vtrumne sanitas sit futura, nec ne.

III. Hoc discrim. constituit Auctor cum ait, ***non enim vt medicatio dicitur, non ad medicinam via, sed ad sanitatem***. Sensus est, generatio, seu mutatio naturalis, non dicitur eo modo via, quo dicitur medicatio: non enim illa dicitur ***via ad medicinam, sed ad sanitatem***. non denominatur a termino, a quo, qui est medicina, sicuti denominatur medicatio, sed a termino, ad quem illa tendit, qui est sanitas. Explicat autem terminos mutationis naturalis nomine medicinæ, & sanitatis, quia istæ sunt nobis notissimæ. Hucusque exposuit, vnde nam mutatio naturalis nominetur: deinde explicat, vnde nam vocetur mutatio artificialis, & ait, ***necesse enim est a medicina, non ad medicinam esse medicationem***. Medicatio, inquit, quæ est operatio artificialis, denominari debet a medicina, vtpote a termino a quo, & principio effectiuo, non ad medicinam, & ad terminum ad quem.

At hic scito, quòd omnes quidem mutationes naturales hauriunt nomen a termino, ad quem tendunt, at non omnes omninò artificiales accipiunt a termino a quo, sed aliquæ nominantur etiam a termino ad quem, veluti ædificatio ab ædibus: Et sic etiam explicat idem Philosoph. quinto Phys. tex. 48. inquiens, ***& dicitur vnumquodque*** εἰς ὃ μεταβάλλει μᾶλλον, ἢ ἐξ οὗ, ***ex eo, in quod mutatur magis, quàm ex quo, vt sanatio in sanitatem, & ægrotatio in ægritudinem***, id, opinor, in causa est, cur Arist. in hoc tex. quasi particulariter loquens, ait, ***non vt medicatio***, & iterum, ***medicatio est a medicina***, &c. & non facit propositionem vniuersalem.

In subsequentibus verbis est varia lectio, quæ omninò inuertit Auctoris sensum: In codicib. græcis legitur negatiuè, οὐχ οὕτω δ' ἡ φύσις ἔχει πρὸς τὴν φύσιν. ***non sic natura se habet ad naturam***. quam lectionem habet etiam antiqua translatio. Reliquæ autem latinæ translationes omnes legunt affirmatiuè. ***sic natura se habet ad naturam***. quam versionem omninò existimo mendosam, & conuincitur ex particula aduersatiua, & verbis, quæ sequuntur, scil. ***sed quod nascitur, ex quoddam in quoddam venit***. Sensus est clarus. Natura, quę dicitur vt generatio, & mutatio naturalis, non ita se habet, vt medicatio, quæ denominatur a medicina, & a termino a quo, sed nominatur à termino, ad quem tendit, siue ab eo, quod nascitur. Et hoc probat, quia cum id, quod generatur, ac nascitur, secundum quod nascitur, veniat a quodam in quoddam, quod vnquam ex his duobus dicemus nasci? id ne, a quo incipit, an id, in quod terminatur? profectò non illud, sed hoc. Hæc omnia exprimit Philosoph. cum ait. εἰς τί οὖν φύεται; ***ad quod igitur nascitur?*** id est ad quod veniendo nascitur, aut dicitur nasci? (malè aliquę translationes legunt, *Quod igitur nascitur*.) οὐχὶ ἐξ οὗ, ἀλλ' εἰς ὅ. sic verte. ***non ex quo, sed ex eo, in quod***. Vnde tandem ita colligitur. Generatio dicitur natura ab eo, quod nascitur: est enim φύσις ἐκ τοῦ φυομένου, sed quod nascitur, non est terminus a quo, sed ad quem, quare generatio dicitur natura a termino ad quem: Iste est forma, ergo hæc est natura, & magis natura.

TEXTVS XV.



Orma itaque natura est: sed forma, & natura dupliciter dicitur. Etenim priuatio forma quodammodo est: Si autem est priuatio, & contrarium aliquod circa simplicem generationem, aut non est, posterius considerandum.

I. Mirum est, in quam varias expositiones trahatur intentio Philosophi in hoc tex. quas haud refero, propterea quod existimo, eas nullo vnquam pacto eius mentem attingere. Equidem hanc opinor esse. Constituit hacusque materiam, & formam, quæ erant duo rerum naturalium principia, esse naturam, & conclusit disputationem, vt diat. At quæreret aliquis, De priuatione, quæ constituta est tertium principium, quid sentiendum sit? est ne ipsa quoque natura, an non? Vult igitur Arist. in præs. contex. hunc scrupulum eximere. At primo quidem diuidit formam, & naturam, inquiens, ***forma, & natura dupliciter dicitur***.

At

II. At dic age: Si dupliciter dicitur, quæ sunt membra diuidentia? Ecce: *Etenim priuatio forma quodammodo est*. Sic extende, Forma alia est principalis, & propriè dicta: alia dicitur impropriè, & solum *quodammodo*. Eodem pacto philosophandum de natura, quod alia est propriè, ac pressè dicta: alia impropriè, & solum *quodammodo*: siquidem, sicuti aliquid est forma, ita & natura. Quare ad quæsitum ita respondet. Priuatio non est propriè, & pressè natura, quoniam hæc est principium motus, & quietis, quod priuationi, vt competat, impossibile est, sed tamen est natura impropriè, & solum quodammodo. Huius probatio est, quia ita aliquid est natura, sicuti est forma. sed *priuatio est quodammodo forma*. ergo est etiam quodammodo natura.

III. Quærunt interpretes, quid Arist. hoc loco intelligat per priuationem? Sunt, qui dicunt, eum non intelligere veram priuationem, quæ est constituta tertium principium rerum naturalium, tum quia priuatio, de qua hic est sermo, dicitur forma: priuatio autem absoluiè est per se non ens, ex primo lib. Phys. tex. 79. Tum quia priuatio hic dicitur natura, ac proinde principium motus: priuatio autem nequit tale quippiam constituere. Quare asserunt, nomine priuationis denotari aliquid positiuum, id est contrarium deterius. Notum etenim est, vel ex lib. præced. tex. 49. & secundo de cælo tex. 18. quod contrariorum minus perfectum dicitur alterius contrarij priuatio. Atque hoc intellectu priuatio, quæ procul dubio est aliquod ens positiuum, rectè dicitur forma, & natura. Ita inter alios Picol.

Quæ quidem opinio omninò a Stagiritæ mente procul abesset. Primò, quia, vt in connex. tex. dixi, cum Arist. patefecerit duo principia, id est, materiam, & formam esse naturam, quærit id idem de tertio, videl. de priuatione. Secundò, quia in calce tex. coniungit priuationem, & contrarium positiuum, vt mox explicabo, cum ait, *Si autem est priuatio, & contrarium aliquod &c.* Relinquitur ergo, vt nomine priuationis, quam sancit esse quodammodo formam, re ipsa vera intelligat veram priuationem, & tertium principium.

IV. At hoc posito, iam insurgit communis difficultas, quo modo huiusmodi priuatio, quæ per se est non ens, & mera absentia formæ, dici queat forma?

Simplic. adducit quatuor expositiones: in quibus postea conuellendis inani opera allaborant alij. Auerr. dupliciter explicat: sequuntur alij. Ego breuiter dico, priuationem appellari diminutè, & quodámodo formã, primò, quia adijacet materiæ ad modum cuiusdam accidentis, vt habuimus ex præced. tex. Accidens autem est forma. Secundò, quia opponitur formæ: opposita autem videntur obtinere rationem formę; quocirca versantur etiam circa idem subiectum, vt docet Philosoph. cùm alibi sæpe, tum præcipuè decim. Metaph. cap. 10.

V. Annectit postea, Arist. *Si autem est priuatio, & contrarium aliquod circa generationem simplicem, aut non est, posterius considerandum*. Quærunt plerique omnes, quodnam est dubium Aristotelis, & vbi nam resoluitur?

Communiter dicunt, dub. esse tale. An in generatione substantiali interueniat priuatio, & contrarium, posterius est considerandum. At qui ita exponunt, vrgentur euidenti difficultate: cum enim in lib. præced. ex instituto sancitum sit, in omni generatione adesse priuationem, quæ sit formæ producendæ contraria, ineptus foret Arist. si nunc ambigeret, an ea debeat in generatione substantiali interuenire, nec ne. Et longe ineptior esset, dicendo, id esse posterius considerandum.

Ob id alij, vt Zab. mirificè se se exacuunt in verbis græcis, & aiunt, quod dictio illa, priuatio, stat ex parte subiecti; contrarium, verò ex parte prædicati, non autem vtrumque ex parte prædicati. Græci enim solent subiecto propositionis apponere articulum, prædicato autem non item, vt hic dictio illa (priuatio) habet articulum, illa verò (contrarium) non habet articulum, Quare sensus est, An verò priuatio sit etiam contrarium formæ, in generatione substantiali, nec ne, posterius dicemus. Quocirca dubium cadit circa contrarium, non circa priuationem: Subiectum enim propositionis supponitur, & prædicatur contrarium. Hæc illi. VI.

Quæ porrò imaginatio inanis est. Nàm, si præfata verba eo intellectu struenda sunt, vt *priuatio* stet loco subiecti, *contrarium* autem, vt prædicatum, &c. non deberet poni nota copulatiua, At Philosoph. nectit, inquiens, *εἰ δ' ἐστὶν ἡ στέρησις καὶ ἐναντίον τι, si autem est priuatio, & contrarium aliquod*. Deinde, hæc expositio vrgetur illa eadem difficultate, quia iam in lib. præced. ostensum est, priuationem esse contrariam formæ. Quid? non ne demonstratum est a tex. 42. principia debere esse contraria? Quem autem fugit, hæc contraria esse formam, & priuationem? quomodo igitur posterius erit inuestigandum, an priuatio sit contraria, nec ne? Neque articulus appositus quidem priuationi, non appositus autem contrario quicquam efficit, nam *ἡ στέρησις priuatio* est veluti aliquid vniuersale: at verò *ἐναντίον τι contrarium aliquod*. est quippiam particulare, vt vides contractum per vocem, *aliquod*.

Existimo itaque nomine *priuationis* reuera intelligi priuationem: quæ contraria ut formæ priuatioè. Nomine autem *alicuius contrarij*, intelligi aliquod contrarium positiuum. Et quia in secundo de ort. & inter. circa initium determinatur, minime posse fieri generationem, & corruptionem vllo pacto, nisi adsit contrarietas positiua, quæ versatur inter primas Qualitates, calidum, frigidum, humidum, & siccum, idcircò dicit, posterius esse considerandum, vtrumne in generatione substantiali priuatio, (quam iam ostendit vniuersaliter requiri) & insuper aliquod aliud contrarium interueniat. Perpende etiam incredibilem Auctoris diligentiam: non enim ait, *posterius ὕστερον σκεπτέον*, considerandum: sed *ἐπισκεπτέον*, quod est, superconsi- VII.

considerandum. Quasi dicat, considerauimus quidem in præcedentibus, vt fecimus de priuatione; sed insuper considerandum est de aliquo alio contrario particulari. Hinc habes, quodnam sit Arist. dub. & vbi resoluatur. Hic monemur exequi, quod ad tex. 3. promisimus, videl. ad calcem huius cap. diligenter examinare celebriores aliquas quæstiones circa ea, quæ ab Arist. constituta sunt, est ergo.

QVAESTIO I.

Vtrum rectè ab Aristotele definita sit Natura.

SECTIO I.

Prælibantur varia Naturæ significata.

I. 

Ix poterimus non aberrare in latifundijs, per quæ multiplex Naturæ nomen vagatur, nisi priuatam significationis viam strauerimus, quæ nobis in præsenti tractatione calcanda sit. Quod etiam fieri debere præcepit Philosophus in primo Topic. cap. 14. Hinc in primo de Cælo tex. 110. hæc scribit. *Cum multipliciter dicantur, etsi nihil refert ad rationem, necesse est intellectum indeterminatè se habere, si quis eo, quod multipliciter dicetur, tanquam indiuisibili vtatur: immanifestum enim est, secundum quam naturam ipsi accidit, quod dictum est.*

Varias huius nominis, Natura, significationes refert Arist. in quinto Metaph. cap. 4. Simplic. in digress. ad hunc tex. 15. Boetius in lib. de duabus Naturis, & vna Persona. S. Thom. in prim. part. quæst. 115. art. 2. P. Fonsec. 4. Metaph. quæst. 2. sect. 4. Bened. Perer. lib. 7. suæ Phys. cap. 1. Conimbr. in hunc lib. quæst. 1. art. 1. Pendas. in sua Textura Phys. part. 2. Piccol: in digress. ad hoc cap. deinde passim alij. Equidem præcipuas subijciam.

II. Primò Natura, vt scribit Senec. lib. 4. de benef. & D. August. lib. 1. de Trinit. cap. 2. accipitur pro prima rerum omnium causa, Deo, Opt. Max. Quam Aug. appellat Naturam creatricem: Et eam ipsam Orpheus, vt adnotauit Mars. Fic. lib. 2. Theol. Plat. cap. 4. vocauit infinitum finem. Et nonnulli cum Auerr. circa initium primi de cælo dixerunt Naturam naturantem. Cuius quidem appellationis causam afferre, facile est. Siquidem Natura dicta est ex eo, quod nasci aliquid faciat, vt testatur Isidor. lib. 1. etymol. cap. 1. Deus, vt pote primus rerum omnium parens, & opifex, facit omnia nasci.

Huic Naturæ naturanti subijciunt aliam, ab ijsdem dictam Naturam Naturatam, quæ sit omne id, quod est præter Deum. Scio nonnullos, inter quos est Piccol. loco indic. addere tertium membrum, quod simul sit & Natura Naturans, & Natura Naturata, respectu diuersorum: ita vt primò Deus, ac suprema Mens, quia est origo omnium, vocetur absolutè Natura Naturans: cætera verò ex eo pendentia, sint Natura Naturata. Secundò, cælum, quod collatum ad Deum est Natura Naturata, tamen comparatum ad hæc inferiora possit etiam dici Natura Naturans, quatenus est vniuersalis causa omnium, quæcunque hic aguntur, & est id, *cuius lationibus ita mortalis hic mundus ex necessitate est continuus, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur*. quemadmodum legimus in primo Meteor. cap. 2. Quinimo comparando formam, & materiam cum composito, illæ dici possint Natura Naturans, composita verò Natura Naturata.

Secundò, Natura accipitur pro serie, & ordine secundarum causarum, siue pro ipsismet causis secundis, quatenus iuxta inclinationem sibi ab Auctore Naturæ inditam agunt. Ita dicimus, quod *Deus, & Natura nihil faciunt frustra*; primo de cælo tex. 32. & lib. secundo tex. 24. Ità *Natura semper facit id, quod est optimum, si fieri potest* in lib. de Iuuent. & Senect. cap. 2. Ita Natura dicitur abhorrere infinitum, vacuum, &c. Atque hoc intellectu dixit Auerr. 12. Metaph. com. 18. *Naturam dirigi ab Intelligentia non errante*. Tum etiam, *opus Naturæ esse opus Intelligentiæ*. Quo etiam spectat illud ex duodec. Metaph. tex. 38. *a tali igitur principio dependet cælum, & vniuersa Natura*. III.

Tertiò, accipitur pro vniuersitate, seu collectione omnium rerum, ex quibus vniuersus hic mundus coagmentatur. Quo sensu accepimus, *in natura nihil esse ociosum*. Ita dicimus, aliquid esse, aut non esse in rerum Natura. IV.

Quartò, Natura capitur pro essentia, & quidditate cuiuscunque rei. Ita definitio dicitur explicare naturam rei. Hinc Veteres id, quod existimauerunt esse rerum essentiam, videl. materiam, appellauerunt etiam naturam. Addunt Doctores nostri aliud Naturæ exemplum, dum catholicè asserimus, Christum Dom. assumpsisse naturam humanam, nempe essentiam, & quidditatem.

Qui etiam vlterius progrediuntur, & inter hæc tria, Essentia, Natura, & Quidditas, adijciunt

aliquod

Digitized by Google

aliquod diſcrimen, quod eſſentia dicatur ipſum eſſe rei ſecundum ſe, aut per ordinem ad exiſtentiam. Natura autem dicatur in ordine ad operationes, & motum eius, cuius eſt natura: Quidditas demum dicatur idem eſſe rei in ordine ad definitionem, qua reſpondemus interroganti, quid eſt hoc. De qua quidem doctrina adi P. Ouiedo. in ſuo curſu Philoſoph. lib. 2. punct. 1. Quæ tamen, quod attinet ad ſecundum membrum, non ſubſiſtit, quia Natura non ſolum dicitur in ordine ad operationes, verùm etiam in ordine ad eſſe. Sed pergo.

V. Quintò, Natura accipitur pro temperamento, & complexione cuiuſcunque viuentis, ex quatuor qualitatibus reſultante. Hoc ſignificatu opinantur viri docti intelligi illud Galeni dictum, quod habet tum alibi, tum in Arte Medic. cap. 77. *Natura eſt opifex: medicus autem eſt miniſter*.

Sextò, Natura dicitur de proprietate, conditione, & particulari conſtitutione vniuſcuiuſque. Ita dixeris, Ariſtotelem, aut Platonem fuiſſe benignæ naturæ, Epicurum autem malignæ naturæ. Ita nonnullos aſſerimus eſſe naturæ facilis, ac mutabilis, alios naturæ difficilis. Quo ſpectat illud,

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Septimò, Natura vſurpatur pro naturali propenſione, & inclinatione, ſic omnes homines, vt initio Metaph. dicitur, *natura ſcire deſiderant*. videl. naturali pondere, ac propenſione cupiunt ſcire.

VI. Octauò, Natura tranſcendit quam latiſſimè, ita vt cadat in omnes omninò res, ſiue illæ ſint ſubſtantiæ, ſiue accidentia cuiuſuis generis. Hinc D. Thom. in 1. diſtin. 17. quæſt. 1. art. 1. ad vlt. vſque adeo extendit nomen Naturæ, vt eo comprehendat etiam accidens ſupernaturale, vt gratiam. Quid verò? Alex. in quinto Metaph. ad cap. 5. nomen Naturæ extendit etiam ad formas artificiales. *Sic forma ſcamni eſt natura ſcamni*. Quinimo aliquando ponitur pro notione earum etiam rerum, quæ omninò nihil ſunt, quo pacto dicimus, eam eſſe negationis naturam, vt quicquid poſt ſe inuenit, deſtruat. Prætereo alia Naturæ ſignificata.

VII Et contraho me ad Ariſtotelem, qui quidem in quinto Metaph. cap. 5. affert quinque frequentiores Naturæ acceptiones. Primò, φύσις Natura ſignificat eorum, quæ naſcuntur productionem, & generationem: & ſi vis, ipſam naſcentis emanationem. *Vno modo Natura dicitur generatio naſcentium*, οἷον εἴ τις ἐπεκτείνας λέγοι τὸ υ. *vt ſi quis producens, ſeu extendens, proferat ipſum y*. Ex quo quidem Stagiritæ loco nota obiter, quod antiqui Græci non modo in proferendis diphtongis, ſed etiam in pronunciandis tribus illis literis, quæ dicuntur ancipites, α. ι. & υ. vtebantur vario ſono, & varia pronunciatione, prout illa litera, aut longa, aut breuis eſſet: quæ varia pronunciatio hodie apud Græcos non eſt. Inquit itaque Ariſt. Si quis proferat φύσιν producto illo υ. ſignificabit ipſam naſcentium generationem: Tu ſubintellige aliud membrum: Si verò proferat contracto ipſo υ. ſignificabit aliud.

Atq; hæc eſt primæua Naturæ ſignificatio, vt adnotauit etiam S. Thom. in prim. part. quæſt. 115. art. 2. *vnde Natura eſt quaſi naſcitura*. Et Boet. in lib. de duab. naturis, & vna perſona, *Natura*, inquit, *a natu dicitur*. Si ergo nomen ſequitur proprietatem rei, illa propriè ſunt natura, quæ per natum, & naſcentiam ab illo ſunt. Sic ergo φύσις eſt ipſa naſcentia, & pæne diserim, ipſa naſcentium emanatio. fit enim φύσις a φύομαι, quod eſt naſcor. Huius ſignificationis Naturæ meminit Ariſt. etiam in tex. 14. huius lib.

Secundo modo Natura dicitur id, *ex quo primò inexiſtente generatur, quod gignitur*. videl. eſſentia, ex qua, tanquam a principio interno proficiſcitur dicta naſcentium emanatio. VIII.

Tertiò, Natura eſt principium, *vnde primus motus in vnoquoque eorum, quæ natura ſunt, ineſt ſecundum quod ipſum eſt*. Hic agnoſcis definitionem Naturæ traditam in tex. 3. huius lib.

Quarto dicitur de materia, & eſt principium, ex quo primo *inordinato exiſtente, & immobili ex ſua potentia, aut eſt, aut fit aliquid eorum, quæ natura ſunt, vt ſtatuæ, vaſorumque æneorum æs, natura dicitur, ligneorum verò lignum: ſimiliter autem & de cæteris*.

Quinto denique ponitur pro forma. *Alio item modo Natura dicitur ſubſtantia eorum, quæ natura ſunt: ſicuti qui dicunt, Naturam eſſe primam compoſitionem, &c.*

At tam dices. Si Natura tot ſortitur ſignificationes, in qua ergo ſignificatione de ea agitur hoc loco? IX.

Reſpond. In tribus his poſtremis: ſed hoc diſcrimine, quod materia, & forma, ſunt Naturæ partiales, & incompletæ: Natura autem completa Phyſica, eſt quæ indicatur ab Ariſt. tertio loco, quod videl. ſit principium, *vnde primus motus &c.* & hæc definitur in tex. 3. huius lib. nam Phyſicus conſiderat Naturam in ordine ad motum. Quæ tamen Naturæ ſignificatio trahitur a Natura recenſita ab Ariſt. in ſecundo loco, quod ſcil. ſit id, ex quo primo inexiſtente generatur, quod gignitur. *Nam quia viuentia generantur ex principio coniuncto, ſicut fructus ex arbore, & fœtus ex matre, cui colligatur, conſequenter tractum eſt nomen Naturæ ad omne principium motus, quod eſt in eo, quod mouetur*, inquit S. Thom. in prim. part. quæſt. 115. art. 2. Hinc itaque habes, quid Natura ſignificet, & de quanam Natura hic incumbit agendum. Sed iam dicendum ſuccedit.



Digitized by Google

SECTIO II.

Vtrum Naturam esse, posit, ac debeat ostendi.



X. Idimus est, quid Naturæ nomen importet: proximum est, vt videamus, an ea sit, siue an possit ostendi quod sit: postea explicare, quid ea sit. Cui quæsito respondet Arist. in tex. 6. præsen. lib. *Quod autem sit Natura, tentare demonstrare, ridiculum est. Manifestum enim est, quod huiusmodi entia sunt multa: demonstrare autem manifesta per immanifesta, non potentis est iudicare, quod per se ipsum, & non per se ipsum notum est.*

Nihilominus Auicen. lib 1. suffic. cap. 7. & Alter. Mag. in hunc lib. tract. 1. cap. 6. opinantur, Naturam esse, non posse demonstrari à Philosopho Naturali: posse tamen demonstrari à Metaphysico. Alij autem apud Iandun. in hunc lib. quæst. 2. qui copiosissimè tractat hanc quæstionem, distinguunt, quod aliud est quærere, an possit demonstrari aliquo pacto Naturam esse, aliud autem, an debeat demonstrari eam esse. Tunc subdunt, quod potest, sed id fieri non debet. Alio modo ratiocinantur alij apud Auers. quæst. 9. sect. 1. Pro resolutione breuiter.

XI. Dico 1. Neque à Philosopho Naturali, neque à Metaphysico potest à priori demonstrari Naturam esse.

Patet, quia essentiæ rerum à nulla vnquam scientia possunt à priori demonstrari esse, cum non habeant aliud principium se ipsis prius, per quòd tanquam per medium valeant demonstrari, vt docemur in primo poster. Sed Natura est essentia rerum naturalium, quare neque à Physico, neque à Metaphysico potest demonstrari esse.

Præterea, ostendere à priori aliquid esse in rerum vniuersitate, est probare per necessariam existentiam causæ illius, à qua causa illud sit productum necessario, & ab eadem indesinenter conseruetur in esse: sic à priori ostendo lucem esse, quia est sol, à quo necessario producta est, & indesinenter conseruatur: sed talem causam, a qua Naturam sit necessariò producta, & indesinenter conseruetur, non est accipere, proinde huiusmodi ostensio est impossibilis.

Dico 2. Naturam esse, potest demonstrari à
XII. posteriori: qui tamen multum laboraret, vt eam esse ostenderet, is inaniter laboraret, & esset deridendus.

Prior pars colligitur hac demonstratione, quæ est à posteriori. Si in rerum natura est motus naturalis, necessario etiam est Natura: sed motus naturalis est, quare & Natura est. Consecutio est euidens, quia Natura est internum ac primum principium huiusmodi motus. Minor itidem est euidens, in augmentatione. V. G. plantæ, aut in motu progressiuo animalis, isti enim motus sunt motus naturales, cum eliciantur à principio intrinseco ijs, quæ mouentur. Videmus namque huiuscemodi motus non effici ab aliquo alio principio externo. *Unde vegetabilia omnia habent in se ipsis potentiam, & principium huiusmodi, per quod augmentum, & decrementum suscipiunt secundum contraria loca. Non enim sursum quidem augentur, deorsum autem non, sed similiter in vtraque, & in omnem partem aluntur.* in quit Stagirites in secundo de Anim. tex. 14. Ex huiusmodi itaque motu naturali optimè à posteriori demonstratur, Naturam esse.

Deinde, concreta existunt nobis manifestiora, quàm formæ, à quibus denominantur; quemad- XIII.
modum notius nobis est animatum, quàm anima. Exploratum autem est, dari entia naturalia distincta ab ijs, quæ sunt propter alias causas. ergo ab illis demonstratiuè ostendemus, dari etiam Naturam, à qua illa constituuntur, & appellantur naturalia. Hæc ratio insinuatur ab Arist. in tex 6.

Postremò, Naturam esse, non est de se ita planum, ac euidens, vt apprehensis terminis, illico res ipsa innotescat, sicut est V. G. quod omne totum est maius sua parte, &c. quare aut colligetur esse ex aliquo alio, aut non. Si colligitur, ergo ex illo probatur saltem à posteriori: si nullo pacto colligitur, ergo nullo modo scitur.

Nihilominus quisquis impensè laboraret, vt
ostendat Naturam esse, profectò inanis homo, & XIV.
nullius iudicij, atque adeò ridiculus ostenderetur, quia nesciret compensare laborem rebus ipsis, sed in re plana insitiè torqueretur.

Hanc nostram assertionem, quo ad vtramque illius partem, existimo syncetam Stagiritæ mentem in tex. illo 6. vbi non ait, Naturam esse non posse demonstrari, sed ait, quod ridiculè faceret, qui in tali negocio operam impenderet sedulitorem, quàm videl. par. sit. Vide, si Naturam esse, nulla via, id est, neque à priori, neq; a posteriori potest ostendi, cum eo loci Arist. intendat se excusare, cur non prius patefecerit Naturam esse, postea definierit, legitima responsio erat dicere, quia id facere, est impossibile. Hoc autem non dicit, imò nec asserit ridiculum fore eum, qui demonstraret Naturam esse, sed ait, *πειρᾶσθαι δεικνύναι*, conari, seu, *eniti ostendere*, qui laboraret quasi in re ardua abstrusaque.



SECTIO III.

Quibus argumentis vrgeri videatur definitio Naturæ confecta ab Aristotele?

XV. 

Rimò, Res absoluta non debet definiri per aliquod respectiuum, quia definitio, auctore Philosopho in sexto Topic. cap. 6. tradi debet per priora: respectiuum verò non est prius absoluto, sed e contra. Natura autem est quippiam absolutum, est enim materia, & forma, quæ sunt substantia, ac proinde aliquid absolutum. Et tamen Natura definitur per respectiuum, id est per principium, quod proculdubio est principiati principium: ita definitur per causam: Causa autem habet respectum ad effectum, ergo malè Natura definitur, quod sit principium, & causa.

Accedit, quod Philosophus in septimo Metaph. tex. 12. determinat, substantiam non definiri per accidentia, sed e contra, accidentia definiri per substantiam: Huius oppositum exequitur hoc loco: nam definit Naturam, quæ est substantia, per motum, & quietem, accidentia.

Secundò, Natura est essentia, & substantia rei, vt
XVI. constat ex Arist. hîc tex. 7. & quinto Metaph. c. 4. At nulla creata substantia est immediatum principium, & causa suarum operationum; sed operatur semper per intermedias potentias, vt inductione potest aor..adu.rii; Homo quippe videt per potentiam visiuam, audit per auditiuam, mouetur per motiuam. Et ratio etiam est, quia substantia, & essentia rei est indifferens ad hanc, aut illam operationem. ergo debet ab aliquo alio determinari, vt potius eliciat intellectionem, V. G. quàm visionem: alioquin nunquam operaretur, cum à causa indifferente, vt indifferens est, non egrediatur determinatus effectus, vt etiam docet Auerr. 2. Phys. com. 48. Hoc autem à quo substantia determinatur, est potentia: de qua re multa dixi in opere de Triplic. statu Anim. Disput. oct. sect. 5. quare Natura non erit principium, & causa motus, &c. cum motus sit quædam operatio.

Tertiò, Quandocunque inferius iungitur cum
XVII. suo superiori in aliqua oratione, fit nugatio, vt docet Arist. in primo Topic. cap. 13. & patet, si dicas, Petrus est homo animal. quippe cum inferius contineat superius, satis abundè fuerit, si in oratione exprimatur illud absque isto. Atqui in definitione Naturæ, cum dicitur, eam esse *principium, & causam*, ita contingit. siquidem causa est quippiam inferius ad principium: quocirca omnis causa est etiam principium, at non e contra, vt docet idemmet Philosophus quinto Metaph. cap 4. ergo in dicta definitione continetur nugatio.

Quartò, Nihil idem naturale potest per se esse XVIII.
principium, & causa oppositorum, vt ex professo probat Arist. oct. Phys. tex. 10. quia huiusmodi agens est determinatum ad vnum. Hinc in secundo de ort. & int. tex. 56. ait, ab vna atque eadem Solis latione neutiquam posse proficisci perpetuas generationes, & corruptiones rerum, quia sunt contrariæ. Annectit rationem. *Dicimus lationem causam esse generationis: manifestum est, quod vna existente latione, non contingit fieri ambo. quia contraria sunt: idem enim, & similiter se habens, semper idem natum est facere*: Modo motus, & quies sunt opposita, quod etiam ostendit idem Philosophus in quinto Physic. tex. 20. vbi concludit, *&* *quies est contraria motui*. ergo cum Natura sit aliquid vnum naturale, nequit esse principium, & causa *motus simul, & quietis*.

Quintò, Dantur complura entia naturalia, in
quibus Natura non est principium, & causa motus, XIX.
& quietis, ergo malè ea sancitur esse an botum principium, & causa. De motu patet in terra, quæ neutiquam habet in se principium, vt moueatur vnquam, cum sistat in medio Vniuersi fixa atque immobilis, quemadmodum docet Arist secundo de cœlo cap. 13. & nos firmè patefecimus in opere de Meteor. lect. 15. De quiete verò patet in orbibus cælestibus, de quibus ad aures Aristotelis *timendum non est, ne quando stent*, vt idem loquitur nono Metaphys. tex. 17.

Sextò, Forma, & materia vnicè sunt Natura,
vt iam vel in textuum expositione apparuit. At XX.
materia non est principium, & causa cuiuspiam motus: Et similiter datur aliqua forma substantialis, quæ itidem non est principium, & causa motus. Quod ita ostendo. Et de materia quidem, quia quod est subiectum motus, non est principium, & causa illius: Materia est subiectum motus. Insuper, principium, & causa important actiuitatem: Manifestum autem est, Materiam nullius esse actiuitatis. De forma etiam prob. nam formæ substantiales grauium, & leuium non eliciunt eorum motus, alioquin grauia, & leuia mouerentur à se ipsis; Quod tamen est contra Aristot. oct. Physic. tex. 31.

VII. Definitio debet explicare quid res sit, vt vel
ex tertio Topic. cap. 6. & secundo Poster. apparet. XXI.
Atqui Stagiritæ hæc definitio non explicat quid Natura sit, sed declarat quid, & quomodo agat, videl. producit motum, & quietem, primò, per se, &c. ergo est inepta.



Digitized by Google

SECTIO IV.

Determinatur quæsitum: & afferuntur nonnullæ aliæ Naturæ definitiones ab aliis, atque aliis traditæ.



XXII. Efinitio Naturæ, quod sit *principium quoddam, & causa motus, & quietis, eius in quo est, primò, per se, & non secundũ accidens*, iam quo ad omnes eius particulas abundè a nobis in expositione textuum enucleata est, vberiusque ex solutione argumentorum, quam mox adijciam, elucescet.

Interea, pro eius ipsius confirmatione, hæc tria annecto. Primùm sic collige. Dicta Naturæ definitio distinctè, ac dilucidè explicat vim, & conditionem Naturæ definitæ; tum eam a quacunque alia re secernit, & demum omnes eius particulæ conueniunt cuicunque Naturæ. quare est optima; quandoquidem hæc sunt legitima optimæ definitionis munia.

Deinde adde communem subsequentium ab Aristotele ætatum consensum, quo omnes viri docti eam ipsam semper exceperunt, & etiamnum proni excipiunt. Profectò magna confirmatio est vniuersalis tot excellentium ingeniorum consensio.

XXIII. Adde vltimò, quod definitiones ab alijs viris doctis insinuatæ haud explicant id, quod quærimus. Fuit Stoicorum opinio, vt eius doctrinæ sectator Senec. scribit lib. 4. de benefic. cap. 7. quod Natura nihil esset aliud, *quàm Deus, & diuina ratio toti mundo, & omnibus ipsius partibus inserta*. Vnde paulo inferius in cap. 8. *Nec natura*, inquit, *sine Deo est, nec Deus sine natura, sed idem est vtrumque, neque distat officio*. At varò ista οὐδὲν πρὸς ἔπος. Etenim hic non inquirimus eam vniuersalissimam Naturam, quam nos etiam in sect. 1. adnotauimus, sed inuestigamus Naturam particularem vnicuique rei.

XXIV. Manauit etiam opinio a Mercurio Termax. & Pythag. quam Plato quoq; amplexus est, vt videre licet in Dialog. 10. de Rep. quod *Natura sit vis quedam absoluta per vniuersum mundum, & omnes eius partes commeans*.

Dissident isti inter se, quia Stoici aiebant, Naturam esse Deum ipsum, eiusque diuinam rationem &c. Platonici autem Naturam constituebant aliquid, quod immediatè ex anima mundi manaret. Hinc naturam appellabant, *quoddam animæ mundanæ vestigium; & instrumentum eiusdem animæ mundanæ*. vt scribit Mars. Fic. lib. 18. Theolog. Plat. cap. 3. Hinc etiam asserebant, quod Natura ex Anima ipsi Mundo quasi calor ex splendore resultet. Eandemq; nuncupabant infimum diuinæ prouidentię instrumentum. Quinuerò Plato depingit, Naturam sub lumine columnari, quod sit vinculum Vniuersi.

Porrò vt rem totam penitus comprehendas, accipe vniuersam rerum seriam iuxta Platonicorum mentem. Primum constituunt Deum, cunctarum rerum apicem, cui subijciunt Mentem; ad quam pertineat idea: Menti supponunt Animam, ad quam pertineant rationes: Ex Anima, & præsertim ex anima mundi, aiunt prodire vim seminariam, eamque Materiæ infundi, quam dicunt esse Naturam: adeò vt Natura sit vis seminaria a Mundi Anima Materiæ infusa. Et quia materia in omnibus Mundi partibus, atque omnibus omninò rebus intimè est dispersa, iccircò etiam vis illa seminaria, seu Natura dicitur per omnes Mundi partes, & res ipsas esse inserta.

Præterea, hæc seminaria virtus non est materia, neque forma, sed media inter vtramque, & via quædam ad formam, quæ forma mox inducitur per huiusmodi semina, a rationibus, & Ideis, ex quibus illa pendent, quemadmodum supra in tract. de forma sect. octaua exposui. Hinc vlterius Natura ab ijsdem Platonicis nuncupata est vita postrema. Dicta est vita, quia motionem aliquam seruat, & ex Anima pendet: dicta est postrema, quia prima ac vera vita ad Mentem attinet: media ad Animam: postrema demum ad Naturam. Deus Opt. Max. existit supra vitam, & est vitæ principium: Materia iacet infra vitam: Vita Mentis est caput vitæ: Vita Animæ est media: Vita denique Naturæ est postrema, & finis. Vita Mentis est tanquam sol, vita Animæ vt lumen, vita demum Naturę vt vmbra, & imago. Hæc illi. ex quibus, pene dixerim, hieroglyphicis, quid certi, ac constituti haberi potest pro Natura, quam indagamus? planè nihil. XXV.

Prætereo alias Platonicorum Naturæ delineationes, præsertim verò Plotini, qui rem hanc multis exagitat En. 3. lib. 8. a cap. 1. & En. 4. lib. 3. cap. 10. & lib. 7. cap. 9. At non prætereiam eam, quam effundit Philoponus, qui quidem vbi Stagiritæam definitionem sugillasset, quòd non tam explicet quid natura sit, quàm quid efficiat, hæc subnectit. *Vt igitur eiusdem substantiæ definitionem assignemus, in hunc modum dicendum est. Natura est quædam vita, seu vis, quæ per corpora diffundatur, eorum formatrix, & gubernatrix, principium motus, & quietis, in eo cui inest per se primò, & non secundum accidens*: Quæ circumscriptio est conflatum nescio quid ex doctrina Platonis, & Aristotelis: XXVI.

ac proinde neque vniuersalem illam Naturam Platonicam, neque particularem Peripateticam planè exprimit. Iccircò eam singillatim expendere nolo.

Propius accessit Hippocrates, cui in lib. 6. Epid. Natura est vis quædam corporibus insita, & inhabitans, qua hæc reguntur. Alij alio modo Naturam delineare conati sunt: At porrò nemo, vt etiam me tacente, vides, melius, ac penitius eam expressit, quàm Stagirites, quæ ex solutione argum. longè reddetur venerabilior.

SECTIO V.

Dilutio argumentorum, quæ aduersus Naturæ definitionem in sect. tertia confecta sunt.

XXVII 

AD 1. arg. multi inter Latinos distinguunt, quod natura gemino modo potest accipi. Vno quidem formaliter, quo pacto dicit relationem ad principiatum: Altero, verò pro fundamento, qua significat fundamentum talis relationis, & dicit entitatem fundantem, quæ est quidditas rei. Deinde inter se altercantur, quomodo in definitione Naturæ accipiatur *principium*: formaliter ne, an fundamentaliter? atque acris hinc inde contentio. Tandem maior eorum pars tuetur, accipi fundamentaliter: quia, inquiunt, intentum Philosophi est hic aperire rationem formalem constituentem corpus naturale in esse obiecti Physices, quæ est naturalitas fundamentaliter, non formaliter sumpta: Et sic dicendo, saluatur, definitionem naturæ esse essentialem: quod saluari non potest, si dicatur, principium sumi formaliter. Sic inter alios Mastr. & Bellut. in Phys. Disput. 6. quæst. 1. art. 1.

XXVIII Ast hi primò non rectè philosophantur in distinctione principij. Quippe principium fundamentaliter vsurpatum, re ipsa vera exuit rationem, atque ipsum nomen principij: quia illud iam est quædam res absoluta: Principium verò intrinsecè debet respicere id, cuius est principium: quemadmodum pater pro fundamento acceptus haud est pater, sed res quædam absoluta, homo: pari pacto principium pro fundamento neutiquam est principium. Consimili argumento viget Stagirites Parmenid. & Meliss. constituentes vnum ens pro principio, quia dum aiunt esse vnum, tollunt rationem principij, cum principium sit alicuius alterius entis, vel aliorum principium.

Deinde vehementer errant, dum subijciunt, consilium Philosophi hic esse, aperire rationem formalem constituentem corpus naturale &c. Hem, intentio Stagiritæ est, explicare principia, prout internè in facto esse componunt rem, quemadmodum ad tex. 1. lib. 1. & in introductione lib. 2. exposui. Nec propterea definitio Naturæ non erit essentialis, vt infertus dicatur. quare.

Ad arg. 1. alio modo occurrendum est, quod absoluta sunt in duplici differentia. Quædam purè absoluta, veluti animal, aut homo, & hæc procul dubio definiri debent per absoluta, quemadmodum in cap. illo 6. cit. in argum. præcipitur. Alia verò, quamuis secundum vnam rationem sint absoluta, nihilominus secundum aliam concernunt transcendentalem, vt aiunt, ordinem ad aliquid; qui quidem ordo, & habitudo in ijs imbibitur tanquam eorundem complementum: Atque per hanc habitudinem explicantur, & definiuntur. V.G. potentia visiua est qualitas secundæ speciei, nihilominus nec explicari, neque commodè definiri potest, nisi per ordinem ad obiectum visibile, ipsumque videndi actum. XXIX.

Quod vt melius perspicias, scito, quod de Natura agit & Metaphysicus, vt videmus in quinto Metaph. cap. 4. cum enim Metaphysicus agat de omni substantia, aget etiam de Natura. De eadem agit etiam Physicus: sed diuerso modo. Ille namque expendit Naturam absolutè, qua est quædam substantia, & quoddam ens, videl. quatenus est abstractum ab omni motu, & omni materia. Hic autem considerat eandem in ordine ad motum, quemadmodum considerat reliqua omnia; cum ea duntaxat sint physicæ contemplationis, quæ modo aliquo concernunt motum, vt colligimus ex hoc lib. tex. 71. & 73. Et in sexto Metaph. tex. 1. Physica dicitur *esse circa tale ens, quod possibile est moueri*. Cum itaque Natura ea duntaxat ratione consideretur a Philosopho Naturali, qua respicit motum, quis non videat, quod physicè debuit definiri per id, quod internè respicit motum? videl. *principium, &* causa motus.

Ad confir. respond. quod aliud est explicari, ac definiri aliquid per ordinem internum ad aliquod, aliud verò explicari, ac definiri per illud. Huiusmodi ordo, vulgo transcendentalis dictus, potest esse imbibitus, & intrinsecus etiam substantiæ, vt patet in creatura, quæ ne concipi quidem potis est, vt creatura, absque habitudine ad creatorem. In re proposita, Natura non definitur per motum, qui est accidens, sed per principium motus: quod quidem principium non est accidens, sed substantia, cum ordine tamen ad motum. XXX.

Ad 2. dico, principium motus, & vniuersè cuiuscunque actionis, in substantia creata, esse duplex. Alterum proximum, ac immediatum: alterum radicale, ac primum. Illud in viuentibus quidem est potentia, vt V.G. potentia visiua; in elementis sunt primæ qualitates, in grauibus, XXXI.

ac

Digitized by Google

ac leuibus grauitas ipsa, ac leuitas. Principium autem radicale, ac primum in omnibus est forma rei, quia quod constituit aliquid in esse, constituit illud idem aptum quoque, atque potens, vt operetur. Huiusmodi principium primum operatur per proximum, ceu per instrumentum, & immediatum productiuum operationum. Modo Natura est principium motus, & quietis non quidem proximum; sed radicale; ob id in definitione eius positum fuit, *primò*, vt suo loco exposui. Suppetit exemplum clarissimum ex definitione animæ, quæ in secundo de Anim. tex. 24. definita est, *id, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primò*. nimirum radicaliter.

XXXII Ad 3. sunt, qui dicunt, causam in definitione Naturæ non sumi secundum omne id, quod includit, quod est ipsum principium, latius patens, quàm causa, sed accipi solum secundum id, quod supra principium addit, quatenus scil. solum exprimit influxum in effectum, vt sensus definitionis sit: Natura est principium, & causa, nempe est tale principium, quod influit in effectum. Vnde non committitur vlla nugatio.

Quibus non subscribo, tum quia inferius nequit cauere rationem superioris: Tum quia eodem modo possemus dicere, Petrus est animal homo, asserendo, quod, homo, non ponitur secundum omne id quod includit, sed solum secundum id, quod addit supra animal. Quod tamen dicendum non est: quare,

XXXIII Alio modo occurrendum est, quod tunc committitur nugatio in eiusmodi locutionibus, cum inferius inutiliter adiungitur suo superiori: Quod tunc accidit, cum illa duo ex æquo respiciunt definita vniuoca, quemadmodum in exemplo adducto de animali, & homine apparet. Quando autem membra definita prædita sunt analoga aliqua varietate, non modo nulla intercedit nugatio, sed omninò debet exprimi vtrumque. Ita res in præsenti se habet. Primò Natura in quibusdam est tantum principium motus, & quietis: in iis videl. quæ dicuntur moueri a generante: in aliis autem, id est in viuentibus, est etiam causa, quia ipsa seipsa mouent. Vt ergo Philosophus vtrumque hoc rerum naturalium genus complecteretur, summa cum ratione adiunxit, *principium, & causa*.

Secundò, (hoc existimo syncerè dictum) Natura est duplex, nempe materia, & forma: Istæ dicuntur Natura analogicè, neque ipsa alio pacto est natura materia, alio forma, vt inferius explicabo. Quocirca necesse habuit Stagirites adiicere duo vocabula, quorum vnum quidem responderet, atque aptaretur vni naturæ, alterum autem alteri. propterea Eximius præceptor geminauit, *principium, & causam*. Hinc vide, quàm absurdè hac in parte sentiunt illi dicentes, *principium, & causam hoc loco sumi pro eodem: Et illud, &, stare expositiuè: pro, id est*. Ita inter alios Zab. sed planè ineptè.

XXXIV Ad 4. respon. Motum, & quietem posita in definitione Naturæ haud esse opposita, sed sibi subordinata, motus enim ordinatur ad quietem, ceu via ad terminum: subordinatorum autem idem est principium; propterea Natura non est principium, & causa per se oppositorum. Porrò quies dupliciter potest considerari. Primò formaliter, pro ipsa actuali carentia, & absentia motus: secundo materialiter, & quasi pro quadam forma in esse quieto. Et hæc quies adhuc est duplex. Vna in termino a quo: Altera in termino ad quem. Quies in termino a quo res incipit moueri naturaliter, opponitur, determinatè motui naturali. Tum quia talis quies est violenta toti composito, vtpote causata ab aliqua causa externa passo non conferente vim. Tum quia accedente motu naturali, illa deperditur, vt vides in quiete, cum ignis in loco deorsum vi detentus quiescit, a qua postea incipit naturaliter ferri sursum. Atque hæc quies est contraria, seu opposita motui sursum. Quies autem in termino ad quem, est illa, quæ per motum naturalem acquiritur, & ad quam motus ordinatur in mortalibus. *Nam mortalia mouentur, vt quiescant, cælestia mouentur, vt moueantur*, qualis est quies V. G. ignis, dum post ascensum quiescit in suo centro. Hæc quies, & motus ad eam, non sunt contraria, seu opposita, sed subordinata, veluti via, & terminus, vt dixi.

Huius quietis Natura est principium, & causa primò, & per se, quippe causa, per quam aliquid mouetur naturaliter, est itidem causa, cur illud idem naturaliter quiescit: *& quò fertur aliquid secundum naturam, ibi manet secundum naturam*, ex secundo de cælo tex. 92. Quo etiam spectans Auerr. in quarto de cælo com. 26. ait, quietem magis esse naturalem elementis, quàm motum, ideòque definitiones grauis, & leuis eo loci ab Arist. traditas per quietem *magis appropinquare veritati, quia motus non accidit eis, aut a medio, aut ad medium, nisi post violentiam: quies autem leuis super omnia corpora, & grauis sub omnibus corporibus, est eis naturaliter, & ideò ista definitio magis monstrat naturas eorum*.

Ad 5. Vario modo exponuntur illæ dictiones, XXXV
motus, & quietis. Porphyrius, relatus a Simplic. ad tex. 2. opinatus est, accipiendas esse disiunctiuè, videl. Natura est principium, & causa motus, aut quietis: ac proinde in quibusdam est solum causa motus, non autem quietis, in aliis est solum causa quietis, non itidem motus. Probat, quia Natura in igne non est causa quietis. Hic enim neq; dum existit extra suam regionem, quiescit, & cum degit in illa, id est sub concauo Lunæ, neutiquam quiescit, sed incessanter rapitur in orbem. Quam quidem expositionem amplexati sunt Auicenn. in 1. suæ suffic. cap. 5. P. Perer. lib. 7. Phys. cap. 5. Fonsec. in 5. Metaph. cap. 4. quæst. 2. & complures alii validè innixi argumento, in cuius solutione versamur.

Quæ doctrina admittenda non est. Tum quia in vniuersum definitiones non sunt ita facile ad

cuius.

cuiusuis arbitrium distorquendæ. Tum quia Stagiritæ ἀκρίβεια in definiendo non patitur, vt pro vna dictione accipiatur altera; eaque talis conditionis, quæ omninò definitionis sensum immutet. Argumentum autem Porphyrij ex igne petitum inane est. Nam ignis habet certum, ac definitum locum, ad quem suapte natura attollitur, ita vt per suam ipsius naturam vlterius eleuari haud queat, ibique naturaliter conquiesceret: per accidens autem est, quod postea vi circumagatur a cælo. Et quia definitiones debent accipi, & intelligi per se, ideò etiam in igne Natura dicenda est causa quietis.

XXXV Alij legunt *motus, & quietis*, copulatiuè, sed exponunt definitionem per appositionem, & in sensu, vt aiunt, accommodato. videl. non quod Natura in omnibus rebus naturalibus indiscriminatim sit principium, atque causa tam motus, quàm quietis, sed iuxta earum exigentiam, & accommodationem, ita vt in quibusdam ex æquo sit causa & motus, & quietis, veluti in rebus sublunaribus: in quibusdam autem sit tantum causa motus, vt in cælo: in quibusdam demum sit tantum causa quietis, vt in terra vniuersa. Omnium itaque horum motuum, ac quietum Natura est principium, & causa interna, sed iuxta conditionem rei, cuius est natura. Ita D. Thom. ad hunc locum, Fran. Piccol. & Zab. hic, P. Fonsec. 5. Metaph. cap. 4. quæst. 1. sect. 1. Conimbr. ad istud cap. quæst. 2. art. 3. P. Peter. lib. 7. Phys. cap. 10. Ruu. ad præsens cap. quæst. 1. Auers. quæst. 9. sect. 3. Mastr. in Phys. disp. 6. quæst. 1. art. 1. Franc. de Ouiedo in suo cursu Philosoph. lib. 2. Phys. punct. 1. & alij quàm plurimi.

XXXVIJ Quæ expositio neque mihi displicet, pro qua suppetunt aperta, aut ego fallor, Stagiritæ verba, ex secundo de Anim. tex. 24. quo loci definitur anima esse *id, quo viuimus, & sentimus, & mouemus, & intelligimus primò*. Cuius definitionis verba procul dubio copulatiuè legenda sunt. At quis vnquam credat, sensum illius esse, quod vbicunque fuerit anima, debeant omnes illæ, aut operationes, aut gradus inesse? id est viuere, sentire, moueri, ac intelligere? Quem latet in plantis inesse animam, quæ est principium viuendi, non autem reliquarum operationum? Sic in Zophytis animam esse principium viuendi, ac sentiendi, non autem mouendi? Vt ergo germana eius definitionis copulatiua intelligentia est, quod vbicunque est sola vita, ea porrò est ab anima: vbi est sensus, ille itidem proficiscitur ab anima, vbi est motus, & intelligentia, hæc etiam oriuntur ab anima, ceu a principio primo: Ita de Natura philosophare: quod in quacunque re inest motus naturalis, hic oritur a Natura, & in quacunque inest quies naturalis, hæc itidem proficiscitur a Natura: in quocunque demum suppetit & motus, & quies successiuè, hæc etiam a Natura, tanquam a principio, & causa radicali emanant.

XXXVIIJ Tertia expositio est, hæc verba, *motus, & quietis*, ita accipi copulatiuè, vt in omni omninò re naturali Natura sit principium, & causa & motus, & quietis. Cæterùm, quietem non sumi hic in stricta significatione, quæ sit aliquid positiuum, & verus terminus motus naturalis, sed largo quodam modo, prout quies solum sit absentia motus: quinimo etiam pro ipsa immobilitate. Quo posito, quies conuenit etiam cælo, si secundum se totum spectetur. Cum enim cælum secundum se totum non mutet locum, dicitur hac ratione quiescere, & ita definitio Naturæ conuenit etiam cælo. De qua re inferius. Ita Simplic. & Philopon. quibus adhærent permulti alij, & hanc etiam expositionem existimo veram.

De terra autem tacta in eodem arg. dicendum est, terram esse mobilem secundum partes: quia saltem externæ eius partes alterantur, a calore, frigore, humore &c. & quia quæuis eius pars mouetur etiam localiter, dum a suo naturali loco auulsa, dimittitur: & aliquæ etiam ruunt sponte sua. Tota autem secundum se quiescit. Primò, quia est centrum, circa quod incessanter circumagitur cælum, vt in secundo de cælo cap. 13. ostenditur: Id autem, circa quod mouetur aliquid, debet esse firmum, ac stabile: *Necesse enim est, manere aliquid semper, si moueri oportet aliquid semper*, inquit Philosophus in eodem lib. tex. 21. Secundò, quia cum terra futura esset sedes, & domicilium, animantium, fixam, & immobilem, esse necesse erat: Quare ita licet colligere. In corporibus Simplicibus eadem est natura partium, ac totius: Partes terræ sunt mobiles: quarè & tota terra. Sic ergo manet solutum quartum, & quintum argum.

XXXIX Ad 6. Quomodo forma, & materia sint Natura, dicam ex professo in quæst. sequ. Interea Materia est Natura, vt principium passiuum. Forma autem est Natura re ipsa ceu causa effectrix, vt quot Et ita etiam sunt formæ grauium, & leuium. Elementa autem mouentur remotè a generante: intrinsecè verò, ac radicaliter mouentur a suis formis: proximè demum mouentur a sua grauitate, & leuitate. Qua de re abundè dixi in oct. Phys. in quæst. post tex. 32.

XL Ad vlt. arg. quod fuit Plotini, & Philoponi patet solutio ex dictis in solutione ad 1. arg. Natura hic consideratur, qua respicit motum, hac enim ratione expenditur a Philosopho Naturali: quocircasic etiam debuit definiri. Quo fit, vt dicta definitio non modo explicet quid Natura agat, verum, cumulatissimè etiam explicat, quid ea sit physicè. Id quod clarius elucescet, si æqua lance hanc definitionem cum alijs conferas, quas superius ab alijs, atque alijs traditas indicaui.

Digitized by Google

QVAESTIO II.

Vtrum tam materia, quàm forma sint verè ac propriè natura: Et an vtraque sit comprehensa in definitione Naturæ ab Aristotele tradita.

SECTIO I.

Opiniones, & argumenta pro parte negatiua.

I. Efert simplic. in Digress. ad tex. 16 & 17. nonnullos existimasse, solam materiam esse Naturam, formam verò non item. Quorum alij quidem huic fundamento innixi sunt. Natura est, per quam res naturales transmutantur: Atqui id, secundum quod res naturales transmutantur, est sola materia, quemadmodum in artefactis videmus transmutari V. G. lectum, nonnisi penes lignum. ergo Natura est sola materia. Alij vero ita ratiocinabantur. Natura est, per quam naturalia sunt apta moueri: Illud autem per quod sunt apta moueri, profectò est tantum materia. hæc itaque sola est Natura.

Alij autem ex aduerso solam formam dicunt esse Naturam, inducti hac ratione. Natura est, per quam naturalia sortiuntur essentiam, & distinguuntur ab artificialibus. Hoc autem omnes res naturales habent à sola forma. Forma enim impertit esse rebus, atque *hæc est vniuscuiusque character, per quem vnumquodque consistit, & dicitur esse hoc quod est.* vt loquitur ibidem simplic.

II. Propius accedamus: Auicenn. lib. 1 suffic. cap. 5. opinatur, Naturam ab Aristotele definitam, esse solum principium actiuum motus: (qua de re in quæst. sequ.) quod perinde est ac dicere, naturam esse solam formam: materiam autem non esse naturam simpliciter, sed tantum secundum quid. In quam sententiam iuit postea Vallesf. contr. 11. nec non P. Fau. in Theor. 33. cap 4. à qua non recedit Zabar. qui in opere de reb. natur. lib. de Natura cap. 6. & 7. ait, naturam per se esse solam formam, quæ diuersa ratione est tum principium actiuum, tum passiuum motus. Materiam autem dici quidem naturam, quatenus a forma determinatur ad hunc, vel illum motum: secundum se verò non esse naturam, propter vniuersalem, & indifferentem potentiam, quam habet ad omnes motus. *Quia materia dicitur esse natura non quidem secundum se, quasi altera natura à forma distincta, sed vt eadem: quoniam enim in contex tertio, & vlt. octaui Metaphys. inquit Arist. materiam esse idem potestate, quod forma actu; ideo materia catenus est natura, quatenus potestatem habet recipiendi formam, quæ est rei natura: quemadmodum enim cum dicimus, lignum rude esse arcam potestate, deinde per formam fieri arcam actu, non dicimus propterea duas arcas, sed vnam, & eandem numero, quæ prius erat potestate in sola materia. deinde fit actu per formam, ita de natura dicendum est; vna enim est vnius rei natura, non duæ, sed naturam rei potestate significamus per materiam, actu autem per formam*, inquit idem auctor in cap. illo cit. consimilia habet in hunc secundum lib. ad tex 12.

Argumenta, quod sola forma, non autem materia sit natura.

Primò, Cum de analogis sit sermo, illeabso lutè intelligitur de primo analogato, quod in eo genere est tale; quemadmodum docet Arist. in principio quarti Metaph. vnde in tex. 2 *Vbique*, ait, *propriè primi, & ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur, scientia est*. Sed natura est analoga: & forma est primum analogatum, vt inferius innotescet; ergo institutus de Natura sermo, eiusq; definitio, erit de sola forma. III.

Secundò, In quinto Metaph. cap. 4. scribit Arist. Naturam primò, & propriè dici formam, materiam verò dici naturam, quatenus est susceptiua formæ; generationem item, siue ipsum nasci, appellari etiam naturam, quia est via ad formam, *Materia*, inquit, *eo quod huius est susceptiua, dicitur natura: generationes autem, & ipsum nasci, eo quod ab hac motus sunt.*

Tertiò, In hoc secundo lib. tex. 11. ait, quod sicut in artefactis non dicimus lectum, aut arcam, si IV. potentia tantum est lectus, neque habet actu formam lecti, sed tunc solummodo, cum actu habet formam lecti, *ita neque in ijs, quæ natura subsistunt. potentia enim caro, aut os, neque habet adhuc sui ipsius naturam, priusquam accipiat formam, quæ est secundum rationem*. Quod clarius repetit in cap. illo 4. lib. quinti Metaph. *Quare & quæcunq; natura sunt, aut fiunt, iam existente, ex quo aptum est fieri, aut esse, nondum dicimus naturam habere, si speciem, & formam non habeant.* Quæ potiò vera non erunt, si materia secundum se esset natura. sic collige. id quod secundum se est in potentia ad aliquid, non est secundum se illud tale. Materia secundum se est in potentia ad formam, quæ est natura, ergo ipsa materia secundum se non est natura.

Accedit, quod Stagirites duodec Metaph. tex. 14. diuidit substantiam, in materiam, naturam, & compositum. *Substantia*, inquit, *tres, quædam materia, quæ quod quid est, &c.* Quædam *natura, &*

quod

Digitized by Google

quod quid, & quidam habitus ad quem. Tertia item, quæ ex his, quæ singularis est. Quod si materia contradistinguitur à natura, profectò ipsa non est natura.

V. Quartò, *Natura est principium, & causa motus.* Materia non est principium, & causa motus. Quod sic ostendo. Primò, si materia esset principium, & causa motus, esset vtique causa materialis. At materia nequit vllo vnquam pacto esse causa materialis motus; quia quod est causa materialis alicuius, est subiectum illius: repugnat autem materiam esse subiectum motus, cum hic sit accidens, & nullum accidens sit in materia velut in subiecto. Secundò; fac, materia sit principium alcuius motus, certè nequit esse causa, quia causa dicit influxum in effectum; recipere autem influxus non est. Tertiò, influere est agere: materia non agit, quia vnumquodque agit in quantum est actu: materia autem est solum potentia; quare materia nullo modo est causa, neque principium motus: ac proinde neque natura est, neque in definitione Arist. comprehenditur.

VI. Quintò, Natura est principium determinatum motus: tum quia Natura, vel ipso Philosopho auctore octauo Phys. tex. 8. est determinata ad vnum: Tum etiam, quia si non esset determinata, tunc quiuis motus esset naturalis, quoniam quilibet motus esset iuxta inclinationem illius. Quod autem est secundum inclinationem illius quòd agit, id sanè naturale est. At materia secundum se non est determinata ad vnum aliquem motum, sed indifferens ad quemcunque, vt cuique liquet: dum enim est sub forma ignis, determinatur ad motum sursum: dum autem deposita forma ignis, induitur forma terræ, determinatur ad motum deorsum. non ergo ea secundum se erit natura.

VII. Vltimò, Vnius rei vna est natura: sed forma est natura, ergo non materia: alioquin essent duæ Naturæ vnius, & eiusdem rei. *Ob id Arist. in tex. 11. huius lib. inquit, vnumquodque dici habere suam naturam, quando est actu, non quando est potentia: tunc enim potestate habet suam naturam, non actu: & quia magis est res quando est actu, quàm quando est potestate. imò postea subiungit, magis esse naturam formam quàm per materiam significari naturam rei: eadem tamen natura per vtramque significatur.* inquit Zab. in cap. illo 7. Ex quo vlterius colligunt, non vtramque, sed solam formam comprehendi in definitione Naturæ traditæ ab Aristotele comprehendi. Nihilominus si,



SECTIO II.

Tam materia prima, quàm forma substantialis re ipsa secundum se sunt Natura: Et vtraque in definitione Aristotelis comprehenditur.



Ta communiter Stagiritæ interpr. Simplic. ad tex. 2. huius lib. & in Digress. ad tex. 16. & 17. vbi recenset quinque Naturæ acceptiones. *Primò Natura accipitur pro materia secundò pro forma, &c.* Quo loci hæc etiam scribit. *Et dicit Eudemus, quod etiam materia, & forma accipiant definitionem Naturæ.* Sic etiam docent reliqui Aristotelis interpretes, Themist. Philop. Auerr. passim ad hoc primum cap. sic S. Thom. ad tex. 3. & 10. & albi sæpe Scot. in 2. distin. 18. quæst. vnica. Et vnanimi consensu amplectuntur recentiores, PP. Conimbr. hic quæst. 1. art. 2. Complut. in Phys. Disput. 7. quæst. 3. Hurtad. ad hunc lib. disputat. 7. sect. 2. Peter. lib. 7. Phys. cap. 17. Ruur. hic quæst. 2. Auers. quæst. 9. sub Arriag. in Phys. disp. 6. sect. 2. Mastr. disput. 6. quæst. 2. art. 2. Ouiedo in Phys. contr. 6. punct. 2. *Et est expressa sententia Aristotelis, & tenenda.* VIII.

Et quidem Arist. in hoc cap. ex instituto probat, non modo materiam, sicut opinabantur Veteres, sed & formam esse Naturam, quemadmodum in expositione tex. vidimus, vt mirum sit, quod in Peripato reperiantur, qui in oppositum torqueantur. Vnde in tex. 10 de vtraque ita concludit. *Vno igitur modo Natura sic dicitur, prima vnicuique subiecta materia, habentium in se ipsis motus principium, & mutationis: Alio autem modo forma, & species, quæ secundum rationem.* Et in tex. 21. *cum autem*, inquit, *Natura duplex sit, & forma, & materia: vt si de simitate quid sit consideremus*, &c. Et iterius, *& de hac dupliciter dubitabit quis, cum duæ naturæ sint, de vtra est Physici, an de eo, quod est ex vtrisque: sed si de eo, quod est ex vtrisque, & de vtraque.* Pertinacitè igitur asseritur in Peripato, non esse duas, sed vnam dumtaxat Naturam, videl. formam, & in tex. 22. *Vtrum igitur eiusdem, aut alterius vtramque cognoscere.* Id idem conceptis notis asseuerat in quinto Metaph. cap. 4. cit. *Item, Natura dicitur, ex quo primo inordinato existente, & immobili, ex sua potentia,* IX.

aut

aut est, aut sit aliquid eorum, quæ natura sunt. Vbi vides, materiam primam descriptam, quamuis statim Arist. subdat exempla de artefactis. Demum in tex. 12. huius lib. & forma, & materia dicuntur esse Natura, quoquā *forma* constituatur esse *magis Natura, quàm materia*. Porrò forma decernitur magis Natura, quia Naturæ nomen, vt nunc ostendam, est analogum. Quocirca quemadmodum substantia, & accidens reuera sunt entia, tamen illa est magis ens, quàm hoc, ita de Natura respectu formæ, & materiæ philosophare.

XI. En etiam rationes: Et quidem pro forma, quia hæc est præcipua pars entis naturalis: hæc constituit illud in specie hæc discriminat res naturales à rebus non naturalibus: hæc verè ac propriissimè existit principium, & causa cunctorum motuum quicunque in corpore naturali reperiuntur: est igitur verè, ac propriissimè Natura.

De materia verò suadetur, Primùm, quia hæc essentialiter constituit compositum naturale, absolutè igitur est Natura, quandoquidem sicut ea non substantijs non fit substantia, ea lib. præced. tex. 52. ita ex non naturis impossibile est fieri essentialiter compositum naturale. Deinde, *Natura semper est subiectum quoddam, & in subiecto*, tex. 4. huius lib. Materia ea lib. primo tex. 82. est *primum subiectum, ex quo fit aliquid, &c.* ergo absolutè, & simpliciter est natura. Præterea, Materia verè est principium motus in eo, in quo est, &c. ergo in se ipsa est Natura. Conseq. tenet, quia arguitur à definitione ad definitum. Assumptum vero prob. Materia est principium generationis, vt in primo lib. ostensum est: Atqui generatio est motus, quippe motus in definitione Naturæ accipitur pro motu communiter sumpto, vt in eius explicatione adnotaui.

XII. Constituo secundam assertionem. In definitione Naturæ ab Stagirite tradita, comprehenditur tam materia, quàm forma; quamuis forma expressius, ac principalius.

Prior pars euidenter sequitur ex præced. nostra assertione. Enimuerò si vtraque re ipsa est Natura, quemadmodum iam ostendi, profectò vtraque definitur. Præterea prob. quia Philosophus postquam in tex. 3. definiuit Naturam, explicat in tex. subseq. membra definita, & recenset materiam, & formam, easque inter se comparat, vtramque igitur prius in definitione Naturæ complexus erat.

Deinde, si Stagirites in animo habuisset, excludere materiam à definitione Naturæ, absurdè se in ea definienda gessisset. Quid ita? quia tenebatur prius distinguere Naturam in materiam, & formam, (quemadmodum ipsemet faciendum præcepit in sexto Topic. cap. 6. in definiendis ijs, quorum est multiplex significatio) postea accipere partem definiendam, & eam definire.

Item, In tex. 21. dubitat, *cum duplex sit natura, & forma, & materia*, vtrumne de vtraque agere XIII. spectet ad Philosophum Naturalem? atque vt ipse loquitur, *& de hoc dubitabit quis, cum duæ naturæ sint, de vtra est Physici?* Quod si materia fuisset à definitione Naturæ eiecta, tam porrò neque duplex esset natura, neque vlla vrgeret dubitatio, quia tunc Physicus de ea non teneretur agere.

Ad hæc, Veteres Philosophi arbitrati sunt, rationem Naturæ, ac proinde eius definitionem syncerè competere materiæ, Communi namque consensione materiam appellarunt naturam. Aristoteles, id non negat: Negare autem deberet, si materiam à definitione, ac ratione naturæ contenderet eliminare: sed dictum illorum approbat, solumque in eo corrigit, quod ratio naturæ non conuenit soli materiæ, ac primò; quare, &c.

Quod verò forma in ea ipsa definitione expressius ac principalius intendatur, colligi potest, Primò, quia hæc est perfectiori modo, ac magis Natura. XIV. Secundò, quia forma, vt inferius patefaciam, est principium actiuum: ac proinde forma non modò est principium, verùm etiam causa motus: Materia autem est solum principium passiuum, & vt simpliciter ait, *est quædam habilitas passiua*. Tertiò, quia forma est primum Naturæ analogatum.

Sed dices. Si materia, & forma verè sunt Natura, de priuatione quid est existimandum? est ne ipsa quoque natura, ita vt ei conueniat definitio naturæ XV. ab Stagirite assignata, an non?

Sunt qui partem affirmantem tuentur. Et addunt, Aristotelem consultò in definitione addidisse vocem illam, *principium*, propter priuationem; quoniam priuatio re ipsa vera est principium motus, neque per reliquas definitionis particulas excluditur à ratione naturæ. Ita Albert. in hoc lib. tract. 1. cap. 7. cui adhærent etiam nonnulli recentiorum, vt videre licet apud Ruu. hic cap. 2. quæst. 2.

Et prob. 1. ex Aristotele, qui in tex. 15. hæc habet *Forma itaque natura est; sed forma, & natura dupliciter dicitur: etenim priuatio forma quodammodo est*. Addi potest hæc ratio. Priuatio est principiū motus; siquidem priuatio est principium generationis, vt ex lib. præced. apparet: At generatio est motus, quo pacto motus capitur in definitione Naturæ: accipitur enim motus communiter sumptus, prout generationem quoque, & corruptionem includit. Præterea, priuatio est causa; nam est finis corruptionis: Finis autem est causa. Reliquæ etiam definitionis particulæ commodè eidem priuationi aptari videntur: quare hæc est natura, valet enim à definitione ad definitum.

Dicendum nihilominus est, priuationem non esse verè & propriè naturam, sed solum posse dici naturam per quandam analogiam, ac proportionem, XVI. & sic etiam potest eidem solum proportione quadam accommodari naturæ definitio.

Quod priuatio non sit verè ac propriè natura, ostendo: Primò, quia Philosoph. adæquatè partitur naturam in materiam, & formam, quemadmodum in tex. 10. & 11. constitit: de priuatione au-

Tt tem

casu sexto, *naturâ*. (*vnde alij vertunt, sed est à natura, vt homo*: alij, *sed à natura constat*: alij, *sed naturaliter est, & constat.*) *& magis hæc natura, quàm materia*. Quibus in verbis clarissimè tria conspicis sancita. Vnum, quod forma est alio modo natura, quàm sit materia. Alterum, quod compositum ex materia, & forma non est φύσις, natura sed, φύσει à natura, & vt Simplic. loquitur, *est duce natura*: Tertium, quod hęc idest forma, est magis natu ra, quàm materia.

Ad quam quidem auctoritatem occurrit P. Oviedo, quod Arist. præfatis verbis hoc tantum sibi XXII. vult, quod compositum est quidem natura, at non est ita natura, quemadmodum est ipsa materia, & forma. Nam illæ tantum sunt natura, compositum autem, tum est natura, tum constat natura. Expendas quæso, inquit hic auctor, particulam illam, *sed est, & constat natura*, quæ verba clarè sonant, sed compositum est natura, & constat natura. Ex qua quidem, subdit idem auctor, præcedentem partem huius clausulæ intelligo, in qua Arist. asserit compositum non esse natura in ratio n, sicuti est materia, & forma, quæ sunt natura, & natura non constant; sed esse simul naturam, & constare natura. Si enim in priori parte clausulæ absolutè negaret, totum esse naturam, ineptè in posteriori contradictorium exprimeret, sed est natura. Hæc ille,

Hic auctor acutè exigit suæ contemplationis machinam, at in arena: quia illa verba, *sed est, & constat natura*, Aristotelis non habet, sed vbi sanxit, *Quod autem ex his est, natura quidem non est*, nihil aliud subdit, nisi φύσει δέ, οἷον ἄνθρωπος. *natura autem, siue à natura autem, vt homo*. Quocirca illa imaginatio corruit. Quamquam hic auctor quoquo pacto excusari queat, quia sic inuenerat apud Argyrop. qui reuera ita vertit. *id autem quod ex his est compositum, natura quidem non est: sed est, & constat natura, vt homo*. Verumtamen malè vertit, & dedit alijs errandi ansam.

At neque id omiserim, quod etiam antiqua translatio hoc loco lapsa est, nam subsequentia verba, XXIII. καὶ μᾶλλον φύσις αὕτη τῆς ὕλης, vertit, *& magis natura hoc, quàm materia*, vt dictio, *hoc*, referatur ad compositum. Quocirca sensus esset, quod compositum est magis natura, quàm sit materia. Quæ translatio inepta est, & funditus inuertit Stagiritæ sensum, dum mutat genus αὕτη, hæc, in hoc. Quippe αὕτη refertur ad formam, atque ista asseritur esse magis natura, quàm sit materia, non compositum:

Codex etiam cussus Lutetiæ Parisiorum typis Regijs anno 1619. offendit hic in græcis verbis. legit enim, καὶ μᾶλλον φύσις αὐτης τῆς ὕλης. Vbi scitis, nomina comparatiua, vt apud latinos exposcunt casum sextum, sic apud Græcos optare genitiuum: Quocirca hæc verba, καὶ μᾶλλον φύσις αὐτης τῆς ὕλης, præcise sta sonant. *& magis natura ipsa materia*, siue, *& magis natura, quàm ipsa materia*. Ex quo adhuc potest esse sensus, quod ipsum compositum, de quo immediatè erat sermo, est magis natura, quàm sit ipsa materia. Verùm hæc lectio est mendosa. Nam in lingua græca nunquam inuenitur genitiuus ταύτης, sed αὐτῆς. Vnde idem codex in latino rectè legit, *Atque hæc magis quàm materia est natura*. Sed redeo ad propositum, &c.

Probo ratione compositum naturale non esse naturam. Natura est principium, & causa motus, XXIV. & quietis, *eius in quo est*. Compositum non est huiusmodi principium eius in quo est, quippe compositum haud est compositi, neque in composito. non igitur compositum in recto est natura, sed habet naturam: constat natura: & est à natura, omninò est φύσει, vt explicat Stagirites tum in tex. cit. tum in tex. 4. & 5. huius lib.

Hinc apparet etiam deceptio in verbis illis Philosophi in oppositum inductis. Nam in quinto Me- XXV. taph. allegato in arg. sic habet. φύσει μὲν οὖν τὸ ἐξ ἀμφοτέρων τούτων ἐστίν, οἷον τὰ ζῶα, &c. *natura igitur quod ex ambobus his est, vt animalia*, &c Vbi *natura* non est rectus, sed idem pollet atque à natura, vt indicauit. Sic in tex. 1. huius lib. φύσει μὲν τὰ τε ζῶα, &c *naturâ*, siue *à natura sunt animalia*, &c. Porrò si animalia sunt natura, quemadmodum auctores illi opinantur, cum Arist. dicat, *natura quidem sunt animalia, & partes ipsorum*, fateantur necesse est, etiam partes animalium esse naturam: atque adeò manus, pes, caro, os, idque genus alia fuerint natura: Quod nemo sanæ mentis dederit vnquam. Porrò vt quæ hucusque dicta sunt, medullitus introspicias, sit.

SECTIO IV.

Nomen Natura, seu Natura ipsa, non est vniuoca ad materiam, & formam substantialem, sed analoga.



Aturam dici vniuocè de XXVI. materia, & forma opinati sunt Domin. Soto hic quæst. 1. Tolet. quæst. itidem 1. in respons. ad 5. & Complut. Disputat. 7. quæst. 2. Alij autem, inter quos est Mastri in Disput. 6. quæst. 2. art. 2, aiunt, rationem naturæ, tam materiæ quàm formæ cuicunque conuenire vniuocè analogicè, idque ex Scot. in 2. dist. 18. Sunt alij, qui addunt compositum, ita vt materia, forma, & compositum naturale vniuocè participent rationem naturæ. His ad-

hæsit P. Ouiedo in suo curs. Philos. in Phys. contr. 6 punct. 2. in fine.

XXVII Dicendum nihilominus est, Naturam nullo pacto esse vniuocam ad materiam, & formam, sed analogam.

Inprimis ita docuit Magnus Syrian. relatus, & approbatus à simplic. in fine Digress. ad tex. 3. cuius verba subijcio. *Adnotat magnus Syrianus, quod hæc tradita definitio naturæ omnibus pene conueniat significatis naturæ, peculiariter in vnoquoque sumpta. Nam ceu nomen naturæ æquiuocè.* (idest analogicè, etenim analoga Græci plerumque æquiuoca solent appellitare) *prædicatur de materia, & forma, atque de ea, quæ veluti productio naturalis, & generatio est, cuius nomen de ea, quæ est vt causa corporum naturalium, propriè ordinatur: sic etiam definitio hic intelligitur de ea Natura, quæ propriè dicitur natura, sed per comparationem etiam de alijs principijs: nam principia motuum, & alia natura sunt, sed non eodem modò.*

Tu singula perpende. Consimilia quoque habes apud eundem simplic. in Digress. ad tex. 17. & in com. tex. 12. atque alibi sæpe: Idem habent cæteri Græci interpretes. Adhæserunt deinde Auerr. com. 1. huius lib. & com. 3. *iam, inquit, diximus, quod ista definitio non dicitur vniuocè, neque etiam æquiuocè, sed secundum prius, & posterius.* Alber. Mag. Tract. 1. cap. 3. D. Tho. hic lect. 1. PP. Conimbr. ad hoc cap. quæst. 1. art. 1. Hurtad. disp. 1. sect. 3. Thom. Gian. in sua Phys. lib. 5 cap. 8. atque hodie est recepta, &c.

Prob. Vniuoca non prædicantur magis de vno aliquo inferiorum, quàm de altero, vt constat ex
XXVIII Antepræd Et sanè homo non est magis animal, quàm equus. Atqui Natura magis prædicatur de forma, quàm de materia, *Nam magis natura est hæc,* videl. forma, *quàm materia: vnumquodque enim tunc dicitur, cum actu est, magis, quàm cum potentia;* loquit Arist. in com. tex. 12. & repetit in quinto Metaph. cap. 4. & prosequitur in primo de Partib. animal. cap. 1.

Secundò, Nihil est vniuocum principio actiuo, & passiuo, tum entelechiæ rei, & puræ potentiæ, ac illi, quod secundum se est propè nihil. Forma est natura vt principium actiuum, eademque est entelechia, & consummatio rei; Materia verò est natura vt solum principium passiuum, sicut infertur patefactam, eademque secundum se est mera potentia, ac prope nihil, vt constat ex lib. 1. tex. 82. & 79. quare impossibile est, naturam dici vniuocè de ijs.

Tertiò, Vniuocata omnia necessario sunt compo-
XXIX. sita, vtpote quæ constare debent ex eo, quod de ijs vniuocè prædicatur, & ex proprijs differentijs: vt in omnibus vniuocatis, licet animaduertere. Si igitur Natura esset vniuoca ad materiam, & formam, istæ necessario essent compositæ. Cum itaque hoc nemo vnquam concedat, fateamur necesse est, naturam non dici de ijs vniuocè.

Ad extremùm, si Natura esset vniuoca ad materiam, & formam, ergo vnius rei essent duæ naturæ distinctæ, vnius, atque eiusdem generis; nam materia, & forma sunt res inter se re ipsa distinctæ. Quod tamen nullo modo dicendum est: siquidem hoc perinde foret, ac si dicas, essentiam V. G. hominis constare ex duplici animali realiter in eo distincto.

Ex his euidenter liquet, naturam non dici vniuocè de materia, & forma substantiali. At non mi- XXX.
nus conspicuum est, eam non dici æquiuocè. Nam æquiuoca, nomine tantum conueniunt, substantiam autem, secundum illud nomen sortiuntur omnino diuersam: Quod in præsenti non contingit. Item, vnũ ex vniuocatis, non dicitur per ordinem ad aliud: Materia autem dicitur Natura etiam per respectum ad formam, quæ est primum analogatum, quemadmodum animal est primum analogatum in sanitate, ad quod quidem tum pulsus, tum vrina, tum medicina, tum diæta dicuntur sana. Hoc ipsissimum est, quod docet Philosoph. in quinto Metaph. cap 4 cit. dum ait, formam propriè appellari naturam, materiam verò dici naturam, quia est susceptiua formæ. *Ex dictis itaque prima, & quæ propriè dicitur Natura, est substantia,* idest forma, *eorum, quæ in se ipsis, vt ipsa sunt, motus principium habent: materia enim, eo quod huius est susceptiua, dicitur natura: generationes autem, & ipsum nasci, eò quod ab hac motus sunt,* &c. Vbi D. Tho. ita scribit. *Vnde patet, quod primò, & propriè natura dicitur substantia, idest forma eorum habentium in se principium motus, in quantum huiusmodi: materia enim dicitur esse natura, quia est formæ susceptibilis,* dic. susceptiua.

SECTIO IV.

Dilutio argumentorum in sect. prima inductorum.



X his quæ proximè dixi, etiam argumenta, pro ea parte confecta, quod ma- XXXI.
teria neque natura sit, neque in definitione Naturæ comprehensa, facile depelles. Et quidam primum fundamentum à Simplic. indicatum, nil concludit aliud, quàm quod materia est verè, & propriè natura; idquod nos quoque in sect. 2. ostendimus. Quod vsque adeo verum est, vt Veteres Physic, cum non possent vsq; ad primam materiam peruenire, aliquod corpus sensibile primam materiam omnium rerum posuerint, veluti ignem, aerem, vel aquam, & illud dixerunt esse substantiam, ac naturam rerum omnium. Ex eo autem quod materia constituitur natura, haud efficitur, quin forma, quoque sit natura.

Ad

Ad alterum fund. pro sola forma, respond. naturalia sortiri vtique speciem, & essentiam à forma, quæ ideò est etiam magis natura, sed tamen intrinsecè includere etiam materiam, tanquam alteram suæ essentiæ partem, & principium passiuum generationis, & motus eius, in quo est, quocirca etiam hæc est natura. Præterea, naturalia distinguuntur vtique ab artificialibus per formam, quæ est actus substantialis: nihilominus distinguuntur etiam per materiam. Nam in artificialibus principium materiale non habet potentiam naturalem ad talem formam; contra verò in naturalibus. Vnde, & factiones rerum artificialium non sunt naturales, secus verò generationes rerum naturalium.

Fundamentum autem illud, quod materia secundum se non est natura, propterea quia secundum se est vniuersalis quædam potentia, atque ad omnes formas indifferens, nullius penitus momenti est, Stagirites sermonem habet de materia, dum eam constituit naturam, quatenus est à parte rei: est autem à parte rei semper sub aliqua forma, ac proinde hoc pacto semper existit determinata: Dum autem materia apprehenditur vt vniuersalis potentia, & indifferens, id habet per intellectum, de qua conditione in præsenti non est sermo.

Pergo iam ad alia argum. in eadem sect. confe-
XXIII. cta: Erat primum, quod dum de analogis agitatur sermo, is intelligitur de primo analogato: Forma est primum Naturæ analogatum, quare de ea sola intelligitur sermo habitus de Natura, atque adeò ea sola fuerit natura. Dico, maiorem sic esse intelligendam, quod de primo analogato agitur præcipuè, ac principaliter: ex hoc tamē haud tollitur, quin de reliquis quoque analogatis minus principaliter intelligatur. Hoc vides in illis ipsis Philosophi verbis in arg. inductis, quæ erant. *Vbique præcipuè primi, & ex quo cætera pendent, & propter quod dicantur, scientia est*. Audis, scientiam esse *præcipuè primi*? ergo minus præcipuè est etiam cæterorum. Quare aliud est agi de aliquo præcipuè, ac principaliter, aliud verò agi de eo solo. Sic in re nostra, sermo de Natura, præsertim ac principaliter est de forma, veluti de primo Naturæ analogato, minus autem principaliter est etiam de materia. Neque propterea efficitur, vt hæc excludatur à ratione Naturæ. Quid vero? Arist. in quarto illo Metaph. tex. 2. constituit, ens esse analogum ad substantiam, & accidens. Num quid igitur disputatio deinceps habita, est de sola substantia, nullo autem pacto de accidente? aut propterea sola substantia fuerit ens, non item accidens? Nihil istorum, sic in proposito dic de Natura.

Ad 2. arg respond. ex illis Philosophi verbis nil
XXXIV. aliud erui, quàm quod materia sit secundarium Naturæ analogatum: & forma sit primum: Nec propterea tollitur, quin materia sit natura: quemadmodum nunc aiebam de substantia, & accidente, quod licet sit secundarium analogatum, adhuc est ens.

Secundò penitius respond. quod Arist. in dictis verbis, non ambigit an materia sit natura: sed declarat modum, quo ea est natura. Prius ex eo apparet, quia circa initium eius capitis, dum recenseret acceptiones Naturæ, decreuit, materiam absolutè, & per se dici naturam: *Item natura dicitur, ex quo primo inordinato existente, &c.* quare in verbis in arg. adductis nequit intelligere, quod materia per se non sit natura, & sit solum in ordine ad formam: alioquin sibi apertè contradiceret. sed explicat modum, vt dixi, quo ea est natura, & ait, eam esse naturam, quatenus est subiectum susceptiuum formæ, quæ porrò est primò, & præcipuè natura. ἡ γὰρ ὕλη τῷ ταύτης δεκτικὴ, λέγεται φύσις, *nam materia ipso esse eius susceptiua, dicitur natura*. Dic clarè. Materia est natura vt subiectum formæ. Et hoc ipsum est, quod tradidit in tex. 4 huius lib. dum ait, *subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper*.

Ad 3. Temerè nonnulli circa illa verba torquen-
tur: Mens Philosophi clarissima est. Supponit in XXV.
tex. illo 11. ceu iam in prioribus patefactum, & communi Veterum Philosophorum confessione firmatum, materiam verè esse naturam: & intendit eo loci solum probare, formam quoque esse naturam; quia res non dicuntur esse actu tales, nisi cum actu obtineant formam, vt in artificialibus videre est. Vnde sicut in lecto V. G. antequam sit actu lectus, supponitur lignum, quod, ad aures illorum Philosophorum comparabatur materiæ, & naturæ, ita hic supponitur materia, & natura sub alia forma: deinde accedente actu forma ossis, aut carnis, fit actu os, & caro. Et in hoc sita est similitudo Arist. in alijs autem non debet extorqueri. Sic etiam expone consimilia verba ex quinto Metaph. cap. 4.

Ad illud verò ex duodec. Metaph. quo loci materiam contradistinguit à natura, quod substantia quædam est *materia, quædam natura & quod quid, & quidam habitus ad quem*. Dic, per naturam hic intelligi formam. Et est consueta substantiæ diuisio in materiam, formam, & compositum, vt videmus in secundo de Ani. tex. 2. septim. Metaph. tex. 8. & alibi sæpe. Quod autem intelligatur forma; subsequentia verba euincunt. Forma enim est ipsum quod quid erat esse rei, & est veluti quidam habitus, tum respectu præcedentis priuationis; tum quia ad eam dirigitur generatio; tum quia est in materia, veluti habitus in subiecto.

Ad 4. argum. occurrendum est, has duas voces
principium, & causa, in definitione adscriptas Na- XXXVI.
turæ, artificiosissimè poni ab Arist. ita vt prior, idest *principium*, propriè referatur ad materiam, quæ est principium tantum passiuum: posterior autem, nempe *causa*, propriè referatur ad formam, quæ est principium actiuum: Exploratum enim est, causam supra principium addere influxum: quem porrò addit principium actiuum, siue forma. Vnde haud est necesse, vt materia, ad hoc vt sit natura, debeat habere influxum actiuum, quia hæc sunt propria causæ, & formæ, non verò principij passiui, & materiæ.

riæ. Quamquam etiam materia suo modo agit, vt infra dicemus.

Præterea nego, quod materia non sit principium, XXXVII & etiam *causa*: Addo tamen, quod non est causa eo modo, quo forma; sed suo, videl. in suo genere materiali. Enimuerò ft, iuxta tex. 11. huius lib. *alio modo natura vtique est habentium in se ipsis motus principium forma, & species, quàm materia*, alio etiam modo fuerit principium, & causa materia, quàm sit forma. Est itaque materiæ natura, vt causa materialis.

Quare ad arg. neganda est minor. Et ad primam eius probationem, quod hoc pacto materia esset subiectum motus, occurro: Ac primò quidem materia est germanum alicuius motus, idest generationis, subiectum. Nam motus in definitione naturæ accipitur communiter, vt complectitur omnes species motus. Deinde, materia est etiam subiectum omnium cæterorum motuum, sed subiectum primum, remotum, &, *subiectum quo*, quemadmodum est omnium omninò accidentium, sicut in lib. de ort. & inter. exposui: subiectum autem proximum, & *vt quod*, motuum, & omnium accidentium est ipsum compositum, conflatum ex forma, & materia, tanquam ex concausa, atque altera comparte.

Ad 2. probationem eiusdem min. dico, etiam XXXVIII materia habet suum influxum, seu concursum. Concurrit enim verè velut principium substantiale intrinsecum ad constituendum ens naturale, & etiam ad productionem formæ. Quod autem ita concurrit, nonne in suo genere influit? Item, materia est vna quattuor causarum: At causa, vt in arg. vrgetur, habet influxum: materia igitur omninò habet influxum. Sic dilues etiam tertiam prob. Nam materia agit; at non vt causa actiua, sed in suo genere, vt in disput. de causa materiali abundè dixi. Tali autem modo agere, non requirit sem esse actu.

Ad 3. arg. resp. quod motus naturalis, aut violentus in rebus naturalibus, potest tum respectu XXXIX. formæ, tum respectu materiæ spectari. Respectu quidem formæ, absolutè motus dicitur naturalis, aut violentus. Naturalis quidem, cum oritur à forma constituente rem in ea specie, & habente naturalem vim ad efficiendam eiusmodi motum, vt vis ies in forma ignis ad motum sursum: violentus autem, cum motus est contra inclinationem eius formæ, ac proinde à principio extrinseco. Si autem motus consideretur respectu materiæ, hæc gemino modo potest accipi. Primò, quatenus concipitur per intellectum absque omni forma: secundò, quæ est hac, aut illa forma induta. Materiæ priori modo captæ, quiuis motus potest dici naturalis, & iuxta illius inclinationem, quoniam sicut materia illo modo spectata, æqualiter respicit omnes formas, ita æqualiter se habet ad omnes motus, & affectiones ab iisdem formis prodeuntes: Posteriori autem modo potest dici aliquo modo hic motus esse naturalis huic materiæ, ille autem violentus, quia materia considerata vt tali forma substantiali informata, sicut reductiuè pertinet ad speciem compositi, ita participat inclinationem formæ, & propensionem totius, cuius est pars; cum pars naturaliter propendeat ad affectiones totius.

Ad vlt. facile occurritur: Vnius rei vtique vna est natura totalis, & adæquata: At nihil vetat, quominus sint duæ partiales, & inadæquatæ; atque huiusmodi sunt materia, & forma.

QVAESTIO III.

Vtrum Natura ab Aristotele definita, sit principium passiuum tantum, an actiuum tantum, an verò vtrumque, & quomodo?

SECTIO I.

Recensentur duæ extremæ opiniones cum suis fundamentis.

I. Cris est inter auctores disceptatio, quomodo in definitione Naturę accipiendum sit *principium motus*: vtrumne intelligendum sit, naturam esse principium tantum actiuum motus, an passiuum tantum? Vna quidem ex parte Auicen. in primo suæ suffic. cap. 5. opinatur, Naturam esse solum principium actiuum.

Cuius fundamentum est duplex. Primum, quia Philosophus post allatam Naturæ definitionem, secernit per eam naturalia à non naturalibus, quòd non naturalia non habent *in se ipsis principium factionis*. Cùm itaque per hoc discriminet naturalia à non naturalibus, apertè indicat, quòd naturalia habent in semetipsis actiuum principium motus, quæ est natura. Nam factionis principium non est, nisi actiuum.

Deinde, Arist. consueuit causam effectricem appellare principium vnde motus: Amplius causa dicitur, *vnde principium mutationis primum, aut quietis, vt consultor causa, & pater filij, & omnino faciens facti*, inquit in tex. 29. ergo rationi consentaneum est, vt principium motus, in definitione Naturæ etiam accipiat pro actiuo.

Sim-

Digitized by Google

Simplicius mirum in modum hac in re se se conuoluit tum in com. textus a. dum expendit illa verba, *omnia, quæ natura sunt, videntur habere in se ipsis principium motus*, tum in Digress. ad tex. 16. & 17. Ac primò quidem recenset quinque Naturæ acceptiones. Primò, Natura accipitur pro materia: Secundò, pro forma: Tertiò, pro composito naturali. Quartò, pro illo motu, quo res nascuntur, quandoquidem φύσις, natura dicitur quasi ἐκφύσις, quod est exortus, & nascentia: quemadmodum enim ὕφανσις textura, seu textio, & ἰάτρευσις medicatio, sunt illi motus, quo textor rem contextam, v. g. tunicam facit, & quo medicus facit sanitatem, ita φύσις est motus ille, quo res promouetur in esse. Quintò, natura sumitur pro eo, quod est causa, vt naturalia moueantur, *sicut ars*, inquit Simplic. *est causa effectrix artificialium, & motus eorumdem*.

III. Obseruat deinde, quod Natura hoc vltimo modo accepta, incipit suam operationem ab ea natura, quæ est materia, & mediante alia natura, quæ est exortus, ac generatio, deuenit ad aliam naturam, quæ est forma: & sic demum constituit aliam naturam, quæ est compositum, quapropter natura per naturam definitur naturam. Deinde subdit, quod quamuis spectata vi vocis, φύσις natura, primò significet exortum, & motum illum, qui quarto loco expositus est, nihilominus *conceptio, & significatio nominis magis propriè conuenit ei naturæ, quæ accipitur vt effectrix causa eiusrerum naturalium*. Ex quibus vides, ad istius auctoris aures, naturam propriè sumptam esse principium efficiens, idque internum, atque internè operans.

IV. Propius deinde accedens, inquirit, si natura est vt ars, & efficiens, quomodo igitur differt ab anima, quæ tum ab Aristot. tum à Platone constituta est principium internum efficiens motus?

Hic validè agitatur: & tandem constituit, quod, Natura est infra animam: Ac proinde si anima, est principium actiuum, quo animata se ipsa mouent, ergo natura non erit principium actiuum, seu efficiens motus; alioquin minimè discriminaretur ab anima: Relinquetur itaque, vt natura sit, solum principium passiuum, per quod habens naturam efficitur aptum atque idoneum, non vt se moueat, sed vt moueatur: neque vt se faciat quiescere, sed vt ipsum quiescat: & omninò vt recipiat tum motum, tum quietem. Audi ipsum qui his omninò concludit. *Natura igitur secernitur, & distinguitur ab anima, Nam principium motus corporibus naturam non ita Arist. dicit, vt ipse, & Plato dicunt esse animam; siquidem apud vtrumque anima est motrix corporum. At natura est principium motus, non quatenus mouet, sed quatenus mouetur, & quietis, non quatenus quiescere facit, sed quatenus quiescit, & recipit quietem. Quocirca naturalia neque à se ipsis moueri dicuntur: alioquin possent, vt inquit Arist. etiam se ipsa firmare, sed quadam idoneitate videntur esse, qua moueri & effici, disponique aliquid potest*. Hæc Simplicius.

Confirmat hic auctor istud suum dogma triplici fundamento. Primò expendit Philosophi verba, qui in sua definitione, Naturam essert per verba passiua, non actiua. Ait quippe Naturam esse principium τοῦ κινεῖσθαι, *vt moueatur*: si autem natura esset principium actiuum, deberet dicere, eam esse principium τοῦ κινεῖν, vt moueat.

V. Secundò, grauia, & leuia sunt entia naturalia: At non habent in se principium actiuum sui motus, vt constat ex oct. Phys. tex. 32. Nam si tali principio prædita essent, non quæreret Philosophus, vt ceteris eo loci quærit, à quonam ista moueantur? Et tandem in calce illius tex concludit. *Quod igitur nihil horum ipsum mouet se ipsum, manifestum est sed motus habet principium non mouendi, neque faciendi, sed patiendi*.

VI. Postremò, si natura esset principium actiuum motus, non differret ab anima. Cur? quia anima est principium actiuum omnium motuum, quicunque in animante reperiuntur: id quod vel in anima vegetali omnium animatum infima, animaduertere licet. Videmus enim tali anima prædita habere in se ipsis internum actiuum principium, & causam nutriendi, augendi, & procreandi similia: Eodem pacto videmus, omnem omninò animam esse motricem corporis, & effectricem omnium operationum, in eo existentium, si itaque natura distat ab anima, vtpote infra eam constituta, profactò non erit principium actiuum, sed [passiuum] duntaxat.

VII. At quia hic auctor robustum existimauit hoc argumentum ex discrimine naturæ, & animæ haustum, iccircò pergit, ac multis conatur ostendere, animam non esse naturam, quod facit tum locis nuper indicatis, tum etiam in proœm. ad lib. de Ani. Subijciam vnum, vel alterum: Primum est: Illa quæ habent diuersas definitiones, sunt inter se diuersa: Natura, & anima habent diuersas definitiones; siquidem anima, ex secundo de Anim. tex. 7. est actus corporis naturalis organici: Natura autem est actus corporis non organici, & heterogenei, sed simplicis ac homogenei, quare anima, & natura inter se differunt. Confirmat ex eadem animæ definitione, in qua Philosophus ait, animam esse actum corporis naturalis: igitur ergo animam esse actum superadditum ipsi naturali; ac proinde superadditum ipsi naturæ: Aliud igitur est natura, aliud anima; alioquin idem adderetur ipsi sibi.

VIII. Secundum arg. Anima est causa motuum oppositorum, veluti in animalibus cernimus, & vegetabilia per animam, *suscipiunt augmentum, & decrementum secundum contraria loca: non enim sursum quidem augentur, deorsum autem non, sed similiter in vtraque, & omnem in partem aluntur*, vt loquitur Stagirites secundo de Ani. tex. 14. Atqui natura est causa certi, ac determinati cuiuspiam motus, & ad vnam duntaxat partem, non ad contrariam. Sic ignis per naturam solummodo ascendit, descendit autem nunquam, & terra natura itidem sua tantum descendit, neutiquam verò ascendit: quare ani-

ma,

cipium; Primò, eadem ratione euinces, quia forma, vt in illa ipsa Sect. ostendi, est verè ac propriè Natura: At compertum est, formam esse principium actiuum; legimus quippe apud Arist. in secundo de ort. & inter. tex. 53. quod *materiæ est pati, & moueri, mouere autem, & facere est alterius potentiæ*, idest formæ. *Manifestum autem & in ijs quæ, arte, & natura generantur. Non enim ipsa facit aqua animal ex se ipsa, neque lignum lectum.*

Idem colligo euidenter ex Arist. quinto Metaph. cap. 4. quo loci cum dixisset, materiam dici naturam, eo quod est formæ susceptiua: generationes autem, & ipsum nasci dici naturam, (subdit huius rationem,) *eo quia ab hac, scil. à natura, motus sunt, & principium motus eorum, quæ naturæ sunt.* Quis verò nescit, id à quo motus oritur, & quod est principium motus rerum naturalium, esse actiuum? Addo ex hoc secundo lib. tex. 13. vbi ostendit, formam esse naturam, quia res naturales generant alias sibi similes per formam. *Si enim hoc est ars*, quare, *& forma est natura: fit enim ex homine homo.*

XIV. Secundò prob. ex illo Philosophi exemplo de medico seipsum sanante, *cui*, vt ipse ait, in tex. 86. *similis est natura*. idcircò in tex. 3. post traditam Naturæ definitionem, apponit differentiam inter medicum seipsum sanantem, & Naturam, quod tunc medicus, seu potius medendi ars, est principium motus, videl. sanationis solum per accidens: Natura autem est principium motus per se. Hic perpende, quod si Natura esset principium solummodo passiuum, & non actiuum, legitima differentia, neque vllo vnquam pacto omittenda esset ista; Quod medicus est principium actiuum suæ sanationis: Natura autem est principium passiuum. At Stagirites hoc non dicit: sed supponit, tàm medicinam, quàm Naturam esse principium actiuum motus, discriminari autem, quod illa est principium per accidens, hæc per se. ergo &c.

XV. Tertiò, In eodem contex. planissimè asseuerat, ea, quæ arte constant, non habere in se ipsis principium effectiuum, quemadmodum habent naturalia. *Similiter*, inquit, *& aliorum, quæ fiunt vnumquodque: Nullum enim ipsorum habet in se ipso factionis principium, sed alia quidem in alijs, & ab exteriori, vt domus, & aliorum manufactorum vnumquodque: Alia autem in se ipsis quidem, sed non secundum se ipsa, quæcunq; secundum accidens, &c.* Perpende, duas hic ab Aristotele adijci differentias inter naturalia, & non naturalia. Prima est, quòd illa habent in se principium factionis ac motus, hæc verò habent in alijs. Secunda, quòd si aliqua non naturalia habent in se ipsis principium effectionis, vt medicus seipsum sanans, id erit ex accidente: Natura verò est principium per se. Porrò si Natura esset principium solum passiuum, hoc sanè deberet adduci, quod artificialia habent principium factionis, seu factiuum, Natura autem est principium passiuum dumtaxat. veruntamen Arist. supponit eam esse vim actiuam, & assignat discrimen, ex eo quod est per se, aut per accidens.

Quartò, In tex. 86. eiusdem lib. ait, quod si ars nauifactiua esset in ligno, ita fieret nauis à Natura, quemadmodum fit nunc ab arte. *Si*, inquit, *esset in ligno nauis faciendæ ars, non secus atque natura fieret.* Perpende, quod in arte nauifactiua duo sunt respectu ligni, ex quo ea nauim intendit construere: Vnum, quod ars est principium, & causa efficiens: Alterum, quod ea non est principium internum ipsi ligno, sed externum. Aristoteles nullum apponit discrimen inter artem, & naturam, quantum ad primum: sed supponit, quod quemadmodum ars est vis, ac principium actiuum conficiendæ nauis, ita Natura quoque sit vis, atq; principium actiuum operationum, atque operum, quæ in corpore naturali eliciuntur, & solum ponit differentiam, quod ars non est principium internum ligno, Natura autem est internum. Hinc summa cum ratione in tex. 66. intellectus, & natura recensentur ab Stagirite in numero causarum efficientium, & in tex. 75. Natura dicitur operari proposito semper aliquo fine. Quæ omnia euincunt conspicuè, Naturam esse actiuam. XVI.

Demum, Cuicunque potentiæ naturali passiuæ correspondet alia naturalis actiua, iuxta decretum Philosophi quinto Metaph. cap. 17. & lib. nono tex. 2. At in gradu Naturæ est potentia substantialis passiua, quæ est materia, quare in eodem Naturæ gradu omninò dari debet alia potentia substantialis actiua, quæ, vt inferius ostendam, est forma. Ex his itaque reiectæ manent duæ illæ extremæ opiniones, quarum altera asserebat, Naturam esse principium actiuum tantum, altera passiuum tantum. Porrò antequam aperiam, quæ vnquam Natura, & quomodo sit actiua, & quæ passiua, operæ pretium fuerit, de altero Simplicij dicto, & fundamento decernere. quare. XVII.

Conclusio 2. Natura hic ab Aristotele definita, verè comprehendit etiam omnem animam: adeò, vt anima, & vegetatiua, & sensitiua, & intellectiua, secundum omnem gradum, secundum quem est in corpore, verè sit natura.

Hæc assertio est contra Simplic. locis iam indicatis, & Auicen. in 2. suæ suffic. cap. 5. tum Alber. Magn. in hoc lib. tract. 1. cap. 7. & lib. de origin. animæ cap. 4. qui quidem opinantur, nullam animam esse Naturam, sed esse supra naturam. Speciatim verò quantum ad vltimam partem, videl. de anima intellectiua, est contra Tolet. quæst. 2. Proœmial. ad lib. de Anim. & quosdam alios ibidem recensitos: à qua sententia haud videtur abhorrere P. Perer. lib. 7. suæ Phys. cap. 12. Existimat enim animam rationalem partim quidem esse, & appellari posse naturam, partim verò minimè. est etiam contra nonnullos recentiores, inter quos est Franc. Piccol. hic ad tex. 3. & in libro de Mente humana. Nostra tamen conclusio est Alex. Aphrod. relati à Simplic. ad tex. 3. & ita apud eum legere licet in lib. 1. de Anim. cap. 8. item est XVIII.

D. Thom. ad tex. 3. & in quæst. de Anim. art. 2. tuentur P. Suarez in Metaph. disput. 1. sect. 2. PP. Conimbr. quæst. 4. art. 1. Complut. quæst. eadem 4. Ruu. quæst. 3. & communiter alij.

XIX. Et quidem animam vegetalem, & sentientem syncerè intra Naturæ limites, atque adeò in definitione Naturæ comprehendi, facile persuaseris. Primò, quia Philosoph. in tex. 1. huius lib. enumerans ea, quæ natura constant, ait esse *animalia, & partes eorum, & plantas*: sed ista constant, & sunt talia per animam, seu per partem præcipuam, cum in ijs nulla alia supperat forma præter animam: quare istorum animæ verè sunt natura.

Præterea, in tex. 80. dum ostendit, Naturam agere propter finem, expendit opera formicarum, hirundinum, araneorum. Hæc itaq; opera sunt à Natura: Atqui omnia ista proficiscuntur ab anima dictorum animalium, quæ, vt ex secundo de Anim. tex. 156. discimus, operantur per phantasiam, ergo anima illorum est Natura.

Ad hæc, in oct. Phys. tex. 27. asserit Arist. animalia, cum moueantur à principio illis intrinseco, moueri à natura. Tale autem principium illis intrinsecum, à quo mouentur, procul dubio est anima; quare hæc est natura. Verùm pluribus hic haud est opus, cum rem istam expressè habeas decisam ab Aristotele in primo de Partib. animal. cap. 1. quo in loco probat, animam vegetatiuam, & sensitiuam esse naturam, *quia sunt principium augendi, & vis alterandi, ac sentiendi*: idcòque tractationem earum per se ad Philosophum Naturalem attinere.

XX. Ex quo etiam loco desumo manifestissimam rationem. Anima vegetatiua, & sensitiua verè est internum principium, & causa per se motus in plantis, & animalibus: verè igitur vtraque est Natura. Conseq. tenet à definitione ad definitum: Assumptum autem prob. nam vegetatiua quidem est internum principium, & causa nutritionis, augmentationis, & generationis; sensitiua autem est internum principium, & causa omnium sensationum, & motus secundum locum, ergo verè vtraque est Natura.

De anima intellectiua maior est difficultas, præsertim propter aliqua Philosophi verba in cap. illo 1. de Partib. anim. quæ tamen nihil officiunt, vt latissimè exposui initio nostrorum Comment. ad tertium lib. de Anim. qui loci ex instituto rem hanc agitaui: eapropter in præsens nihil amplius addam: sed ad rem propositam pergo.

SECTIO III.

Quanam natura est principium actiuum, & quæ passiuum.



Atefactum à nobis hucusq; est, sed indistinctè, Naturam ab Aristotele definitam esse principium tum actiuum, tum passiuum motus, & mutationis; iam docendi ratio exigit, vt cum duplex sit Natura, altera quidem materia, altera verò forma, distinguamus, & explicemus, quænam natura, & quomodo sit principium actiuum, & quæ passiuum. XXI.

Et quidem de actiua, non videtur explicatu difficile, cum constet, id esse actiuum principium alicuius motus, à quo motus ille efficitur: Manifestum autem est, motus naturales rerum effici ab earundem formis. Si motus animalium efficitur ab eorundem anima, vt etiam explicatur in oct. Phys. tex. 32. sic in sententia nostra, motus grauium, ac leuium efficiuntur principaliter ab eorum formis, quemadmodum in eodem lib. oct. dixi. ideircò Natura, quæ est principium actiuum, verè ac syncerè erit forma. Et sanè proprium formæ est agere, vt in secundo quoq; de ort. & inter. tex. 53. asseritur. Vbi etiam nota, quod cum principium actiuum necessario inferat influxum in eo, in quod agit, quippe qui agit, influit aliquid: influxus verò est proprius causæ, etenim causa distinguitur à principio, quia addit influxum; propterea puto, hoc principium actiuum, siue hanc actiuitatem, quæ conuenit Naturæ, vt est forma, explicari ab Aristotele in definitione Naturæ per illam dictionem, *& causa motus &c.* sicuti paulo post clarius aperiam.

De principio autem passiuo lis agitatur maxima. Et quidem Simplic. quemadmodum in sect. 1. vidimus, opinatus est, Naturam à Philosopho definitam, esse principium passiuum dumtaxat, idque esse *quandam idoneitatem, qua moueri, & effici, disponiq; aliquid potest. cen ea, quæ deorsum per aut sursum orta, &c.* vt ipse loquitur in digress. cit. Hinc aliqui, vt explicatius viderentur loqui, dixerunt, principium passiuum motus in dicta Naturæ definitione haud esse solam materiam, verùm esse etiam formam. Et declarant exemplo à grauitate lapidis accepto, quæ tanquam forma accipitur, nihilominus est principium passiuum, & causa vt lapis sit receptiuus talis motus, qui est ad mediũ, propterea quod ab eadẽ forma, à qua res habet vt sit, habeat etiã aptitudinem recipiendi naturales affectiones. Ita Scot. XXII.

in

in 2. dest. 18. quæst. vnica. Alij verò eum solam formam existiment esse Naturam, qua de re supra dixi, solam formam aiunt esse tum actiuum, tum passiuum principium, diuersa ratione consideratum, ita Zabar. in lib. de Natur. cap. 8. pro resolutione.

Dicendum est primò, Natura, quæ in definitione Naturæ est principium passiuum, non est forma.

XXIII. Prob. Si forma ideò est principium passiuum, quia constituit rem idoneam atque aptam recipere hunc, aut illum motum, vt auctores oppositæ sent. dicunt, sequitur, naturam aliquando non esse principium passiuum, sed tantum actiuum: Hoc autem est falsum, quia iam in sect. præcad. ostensū est, Naturam esse principium tam actiuum, quàm passiuum. Consecuun est euidens, quia natura, quæ est forma, non modo est principium, & causa motus in eo corpore, in quo ipsa inest, quem motum immanentem appellamus, sed etiam est principium, & causa eius motus, qui producitur in alio subiecto, & vocatur motus, & operatio transiens. V.G. natura, & forma ignis est principium, & causa motus ignis à medio, qui est motus immaneus, cum recipiatur in eodem igne, à quo elicitur. Eadem natura, & forma ignis est principium, & causa calefactionis in ligno, quæ est operatio transiens. Vt enim ignis per suam naturam, & formā ascendit, ita per suam eandem naturam, & formam calefacit.

XXIV. Potiò naturam esse principium tam actionis immanentis, quam transeuntis, colligitur adhuc ex hoc lib. tex. 13. & lib. secun tex. 17. & primo de Partibus animal. cap. 1. & secundo de Anim. tex. 34. Hinc Alex. in primo Metaph. com. 69. *Quæ*, inquit, *natura constant, aliquid per eandem naturam sibi insitam possunt operari*. Et Arist. in definitione Naturæ sine dubio intelligit Naturā esse principium, & causam vtriusque huius motus, tam nimirum immanentis, quàm transeuntis.

Quo posito, sic colligo. Natura in motu, & actione transeunte non constituit corpus aptum, vt recipiat in se motum, sed vt in alio producat. Ergo tunc natura nullo pacto est principium passiuum. Hæc conseq. est aperta, quia præfati auctores contendunt, formam esse principium passiuum motus, quatenus constituit rem aptam recipere motum. Ergo cum in actione trāseunte non recipiat motum, sed in alio edat, profectò tunc non erit principium passiuum.

Secundò, Anima est natura, quatenus est forma; sed anima non est principium passiuum motus; anima enim est principium, quo viuimus, & operamur, primò, non quo patimur. Ergo natura, quæ est principium passiuum motus, non est ipsa forma.

Dico 2. Natura, quæ in definitione Naturæ constituta est principium passiuum, est materia. Itaq; cum duplex sit natura, videl. materia, & forma, illa est principium passiuum motus, & quietis, forma autem est principium actiuum, & causa itidem motus, & quietis.

XXV. Quæ assertio vel hinc redditur conspicua, quia materia est subiectum, vt ex primo lib. huius operis tex. 82. nosti: proprium autem subiecti est pati, vt asseritur in tex. 56. eiusdem lib. Deinde, motus in definitione Naturæ, quemadmodum in aliis explicatione dixi, accipitur communiter pro quauis specie motus, quatenus includit etiam generationem, & corruptionem: istę autem celebrantur immediatè in materia, velut in subiecto. Ergo respectu istarum materia est solum principium passiuum: respectu autem aliorum motuum, vt alterationis, augmenti, decrementi, & motus secundum locum, quamuis materia sola, ac de se, non sit subiectum immediatum, tamen est subiectum, quà est induta forma. Cum itaq; subiectum, quà subiectum, nullam habeat actiuitatem, relinquitur, vt materia sit illa natura, quæ dicitur principium passiuum: Forma autem erit principium actiuum eorumdem motuum, cum reuera formæ sit agere.

XXVI. Et propterea Eximius præceptor geminauit in definitione Naturæ illa duo vocabula, *principium*, *& causa*, vt principium referret ad materiam: causam autem referret ad formam. Quippe principium, secundum se non infert actiuitatem, aut influxum vllum: quem quidem influxum addit causa supra principium. Quocirca qui diceret, quod principium positum ab Arist. in definitione Naturæ, accipitur pro solo principio passiuo, & pro sola materia: causa verò posita in eadem definitione, accipitur pro solo principio actiuo, & pro sola forma, is, mea quidem opinione, rectissimè diceret. Ea his, quæ huc usq; diximus, liquidò apparet, quænam Natura sit principium actiuum, quę passiuum; & quomodo: superest, vt argumenta nostræ positioni contraria, depellamus, quata fit.

SECTIO IV.

Diluuntur argumenta confecta in sect. 1. pro duplici illa extrema opinione, Auicennæ, & Simplicij.



XXVII. *E*T quidem fundamenta Auicennæ nullius fuit pensi. Ad 1. respond. quod illud aduersatur iis, qui tuentur, Naturam esse principium passiuum dūtaxat, at contra nos, qui eam simul & principium actiuum, & passiuum statuimus eo modo, quo exposuimus, nullas obtinet vires. Etenim ex eo quod Stagirites ait, naturam esse principium factionis, siue actiuum, non

negat eam esse itidem passiuum. Ratio autem cur eo loci asprimat quidem eam esse principium actiuum, reticet autem passiuum, est, quia comparat Naturam cum arte, vt artem excludat, eamque seiungat à definitione Naturæ: siquidem ars non est artefactorum principium passiuum, sed actiuum dumtaxat. idcircò vt congrua sit comparatio, sumit Arist. Naturam etiam vt principium actiuum; ostenditq; artem esse tale principium motus. non in eo in quo est, sed in alio, & si est tale principium in eo in quo est, id contingit ex accidente, vt in medico se ipsum sanante; Naturam autem perpetuo esse per se principium actiuum motus in eo, in quo est.

XXVIII Ad 2. eodem modo respond. Est vtique natura causa effectrix, vt quo, quia talis est forma: nihilominus suppetit etiam alia natura, vt principium passiuum, quæ est materia. Præterea dico, Auicennam malè colligere. Nam Arist. causam effectiuam vocat id, vnde est motus. Modo longè aliud est, esse id vnde incipit motus, & aliud esse quomodocumque principium motus, vt est materia.

Similiter primum Simplicij argumentum accep-
XXIX. tum ex passiua illa significatione, qua Philosophus in tradenda Naturæ definitione vtitur, nullum est, nam verba illa, *vt moueatur, & quiescat*, non referuntur ad Naturam, vt Simplic. aliquin auctor Græcus, perperam sibi persuadet, sed referuntur ad mobile, vnde sunt vera etiam de principio actiuo, sicut anima est id, quo animalia mouentur, nec propterea anima est principium passiuum: ita natura est illud internum principium, per quod naturalia mouentur.

Ad 2. De motu grauium, & leuium multa dixi in Oct. Phys. ad tex. 32. in quæst. de motore grau. & leu. Interea dico, etiam grauia, & leuia moueri actiuè à suis formis. Cum verò Philosophus ait, animata mouere se ipsa, inanimata vero non item, intelligit quoad modum mouendi; quod scil. animata tali modo se ipsa mouere queunt, vt si illis lubet, possint etiam, quando, & vbi lubet, se ipsa sistere: expertia verò animæ id præstare neutiquam valent. Non enim lapis postquam cœpit deorsum ferri, potis est in medio quiescere, quemadmodum potest animal in medio etiam cursus se se firmare. Quocirca facta comparatione inter principium animatorum, quod tali modo est actiuum, & illud principium, per quod mouentur grauia, & leuia, ista dicuntur eo loci non habere principium actiuum, *neque mouendi, ac faciendi, sed patiendi*.

XXX. Ad 3. arg. negandum est, quod si Natura esset principium actiuum, non differret ab anima. Porrò argumentum Simplicij perinde concludit, ac si dicam, animal est sensitiuum, homo est sensitiuus, quare homo non differt ab animali. Ita res in proposito se habet: siquidem Natura est quid communius, ac veluti genus, anima autem est quasi quædam Naturæ species.

Proclus maiori intelligentia scito, quod sicut animal potest duobus modis considerari: Vno quidem in tota sui amplitudine, quo pacto complectitur, & rationale, & irrationale, alio verò modo quasi contradistinctum à rationali, siue ab homine, cum enim simpliciter dicimus animal, intelligimus irrationale; cuius rei ea est ratio, quia, auctore Porphyrio in cap. de differentia, commune est omnibus sub aliquo genere contentis, vt id quod inter illa est imperfectius, retineat sibi nomen illius generis. Ita Natura gemino modo vsurpatur: Vno quidem in tota sui latitudine, qua ratione omnis forma substantialis, ac proinde etiam anima est natura. Alio modo Natura accipitur prout contradistinguitur ab anima. Ex quo vlterius habes, quod sicut homo est tale animal, quod ratione suæ differentiæ, ac suarum operationum est supra animal, absolutè prolatum, sic anima est talis natura, quæ ratione quasi suæ differentiæ, & ratione suarum operationum, cuiusmodi sunt V. G. nutrire, augere, sentire, mouere, intelligere, est supra naturam, contradistinctam ab anima. Atque hoc intellectu communiter dicimus, quod natura est infra animam, & quod anima est supra naturam.

Ex qua quidem doctrina depelluntur illa etiam XXXI.
Simplicij argumenta, quibus innixus comprobat, animam haud esse naturam. Primum erat. Quæ habent diuersas definitiones, sunt inter se diuersa: Natura; & anima habent diuersas definitiones. Facile occurritur, quod genus procul dubio habet aliam atq; diuersam definitionem ac habet species. Si itaque natura latius patet, & est veluti genus, anima verò est veluti quædam naturæ species, quemadmodum dixi, quid mirum, si habent diuersas definitiones? Ex quo id tantum colligitur, naturam, & animam, differre, vt communius, & minus commune. Ad confirmationem autem, quod anima dicitur actus corporis naturalis, ergo anima est actus superadditus ipsi naturali; Respond. illam animæ definitionem intelligi causaliter, vt suo loco dixi. Anima non præsupponit corpus naturale, seu physicum, sed ipsa facit tale, quemadmodum facit etiam organicum.

Hinc diluitur etiam alterum eiusdem argumentum, quod anima est causa motuum opposito- XXXII
rum: Natura autem est determinata ad vnum. Solutio apparet ex dictis. Natura, vt contradistincta ab anima, & vt est infra animam, vtique est determinata ad vnum: Natura autem in tota sua latitudine non est determinata ad vnum, quia hoc pacto includit etiam animam, sicut exemplo animalis illustrabamus.

Ad 3. arg. dico, quod qua loquendi proprietate natura, id est forma, dicitur esse in subiecto, nempe in materia, quæ etiam est natura, eadem etiam, anima est in subiecto, & in materia. Anima namque immediatè vnitur materiæ primæ, vt in lib. de Anim. dixi. Quod

verò

Digitized by Google

verò anima rationalis sit ab omni interitione immunis, nihil ad rem facit: quandoquidem etiam illa, iuxta nostram veritatem, est vera humani corporis forma informans, vt in opere de Triplic. stat. Anim. dispu. 4. ostendi. Hæc ad Simplicium dixisse satis.

XXXIII Ad fundamentum verò aliorum in calce eiusdem sectionis adiectum, quod Natura sit principium tantum passiuum, neganda est minor, quod scil. omnis mutatio naturalis fit in rebus à principio passiuo, & non ab actiuo. Nam animalia, (vt alia sileam) mouentur, & mutantur motu, & mutatione naturali: nec tamen à principio tantum passiuo, sed ab anima, quæ est natura. Probatio etiam illius minoris falsa est. Nam si mutatio naturalis est illa, secundum quam vnumquodque est aptum mutari, à quocumque agente mutetur, ergo lignum dum mutatur ab artifice, vt fiat scamnum, quin verò aqua dum calefit ab igne, erunt mutationes naturales: siquidem, & aqua, & lignum sunt apta vt mutentur: Hoc autem nemo dixerit vnquam. Mutatio itaque naturalis est illa, quæ procedit à principio intrinseco, quale est natura. Sed iam lubet paulo altius sermonem attollere, & quærere.

QVAESTIO IIII.

Vtrum Stagiritæ Naturæ definitio propriè conueniat cælo.

SECTIO I.

Opiniones, & argumenta partis negatiuæ.

I. 

Omplures, iique grauissimi auctores, obnixè negant, definitionem Naturæ ab Aristotele traditam, conuenire cælo; at non omnes eadem incedunt via. Auicenn. 9. Metaph. cap. 2. Alber. hic tract. 1. cap. 3. Scot. in 2. distin. 2. quæst. 6. in fine, Durand. in 2. dist. 14. quæst. 2. opinantur, definitionem Naturæ non conuenire cælo, quia natura hic definita, est principium motus naturalis, eius in quo est. At motus cæli non est illi naturalis, proinde cæli substantia non est Natura.

Quæ quidem opinio approbanda non est, cum innitatur falso fundamento, quod motus cæli non sit illi naturalis. Huius oppositum fusè patefactum à nobis est cum Arist. in primo de cælo, & nunc breuiter sic ostendo. Cælum est verè ac propriè corpus naturale, vt docet Philosophus tertio de cælo tex. 1. & octau. Metaph. tex. 2. & 12. & lib. duodeci. tex. 5. & alibi sæpe. Impossibile autem est, esse aliquod corpus naturale, quin habeat motum naturalem. II.

Quod etiam ostendo. Tum quia per hoc secernitur corpus naturale à non naturali, quia illud habet in se principium sui motus, istud non item, vt constat ex 1. & 2. contex. huius lib. Tum quia tale corpus omninò esset otiosum, cum neq; operationem aliquam habeat: neq: motum vllum: quod tamen dicendum non est.

Tum præterea, motus circularis cæli aut est illi naturalis, aut violentus: si primum, habeo quod opto: si secundum, sequitur, motum cæli non posse perpetuari. Et etiam, quia si talis motus esset cælo violentus, necessario deberet assignari aliud corpus simplex, cui motus circularis sit naturalis. Cur? quia motus, qui vni corpori est violentus, necessario est alteri corpori naturalis quemadmodum demonstratur ab Arist. in primo de Cælo tex. 14. Cum itaque ne imaginari liceat aliquod aliud corpus simplex, cui orbicularis motus sit naturalis, fateamur necesse est, eum esse cælo naturalem. Vnde Philosoph. in tex. 15. ita concludit, *si est circularis latio alicui secundum naturam, palam est, quod erit vtiq; aliquod corporum simplicium, ac primorum, quod natum est, quemadmodum ignis sursum, & terra deorsum; circulariter ferri secundum naturam. Si autem præter naturam feruntur ea, quæ feruntur circulariter circulari latione, mirabile, & omninò irrationabile est, continuum solum hunc motum, & sempiternum existentem, præter naturam esse: videntur enim in alijs citissimè corrumpi quæ præter naturam sunt.* Non igitur cælum ob eam rationē erit à definitione Naturæ excludendum, quod motus eius non sit naturalis, quare.

Alij vltro fatentur, motum cæli vtique esse naturalem, negant tamen dictam Naturæ definitionem cælo competere, quia Arist. aiunt, hinc intendit definire solum naturam mortalium quæ sunt corpora simplicia, animalia, & plantę quæ etiam ipse Philosophus exprimit in tex. 1. huius lib. Ita Alex. Aphrod. referente Simplic. in tex. 1. huius lib. cui quidem opinioni multi adhærent ex recentioribus, vt videre licet apud Thom. Giauin. in Phys. lib. 5. cap. 11. & Franc. Piccol. qui etiam sunt eiusdem opinionis. III.

Horum fundamenta sunt, Primò, Natura definit. Arist. esse principium, & causam *motus, & quietis*, quibus verbis apertè indicat, eam esse principium simul, & motus, & quietis in eodem corpore. At natura cæli non est principium, & causa

quietis

quietis: siquidem cælum, vt Philosoph. in octau. Phys. & primo de cælo, & duodec. Metaph. ostendit, mouebitur in omne æuum. *Neq; pertimescendum est*, ait idem auctor nono Metaph. tex. 17. *ne cælum tandem siet*. quare præfata definitio non conuenit naturæ cæli.

IV. Secundò, Natura hic definita est principium actiuum, & passiuum motus: actiuum, quantum ad formam, passiuum, quantum ad materiam, vt etiam à nobis retro ostensum est. Constat autem in cælo nullum adesse principium actiuum ipsius motus, cum huiuscemodi principium actiuum sit intelligentia, quæ est aliquid à natura cæli diuersum, ergo, &c.

Tertiò probat Piccol. quia non potuit Arist. hoc loco distinctè definire naturam cæli, eum nondum patefecerit, naturam cæli ab ea mortalium distingui, quod faciet in primo de cælo. Ergo in definitione hic tradita minimè comprehendit cælum.

Quartò, Arist. constituens in tex. 1. & 2. discrimen inter naturalia, & non naturalia, ex quo meditabatur colligere naturam definiendam, enumerat entia naturalia, quod sint *animalia, & partes ipsorum, & plantæ, & simplicia corpora, vt terra, & ignis, & aer, & aqua*. Cæli autem nullam inuit mentionem. Quod porrò prætermittendum neutiquam erat, si in futura Naturæ definitione ipsum quoque erat comprehendendum.

V. Quintò, expendunt, quod Philosophus volens definitionem Naturæ hic datam, aptare corpori cælesti in primo de cælo tex. 5. eam refert cum aliqua immutatione: omittit enim quietem. *Omnia*, inquit, *naturalia corpora, & magnitudines, secundum se mobiles secundum locum esse dicimus. Naturam enim motus principium esse dicimus*.

Ad extremum, huic sententiæ suffragari videtur expressa eiusdem Stagiritæ auctoritas octauo Metaph. tex. 9. *Naturam etenim solam profecto quis ponet eam, quæ in corruptibilibus est substantiam*.

SECTIO II.

Natura corporis cælestis re vera comprehenditur in definitione Naturæ tradita hic ab Aristotele.



ITA tuentur Simplici cùm sæpe alibi, tum ad tex. 1. huius lib. vbi exponit, quo pacto tribuenda sit cælo quies, vt in eo locum habeant illæ definitionis particulæ, *motus, & quietis*. Auerr. in com. itidem 1. & in secundo Metaph. com. 1. D. Thom. ad tex. 3. Vicomer, & Zab. ad eundem tex. 3. Ioan. Bapt. Contaren. in Disput. de simplicitate corporis cælestis cap. 7. PP. Conimbr. quæst. 2. art. 3. Compluten. quæst. 7. & est communis inter Doctores, *& tenenda*. VI.

Quam probo 1. Illam naturam hic definit Arist. quæ est principium eius motus, quem postea in tertio lib. idem auctor definit, & de quo tum in subsequentib. huius operis libris, tum in alijs Naturalis Philosophiæ operibus, vsque adeo exactè, & obnixè expendit. Sed motus in tertio lib. definitus, & deinceps consideratus, ast communis rebus inferioribus, & corporibus cælestibus: quare etiam natura hic definita erit his vtrisq; communis. Prime propositio est euidens, quia Natura, & motus eodem incedunt gradu: propterea initio lib. tertij huius operis asseritur, quod *ignorato motu, naturam ignorari necesse sit*. Secunda etiam propositio extra dubitationem est. Quis enim ambigit, motum, in tertio libro definitum, quod sit actus entis in potentia, prout in potentia, esse communem motui rerum caducarum, ac cælestium? Nonne motus cælorum est actus entis in potentia, prout huiusmodi? Hinc Auerr. in com. 6. illius lib. *manifestum*, inquit, *est, quod ista definitio motus est communis motui nouo, & æterno*. Ergo eodem pacto fuerit communis etiam definitio Naturæ. VII.

Prob. 2. Extra omnem ambiguitatem est, corpus cæleste esse verè ac propriè corpus naturale, vt constat ex primo de cælo 5. & 7. lib. tertio tex. 1. octau. Metaph. tex. 12. item lib. duodeci. tex. 5. & primo de Partib. animal. cap. 5. verè igitur ac propriè habet naturam. Aut itaque eam in dicta Naturæ definitione complexus est Philosophus, aut VIII.

alio

alio loco eam definiuit. Nusquam alibi inuenitur vllam aliam Naturæ definitionem tradidisse, complexus itaque est in hac: alioquin vehementer esset culpandus, quod naturam corporum, quæ in hac rerum vniuersitate principem locum obtinet, conniuenter neglexerit.

Prob. 3. Natura, quæ hoc loco definitur, est materia, & forma substantialis, vt constat in tex. 05, & inde. In cælo, præter Intelligentiam, verè adest materia, & forma substantialis, cælum quippe verè est compositum ex materia, & forma, vt in libris de cælo dixi, quare in eo verè est natura.

Adde, quod Stagirites in primo de Cælo à tex. 3. vsque ad 17. probat, cælo inesse aliquem motum naturalem, propterea quia habet naturam, quæ est principium motus naturalis, & refert se ad hanc definitionem, inquiens, *naturam enim motus principium esse dicimus*. quocirca nulli relinquitur dubium, quin natura cæli comprehensa sit in præsenti Naturæ definitione.

SECTIO III.

Depelluntur argumenta aduersæ sententiæ.

IX. 

Epellitur primum, quia verba illa *motus, & quietis*, posita in definitione, vario modo ab auctoribus exponuntur, vt in expositione textus tertij adnotaui, quæ hic repetere, superuacaneum foret. Nunc addo, quod quies spectata in corporibus simplicibus potest referri, & ad ipsa tota, prout sunt in suis proprijs locis, & ad eorundem partes, vt ipsæ sunt extra sua loca, Quies hoc secundo modo accepta, est talis conditionis, vt semper sequatur post motum, illumque re ipsa terminet; qualis est quies dum portio terræ ex alto delapsa quiescit in suo loco. Quies autem spectata in toto elemento non est huiusmodi: neque enim totum elementum fuit vnquam extra suum locum, & deinde in eo quieuit, sed est eiusmodi quies, per quam totum elementum in tali loco naturaliter sistit.

Itaque natura V. G. terræ, est principium motus, quando eius partes sunt extra suum locum, & etiam si tota terra, quod tamen est impossibile, esset extra suum proprium locum, adhuc esset principium motus, vt illa ad suum locum perueniret; Eadem natura terræ est principium quietis tum partibus, quando sunt in suo loco, tum etiam toti terræ, vt immobiliter in tali loco perseueret. Ita terra *non solum videtur manere in medio, sed & ferri ad medium. Quò enim quæuis fertur particula ipsius, eò totam etiam ferri, est necessarium: Quo autem fertur aliquid secundum naturam, & ibi manet secundum naturam*, inquit magnus præceptor in secundo de Cælo tex. 92. & lib. quarto tex. 22. Ita de motu, & quiete cæli Philosophare. *Si* motum, & quietem referas ad totum cælum, ipsum porrò totum quiescit immobile, neque loco mouebitur vnquam: quiescit autem quiete, non quæ motum aliquem terminauit, sed qua in tali loco ita sistit naturaliter, vt si inde diuelleretur, illuc tenderet iterum naturaliter, & ibi secundum naturam consisteret, quiesceretque. *Secundum* partes autem mouetur: ita Sol nunc est in ortu, nunc in meridie.

X. Ad 2. respond. Naturam cæli actu quidem esse solum principium passiuum, & quantum ad materiam, & quantum ad formam, cum actu omnis eius motus oriatur ab intelligentia: aptitudine autem adesse in eo quoddam principium actiuum, quatenus cælum suapte natura præditum est quadam habilitate, & propensione ad motum potius circularem, & ad talem motum, quàm ad quemuis alium; quæ quidem habilitas, & inclinatio procul dubio dimanat à forma, & natura cæli.

XI. Quam quidem doctrinam, vt penitus introspicias, reuoca in memoriam ex ijs, quæ in libris de cælo dixi, quod cælum V. G. orbis Lunæ, componitur ex sua materia prima, & ex tali forma substantiali, & intelligentia, naturali, ac necessaria applicatione illi assistente, intimèque coniuncta; & illud totum ex tribus hisce substantijs conflatum, ita est vnum quippiam à natura ordinatum, vt priores duæ substantiæ, idest materia, & forma, & ipsum compositum ex ijs, censeatur quædam naturalis potentia, & materia respectu huius intelligentiæ, quæ comparatur ad illas veluti naturale complementum illarum. Quo fit, vt hæc numero Intelligentia V. G. Lunæ, ita est forma, quamquam assistens, huius orbis, vt neque hunc possit deserere, neque alicubi applicari, neque alium orbem mouere, nisi cum aliquo labore, seu incommodo, quia hæc numero Intelligentia, vtpote naturale huius, & non alterius cæli complementum, est huic, non autem alteri proportionata.

Potest hæc doctrina declarari exemplo ex opinione Platonis accepto, ad cuius aures homo primò constituitur ex corpore, & anima sensitiua, ita præparata, vt totum illud compositum naturaliter sit aptum recipere animam intellectricem, tanquam naturale suum complementum, proindeque illud idem compositum est aptum potius ad operationes hominis, quàm ad bouis, aut equi. sic ergo in re proposita, compositum cæleste V. G. orbis Lunæ, est naturaliter aptum ad excipiendam hanc numero Intelligentiam, vt compleatur, atque adeo est naturaliter aptum ad talem motum, potius

quàm

quàm ad alium. Hæc naturalis aptitudo, atque inclinatio proficiscitur ab illius forma. Hac itaque ratione pono in cælo, præter Intelligentiam, principium actiuum aptitudinale.

XII. Quam veritatem id etiam liquidò euincit, quòd Intelligentia ita mouet cælum quemadmodum illud sua natura aptum est moueri: mouet enim secundum eas positionis differentias, secundum quas illud suapte natura est aptum atque idoneum agi, alioquin violenter illud torqueret.

Præterea, mouet tanta celeritate, non autem maiori, aut minori, quanta hoc, aut illud cælum ex sua natura moueri exposcit. V. G. Intelligentia primi mobilis agit illud ab ortu in occasum, idque celerrimè, vt spacio viginti quatuor horarum conficiat totum orbem: Intelligentiæ autem Planetarum circumagunt suos orbes ab occasu in ortum: & motu vario quantum ad tarditatem, & celeritatem. Ita Planetarum primus in conficiendo suo circulo triginta annos insumit: Huic proximè inferior Iuppiter orbem suum peragit annis duodecim: Mars fermè biennio, sic de reliquis. Et est qui ambigat, hanc vsqueadeò apertam varietatem, ac differentiam indicare in cælis diuersam aptitudinem, & inclinationem ad talem potius quàm ad alium motum? Hæc diuersa aptitudo, aut propensio oritur ab huius, aut illius cæli forma: Hanc appello principium actiuum aptitudinale motus, cælestis. sed redeo ad confutationem argumentorum.

XIII. Ad 3. quod erat Piccolominei dico, ex illo antecedenti, quia videl. Philosophus nondum secreuerat naturam cæli ab his inferioribus, sequi potius oppositum, quàm vir hic doctus colligit. Enimuerò si nondum seiunxerat cælum ab his inferioribus, debuit ergo in definitione naturæ horum inferiorum, etiam includere cælum, vipote nondum distinctum.

Ad 4. Iam in adnotationib. ad tex. 2. satis exposui, quemadmodum Stagirites in enumeratione entium naturalium in tex. 1. & 2. adiecta, commodè indicat etiam corpora cælestia: illic vide.

XIV. Quintum argumentum inane est. Etenim Arist. in tex. illo quinto primi de cælo breuitatis causa, cui incompatabilis hic vir vnicè studuit, indigitat tantum principium definitionis hic traditæ: ac proinde innuit eam integram ex suo loco petendam esse. Ita in octau. lib. huius istius operis tex. 4. refert definitionem motus diminutè, *Dicimus*, inquit, *motum esse actum mobilis, secundum quod est mobile*. Quæ non est integra motus definitio data in lib. tertio tex. 6. Hoc porrò non temerè facit, sed quoniam tunc instituto suo illud dûtaxat, cuius mentionem facit, inseruiebat.

XV. Demum ad tex. 9. octaui Metaph. communis responsio est, quod Arist. dum ait, *Naturam solam vtique quis ponet eorum, quæ in corruptibilibus, substantiam*, loquatur secundum vulgarem, & magis vsitatam Naturæ acceptionem, ac nobis notiorem; qua ratione accepta natura solum est in generabilibus, & corruptibilibus, quòd vulgus eam duntaxat appellet naturam, cuius generatio, corruptio, atque cæteri motus ante oculos omnium versantur. Quod autem Arist. cælum non excludat à conditione Naturæ, argumento est, quod in eodem lib. oct. tex. 12. appellat cælum *substantiam naturalem*. Ita P Peter. lib. 7. Phys. cap. 10. Ruu. quæst. 1. deinde reliqui.

Tu verò dic, locum illum inepè in re proposita XVI. pro illa opinione asportari. Cape germanam illius intelligentiam: Disputat Philosophus eo loci aduersus Platonem, constituentem formas separatas: & alt, conspicuum esse, quod quarundam rerum formæ nequeunt esse separatæ, cum sint formæ particularium, *quæ non possunt præter particularia esse, vt Domum, & vas:* Ita statuit in calce tex. 8. deinde in principio tex. 9. id idem confirmat: *Fortasse quidem nec substantiæ sunt hæc ipsa, neque cæterorum quicquam, quecunq; non natura consistunt* Quid? inquit Arist. Huiusmodi formæ, veluti forma domus, & cæterorum artefactorum, & omnino eorum, quæ non sunt à natura, sed ob alias causas, secundum se acceptæ, non sunt substantiæ. Hoc probat per subsequentia verba, *Naturam enim solam vtique quis ponet eorum, quæ in corruptibilibus substantiam*. quia sola natura, idest sola forma (per naturam simpliciter prolatam intelligit formam, vt etiam in secundo Phys. tex. 14 *generatio* dicitur *esse via ad naturam*, idest, ad formam) sola, inquam, forma eorum, quæ in corruptibilibus, idest forma substantialis: aliæ autem formæ non sunt substantiæ. Vbi clarissimè vides, contradistingui naturam contra formas artificiales, nullo verò pacto excludi corpora cælestia, quæ re ipsa sunt entia naturalia. Verùm, vt quæ de natura, eiusque definitione respectu cæli hucusque edisseruimus, adhuc conspicatiora, reddantur, quærimus.



SE-

SECTIO IV.

De futura cæli post diem Iudicij quiete, & de cælo empyreo.



XVII. Vàm ratum atque constans habetur in Peripato, quod nulla vnquam sit aliquando futura cæli quies, sed cælum, vt ostenditur octau. Phys. & primo de cælo, & duodec. Metaph. semper mouebitur in omnem omninò æternitatem; *Quocirca Sol, atque astra semper aperantur, & mouentur, totumque cælum: Neque est pertimescendum, ne tandem stet, ac desinat moueri*, inquit Philosophus nono Metaph. tex. 17. iam firmum ac infallibile in nostra Catholica veritate tuemur, cælum post extremum iudicium à suo motu esse cessaturum. Qua veritate strata, insurgit difficultas.

Primùm, quia si in cælo nullum suppetit principium quiescendi secundum partes, quomodo illi inerit futura quies? nam vbi non est principium alicuius actus, repugnat esse illum actum.

Deinde, si motus circularis nunc est cælo naturalis, vt nos quoque superius constituimus, profectò eius cessatio, ac quies erit eidem cælo præternaturalis, ac violenta. Hoc verò affirmandum non est, tum quia ille rerum status est perfectior, quàm status præsens; Præternaturale autem ac violentum denotant imperfectionem. Tum etiam, quia illa cæli quies futura est æterna: Violentum autem nihil potest æternari.

XVIII. Hinc Doctores varia incessere via. Ac primò quidem Alber. Scot. Durand. & alij, quos initio sect. primæ retuli, cum supponant motum cæli haud esse naturalem, aiunt, cessationem eius à motu post diem iudicij esse illi secundum eius naturam.

Alij autem, vt videre est apud Peter. lib. 7 cap. 9. Phys. asseuerant, cælum per se non habere inclinationem naturalem potius ad motum, quàm ad quietem, sed ad alterutrum determinari ratione ordinis, qui est in Vniuerso. Et quia ordo, qui nunc in Vniuerso seruatur, propter vicissitudinem generationum, & corruptionum rerum sublunarium, necessario exposcit, vt cælum moueatur, idcircò nunc naturaliter mouetur; At quia post magnum illum iudicij diem erit alius Vniuersi ordo, quippe cum nulla tunc futura sit sublunarium corporum transmutatio, propterea, ita tunc exigente Vniuersi ordine, cælum naturaliter quiescet. Quocirca concludunt, tàm motum, quàm quietem esse cælo connaturalem, non quidem secundum propriam eius naturam, sed secundum varium Vniuersi ordinem.

Veruntamen vtraque hæc responsio ab alijs Scholasticis, & quidem merito reijcitur. Reijcitur prior, quia motus circularis cæli re vera est illi naturalis, quemadmodum a nobis vel in prima illa sect. patefactum est. Reijcitur posterior, quia nihil est ab omni ratione magis remotum, quàm quod aliqua res habeat certam ac determinatam naturam, & non habeat certam ac determinatam inclinationem ad suam perfectionem: Perfectio autem cæli, aut sita est in motu, aut in quiete: quare ad alterum istorum habebit certam, determinatam, naturalemque inclinationem. quare &c. XIX.

Communis nihilominus Theologorum doctrina est, quod quamuis motus circularis sit cælo naturalis, nihilominus in fine mundi quies neutiquam erit illi præternaturalis, ac violenta. Annectunt rationem, quia creaturam priuari aliquo suo motu naturali ab alia creatura, vtique censetur aliquid præter naturam, ac violentum; cæterùm priuari ab ipso rerum omnium conditore Deo, supremoque Naturæ auctore, minimè est præter naturam & violentum. XX.

Primò, quia in omni creatura suppetit aptitudo, & potentia obedientialis, iuxta quam apta ac prompta est, obedire Deo Opt. Max. in omnibus quæcunq; ipse de ea facere constituat.

Secundò, quia vnicuique creaturæ secundum naturam insitum, & implantatum est, pluris facere Dei voluntatem, quàm quod suæ naturæ conducit. Cum itaque cæli quies sit ex imperio præpotentis Dei, nullatenus erit illi præter naturam, siue violenta.

Quæ quidem doctrina potest ex eo confirmari, quod communiter, & verè dicitur in scholis, quod si in aere daretur vacuum, corpora grauia, quantumuis magna, eleuarentur naturaliter, vt vacuum illud implerent, sic exigente ordine Vniuersi. Quod si ordo Vniuersi valet efficere, vt quod alicui est præter naturam, (graui enim ferri sursum præter naturam illius est) amplius non sit, cur id magis a præpotente eiusdem Vniuersi auctore Deo effici nequeat. XXI.

Ex quibus apparet quoque dilutio ad duo illa argumenta. Ad 1. si cælum tunc firmatur iussu auctoris sui, Ergo tunc habet principium quiescendi; quemadmodum lapis nunc non habet in se principium ascendendi, at in casu propositio de vacuo, si re ipsa naturaliter ascendit, ambigis ne, quod habeat eius actus principium? Ad 2. negatur consequ. propter rationes iam dictas. Hæc de priori quæsito. XXII.

Quod autem spectat ad posterius, videl. de XXIII.


de cælo empyreo respondeo cum D. Thom. in prim. part. quæst. 66 art. 3. *quod cælum empyreum non inuenitur positum, nisi per auctoritates Strabi, & Beda, & iterum per auctoritatem Basilij*. Ratione itaque naturali hoc cælum detegi ac deprehendi nequit, cum nullo vnquam motu prædiium sit, ex quo illud rimari valeamus. Quin verò neque vllum habet principium motus, sed degit vsquequaque immobile. Id quod S. Thom. in art. illo 3. & quæst. 102. art. 2. & in 2. sent. dist. 2. quæst. 2. & communiter Doctores scholastici colligunt ex fine, cuius gratia hoc cælum a Deo Opt. Max. creatum est. Qui quidem finis est, vt sit propria sedes, ac domicilium beatorum, quorum status, quemadmodum existit omni ex parte firmus ac stabilis, ita expostulat locum omninò firmum atque immobilem. *Sic enim conuenit Statui beatitudinis, qui est firmatus in summa stabilitate*, vt loquitur Angelicus Doctor in art. illo 2 quæst. 102

XXV. Cæterùm, cum istud cælum sit quoddam corpus sensibile, profectò erit compositum ex materia, & forma: attamen vtraque hæc eius pars est longè alterius natura ac conditionis non modo à materia, & formis rerum sublunarium, verùm etiam à materia, & formis reliquorum cælorum, quia vtraque incompatabili intercapedine illis præstat.

Præterea, cum hoc cælum sit supremum infimi, id est omnium corporum, attingit infimum supremi, videl. maximè accedit ad res, & naturas incorporeas ac spirituales. Quocirca nomen quoque nactum est *empyreum, id est igneum, non ab ardore, sed a splendore*, vt adnotauit S. Thom. in art. 3. quæst. 66. nuper indicato. Quæ si vera sunt, hoc cælum non nisi impropriissimè vocabitur corpus naturale, atque adeò impropriissimè dicetur habere naturam, qualem definit Arist.

QVESTIO V.

Vtrum definitio Naturæ tradita hic ab Aristotele, verè ac propriè conueniat substantijs à materia secundum esse abstractis, id est, Intelligentijs, & ipsi Deo.




Hoc argumentum validam altercationis ansam exhibuit anteactis his annis, duobus præclarissimis nostræ Academiæ professoribus: Quorum alter asseruit, *Primum motorem, & reliquas Intelligentias verè esse Naturam, nimirum principium primum motus, & quietis, per se in quo est, non secundum accidens*. Quin verò distinguit prima mouentia, quod quatuor sint inter entia; quorum singulis conuenit ratio, & nomen Primi motoris. Primum est causa finalis generatim sumpta. Secundum est cælum, siue Mundus: Tertium est Intelligentia secunda quæuis, cælestia corpora voluens: Quartum denique est Deus ipse supremus Vniuersum physicè regens. Deinde pergit probare, omnia hæc quatuor esse verè ac propriè Naturas. I.

II. Alter autem ex opposito tutatus est, *Intelligentias, & has substantias abstractas, propriè, strictè, & physicè loquendo, non autem impropriè, latè, & academicè, non esse appellandas Naturas*. Quæ quidem dissensio eò vsque progressa est, vt integra volumina ea de re vltro citroque conscripta visa sint. Ego rem meam ago, & candidè profero, quod mihi probabilius, magisque ad Stagiritæ mentem accedere videtur; Meminisse decet sensati illius dicti ex primo Ethic. cap. 4. *quod licet amici ambo sint, sanctum est, veritatem ipsis in honore anteponere*.

SECTIO VNICA.

Explicatur, quid in re proposita sentiendum sit.



III. EQuidem syncerè dicendum existimo, quod Arist. in definitione Naturæ, quod sit *principium, & causa motus, & quietis, eius in quo est, primò, per se, & non secundum accidens*, per se non respicit substantias, seu formas secundum esse à materia abstractas, id est Intelligentias cælorum motrices; nihilominus dicta definitio haud incommodè potest ad eas extendi, ita vt Intelligentiæ orbium cælestium motrices possint appellari naturæ, nempe Intelligentia huius cæli motrix potest dici natura huius cæli, & illa illius: minus tamen propriè istæ dicuntur Naturæ, quàm sint natura formæ sublunares, informantes: Alijs autem Intelligentijs, (si in Aristotele concedas alias Intelligentias præter motrices cælorum) & ipsi Deo, nomen naturæ attribuitur solum per quandam proportionem, & valdè impropriè.

Singula probo. Et quod Stagirites, dum præfatam Naturæ definitionem daret, non habuerit per

IV. se ante oculos substantias, & formas secundum esse a materia abiunctas, vel ea commanifestum est, quòd hic sermonem habet de natura, quæ est vera forma, & vera materia rerum naturalium, vt patet in tex. 4. cum ait, *subiectum enim quoddam, & in subiecto natura semper est*. Admonui autem in expositione illius tex. illud, *semper*, proinde hic pollere, atque *omnis*, vt sensus sit, omnis natura *est subiectum*, idest materia, *& in subiecto*, videl. forma, quæ est in tali subiecto: Hæc autem re ipsa vera est forma informans.

Et in tex. 10. *Vno igitur*, inquit, *modo Natura sic dicitur, prima vnicuique subiecta materia habentium in se ipsis motus principium, & mutationis. Alio autem modo forma, & species, quæ secundum rationem.* Forma, quæ est secundum rationem, ac definitionem, est forma, quæ verè informat atq; elargitur esse. Ita in tex. 11. & 12. de his ipsis partibus edisserit, neque quicquam de alia forma tetigit: per se igitur, & ex instituto non nisi formas, easque re ipsa in subiecto existentes ac informantes intendit definire; cuiusmodi neutiquam sunt Intelligentiæ, etiam ipsæ cælorum motrices.

V. Nihilominus ea Naturæ definitio potest extendi, & accommodari formis quoque cælorum motricibus, ita vt istæ haud incommodè valeant appellari Naturæ. Quod multipliciter posset ostendi: Ego duas duntaxat rationes apponam. Vna est. Intelligentia motrix cæli est principium, & causa motus, & quietis, primò per se, & non secundum accidens: est itaque natura. Conseq. est nota a definitione ad definitum. Antecedens autem prob. Et quod sit principium, & causa motus, nemo inficiabitur vnquam, cum omnis motus cæli ab vna ac sola Intelligentia, tanquam a principio, & causa actiua eius proficiscatur.

VI. De quiete fortasse dubitares, cum Intelligentia minimè sit apta a motu desistere, ac firmare cælum, sed omninò ac semper circumuoluere, quomodo igitur erit principium, & causa quietis? At non est, quod dubites; nam de quiete huius, vel illius orbis ita debes philosophari, ac de tota cælorum compage diximus, quod illa dicitur quiescere, quoniam secundum se tota firma, atque immobilis in eodem loco perseueret. Ita Intelligentia dicitur elargiri quietem suo orbi, quatenus illum firmat in suo proprio loco, vt ille secundum se totus non moueatur loco.

Quod verò eadem Intelligentia sit *eius, in quo est*, etiam est manifestum, cum Intelligentia motrix sit tale principium, & causa *eius*, videl. eius cæli, in quo ipsa re vera insidet. Vnaquæq; enim Intelligentia residet in orbe, quem ciet.

VII. At obijcies. Natura, quæ est vt forma, debet esse principium internum ei, in quo est; esse nimirum pars essentialis, forma informans, ac tribuens esse ei, cuius est forma, ac natura. Intelligentia verò non est principium intrinsecum cælo, sed est extrinsecum, cum illi solum assistat: Neque est pars essentialis ipsius, siquidem cælum constat ex materia, & sua forma substantiali præter Intelligentiam: ac proinde Intelligentia non elargitur cælo esse, sed operari tantummodo, ac moueri. quocirca hæc particula, *eius in quo est*, nullum habet locum in Intelligentia cælum voluente: atque adeo neque vllo vnquam pacto poterit dicta Naturæ definitio illi aptari, neque illa appellari natura.

VIII. Responsio in promptu est vel ex ijs, quæ in quæst. præced. sect. 3. in respons. ad 2. arg. adduxi, quod Intelligentia cæli motrix, & si non est forma eius informans, sed assistens, nihilominus non assistit vtcumque, sed hæc Intelligentia est huic cælo naturaliter applicata, & censetur vltimum complementum, per quod quidem hoc, aut illud cælum intimè completur, atque absoluitur.

Porrò vt hoc distinctè comprehendas, diuide tria formarum genera. Quædam formæ sunt verè informantes, veluti forma substantialis aeris, ligni, plantæ, equi. Aliæ sunt simpliciter assistentes, vt auriga currus, & nauta nauis, quo intellectu legimus in secundo de Anim. tex. 11. quod eo vsque erat *immanifestum, si sit corporis entelechia anima, sicut nauta nauis*, quæ quidem formæ liberè adstant, Quo fit, vt citra vllam etiam alterutrius noxam possint tum deserere ea, quibus assistunt, tum alijs applicari, tum rursus ad priora redire. Aliæ demum

sunt formæ, atque entelechiæ mediæ inter hasce duas extremas, quæ assistunt quidem, cum accedant enti constituto in actu; at assistunt, & alligantur naturaliter, qualis assistentia est, in sententia Platonis, animæ intellectiuæ ad corpus humanum, vt latè exposui in opere de Triplici Stat. Anim. Disp. 4. sect. 4. & huiusmodi assistentia est Intelligentiæ ad suum orbem. Vnde liquido conspicis, quomodo Intelligentia, quamuis non sit forma cæli informans, neq; illi elargiatur absolutè esse substantiale, nihilominus est cælo principium intrinsecum, & complet cælum, & facit vltimatè tale ens, sicut anima humana constituit hominem, ad aures Platonis.

IX. Sed iam pergo: Competunt eidem Intelligentiæ cæli motrici etiam reliquæ definitionis particulæ: Competit illa, *primò*. Nam hæc significat, Naturam esse radicale, ac primum principium motus: Et Intelligentia est in cælo radicale, ac primum principium motus, cum ibi nullum supperat aliud prius principium motus. Competunt & verba sequentia, *per se, & non secundum accidens*, quandoquidem non accidit Intelligentiæ, vt suum circumagat orbem, sed illum, quemadmodum dixi, mouet naturaliter; ac proinde per se, & non secundum accidens. ergo &c.

X. Altera ratio est. Omnis anima est Natura: Intelligentia cæli motrix est cæli anima, quare est eius natura. Prima propositio multis patefacta est à nobis supra, quæst. 3. sect. 3. & hinc etiam suadetur. Primum, quia omnis anima est forma, cum ex secundo de Anim. tex. 7. sit *actus primus corporis physici*. & ex tex. 24. sit id, *quo viuimus, & sentimus primò*, quæ porrò sunt genuina formæ attributa. Atqui omnis forma est verè natura. Deinde, Arist. in tex. 80. huius lib. demonstrat, Naturam agere propter finem, quia functiones, quæ ab anima plantarum, & animalium prodeunt, sunt propter finem.

XI. Quod autem cælum sit animatum, quæ erat altera propositio, in Peripato res est aperta. *Cælum animatum est, & habet motus principium*, ait Arist. secundo de cælo tex. 13. Et tex. 61. *Nos*, inquit, *de ipsis, cælis, vt corporibus solum, & vnitatibus, ordinem quidem habentibus, inanimatis autem omninò cogitamus: oportet autem ac si participent actione, & vita existimare*. Et tex. 63. *Quapropter oportet putare, & astrorum actionem esse talem, qualis animalium est, & plantarum: etenim hic hominis actiones plurimæ sunt*. Actiones autem plantarum, animalium, & hominis sunt vitales, atque ab anima profluentes, quare etiam actiones astrorum fuerint vitales, & ab anima.

Adde, quod omne id est animatum, cuius propria operatio est vita, accepimus enim ex secundo de Anim. tex. 13. quod *animatum distinguitur ab inanimato per ipsum viuere*. Manifestum autem est ex secundo de cælo tex. 17. quod propria cæli operatio vita est, siquidem *eorum vnumquodque, quorum est opus, est gratia operis. Dei autem*, id est cæli, *operatio immortalitas est; hoc autem est vita sempiterna: itaque necesse est, motum sempiternum Deo inesse* Cælum itaque animatum est: & cum in eo nulla alia anima excogitari valeat præter Intelligentiam, vt etiam in libro de cælo ostendi, fateamur necesse est, Intelligentiam esse, ac dici animam cæli, ac proinde esse, ac dici eius naturam.

Minori tamen cum proprietate Intelligentia cæli motrix dicenda est natura, quàm sint formæ substantiales sublunares, quemadmodum etiam in conclusione asserui, quia istæ re vera sunt formæ informantes, & essentialiter partes compositorum substantialium. Vnde repeto tria illa formarum genera, & dico, formas simpliciter assistentes, cuiusmodi est nauta in naui, & auriga in curru, nulla vnquam ratione posse appellari naturas: Formas autem informantes, esse syncerè ac propriissimè naturas: Intelligentias verò cælorum motrices, sicuti sunt medio modo formæ, vt supra exposui, sic medio quoque modo esse naturas: Et cum definitio naturæ sit analoga, quemadmodum & ipsa natura, vt in quæst. 4. sect. 5. ostendi, commodè aptatur Intelligentiis de quibus hic est sermo. Atque hæc de Intelligentiis motricibus cælorum. XII.

Alias autem formas secundum esse à materia abstractas, (si Arist. alias admisit, vt innuere videtur præsertim in primo de cælo tex. 100.) & apud nos sunt Angeli, nullus appellauerim naturas. Cum enim, vt alia sileam, natura sit alicuius alterius natura, & sit *eius, in quo est*, Cuius vnquam naturæ erunt istæ formæ, cum sint soli actus abiuncti, ac per se subsistentes? & cuius vnquam motus physici fuerint principium, & causa?

Ita Deus Opt. Max. nonnisi impropriissimè, & per quandam proportionem dicitur natura, quo etiam pacto à nonnullis natura naturans nuncupatus est; propriè autem, & vt natura definitur ab Arist. nequaquam. Ratio in manu suppetit, quia natura est pars eius, cuius statuitur natura. Deo autem repugnat esse cuiusquam partem, cum pars omninò careat imperfectior suo toto. Item, natura est forma, aut verè informans, aut saltem naturaliter alicui corpori applicata, vt de formis cælorum motricibus dixi: Deus nulli vnquam aut Orbi, aut alij corpori naturaliter applicatus est, sed *omnibus tùm causa esse videtur, tum quoddam principium*, vt legere est in primo Metaph. cap. 2 Et est principium tale, *à quo dependet cælum, & vniuersa natura*, lib. duodec. tex. 39 & *est vnus omnium princeps, quæ entia nolunt malè gubernari*, vt eodē in lib. concluditur. Vnde liquidò etiam conspicis, diuersam esse rationem de Deo, alijsque formis omninò à corporibus absolutis, ac sunt intelligentiæ voluentes cælos: siquidem istæ possunt cum aliqua proprietate vocitari naturæ, illæ non item. XIII.

Quæ omnia vt penitus introspicias, expende vnum S. agitur locum ex quinto Metaph. capit. 4. vbi agens de Natura, primò ait, materiam dici naturam, *Natura dicitur, ex quo primo, inordinato existente, & immobili ex sua potentia, aut est, aut fit* XIV.

aliquid

aliquid earum, quæ natura sunt, vt statuæ, vasorumque æneorum æs natura dicitur, ligneorum verò lignum: similiter autem, & de cæteris, ex his enim vnumquodque est, prima materia subiecta. quam Naturæ significationem probat etiam variis Veterum Philosophorum opinionibus. Deinde ostendit etiam formam esse Naturam, ex eo quia *quæcumque φύσει natura sunt, aut fiunt, non dicuntur naturam habere, si speciem, & formam non habeant.* Postea explicat ea, quæ sunt φύσει natura, videl. composita naturalia, dum ait, *φύσει natura igitur est id, quod ex ambobus his est, vt animalia, & partes eorum.*

Post hæc ita perstringit. *Natura verò hæc prima materia: & hæc dupliciter, aut quæ ad ipsum prima, aut simpliciter prima.* Subiungit exempla, & quidem prioris materiæ, *veluti operum æneorum: ad ipsa quidem æs primum.* Posterioris autem materiæ ponit exemplum ex opinione constituentium principium materiale omnium rerum esse aquam: & propterea etiam dicit, *fortassis*, & ait, *simpliciter autem aqua fortassis: si omnia quidem liquabilia aqua.* sequitur: *Et forma ac substantia, hæc autem est generationis finis. Metaphoricè verò omninò omnis substantia natura propter hanc dicitur, quoniam, & natura est aliqua substantia.*

XV. Vbi perpende primò, quod forma, quæ ab Stagirite ponitur Natura, *est forma, ac substantia*, videl. essentia eius, cuius est natura. Deus autem nullius rei essentia est; quinimo neque Intelligentia est propriè essentia cæli. Perpende secundò, quod forma, quam Arist. ait esse Naturam, *est generationis finis*: Quæ nota a quacumque substantia secundum esse a materia abiuncta procul stat. Perpende tertio, quod propter hanc naturam, quam diximus esse materiam, & formam, ac substantiam, finemque generationis, dicitur Natura etiam omnis alia substantia, *μεταφορᾷ, per metaphoram.* Non igitur eadem proprietate Intelligentiæ, ac Deus dicentur Natura, qua formæ sublunares, ac informantes. Verum ipse Arist. eximit mihi laborem, dum his omninò concludit. *Ex dictis itaque, prima, & quæ propriè* (audis?) *dicitur Natura, & substantia eorum, quæ in seipsis, vt ipsa sunt motus, principium habent: Materia enim eò quod huius*, id est formæ, *est susceptiua, dicitur natura: generationes autem, ac ipsum nasci, eo quòd ab hac motus sunt: principium quoque motus eorum, quæ natura sunt, hæc est.*

XVI. Neque mihi quorumdam doctrina arridet, qui primo distinguunt triplicem partem; integralem, potentialem, & essentialem: Et partem quidem integralem fatentur esse suo toto imperfectiorem; imperfectior quippe est manus ipso homine. Partem autem totius potentialis, aiunt esse perfectiorem suo toto. Quippe homo, & equus sunt partes animalis, quod est quoddam potentiale respectu illorum: nihilominus homo, & equus præstant animali. Pars demum essentialis adhuc duplex. Vna materia; Altera forma: Illa vtique existit imperfectior toto composito: forma verò est perfectior eodem composito. Deinde hæc applicant primo mouenti penitus immobili Deo, & aiunt, hunc duplici ratione esse partem. Primò est pars totius potentialis, seu vniuersalis. Nam in genere primorum mouentium Deus est vna species, atque vnum indiuiduum. Secundò est etiam pars, id est forma totius essentialis, quia primum mouens immobile penitus, est forma eius, quod a se ipso mouetur: imò est prima forma constituens in esse Mundum, ac Vniuersum, quatenus est corpus naturale: propterea non sequitur, vt ille vllam subeat imperfectionem. Hæc illi.

XVII. Quæ doctrina multa ennuoluit, quæ singillatim expendere haud est præsentis instituti. Breuiter dico, quod prius eius assertum in applicatione, quod videl. Deus sit pars totius vniuersalis, seu potentialis, vt vna species primorum mouentium, nihil facit ad propositum: deinde, in se ipso spectatum est falsum. Quod nihil attineat, ex eo liquet, quia totum vniuersale, seu potentiale est solum per intellectum: ac proinde etiam partes huiusmodi totius erunt solum per intellectum, cum totum, & partes dicantur ad inuicem. At nobis in præsenti sermo est de natura a parte rei, & extra intellectum existente, atque adeò etiam de parte à parte rei existente, ergo dictum illud de toto, & parte potentiali non facit ad rem.

XVIII. Quod autem in se ipso spectatum sit falsum, ea ratio conuincit, quia species propriè dicta non est, nisi in vniuocis, quemadmodum, & genera, sub quibus species collocantur, non sunt nisi vniuoca, vt vel Logices candidati norunt. Atqui hoc nomen, prima mouentia, non est vniuocum ad Deum, & reliqua prima mouentia, cuiusmodi est cælum, quod in octauo Phys. dicitur primum se ipsum mouens, & si vis etiam intelligentiæ, aut etiam causa finalis generatim accepta, quia ratio substantiæ indicata per illud nomen, est in ijs diuersa. Hinc etiam optimè S. Thom. in prim. part. quæst. 13. art. 5. probat, *impossibile esse, aliquid prædicari de Deo, & creaturis vniuocè.* Ergo impossibile est, Deum esse vnam aliquam speciem primorum mouentium. Præterea, omnis species est composita ex genere, & differentia, tanquam ex potentia, & actu. Quis autem in primo, ac purissimo actu, Deo, vllam dederit potentialitatem?

XIX. Posterius quoque eiusdem doctrinæ assertum, quod primum mouens penitus immobile, Deus, sit forma totius essentialis, & sit forma eius, quod à se ipso mouetur, & sit forma constituens in esse mundum &c. omninò existimo à veritate alienum. Ac primò quidem falso innititur fundamento, quod forma sit perfectior toto, cuius est forma: qua de re ex instituto egi in secundo de Anim. Nunc breuiter confirmo. Primùm. Illud est perfectius, quod primò intenditur à natura, alioquin Natura præpostere ageret. Manifestum autem est, quod non forma, sed totum compositum primò intenditur a Natura: nam vnumquodque intendit procreata

creare aliud sibi simile, & vt in secundo de Anim. tex. 34. legimus, *facere aliud, quale ipsum: animal quidem animal, planta autem plantam, vt ipsa semper, & diuino participent, secundum quod possunt*. quare totum, & non forma est perfectius.

Deinde, Totum substantiale continet suam formam, & adhuc aliam entitatem, videl. materiam. ergo continet etiam aliam bonitatem ac perfectionem, cum ens, bonum, & perfectum reciprocentur.

Adhæc, Totum omni ex parte est perfectum, est per se subsistens, est verè hoc aliquid, & in eius gratiam sunt materia, & forma, ergo perfectius.

Demum, Omnes partes comparatæ ad totum, subeunt quandam potentialitatem, atque adeò imperfectionem: cum partes respiciant totum, tanquam, (sicut in scholis loquimur) vnibilia, quæ deinde vnita constituunt totum. id quod luculenter tradit etiam Magnus præceptor in secundo Phys. tex. 31. dum partes reponit in genere causæ materialis respectu totius. Hinc in tertio eiusdem operis lib. tex. 64. *Totum* inquit, *& perfectum aut idem penitus, aut proxima natura sunt*. Et quinto Primæ Philosophiæ tex. 21. *perfectum est, extra quod non est vllam accipere particulam*. At extra vnamquamque alicuius totius partem est accipere aliam compartem, quare nulla pars collata ad totum erit perfecta, quemadmodum est ipsum totum.

XX. Ex his euidenter deducitur, primum mouens penitus immobile, Deum, non esse formam essentialem eius, quod à se ipso mouetur, nempe cæli, quia tunc daretur aliquid perfectius ipso Deo, illud nimirum totum ex ipso, & corpore cælesti conflatum: Quod porrò dicendum non est. Qua ratione suffulti nonnulli Doctores nostri dicunt, Deum, & creaturam non dicere maiorem perfectionem, quàm dicat solus Deus, quemadmodum etiam erat ante productionem creaturæ. Quid vero? Contradictionem inuoluit, Deum esse formam essentialem cuiuspiam rei. Cur? quia huiusmodi forma respectu sui totius est aliquid potentiale, vt nunc ostendi: repugnat autem purissimo actui Deo, gerere vices alicuius potentialis: esset namque purus actus, & non esset. Ita est commune Doctorum nostrorum dogma, & nos multis ostendimus in opere de Triplic. stat. Anim. Disput. 1. sect. 3.

XXI. Hinc apertè deduces, procul etiam esse à veritate id, quod eadem doctrina subiungit, videl. hoc primum mouens, Deum, esse primam formam constituentem in esse Mundum, & Vniuersum, quatenus est corpus naturale. Primùm, hoc dictum videtur redolere antiquam illam animam Mundi, quæ iam affatim obsoleuit. Deinde, Deus infinita intercapedine excedit formas naturales, quo igitur pacto potest vt forma constituere Mundum in esse corporis naturalis? Profectò corpus naturale constitui debet per formam naturalem. Hinc Auerr. in lib. destruct. disput. 3. dub vlt. *Nullus, inquit, Philosophorum opinatus est, quod primum principium sit in Mundo, sicut anima est in corpore*. Verùm hic ego amplius immorari nolo.

XXII. Non tamen desinam, quin adhuc tibi subijciam ex Doctoribus nostris syncerum modum, quo Deus benedictus existit in rebus. De qua re agunt Doctores Scholastici cum Magistro sentent. in 1. dist. 37. & S. Thom. in prim. part. quæst. 8 quæ est *de existentia Dei in rebus*. qui in primo art. sancit, *quod Deus est in omnibus rebus, non quidem sicut pars essentiæ, vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei, in quod agit*. Probat primo in *sed contra*, quia vbicunque operatur aliquid, ibi est: Deus operatur in omnibus, secundum illud Isaiæ 26 *omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*, quare Deus est in omnibus rebus. Secundo probat in corpore. Omne agens coniungitur ei, in quod immediatè agit: sed proprius effectus Dei agentis, & conseruantis omnia, est ipsum esse rerum, quod illis est maximè intimum. ergo Deus intimè coniungitur, & est in omnibus rebus.

XXIII. Deinde in art. 2. statuit, Deum esse vbique, siue in omni loco dando illi esse, & virtutem locatiuam. Cum enim locus, & via eius locatiua sint aliquid, profectò istud deberet esse à primo ente Deo: & sic Deus est in omni eo. Est autem in omni loco replendo ipsum locum. Replet verò locum non eo modo, quo corpus facit: siquidem corpus dicitur replere locum, in quantum non compatitur secum aliud corpus: sed per hoc quod Deus est in aliquo loco, non excluditur, quin alia sint ibi: imò per hoc replet omnia loca, quia dat esse omnibus locatis, quæ replent omnia loca,

Postea in art. 3. determinat, primò, Deum esse in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam. Per essentiam quidem, quatenus omnibus est causa essendi; Per præsentiam verò, quatenus omnia sunt præsentia oculis eius: Per potentiam autem, quatenus omnia subduntur eius diuinæ potestati.

XXIV. Determinat 2. quod Deus speciali quodam modo est in rationali creatura per gratiam. Quia, inquit, Deus dicitur esse in re aliqua dupliciter. Vno modo per modum causæ agentis, & sic est in omnibus rebus creatis ab ipso. Alio modo sicut obiectum operationis est in operante: quod proprium est in operationibus animę, secundum quod cognitum est in cognoscente, & desideratum in desiderante. Hoc itaque secundo modo Deus specialiter est in rationali creatura; quæ cognoscit, & diligit illum actu, vel habitu: Et quia hoc habet rationalis creatura per gratiam, dicitur esse hoc modo in sanctis per gratiam,

XXV. Determinat 3. in responsione ad 4. arg. quod Deus singularissimo modo est in homine per vnionem hypostaticam. Vides hic aliquos modos essendi Deum in aliqua re, qui omninò sunt extra Peripatum, quos tamen subijcere volui, quia veritatem docere, vbique locus est aptissimus. Atque hic ego finem impono quæstionibus de Natura, & reuertor ad Aristotelem: quare sit.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT Secundus.

De differentia inter Philosophum Naturalem, & Mathematicum, ac Metaphysicum.

TEXTVS XVI.



Voniam autem determinatum est, quot mod s natura dicitur, post hoc speculandum est, quo differt Mathematicus à Physico: etenim plana, & solida habent Physica corpora, & longitudines, & puncta, de quibus considerat Mathematicus.

Auctor ipse proponit in principio tex. connexionem huius partis: Deinde annectit rationem dubitandi. Connexio est, quod cum hu-
I. cusque sancitum à nobis sit, quot mod s dicatur natura, proximum est, vt inuestigemus quonam differt Mathematicus à Physico. Scito autem quod licet Arist. solum exprimat, esse determinatum, *quot modis dicatur natura*, tamen intelligit omnia, quæ a principio lib. de natura dilucidata sunt; videl. quid natura sit, quid naturale, quid secundum naturam, quotuplex sit natura, & quæ perfectior: recenset autem solum ea, quæ vltimo loco declarauit, iccircò ait, dictum esse, *quot modis &c.*

Deinde, *etenim plana, & solida habent physica corpora &c.* apponit rationem dubitandi, quod Ma-
II. thematicę disciplinę non discriminentur à Physica, quæ ita potest formari: Scientiæ, quæ eandem rem considerant, non differunt inter se, quia scientiæ distinguuntur per obiecta, ex secundo de Anim. tex. 23. & lib. tertio tex. 38. nam scientiæ sunt res ipsæ in eis consideratæ, per imitationem. At Physicus, & Mathematicus, id est Geometra, eandem rem considerant, quare inter se non differunt. Minorem probat in tex. quia corpora naturalia, quæ porrò sunt substantia, habent plana, id est superficies; habent solida, videl. corpora quanta, siue trinas dimensiones; habent lineas, atque puncta, quæ omnia procul dubio considerantur à Physico, quia qui contempla ur corpus naturale, contemplatur etiam omnia quæ eius sunt, vt idem met Arist. dicit in tex. sequenti. Sed hæc eadem expendit etiam Mathematicus, seu Geometra, dictæ igitur scientiæ non differunt inter se.

TEXTVS XVII.



Amplius autem, si Astrologia alia est, an pars Physicæ. Si enim Physici est, quid sit Sol, aut Lunæ scire, accidentium autem nullum, inconueniens est: & præsertim cum videantur dicere, quæ circa naturam versantur, & de figura Solis, & Lunæ, & vtrum sphærica sit terra, & mundus, an non

Mouet in hoc contex. aliam difficultatem. Pro
I. cuius, & præcedentis intelligentia accipe, Mathematicas disciplinas in duplici differentia positas esse. Aliæ appellantur Puræ, & sunt Geometria, Stereometria, & Arithmetica. Geometria, & Stereometria contemplantur quantum continuum: illa quidem figuras, lineas, superficies, puncta: ista autem corpora Prædicamenti Quantitatis, quæ appellantur solida. Arithmetica vero considerat quantum discretum, seu numerum. Aliæ Mathematicæ vocantur Mediæ, Perspectiua, Astrologia, & Musica: sic autem appellantur, quia priores occupantur in contemplatione puræ quantitatis, ab omni sensibili conditione abstractæ: posteriores verò contemplantur etiam quantitatem, sed vt assumit aliquam affectionem sensibilem: Quocirca accedunt etiam aliquo modo ad Physicam, & recedunt a puritate priorum Mathematicarum. Ita perspectiua recedit a Geometria, Astrologia à Stereometria, Musica ab Arithmetica, vnde & illis subalternantur. His itaq. suppositis.

Mouit Auctor in tex. præced. difficultatem de Ma-
II. thematicis Puris, pro quibus induxit Geometriam: nunc mouet de Matemathicis Medijs, pro quibus apponit Astrologiam. Et dubitatio est bimembris. Verum Astrologia sit alia scientia diuersa a Physica, an vero eadem: Vel vtrum saltem sit, pars Physices. Et ratio dubitandi pro prima parte est, eadem ac superior, quia Astrologus considerat eas-

demmet

Digitized by Google

demmet res, quas considerat & Physicus, videl. Solem, Lunam, & reliqua corpora cælestia. Quocirca si repetas syllogismum in tex. proximè antegresso confectum, concludes, Astrologiam non differre à Physica: Pro secunda parte ratio ita formari potest. Illa scientia, quæ considerat partem obiecti considerati in alia scientia, est pars illius: Astrologia considerat partem obiecti Physices, quare Astrologia est pars Physices.

III. Subsequentia textus verba, possunt esse probatio minoris, deprompta ex ratione, & auctoritate: & possunt etiam esse obiectio ad tacitam quandam solutionem, quæ posset ab aliquo afferri. Vtroq; modo espono: Et quidem priori sic. Scientia, quę considerat aliquod subiectum, tenetur considerare etiam eius affectiones: *inconueniens* enim est dicere, *Physicum scire quid sit Sol, aut Luna, accidentium autem nullum*: Sed Physicus considerat Solem, Lunam, & Astra, quæ sunt corpora Physica, ergo considerat etiam eorumdem affectiones, videl. motum, & figuram: quas etiam considerat Astrologus. Confirmat; quia videmus Veteres Philosophos, qui de Natura, & corpore Physico locuti sunt, instituisse sermonem etiam de figura Solis, Lunæ, Terræ, & Mundi, quæ sunt Astrologicæ contemplationis.

IV. Posteriori autem modo sic expono. Diceret fortasse quispiam ad rationem, quod Physicus, & Astrologus non considerant easdem res: Nam Physicus expendit essentiam Solis, Lunæ, & quid ipsa cælestia sint. Astrologus autem contemplatur solum affectiones illorum.

Aduersus hoc insurgit dupliciter. Primùm, *inconueniens enim &c.* Ratio ita struatur. Quicunque scientificè cognoscit naturam, & essentiam alicuius rei, is necessario debet cognoscere etiam propria accidentia illius: alioquin non haberet de illa re demonstrationem, ac scientiam, cum demonstratio fiat, quando propria passio ostenditur de subiecto, vt ex primo Post. nemo non nouit. Physicus scientificè cognoscit naturam, & essentiam rerum cælestium, quare etiam cognoscit propria earundem accidentia. Deinde, *& præsertim cum videantur dicere, quæ circa naturam versantur, & de figura Solis &c.* malè sunt translata. Gręcè sic habent. ἄλλως τε καὶ ἐπεὶ φαίνονται λέγοντες οἱ περὶ φύσεως, καὶ περὶ σχήματος σελήνης: sic vertes prælectum, & quia illi qui de Natura dicunt, φαίνονται λέγοντες, apparent dicentes, idest dicunt, & de figura Lunæ &c.



Adnotationes, & difficultates circa tex. 16. & 17.



PRimò difficultatem facit ipsa Auctoris connexio, quod *quia determinatum est, quot modis natura dicitur, post hoc speculandum est, quo differt Mathematicus à Physico.* Quę porrò nullum videtur habere nexum, neque ordinem vllum. V.
Quamuis enim abundè fuerit hucusque declaratum de Natura, quomodo sequitur, ergo nunc videndum est, quænam sit differentia inter Mathematicum, & Philosophum Naturalem? Secundò, Cur Arist. differentiam inter has scientias non inuestigauit antea, neq; post, sed inquirit hoc loco, vbi videtur inceptum sermonem interrumpere?

Respond. connexionem Philosophi esse admirabilem, modo penitus comprehendatur. Pro qua VII.
reuoca in memoriam ex ijs, quæ in quæst. 3. proœm. maximè verò sect. 4. dixi, quod inter voces, quibus effertur obiectum Philosophiæ Naturalis, duæ id explicant melius, videl. ens mobile, & corpus naturale, vt naturale: quæ tametsi re significata idem pollent: quoniam istæ duæ expressiua nobis offerunt motum, seu mobilitatem, quæ est ratio formalis, sub qua Physicus considerat, quæcunque considerat, vt in illa ipsa quæst. latissimè exposui. Hæc ratio formalis plenissimę habetur ex tractatione Naturæ, cum hæc constituta sit principium motus. Quare ex tractatione, & accurata dilucidatione eorum, quæ à principio huius lib. ad hunc vsque locum enucleata sunt, iam tenemus rationem formalem obiecti Physices.

Nunc perge: & quia tunc ratio formalis alicuius scientiæ cognoscitur esse benè tradita, cum per eam illa scientia secernitur a quacunque alia scientia, icircò Arist. hoc intendit facere: ideòque ait, quod absoluta tractatione Naturæ, ex qua illucet etiam ratio formalis obiecti Physices, videndum est, num per eam distinguatur Physica a quacunque alia scientia, id est, a Mathematica, & Metaphysica. Enimuerò licet hic nullam Arist. faciat mentionem Metaphysices, nihilominus dicet infra in tex. 71. & 73. Et propterea ego in titulo huius capitis dixi, hic agi de differentia inter Philosophum Naturalem, & Mathematicum, ac Metaphysicum. Hæc ergo est legitima connexio huius partis cum præced. Vnde etiam apparet solutio ad secundum argumentum, cur videl. Arist. non antea, aut post egerit

egērit de hac differentia: Hic enim est germanus eius locus, & non alibi.

VII. Secundò difficultatem facit, quod Arist. videtur fuæ fcientiæ limites egredi, & pedem præter æquum figere in alterius facultatis possessione: Nam distinguere vnam scientiam ab alia, non est officium alicuius particularis scientiæ, sed est scientiæ communis, id est Metaphysices, quæ tanquam domina, & cunctarum facultatum, ac scientiarum moderatrix, indicat, quibus In rebus illæ versentur quibus terminis contineantur, & quibus fecernantur differentijs. quare malè Stagirites id officij arrogat fibi hoc loco.

Confirmatur. Quicunque vult constituere differentiam inter aliqua, debet vtrumque extremum cognoscere. Ita docuit Arist. fecundo de Anim. tex. 141. At nulla scientia particularis potest cognoscere extremum alterius scientiæ particularis, cum nulla scientia valeat quicquam attingere extra suum obiectum adæquatum. ergo nulla scientia particularis potest inquirere, & constituere differentiam inter se, & alias, aut simpliciter inter alias. ac proinde malè Arist. in præsenti hanc inquirit differentiam.

VIII. De hac re varij extant dicendi modi: communior est hic, quod constituere differentiam inter scientias, est quidem officium Metaphysici, quemadmodum videre licet in sexto eius operis lib. Et ratio quoq; id idem persuadet, quia Metaphysicus est artifex communis, & contemplatur omne ens: aliæ autem scientiæ accipiunt partem eius, in qua occupantur, vt diximus ex quarto Metaph. tex. 1. ideòque Metaphysicus declarat etiam differentias inter scientias particulares: Nihilominus disciplinæ sibi inuicem inseruiunt: propterea Philosophus hoc loco indutus habitu Metaphysici constituit dictam differentiam inter Physicam, & Mathematicam. Ita in lib. primo huius operis disputat aduersus Parmenidem, & Melissum, accepto habitu eiusdem Metaphysici, vt eo loci adnotaui. Hic dicendi modus commodè tollit difficultatem.

IX. Ego tamen dicendum existimo, quod Arist. hoc loco non ponit dictam differentiam, vt Metaphysicus, sed vt Philosophus Naturalis. Quod mihi clarissimè indicant illa connexionis verba, quod cum determinatum sit de Natura, *post hoc speculandum est, quo differt Mathematicus a Physico*, quæ porrò apertè significant feriem eiusdem doctrinæ, & quod hoc faciendum sit à Philosopho Naturali. Id etiam perpende, quod disputaturus Arist. in primo lib. aduersus Parm. & Meliss. se excusabat, quod ea disceptatio ad Naturalem haud attineret, quod tamen hic non facit. Ex eo etiam potest confirmari, quòd talis est censenda differentia ponenda inter aliquas scientias, quale est medium, per quod illa constituitur: At medium, per quod hæc differentia inducitur, est Physicum, quippe colligitur ex definitione, & explicatione Naturæ, quare & differentia hoc loco posita, erit Physica, ac proinde inducitur à Physico.

Pro cuius rei exactiore intelligentia, & solutione propositæ difficultatis, scito, duobus modis posse induci differentiam inter scientias particulares. Vno quidem absolutè, ita vt vnus aliquis ceu communis arbiter dicat, constituatque differentiam inter hanc, & illam scientiam. Altero autem, vt aliquis ponat differentiam inter se, & alia: quod facit ex eo, quia cognoscit ius suum, suosque limites: ac proinde quicquid videt extra illos, optimo iure censet a se differeos ac diuersum. Metaphysica inducit differentiam inter scientias particulares primo modo: quoniam est omnium facultatum arbitra, atque eas respicit tanquam pedisequas, atque ancillas: Secundo autem modo, quæuis scientia particularis commodè valet discriminare se ipsam ab alijs. Ita facit hoc loco Arist. vt Physicus. Qui igitur hoc pacto ponit differentiam, satis est, vt cognoscat vnum extremum verè ac positiuè: alterum autem cognoscit per remotionem. X.

TEXTVS XVIII.



E his igitur negotiatur & Mathematicus, sed non quatenus Physici corporis terminus est vnum quodque: neque accidentia speculatur quatenus talibus existentibus accidit: quapropter abstrabit, abstracta enim sunt intellectu a motu; & nihil refert; neque fit mendacium abstrahentium. I.

Diluit Arist. in præsent. tex. duas illas difficultates excitatas in tex. 16. & 17. vnica solutione, quæ est, quod licet & Physicus, & Mathematicus consideret easdem res, nimirum eadem plana, solida, magnitudines, & puncta, non tamen eodem modo. Quocirca quamuis Mathematicus conueniat in subiecto materiali, fine in re considerata, nihilominus rite ab eo discriminatur in obiecto formali siue in modo considerandi. Exploratum autem est, scientias haud distingui inter se per subiectum materiale, remque ipsam consideratam, cum vnam, atque eandem rem multæ scientiæ expendant, sed distingui per obiecta formalia, seu modos considerandi. Cuius rei ea est ratio, quia res considerata in scientia est veluti materia; modus verò considerandi est tanquam forma: Distinctio autem ac differentia rerum hauritur à forma.

Digitized by Google

II. Vide hæc in tex. quem in tres diuido partes. In prima tradit solutionem, quod *negotiatur quidem de his & Mathematicus*, Fateor, inquit, quod etiam Mathematicus agit de his, planis, solidis &c. de quibus agit etiam Physicus, (& res considerata) *sed non quatenus* &c. at non considerat ista, qua sunt aliquid corporis Physici, videl. termini Physicè ipsum terminantes: *neq; speculatur* &c. neque contemplatur accidentia, & affectiones quæ corporibus Physicis accidunt ᾗ τοιούτοις οὖσι, quatenus talibus existentibus: idest, qua sunt talia Physica corpora, sed abstrahit. Itaque cum in argumento dicebatur. Scientiæ rem eandem considerantes, sunt eædem: Mathematicus seu Geometra, & Astrologus, seu Physicus considerant eandem rem. Distinguo maiorem. Si considerant eandem rem, & eodem modo, concedo: si considerant eandem rem, sed diuerso modo, nego: & tunc minor est falsa, vt nunc apparuit.

III. In 2. parte *quapropter abstrahit*, malè transfertur: græcè διὸ χωρίζει. dic, ideò, seu propterea abstrahit: sine, propterea separat. inde namque pendet: quia Physicus considerat lineas, superficies, magnitudines, & puncta qua sunt termini corporum naturalium, & eorumdem affectiones. Mathematicus autem non considerat quatenus talia sunt, propterea abstrahit. Ita verba, quæ sequuntur, *abstracta enim sunt intellectu a motu*, ineptè vertuntur, χωριστὰ γὰρ τῇ νοήσει, κινήσεως ἐστι. dic *separabilia enim sunt intellectu a motu*. Quamuis præfatæ res sint in corporibus physicis, nihilominus possunt per intellectum ab ijs separari. Nam χωριστὸν significat & separatum, & separabile, vt multis ostendi in opere de Triplic. Stat. Anim. Disput. 9. sect. 11. & hoc loco significat separabile, nempe aptum, vt separetur. Sunt itaq; præfatæ res abstrahibiles, per intellectum *à motu*, videl. a corpore physico, in quo est principium motus.

IV. Posset aliquis dicere. Si præfatæ res sunt in corporibus physicis, ceu termini, & affectiones; & Mathematicus non considerat eas hoc modo, sed separatas, falsò igitur eas intelligit. Conseq. prob. nam quicunque res aliter ac in se ipsis sunt intelligit, falsò intelligit, cum *vnumquodque sicut se habet ad esse, ita & quoad veritatem* ex secundo Metaph. tex. 4.

Occurrit *Et nihil refert; neque fit mendacium abstrahentium*.

QVAESTIO VNICA,

De differentia scientiarum speculatiuarum: Et quonam sensu intelligendum sit Stagirita effatum, quod abstrahentium non fit mendacium?



Voluerunt aliqui haud esse ex natura rei plures scientias totales, vt aiunt, distinguendas, præsertim verò speculatiuas, sed esse vnam duntaxat scientiam, quæ deinde prudentium hominum arbitrati & industria, sit in aliquot scientias distincta, & in varias veluti classes distributa ad maiorem addiscentium vtilitatem. Ita Anton. Bernard. Mirandulan, lib. 13. de euersione singular. certamin. sect. 6. & 7. cui etiam alij accessere, quod quidem dogma. I.

Probant primò, quia antiqui Philosophi nullā ex natura rei scientiarum distinctionem cognouerunt, II. sed totam doctrinam de omnibus omninò rebus absque vlla distinctione, sed prout se se occasio offerebat tradebant. Quod porrò non facerent, si scientiæ ex sui natura essent distinctæ.

Secundò, quia etiam Plato non videtur distinxisse varias scientias ex se ipsis, Nam si scientias tenuisset ex sui natura esse distinctas, & or- III. dinatas, primò tractasset de vna scientia, postea de alia, & ita de reliquis. Quod tamen non facit, sed promiscuè in suis dialogis modo exagitat quæstiones logicas, modo Physicas, modo Rhetoricas, modo supra Physica exigitur, censuit itaque, scientias non esse distinctas ex sui natura, sed prout addiscentium opportunitas exigit, sit eas distribui.

Tertiò, Philosophus ipse in quarto Metaph. tex. 6. clarissimè tradit, esse opus vnius scien- IV. tiæ speculari tum ipsum ens, tum eius accidentia, tum substantias, & quæcunque illis accidunt; & de genere, & de specie, & de toto, & de parte &c. En eius verba. *Quod igitur vnius scientia est, ens prout ens est, & quæ ei prout enti insunt, specu-*

speculari, manifestum: & quod non solum substantiarum, verùm etiam earum, quæ substantijs insunt, eadem speculatiua est, & illorum quæ dicta sunt; & de priori, & posteriori, & genere, & specie, & toto, & parte, cæterisque huiusmodi.

V. Nihilominus in contrarium stetit communis doctorum hominum consensus; qui ita scientias esse ex sui natura supponunt, vt eas varijs modis diuiserint. At primò quidem Zeno Stoicorum princeps Chrysippus, Apollodorus, tum postea Academici Philosophiam diuiserunt in Physicam, Ethicam, & Logicam. De qua partitione adeundi sunt Plutarch. lib. 1. de placitis Philosoph. cap. 3. Alcinoüs lib. de doctrina Platonis cap. 3. Diogen Laert. in vita Platonis, M. Tull. in 1. Academ. Quæst. Euseb. lib. 11. de præpar. Euang. cap. 1. D August. lib. 8. de Ciuit. Dei cap. itidem 1. P Peret. lib. 1. suæ Phys. cap. 2. Franc. Piccol. in Introduct. ad scientiam de Natura cap. 2. Thom. Gian. lib. 1. Phys. cap. 3 deinde alij. Quam quidem partitionem Veteres illi exemplis quibusdam, seu comparationibus illustrabant.

VI. Primùm, Vniuersa, aiunt, Philosophia est veluti quoddam animal, cuius ossibus quidem ac neruis similis sit Logica, carnibus autem Ethica, animæ demum Physica. Deinde, Philosophia est tanquam conclusus quidam ac frugifer ager, cuius circumiecta seps sit Logica, fructus sit Ethica, fundus, & arbores sit Physica. Ad hæc, eandem Philosophiam assimilabant ouo, cuius cortex sit Logica, albumen Ethica, vitellus Physica. Imo verò, Euseb. loco quem dixi, refert quædam Aristotelis verba in huius diuisionis commendationem ex lib. de Philosophia, quod opus nunc non extat: & in cap. sequ. idem Euseb. ait, hanc Philosophiæ diuisionem manasse ex Hebræis.

VII. Alij tres fecere Philosophiæ partes, Physicam, Ethicam, & Canonicam, siue Regularem, ita Epicurus, vt scribit Laert in eius vita. Nomine autem Canonicæ intellexit non Logicam, quam veluti superuacaneam repudiauit, neque artem medendi, vt plerique omnes cum Toleto existimant, sed doctrinam, quæ explicat qua parte animi, & quomodo iudicium de veritate sit faciendum. Verùm si Senecæ in epist. 90. credendum sit, Epicurus non tres, sed duas putauit esse Philosophię partes, videl. Physicam, & Ethicam. Canonicam autem arbitratus est, esse accessionem partis Physicæ.

Alij verò, vt Cleanthes, Philosophiam latius in sex partes distribuerunt, Logicam, Ethicam, Physicam, Oratoriam, Ciuilem, & Theologiam. Sed iam communiter ea increbuit Philosophiæ partitio, quod Philosophia prima sui diuisione secetur in practicam, & speculatiuam. Rursus speculatiua subdiuidatur in Mathematicam, Physicam, & Metaphysicam, quemadmodum docet Arist sexto Primæ Philosophiæ cap. 1. Pro resolutione.

Dico 1. Non est vna tantum scientia speculatiua omnium rerum, sed necessario constituendæ sunt plures scientiæ totales.

Prob. 1. Si esset vna tantum scientia ex natura rei omnium rerum, quas homines contemplantur, VIII.
ergo essent etiam eadem principia cuiuscunque scientiæ, & cognitionis: Sed hoc est falsum, quia, vt ostendit Arist. in primo Poster cap. 23. non eadem sunt principia omnium scientiarum: & de se manifestum est, siquidem alijs principijs innititur Physica, alijs Mathematica. Consecutio autem maioris facile intelligitur ex eodem lib. cap. 21. vbi commonstrat, quod illa est vna scientia, quæ versatur circa vnum genus: & illæ scientiæ versantur circa vnum genus, quæ vtuntur ijsdem principijs, quare si esset vna tantum scientia omnium rerum, quæuis scientia, & cognitio penderet ex ijsdem principijs.

Secundò prob. Si esset vna tantum scientia ex IX.
sui natura omnium rerum, quas contemplamur, esset etiam vna ratio definiendi res omnes: Nam impossibile est, vt in vna & eadem scientia adhibeantur plures, ac variæ rationes definiendi. Sed omninò sunt varię rationes definiendi res, quas contemplamur, ergo necessario sunt plures, & non vna tantum scientia. Minor præterquam quod explicatur ab Arist. in secundo Metaph. cap. 7. ex se etiam liquet. Nam Physica definit cum materia, & vt simum, Mathematica autem abstrahit a materia, & definit vt curuum, sicut dicitur in tex. 19. huius lib. ergo &c.

Dico 2. Scientiæ constituuntur diuersæ ex diuersa abstractione, sub qua considerant sua scibilia; siue ex diuerso modo, quo dicta scibilia considerant. X.

Ita docet Philosophus in hoc tex. 17. vt vidimus & est communis Doctorum consensus: & ratio est aperta, quia habitus, & potentiæ distinguuntur vltimatè per obiecta, quemadmodum vnà cum Aristotele docuimus in secundo de Anim ad tex. 22. Nequeunt autem distingui ab obiectis, vt sunt res quædam à parte rei, quare distinguuntur quatenus stant sub diuersa abstractione, siue quatenus subeunt diuersum considerationis modum. Minor vel ex eo liquet, quòd vna atque eadem res, quæ est à parte rei, consideratur a pluribus scientijs, & e contra multæ res, quæ a parte rei dissident specie, genere; & toto etiam prædicamento, attinguntur ab vna, & eadem potentia specie.

Assumptum pro prima parte patet, nam homo V. G. consideratus à Logica, Physica, Medicina, Mathematica, Metaphysica, Theologia: sed a Logica consideratur, quia potest esse subiectum, aut prædicatum in propositione, quatenus est species &c. A Physica autem, quatenus est ens mobile: a Medicina, qua est corpus sanabile, & ægrotabile, à Mathematica verò, vt est quoddam quantum: à Metaphysica demum, quatenus est ens. postremò à Theologia, vt in finem supernaturalem ordinatus.

Idem assumptum, quo ad secundam etiam partem patet, nam Physica V. G. quæ est vna scientia specie atoma, considerat principia, elementa, mixta viuentia, cælos, & eorumdem accidentia, ipsa

Digitized by Google

etiam cælorum motrices. Quæ omnia licet in esse rei plus quàm p. ædicamento dissideant, ac proinde hoc pacto nequeant ab vna scientia specie attingi, cum scientia, & scibile debeant inter se proportionari, nihilominus conueniunt in vna abstractione, & in vna ratione formali, sub qua a Physica attinguntur, & illam specificant. Id clarissimè conspicis in obiecto V. G. visus, quod quidem in esse entis spectatum, est album, nigrum, viride, fuscum, reliqua colorata, quæ porrò inter se specie discriminantur. At ea ipsa accepta formaliter, qua sunt visibilia, conspirant in vna ratione specifica, eaque atoma; & hac ratione specificant potentiam visiuam, quæ est vna specie infima. sic in proposito philosophare de scientijs, & earum obiectis.

XI. Dico 3. Scientia speculatiua adæquatè distinguitur in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam.

Hæc etiam assertio est Aristotelis sexto Metaph. cap. 1. & colligitur hunc in modum. Scientiæ speculatiuæ constituuntur, & distinguuntur ab inuicem ea diuersa abstractione, vt nuper ostendebamus; sed triplex tantum datur abstractio, quare triplex tantum dabitur etiam scientia speculatiua.

Minor in scholis est certa, nam aut res abstrahuntur solum a materia sensibili singulari, & vt aiunt, signata, non autem à materia sensibili in communi, V. G. cum dico, homo, equus, caro, significo rem abiunctam quidem ab hoc, vel illo homine, aut equo, tum ab his, aut illis carnibus, non ta nen abstraho absolutè a corpore, & à carnibus, siquidem caro in communi est veluti simum. Et hæc abstractio constituit Physicam.

Aut abstraho a materia sensibili non modo in particulari, verùm etiam in vniuersali, vt dum abstraho, & concipio figuram; V. G. circulum, aut triangulum; tunc enim non modo concipio circulum sine hoc, vel illo auro, aut sine hoc, vel illo ferro, sed omninò apprehendo absque vllo auro, an ferro: Res ita abstractæ dicuntur materia intelligibilis. Atque hæc abstractio constituit Mathematicas.

Aut deniq; abstraho ab omni materia tam sensibili, quàm intelligibili, cuiusmodi abstractio apparet in Deo, & Intelligentijs, tum etiam quando concipio aliquid solum qua est ens. Et hæc abstractio constituit Metaphysicam. Neque præter has abstractiones vlla alia potest vnquam reperiri. quare neque reperitur vlla alia scientia speculatiua, præter illas tres indicatas. Ex his itaque apparet, quod non est vna tantum scientia specifica ex sui natura, sed multæ; & quomodo inter se destinguantur penes diuersam abstractionem; & denique quot est sint.

Quonam sensu sit verum, quod abstrahentium non sit mendacium.



T hæc propositio ritè inculcetur, recensendi sunt varij abstractionis modi. Et quidem abstrahere nihil aliud est, quàm apprehendere vnum absque alio, cum quo illud erat coniunctum. Quod si abstractio est apprehensio vnius sine alio, ergo necessario erit opus alicuius potentiæ apprehensiuæ, siue cognoscitiuæ, & etiam est alicuius rei apprehensæ, & cognitæ. Quocirca abstractio potest variari tum ex parte rei abstractæ, tum ex parte potentiæ abstrahentis; de prima iam audiuisti, quod est triplex, videl. Physica, Mathematica, & Metaphysica. XII.

De secunda sic habe. Potentiæ cognoscitiuæ in homine sunt in triplici differentia. Aliæ namque potentiæ cognoscitiuæ sunt sensus externi; aliæ sensus interni, aliæ intellectiuæ: Vnde consurgunt ex parte etiam potentiæ apprehendentis, & abstrahentis tres abstractionis gradus.

Vna itaque abstractio fit à sensu externo, Quippe visus V. G. apprehendit colorem inexistentem in pomo, & realiter cum odore, & sapore iunctum, non apprehenso odore, ac sapore? & ita dicitur abstrahere ac separare colorem, quod perinde est, ac si dicas, eum attingere suum obiectum, non attactis alijs, quæ ibi sunt. Hæc abstractio est valdè impropria; nihilominus in ea non intercedit meodacium, quia sensus circa propria sensibilia, adhibitis tribus illis conditionibus, de quibus in secundo de Anim. ad tex. 63. non decipiuntur. XIII.

Altera abstractio fit à sensu interno, videl à sensu communi, imaginatione, & cogitatiua. Nam sensus communis ex Arist. in secundo de Anima cap. 14. discernit sensibilia sensuum externorum; itaqidum visus in pomo proposito cernit, & dicitur abstrahere colorem, sensus communis attingit visibila, sine alijs sensibilibus cæterorum sensuum, quæ in illo ipso pomo reperiuntur, & ita dicetur abstrahere. Et circa hanc etiam sensus communis abstractionem non interuenit meodacium, quia operatio huius sensus celebratur simul cum operatione sensuum exterorum, & obiectis præsentibus. XIV.

Potiori iure dicantur abstrahere imaginatio, & cogitatiua, quæ operantur etiam in absentia obiectorum; possunt enim istæ in re (vt ita loquar) phantasiata, & cogitata apprehendere vnam aliquam qualitatem, & conditionem sine alijs, quæ XV.

in

in illa eadem re existunt iunctæ, & sic dicentur illam abstrahere: At neque hæc est omni ea parte perfecte abstractio, quamuis sit persectior quàm superiores. Hæc abstractio potest esse tum vera, tum falsa. Vera quidem, si apprehendatur res, quæ re vera sit: falsa autem, si apprehendatur res, quæ non sit.

Tertia abstractio pertinet ad intellectum: & est
XVI. duplex. Vna fit ab intellectu agente, qui illustrando phantasmata, & depurando ea à conditionibus particularibus, facit apparere naturam vniuersalem, quæ natura ita denudata appellari solet vniuersalis negatiuè. Et in hac abstractione non est mendacium, quia verum, & falsum sunt in affirmatione, & negatione, siue in compositione, & diuisione, vt auctor est Philosophus tertio de Anim. tex. 21. Intellectus autem agens nec affirmat quicquam, nec negat, cum ipse non intelligat, vt in eodem tertio de Anim. dixi.

Altera abstractio fit ab intellectu possibili, qui
XVII. quidem apprehendit vnum non apprehensis alijs, cum quibus illud erat coniunctum. Quæ adhuc est duplex; Alia dicitur compositiua, & est ea, quæ fit per secundam eius operationem, componendo aliquid de aliquo, aut diuidendo, quæ necessario aut est vera, aut falsa: vt cum dico, homo est animal, homo non est risibilis. Prima est vera, secunda falsa: Hinc Arist. in lib. de Interpret. cap. 7. *Est*, inquit, *quemadmodum in anima, aliquando quidem intellectus sine vero, vel falso, aliquando autem cui iam necesse est horum alterum inesse; sic etiam in voce; circa compositionem enim & diuisionem est verum, & falsum.* In hac itaque abstractione nullum habet locum Stagiritæ effatum, quod abstrahentium non sit mendacium.

Altera abstractio fit ab eodem intellectu possibili per primam eius operationem, qua nimirum ex ijs quæ à parte rei existunt iuncta, attingit vnum, non attactis alijs. V. G. in me sunt natura humana, animal, corpus, substantia, præterea conditiones indiuiduantes. Intellectus, relictis conditionibus meis indiuiduantibus, apprehendit naturam humanam: ita apprehendit, & abstrahit animal, aut corpus, relictis inferioribus. Hæc abstractio est simplicium apprehensio, & indiuisibilium intellectio, *quæ in ijs est, circa quæ non est falsum*, vt loquitur idem Philosophus in tertio lib. de Anim. tex. 21. De hac abstractione intelligitur Philosophi ennunciatum, quod *abstrahentium non sit mendacium*. Ita exponunt plerique omnes, quæ vera quidem sunt.

XVIII. Sed ego puto, Aristotelem hic non respicere abstractionem factam solum per simplicem intellectus operationem, sed hoc sibi velle, quod qui abstrahit aliquid, & illud intelligit alio modo, videl. separato, ab eo quo illud a parte rei existit, non propterea committit falsum, seu mendacium. V. G. quantitas a parte rei est cum substantia, siue materia sensibili, Mathematicus illam separat per intellectum, & circa illam ita separatam negociatur: non ideò mentitur, quia illam expendit absque materia sensibili, cum qua re ipsa est a parte rei coniuncta. Itaq; Stagirites in suo dicto, *abstrahentium non est mendacium*, non respicit solam abstractionem factam per simplicem intellectus operationem, vt præcedens expositio opinatur, sed respicit tam eam, quàm secundam, & tertiam intellectus actionem, videl. & compositionem, & diuisionem, & discursum: Vno verbo, respicit totam ratiocinationem, siue discursum, quem quispiam egerit circa aliquod abstractum.

Quod autem Arist. hoc totum intelligat, euinces primò, quia absolutè, & voce actiua, profert suum axioma. ουδέ γίνεται ψεῦδος χωριζόντων. *neq; fit mendacium abstrahentium*. Secundò, quia Mathematicus circa quantitatem abstractam, & Metaphysicus circa ens itidem ab omni materia tam sensibili, quàm intelligibili abstractum exercent omnes operationes intellectus. Ex his igitur apparet differentia scientiarum speculatiuarum: tum vnde ea hauriatur, & quomodo sit verum illud Philosophi dictum.

Peculiaris dubitatio est hoc loco de Astrologo,
seu de Astronomo, quomodo hic abstrahat a motu XIX.
quemadmodum abstrahunt, Mathematicæ, & etiam asserit Arist. in tex. 18 si totus versatur in contemplatione motus cælestis? Deinde, quomodo differt a Physico, si considerat motum, tùm corpora cælestia, quæ naturalia sunt, tùm eorundem magnitudines, figuras &c.? Manifestum enim est, quod Astronomus occupatur in expendendis motibus Planetarum, sphærarumque cælestium, & earum magnitudinibus, figuris, & viribus.

Facile occurritur. Primò Astrologia non est Mathematica pura, sed media, vt supra adnotaui vnde flectit aliquo modo ad Physicam. Secundò, Alio modo consideratur motus, & corpora cælestia, & eorum magnitudines, ac figuræ a Philosopho Naturali, alio autem ab Astrologo. Vterque expendit easdem res, sed vario modo considerandi, & sub diuersa ratione formali. Physicus considerat motum, quatenus finit a principio intrinseco, quod est Natura: considerat corpora cælestia, quæ sunt entia quædam mobilia, vel quæ prædita sunt natura: considerat demum magnitudines, figuras, idque genus alia eorum accidentia, vt sunt propriæ passiones corporum naturalium. Astrologus autem hæc omnia considerat solum, vt sunt quædam quanta; nihil vlterius inquirendo, quorum vnquam sint an termini, an passiones, sed iam est.

TEXTVS XIX.



Latent autem qui hoc faciunt, & qui ideas dicunt: Physica enim abstrahunt, cum minus sint abstracta Mathematicis. Fiet autem hoc manifestum si aliquis vtrorumque tentauerit dicere terminos, & ipsorum, & accidentium: impar enim erit, & par, & rectum, & curuum, adhuc autem & numerus, & linea, & figura sine motu; caro autem, & os, & homo non amplius, sed hæc sicut naris sima, sed non sicut curuum dicuntur.

I. Dixit in tex. antegresso abstrahentium non esse mendacium: ex quo quidem dicto posset quispiam opinari, quod Plato, cum poneret ideas abstractas non errauit; icircò patefacit Arist. in hoc, & seq. contex. illum in eiusmodi idearum constitutione errasse.

Iam verò qui ex sola versione latina pendent, existimant hic ab Stagirite indicari duarum classium homines. id quod colligunt ex ipsismet verbis. *lateat autem & qui hoc faciunt*; ecce vna classis: *& qui ideas ponunt*, ecce altera. Atque in priori classe dicunt denotari Pytagoræos, qui pro principijs rerum inducere Mathematica abstracta, vt legimus in primo Metaph. cap. 4. In posteriori autem poni Platonem.

Veruntamen isti apprimè falluntur: & Arist. nonnisi Platonis exagitat errorem.

II. Præfata autem verba tex. quæ illis auctoribus fuerunt occasio errandi, malè sunt translata. Græcè, λανθάνουσι δὲ τοῦτο ποιοῦντες καὶ οἱ τὰς ἰδέας λέγοντες, quorum vim nemo interpr. aut ego fallor, expressit. Communiter leguntur. *latent autem qui hoc faciunt, & qui ideas dicunt*: Antiqua translatio legit. *latet autem hoc facientes, & ideas dicentes*. Argyr. vertit, *Latent autem id agentes, & hi qui dicunt ideas esse*. Alium etiam habet Pi. col. legunt, *decipiuntur autem qui hoc faciunt, & qui ideas dicunt*. alij alio pacto. Vnde non mirum, si præclara ingenia varias circa ea verba finxerint imaginationes.

III. Tu verò scito, quod λανθάνω ποιῶν, inter alia significat, imprudens, seu inscius facio: atque adeò imprudenter. siue inscienter facio. Habe testem eruditissi. Budæum in Com. ling. Græcæ. qui refert Platonem in Gorg. hunc in modum loquentem ὅπως μὴ λάθητε (Hoc fit à λανθάνω) διαφθαρέντες ne imprudentes pereatis. Refert & Aristotelem primo Metaph. οἱ τὸ ἄπειρον ποιοῦντες, λανθάνουσιν ἐξαιροῦντες τὴν τοῦ ἀγαθοῦ φύσιν insci-entes eximunt naturam boni. Refert & Xenoph. & Athen. In hac significatione accipitur in præ-senti λανθάνουσι ποιοῦντες, id est inscientes, seu inscienter faciunt, οἱ τὰς ἰδέας λέγοντες illi qui dicunt ideas esse: vnde vides, Stagiritæ orationem in vnum solumque Platonem dirigi atque intendi. Præterea scito, τοῦτο, *hoc*, positum in dictis verbis referri ad ipsum abstrahere, de quo in tex. præced. locutus est. Quare prædictis verbis constituitur a Philosopho hæc conclusio.

Illi qui dicunt esse ideas, vt facit Plato, inscienter faciunt abstractionem.

Probat, *Physica enim abstrahunt, cum minus sint* IV.
χωριστὰ *abstrahibilia, quàm Mathematica*. (malè etiam hic χωριστὰ vertitur *abstracta*) Rationem ita formo. illi qui magis, seu maiori abstractione abstrahunt ea, quæ sunt minus abstrahibilia, inscienter faciunt abstractionem: Plato inducendo ideas, magis, seu maiori abstractione abstrahit Physica, quæ sunt minus abstrahibilia, quàm Mathematica, ergo inscienter facit abstractionem.

Minor habet duas partes. Vna, quod Plato maiori abstractione abstrahat res Physicas, quàm fiunt abstractæ res Mathematicæ: Altera, quod res Physicæ minus possint abstrahi, quàm Mathematicæ.

Priorem partem Arist. ceu clarũ supponit. Quippe Plato in constitutione idearum ponebat hominem ab hoc, & illo homine realiter abiunctum, separatum, & per se existentem: Ita equum, leonem, & reliquas species rerum naturalium; quæ porrò abstractio longè maior est, quàm sit Mathematica, quæ fit solum per intellectum.

Quod autem Physica sint minus abstrahibilia V.
Mathematicis, probat in tex. *Fiet autem hoc manifestum, si aliquis vtrorumq; tentauerit dicere terminos, &c.* Quod Arist. sua lingua dicit ὅρους, non debet verti, quemadmodum in latino fit, *terminos*, sed definitiones, vt etiam transtulit Argir. Tunc perge. Cognoscemus, inquit, Arist. quænam sint magis apta abstrahi, Naturalia ne, an Mathematica, si consideremus definitiones tam ipsorum vtrorumque; videl. Naturalium, atq; Mathematicorum, quàm accidentium eorumdem: quippe nihil magis ac penitius explicat rem, quàm ipsa eius definitio. Modo in Mathematicis disciplinis sunt aliqua, vt subiecta, veluti in Geometria quidem linea, ac figura in Arithmetica verò numerus; sunt etiam accidentia propria eorumdem subiectorum, vt in numero quidem est impar, & par, in linea autem rectum, & curuum. At omnia ista definiuntur *sine motu*. id est sine materia sensibili, quippe qui definit circulum V. G. non ponit in eius definitione aurum, aut æs, vt dicitur in primo de cælo. *Caro autem, & os, & homo non amplius* possunt definiri sine materia sensibili, sed necessario in eorum definitionibus ponenda est eiusmodi materia. Quod vlterius probat, *sed hæc sicut naris sima, sed non sicut curuum dicuntur*: sicut ergo impossibile est definire simum sine naso, quãdoquidem simitas est curuitas nasi, ita impossibile fuerit, definire carnem, aut hominem sine materia sensibili.

Nota

Nota quod ait, *sine motu*, ponit motum pro materia, quia materia prima est causa motus, cum nihil queat moueri, quin habeat materiam: Vel ponit motum pro ipso corpore naturali, in quo natura est principium motus.

Ex quibus clarissimè liquet, magis esse abstrabibilia Mathematica, quam sint Physica. Cum itaq; Plato in constituendis ideis longa intercapedine ponat magis abstracta Physica, quàm sint Mathematica, vt dixi, imprudens, & insipienter facit abstractionem.

TEXTVS XX.



Emonstrant autem & quæ ex Mathematicis magis Physica sunt, vt Perspectiua, & Harmonica, & Astrologia. e contrario n. quodammodo se habent ad Geometriā. Geometria enim de Physice linea considerat, sed non quatenus est Physica; Perspectiua autem Mathematicam quidem lineam, sed non quatenus Mathematica, sed quatenus Physice est.

I. Confirmat eandem minorem argumenti, quod in tex. præced. construximus, videl. res Physicas magis pendere a materia, quàm Mathematicas, ac proinde esse minus abstrahibiles, quàm sint Mathematicæ.

Desumit autem argumentum a Mathematicis disciplinis, quæ mediæ nuncupantur, propterea quod ad Naturalem Philosophiam quoquo pacto vergunt adiungendo suis obiectis, quæ a puris Mathematicis accipiunt, aliquam affectionem naturalem. V. G. Perspectiua considerat quidem lineam, quam accipit a Geometra, veruntamen non in ea puritate in qua illam contemplatur Geometra, sed addit visualitatem, quæ est aliqua qualitas naturalis. Ita Musica expendit quidem numerum acceptum ab Arithmetica, sed adiungit sonorum; sonus autem est aliquod accidens naturale: Ita Astrologia in motu cælesti.

In tex. duo facit. Primùm innuit dictam confirmationem: Deinde declarat quid, & quomodo considerant tùm puræ, tùm mediæ Mathematicæ.

II. Ait itaque, δηλοῖ δὲ καὶ τὰ φυσικώτερα τῶν μαθημάτων, quæ verba distortè vertuntur, *demonstrent autem, & quæ ex Mathematicis magis Physica*; Apud Græcos Mathematicæ disciplinæ dicuntur τὰ μαθηματικὰ ex genere neutro. propterea Auctor ait, τὰ φυσικώτερα, magis Physica: Latinus autem intersp. debuit mutare genus. Quare dic. *declarant etiam & illæ, quæ inter Mathematicas sunt magis Physica*, propterea eas explicat, *vt Perspectiua, & Harmonica*, (nempe Musica,) *& Astrologia*.

Ast vbi est confirmatio? Hanc rationem vult Arist. innuere, quæ etiam colligitur ex secunda parte tex. Si adiungere obiecto Mathematicarum aliquam affectionem naturalem, facit vt non possimus abstrahere à materia sensibili, sed necessario versemur circa talem materiam, palàm est, res naturales magis immergi materiæ, proindeque minus esse abstrahibiles, quàm Mathematicas: sed antecedens est clarum in Mathematicis medijs, quæ quia obiecto purarum Mathematicarum adiungunt aliquam affectionem naturalem, non possunt abstrahere a materia sensibili: siquidem linea visualis, numerus sonorus, & motus cælestis sunt aliqua sensibilia, ergo & consequens erit verum, quod res naturales sunt minus abstrahibiles Mathematicis. Enimuero si propter naturale illud adiunctum mediæ istæ scientiæ non abstrahunt à tali materia, multo magis non poterunt abstrahere ipsa naturalia.

Subdit in 2. part. tex. *e contrario quodammodo se habent ad Geometriam: Geometria enim de Physica lineæ considerat, sed non quatenus est Physica; Perspectiua autem Mathematicam quidem, sed &c.* Profert vniuersalem propositionem de omnibus tribus Math. medijs in ordine ad Geometriam, id est ad suas subalternantes Mathematicas. Deinde propositionem vniuersalem declarat in vna Perspectiua respectu Geometriæ. III.

At scito, quod Geometra accipit V. G. lineam à corporibus naturalibus, & à materia sensibili: Etenim dimensiones non nisi in corporibus naturalibus, & in materia sensibili inexistunt: accipit autem abstrahendo eam; ita vt quæ in se ipsa spectata est naturalis, eam consideret modo non naturali sed mathematico. Perspectiua autem facit oppositum: Accipit a Geometra lineam, ab illo ipso iam abstractam, quin etiam & consideratam. (cum etenim Perspectiua sit subalternata Geometriæ, accipit ab ea & subiectum considerandum, & principia, & passiones, vt in primo Poster. explicatur de conditione scientiarum subalternatarum) & adiungit illi affectionem naturalem, id est visualitatem, secundum quam expendit dictam lineam. Quocirca Geometra contemplatur lineam Physicam, sed quatenus est Mathematica. Perspectiuus contemplatur lineam Geometricam, sed quatenus est Physica. Hinc vides, quomodo Perspectiua e contrario quodammodo se habet ad Geometriam. Et quod Geometra, *de Physica linea considerat, sed non quatenus est Physica; Perspectiuus autem Mathematicam*, id est Geometricam, *quidem lineam, sed non quatenus est Mathematica, sed quatenus Physica.* IV.

Vide quàm oculatè Arist. loquitur, dum asserit medias Mathematicas e contrario se habere ad Geometriam *quodammodo*. Cur quodammodo à Scientia Naturalis se habet planè contrario modo V.

ad

Digitized by Google

ad Mathematicas putas, cum illa omninò non abſtrahat a materia ſenſibili, iſtæ autem ab huiuſcemodi materia penitus abſtrahant: mediæ verò ſcientiæ medio quodam modo ſe habent, vt ex dictis apparet, propterea ad Geometriam ſe habent è
V. contrario *quodammodo*.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Mathematicæ mediæ, Perſpectiua, Muſica, & Aſtrologia abſolutè ſint dicendæ Mathematicæ, an potius Phyſicæ: vel ſaltem iudicandæ ſint magis Phyſicæ, an verò magis Mathematicæ.

I. S. Thomas in com. huius vigeſimi contex. in ea eſt opinione, quod huiuſmodi ſcientiæ licet ſint mediæ inter ſcientiam Naturalem, & Mathematicas, nihilominus dicantur hic à Philoſopho eſſe *magis naturales, quàm Mathematicæ*. Et paucis interiectis, *vnde*, inquit, *Aſtrologia eſt magis naturalis, quàm Mathematica*. quamuis idem S. Doctor in 1. Poſterior lect. 41. oppoſitum videatur aſſerere, vt etiam adnotatur in margine ad hunc ipſum text. 20. Et profectò idem Auctor exponens Mathematica Boetij, atque expendens abſolutè conditiones dictarum facultatum, aſſeuerat, eas eſſe magis Mathematicas, Quod etiam adnotauit Piccol. ad hunc tex. Verùm opinionem traditam à S. Thom. in com. præſentis tex. amplectuntur multi alij.

II. Et probant 1. quia talis abſolutè eſt ſcientia, qualis in ea eſt modus conſiderandi: ſed in his ſcientijs medijs modus conſiderandi eſt non Mathematicus, ſed Phyſicus: quare & dictæ ſcientiæ abſolutè dicendæ ſunt Phyſicæ, non verò Mathematicæ. Minor expreſsè traditur ab Ariſtotele in tex. 20 dum ait, Perſpectiuum *conſiderare lineam Mathematicam quidem, ſed non quatenus eſt Mathematica, ſed quatenus Phyſica*. Dictum reduplicatiua, *quatenus*, indicat modum conſiderandi. Accedit, quod idem Philoſophus in principio huius illius contex. has ſcientias conceptis verbis appellat *magis naturales*.

Arguitur 2. Vnumquodque denominatur, &
III. ſpeciem habet ab vltimo, ſeu à termino: At præfatæ ſcientiæ, licet procedant per principia Mathematica, tamen terminantur ad materiam naturalem, Perſpectiua namque terminatur ad viſuale, & Muſica ad ſonorum, quæ ſanè ſunt aliqua naturalia: quare dictæ ſcientiæ denominantur, & ſpecificantur ab aliquo naturali, ac proinde erunt aut abſolutè naturales, aut ſaltem magis naturales.

Explicatur vera ſententia.

Nihilominus dicendum eſt, Medias haſce ſcientias, Perſpectiuam, Muſicam, & Aſtrologiam, abſolutè iudicandas eſſe Mathematicas, & ſolum aliquo modo, propter aliquod adiunctum ex parte materiæ dici Phyſicas. IV.

Et quod abſolutè ſint Mathematicæ, colligitur ex Ariſtotele in principio tex. 20. vbi eas reponit in numero Mathematicarum, illis notis, τὰ φυσικώτερα τῶν μαθηματικῶν, *magis naturales*, ſeu *naturaliores Mathematicarum*. Vbi Stagirites abſolutè eas vocat Mathematicas: ait autem eas eſſe magis Phyſicas, facta comparatione cum Mathematicis puris, quæ longius diſtant a Phyſicis. Quaſi itaque dicat, eas abſolutè eſſe Mathematicas, comparatas tamen cum puris, minus diſtare a Naturali Philoſophia, quàm diſtent Mathematicæ puræ, ideòq; eſſe naturaliores. V.

Idem docet Philoſophus lib. decimotertio. Metaph. cap. 2. vbi ait, ea circa quæ verſatur Aſtrologia, ita eſſe à ſenſibili materia ſemota, ac ſunt ea, circa quæ verſatur Geometria: Et ea circa quæ verſatur Muſica, & Perſpectiua ſe habere ſimiliter. Excipe eius verba. *etenim ea, circa quæ Aſtrologia eſt, ſimili modo præter ſenſibilia ſunt, ac circa quæ Geometria: eſſe verò cælum, & partes eius, quonam modo poſsibile eſt, aut aliud quodcunque motum habens? ſimiliter autem Perſpectiuæ, & Harmonicæ obiecta: erit namque vox, & viſus præter ſenſibilia, & particularia*. In quibus quidem verbis duo habes. Vnum, quod obiecta Aſtrologiæ, Muſicæ, & Perſpectiuæ ſunt præter ſenſibilia, perinde ac ſunt obiecta Mathematicarum. Alterum, quod illis verbis, *eſſe verò cælum &c.* occurrit Ariſt. communi dubitationi.

Diceret aliquis; Aſtrologia verſatur circa cælum, & eius partes, aſtra; vnde & nomen traxit, tum circa illorum motum: quæ omnia exiſtunt ſenſibilia: quo igitur pacto Aſtrologia dicitur occupari circa ea, quæ *ſunt præter ſenſibilia*? Occurrit Philoſophus, quod non eſt Aſtrologiæ munus conſiderare eſſe cælum, & conſiderare eius partes, aut conſiderare quodcunque aliud præditum motu, id eſt præditum natura, quæ eſt principium motus; hæc etenim ſpeculari ſpectat ad Naturalem Philoſophiam: ſed Aſtrologus expendit cæleſtia quatenus ſunt quanta, & apta diuidi, ac menſurari;

Aſt

VI. Ast hic non prætierim, quod verba illa, quæ in latinis codicib. habentur, *præter sensibilia*, in omnibus græcis exemplaribus sic legu, ὁμοίως ἐστὶ περὶ τὰ αἰσθητά, quæ sunt, *similiter sunt de sensibilibus* siue, *circa sensibilia*. quæ porrò videntur oppositum sensum edere, ac illa, *præter sensibilia*. Quocirca omninò crediderim, in græcis codicibus irrepsisse mendum, & loco παρὰ, quod est *præter*, esse scriptum περὶ, quod pollet, *de*, siue *circa*. Adducor etiam vt ita credam, ex verbis, quæ sequuntur, ἔσται γὰρ φωνή τε, καὶ ὄψις παρὰ τὰ αἰσθητά, quæ syncerè sonant, *erit enim vox, & visus præter sensibilia*. Vt igitur hic est παρὰ *præter sensibilia*, ita & ibi.

Sed redeo ad Aristotelem, qui in cap. tertio eiusdem lib. expressè ait, Perspectiuam non speculari suum obiectum quatenus est visus, qui videl. est aliquid Physicum, sed quatenus est linea, quæ nimirum est aliquid Mathematicum. Et Musicam non speculari vt vox est, sed vt numerus. *Eadem*, inquit, *ratio & de Harmonica, & Perspectiua est: Neutra namque prout visus, vel prout vox, speculatur, sed prout lineæ, & numeri*.

VII. Deinde, eandem partem conclusionis probo ratione. Scientia subalternata absolutè est eiusdem classis cum sua subalternante. Quippe subalternata habet idem subiectum, quod & subalternans, contractum tamen per aliquam differentiam accidentalem: Sed Perspectiua, Musica, & Astrologia sunt verè subalternatæ puris Mathematicis, scil. Geometriæ, & Arithmeticæ, quare dictæ scientiæ mediæ erunt absolutè Mathematicæ.

Præterea, Talis est simpliciter aliqua scientia, quales sunt demonstrationes, quas illa conficit, & qualia sunt principia, per quæ procedit. Manifestum autem est, demonstrationes, quæ in Perspectiua, Musica, & Astrologia conficiuntur, esse Mathematicas, & per principia Mathematica, non autem Physica, quare & illæ absolutè censendæ sunt Mathematicæ. Minor declaratur exemplo ex Astrologia accepto, & ab ipsomet S. Thom. in fine huius com. adhibito, quia eandem conclusionem, quod V. G. terra sit rotunda, demonstrat & Naturalis Philosophus, & Astrologus, sed per aliud, atque aliud medium. Nam ille demonstrat per medium naturale, velut quod partes terræ vndique, & æqualiter concurrunt ad medium: Astrologus autem demonstrat ex figura eclypsis lunaris, vel ex hoc quod non eadem sydera ex omni parte terræ aspiciuntur. Ex his itaque constat, dictas scientias medias absolutè iudicandas esse Mathematicas.

Addidi in conclusione, eas tamen scientias mo-
VIII. do duntaxat aliquo, propter quoddam adiunctum ex parte materiæ appellitari Physicas. Quod porrò acutè est enucleandum, quia ex huius intelligentia, complura, quæ hac in re videntur ingerere difficultatem, reddentur plana. Reuoca itaque in memoriam, in quacunq; scientia duo reperiri; Vnum est obiectum materiale, seu materia, siue res considerata: Alterum est obiectum formale, siue modus considerandi. In Perspectiua res considerata est linea visualis. Hæc est quoddam conflatum ex linea, & visualitate. Lineam accipit à Geometria, visuale autem adiungit ex Physica; Et ratione huius adiuncti Perspectiua dicitur aliquo modo Physica; propterea dixi, Perspectiuā appellari quodā pacto Physicam, propter aliquod adiunctum ex parte materiæ: Cæterùm modum considerandi habet purè Mathematicum. Pari ratione Musica accipit ab Arithmetica numerum, adiungit verò ex Physica sonorum, quod vtique est aliquid naturale: atque ratione huius adiuncti Musica inclinatur ad Physicam, & aliquo modo nuncupatur Physica.

Ex his ita collige. Scientiæ constituuntur, & denominantur a modo considerandi, quoniam hic in scientia est tanquam forma, quemadmodum res considerata est veluti materia. Modus considerandi in medijs hisce facultatibus est planè Mathematicus, & solum ex parte rei consideratæ concernitur aliquid Physicum: quare dictæ scientiæ simpliciter erunt Mathematicæ, & solum secundum quid Physicæ propter illud nimirum adiunctum ex parte materiæ. IX.

Hinc tollitur quoque apparens quædam contradictio, quæ in Aristotele videtur. Nam locis quidem ex decimotertio Metaph. cap. 2. & 3. indicatis, ait, Perspectiuam considerare ea, quæ *sunt præter sensibilia*, ac proinde non Physica: Item, Perspectiuam specolari non *prout est visus*, sed *prout linea*, quæ significant, quod ea contemplatur lineam non qua Physica est, sed qua Mathematica. In hoc autem tex. 20 e regione asserit oppositum, sancit enim *Perspectiuam considerare lineam Mathematicam quidem, sed non quatenus est Mathematica, sed quatenus Physica*. X.

In quibus tamen nulla incubat dissonantia. Nam in prioribus locis Arist. loquitur de modo considerandi Perspectiuæ: & cum hic sit purè Mathematicus, iure optimo asseuerat, Perspectiuam considerare lineam, qua est linea, non autem qua est visus, seu visualis: & considerare sua obiecta quatenus sunt præter sensibilia, quia modus considerandi Mathematicè abstrahit à materia sensibili. In tex. autem 20. huius lib. loquitur de re considerata Perspectiuæ, siue de modo, qui se tenet ex parte materiæ, ratione cuius Perspectiua distinguitur à puris Mathematicis, & accedit ad Physicam: & hoc pacto ait, eam considerare lineam, *qua-*
tenus est Physica. Vbi hoc quoque adnotant viri II.
docti, quod Mathematicæ istæ mediæ non omnes æquè accedunt ad Naturalem scientiam, sed quædam minus, vt Perspectiua, quædam magis, vt Musica, quædam adhuc magis, vt Astrologia.

Ex his, quæ hucusque dixi, apparet solutio ad duas illas Aristotelis auctoritates, initio quæstionis pro aduersa opinione adductas.

XI. Ad 2. arg. respondeo, In scientia Perspectiua esse duplex vltimum. Vnum se tenet ex parte materiæ, siue rei consideratæ: Alterum vltimum est ipsemet modus considerandi. Cum enim res considerata in ea scientia sit linea visualis, hæc coalescit, quemadmodum dixi, ex linea, & visualitate. Linea in eo conflato adhuc se habet vt materia; Visualitas autem se habet vt forma, cum ista intelligatur veluti aduenire, & adhærescere dictæ lineæ: Omne autem quod alteri aduenit, censetur illius actus, ac forma. Et ratione huius formæ, nimirum visualitatis aduenientis, illa linea dicitur Physica, sicut hic paries ratione albedinis sibi aduenientis dicitur albus.

Nunc ad rem, scientia Perspectiua non denominatur, neque specificatur ab illo vltimo, quod se tenet ex parte rei consideratæ: manifestum quippe est, scientias non distingui, neque denominari ab obiecto materiali, sed denominationem, & speciem sortiuntur ab vltimo absolutè, id est, a modo considerandi: & cum hic, vt toties retrò est dictum, sit purè Mathematicus, fateamur omninò necesse est, dictas medias scientias, simpliciter quidem esse Mathematicas, solum autem secundum quid esse Physicas, eo quo exposui modo. Sed iam cum Aristotele pergo.

TEXTVS XXI.



VM autem Natura duplex sit, & forma, & materia, vt si de simitate quid sit consideremus, sic contemplandum est. Quare neque sine materia, neque secundum materiam, quæ huiusmodi sunt. Etenim iam & de hoc dupliciter dubitabit quis, cum duæ sint naturæ, de vtra est Physici; an de eo, quod est ex vtrisque: sed si de eo, quod est ex vtrisque, & de vtraque.

I. Mirum est, quàm varijs modis nectunt interpretes hunc tex. Ego sic nectendum existimo. Dixit in tex. 19. Platonem errasse, quòd constitueril Physica magis abstracta, quàm sint Mathematica, cum tamen hæc sint magis abstrahibilia Physicis. Hoc probabat, quia Mathematicus definit sine materia sensibili, Physicus autem non item; quia *caro, & os, & homo sunt sicut naris sima*. Postea in tex. 20 confirmauit ex Mathematicis medijs priorem sui asserti partem, quod videl. Mathematica sint magis abstrahibilia.

Nunc in hoc tex. 21. duo facit. concludit posteriorem sui dicti partem, quod scil. Physicus ita debet considerare res naturales; *at si consideret de simitate quid sit*. Simitas est curuitas in naso; sic forma Physica est in materia: atque hac ratione est consideranda. Quod vlterius colligit, subiungens, *Quare neque sine materia, neque secundum materiam*, huiusmodi res sunt considerandæ. Hæc est continuatio, & explicatio primæ partis tex. & est germana Stagiritæ mens, & veritas ipsa.

Qua determinatione supposita, excitat, duas difficultates. Vna est in 2. parte huius tex. altera in principio tex. seq. vt ipsemet exprimit, *At iam de hoc dupliciter dubitabit quis*. Prior est: *Cum duæ sint naturæ, de vtra* istarum teneatur Philosophus Naturalis considerare? Cuius quidem dubitationis, quasi quandam solutionem subnectens ait. *an de eo, quod est ex vtrisque*. Deinde instat, *sed si de eo, quod est ex vtrisque, & de vtraque*. Ita sanè, qui totum compositum contemplatur, contemplatur etiam componentia ipsum. II.

TEXTVS XXII.



VTrum igitur eiusdem, aut alterius vtramque cognoscere. Ad antiquos aspicienti videbitur vtique esse materiæ: ad exiguam enim partem quandam Empedocles, & Democritus formam, & quod quid erat esse, tetigerunt. Si autem ars imitatur naturam; eiusdem autem est scientiæ cognoscere formam, & materiam, vsque ad aliquid, vt Medici sanitatem, & choleram, & phlegma, in quibus est sanitas: similiter autem & ædificatoris formam domus, & materiam, lateres scilicet, & ligna, similiter autem & in alijs: & Physici vtique erit cognoscere vtrasque naturas.

In tex. tria facit. Proponit secundam dubitationem: Refert quidnam secundum antiquos Philosophos dicendum esset ad propositas difficultates. Et denique ponit ex propria sententia conclusionem de re proposita, & eam probat. I.

Difficultas est. *Vtrum igitur eiusdem, aut alterius vtramque cognoscere*. supposito, quod Philosophia Naturalis expendat vtramque Naturam, materiam, & formam, suboritur dubitatio, vtrumne in ea contingat ita, quemadmodum est in Mathematica, quæ considerat quidem quantitatem, & continuam, & discretam, veruntamen non est eiusdem scientiæ considerare vtramque; sed vna scientia Mathematica, nempe Geometria contemplatur quantitatem continuam; Altera verò, videl. Arithmetica occupatur in quantitate discreta.

discreta? Num itaque eodem pacto contingat in Naturali Philosophia, quod vna quidam Naturalis Philosophia consideret vnam, sac materiam, altera autem aliam, id est formam; an verò eademmet expendat vtramque?

II. Deinde cum ait, *Ad antiquos enim aspicienti videbitur vtique esse materia*. Indicat, quid ad propositas difficultates iuxta priscos illos dicendum foret. Quippe cum illi solam materiam existimarent esse naturam, & totam rei substantiam; ex consequenti assererent, haud esse opus Philosophi Naturalis considerata vtrasque natura, sed alteram duntaxat. Vnde etiam cessat secunda dubitatio. Subiungit Arist. quod formam, & ipsum quod quid erat esse, vix vnus, vel alter, idq; ad exiguam partem, & exiliter teligerunt: & nominat Empedoclem, & Democritum; de qua re dicam in adnotationibus.

III. Postea exprimit in calce tex. suam mentem hac conclusione. *Officium Physica vtique est, cognoscere vtrasque naturas*. Quam quidem conclus. varijs rationibus fulcit, quarum prima iacet in præsenti contex. ibi *si autem ars &c.* quam ita formo. Quod iudicium facimus de arte respectu suorum artefactorum, idem debemus facere de Natura, siue de scientia, quæ de ea est, respectu rerum naturalium; quia ars est quædam naturæ imitatio, *imitatur enim naturam*; & sicuti res se habet de imitatione, ita putandum est, se habere de eo, cuius est imitatio. Sed eiusdem artis est in artefactis cognoscere formam, & materiam, ergo eiusdem etiam scientiæ quæ de Natura est, fuerit, cognoscere & formam, & materiam.

Minorem illustrat duplici exemplo. Altero quidem ex arte medendi, altero ex arte ædificandi desprompto: siquidem idemmet medicus cognoscit sanitatem, quæ est veluti quædam forma, & cognoscit etiam humores, *in quibus est sanitas*. Similiter idemmet ædificator cognoscit *formam domus, & materiam, lateres scilicet, & ligna; similiter autem & in alijs*, ergo consimili ratione eademmet Philosophia Naturalis, & idemmet Philosophus Naturalis debet cognoscere, *vtrasque naturas*, & formam, & materiam.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 21. & 22.



ANte omnia adnotant viri docti mirabile Stagiritæ artificium in proposita materia: Enimuerò cum reiecerit opiniones antiquorum, & Platonis vt extremas, ac falsas, constituit suam veluti mediam, qui est frequens Aristotelis mos. Vna namque ex parte antiquiores Philosophi, cum totam rei naturam existimarent esse solam materiam, & veram formam ignorarent, vniuersam Philosophiam Naturalem, neglecta forma, collocarunt in cognitione solius materiæ. Ex altera verò parte Plato, tuens rerum naturalium ideas, quæ sint formæ ab omni materia abiunctæ, in quarum cognitione opinabatur, sitam & collocatam esse perfectam rerum naturalium cognitionem: proinde aiebat, totam Naturalis Philosophiæ considerationem occupari in solis formis, nulla facta mentione materiæ. IV.

Aristoteles inter hæc duo extrema placita se se medium sistit; & constituit, Philosophiam Naturalem non modo occupari circa materiam, vt erat opinio antiquiorum, verùm etiam circa formam. Quinimo quemadmodum forma est magis natura quàm materia, vt in tex. 12. decretum est, ita maiori diligentia in eius cognitione esse incumbendum: At neque etiam occupari circa formas a materia separatas, vt opinabatur Plato, sed considerare formas in materia, & vt consideratur simum. V.

Nota etiam illum dicendi modum, quod Physici est, considerare sua obiecta, siue formas *non sine materia; neque secundum materiam*. id est, considerat illas vt sunt in materia, non ita vt materia sit ratio cognoscendi illas. Hoc enim significat *secundum materiam*.

Præterea quærunt interpretes, Arist. per illa verba, *ad exiguam partem quandam. Empedocles, & Democritus formam tetigerunt*, intelligit ne omnes Veteres Philosophos, & loco exempli ponit solum Empedocl. & Democr. an verò determinatè dicat, hos tantum duos præ cæteris? VI.

Profectò non intelligit omnes antiquos, vt temerè aliqui opinantur. Primò non intelligit Anaxagoram: vnde & Alex. Aphrod., vt refert Simplic. dubitauit, cur Arist. non etiam Anaxagoram hic nominauit, maximè cum is videretur posuisse formam, scilicet mentem separatam, vt patet ex ipsomet Philosopho lib primo huius ope-

ris tex. 39. & lib. primo de Anim. tex. 31. & 34. Ratio autem cur Stagirites hoc loco tacuit Anaxagoram, subiungitur à Simplic. quia hic Arist. loquitur de formis naturalibus: forma autem ab illo posita, erat mens abstracta: & propterea ponebatur etiam ab eodem Anaxag. tanquam causa efficiens *mouisse omne*, vt dicitur in primo de Anim. tex. 23. & octauo Physic. tex. 37. & primo Metaph cap. 4.

VII. Secundò, multos alios e priscis omninò latuit forma; nam vetustiores Philosophi vix duas attigerant causas, materiam, & vnde principium motus, teste Philosopho in eodem primo Metaph. cap. 3. Subsecuti autem, qui subiectam materiam *contrarijs figurabant, vt densitate, & raritate, & ea, quod magis, & minus*, vt dicitur in primo lib. Phys. tex. 55. ij sanè attigerunt aliquid, quod se haberet ceu forma: sed forma accidentalis.

Præ cæteris verò omnibus Empedocles, & Democritus quasi ab ipsa veritate ducti, olfecerunt formam, quæ est natura, & forma substantialis, sed exiliter, & veluti per quædam tenuis imaginationis vmbracula. Ita da his inuenio scriptum apud Aristotelem lib. primo de Partib. animal. cap. 1. circa finem, quo loci hæc omninò lego. *Principium enim rerum natura*, id est forma, *potius, quàm materia est. Empedocles etiam in eam interdum incidit, ductus ab ipsa veritate: & substantiam, atque naturam esse rationem fateri compellitur, veluti cum os quid sit, reddit: quippe qui non aliquod elementum vnum esse id velit, non duo, aut tria, non omnia; sed mixtionis elementorum rationem. igitur & carnem, & cæteras eiusmodi partes, hunc eundem in modum esse, apertum est. Causa verò cur antiquiores illi auctores non ad hunc modum venerint, quod quid res esset, atque substantiæ definitionem explicare haudquaquam solebant. Sed Democritus hanc tetigit primus, non tamen quòd ad rerum naturalium studium putauerit necessariam, sed quòd ab ipsa re* ἀναγκάσμενος *extractus*; quasi videlicet tanatteus quidam.

VIII. Hinc vides, quomodo præ cæteris antiquis Empedocles, & Democritus tetigerunt veram formã, quæ est natura, & ipsum quod quid erat esse. Ille quidem compellebatur fateri, naturam, & substantiam esse *rationem* mixtionis elementorum: At forma etiam ipsi Aristoteli est ratio. Hic autem *primus eam tetigit*. Et propterea idem Philosophus solita sua ingenuitate scribit in primo Metaph. cap. 6. quod forma vetustiores latuit, *nec à quoquam illorum clarè fuit assignata*. Notanter addit, *clarè*, quia aliqui ætate proximiores ipsi Aristoteli attigerunt eam, sed obscurè, & exiliter, quemadmodum assetitur in hoc tex. de Emped. & Democr. & id notaui etiam in disput. de principio formali post primum lib. huius operis.

IX. Quæ si vera sunt, vt re ipsa sunt, vide, quàm procul distant ab Aristotelis mente plerique omnes recentiorum, qui cum Philopono aiunt, quod Empedocl. quidem tetigit formam, quia constituebat, ex quatuor elementis fieri Sphærum, & Mundum vicissim à Lite, & Amicitia; ita vt dominante Lite, fieret Mundus, dominante Amicitia, fieret Sphærus. Lis autem, & Amicitia ita se haberent ad suos effectus, vt vtraque remaneret in suo effectu iam peracto. Lis remaneret tanquam forma continens, & conseruans Mundum: Amicitia itidem remaneret in Sphæro conseruans ipsum. Similiter aiebat idem Emped. res particulares generari ab Amicitia, quæ quidem quattuor elementa vniret, & vnita tanquam forma quædam conseruaret: & propterea Empedocl. dicitur tetegisse formam.

Democritus etiam, aiunt ijdem auctores, dixit, omnia fieri ex atomis, quas deinde posuit inter se differre positione, ordine, & figura, quemadmodum dicitur in primo Phys. tex. 42. & primo Metaph. cap. 4. Positio autem, ordo, & figura præseferunt quandam formam: propterea etiam hic tetegit formam.

X. Verùm isti auctores, vt adagio dicitur, *haud contra ostium occurrunt*. Primò, Lis, & Amicitia Empedocli erant causæ efficientes, non formales. Deinde, hic est sermo de formis rerum naturalium, non de Sphæro, & Mundo. Postea, Democrit. illa positio, ordo, & figura in atomis non poterant facere nisi formam accidentalem in re, ex ijs composita. Talem autem formam plurimi ex antiquis posuere: nam vt in tex. 9. huius lib. legimus, *quemadmodum vnusquisque illorum ponebat principia, siue vnum, siue plura, hec, & tot dicit esse omnem substantiam: alia autem omnia passiones istorum, & habitus, & dispositiones*.

Merito igitur Arist. in hoc tex. 22. præter omnes alios antiquos, speciatim refert Emped. & Democr. qui formam, quæ natura est, & ipsum quod quid erat esse, tetigerunt.

TEX.

TEXTVS XXIII.



Nsuper eiusdem est, id cuius gratia, & finem, & quecumque sunt horum gratia. Natura autem finis est, & id cuius causa. Quorum enim continuo motu existente, est aliquis finis ipsius motus, hic vltimum est, & id cuius gratia. Quocirca, & poeta derisorie ductus est, vt diceret, Habet finem, cuius quidem causa factus est, vult enim non omne vltimum esse finem, sed optimum.

I. Annectit in hoc tex. secundam rationem, qua eandem suam assertionem commonstret, quod ad Philosophum Naturalem attineat, vtrasque naturas considerare. Primùm apponit rationem. Deinde, eius fundamentum confirmat auctoritate Euripidis.

Ratio ita formatur. Quandocunque aliqua ita se habent, vt vnum sit finis, & id cuius gratia, alterum autem dirigatur ad illum tanquam ad finem, tunc eiusdem scientiæ, siue eiusdem artificis est, considerare vtrumque: Forma est finis, materia verò se habet ad illam vt ad finem: quare cum Philosophus Naturalis consideret vnam, eiusdem erit considerare etiam alteram: ac proinde vtrasque naturas.

II. Antequam vlterius progrediar, circa hanc rationem occurrit dubium excitatum ab interpretibus. Vtrumne Arist. supposito, quod Philosophus Naturalis consideret formam, probet, eundem debere considerare etiam materiam, an verò e contra; ex eo quod considerat materiam, ostendat, quod debeat considerare etiam formam.

Priori parti adhæsit Alex. Et profectò ita videtur colligi ex ipsis Philosophi verbis, *eiusdem est, id cuius gratia, & finem, & quecunque sunt horum gratia*. Vbi vides, primo loco poni finem, postea poni ea quæ sunt ad finem. Cum itaque forma sit finis, materia verò sit ad illam vt ad finem, quemadmodum in tex. dicitur, apparet prima expositio. Vnde ratio sic erit formanda. Qui considerat finem, considerat etiam ea quę sunt ad finem: Forma est finis, & hanc considerat Philosophus Naturalis, ergo idem considerat etiam materiam, quæ est ad formam vt ad finem.

Posterior verò expositio arrisit Simplicio, iuxta quam ratio Philosophi hoc modo struitur. Qui considerat ea quæ sunt ad aliquem finem, considerat etiam ipsum finem: Philosophus Naturalis considerat materiam, quæ est ad formam, vt ad finem, forma enim *est finis, & id cuius gratia*. quare considerat etiam formam: ac proinde considerat *vtrasque naturas*.

Hæc posterior explicatio mihi videtur longè probabilior, propter tres rationes. *Primò*, quia materiam a Philosopho naturali considerari, & de se planum est, & apud omnes antiquos erat in confesso: Formam autem considerari ab eodem, non ita erat receptum, cum hæc esset illis ignota: ergo verisimilius est, Aristotelem, ex eo quod Naturalis Philosophus cognoscit materiam, colligere, eundem debere cognoscere etiam formam, quàm e contra. III.

Secundò, quia hoc modo Philosophi ratio redditur longè validior. Quippe qui cognoscit media, finem quoque ipsum cognoscat omninò necesse est, at non è conuerso: Potest enim aliquis cognoscere, & intendere aliquem finem, & nondum eligere media.

Tertiò, Philosophus in tex. sequ. mouet dubitationem aduersus rationem huius tex. quæ talis est: dantur artes, quæ considerant materiam, & tamen non considerant formam, ergo non est eiusdem expendere materiam, atque formam. De qua re in eo tex. quare etiam hic argumentatur ex materia ad formam, sicut posterior explicatio habet.

Neq; ratio pro priori explicatione a nobis inducta euincit oppositum. Nam quamuis prius ponatur finis, postea quæ ad ipsum sunt, nihilominus verba sunt construenda prout res ipsa exigit. Res autem, vt vidimus, sic exigit, vt illa construantur: sed.

Iam pergo cum Aristotele, qui suam illam minorem propositionem, quæ erat, *Natura autem*, id est forma, *finis est, & id cuius gratia*, probat hoc argumento. *Quorum enim continuo motu existente, est aliquis finis ipsius motus, hic vltimum est, & id cuius causa*. Hæc est sola maior pro suo syllogismo; quem ita extendo. In quibuscunque est aliquis finis, ille est finis, tum agentis, tum materiæ, in qua motus ab agente inceptus terminatur, existens continuus, & sine interruptione. Subde minorem: Sed motus generationis inceptus ab agente in materia, dum est continuus, & sine interruptione, terminatur ad formã, quæ est natura, ergo hæc forma est finis tum agentis, tum materiæ. Aristoteli nunc sufficit, quod forma sit finis materiæ: Maior propositio clarissimè apparet in artefactis. Nam finis statuarij, & ligni pro conficienda statua, & lecti, est illa figura, in qua terminatur, & cessat operatio statuarij. Minor etiam est manifesta, quia tunc vnum quodque quiescit a motu generationis, quando produxit aliud, quale est ipsum secundum formam. IV.

Oculatè autem adiungit Auctor, *συνεχοῦς τῆς κινήσεως οὔσης, continuo existente motu*, vel, *cum motus sit continuus*: & ego adiunxi, quando motus existit continuus, & sine interruptione, quia res V.

natura-

naturales generandæ possunt impediri, ne ad naturalem, sibique debitum terminum pertingant: Et quando ita obtingit, vt motus generationis eorum interturbetur, & impediatur, tunc illud, in quo motus generationis impeditus desinit, non est propriè finis. Quod etiam vides, ne longè abeam, in statua: Non enim figura imperfecta, V.G. vt duo, in qua interrumpitur, ac desinit hodierna statuarij operatio, est finis statuarij, sed finis est illa figura vltimata, ac perfecta, quam dictus artifex animo conceperat. Et propterea Arist. adiecit in tex. *vltimum*. quia illud, in quo aliqua impedita, aut interrupta desinunt, non est absolutè vltimum. Atque hoc vlterius explicans, addit, *& cuius gratia*. Quocirca vt sit verè finis, duas conditiones habeat necesse est: vt sit vltimum: & vt sit id cuius gratia. Porrò secunda conditio significat, vt sit bonum, quoniam id, cuius gratia aliquis operatur, nequit nisi bonum esse, cum nemo ad malum intendens operetur.

Hasce duas conditiones requiri in fine confirmat Eximius præceptor auctoritate Euripidis. Ita hunc locum intelligo, quamuis plerique omnes interpretes opinentur, Euripidem hic reprehendi ab Aristotele, ac pene derideri: sed præter æquum, & præter Stagiritæ modestiam sic opinantur. Verba tex. latinè habentur. *Quocirca & poeta derisoriè ductus est, vt diceret, Habet finem, cuius quidem causa factus est*. græcè, γελοίως προήχθη εἰπεῖν. Modo illud γελοίως, *derisoriè*, non iungitur cum poeta, vt sensus sit, ipse ductus est derisoriè, & quasi deridendus, sed cum ipso εἰπεῖν, *dicere*, siue, *vt diceret*, & sententia est. Quocirca & poeta ductus est, vt derisoriè, ac deridens hominem, de quo loquebatur, qui dum inter viuos ageret, nullius erat frugis, diceret, quando ille fuit mortuus, quod habet finem, cuius gratia natus homo ille erat; quia videl. non erat natus propter aliquid aliud, cum esset cuilibet vsui inutilis. At cur Euripides hoc dixit γελοίως derisoriè? quia rectè callebat, ad finem haud sufficere, vt sit vltimum, quemadmodum est mors, vltima linea rerum, sed præterea requiri, vt sit bonum. Hanc intelligentiam euidenter colligo ex subsequentibus verbis. *vult enim non omne vltimum esse finem, sed optimum*. Quia vult? Sanè Euripides: ergo ipse sciebat, ad rationem veri finis haud sufficere, quod sit vltimum, sed vlterius exigi, vt sit optimum. Rectè igitur, (quasi colligat Arist.) & nos duas hasce conditiones in fine requirimus.

Torquentur circa hunc tex. nonnulli interpre-
VII. tum etiam antiquiorum, vt Simplic. ex Alex. & ipse: deinde etiam recentiores, vt Vicom. & Zab. verùm textus, sicut à nobis est expositus, nulla vrgetur difficultate.

Præterea, instituunt aliqui disputationem,
VIII. Vtrum Euripides, cuius sententia hic refertur, possit defendi. Et propartie affirmatiua arguunt, quia Arist. quinto Metaph. cap. 21. ait, Mortem posse dici finem per metaphoram: Metaphoræ autem conueniunt poetis. Hinc sæpenumerò poetæ tam Græci, quàm Latini, quàm etiam Etrusci Mortem appellant finem.

Deinde, aliè decernunt, poëtam proferentem sententiam relatam ab Aristotele, defendi non posse. Quia aliud est, absolutè Mortem nuncupare finem latè, & per Metaphoram; Aliud est, eam nuncupare finem, cuius gratia nati sumus: quandoquidem id cuius gratia, denotat optimum. Dum poetę absolutè Mortem appellant finem, non errant: nec sunt deridendi: at dum addunt, cuius gratia nati sumus, vt addebat Euripides, se patefaciunt irridendos, quatenus id quod deterrimum est, appellant optimum. Hæc illi.

Quæ omnia sunt præter Philosophi intentionem, qui non adducit Euripidem, vt eum carpat, sed vt eius auctoritate suum corroboret dictum, quemadmodum in expositione tex. vidimus.

TEXTVS XXIV.



Voniam, & faciunt artes materiam, aliæ quidem simpliciter, aliæ verò operi accommodam; & vtimur tanquam propter nos, omnibus, quæ sunt. Sumus enim quodammodo & nos finis. Dupliciter enim est id, cuius causa; dictum est autem in ijs, quæ de Philosophia.

Sunt quibus connexio huius tex. ita difficilis vi- I.
sa est, vt etiam existiment locum esse per transpositionem verborum corruptum. Ita Philoponus. Deinde tùm ipse, tum alij concidunt textum, & in varias distrahunt imaginationes, quas apage hic referam. Continuatio est hæc. Posuit Philosophus in tex. 22. suam conclusionem, quod *Physicæ est, cognoscere vtrasque naturas*. Probauit in eo, & in sequenti contex. duplici ratione: Nunc, antequam alias rationes adducat, inducit, & diluit duas obiectiones: quarum vna, quæ in hoc tex. est, respicit secundam rationem factam in tex. 23. Altera autem, quæ continetur in tex. seq. respicit primam rationem, adductam in tex. 22.

Vis autem vtriusque obiectionis in hoc sita est. II.
Dantur aliquæ artes, quæ considerant, quinimo, & faciunt materiam, & ea quæ sunt ad finem: & non considerant finem, & formam. ergo falsa confecta ratio, in qua constituimus, quod qui considerat ea quæ sunt ad finem, debeat considerare etiam ipsum finem, *& quod eiusdem est, id cuius gratia, & finem, & quæcunque sunt horum gratia.*

Rursus,

Rursus; dantur aliæ artes, quæ considerant formam, & non considerant materiam, quare falsa etiam est prima ratio, quod *eiusdem scientiæ est, cognoscere formam, & materiam, vt medici est cognoscere sanitatem, & choleram, & phlegma, in quibus est sanitas: similiter autem & ædificatoris formam domus, & materiam.*

III. In hoc tex. duo facit. Indicat instantiam: & eam soluit. Ait itaque, *quoniam & faciunt artes materiam, alia quidem simpliciter, aliæ verò* ἐυεργὸν, *bonam operi*, siue *accommodatam operi*. Artium quædam occupantur solum circa materiam, formam autem, ac finem non videntur attingere: Atque istæ sunt in duplici differentia. Quædam enim faciunt materiam simpliciter; aliæ verò materiam, quæ iam est, solum præparant. V. G. ars quę in syluis secat ligna, ex quibus futura est Nauis: facit simpliciter materiam, siquidem secta ligna haud amplius sunt arbores: Eodem pacto ars laterum fictrix, & quæ concoquit gypsum, aut calcem, ex quibus deinde construitur domus. Rursus est alia ars, quæ dicta ligna scindit, dolat, expolit, & reddit materiam ἐυεργὸν bonam, & idoneam operi. Istæ artes non considerant formam, seu finem, Neque enim rusticus, dum in syluis discecat arbores, quicquam de conficienda Naui cogitat, neque laterum fictor, aut gypsi, vel calcis effector, eo animo fingit, & concoquit, vt ex ijs conficiatur domus, cum ex ijsdem effici queant complura alia manuum opera. En ergo artes, quæ tractant, & faciunt materiam, & ea quæ sunt ad finem, nec tamen quicquam cogitant de fine. Hæc est difficultas facta in prima parte tex.

IV. Quam diluit, *& vtimur tanquam propter nos omnibus, quæ sunt.* Negat præfatas artes non considerare finem. Licet enimuero non considerent hunc, illumue finem particularem, V. G. Nauim, aut domum, nihilominus considerant finem sibi proportionatum, qui est vsus. & commodum hominum. Hic finis est communis; coarctatur postea ad hunc, aut illum particularem, pro vt res, & occasio exposcit. Commoda autem humani generis esse finem, quem dixi, ex eo suadet, quia nos *vtimur omnibus, quæ sunt* in mundo *tanquam propter nos factis.* Addit, *quia sumus quodammodo & nos finis*, siue omnium artefactorum, siue absolutè omnium, quæcunque in hac mundana suppetunt vniuersitate. Manet igitur, (dicet Arist.) ratio a nobis confecta in sua vi; quod qui tractat materiam, & ea quæ sunt ad finem: considerat etiam finem, & formam. Adde, quod artes, quæ non faciunt simpliciter, sed parant dumtaxat materiam, profectò determinant, ac destinant eam ad aliquem particularem finem.

V. Et quia dixit, nos esse quodammodo finem, ne quippiam relinquatur inexplicatum, illico declarat, qualisnam finis sumus nos? inquiens, *dupliciter enim est id, cuius gratia: dictum est autem in ijs, quæ de Philosophia.* Geminus est finis: Alius quidem gratia *cuius*, qui a nonnullis dicitur etiam finis *quo*: & est ille, qui acquiritur per motum factum ab agente in materia, veluti in sumptione medicinæ finis cuius est recuperanda sanitas, & in conficienda domo est forma domus: siquidem acquisita sanitate, cessat actio medici: & imposita forma domus, cessat actio ædificatoris. Alius autem est finis cui, & est ille, cui intendimus acquirere priorem finem, veluti homo, cui meditamur restituere sanitatem amissam; & cui meditamur parere commodum in structura domus. Fit etenim domus, vt homo in ea degat. Atque hic finis est principalior; siquidem ille prior finis ordinatur ad istum. Homo est omnium finis cui: Et ita intelligit Stagirites, dum ait, nos esse finem &c. de qua tamen te mox audies in quæstione propria.

TEXTVS XXV.



Dvæ igitur sunt artes, quæ dominantur ipsi materiæ, & quæ sunt cognoscentes ea, quæ vtitur, & factiua, quæ Architectonica est: quapropter, & quæ vtitur Architectonice quodammodo est. Differt autem, quatenus hæc quidem, quæ formam cognoscit, Architectonica est, alia autem vt effectrix materiæ: gubernator enim qualis sit forma aliqua temonis cognoscit: & præcipit: alius autem ex quo ligno, & quibus ex motibus. In ijs igitur, quæ sunt secundum artem, nos facimus materiam propter opus, sed in Physicis est.

Sunt aliæ duplicis itidem conditionis artes, quæ I.
quidem videntur expendere solam formam, non autem materiam: ex quibus etiam desumitur argumentum aduersus alteram rationem, adductam in tex. 22. quod *eiusdem scientiæ est cognoscere formam, & materiam, vt medici, sanitatem, & choleram, ac phlegma.*

In hoc tex. multa sunt corrigenda. Male legitur in latin. *duæ igitur.* Græca exemplaria quædam habent, δύο δή. *duæ sanè*: Antiquiora, & melius legunt δύο δὲ, *duæ autem.* & est alterum membrum diuisionis artium. Deinde, cum Arist. de his artibus imperantibus hucusque nihil tetigerit, quomodo posset inferre? *duæ igitur.*

Item malè iacet reliqua periodus, *quæ dominantur ipsi materiæ, & quæ sunt cognoscentes ea.* græcè, δύο δὲ καὶ αἱ ἄρχουσαι τῆς ὕλης, καὶ γνωρίζουσαι τέχναι. dic, *duæ autem sunt artes dominantes materiæ, & cognoscentes.* Vel clarius, *duæ autem sunt, & illæ*

Digitized by Google

illæ artes, quæ dominantur materiæ, & cognoscunt. Hic vides duas artes: Alias, quæ dominantur materiæ: Alias, quæ solum cognoscunt.

II. Quas confestim subiungit, & explicat: sed latinè habentur pessimè. *quæ vtitur, & factiua, quæ Architectonica est.* In græcis codicibus est admodum varia lectio. Communiter sic lego. ἡ τε χρωμένη, καὶ τῆς ποιητικῆς ἡ ἀρχιτεκτονική. *ea quæ vtitur; & ipsius factiuæ Architectonica.* Antiquissimus autem meus codex habet. ἥτε χρωμένη τῆς ποιητικῆς, καὶ ἡ ἀρχιτεκτονική. *ea quæ vtitur factiua,* id est, arte: *& ipsa Architectonica.* Hanc puto synceram lectionem, & legitimam intelligentiam. Quanquam neq; hoc dissimulauerim, quod in hac lectione video verbum, χρῶμαι, construi cum genitiuo τῆς ποιητικῆς, quod tamen omninò poscit dandi casum, & aliquando, sed perrarò accipit accusatiuum. Vide grammaticas Lascharis, χρῶμαι, inquit, τοῖς σοῖς, καὶ σά: sed cum genitiuo, vt hic est, nunquam me memini legisse. Quocirca etiam hic legerem, ἥτε χρωμένη τῇ ποιητικῇ,

Hinc liquido conspicis, latina verba, in quibus vna ars est, ea *quæ vtitur*: Altera autem, *& factiua, quæ Architectonica est.* reddere è regione oppositum sensum, quàm Auctor intendit. Et sanè si rem ipsam vel conniuenter spectes, quis vnquam dicet, quod ars factiua sit Architectonica, idq; absolutè? sed in græco illud, *factiua*, iungitur cum ea arte, quæ vtitur alia arte factiua, & ideo non est absolutè Architectonica, sed quodammodo. Vide, quid subiungit Arist. *propterea & quæ vtitur, Architectonica quodammodo est.*

III. Itaque sunt duæ artes Architectonicæ: Altera quidem absolutè Architectonica, & est illa, quæ nihil facit ex ijs, circa quæ versatur, sed solum ea cognoscit, & præcipit. Talis est, V. G. ars gubernatoria Nauis. Hæc quippe neq; Nauim, neq; temonem facit, sed tamen cognoscit qualis formæ, & conditionis ea debet esse, præcipitque sic esse faciendam: atque ea iam facta etiam vtitur. Altera autem est, *quodammodo Architectonica*, & est illa, quæ præcipit quidem alijs artibus sibi subiectis, & ijs vtitur ad opus, sed tamen etiam ipsa facit aliquid: facit enim formam V. G. Nauis. Hæc, vt vides, sunt plana in Aristotele; sed apud Interpretes sunt densa caligine obtecta.

At continere me nequeo, quin adhuc ita declarem. Ars V. G. Nauifactiua duo habet. Vnum, quod dominatur, & imperat artibus sibi subordinatis, veluti arti secandi ligna, (præcipit enim secare hæc, non illa;) & arti illa ipsa ligna dolandi, quod debeat in hunc modum expolire, flectere, curuare. Alterum, quod in materia a supradictis artibus facta, & præparata, ipsa facit formam Nauis. V. G. si Nauis futura sit maritima, sit talis formæ, si fluuialis, alterius, si pro vehendis mercibus, sit huius figuræ; si pro pugna, illius figuræ. Quia itaque & præcipit, & facit aliquid, propterea vocatur ab Aristotele *Architectonica quodammodo.* Ars autem gubernatoria Nauis solum cognoscit, & solum præcipit, V. G. temonem debere esse talis formæ, talis figuræ, ex tali materia; nihil autem temonis facit, sed eo iam facto vtitur ad suum opus, quemadmodum Princeps vtitur rebus a suis subditis factis; & hæc est absolutè Architectonica.

Hæc omnia vide in Aristotele, qui subdit. *Differt autem quatenus hæc quidem, quæ formam cognoscit, Architectonica est:* Talis est gubernatoria Nauis. *Alia autem vt effectrix materiæ.* Talis est Nauifactiua, Ponit verò hic materiam, pro re materiata: quandoquidem præfata ars non facit materiam. Subiungit Arist. vtriusque istius artis exempla, *gubernator enim qualis sit forma aliqua temonis cognoscit, & præcipit.* Iam de hoc dixi. *Alius autem ex quo ligno, & quibus ex motibus.* De hoc quoque dixi. Quippe factiua Nauium cognoscit, præcipitque ex quanam materia conficienda sit Nauis: & ex *quibus motibus*, id est, quomodo illa sit expolienda, curuanda, præparanda, quæ omnia fiunt per motus. IV.

Ex his colligitur solutio indicatæ difficultatis, & est, quod etiam istæ artes, dum faciunt, & cognoscunt formam, aliquo modo considerant, & cognoscunt materiam. Nam præfatæ formæ omninò respiciunt aliquam materiam: Ac proinde remanet illibata nostra enuntiatio, quod *eiusdem scientiæ est cognoscere formam, & materiam.* V.

Postremò subnectit. ἐν μὲν οὖν τοῖς κατὰ τὴν τέχνην. Rursus latinus interpres malè vertit, *In ijs igitur.* Nam vel ipso Mathæo Deuario in lib. de particulis linguæ Græcæ, & Budæo testibus, μὲν οὖν *vertitur à Cicerone equidem*, sine quidem. Quare dicta verba transfer. *In ijs quidem, quæ sunt secundum artem, nos facimus materiam propter opus; in Physicis autem* ὑπάρχει οὖσα, *est existens:* VI.

At quorsum, quæso, hæc spectant? Mirabilis vbique est Arist. dum intelligitur. Per hæc verba respondet quæstioni excitatæ in tex. 22. quæ erat, *Vtrum igitur eiusdem, aut alterius vtranque cognoscere.* quæ posset ex his, quæ nunc dicebamus, hoc pacto corroborari. Sicut res se habet in artefactis, ita in naturalibus: At in Naui, quæ est vna res, alia ars facit, & tractat materiam, veluti ars secandorum lignorum: alia autem facit, considerat, & præcipit formam, vt Nauifactiua, & gubernatoria. Ergo eodem modo in re naturali: alia Philosophia Naturalis considerabit materiam, alia formam.

Soluit Eximius præceptor: quod non est eadem ratio vtrobique. Nam in artificialibus nos facimus materiam: in Physicis autem materia . . . iam est.

TEXTVS

Digitized by Google

TEXTVS XXVI.



Amplius, eorum, quæ ad aliquid, materia est: ad aliam enim formam alia materia. Quousque ergo Physicum oportet cognoscere formam, & ipsum quid est? An quemadmodum Medicum neruum, aut Fabrum æs, vsque ad aliquid: alicuius enim gratia vnumquodque, & circa ea, quæ sunt separabilia quidem forma, in materia autem: homo enim hominem generat, & Sol. Quomodo autem se habeat hoc separabilis, & quid sit, Philosophiæ Primæ est officium determinare.

Annectit in hoc tex. tertiam demonstrationem, qua illam ipsam assertionem confirmet, quod *Physici est, vtrasque naturas considerare*: Deinde, excitat dubitationem, ex cuius solutione declarat limites Physicæ considerationis circa formam: Demum, absolutam formæ considerationem reijcit ad Primam Philosophiam.

I. Ratio continetur his verbis. *Amplius, eorum, quæ ad aliquid, materia est.* Quæ de se conspicua est. Relatiuorum eadem est scientia: Materia, & forma sunt relatiua, quare scientia Naturalis, quæ considerat vnam istarum, considerat etiam alteram: Prima propositio nota est vel ex ipsa Relatiuorum definitione, in qua vnum relatiuum dicitur esse alterius, *sunt enim ad aliquid, quæcunque hoc ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud*; referuntur, auctore Philosopho in capit. de ad aliquid, quocirca vnum absq; altero cognosci nequit. Imò verò inter Relatiuorum proprietates, hæc quoque assignata est, quod *quicunque aliquid eorum, quæ cum aliquo conferuntur, definitè cognoscit, illud quoque, ad quod refertur, definitè cognoscat necesse est.*

II. Secunda propositio, quod materia, & forma sint ad aliquid, probat Arist. *ad aliam enim formam alia materia*, sic extende. Si alia forma requirit aliam materiam, profectò materia, & forma sunt ad aliquid: non enim hoc requiritur, nisi quia inter ipsas sit aliqua proportio relatiua: Atqui alia forma exposcit aliam materiam; siquidem forma V. G. equi, exigit aliam materiam, quàm forma simiæ, aut plantæ, quemadmodum forma Nauis requirit aliam materiam, quàm forma statuæ. Hæc de materia proxima, & forma particulari. Ast eadem viget ratio etiam de forma, & materia vniuersè acceptis, quia etiam istæ mutuo se se respiciunt, & neutra de se, & sine altera potest in rerum natura existere. Hic absoluit Arist. quæst. propositas in tex 22. & 23.

At iam posset quispiam dicere: Fac, quod Physicus præter materiam, contempletur etiam formam; Verùm cum forma varia ac multiplex sit, complectitur quippe & formas Physicas, & eas, quæ ab omni materiæ concretione existunt abstractæ, consideratne formam absolutè, qua forma est, an verò secundum aliquam determinatam rationem? Et si considerat secundum determinatam rationem, quænam est hæc determinata ratio, vt possimus cognoscere quousq; pertingit Physici consideratio in formis?

Hanc petitionum Arist. supponit primam, quod Philosophus Naturalis non expendit formam absolutè, qua forma est, sed determinatè: cuius tamen solutionem ex parte tangit in calce tex. Et proponit solum secundam dubitationem, quę est, *Quousq; ergo Physicum oportet cognoscere formã, & ipsum quid est.*

Responsio est hæc, quod Physicus considerat formam, quousq; ea respicit aliquo modo materiam: siue, quatenus est finis ad quem materia ordinatur, quia Physicus, quęcunq; cõsiderat, ea porrò in ordine ad materiam considerat, a qua etiam non abstrahit. Quam quidem responsionem adhibet per duo exẽpla, videl. Medici, & Fabri. & ait, *An quemadmodum Medicum neruum, aut Fabrum æs, vsque ad aliquid.* Obstupescunt hic pletiq; omnes interpretes, quod Philosophus mouit quæstionem de forma, & respondet de materia: Ait namq; quod ita Physicus cognoscit formam, sicut Medicus considerat neruũ, & Faber æs. Neruus verò, & æs sunt materia. Quæ autem proportio nerui, aut æris cum forma? Deinde, torquentur excogitare rationem, cur Philosophus quæstionem propositam de forma, explicet per materiam: Sed hæc omnia sunt inanium cogitationum molimina: & expositio illorum est absona.

Sententia itaq; Stagiritæ hunc in modum colligenda est. Ita se habet cognitio Physici, (qui procul dubio contemplatur materiam) circa formam, sicut se habet cognitio Medici, dum considerat neruum, circa formam illius nerui: Sed cognitio Medici non est circa omnem formam absolutè, sed solum circa determinatam, quæ est finis ad quem considerat neruum qui finis est sanitas, & propterea considerat *vsq; ad aliquid*, Quare etiam cognitio Physici non est circa formam absolutè, sed circa talem formam determinatam, quæ est finis, ad quem ordinatur materia ab eodem Physico considerata. Ex quo conspicuè vides, formam a Physico consideratam esse eam, quæ omninò aliquo modo respicit materiã. IV. Huius syllogismi non ponit Arist. nisi partem minoris, quod Medicus non considerat neruum absolutè, qua nimirum est corpus, qua mixtum, &c. hæc enim relinquit Philosopho Naturali considerandą; sed considerat solum in ordine ad suum finem, quæ est sanitas, atque adeò ad talem formam determinatam: sanitas enim quædam forma est. Ita Faber expendit æs non absolutè, sed quatenus ordinatur ad suum finem, & formam lecti, aut statuæ conficiendæ.

Subdit rationem, cur & Medicus, & Faber, & si vis, etiam Physicus, considerent formam determinatam; *τινὸς γὰρ ἕνεκα ἕκαστον, alicuius enim gratia vnũquodque*: quoniam, inquit, vnumquodque, siue vnusquisque, & Medicus, & Faber operatur propter aliquem finem. Hic propter hunc V.

 finem,

finem, & hanc formam, ille propter aliam. Vt ergo cognitio Medici peruenit solum ad eam formam determinatam, in ordine ad quam considerat suam materiam, neruum, ita cognitio Physici peruenit ad eam solam formam, quæ est finis ipsius materiæ, vt in tex. 23. fuit dictum: atque adeo est etiam finis mutationis, seu generationis. Hanc puto germanam huius loci intelligentiam.

At statim obiecta est Aristoteli anima humana, quam ille firmissimè professus est immortalem, & à corpore εἴδει, *forma*, idest secundum essentiam χωριστὸν, separabilem, seu (vtrumque enim significat χωριστὸν) separatam, vt in lib. de Triplic. Stat. Anim. Disput. 5 & 6. ostendi. Quasi enim obijceret quispiam: Anima intellectiua consideratur à Physico, quemadmodum appatet in tertio lib. de Anim. Ast hæc non est finis materiæ, neque generationis: propterea subdit Ast. *& circa ea, quæ sunt separabilia quidem forma, in materia autem.* idest, Physicus versatur etiam circa eas formas, quæ secundam essentiam vtique sunt separabiles, siue separatæ, sed tamen degunt in materia. Quocirca tales etiam formæ considerantur à Physico, cum hæ quoque formæ respiciant aliquo modo materiam. Non enim anima intellectrix spectatur a Philosopho Naturali, qua est a corpore separata, sed qua est in materia, quemadmodum ad tertium lib. de Anim. ostendi.

Ast hic admonere te haud omiserim, quod in græco antiquiss. meo codice, non legitur εἴδει, numero singul. casu dandi, qui apud Latin. æquipollet ablatiuo, & propterea communiter translatum est, circa separabilia *forma*: sed ita lego καὶ περὶ ταῦτα ἅ ἐστι χωριστὰ μὲν εἴδη, vbi εἴδη est num. multitud. id quod etiā adnotauit codex Parisiensis in margine. Iuxta quam lectionem ita dicta verba essent vertenda. Et circa illas, quæ sunt separabiles quidem formas, in materia autem: Vel, Et circa illas, quæ sunt separabiles quidem formæ. (nam εἴδη potest esse & nomin., & acus.) Hinc antiqua translatio, quam habet etiam S. Thom. ita legit: *Et circa hæc, quæ sunt separata quidem species in materia.* Planè ineptè. Sed ego existimo lectionem hanc græcam esse mendosam, est enim distorta locutio: Quare amplector communem lectionem, nempe, Et circa ea, quæ sunt separabilia quidem εἴδει, *forma*, de qua iam dixi.

Porrò forma hæc, quæ secundum substantiam potest à materia abiungi, & nihilominus est in materia, nulla alia est, quàm anima intellectiua, quæ forma est limes ac terminus Physicæ considerationis. Hinc idem Philosophus in quinto Metaph. tex. 2. repetens hanc considerationem, quam habet Physicus de anima humana, ait, competium esse in Physicis; quomodo oporteat, ipsum quod quid est, inquirere, ac definire. *Et cur etiam de quadam anima speculari, Physici est, quæcunque* (aduerte) *non sine materia.* Quæ si vera sunt, vt planissima vides, irrationabiliter aliqui, vt Vicomer, corrumpunt tex. & contendunt legendum esse, non χωριστὰ, separabilia, sed ἀχώριστα, inseparabilia.

Subdit Arist. *homo enim hominem generat, & Sol.* XVII.
est probatio eius, quod immediatè dixit, vt denotat ipsa particula causalis. Vis, inquit, cognoscere, quod dictæ formæ, secundum essentiam separabiles, sint in materia? Hinc dignosce, quòd homo est homo per hanc formam: Homo autem generatur ab alio homine, sicut a causa propria, & à Sole, vt a causa communi: Vterque autem hic, cum sit agens naturale, agit in materia: quare hæc forma fit in materis, cum *vniuscuiusque actus in eo, quod est potentia, & in propria materia natus sit fieri*, vt dicitur in secundo de Anim. tex. 26.

Demum, in tertia part. tex. ait, *Quomodo autem se habeat hæc separabilis, & quid sit, Philosophiæ Primæ est Officium determinare.* Aduerte, quod quamuis latina translatio videatur inepta, dum habet, *hæc separabilis*, quia non apparet cum quo vnquam hoc adiectiuum iungatur, cum huculque in tex. non sit expressa forma, sed dicebatur, *& circa ea, quæ sunt separabilia quidem &c.* nihilominus intelligitur forma: Græcè sic habet πῶς δ' ἔχει τὸ χωριστὸν, vbi intelligitur εἶδος, forma. Præterea, hæc verba, melius fortasse sic verterentur. *Quomodo autem se habeat ipsa separata, & quid sit, &c.* Profectò Metaphysici munus est, expendere, ac determinare, quid sint formæ a materia abstractæ, & quid reliqua attributa, quæ eis competunt absolutè, vt ostendi in disput. propria de hac re initio ad tertium lib. de Anima.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum, & quomodo homo sit finis, omnium? vt Arist. dicat, Nos vti omnibus, quæ sunt, tanquam propter nos: quia sumus quodammodo & nos finis.



Vncta, quæcunque in rerum vniuersitate, Mundo, reperiuntur, in quatuor veluti classes possunt distribui. In prima collocetur rerum apex, Deus, & intelligentiæ: In secunda corpora cælestia: In tertia entia naturalia sub Luna posita: In quarta denique arte, & ingenio hominum parata. I.

Deinde, finis, & id cuius gratia, alius est præcipuus & vltimatus: Alius minus principalis, & intermedius: Et hic adhuc est duplex, Vnus, qui ab agente per se, & immediatè eligitur, & constituitur talis conditionis, vt re vera ille ordinetur quidem ad alium vlteriorem finem, sed tam in alia sint II.

ab

ab eodem agente per se ordinata, & instituta ad dictum intermedium finem: Alius autem non est ab agente per se, & immediatè constitutus talis, vt quæ ante ipsum sunt, per se ordinentur ad illum, sed quia ipse finis accepit ab illo agente aliquam vim, per quam postea ex se ordinat alia ad se ipsum. Qui duo intermedij fines commodè hoc exemplo possunt illustrari. Eligat Rex quispiam per se, & constituat immediatè Petrum dominum trium ciuitatum: Idem elargiatur multas opes Paulo, quibus hic fretus, subigit sibi postea alias tres ciuitates. Alio pacto Petrus est dominus, ac proinde finis a Rege constitutus suarum ciuitatum, alio Paulus: vterque tamen sunt fines intermedij, & ordinentur ad Regem, & ad ipsius gloriam tanquam ad finem vltimatum.

Quibus constitutis, videndum est, quorum vnquam entium homo sit finis: Et præterea, est ne cæterorum naturaliter dominus, ita vt alia per se, & naturaliter ordinentur ad ipsum, an verò solum ex accidente, quia videl. ipse ingenio sibi a Natura concesso suffultus, alia præter ordinem Naturæ subegit, & ad vsus ordinauit suos.

SECTIO PRIMA.

Quomodo homo sit finis artificialium.



III. Onstituo primo. Homo est finis præcipuus, & vltimatus omnium, quæ quocunque modo ab artibus parantur.

Patet: Nam artes aliæ inuentæ sunt propter imbecillitatem humanæ naturæ, quas vel ab ipso humani generis principio excogitauit, & ad hanc vsque diem conseruat necessitas. vt est V. G. ars ædificandi, aut parandi vestimenta: Aliæ inuentæ sunt ob maiorem hominis commoditatem, veluti equo, aut curru vehi: Ars perficit Naturam, & *quæ bona sunt, meliora fieri possunt arte, quæ verò non optima, aliquo modo acui tamen & corrigi*. inquit. latini eloquij pater. Tull. in primo de Orat. Aliæ diriguntur ad eiusdem hominis delectationem, ceu ars vnguentaria, aut opsonia opiparè parandi. Aliæ inuentæ sunt ad excolendum eius ipsius animum, vt artes liberales, ac scientiæ. ergo omnia omninò artefacta habent pro vltimo fine ipsum hominem.

Nec te turbet, quod multa fiant ab artibus propter canes, equos, armenta, idque genus alia. Nam hæc omnia vltimatè sunt ad vsum, & commoditatem hominum, ceu ad proprium finem: Nec etiam turbet, quod aliquæ artes videantur excogitatæ ad hominum perniciem, vt gladij, aut tormenta bellica: Siquidem hæc quoque tendant ad commodum ijs vtentium. IV.

Iuxta hanc nostram assertionem communiter interpretes intelligunt sententiam Aristotelis, in hoc tex. 24. quod *nos vtimur omnibus, quæ sunt, tanquam propter nos factis*: Et, *sumus enim quodammodo & nos finis*. Hinc Simplic: *omnia, inquit, autem gratis nostrum esse dicit; non entia omnia, sed omnia ad nostram conseruationem, qualia sunt effecta artium. Nam his vtimur, & sumus finis nos eorum, quæ fiunt secundum artes, tanquam ea, quæ insunt nobis, & habent relationem ad nos*. &c. Et Auerr. *Nos sumus finis omnium rerum factarum ab artibus quodammodo, ideò vtimur omnibus*. Idem habet S. Thom. *Nos sumus quodammodo finis omnium artificialium*. Horum vestigia premunt deinde alij.

Verùm ego existimo, Stagiritæ effatum haud arctari ad sola artificialia, verùm extendi etiam ad entia naturalia. Vnde duo perpendo in his verbis. *Sumus enim quodammodo & nos finis* Primum est, quod ait, nos esse finem *quodammodo*. Si Arist. intelligeret de solis artificialibus, haud adiungeret, *quodammodo*, cum nos verè ac propriè simus vltimus omnium artefactorum finis, sed quia intelligit, nos esse finem etiam quorundam entium naturalium, ob id appendit, *quodammodo*. Perpendo secundò ipsum loquendi modum, ἐσμὲν γάρ πως καὶ ἡμεῖς τέλος. *Sumus enim quodammodo & nos finis*. quasi dicat, entium, quæcunque sunt in mundo, siue artefacta, siue naturalia, sunt etiam alij fines, sed *sumus & nos finis* eorundem. Vt igitur mentem meam, quod spectat etiam ad alia entia præter artefacta, aperiam, pergo, & sit. V.

SECTIO SECVNDA.

Argumenta, quibus suaderi videtur, hominem non esse finem naturaliter, & per se, aliorum entium naturalium.

VI. 

Rinciplo, Vna pars alicuius totius non ordinatur ad aliam com partem tanquam ad finem; sed omnes immediatè ordinantur ad constitutionem, & perfectionem totius; quippe partes sunt propter totum, &, vt loquitur Arist. tertio Phys. tex. 65. *qualibet pars est materia totius*. Atqui homo est vna pars eius hoc Vniuerso, reliqua etiam entia naturalia sunt aliæ partes eiusdem Vniuersi, quare nullum ens naturale ordinatur ad hominem tanquam ad finem, neque ipse erit cuiusquam entis naturalis finis.

Secundò, Si homo esset finis aliquorum entium naturalium, maximè esset sublunarium, cuiusmodi sunt animalia rationis expertia, plantæ, & reliqua corpora; At non est; Quod ita ostendo. Quæ inter se maximè, ac naturaliter dissident, ac discordant, ea nequeunt ad vnum finem ordinari: Complura animalia inter se vehementer discordant, idque naturaliter; Eodem pacto quamplurimæ plantæ, & alia corpora; vt sensata experientia constat; quare nequeunt cuncta hæc ad vnum hominem tanquam ad finem ordinari. Item, nullum eorum, quæ sunt gratia alicuius finis, perimunt ipsum finem: Plurima animalia, & plantæ perimunt hominem. ergo &c.

VII. Tertiò, Si homo esset legitimus animalium, plantarum, cæterarumque rerum finis, haberet naturale dominium tractandi ea pro arbitratu suo, vt habet dominus erga seruum. Tale autem naturale dominium eum non habere, ex eo confirmatur, quia quando aliquid competit alicui naturaliter, id competit ei semper, & in omni indiuiduo. Constat autem, hominem neque semper exercuisse tale dominium in alia animalia, neque posse in quouis animali exercere; quare huiusmodi dominium non competit homini naturaliter. Minor quo ad primam partem conspicua est, siquidem homines neque in omni ætate occiderunt animalia pro victu, imò verò etiam subsecutis ætatibus plurimi cordati viri a carnium esu abhorruere; Neque a principio, sed post aliqua sæcula conuerterunt in suum vsum aliqua animalia, veluti equum, bouem, &c. Quo ad secundam etiam partem; ex eo apparet, quòd homo nequit vllum dominium exercere in serpentes, Leones, tygres. Non igitur habet in cætera animalia naturale dominium, ac proinde neque est à natura constitutus eorum finis, sed solum accepit a Natura ingenium, & solertiam, per quæ quidem ipse præter naturæ ius, alia animalia sibi subegit, & in suum vertit vsum. Ita planè, quemadmodum in exemplo retrò apposito aiebam de eo, qui non esset immediatè à Rege constitutus dominus ciuitatum, sed diuitijs donatus, quibus postea fretus, subegit sibi aliquas ciuitates etiam liberas.

Postremò, Corpora cælestia sunt entia naturalia; At quis vnquam audet dicere, ea ordinari ad hominem tanquam ad finem? Ita ne? Sol Mundi anima, aut immensuas firmamenti, cuius comparatione terra omnis, nedum homo, iure optimo censetur punctum, sint facta, & conseruentur propter hominem? VIII.

SECTIO TERTIA.

Declaratur Veritas propositi Theorematis.



Rimò, certum ac dilucidum est, hominem non esse finem præcipuum, & vltimatum cæterorum entium naturalium sublunarium; & multò minus esse talem finem corporum cælestium. IX.

Ratio est euidens. Vltimatus finis ille est, qui vlterius non ordinatur ad alium finem; Atqui homo naturaliter ordinatur ad bonum Vniuersi, ceu vera ac legitima eius pars, & ita ordinantur etiam reliqua omnia entia naturalia particularia; quare homo nequit statui vltimatus cæterorum entium naturalium finis.

Præterea, Inter fines, ille est magis præcipuus atque adeò magis vltimatus, qui est maius bonum; cum finis, & bonum conuertantur, vt vel ex hoc tex. 24. licet colligere, & primo Ethic. cap. 2. legimus, quod *bonum summum, & optimum finis est, ob quem omnia alia volumus*. Incomparabili autem differentia maius ac excellentius est bonum Vniuersi, quàm hominis; cum illud existat bonum com- X.

communius: *Bonum autem commune diuinius est*, vt dicitur primo Ethic. cap. 2. Ita bonum quoque cælorum erit excellentius, quia communius: sunt enim cæli causæ vniuersales: Et ab ijs *pendet omnis vis, & virtus* huius inferioris mundi; vt ex primo Meteor. cap. 2. constat. Quocirca homo nulla ratione valet constitui præcipuus, & vltimatus aliorum entium naturalium finis.

Porrò si quispiam in naturæ tenebris constitutus, vltimatum rerum omnium finem perquireret, videretur fortasse non alius esse huiusmodi finis, tam sublunarium, quàm cælestium, quàm bonum ipsum, & pulchritudo Vniuersi, cum omnia ad conflandam illius perfectionem miro quodam afflatu conspirent, & coniurent amicè. Cæterùm secundum veritatem nostram, neque ipsum Vniuersi bonum est absolutè præcipuus, ac vltimus rerum omnium finis, sed ordinatus ad alium finem, quæ est gloria conditoris, & benedicti Dei. *qui vniuersa propter semet ipsum operatus est*. vt dicitur Prouerb. 16. & ostendit S. Thom. in prim. part. quæst. 65. art. 2. quo loci ita celsum illud ingenium philosophatur.

Considerandum, inquit, est, quod ex omnibus creaturis constituitur totum Vniuersum, sicut totum ex partibus. Si autem alicuius totius, & partium eius volumus finem assignare, inueniemus primò quidem, quod singulæ partes sunt propter suos actus, sicut oculus ad videndum. Secundò verò quod pars ignobilior est propter nobiliorem, sicut sensus propter intellectum, & pulmo propter cor. Tertiò verò omnes partes sunt propter perfectionem totius, sicut & materia propter formam; partes enim sunt quasi materia totius. Vlterius autem, totus homo est propter aliquem finem extrinsecum, veluti vt fruatur Deo. Sic igitur & in partibus Vniuersi, vnaquæq; creatura est propter suum proprium actum, & perfectionem. Secundo autem, creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores, sicut creaturæ quæ sunt infra hominem, sunt propter hominem. Vlterius autem, singulæ creaturæ sunt propter perfectionem totius Vniuersi. Vlterius autem totum Vniuersum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem, in quantum in eis per quandam imitationem diuina bonitas repræsentatur ad gloriam Dei. Hæc S. Thom.

Dico 2. Homo non est ex natura sua finis, neq; etiam secundarius, ac intermedius Intelligentiarum, siue Angelorum.

XI. Huius etiam asserti ratio euidens est, quia quod suapte natura est perfectius, non ordinatur naturaliter ad minus perfectum, tanquam ad finem. Intelligentiæ, siue Angeli secundum suas naturales dotes, in immensum præstant hominibus: non igitur ordinantur ad hominem tanquam ad finem. Quinimo rectus rerum ordo e contra se habet. Nam, auctore eodem S. Thom. art. cit. in respons. ad 2. *creatura corporalis facta est quodammodo propter spiritualem*.

Præterea, Homo, quorum naturaliter est finis, eorundem habet naturale dominium: Homo in Angelos non habet huiusmodi dominium. Hinc S. Thom. in eadem prim. part. quæst. 96. art. 2. expendens illud Gen. 1. vt homo *præsit vniuersæ creaturæ*, ait, *& quod dicitur omni creaturæ, intelligitur, quæ non est ad imaginem Dei: propterea homo etiam in statu innocentiæ non dominabatur Angelis*.

Dico 3. Homo naturaliter & per se est finis secundarius corporum cælestium, (seclusa Intelligentia, motrice) præsertim quantum ad vsum.

Fundamentum huius assertionis desumitur ex eodem fonte, quia in omnibus rectè dispositis ac ordinatis, omne minus perfectum naturaliter ordinatur ad maius perfectum; & hoc ad aliud se ipso perfectius, & ita vsque ad vnum primum. Manifestum autem est, hominem esse longè perfectiorem corporibus cælestibus; cum hæc, absque Intelligentia, sint inanimata: Homo autem est suprema anima donatus. Adde, quod homo secundum potentias animæ intellectiuæ, videl. intellectũ, & voluntatem, & secundum earum operationes, non subditur immediatè actionibus cæli, sed solum per accidens, vt alio loco ostendi: quare hac ratione præest cælo, vnde etiam dicitur *dominari astris*: Quod si homo naturaliter cælo præest, ergo ex ordine Vniuersi, & naturaliter est finis proximus, & secundarius ipsius cæli. XII.

Accedit, quod corpora cælestia mouentur, atq; agunt primario quidem ob propriam sui perfectionem: siquidem vnumquodque dum exercet naturalem suum motum, perficitur: secundario autem mouentur, & agunt propter conseruationem horum inferiorum, inter quæ homo obtinet principem locum.

Dico 4. Homo naturaliter, & per se est finis proximus, ac intermedius omnium mortalium; Ac XIII. proinde habet naturale dominium, vt pro arbitratu suo valeat ijs omnibus vti, & omnia in suum vsum vertere, tam corpora simplicia, quàm mixta, plantas, & animalia rationis experta.

Ita expressè docet Arist. in primo Polit. cap. 8. quo loci explicaturus rationem rei familiaris acquirendæ, orditur ab ipsis Naturę incunabulis, & ait, quod differentiæ alimenti, ac victus, à principio effecerunt diuersas ac dissimiles rationes vitæ in animalibus. Nam bestiarum aliæ quidem gregatim, aliæ autem spartim, & vagè viuunt, sicut ijs ad pastum expedit; propterea quod earum aliæ animalibus, aliæ fructibus, aliæ omni pabuli genere vescuntur. *Itaque ad facilitatem, commoditatemque victus, & harum rerum electionem, earum vitæ genera Natura distinxit*. Et quia non est idem iucundum natura, sed alia alijs, ob id vlterius bestiarum vita in alias, atque alias conditiones subdiuisa est. Hoc eodem modo erit considerandum de hominibus, quod istorum vita in multa ac varia viuendi genera fuerit distributa propter victum, & faciliorem commoditatem viuendi. Eapropter alij

quidem,

quidem, vt pote pigriores, ex pecore victum petiere, alij verò ex venatione, alij autem ex piscatu, alij ex aucupio, alij ex præda bestiarum, prout quisque commodiorem sibi viuendi viam arbitrabatur: Plerique autem homines è terra viuunt, & fructibus mansuetis. Postquam autem Arist. hæc genera vitæ hominum recensuit, ita subdit. *Talis igitur rerum parandarum ratio ab ipsa Natura videtur omnibus tribui, vt statim ab ortu primo, sic & iam adultis, & perfectis*. Quod si Natura distinxit, edocuitque pecoris possessionem, venationem, piscatum, aucupium, bestiarum prædam, profectò homo à Natura ipsa sortitus est in omnia ista dominium. & ab eadem Natura hæc omnia parata sunt gratia eius ipsius hominis.

XIV. Pergit Arist. & statuit hanc conclusionem. *Existimare oportet, quod animalium causa stirpes, & plantæ fiat nata; & hominum gratia cætera animalia: mansueta quidem tum propter vsum, tum propter victum. fera autem, & agrestia, si non omnia, at certè plurima, victus, & cæteri præsidij, atque adiumenti causa, vt vestitus, & alia instrumenta ex ijs comparentur*. Tandem colligit, quod si Natura nihil facit, neque imperfectum, neque frustra, *necesse est, ea omnia hominum causa fecisse Naturam*.

XV. At quia incomparabilis Auctor nihil vnquam sine valida ratione asportat, confirmat suam conclusionem ex ijs, quæ in generatione, & in Natura particulari cernimus vsuenire; Et ratio sic colligitur. Ita existimandum est de Natura vniuersali rerum omnium procreatrice respectu rerum communium, sicut est in natura particulari respectu suorum effectuum particularium: Atqui videmus in natura particulari, quod quædam animalia, quando pariunt, vnà cum fœtu procreant tantum victum, quantum satis esse possit ad alendum id, quod natum est, donec ipsum valeat sibi alimentum suppeditare; cuiusmodi sunt ὅσα σκωληκοτοκεῖ, ἢ ᾠοτοκεῖ *quæcunque vermes pariunt, aut oua pariunt*. Alia autem animalia, quæcunque animal edunt, postquam pepererint, parant, & continent in se ipsis alimentum, quo natum vsque ad aliquod tempus alatur, quod lac appellamus: quare similiter existimandum erit, *à Natura*, nempe vniuersali, *esse aliquid comparatum fœtuum recentium, & tenerorum gratia, vnde alantur*.

Confirmo ex doctrina eiusdem Philosophi, nam si vnus homo naturaliter est finis alterius hominis, & vnus homo naturaliter nascitur dominus alterius hominis, multò magis homo naturaliter erit finis cæterorum entium naturalium, quæ infra ipsum apparent constituta: Atqui vnus homo naturaliter est finis alterius hominis, & naturaliter nascitur dominus alterius hominis, vt luculenter ostendit Philosophus in primo Polit. cap. 1. quo loci viuidè commonstrat, ciuitatem constare natura: & quemadmodum a natura est mas, & fœmina, sic *alios nasci natura seruos, alios natura dominos*.

Subijciam alterum præfulgidum doctrinæ lumen S. Thomam, qui in prima part. quæst. 96. art. 1. eandem nostram assertionem statuit, & triplici communit ratione: *Omnia*, inquit, *animalia sunt homini naturaliter subiecta. quod apparet ex tribus*. Primò, ex ipso naturæ processu: sicut enim in generatione rerum intelligitur quidam ordo, quo proceditur de imperfecto ad perfectum; nam materia est propter formam, & forma imperfectior propter perfectiorem, ita etiam est in vsu rerum naturalium: Nam imperfectiora cedunt in vsum perfectiorum. Plantæ enim vtuntur terra ad sui nutrimentum; animalia verò plantis; & homines plantis, & animalibus: Quocirca naturaliter homo dominatur animalibus. Et propter hoc Philos. dicit in Polit. quod venatio syluestrium animalium est iusta, & naturalis, quia per eam homo vendicat sibi, quod est naturaliter suum. XVI.

Secundò, apparet hoc ex ordine diuinæ prouidentiæ, quæ semper inferiora per superiora gubernat. Vnde cum homo sit supra cætera animalia, vtpote ad imaginem Dei factus, conuenienter eius gubernationi alia animalia subduntur.

Tertiò, apparet idem ex proprietate hominis, & aliorum animalium. In alijs enim animalibus inuenitur secundum æstimationem naturalem quædam participatio prudentiæ ad aliquos particulares actus: In homine autem est vniuersalis prudentia, quæ est ratio omnium agibilium. Omne autem quod est per participationem, subditur ei quod est per essentiam, & vniuersaliter. Vnde patet, quod naturalis est subiectio aliorum animalium ad hominem. Hæc S. Doctor: consimilia habet in 2. secundæ quæst. 44. art. itidem 2.

Aureum etiam illud os, Chrysost. super Matth. *Animalia*, inquit, *fecit Deus propter hominem: hominē verò propter se ipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter se ipsum?* Et Hugo de S. Vict. in suo didasc. lib. 1. hæc omninò dedit litteris. *Vide homo, dicit Mundus, quomodo amouit te, qui propter te, fecit me: seruio tibi, quia factus sum propter te, vt tu seruias illi, qui fecit & me, & te: me propter te, & te propter se*. XVII.


Hac mente Pythagoras censuit, *hominem esse mensuram omnium rerum*: quamquam Plato in Theeteto putet, quod homo non est mensura rerum, *nisi sapiens quis fuerit*. Profectò *omnia aliorum causa sunt genita, fruges, atque fructus, quos terra gignit animantium causa, animantes autem hominum; vt equum vehendi causa, arandi bouem, venandi, & custodiendi canem, Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum, & imitandum*, ait Tullius lib. 2. de Nat. Deor. Hinc etiam Naso, in sua Metamorph. verè cecinit. *Sanctius his animal, mentisque capacius altæ, Deerat adhuc, & quod dominari in cætera possit, Natus homo est*. Ex his itaque vide, quàm verè, quàmque egregiè dicat Auctor noster in hoc tex. quòd *vtimur omnibus, quæ sunt*

tan-

tanquam propter nos, factis: sumus enim quodammodo & nos finis.

SECTIO IV.

Diluuntur argumenta, pro contraria parte adducta in sect. secunda.



HINC nullo quoque negotio depelluntur argumenta in aduersam partem inducta. Fateor etenim omnes Vniuersi partes ordinari ad ipsum totum. Tum quia materia ordinatur ad formam, quin verò, auctore Philosopho in hoc lib. tex. 23. materia est propter formam: Partes autem, vt in tex. 31. huius istius lib. dicitur, comparantur ad totum vt materia: Tum quia elementa sunt eius gratia, cuius sunt elementa, vt ostendit ideo Philosophus secundo de Partib. animal. cap. 1. Partes autem præcipuæ mundi terra, aqua, aer, ignis, & cælum, sunt elementa mundi, vt constat ex lib. tertio cæli tex. 1.

Nihilominus etiam vna pars a natura ordinatur ad aliam perfectiorem, vt, ne longè abeam, in homine ipso licet animaduertere, in quo elementa, sunt gratia partium similarium, ac proinde necessario in homine illa naturaliter ordinantur ad istas: Ita partes similares sunt propter dissimilares: Cuius rei ea est ratio, quia partes dissimilares sunt generatione posteriores partibus similaribus: Posteriora autem generatione, habent rationem finis, & sunt prius à natura intenta. Totum etiam hoc docuit Arist. in cap. illo 1. vbi statuit, quod *contraria in generatione, atque in essentia agitur. Quæ enim posteriora sunt generatione, hac natura priora sunt: & quod primum natura est, id vltimum est generatione.* Deinde concludit, *Quamobrem elementorum materiam esse similarium partium gratia, necesse est: sunt enim hæ posteriores illis generatione: & autem ipsis dissimilares sunt posteriores. Iam cum finem hæ tenent ac terminum,* &c sic in eodem homine sensus est propter intellectum, & vt semel dicam, *pars inferior in animali est gratia partis superioris*, vt loquitur Arist. lib. secundo de Gener. animal. cap. 6. Verùm hac de re adeundus est in sua Anat. doctissimus Ioan. Veslingius, Eques, ac Primus Anatomiæ, & Botanices in hac nostra Vniu. Professor, Hortique medici Præfectus, vir eloquentiæ candore, doctrinæque soliditate secundus nemini.

Ad 2. argum. neganda est minor. Ad primam eius probationem, refert S. Thom. in prim part. quæst. 96. art. 1. aliquos credidisse, quod in statu innocentiæ animalia, quæ nunc degunt ferocia, in statu illo fuissent mansueta; non modo circa hominem, verùm etiam circa cætera animantia. Deinde, hanc responsionem S. Doctor appellat irrationabilem, quia per peccatum hominis natura animalium nequaquam est immutata, vt quibus nunc naturale est depasci aliorum animalium carnes, ea tunc vixissent herbis, veluti Leones, falcones, & id genus carniuora. Deinde respondet ipse, quod *tunc fuisset naturalis discordia inter animalia, sicut modo est. Nec tamen propter hoc subtraherentur dominio hominis, sicut nec subtrahuntur dominio Dei.*

Hinc apparet solutio etiam ad 2. prob. quod XIX. enim aliqua animalia noceant, aut interimant hominem, aut veneno, vt serpentes, aut vi, vt Leoner, Vrsi, Tygres, idque genus alia, contingit ob contrarium eorum temperaturam cum homine, & propter feritatem, auctam etiam ex solitudine viuendi: Hoc tamen non tollit, quin huiuscemodi animalia sint longè imperfectiores Vniuersi partes ipso homine: Naturaliter igitur ordinantur ad hunc, veluti imperfectum ad perfectius. Porrò, hominem prædictum esse naturali dominio etiam in illa ipsa animalia, quanquam ferocia, & venenosa, argumento est, quod homo etiam illa arte, & ingenio sibi subigit, domatque innoxiè, vt sit a circulatoribus, qui mansuetos ac cicures redditos circumferunt serpentes, Leones, Vrsos, Elephantos, Tygres.

Quid verò? nonne tibi mirari subit, dum aspicis, puellum vnum agere integrum equorum, aut bouum armentum; & quocunque velit ducere? nonne in hac terfissimè elucet naturalis hominis dominatus in ea animalia? Hinc Regius Psaltes Psal. 8. cum exclamasset, *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Respondet, *Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum; Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper, & pecora campi; Volucres cæli, & pisces maris.* Tu confer splendidum hoc, & luculentum decretum cum Stagiritæ, quod *vtimur omnibus, quæ sunt, tanquam propter nos: sumus enim quodammodo & nos finis.*

Digitized by Google

Ad 3. arg. neganda etiam est minor: iam enim ex his quæ nunc dixi, apparet legitimum hominis dominium in reliqua animalia. Quod autem objicitur, homines non in omni ætate interfecisse animalia, Nos scimus ex Sacra Genesi, etiam primos homines obtulisse animalia in sacrificio, & incubuisse venationi, Voluebant nimirum animo recens Dei decretum. Gen. 1. quod erat *Masculum, & feminam creauit eos, Benedixitque illis Deus, & ait, crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. Dixitque Deus, ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram; & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, &c.*

Præterea, etiamsi aliquando, & aliqui homines abstinuerint ab esu carnium, & noluerint exercere actum dominij in animalia, non propterea tollitur possessio, & excellentia, quam homines habent in illa.

Ad 4. dicendum, corpora cælestia, seclusa Intelligentia, esse inferioris gradus non homine modo, sed quocunque animante, prout illa sunt animæ, vitæque expertia: Neque magnitudo, aut splendor immutat rerum gradus: Quippe, & mare immensum, & Adamas perquamsplendidus: & nihilominus & illud imperfectius quouis pisciculo. Et hic perfectione naturali vincitur à quauis planta.

Sed iam reuertamur ad Aristotelem: est igitur.



CAPVT III.

De Causis per se.

TEXTVS XXVII.



Eterminatis autem his, considerandum est de causis, & quæ, & quot numero sunt. Cum enim hoc sciendi gratia negotium sit; scire autem non prius opinamur vnumquodq; quàm vtique caperimus propter quid circa vnumquodque: hoc autem est accipere primam causam; manifestum, quod & nobis hoc faciendum est, & de generatione, & corruptione, & de omni Physica mutatione. vt scientes ipsorum principia, reducere ad ipsa tentemus quæsitorum vnumquodque.

I. Res naturales primò fiunt, postea sunt, demum cognoscuntur. Enucleauit hucusque Arist. ea, ex quibus illæ fiunt, id est principia: tum ea, ex quibus sunt, videl. elementa: nunc prosequitur tertium, scilicet causas; siquidem vnumquodque cognoscitur per suam legitimam, ac summam causam, Quam quidem œconomiam abundè exposui in adnotationibus ad tex. 1. lib. primi, & in connexione lib. 2. Id in causa est, cur in præsenti apponat quasi nouum quoddam exordium, in quo quidem proponit suam intentionem, siue rem tractandam; redditque huius tractationis rationem.

II. Inquit itaque, quod cum ex illis tribus, quæ initio huius operis explicanda proposuimus, hucusque determinata sint a nobis duo, id est principia, & elementa, nunc *considerandum est de causis, quæ, & quot numero sint*. Agendum, inquit, est de causis. At cum aliæ quoque scientiæ de ijsdem causis agant, iccircò limitat, & contrahit eas ad tractationem Physicam, proponendo duo theoremata, quæ de causis hoc loco discutienda, ac determinanda sunt. Vnum est, Causæ *quot numero sunt*? non quidem, quot sunt numero indiuiduali, hoc quippe determinare haud est scientifici munus, sed generico: nempe quot sunt causarum genera,

genera alterum, *& quæ sunt:* nimirum quid sit vnaquæque earum.

III. Annectit rationem, cur causarum consideratio debeat in hac physica tractatione expendi; quoniam, inquit, in illa tractatione, quæ est gratia sciendi, debent vtique cognosci causæ: Atqui τοῦ εἰδέναι χάριν τὰ φυσικὰ ἡ πραγματεία, *Hæc tractatio est gratia sciendi res physicas*, (in latinis codic. non habentur illæ voces, *res physicas*, sed malè) quare in hac tractatione debemus vtique cognoscere causas, quæ, & quot sint. Maiorem declarat, quoniam tunc, & non prius scimus vnumquodque, cum cognoscimus propter quid illud sit. Hoc autem tunc euenit, cum cognoscimus *primam*, idest proximam, & propriam eius *causam*: Quo intellectu aiebat in tex. 1. huius operis, exponendas esse *causas primas*. Enimuerò scire est rem per propriam, ac legitimam eius causam comprehendere. Hoc vlterius explicat, quia quisquis tenuerit causas, quæ, & quot sunt, potest vnumquodque quæsitorum, seu causatorum resoluere in propriam illius causam: quod hoc est propter hanc causam, illud propter illam. Causa namque communiter accepta est *illa, propter quam res est*, quemadmodum dicitur in tex. 29. Sic ergo, *& nobis faciendum est, & de generatione, & corruptione, & de omni physica transmutatione, vt scientes*, (Græcè εἰδότες, cum sciuerimus, *ipsorum principia, reducere ad ipsa tentemus quæsitorum vnumquodque*.

IV. Ait itaque, id sibi faciendum esse de generatione, corruptione, omnique physica mutatione, nempe de rebus naturalibus, quæ generationi, & corruptioni existunt obnoxiæ. Atq; vt corpora quoq; cælestia complecteretur, quæ loco duntaxat, sed physicè mutantur, addit, *& de omni physica mutatione*: ita vt, quod prius dixit, hanc tractationem esse *gratia sciendi res physicas*, id hic describat per dicta verba, *de generatione, &c.*



TEXTVS XXVIII.



Vno igitur modo causa dicitur, ex quo fit aliquid, cum insit; vt æs statuæ, & argentum phialæ, & horum genera. Alio autem modo forma, & exemplum, hæc autem est ratio ipsius, quod quid erat esse, & huius genera, vt ipsius diapason duo ad vnum, & omninò numerus, & partes; quæ in ratione.

Aggreditur causarum tractationem, quæ ab hoc tex. vsque ad totum sexagesimum nonum protrahitur. Primùm autem a tex. præsenti vsque ad 59. edisserit de causis per se: Deinde, instituit sermonem de causis per accidens, de Casu, ac Fortuna: Tandem, in tex. 69. concludit, quatuor tantummodo esse iam enarrata causarum genera, ad quæ omnes omninò causæ redigantur, quæcunque per quæstionem propter quid omnes homines quærere consueuerunt. Postea, à tex. 70. commonstrat, ad Naturalem Philosophum attinere, omnia quatuor causarum genera cognoscere, & per omnia illa demonstrare. I.

Accingitur ad causas per se: atque in hoc, & sequenti contex. recenset quatuor causas: In præsenti quidem tex. materialem, & formalem: In sequenti autem effectricem, & finem; & vnamquamque effert per propriam definitionem. Et quidem de materiali ait, quod vno modo causa dicitur, *ex quo fit aliquid, cum insit*. Quo pacto definiebatur etiam materia in lib. primo tex. 82. esse *subiectum primum, ex quo fit aliquid, cum insit*. Aduerte, verba illa, *cum insit*, parùm syncerè, esse translata, quemadmodum etiam ad tex. illum 82. adnotaui. Quandoquidem in latina versione videntur facere hunc sensum; Id quod fit ex materia, inest in ipsa, siue fit, cum insit, videl. in materia. Qui quidem intellectus absurdus est: Siquidem compositum est quod fit: Quis autem dixerit, compositum inesse in materia? Præfata itaque verba referuntur ad materiam, qui sensus in græco codice apparet planissimus; sic enim lego: *Vno quidem modo causa dicitur*. τὸ ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος, *id ex quo fit aliquid inexistente*. Etenim ex materia ita fit aliquid, vt ea remaneat, & inexistat in illo. Per quæ quidem verba secernitur causa materialis à priuatione: tam etiam ex priuatione fit aliquid, at priuatio neque remanet, neque vllo vnquam pacto in re facta inexistit. II

E contra verò forma manet quidem in re facta, & res factæ re ipsa vera constant, seu componuntur ex forma; attamen non dicuntur fieri ex forma.

III. At iam Arist. definitam causam illustrat exemplis artefactorum, *vt æs statuæ, & argentum phialæ.* Statua enim fit ex ære, vt ex insito elemento: similiter, phiala ex argento. Addit, καὶ τὰ τούτων γένη, *& ea, quæ sunt horum genera.* Quæ verba gemino modo expono. Primò, vt per ea indicet genera priora materiæ horum artefactorum; æris, inquam, & argenti. Quippe genus æris, & argenti est metallum: Hoc itaque est etiam causa materialis non modo æris, atque argenti, verùm etiam statuæ, & phialæ. Ita minerale est genus ad metalla, & vlterius vapores ad mineralia, quemadmodum in opere de Meteor. lect. 26 declaratur. Et horum genera, quoniam proximas materias tradidit, iccirco adiecit, Et horum genera; id est, & quæ sunt his communiora, vel quæ sunt generatiſſima subiecta, Nam æs est proxima materia statuæ, & quoniam huic etiam aliæ materiæ subijciuntur, ceu aqua, igitur & aqua erit materia statuæ, inquit Philopon in com.

Secundò expono, *Et ea quæ sunt horum genera,* id est, alia artefacta. Dicimus enim hoc rerum genus, pro, istæ res. Ita lignum est materia lecticæ marmor columnæ, &c.

IV. *Alio autem modo forma, & exemplum.* Apponit secundum genus causæ, nempe formalis, quam definit, quod sit, *ratio ipsius, quod quid erat esse.* Porrò cur forma substantialis nuncupetur ratio ipsius, quod quid erat esse, aperui in lib. præced. in Disput. de forma, sect. 3. Nunc adde, quod forma, vt etiam adnotat Piccol. dicitur ratio tribus modis. Primò, secundum se, qua est essentia, ac quidditas rerum, quæ per definitionem explicatur. Secundò, per relationem ad proprias affectiones, quæ consequuntur speciem. Etenim forma V. G. hominis est ratio, cur homo sit admiratiuus, discursiuus, risibilis. Tertiò, per relationem ad compositum. Quod enim homo sit homo, hæc sola, neque vlla alia ratio potest reddi, nisi quia habet formam hominis.

Hæ considerationes veræ sunt. Nihilominus si Stagiritæ verba ritè expendas, videntur hanc solam tertiam significationem respicere. Nam ὁ λόγος ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι, sonant, Illa ratio, quæ est ratio eius, quod erat (idest in potentia) aliquid esse: siue, erat in potentia, vt esset aliquid. Dic semel, forma est ratio ipsius compositi. Materia namque de se degit indefinita, atque indeterminata: forma autem superueniens, est ratio, vt hæc, aut illa res emergat.

V. Nectit cum forma *exemplum*, quia causa exemplaris nequaquam constituit quintum quoddam causæ genus, vt Plato existimauit, sed reducitur ad formale. Subdit, *& huius genera.* Quæ verba exponi debent iuxta duplicem intellectum nuper ad illa alia, *& horum genera,* datum; præsertim verò iuxta secundum, vt sensus sit, & aliæ, quæ sunt ratio aliquorum, sint etiam causæ formales, & formæ eorundem.

Rem hanc triplici illustrat exemplo. Primum accipit ex harmonia, ac concentu, cuius forma, & essentia est ratio quædam, atque proportio; *vt,* inquit, *ipsius diapason duo ad vnum.* Eius harmoniæ, quæ dicitur diapason, forma est ipsa ratio, ac proportio, quam habent duo ad vnum, vt in adnotationibus explicabo. Hoc exemplum est de vna specie numeri, nempe de numero sonoro, quandoquidem harmonia, ac consonantia nihil aliud est, quàm sonorus quidam numerus.

Addit secundum exemplum de numero absolutè, & in genere, dum ait, *ac hunc, & vniuersè,* seu, *& omninò numerus*; nimirum id idem habet etiam numerus absolutè spectatus, quod eius forma, & essentia est quædam ratio ac proportio vnitatum. Enimuero numerus haud est qualisqualis multitudo, sed *multitudo mensurata per vnum*, vt dicitur sexto Metaph. tex. 21. Quocirca si demas ordinem, ac proportionem, quam vnum habet ad duo, & hæc ad tria, & ita deinceps, nequaquam amplius erit numerus. VI.

Addit tertium exemplum, *& partes, quæ in ratione*, videl. quæ in definitione collocantur. Quæ verba communiter sic exponunt interpretes, Partes, hoc est ambæ partes, quæ in definitione rei ponuntur, & sunt genus, & differentia, sunt causa formalis, seu forma eius rei. Quæ quidem expositio non placet. Primò, quia, auctore Porphyrio in cap. de differentia, genus habet rationem materiæ, differentia verò subit rationem formæ, & hoc pacto definitiones constant ex genere, & differentia, tanquam ex materia, & forma. Non itaque vtraque definitionis pars est forma. Secundò, Res naturales definiuntur, vt simum, in cuius definitione omninò altera pars est materia, sicut docet Arist. cùm alibi sæpe, tum in tex. 19. huius libri, & lib. primo de Anim. tex. 16. VII.

Ego in dictis verbis, *& partes, quæ in ratione*, siue, in definitione, Partes non accipio respectu vnius, atque eiusdem definitionis; vt sensus sit, quod vtraque huius, aut illius definitionis pars, sit forma eius; sed, partes, refero ad diuersas definitiones: Nempe pars, quæ ponitur in hac definitione, videl. differentia, est forma, & causa formalis huius definitionis, & pars, quæ ponitur in alia definitione, itidem est eius forma: & ita in reliquis. VIII.

Adno-

Adnotationes, & difficultates circa tex. 27. & 28.

IX. 

N primis ambigunt interpretes, quod Arist. de his causis abundè edisseruit tum in secundo Poster. tum in tertio, & nono Metaph. quare hic superuacaneo labore rem actam agi. Deinde, in tractandis his ipsis causis videtur inordinatus. Neque enim obseruat doctrinæ ordinem, quem in alijs suis tractationibus solitus est adhibere, qui ordo est similis ordini naturæ. Nam inter causas, iuxta naturæ ordinem, prima omnium est finalis, vtpote quæ primò excitat agens, postea hoc præparat materiam; demum educitur forma. debuit igitur Philosophus tractationem causarum expedire à fine, non a materia, & a forma, quemadmodum fecit.

Ad 1. respondeo. Vtique & Logicus, & Metaphysicus, & Philosophus Naturalis agant de causis, sed alio, atque alio fine. Logicus loquitur de ijs, quatenus termini V. G. sunt materia propositionum, & propositiones sunt materia syllogismorum; Quatenus in propositionibus, & syllogismis debet adesse talis forma, ac dispositio; Quatenus præmissæ efficiunt conclusionem; Quatenus scientia est demonstrationis finis; idque genus alia, quemadmodum explicatur in lib. de Interpret. nec non in lib. Prior. & Poster. Analyt. Metaphysicus autem easdem causas pertractat, qua sunt causæ entis in communi. Philosophus verò Naturalis expendit causas, vt per ipsas deprehendimus res naturales. Vnde vides, omninò hoc loco esse necessariam causarum tractationem. Adde, quod non est nouum, nec insolens, vt easdemmet res diuersæ scientiæ tractent, modo sub diuersa ratione formali, siue sub diuerso modo considerandi, tractent, vt vel ex ipso Philosopho constat tu hoc lib. tex. 16. Ita se habet res de causis.

X. Ad 2. dicendum, quod quamuis finis in intentione, & ordine perfectionis sit prima omnium causarum, nihilominus via originis, & in executione, materia est omnium prima. Hæc enim primùm intelligitur substrata, deinde agens excitatum à fine, incipit eam elaborare, vt ex eadem educat formam. Cum tractatione autem materiæ necessario iungitur tractatio formæ: tum quia materia, & forma referuntur admuicem, vt dicitur in tex. 26. huius lib. Tum quia materia est propter formam, ex tex. 24.

Præterea, dum Arist. exorditur a materia, seruat ordinem naturæ, quæ in suis operibus incipit ab imperfecto, & progreditur ad perfectius. Sic *Arist. procedit ab inferiori ad superius, seu ab imperfecto ad perfectum.* vt loquitur Simplic. Materia namque inter causas imperfectissima est. Accedit, quod incipit a materia, quoniam hæc erat omnibus antiquis perspecta, atque etiam omnes omninò effectus ad vnam causam materialem reducebant. Ad extremum, Quando nobis offertur aliqua res cognoscenda, illico nobis excitatur animus ad inquirendas causas eius intrinsecas, quæ videl. sit materia, & quæ forma, ex quibus res illa coalescit: postea progredimur ad cognoscendum, quis illius fuerit auctor, & propter quem vnquam finem fuerit facta. Ob has igitur causas, Eximius præceptor, prius egit de causis intrinsecis, quàm extrinsecis: Auspicatur autem a materia potius quàm a forma, quia materia ipsi formæ substernitur, vt etiam nunc indicabam.

Dubitant 2. Cur Arist. formam appellet exemplum, cum ait, *aliud autem forma, & exemplum*? XI.
Qua quidem de re pluribus altercatur Simplic. cum Alex. complura etiam scribit Philopon. Themist. & S. Thom. Et ratio dubitandi est aperta, quia exemplum non conuenit, nisi agenti cum cognitione, & prælectione, veluti artifici, qui operatur secundum exemplar, quod prius animo præconcepit. Hoc autem nullatenus conuenit formæ, cum forma sit natura, quæ agit absque cognitione, & electione.

Alex. concedit, re vera exemplum non conuenire formæ, neque formam posse propriè appellari exemplum, ob rationem nunc indicatam, sed Aristotelem eam hoc nomine vocasse, propter quandam similitudinem, quæ similitudo consistit in duobus. Primò, quòd sicut agens per cognitionem, & exemplar eo consilio agit, vt in re artefacta producat talem formam, quale erat exemplum, ita natura agit per formam, vt in re naturali producat talem formam, qualis est forma, per quam ipsum agens agit. Cuius rei euidens signum est, quod quemadmodum artefex producta in re artefacta forma simili suo exemplari, desistit ab actione, ita natura, edita in re naturali forma, cessat. Secundò, quia sicut agens per cognitionem tendit ad finem per determinata media, ita natura agit per determinata media, ordine suo ad hunc, aut illum finem. Hæc rationi consona, & ingeniosa sunt.

Nihilominus ego existimo, Aristotelem, dum XII.
cum forma nectit exemplum, omninò respicere Platonem, qui præter quatuor has causas, inuexit quintam, quæ esset exemplaris: Philosophus id negat: & exemplarem causam vult attinere ad genus causæ formalis, propterea hic exemplum iungit cum forma.

Digitized by Google

Poſtremò, paulo vberius explicandum eſt illud Stagiritæ exemplum, *vt ipſius diapaſon. duo ad vnum*. Ante omnia ſcito, διὰ πασῶν haud eſſe vnam vocem, ſed duas: διὰ, & πασῶν, & Latinis auribus ſonat, per omnes, & intelligitus χορδῶν, chordas, ſeu φωνῶν, voces. Quocirca diapaſon ſignificat, per omnes chordas, ſiue per omnes voces. Ob id communiter dicitur, quod diapaſon eſt concentus, ſiue Harmonia, quæ ſonos omnes complectitur.

XIII. Porrò, vt hanc materiam rectè intelligas, ex qua complura alia Stagiritæ loca comprehendes, lubent pauca quædam de harmonia, & conſonantia ſubijcere. Subijciam autem ipſiſſimis verbis eruditiſſimi Patris Ioſephi Blancani, ex opere, cui inſcriptio eſt, Ariſtotelis loca Mathematica &c. Ac primò quidem ad cap. 5. libri ſecundi Poſter. Conſonantia, inquit, à Muſicis definitur, quod ſit proportio ſoni grauis, & acuti, quæ ſuauiter auribus accidit, & quorum ſonorum proportio ſit, ſicuti proportio numerorum, qui quaternario concluditur, vt eſt proportio duorum ad vnum: vel trium ad vnum: vel quatuor ad vnum: vel trium ad duo: vel quatuor ad tria. Quotieſcunque igitur duo ſoni habuerint aliquam ex quinque prædictis proportionibus, ſi ſimul coaluerint, ita vt ex eis vnus tantum ſonus efficiatur, ſonus ille eſt concordans, & auribus gratus. Atque hæc eſt ſententia priſcorum, præſertim verò Pythagoreorum, qui propterea dicebant, non licere Muſico vltra quaternarium pertranſire: eo quod ſolæ proportiones, vt diximus, numerorum quaternario contentorum, concordem, & conſonantem concentum efficere poterent.

XIV. Vberius autem, ac particularius explicat idem auctor ad ſectionem 19. Problematum Ariſtotelis, quæ eſt de Muſica. Primò, inquit, ſciendum eſt, dupliciter nos poſſe conſiderare in voce, ſonoue varietatem. Prima eſt, qua eadem vox, aut ſonus modo maior, modo minor efficitur: vt quando eadem chorda leniè pulſata ſonum edit exiguum; vehementer verò percuſſa, maiorem emittit ſonum: Huiuſmodi vocem appellant Muſici continuam: Philoſophi forte eam vocarent vocis extenſionem. Secunda vocis differentia, aut varietas eſt, cum ab vna voce ad aliam tranſimus, vt cum a graui ad acutiorem aſcendimus; vel contra, ab acuta ad grauem deſcendimus: ita vt hæc ſit mutatio ab vna voce ad aliam. Hanc Harmonici diſcretam vocem dicunt: quam forte Philoſophi ex varia vocis intenſione prouenire inte diceriut. Hanc porrò diſcretam vocem, altera omiſſa, conſiderant Muſici. Qua ratione autem, & in quot, quaſue voces eam diuiſerint antiqui, paucis accipe.

XV. Cape duas cordas æneas, ex iis ſcilicet, quas in cytharis adhibere ſolent: nam quæ ex inteſtinis ouium fiunt, vt plurimum aut falſæ ſunt, aut aeris mutationi obnoxiæ: Sint hæ duæ chordæ æquales omninò, atque æquè intenſæ, ita vt ſint vniſonæ, hoc eſt, vna tantum vox ſit, quamuis duæ fides: oportet autem, vt ſint ſuper regula aliqua lignea oblonga, & perpolita collocatæ, quemadmodum ſuper manubrio alicuius muſici inſtrumenti. Hanc regulam Veteres appellant regulam harmonicam, vel etiam monochordum, quo inſtrumento omnes conſonantias, ac diſſonantias, atque etiam interualla muſica experiebantur. Altera iam ex illis diuidatur bifariam in E. Deinde, ſub puncto E. pone quem vulgò Tactum dicunt; Veteres autem hæmiſphærium, a figura denominabant: erat autem inſtar vnius Tecti mobilis: Suppoſito igitur in E. Tacto, preme ibi chordam, ita vt altera tantum ipſius medietas V. G. E D. tota pulſari, atque reſonare poſſit: Pulſa igitur chordam vtramque ſimul, ſcilicet totam A B. & dimidiam E D. ita vt ſimul reſonent, & audies ſuauiſſimam omnium conſonantiam, ex ſono totius A B. & ſono dimidiæ E D. conflatam. Hanc Veteres diapaſon, id eſt per omnes, ſubaudi, chordas, appellabant, quia in antiquorum muſicis inſtrumentis chordæ duæ omnium extremæ, id eſt, grauiſſima, & acutiſſima omnium fidium, conſonantiam hanc continebant, ita vt a grauiſſima omnium facto tranſitu per omnes chordas ad omnium ſupremam, & acutiſſimam, conſonantiam hanc ſuauiſſimam exaudirent. Appellatur etiam Dupla, ratione proportionis vnius vocis ad alteram: Vox enim chordæ A B. eſt duplo maior, aut grauior voce dimidiæ E D. quemadmodum enim corpora ſonantia ſe habent ad inuicem, ita ſe ſoni eorum: corda autem A B. dupla eſt chordæ E D. nunc eam vulgus Octauam appellat, eo quod a prima voce, eaque grauiſſima, quæ, Vt, dicitur, vſque ad eam vocem, quæ ei in conſonantia diapaſon reſpondet, ſunt hæ octo voces. Vt, Re, Mi, Fa, Sol, Re, Mi, Fa. Ex quibus prima, Vt, & vltima, Fa, quæ octaua eſt, conſonantiam diapaſon, aut Duplam, aut Octauam reddunt.

Rurſus eadem chorda C D, diuidatur in tres partes æquales in punctis F, G. F D igitur erit duæ tertiæ tam totius C D, quàm totius A B. Ponatur iam tactus in F, percutianturque ſimul A B. & F D; audietur conſonantia ſuauis admodum, & perfecta quidem, ſed non tamen, vt diapaſon. Hanc priſci Diapente dixerunt, id eſt per quinque, ſubaudi chordas, eò quod prima, & quinta chordæ, hanc conſonarent. ſecundum proportionem verò dicitur ſeſquialtera, quoniam chorda A B. ad chordam F D, eſt ſeſquialtera, & conſequenter etiam earum ſoni erunt in eadem ratione. Seſquialteræ autem proportio eſt, quando maior quantitas A B. continet minorem F D, ſemel, & adhuc dimidium ipſius. vulgò quinta, quæ ex prima voce, Vt, & quinta, Sol, conſtat.

Eadem iterum chorda in quatuor æquales partes ſecetur in punctis H, E, I, ita vt chorda H D. ſit tres quartæ totius A D facto deinde Tacto in H, pulſentur ſimul A B, H D, & audietur conſonantia quidem ſed duabus præcedentibus imperfectior. Hæc antiquitus Diateſſaron, id eſt per quatuor, ſubaudi chordas

das, aut voces, simili ratione, qua superiores dicta fuit. respectu autem proportionis chordarum, ac sonorum dicitur sesquitertia, quia maior A B, minorem H D, semel, & adhuc tertiam ipsius partem continet. vulgò nunc dicitur, quarta, quod inter primam vocem, Vt, & quartam, Fa, reperiatur. Iam verò si in eadem chorda C D, ponantur puncta H, & F, vt in praecedenti figura, & simul duæ chordæ H D, & F D, hoc est tres quartæ, & duæ tertiæ arithmeticis rationibus compararentur, reperiemus maiorem H D, ad minorem F D, proportionem habere sesquioctauam, & sonum maioris H D, ad minorem F D, eandem habebit rationem, hoc est, vt nouis vocabulis vtamur, inter Fa, & Sol, esse sesquioctauam proportionem; si autem simul hi duo soni exaudiantur dissonantiam auribus facient. Distantiam porrò hanc inter voces Fa, Sol, siue inter chordas H D, F D, siue inter duo interualla H D, F D, harmonici, quorum ratio esset sesquioctaua, Tonum appellarunt. Diuiserunt postea totam C D, in nouem partes æquales, quarum prima fit in puncto K, diuisa, ita vt tota C D, ad reliquam K D, quæ continet octo partes ex illis, habeat rationem sesquioctauam, hoc pariter interuallum Toni erit, cuius primum sonum, idest totius C D, nunc dicunt, Vt, secundū verò sonum reliquę chordę K D, dicunt, Re. Reliquam postea K D, similiter in nouem partes diuiserunt, cuius prima pars sit in puncto L, notata, & eadem ratione inter chordam K D, & chordam L D, earumque sonos erit sesquioctaua proportio. Sonum chordæ L D, nunc appellant, Mi. Interuallum verò, quod inter chordam L D, & chordam H D, remanet, non habet proportionem sesquioctauam, sed dimidio ferè minorem, & propterea huiusmodi interuallum semitonium, & etiam diesis, siue diuisio, appellatur. Interuallum verò illud, quod inter puncta F, & E, remanet, diuiserunt eodem modo, quo diuisum fuit spatium inter C, & H. & reperierunt easdem iterum voces. Sint diuisiones illæ punctis M, & N, notatæ, & pariter hic etiam inter N, & E, siue inter mi, & Fa, est alterum semitonium. Sunt igitur hæ octo voces, Vt, Re, Mi, Fa, Sol, Re, Mi, Fa, quæ totam Diapason cōponunt, vt enim supra dictum est, inter Vt, & Fa, vltimum, est consonantia diapason, siue dicamus inter chordam C D, vel A B, & chordam E D. Ex interuallis autem, quæ sunt inter voces, duo sunt semitonia, scilicet vnum inter Mi, & Fa, notatum literis L, H. & alterum inter vltimū, Mi, & Fa, signatum notis N, E. reliqua quinque interualla sunt integri toni. Aduertendum præterea est, ab Vt, vsque ad primum Sol, esse consonantiam Diapente, quæ continet tria interualla tonica, & vnum semitoniū, in quibus tamen sunt quinque voces, Vt, Re, Mi, Fa, Sol.

Notandum etiam, quod à Sol, vsque ad vltimum Fa, sunt quatuor voces, Sol, Re, Mi, Fa, quę omninò similes sunt primis quatuor, Vt, Re, Mi, Fa. hæ tamē sunt grauiores, illæ verò acutiores, & quemadmodum ab Vt, ad primum Fa, est Diatessaron, ita etiam à Sol, vsque ad vltimum Fa, est altera Diatessaron. Ex quibus vltimò notandum sequitur duas consonantias Diatessaron, & Diapente totam constituere Diapason, siue Diapason diuidi in vnam Diatessaron, & vnam Diapente. Nam ab Vt, ad Sol, est Diapente; à Sol verò in Fa, postremum est Diatessaron. quod etiam aliter constabit, si dicamus, ab Vt, ad primum Fa, esse Diatessaron, vt patet ex chordæ diuisione ex Fa, autem primò ad vltimum Fa, esse Diapente: vt manifestum est ex quatuor ipsius interuallis, quorum tria sunt Toni, reliquum verò semitonium, quæ etiam erant in altera Diapente inter Vt, & Sol, contenta.

Nunc rursus fiat Tactus in I, est autem I D, quarta pars totius C D, percutiantur simul A B, & I D; edeturque suauissima consonantia Disdiapason appellata, propterea quod ex duabus Diapason constet; quarum prima est inter A B, siue C D, & E D: secunda verò inter ipsam E D, & I D. harum enim proportio dupla est, sicuti illarum. proportio huius est quadrupla, vt ex diuisione constat; vulgò dicitur decimaquinta, quia à primo Vt, vsque ad hanc vocem, quæ etiam Fa, nominatur, essent quindecim voces, si interuallum E I, eo modo diuideretur, quo diuisum est primum C E.

Postremò, sit G D, tertia pars totius C D, fiatque in G, tactus, pulsentur simul A B, G D. audietur suauis consonantia, quæ Diapasondiapente nominatur, quod constet ex vna Diapason contenta interuallo C E, siue duabus chordis C D, E D, & vna Diapente contenta interuallo E G, siue chordis E D, G D; nam chorda E D, ad chordam G D, sesquialtera est, quæ proportio naturam ipsius diapente constituit. Huius consonantiæ proportio est tripla: est enim chorda A B, vel C D, tripla ipsius G D. vulgò dicitur duodecima, eò quod inter Vt, & Sol, notatum litera G, sint duodecim voces, si interuallum E O, suas recipiat diuisiones. Ex quibus omnibus manifestum est auris experimento, esse omninò quinque consonantias, tres simplices Diapason, Diapente, Diatessaron, duas verò compositas, Disdiapason, & Diapasondiapente.

Illud postremò loco non ignorandum, aliter has voces Vt, Re, &c. veteres illos Græcos denominasse, nam primam, idest grauissimam vocem, siue chordam, quam modò Vt, dicunt, eam ipsi Hypaten vocarunt, & reliquas ordine sequenti.

Vt,	Hypate	idest	Principalis.
Re,	Parhypate		Postprincipalis.
Mi,	Lychanos		Index.
Fa,	Mese		Media.
Sol,	Paramese		Postmedia.
Re,	Trite		Tertia.
Mi,	Paranete		Antepenultima.
Fa,	Nete		Vltima, vel suprema.

His paucis ex magno Musicæ Campo decerptis &c. Hæc Blancanus. Quæ, etsi pluscula, ea scribere volui, quia ex his plurima Aristotelis loca intelliguntur, & illud Blancani opus non ita præsto cuique suppetit sed iam ad Arist. reuertor.

TEX-

TEXTVS XXIX.



Amplius, vnde principium mutationis primum, aut quietis; vt consultor causa, & pater filij, & omninò faciens facti, & mutans mutati. Præterea, vt finis; hic autem est id, cuius gratia, vt ambulandi sanitas propter quid enim ambulat? dicimus, vt sanus sit; & ita locuti opinamur assignasse causam: & quæcunque iam mouente alio, intermedia fiunt, ipsius finis: vt sanitatis macies, aut purgatio, aut medicamenta, aut organa. Omnia namque hæc finis gratia sunt: differunt tamen ab inuicem, quia alia quidem sunt opera, alia verò organa.

I. Enucleatis in tex. præced. internis rerum naturalium causis, materialem, & formalem; declarat nunc reliquas duas, quæ sunt externæ, efficiens, & finis. Et quidem causam effectricem definit esse, *vnde est principium mutationis primum, aut quietis.*

Ante omnia caue, sic prima definitionis verba accipias, vt nonnulli putidè capiunt, quasi causa efficiens sit illud, vnde, siue ea quo procedit primum principium mutationis, aut quietis. Quo intellectu non ipsum efficiens esset primum principium mutationis, aut quietis, sed aliquid aliud ante ipsum. Quod sanè vel cogitare absurdum est. Quid enim illud esset? Sensus itaq; est, quod efficiens est ipsum primum principium, ea quo proficiscitur mutatio, aut quies. Sic explicat idem Philosophus sexcentis in locis. Primo Metaph. cap 3. cum dixisset, qua vnquam via Veteres potuerint deuenire in cognitionem causæ efficientis, subdit de ea causa, *hoc autem perinde est, atque id quod nos vnde principium motus dicimus.* In quinto eiusdem operis lib cap. 2. post datam eius causæ definitionem, adijcit discrimen inter materiam; & efficiens, *& hoc quidem vt materia, illud verò, vt vnde motus.* Et rursus, cum dixisset, exercitium esse causam bonæ habitudinis, & è contra, bonam habitudinem esse causam exercitij, quod etiam habet in hoc secundo lib tex. 30. apponit differentiam inter efficiens, & finem, *non tamen eodem modo, sed hoc quidem vt finis, illud verò vt principium motus.* Ex quibus vides idem esse, dicere, causam efficientem esse id vnde est primum principium mutationis, ac, dicere, ipsam esse primum principium mutationis.

Præterea, vox illa, *primum*, non est aduerbium, vt non nulli putant, quocirca etiam legunt, *vnde principium primò mutationis*, sed est adiectiu. ipsius *principij*: id quod conuincit lectio græca. ὅθεν ἡ ἀρχὴ ἡ πρώτη.

Dicitur autem hæc causa esse ea, a qua est principium motus, vt idem Philosophus sæpe alibi loquitur, vel vt hic ait, mutationis. Primò, quia id quod immediatè videtur a causa efficiente oriri, est motus, ac mutatio. Secundò, efficiens proprium, ac physicum, cuiusmodi hoc loco definitur, nihil efficit, nisi per motum, & mutationem. Tertiò, quia aut motus, & mutatio incipit a materia, & hoc dici nequit, cum hæc suapte natura sit potentia, ideoque egeat, a quo reducatur ad actum. Aut incipit à forma, & hoc etiam affirmari nequit, quia forma est quidem ratio operandi, at non est ea, quæ operatur. Aut incipit à fine; at finis non mouet effectiuè, sed finaliter. relinquitur itaque, vt sola causa effectiua sit illa, vnde est principium motus, &c.

Sequitur, principium, *mutationis*. Sæpe alibi Arist. hanc eandem causam ait esse id, vnde principium *motus*: cæterùm enim in præsenti ea constituto hanc causam explicet, vt amplecteretur omne omninò efficiens, & omne quocunque pacto primum transmutans, (motus enim angustius quippiam est, quàm mutatio, quemadmodum didicimus ea principio lib. quinti) siue hoc efficiens sit naturale, atque agat per motum propriè dictum, siue sit naturale, & agat per mutationem, vt generans, siue sit ex arte, vt faber, siue denique violentum; vt, inquam, hæc omnia complecteretur, maluit mutationis, quàm motus nomine vti. Addit, *aut quietis*. Perpende, quod Arist. non ait, copulatiuè; (& quietis:) vnde ineptè nonnulli contendunt Aristotelem hic respicere definitionem naturæ, quæ est principium *motus, & quietis*. sed disiunctiuè ait, *aut quietis*. & accipitur quies pro vt opponitur cuicunque mutationi. Sic autem loquitur, *mutationis, aut quietis*, quia hæc duo, motus, & quies, reducuntur in eandem causam. Ea eadem enim causa, ea qua aliquid naturaliter mouetur ad locum, quiescit etiam naturaliter in loco, Ita ea eadem causa aliquid artificiale habet moueri, & quiescere,

III. Addit, *primum*, vt excludat efficientia secundaria, & instrumentaria, quæ iidem sunt principia motus, & mutationis, at non prima. Quam quidem differentiam Arist. indicat in suis exemplis: Non enim ait, causam efficientem esse eum, qui facit, sed consultorem; neque causam filij esse semen, sed Patrem, quia isti sunt primi. Et quia hæc exempla sunt particularia, subiungit, vniuersè, sic in omnibus esse dicendum, quod *faciens* est causa effectiua *facti, & mutans mutati*.

IV. *Præterea vt finis: hic autem &c.* Apponit quartum causæ genus, id est causam finalem, quam ait esse, *id cuius gratia* aliquid fit, *vt deambulandi sanitas*. At quia primo aspectu, cum sanitas subsequatur deambulationem, videtur potius eius effectus, quam causa, ideò probat ea communi loquendi vsu. Quandoquidem illa censetur causa, per

quam

quam respondemus ad quæstionem propter quid, & qua habita, cessat quæstio excitata: Si autem quispiam quærat, propter quid hic deambulat? aptissimè respondebis per finem, videl. vt sanus fit. Qua quidem responsione accepta, tum quærens, tum respondens putant satis esse factum. & cum *ita dixerimus, opinamur assignasse causam.*

V. Sequitur, καὶ ὅσα δὴ κινήσαντος ἄλλου, μεταξὺ γίνεται τοῦ τέλους. turbatè leguntur in latin. codic. *& quæcunque iam mouente alio, intermedia fiunt ipsius finis.* Sic verte, & quæcunque, cum iam alius, id est, finis mouerit, (κινήσαντος enim est tempus præteritum) fiunt inter ipsum finem. id est, & illa omnia censenda sunt fines, quæcunque fiunt inter finem, qui iam mouit, & subsequentia. Sunt, inquam, fines intermedij: & propter istos immediatè assumuntur alia media, atque hæc omnia diriguntur ad illum finem, qui iam mouit.

Subdit exemplum. *vt sanitatis macies, aut purgatio, aut medicamenta, aut organa: omnia namque hæc finis gratia fiunt.*

Vltima hæc verba luculenter commonstrant, quam nos dedimus, expositionem, quicquid Simplic. Philosopon, Zab. & alij dicant. Accipe exemplum clarissimum, Sanitas intenditur seu vltimus finis: vt eam consequamur, indicatur ἰσχνασία, extenuatio: Porrò vt extenuemus, indicatur purgatio: demum vt purgemus, indicantur medicamenta, aut sanguinis missio, hæc enim significant hoc loco *organa*. Vides, vt sanitas est finis præcipuus, ac primùm mouit? extenuatio verò est quidem medium ad illam sanitatem consequendam, aut conseruandam: fit tamen finis respectu purgationis, & subsequentium. Eodem modo purgatio est medium collata ad priora: fit autem finis respectu medicamenti, & sanguinis emittendi. Enimuerò si interrogemur, cur exhibemus pharmacum, aut secamus venam? illico & immediatè respondebimus, vt corpus extenuemus. Et cur extenuamus? propter sanitatem. Explicat vlterius Arist. quod hæc inter ita *differunt ab inuicem, quia alia quidem sunt opera*, siue operationes, vt purgatio: *alia verò organa*, vt ferrum, quo scinditur vena.

Demum concludit, *Causæ igitur tot ferè modis*

VI. *dicuntur*. Addit *fere*, non propter causas per accidens, Casum, & fortunam, quas postea declarabit, vt exponit Simplic. S. Thom. & complures alii, quia quamuis Casus, & fortuna sint causæ per accidens, non tamen constituunt diuersas causas a quatuor iam recensitis, cum reducantur ad genus causæ efficientis, vt infra patebit. Neque dicit *fere*, propter cautelam philosophicam, quæ est altera Simplicij expositio. Sic enim vbique deberet huiusce modi notam appendere: Sed addit ferè propter Platonem, qui posuit, ideas esse causas exemplares; de quibus hoc loco disserendum non est.

TEXTVS XXX.



Ccidit autem, cum multipliciter dicantur causæ, & multas eiusdem causas esse, non secundum accidens, vt ars statuaria, & æs, non secundum alterum quid, sed quatenus est statua: sed non eodem modo, sed hoc quidem vt materia, illud autem, vt vnde est motus. Sunt autem quædam, & ad inuicem causæ, vt laborare est causa bonæ habitudinis, & hæc laborandi: sed non eodem modo; sed hæc quidem, vt finis, illud autem, vt principium motus. Amplius autem eadem causa contrariorum est: quod enim præsens causa huius est, hoc, & absens facimus aliquando causam contrarij, vt absentiam gubernatoris Nauis submersionis, cuius erat præsentia causa salutis.

Constitutis quatuor causarum generibus, obseruat in hoc, & sequent. contex. nonnulla, quæ circa eas solent obuenire, dum referuntur aut ad effectus, aut ad se ipsas: & in præsenti tex. tria docet.

Primum est, quod cum multæ sint causæ, *accidit, & multas eiusdem, causas esse, non secundum* I.
accidens. Necessitas huius effati in aperto est. Primò, quia posset quispiam credere, vnius rei vnam duntaxat esse causam per se, reliquas verò, quot quot adessent, esse solum per accidens: Ea suffultus ratione, quia vnum ex vno videtur oriri. Secundò, quia cum Philosophus naturalis debeat in rebus naturalibus considerare omnia quatuor genera causarum, omninò tenetur explicare, an in vna, atque eadem re sit vnum tantum causæ genus, an plura? Porrò esse multas causas proximas, (de his enim est sermo) & per se, vnius, atque eiusdem effectus, gemino modo intelligi potest. Vno quidem, vt sint plures causæ proximæ, & per se eiusdem generis, veluti duæ causæ materiales, aut formales: Quod sanè fieri impossibile est. Altero modo, vt sint plures causæ proximæ, & per se in diuerso genere causæ: Et hoc affirmat Arist. & apparet in eius exemplo de statua, cuius causa materialis quidem est æs, efficiens autem est ars statuaria, & vtraque suo iure est proxima, ac per se: Imò verò in vna, atque eadem re accipimus omnes quatuor causas. Arist. autem duas duntaxat recensuit, tum quia, si queunt esse duæ, haud repugnat esse omnes: Tum quia, cum materia intelligitur coniuncta forma, & cum efficiente finis.

Secundum præceptum est, quod *quædam causæ* II.
sunt

Digitized by Google

sunt ad inuicem causæ. sunt sibi mutuo causæ Subdit exemplum ex bona corporis habitudine, & exercitij eiusdem. Quippe exercitium est causa probæ habitudinis effectiua: Proba autem ac bona corporis habitudo, siue acquirenda, seu conseruanda, est causa finalis illiusmet exercitij. Oculatè ait; *quædam causæ*, quia non omnes causæ possunt esse sibi inuicem causæ, Non enim V. G. efficiens, & materia fuerint sibi mutuo causa. De materia, & forma affirmant aliqui cum Auerr. inficiantur alij, vt Zab. Quid verò? neque inter omne efficiens, & finem est illa reciprocatio; sed solum inter efficiens secundarium, quod fit propriè propter hunc finem: Id quod vel ex eo liquet, quia homo laborans est causa efficiens bonæ habitudinis; & nihilominus bona habitudo non est finis eius hominis laborantis: imò potius ipse est finis cui (vt dicimus) bonæ habitudinis; quærit namque bonam habitudinem sibi.

III. Tertium præceptum est, quod *eadem causa contrariorum est*. Eadem causa potest esse causa duorum effectuum contrariorum, sed diuersa, & opposito modo disposita, quia nimirum alterum quidem illorum facit operando, & per se: Alterum autem facit non operando, & per accidens. Quod vides in igne, qui præsens in cubiculo, & operando excitat calorem; absens autem, & non operando facit frigus. Et in Sole accedente, aut recedente à nobis, vt explicatur in secundo de ort. & inter cap. vlt. Auctor adhibet hic exemplum de nauta, cuius præsentia existit causa salutis Nauis: & absentia est iisdem causa submersionis eiusdem Nauis.

Quod etiam confirmat ex communi loquendi modo, quippe si aliquando quæramus, cur Nauis submersa sit? dicimus, quia gubernator Nauis, qui tenebatur adesse, & qui sua præsentia Nauim saluabat, abfuit.

TEXTVS XXXI.



Mnes autem nunc dictæ causæ in quatuor cadunt modos manifestissimos. Elementa enim syllabarum, & materia factibilium, & ignis, & huiusmodi corporũ, & partes totius, & suppositiones conclusionis, vt id, ex quo causæ sunt. Harum autem aliæ quidem sunt, vt subiectum, vt partes: aliæ autem, vt quod quid erat esse, vt totum, & compositio, & species. Semen autem, & medicus, & consultor, & omninò ipsum faciens, omnia sunt, vnde principium mutationis, aut status, aut motus. Aliæ autem, vt finis, & bonum aliorum: id enim cuius gratia, optimum, & finis aliorum vult esse: differt autem nihil idem dicere bonum, vel apparens bonum.

Enucleauit tum quatuor causarum classes: tum quo illæ pacto inuicem, & ad effectus complicantur. Ast quoniam in vnaquaque causæ classe, variæ, multiplicesque suppetunt causandi conditiones, posset quispiam opinari, vnamquamque illarum conditionum, vnum causæ genus constituere, Vnde longè plures causæ per se, quàm quatuor emergent, ob id in præsenti contex. hunc eximit scrupulum; ostenditque quascunque causandi conditiones, ac modos omninò ad quatuor præfatas causas reuocari. I.

Progreditur autem eo ordine, quo superius quoque visus est. Primò recenset varios modos causæ materialis, ex qua inexistente componitur aliquid. Itaque quædam, inquit, componunt aliquod tertium per solam sui iuxtapositionem, *vt elementa*, litteraria syllabam. Quædam verò componunt, vt subiectum, ex quo fit aliquid, quod tamen solum alteratur accidentaliter, siue extrinsecè, veluti lignum, aut æs in artefactis, & talis est *materia factibilium*. Quædam autem componunt, ita, vt substantialiter alterentur, non tamen dicantur corrumpi, quia remanent eorum virtutes; sic quatuor elementa componunt mixta, quæ indicat Arist. illis verbis, *& ignis, & huiusmodi*, id est corpora simplicia *corporum*. Præterea, est quædam compositio, dum partes vniuntur in vno termino communi, *& partes totius*, inquit Auctor. Nonnulla denique ita componunt, vt ex ijs dispositis consequatur quædam forma cuiusdam compositi; ita præmissæ componunt syllogismum, *& suppositiones conclusionem*. Cuncti hi causandi modi spectant ad causam II.

Digitized by Google

ſam materialem, & vt Stagirites loquitur, ſunt cauſæ, vt id ex quo.

III. Sequitur, *Harum autem alia quidem ſunt, vt ſubiectum, vt partes: alia autem vt quod quid erat eſſe &c.* quæ verba vehementer turbauerunt interpretes. Nam hucuſque Ariſt. locutus eſt de ſola cauſa materiali, & de ea induxit exempla, & intulit etiam concluſionem, *omnes ſunt cauſa, vt id ex quo*: Nunc autem videtur eam cauſam diuidere, in materialem, & formalem.

Hinc variæ exortæ ſunt expoſitiones, quemadmodum apud Simplic. & Philopon. videre licet: Multi recentiorum accipiunt interpretationem eiuſdem Simplicij, quæ eſt, quod Ariſt. in exemplis nuper inductis, non modo cauſam materialem, ſed formalem etiam nominarat; dum enim dixit, elementa grammatica eſſe materiam ſyllabarum, & partes eſſe materiam totius, & ſuppoſitiones concluſionis, poſuit ſyllabas, totum, concluſionem, quæ ſunt formæ: Propterea nunc diſtinguit, quod iſtarum duarum alia quidem eſt, vt ſubiectum: alia verò eſt ipſa quiditas rei. Quæ quidem expoſitio, præ cæteris, quæ ab alijs adducuntur, ferri poteſt. Nihilominus.

IV. Ego alio pacto exiſtimo. Ante omnia, latina lectio corrupta eſt. Primò falſum eſt, diuiſionem, quæ expreſsè ab Ariſt. fit, *Harum autem alia quidem vt ſubiectum, vt partes: alia autem vt ipſum quod quid erat eſſe*, referri ad cauſam materialem, & formalem, ſicut Simplic. & alij opinantur, (præter quam quod valdè exilis, & extorta eſt illa formæ nominatio) ſed refertur ad principium textus, id eſt ad *cauſas*, vt nunc audies. Deinde, illæ voces, *alia quidem, vt ſubiectum, alia autem &c.* non ſunt generis fœmin. num. ſingul. vt poſſint vna quidem materiæ, altera verò formæ aptari. Nam græcè ſunt τὰ μὲν, τὰ δὲ. Quocirca ſtupeo, quod Simplic. & Philopon. viri Græci ad hæc ita torpeant.

V. Accipe itaque græca verba. Principium tex. eſt, ἅπαντα δὲ τὰ νῦν εἰρημένα αἴτια, omnia ſunt generis neutr. Latinus interpres, mutato genere, vertit, *omnes autem nunc dictæ cauſæ* (rectè) *in quatuor cadunt modos manifeſtiſſimos*. Deinde, ſequentia verba vſque ad illa excluſiuè, τούτων δὲ τὰ μὲν, *Harum autem* &c. lego per parentheſim, quemadmodum legit etiam Codex Pariſienſis. Quare τούτων, refero ad principiũ textus: & necto cum illo ἅπαντα τὰ εἰρημένα αἴτια; ſic in latina verſione illud *Harum autem*, necto cum cauſis, initio textus poſitis. (vnde conuenienter Argyropol. vertit initium tex. *vniuerſę nunc dictæ cauſæ*: poſtea τούτων vertit, *horum*) Itaque Ariſt. cum ait *Harum autem alia quidem*, &c. diuidit non cauſam materialem, & formalem, ſed omnes cauſas in principio textus indicatas, & ſenſus eſt clarus, quod τούτων, videl. τῶν νῦν εἰρημένων αἰτίων, τὰ μὲν ἐστιν ὡς τὸ ὑποκείμενον, οἷον τὰ μέρη, τὰ δὲ ὡς τὸ τί ἦν εἶναι. Et in latina verſione dic. Harum autem, id eſt omnium nunc dictarum cauſarum, aliæ quidem, (hic eſt error, dum dicitur alia,) ſunt tanquam ſubiectum, vt partes, alię autem, vt ipſum quod quid erat eſſe. Vbi vides, recenſeri ex ordine, primò cauſam materialem, quam per parentheſim illuſtrat exemplis: Deinde ponit formam, poſtea efficientem, & finem.

Explicata itaque cauſa materiali, ſubiungit formalem, quod ſit quidditas rei, *vt totum, & compoſitio, & ſpecies*, ſeu forma. Rectè aliqui aduotant, quod totum alio modo ſignificat compoſitum, alio autem formam. Totum vnà cum partibus acceptum ſignificat compoſitum: Totum autem comparatum ad partes diuiſim, aut ſingillatim acceptas, ſignificat formam: quia illa totalitas, & perfectio, quæ partibus ita acceptis non conuenit, appellatur forma. Præterea, totum, quod hoc loco ponitur, vt forma, reſpicit partes, quæ vt materia conſtitutæ ſunt: compoſitio autem reſpicit ſuppoſitiones, & ſi vis etiam litteras, ex quibus componuntur ſyllabæ, & ſyllogiſmi: Species denique, & forma reſpicit ignem, & huiuſmodi ſimplicia corpora, ex quibus efficitur compoſitio ſubſtantialis. Acſi igitur dicat Ariſt. quod quãuis hæc videantur varia, tamen omnia ſunt cauſa formalis, quia omnia ſunt ipſum quod quid erat eſſe. VI.

Tranſit ad tertium genus cauſæ, id eſt efficientis, & ait, *ſemen autem, & medicus, & conſultor, & omninò ipſum faciens, omnia ſunt, vnde principium mutationis; aut ſtatus, aut motus*. Eodem pacto varij ſunt efficientium modi: ſiquidem aliud quidem efficiens eſt, quod facit, non tangendo phyſice opus, quemadmodum conſultor facit bellum, nec tamen ſe ſe bello immiſcet, neque vlla contractat arma: Aliud efficit quidem attingendo opus, ſed non ſe illi commiſcet, ſed exiſtens extra, operatur, veluti medicus, qui facit ſanitatem, exhibendo pharmacum: Aliud eſt efficiens, quod facit tangendo, ſeq; intimè commiſcet operi, ita facit ſemen, quod ſimpliciter commiſcetur ſanguini menſtruo, & ſic facit fœtum. Hæc tria exempla ponit Ariſt. VII.

Quamuis itaque hæc videantur varia, nihilominus omnia ſunt in vno genere cauſæ efficientis, cum omnia ſint, vnde principium mutationis, aut ſtatus, aut motus. Et quia varia indicauit efficientia, multiplicauit etiam *mutationem, ſtatum, & motum*.

Adijcit demum quartum cauſæ genus, id eſt finalis. *Alia autem vt finis*. quem vocat bonum aliorum, videl. mediorum, quæ propter illum accipiuntur: Et hoc probat, quia id cuius gratia aliquid fit, eſt optimum. Profectò quicquid agitur, gratia alicuius boni agitur. Cæterùm quia bonum, propter quod agimus, poteſt eſſe tum verum, veluti eſt virtus, tum apparens, vt cum quiſpiam concipit aliquid ceu bonum, quod ſuapte natura non eſt bonũ, ideò monet in calce tex. quod *differt nihil, idem dicere bonum, vel apparens bonum*.

Digitized by Google

Adnotationes circa tex. 29. 30. & 31.

VIII. 

De tota materia causarum plurima habes in fine huius capitis, in quæstionibus, nunc circa præfatos contex. pauca hæc, ac necessaria habe. Ac primò quidem Arist. in tex. 29. & in 31. apertè videtur varius, atque inconstans. Nam in illo tex. definit efficiens, esse id, *vnde principium mutationis primum. aut quietis*. In hoc autem tex. ait, esse, *vnde principium mutationis, aut status, aut motus*. Ibi apposuit, *primum*: hic non item. Ibi solum dixit *mutationis*: hic addit, *aut motus*. Ibi dixit, *quietis*: hic *status*.

Respond. Aristotelem non temerè, sed ex arte ita esse locutum. Primùm, in tex. 29. definiens efficiens proprium, & principale; debuit apponere *primum*. In tex. autem 31. explicat efficiens, vt complectitur omnia efficientia, qualiacunque illa sint, siue principalia, siue instrumentaria, vt liquet ex eius verbis; cum enim induxisset consultorem, & medicum, subdit, & *omninò ipsum efficiens*. Quocirca haud debuit annectere *primum*. Præterea, in tex. 29. nomine mutationis amplexatus est etiam motum, vt eo loci dixi, quia ibi definit efficiens strictè acceptum: & in definitionibus nihil est ponendum, quod non sit necessarium: Hic autem, cum retulisset variæ conditionis agentia, merito extendit, & veluti explicat illam definitionem; quia nonnulla agentia efficiunt mutationem, vt generans, & corrumpens: generatio enim & corruptio sunt mutationes, at non sunt motus: alia verò efficiunt motum propriè dictum. Demum quod in tex. 29. dixit, *quietis*, id hoc loco dicit *status*. Quid si hoc loco ponit *statum*, velut aliquid communius? Monuit enim Simplic. comment. 92. huius lib. quod *status omnis non est quies, sed ille tantum, qui est post motum*.

IX. Dubitatur 2. quia in tex. 30 ait, partes esse materiam totius: & totum esse formam. Oppositum huius visus est docuisse in tex. 28. quo loci asseuerabat, vtramque definitionis partem in definitione esse formam: est, inquit, forma ratio ipsius quod quid erat esse, vt ipsius diapason duo ad vnum, & numerus, *& partes, quæ in ratione*.

Torquentur hic validè quicunque verba illa tex. 28. ita interpretati sunt, quod vtraque definitionis pars sit in ea forma: Et dicunt, quod supra locutus est Arist. de partibus speciei, quæ cadunt in definitione totius: Hic autem loquitur de partibus materiæ, in quarum definitione cadit totum, sicut circulus cadit in definitione semicirculi. Respondent 2. quod licet partes speciei, quæ ponuntur in definitione, comparentur ad suppositum naturæ per modum causæ formalis, tamen ad ipsam naturam, cuius sunt partes, comparantur, vt materia. Nam omnes partes comparantur ad totum, vt imperfectum ad perfectum: quæ quidem est comparatio materiæ ad formam. Ita S. Thom. & cum eo plurimi alij.

Cæterùm nos alio pacto interpretati sumus verba illa tex. 28. quod vna definitionis pars subit rationem materiæ: altera verò collata ad illam est forma: Vtraque tamen comparata ad totam definitionem, censentur materia, vt in tex. 31. asseritur: propterea nulla hic premimur difficultate.

Dubitatur 3. In eodem tex. 31. ait Arist. suppositiones, id est propositiones, esse materiam conclusionis. Quod videtur falsum, tum quia materia manet in eo, cuius est materia, quemadmodum in illo ipso tex. 28. fuit dictum. Propositiones autem non manent in conclusione; cum conclusio sit aliquid aliud, atque diuersum a propositionibus, sicut ex ipsa syllogismi definitione liquet in primo Prior. cap. 1. Tum quia propositiones, ac præmissæ sunt causa effectiua conclusionis: dicitur namq; in primo Poster, tex. 9. quod præmissæ debent esse veræ, primæ, immediatę, *& causæ conclusionis*. X.

Respond. quod propositiones alio, atque alio modo spectatæ, sunt materia totius syllogismi; tum materia conclusionis: tum causa effectiua conclusionis. Primo enim quatenus absolutè concurrunt, vt ex ijs conficiatur aliquod artificiale, id est totus syllogismus, sunt materia ipsius syllogismi. Quatenus autem habent rationem extremorum, nempe maioris, ac minoris extremitatis, vt ex ijs sequatur talis conclusio, sunt materia conclusionis, quia conclusio constat ex illis duobus extremis, sed cum noua prædicatione, quæ obtinet locum formæ. Quatenus denique propositiones habent vim, ac rationem medij termini, ita dispositi sunt causa efficiens illationis conclusionis. De qua re vide Zab. in lib. Poster.

TEX.

TEXTVS XXXII.



Odi autem causarum numero quidem sunt multi, in capita verò contracti, & hi pauciores: dicuntur enim causæ multipliciter, & ipsarum, quæ simillium specierum sunt, prior, & posterior alia, vt sanitate medicus, & artifex; & ipso diapason duplum, & numerus; & semper quæ continent ad singulares.

I. Patefecit in tex. proximè antegresso, qua ratione varij causandi modi, qui videbantur multiplicare quatuor causarum genera, redigantur ad illa ipsa quatuor genera; ita vt aliæ causandi differentiæ cadant ad vnum, aliæ ad aliud causæ genus: Nunc ostendit, quomodo varij iidem causandi modi, qui numero sunt quàm plurimi, coerceantur in vno, atque eodem genere causæ. Refert autem duodecim modos, qui in vno, eodemque causæ genere, V. G. in causa effectrice possunt reperiri. Ac primo quidem refert ab hoc tex. vsque ad tex. 35. tria modorum paria, quod aliæ causæ sint priores, aliæ posteriores: Aliæ per se, aliæ per accidens: Et denique aliæ actu, aliæ potentia: Postea in tex. 36. constituit, has omnes causas posse duplicari, vt sint vel simplices, vel complexæ: vnde emergunt duodecim aut causæ, aut modi causandi.

II. In hoc tex. 32. proponit suum intentum: & primam differentiam. Modi, inquit, causarum numero quidē sunt quamplurimi: qui tamen omnes in certa aliqua capita contracti, efficiuntur pauci. Porro hosce modos numero quidem esse quamplurimos, probat, quia causæ *etiam consimilium specierum*, quæ nimirum sunt viuus, & eiusdem generis, *dicuntur multipliciter*.

III. Postea adijcit primam differentiam, quod causa *alia est prior*, *alia est posterior*. Adhibet duo exempla: Vnum in causa efficiente, alterum in formali. *vt sanitate*, (lege *sanitatis*, græcè est ὑγιείας, *medicus*, *& artifex*. Efficit sanitatem tum medicus, tum artifex: Medicus quidem est causa efficiens proxima: artifex verò est causa iisdem efficiens eiusdem sanitatis, sed remotior, cum artifex sit quasi genus ad medicum.

Eodem pacto, *in ipso diapason duplum*, *& numerus*, in causa formali. Nam forma consonantiæ, appellatæ diapason, forma, inquam, propinqua est proportio dupla, quæ est duorum ad vnum: Forma autem remotior est numerus, qui etiam est quædam proportio multorum per vnum. Ita in reliquis causarum generibus, veluti in statua, proxima quidem materia est æs, communior verò est metallum, quemadmodum exposuimus etiam in tex. 28. in quo Stagirites decreuit, genera superiora pertinere ad idem genus causæ, ad quod pertinet & species.

Addit, *& semper quæ continent ad singulares*. Quod de causa propinqua, & remotiore dixi, nunc explicat vniuersè, quod causarum semper alia est vniuersalis, hæc enim dicitur continere: alia singularis.

Lis vertitur inter expositores, quod cum causa in eodem genere alia sit proprinqua, alia remotior, vt in exemplo de medico, & artifice fuit dictum, quænam istarum dicatur ab Stagirite prior, & quæ posterior? dum ait, quod *alia est prior*, *alia posterior*. IV.

Auerr. & S. Thom. arbitrantur, causam remotiorem, & vniuersalem nuncupari priorem, causam verò propinquam, & singularem appellari posteriorem Quia quod est vniuersalius, id porrò dicitur etiam prius, & continens eius, quod est particulare, quemadmodum in Postprædic. cap. de Priori asseritur. Altera verò ex parte Simplic. tuetur, priorem causam hic dici causam propinquam, & particularem, posteriorem verò esse causam remotiorem, & vniuersalem. Quam quidem interpretationem existimo germanam, quia prima causa in hac tractatione est causa proxima, propria, & adæquata, vt adnotaui in tex. 1. lib. primi, & in tex. 27. huius lib. quæ ab Arist. in tex. 33. dicta est causa summa. Quo fit, vt etiam causa prior, sit magis propinqua: Sic medicus erit prior causa sanitatis, artifex verò posterior,

TEXTVS XXXIII.



Mplius autem vt accidens, & horum genera; vt statuæ aliter Polycletus, & aliter statuarius: quoniam accidit statuario Polycletum esse; & continentes accidens, vt si homo causa sit statuæ, aut omninò animal. Sunt autem accidentium, aliæ alijs remotius, & proprinquius, vt si albus, vel musicus causa dicantur statuæ.

Annectit secundam differentiam, quæ causæ possint in eodem causæ genere discriminari, *amplius*, *vt accidens*, quod alia sit causa per se, I.
alia per accidens. V. G. in genere causæ effectricis causa per se statuæ est statuarius, causa verò

per accidens eſt Polycletus, aut Phidias, quippe accidit Statuario eſſe an Polycletum, an Phidiam. Quam quidem differentiam indicat Ariſt. quando ait, *vt accidens*, vbi intelligitur alterum diuiſionis membrum oppoſitum; nempe, vt per ſe. Et explicat vtrumque cum ſubdit, *vt Statuæ aliter Polycletus, & aliter Statuarius*.

Addit, vt accidens, *& horum genera*. Quod declarat dicens, *& continentes etiam accidens, vt ſi homo cauſa ſit ſtatuæ, aut omninò animal*. Cauſæ vniuerſaliores cauſarum accidentalium, quæ ſua amplitudine ac communitate continent particulares, ſunt etiam cauſæ per accidens eius ipſius effectus. Ita Polycletus eſt cauſa per accidens ſtatuæ, quare eodem pacto erit & homo, qui ſua communitate complectitur Polycletum: Sic animal, quod adhuc comprehendit hominem, ſic corpus, quod vlterius continet animal, ſic ſubſtantia, ſic ens.

Deinde, monet Eximius præceptor, *Sunt autem*
II. *tem accidentium*, &c. quod inter cauſas ex accidente adhuc ſuppetit adnotandum diſcrimen; quod aliæ ſint magis per accidens, aliæ verò minus. Cauſæ propinquiores effectui, quæque magis exiſtunt iunctæ cum cauſis per ſe illius effectus, cenſentur minus per accidens, quàm cauſæ remotiores, & quæ minus nectuntur cum cauſis per ſe. V. G. magis dicentur cauſa per accidens Statuæ albus, aut muſicus, quàm Polycletus, aut homo, quia magis iunguntur Polycletus, aut homo cum Statuario, quàm albus, aut muſicus: & magis eſt propinquus Polycletus, qui eſt indiuiduum humanum ipſi Statuario, qui eſt cauſa per ſe Statuæ, quàm ſit muſicum, aut album. Quinimo ſunt, qui dicunt, album adhuc eſſe cauſam Statuæ accidentaliorem, quàm ſit muſicum, quia muſicum non niſi homini competit, qui eſt propinquior Statuario, album autem ineſt etiam rebus animæ, & ſenſus expertibus.



TEXTVS XXXIV.



Rater omnes autem, & propriè dictas, & ſecundum accidens, aliæ quidem, vt potentes dicuntur, aliæ verò, vt operantes; veluti ædificandæ domus ædificator, aut ædificans ædificator.

Tertia differentia eſt, quod omnium cauſarum,
tam earum, quæ ſunt per ſe, quàm earum, quæ I.
ſunt per accidens. Aliæ quidem dicuntur *vt potentes*, nempe cauſæ in potentia. Aliæ vero, *vt operantes*, videl. cauſæ in actu. Cauſa ſecundum potentiam eſt, quando poteſt quippiam facere, ſed actu, ac re ipſa nõ facit, *veluti ædificandæ domus ædificator*. qui nimirum eſt arte conſtruendæ domus præditus, nihilominus actu non conſtruit domum. Cauſa autem ſecundum actum eſt, cum actu, reque ipſa operatur, vt *ædificans ædificator*.

Hic obſerua, quod recenſitæ cauſarum diffe-
rentiæ, ac diuiſiones inter ſe ſe mutuo applicantur, II.
ita vt cauſa prior, & poſterior, quæ erat prima diuiſio, applicetur tum cauſis ſecundæ diuiſionis, ſcil. cauſis per ſe, & per accidens: tum cauſis tertiæ diuiſionis, nimirum cauſis ſecundum potentiam, & ſecundum actum: & verſa vice. V. G. cauſa Statuæ eſt Statuarius, & artifex: & vtraque eſt cauſa per ſe: ille eſt cauſa prior, & intimior, hic verò eſt poſterior, ac remotior: artifex enim eſt quid communius ad Statuarium, cum alia quoque artefacta valeat conficere. Rurſus Polycletus, & homo, & animal ſunt cauſæ per accidens eiuſdem Statuæ: Sed Polycletus eſt cauſa prior, homo poſterior, animal adhuc poſterior, ac remotior. Ita illa prima cauſæ diuiſio, & etiam ſecunda applicantur cauſis tertiæ partitionis. Nam cauſæ ſecundum potentiam, & ſecundum actum, aliæ ſunt priores, aliæ poſteriores: aliæ per ſe, aliæ per accidens.

Quæ porrò omnia ſi vera ſunt, vt veris ipſis ſunt veriora, planè nugantur nonnulli recentiorum, dum aiunt, quod Ariſt. primo loco debebat diuidere cauſam in eam, quæ eſt per ſe, & ex accidente, poſtea vtramque diuidere in priorem, & poſteriorem, &c. qui quidem, antequam Ariſtotelem, virum incomparabilem ſugillent, deberent ſanè cerebri ſui excutere humiditatem.

TEXTVS XXXV.



Erinde autem dicetur in ijs, quorum causæ sunt ipsæ causæ, atque in ijs, quæ dicta sunt; vt huius statuæ, aut statuæ, aut etiam omninò imaginis, & æris huius, aut æris, aut omninò materia: & in accidentibus similiter.

I. Quas hucusque in causis recensuit differentias, easdem in hoc contex. deprehendit in ipsis earundem causarum effectibus. & ait, ὁμοίως δὲ λεχθήσεται, *similiter autem dicetur*, καὶ ἐφ' ὧν αἴτια τὰ αἴτια, *& in ijs, quorum causæ sunt ipsæ causæ*. id est in effectibus, & causatis, quorum nunc relatæ causæ sunt causæ: *similiter*, inquam, *ac in ijs, quæ dicta sunt*, quæ videl. hactenus de causis edisseruimus, quod in effectu possit accipi differentia prioris, & posterioris: tum differentia per se, & per accidens: tum secundum potentiam; & secundum actum.

II. Declarat, *vt huius statuæ, aut statuæ, aut etiam omninò imaginis*. Quando fit hæc statua V. G. Socratis, fit etiam statua, & fit imago quoque. Hic habemus primam differentiam, quod alius effectus sit prior, ac propinquior, alius posterior, & vniuersalior: Quippe quatenus hæc statua, est effectus prior, & contractior: quatenus autem statua, est effectus posterior, & vniuersalior: Statua etenim est communius quippiam, quàm hæc statua, cum statua, qua statua, possit multa etiam alia præter Socratem exprimere. Vlterius, imago est adhuc posterior, & vniuersalior, cum præter statuam suppetant aliæ imagines.

Addit secundum exemplum, *& æris huius, aut æris, aut omninò materia*. Quatenus est hoc æs, est effectus prior, & proximior huic suæ causæ: quatenus autem est absolutè æs, est quid posterius, & vniuersalius: demum quatenus est materia, est adhuc communius quippiam. En ergo in effectu prima differentia posita in causis.

Rursus, hic idem effectus, statua, secundum vnam rationem est effectus per se: qua enim hæc statua, & qua statua, est effectus per se: qua autem imago Socratis, est effectus per accidens. Accidit namque statuæ esse imaginem Socratis, cum imago Socratis commodè possit esse etiam sine statua, vt patet in pictura, vel etiam in speculo. Sic ergo habes in effectu etiam secundam, differentiam, quæ erat causa per se, & per accidens. Et hanc significat Auctor in calce tex. *& in accidentibus similiter*.

Postremò, potest in effectu animaduerti etiam tertia differentia, quæ erat causæ secundum potentiam, & secundum actum, quam Arist reliquit à nobis ipsis accipiendam: est enim manifesta, cum hæc statua, aut hæc lectica aptè considerari queat, & qua poterat fieri, & sic est in potentia: & qua actu fit, aut est facta.

TEXTVS XXXVI.



Mplius autem connexa, & hæ, & illa dicentur; vt non Polycletus, neque Statuarius, sed Polycletus Statuarius. Attamen hæ omnes sunt multitudine quidem sex, dicta autem dupliciter: aut enim vt singulare, aut vt genus, aut vt quod secundum accidens, aut vt accidentis genus, aut connexa hæ, aut vt simpliciter dicta, omnes autem, aut actu existentes, aut secundum potentiam.

I. Apponit aliud discrimen, quod ait posse accommodari omnibus dictis differentijs. Deinde enumerat modos, qui ex præfatis causandi differentijs consurgunt. Et ait, *amplius autem connexa, & hæ, & illa dicentur*. Omnes iam explicatæ differentiæ, ac modi, & causarum, & effectuum dicentur tum simpliciter, tum complexè. Ponit exemplum in causa effectrice, (quia quamuis de alijs quoq; causis idem formari posset, nihilominus non ita fortasse in frequenti vsu est,) ponit autem de causa per se, & de causa per accidens. Hæc itaque causa dicitur quidem simpliciter, vt cum dico, Polycletus est causa huius statuæ: vel statuarius est causa huius statuæ: vtrumque nimirum profero seorsim. Connexè verò siue complexè, vt cum dico, Polycletus Statuarius est causa huius statuæ.

II. *Attamen hæ omnes sunt multitudine quidem sex: dicta autem dupliciter*. Sex procul dubio sunt modi trium differentiarum iam relatarum: causa prior, & posterior: per se, & per accidens: secundum potentiam, & secundum actum. Qui porrò geminati, cum dicantur aut simpliciter, aut complexè, efficiunt duodecim modos causandi.

Quos quidem modos, quamquam alijs verbis, subiungit: Ac primò, inquit, sunt *sicut singu*-
late,

fare, vel ficut genus: Hos superius dixi causam priorem, & posteriorem. Secundò, *aut ficut accidens, vel ficut genus accidentis*. Intelligit causam per se, & per accidens: sed per hæc verba exprimit solum alterum membrum, oempe causam per accidens (subintelligimus autem alterum membrum, id est, causam per se.) Nam *genus accidentis*, siue genus causæ secundum accidens, est etiam causa per accidens. Tertiò, *aut ficut connexa hæ, aut ficut simpliciter dictæ*, exprimit causas simplices, & complexas, de quibus dixit io principio huius istius tex. Quartò, *omnes autem, ficut actu existentes, aut secundum potentiam*, effert causas secundum actum, & potentiam, quas exposuit in tex. 34.

III. Sunt qui etiam in his modis ab Stagirite recensitis dolent, quod Arist. vtitor inordinatione, cum non eo ordine eos io præsenti referat, quo superius explicuerat. Ita Vicomer. contra quem deinde laborat Zab. Sed sciant, quod rerum repetitio, dum ita scrupulosè & anxiè fit, vt incisum inciso, & vox voci respondeat, videtur leuem quandam, ac negligentem diligentiam præseferre. Et est hominis, qui stylum, non res ipsas maiori spectet cura: quæ potrò ab Stagirite procul absunt. Imò hic quandoque quasi ex industria patitur ex suo immortali calamo magnificam quandam, penè dixerim, negligentiam defluere, quæ philosophicis rebus appendit quandam maiestatem: redditque animos, sciendi cupidos, apprimè attentos. Propter quam, opinor, causam, dictos etiam modos voluit in hoc tex. alijs ac diuersis verbis recensere, quàm superius nominarat.

Tu verò, ne ab hisce contextibus abeam, vide incredibilem huius auctoris in scribendo sedulitatem. Quando in tex. 31. egit de modis generum causarum, vtitur verbo, cadunt, seu rediguntur: *in quatuor cadunt modos*. Quando io tex. 32. refert modos, quibus causæ in eodem causæ genere comprehenduntur, vtitur verbo, sunt: *modi autem causarum numero quidem sunt multi*. ita in tex. 33. de causa per se, & ex accidente. Vbi autem in tex. 35. sermonem conuertit ad modos effectuum, non amplius ait, cadunt, aut rediguntur, aut sunt, sed dicetur: *similiter dicetur & in ijs*, &c. Ita io tex. 36. de causis complexis, & incomplexis, *connexa, & hæ, & illæ dicentur*. Cur ita? quia causæ in se ipsis sunt discriminatæ: effectus autem concipiuntur solum, & proferuntur a nobis, vt diuersi. Ita causæ complexæ, & incomplexæ in se ipsis non sunt, sed solum dicuntur a nobis.

IV. Hoc etiam te admoneo, quod multi, & præcipuè Græci interpr. multiplicant dictos duodecim causandi modos per vnumquodque causæ genus; ita vt efficiantur quadraginta octo causandi modi. Quę supputatio temporis quidem satis, vtilitatis autem ad parum, aut nihil terit, atque affert. Propterea reuertamur ad virum Eximium, qui ita loquitur.

TEXTVS XXXVII.



Differunt autem tantum, quod actu quidem existentes, & singulares, & eis, quorum sunt causæ, simul sunt, & non sunt; vt hic medens cum hoc qui sanatur: & hic ædificator cum hoc quod ædificatur: quæ autem sunt secundum potentiam, non semper: corrumpitur enim non simul domus, & ædificator.

I. Enucleauit hucusque genera, differentias, & modos causarum: nunc in hoc, & sequ. contex. tradit quatuor præcepta, quæ præ oculis habere debemus, si rectè ac methodicè volumus effectus, & quæsita in suas causas resoluere. Primum iacet io hoc tex. quod causæ actu existentes, ac singulares, (*singulares* haud est membrum distinctum ab eo, quod est *actu existentes*, sed additur ceu explicatiuum, quia omne quod actu existit, singulare est) simul sunt, & non sunt cum suis effectibus actu existentibus. Causæ autem secundum potentiam non semper ita se habent cum suis effectibus, potentia itidem existentibus.

Priorem partem probat, quoniam hic homo actu medens, ac sanans est simul cum hoc, qui actu medicatur ac sanatur: Et hic actu ædificans est simul cum hoc quod actu ædificatur. Cuius dicti fundamentum illud fuerit, quia idem est actus agentis, & patientis, & sola discriminantur ratione, vt ostendit Philosophus in tertio huius operis lib. tex. 20.

Posteriorem etiam partem probat, *corrumpitur enim non simul domus, & ædificator*. Quam vt penitus comprehedas, scito, quod domificator est causa in potentia construendæ domus, quemadmodum ille idem dum actu struit, est causa actu, Habet quippe tunc habitum eius rei conficiendæ, quanquam actu nil agat. Quemadmodum etiam de intellectu in habitu aiebat Philosophus in tertio de Anim. tex. 8. Hæc causa secundum potentiam respicit actum etiam secundum potentiam. & est ille, qui actu quidem non fit, nihilominus potest fieri.

Hæc itaque causa aliquando est simul cum suo effectu, aliquando verò non est. Rem accipe exemplo. Sit medicus: sit & æger. Ille, vtpote aptus sanare, est causa in potentia: hic verò aptus sanari, est effectus in potentia. Quousque ita manent, causa secundum potentiam, & effectus secundum potentiã, sunt simul, quando neuter illorum reducitur ad actum. Et si contingat vtrunque simul mori, pariter poterunt dici esse, seu desinere simul. Sin autem accidat, vt moriatur æger, antequam medi- II.

medicus curare incipiat, vel moriatur medicus, antequam incipiat mederi, tunc causa in potentia non est simul cum effectu secundum potentiam; Consimili via: Sit domificator, & sit materia erigendæ domus; tunc est causa in potentia simul cum effectu in potentia: Si verò obtingat, vt præparata illa materia, aliquo alio modo absumatur, aut domus incæpta quidem, sed non facta, casu aliquo destruatur; aut tunc ædificator intereat, causa in potentia haud erit simul cum effectu in potentia. Et hanc solam partem ponit Arist. *corrumpitur enim non simul domus, & ædificator.* Per *domum* intelligo materiam struendæ domus, vt in exemplo posui: Aut domum ipsam, inchoatam, quæ adhuc est effectus in potentia ad domum perfectam.

TEXTVS XXXVIII.



Portet autem semper causam vniuscuiusq. summam quærere, vt & in alijs; vt homo ædificat, quia ædificator est: ædificator autem est, secundum ædificandi artem. Hæc igitur pior causa est; & sic in omnibus. Amplius autem alia quidem genera sunt generum, alia autem singularia singularium, vt statuarius quidem statuæ, hic autem huius. Et potentia quidem possibilium, actu autem existentes ad actu existentes.

I. Monet alia tria, eaque vtillima: Quorum primum est, quod in quærendis, aut assignandis causis rerum, quas cupimus scire, debemus *semper quærere causam vniuscuiusque summam.* Summam causam intelligit eam, quam in tex, 27. huius lib. & tex. 1. libri primi appellabat *primam*; quæ videl. est effectui proxima, immediata, adæquata. Qua posita, ponitur res, & qua ablata, aufertur: & qua denique habita, cessat quæstio propter quid. Hanc Auerr. vocauit vltimam in quæstione, quemadmodum è contra vltimam in esse, dicit eam, quæ est ab effectu remota.

Probat autem Arist. hoc suum assertum ratione, & exemplo. Ratio est, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, *sicut & in alijs* rebus. Ita nos in quærendis causis debemus procedere, sicut facimus in alijs rebus: At in alijs rebus, quando quærimus aliquid, intelligimus id quod in eo genere est proprium, & exactum: vt si V. G. quæramus drachmam, *propriè drachmam intelligimus, non adulterinam: & hominem propriè, non mortuum*, inquit Simplic. Sic dum quærimus causam propriè, sumenda est: quæ est summe, & adæquata: quam alij nominant continentem, ait idem Simplic.

Exemplum autem est, vt homo ædificat, quia ædificator est: ædificator autem est secundum ædificandi artem. Si quispiam quærat, cur homo ædificat? & respondeas, quia est ædificator, reddis quidem causam, at non summam, & adæquatam: siquidem ille non acquiescit, sed vlterius rogabit: Propter quid est ædificator? & respondere teneris, quia habet ædificandi artem. Hac quippe causa habita, cessat quæuis quæstio: Et si hanc à principio dedisses, interrogans illico acquieuisset. Hæc itaque est causa summa ædificationis; & vt Philosophus loquitur *hæc est prior causa.* Et quod de causa efficiente dixi, id idem in reliquis quoque causis obseruandum est, id quod indicat Auctor inquiens, *& sic in omnibus*, II.

Perpende hic, quàm rectè, & ad mentem Philosophi nos diximus circa tex. 32. quod per causas *posteriores* Arist. eo loci non intelligat causas proximiores, & immediatiores effectui: ita per *priores* non intelligat causas vniuersales, ac remotiores, vt Auerr. & S. Thom. opinabantur: sed versa vice: per *posteriores* intelligit remotiores: per *priores* autem intelligit causas propinquiores effectui, atque immediatiores. Quod in hoc contex. apparet conspicuè; vbi artem ædificandi, quæ est causa proximior quàm ædificator, appellat priorem. *Homo*, inquit, *ædificat, quia ædificator est: ædificator autem est, secundum ædificandi artem. Hæc igitur prior causa est.*

Secundum præceptum est, *Amplius, alia quidem genera sunt generum, alia autem singularia singularium.* Effectuum generalium assignandæ sunt causæ generales: effectuum singularium causæ quoque singulares reddendæ sunt. Ratio est aperta, quia responsio debet accommodari quæstio. Modo effectus singularis non accommodatur causæ generali, & vniuersali: Si enim quæratur de aliquo effectu particulari, non satis est reddere causam generalem: ita è contra effectus generalis nequit causæ singulari accomodari. Arist. ponit exemplum, vt si quæras: Quisnam fecit statuam? respondebo per causam generalem, statuarius Si autem quæras: Quis fecit hanc statuam? dicam, Polycletus. III.

Vltimum præceptum, quod effectuum potentia, assignandæ sunt causæ potentia; & IV.
effectuum actu, causæ actu. Vt si
quæratur de ædificanda do-
mo, assignanda causa
in potentia est æ-
dificator po-
tens
ædificare: si verò de domo, quæ actu
ædificatur, est ædificator actu
ædificans, de qua re superius.
Hæc Arist. de causis
per se, circa
quas
est nobis tantisper immo-
randum.

QVAE-

QVAESTIO PRIMA.

Quid sit causa in communi.

SECTIO PRIMA.

Quanta inter Doctores exorta est in definienda causa in communi, confusio, quia Arist. eam non definiuit.

I. 
Ic mecum ipse sæpenumero reputaui, quod si clarum Aristotelis iubar inter mortales non effulsisset, res litteraria in omni posteritate haud minoribus ignorationis tenebris vegeretur, quàm ante eundem ipsum Aristotelem premebatur: & doctrinæ ferè omnes etiammùm in maiori versarentur confusione, quàm fuerant vnquam: id quod cùm ex alijs multis, tum ex hac minima re, quam subijcio, facile deprehendes.

II. Nemo ita stupidus est, qui quid sit causa, non apprehendat: quippe si alia nescit, certè non nescit se esse causatum. Nihilominus, quia Arist. causam in communi reliquit indefinitam, dum eam posteri varijs modis efferre tentant, atque hi quidem vno, illi verò alio modo colorant; & rursus isti definitiones illorum examinant, illi alias singillant, expendunt particulas, mutant, limitant, augent, expellunt alias, alias intrudunt, nata est inter eos, atque in dies excreuit, confusio quammaxima. Causa tanti mali est, quia nullam causæ communiter acceptæ definitionem Philosophus tradidit. *ideò omnibus datum est, ex proprio Marte rationem communem causæ definire; quo nihil exitialius. Nulla enim lex esse potest, vbi legislatores sunt omnes: neque communem aliquam auscultant latam à Principe, cui auscultent omnes*, inquit, & verè, P. Ouiedo in suo curs. Philosoph. in Phys. controu. 7. puncto 1.

Ex quo quidē obiter collige, quantum nos omnes in Philosophia vni Stagiritæ debeamus, quem longè rectius, quàm Lucretius Epicurum suum, possis alloqui.

E tenebris tantis, tam clarum extollere lumen.
Qui primus potuisti, illustrans commoda vitæ.

Rem accipe. Philosophus non definiuit expressè causam in communi, neque in hoc secundo lib. neque in quinto Metaph. cap. 2, quibus in locis ex professo de causis agit, neque alibi vspiam: Quem imitati sunt interpretes Græci, apud quos nulla itidem extat communis causæ definitio, vt adnotauit etiam Gianin. lib. 5. sue Phys. cap. 21. Non definiuit autem Arist. causam eo modo captam, vel quia assignare vnam communem definitionem, quæ quidem ex æquo omnia quatuor causarum genera complectatur, esset nimis extensum, & posset rem ambiguam reddere, vt nonnulli, cum Vallef. lib. 2. Phys. quæst. 13. opinantur: Vel quia causa non est vnum quippiam vniuocum, sed analogum, cuius nequit vna ratio probè ac explicatè afferri, quemadmodum existimant alij cum Peter. lib. 8. Phys. cap. 1. & Gianin. loco indicato. Vel quia, vt ego existimo, cum is accuratè explicuerit singula causarum genera, tum earundem naturam, differentias, & modos, quemadmodum in textuum explanatione vidimus, satis indicauit, quomodo possit communis aliqua causæ definitio cudi, si quis eam vellet conficere, sicuti nos quoque infertius, vt aui nostri auribus obtemperemus, duas subijciemus. III.

Audi iam causæ definitionem. Quidam apud Plutarch. lib. primo de plac. Philos. cap. 11. causam definiuere esse *eam, cuius est effectus*; Vel *esse id, a quo aliquid proficiscitur*. Auicen. lib. primo suæ Metaph. cap. 7. *causam*, ait, *esse id, quod dat esse rei*. S. Thom. in hoc lib. lect. 10. *causa*, inquit, *est, ad quam sequitur esse alterius*. In Opuscul. autem 31. scribit, *causam esse id, ex cuius esse sequitur aliud*. Et in quæst. 10. de potentia, art. 1. ad 3, habet, *Dicimus enim causam, ad quam sequitur aliud*. Hanc Complutens. in Phys. Disput. 8. quæst. 1. & quidam alij aiunt, esse desumptam ex libello de Causis, in quo tamē libro nihil huiusmodi leges. IV.

P. Suarez in Metaph. Disput. 12. sect. 2. tres causæ definitiones affert. Prima est, quod *Causa est id, per quod satisfit interrogationi, qua inquiritur, propter quid aliquid sit, seu fiat*. Secunda, *Causa est id, ad quod aliquid sequitur*. Tertia, *Causa est id, a quo aliquid per se pendet*, (hæc fuit prius tradita à P. Foncel. in 1. Metaph. cap. 7. quæst. 1.) quam quidem, quod ad rem spectat, approbat Suarez: Nihilominus subdit, quod libentius causam sic describeret. *Causa est principium per se influens esse in aliud*. PP. Conimbr. in hoc 2. lib. cap. 7. quæst. 1. definiunt, quod *Causa est id, a quo aliquid per se dependet*. Peter. lib. 8. Phys. cap. 1. *Causa*, inquit, *est, quæ in suo genere, per se, & principaliter concurrit ad constituendum effectum*. P. Fexchius in suis Vestig. Peripat. Vestig. 2. cap. 1. *Causa* est, V.

Digitized by Google

ad cuius esse sequitur aliud esse. Ruu. Tract. 1. de Causis. num. 13. *Causa*, ait, *est principium per se influens in effectum*.

VI. Franc. Piccolom. in hoc lib. in Digress. de Causis, definit *causam, quod sit principium, ex quo effecta per se pendent pro esse, & distincta cognitione*. Quam tradidit etiam in lib. de definitionibus, quo loci assignat etiam hanc, quod *Causa est ratio, per quam dissoluitur omnis quæstio*: Thom. Gianin. lib. 5. Phys. cap. 21. *Ego*, inquit, *arbitror, hanc posse afferri communem in omni causa definitionem, Causa est principiũ, quod est per se est ens, ac per se, ac primùm suam operam confert ad quippiã efficiendum*. Mastr. & Bellut. in Phys. Disput. 5. quæst. 2. aiunt, *Causam esse principium per se positiuè influens esse in aliud cum dependentia huius ab illo*. Franc. Ouiedo in suo curs. Phys. Controu. 7. punct. 1. vult, *Causam esse principium influens in terminum non identificatum cum natura principij*. Arriag. *Causa est, quæ per se influit producendo essentiam*. Exclames, opinor, *Obe iam satis est*, ita sanè.

Quid iam? morabimur ne in hisce definitionibus an expendendis, an confutandis? Apage, vt ego inani labore Lectorem excruciem: Si cui otium, & lubet, legat indicatos auctores; Mihi id innuisse satis, quod quia Arist. causam ita acceptam non definiuit, vides, quid in Republica literaria natum, & altum sit. Nihilominus aperiendum est.

SECTIO SECVNDA.

Quænam fuit radix, quæ hosce Doctores in tot Causæ definitiones compulit. Præterea, explicatur, quod Causa tum propriè, tum impropriè dicitur: Et duplex eius definitio ab auctore adducitur.

VII. 

Lerique omnes Doctores nostri rebus Philosophicis res fidei nostræ commiscent, atque laborant in multis. In proposito theoremate inspexerunt Græcos Patres admittere causam in diuinis, asseuerantes, Deum Patrem dici, ac esse causam filij. Inter Latinos verò Theologos constanter, causam exulare a diuinis; & Patrem dici quidem, ac esse principium filij, non autem causam: Eodem pacto Patrem, & filium verè esse principium spiritus Sancti, & non causam.

Orientis Ecclesiæ lumina, Patres, sic opinati sunt, quia causa, & principium conuertuntur, sicut ens, & vnum, & sola dissident ratione ex Aristotele quarto Metaph. tex. 3. cuius hæc omninò sunt verba. *Si itaque ens, & vnum idem, & vna natura sunt, propterea quod se inuicem sequuntur, quemadmodum principium, & causa, sed non quod vna ratione significantur*. Hinc idem Philosophus libr. eiusdem operis duodecimo tex. 12. causas rerum naturalium appellat non modo materiam, & formam, sed etiam priuationem, quia scil. cum hæc sit principium earundem rerum, erit etiam appellanda causa. *Tres itaque*, inquit, *sunt causæ, & tria principia: duo quidem ipsa contraria, quorum hoc quidem ratio, & forma; hoc verò priuatio: tertium autem materia*. Cum itaque in diuinis Pater re ipsa vera existat principium filij, erit etiam causa.

Latini verò Patres, & subsecuti Theologi animaduerterunt, principium esse communius quippiam ipsa causa, & causam supra principium addere influxum quendam in effectum; & cum nihil influat in se ipsum, causa infert distinctionem in natura a causato. Quocirca etiam oritur limitatio quædam ac dependentia effectus a causa: vt docet S. Thom. in prim. part. quest. 33. art. 1. ad 1. Quæ omnia a diuinis procul exterminanda sunt, cum ibi sit vna tantum natura, & personæ existant sibi coæquales, & coæternæ. V II.

Secundò, quia omne causatum videtur comprehendi sub vniuersitate creaturarum. *Nam apud Philosophos prima causa Deus nominatur: omne autem causatum sub vniuersitate creaturarum comprehenditur apud eos, & ideo si filius causam dicatur habere, posset intelligi, quod sub vniuersitate causarum, aut creaturarum comprehenderetur* inquit idem S. Thom. in Opuscul. 1. cap. 1.

Tertiò, quia causa est prior suo effectu, vel tempore, vel saltem natura. Manifestum autem est, huiusmodi prioritates nullo vnquam pacto adesse in diuinis. *Neque enim prior est Pater tempore, cum filius sit æternus: neque prior natura, cum Patris, & filij sit vna natura*, ait idem S. Doctor in cap. 2. eiusdem opusculi.

Hinc in responsione illa ad 1. arg. articuli primi nuper indicati ex prima part. ita scribit Dicendum, quod Græci vtuntur in diuinis indifferenter nomine causæ, sicut & nomine principij: sed Latini doctores non vtuntur nomine causæ, sed solum nomine principij. Cuius ratio est, quia principium communius est, quàm causa sicut causa communius, quàm elementum. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei dicitur principium, sed non causa. Quanto autem aliquod nomen est communius, tanto conuenientius assumitur in diuinis, vt supra dictum est. Quia nomina quanto magis

 speca-

Digitized by Google

ſpecialia ſunt, tanto magis determinant modum conuenientem creaturæ. Vnde hoc nomen cauſæ videtur importare diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij. In omnibus enim cauſæ generibus ſemper inuenitur aliqua diſtantia inter cauſam, & id cuius eſt cauſa, ſecundum aliquam perfectionem, aut virtutem: Sed nomine principij vtimur etiam in his, quæ nullam huiuſmodi differentiam habent, ſed ſolum ſecundum quendam ordinem, ſicut cum dicimus, punctum eſſe principium lineæ, vel etiam cum dicimus, terminum lineæ, eſſe principium lineæ. Hæc S. Thom.

IX. Nihilominus poſſet quiſpiam ex parte Græcorum Patrum dicere, quod cauſa, alia quidem importat haſce imperfectiones; & eſt quatenus reperitur in creaturis: Alia verò abſtrahit ab huiuſmodi imperfectionibus, & importat ſolummodo alicuius ab aliquo emanationem: & hæc ſit in diuinis. Neque enim nouum eſt in Theologia, attribui Deo aliqua, ſeclusa omni imperfectione, quæ tamen, quatenus reperiuntur in creatura, concernunt imperfectionem.

Adde, quod Pater Deus non eſt principium filij, ſicuti punctum eſt principium lineæ, aut terminus à quo eſt itidem principium motus, aut pars eſt principium totius, quæ erant exempla S. Thom. Hæc quippe non exercent actionem vllam circa ea, quorum ſunt principia: Cæterùm Pater Deus eſt principium filij, & Pater, ac Filius ſunt principium Spiritus Sancti, per veram, ac realem actionem: Verè etenim ille producit, & generat filium: & hi verè ſpirant, & producunt Spiritum Sanctum. Quod ſi ſunt principium agens, producens, generans, ſpirans, videntur etiam poſſe appellari cauſa, abſque vlla tamen imperfectione.

Hinc magnus ille, & doctrina, & ſacra Purpura Cardinalis Beſſarion, cum non ſemel in diuinis vſus eſſet nomine cauſæ, more Patrum Orientalium, ita ſemet explicat in illa facundiſſima oratione, pro vnione, quæ legitur circa finem Concilij Florent. *At notare oportet, quod Sancti Doctores Orientales etiam in diuinis vtuntur nomine cauſæ, & cauſati largo modo: non quidem vt limitationem, & dependentiam importat, ſed prout productionem, & emanationem a principio eius, quod eſt à principio, ſignificat: ideò me etiam &c.*

X. Sed iam communiter inter Doctores dicitur, cauſam gemino modo vſurpari: *Vno quidem communi quadam acceptione, pro omni eo, a quo aliud quomodocunque procedit: in qua acceptione conuertitur cum principio. Secundò, accipitur propriè, pro ſola re poſitiua, quæ ſuum eſſe communicat alteri cum dependentia.* Ita diſtinguunt P. Suarez in diſput. illa 12. ſect. 2. PP. Complu-ten. in Phyſ. diſput. 8. quæſt. 1. Ruu. Tract. 1. de cauſis, quæſt. 1.

Nos itaque in præſenti verba faciemus de cauſa propriè dicta, quæ cum a diuinis vſquequaque exterminetur, coegit Doctores noſtros in definienda hac cauſa, duo debere præ oculis habere. Vnum, vt definitio cauſæ competat omni, ac ſoli cauſæ in rebus creatis. Alterum, vt cauſa excludatur a diuinis. Quod in cauſa fuit, vt tot cauſæ definitiones excogitarent, quot ſupra a nobis relatas audiuiſti.

Huic inſtituto ego quoque morem gerens, duas cauſæ definitiones ſubijcio: Vna eſt. Cauſa eſt principium, a quo primò res dependenter eſt. XI.
Principium pono loco generis: reliquas voces loco differentiæ. Pono vocem (primò) vt excludam inſtrumenta: Adijcio (dependenter) vt ſeponam productionem Verbi diuini, quod re ipſa eſt a Patre tanquam a vero principio, & non dependenter: Non enim filius dependet in eſſe à Patre: Eodem pacto nec Spiritus Sanctus. Denique vocem (eſt) non accipio in ſtricta, ac propria ſignificatione, quatenus idem pollet eſſe aliquid ex aliquo, atque componi ex illo, vt in lib. præced. ad tex. 42. quæſt. 1. expoſui, Sic enim non niſi cauſam materialem, & formalem amplecteretur, ex quibus res intrinſecè componuntur: ſed accipio in laxiori ſignificatu, prout amplectitur & cauſam effectricem, a qua res effectiuè ſunt, ſiue exiſtunt, & etiam finem, propter quem aliquid eſt.

Altera cauſæ communiter acceptæ definitio fuerit hæc. Cauſa eſt ea, propter quam eſt aliud. XII.
Porrò ſi tantum dicas, cauſam eſſe eam, propter quam res eſt, planè cernis aptiſſimam Cauſæ definitionem, acceptam ex Ariſtotele, tum in his contex. tum in quinto Metaph. cap. 2: tum in primo Poſter: tex. 6. quibus in locis cauſa dicitur eſſe ea, per quam reſpondemus ad quæſtionem propter quid. Nihilominus conſultò dixi, (propter quam eſt *aliud*) vt cauſam excludam a diuinis, vbi quamuis Filius ſit à Patre, ſiue propter Patrem, (vocem etenim, propter, non accipio ita, vt ſignificet finem, ſed accipio communiter) nihilominus Filius non eſt aliud a Patre. Nam *Pater, & ego vnum ſumus*, ait Veritas ipſa, Chriſtus. Ex his habes, quid cauſa ſit.

Proximum eſt, vt videamus, quotuplex ſit: hoc autem eſt quærere.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum sint tantum quatuor genera Causarum, quæ sunt Causa materialis, formalis, efficientis, & finis.

SECTIO PRIMA.

Argumenta pro parte negatiua. Et primùm quod sint pauciora, quàm quatuor.

I. 

Identur esse pauciora; Ac primo quidem ostendo, materiam non posse constitui causam. Causa est perfectior suo effectu; quocirca etiam dici solet, quod omnia nobiliori modo sunt in causa, quàm in sa ipsis. Vel saltem causa est æquè perfecta, ac eius effectus: alioquin effectus baberet aliquam perfectionem, quam a suis causis non acciperet, quod est impossibile. Sed materia neque perfectior est, neque æquè perfecta cum suo effectu: quare materia non est causa. Minor vel ex eo liquet, quòd effectus materiæ est compositum substantiale, quod porrò longa intercapedine præstat materiæ:

Præterea, Causa necessario debet exercere aliquam operationem circa causatum: cum causare sit quoddam agere: Atqui materia neque quicquam agere, neque vllam omninò valet exercere operationem. Quid ita? quia vnumquodque agit in quantum est actu. Materia autem est solum potentia: quare nullam babet actiuitatem, ac proinde non est causa.

Accedit, Causa elargitur esse causato: Causa namque, vt diximus, est illa, propter quam est aliud. Materia nulli rei elargitur esse, quin potius accipit esse à forma; siquidem auctore Philosopho in secundo de Anim. tex. 2. *Forma est, secundum quam iam est hoc aliquid*. materia igitur non est causa.

Secundò ostendo, neque formam esse causam. II.
Causa naturaliter est prior suo effectu, vt constat ex primo Poster. & nos inferius aperiemus, cum à causa dependeat effectus, non autem è contra. Hinc Auerr. 7. Metaph. com. 4. *causata*, inquit, *posteriorantur causis*. Sed Forma non est prior suo effectu. Quod ex eo apparet, quia effectus formæ est compositum, cum quo forma est omninò simul: Scribit enim Philosophus duodecimo Metaph. tex. 16. quod *causæ mouentes, tanquam antea orta, existunt: quæ verò vt ratio, simul sunt, Cum enim sanus sit homo, tunc etiam sanitas est: Et forma æneæ sphæra simul atque ænea sphæra.*

Item, pars naturaliter est minus perfecta suo toto: partes quippe subeunt rationem materiæ respectu totius, vt ex Arist. in tex. 28. habuisti. Forma est pars totius compositi substantialis: quocirca fieri nequit, vt sit eius causa; alioquin minus perfectum causaret magis perfectum: Quod contradictionem inuoluit.

Huc facit locus Philosophi ex tertio Metaph. tex. 12. in quo scribit, principium, & causam debere esse præter res, quarum sunt: & posse ab iis segregari. *Principium enim*, inquit, *& causam esse oportet præter res, quarum principium est, & posse esse separatum ab eis*. At materia, & forma non sunt aliquid præter res, quarum sunt; neque ab eis seiungi queunt: neque igitur principium, neque causa erunt.

Tertiò prob. neque agens, seu efficiens esse causam. Quod est effectus, non est causa, sed potius causatum: Efficiens est effectus causæ finalis. Quod ostendo, tum auctoritate Philosophi in tex. 30. huius lib. asserentis, quasdam causas esse sibi mutuo causas, *vt exercitium est causa bonæ habitudinis, & hæc exercitij*. Quod si exercitium, est effectus bonæ habitudinis, non igitur fuerit causa. Tum etiam, quia illud quod mouetur ab alio, non est causa: Efficiens, qua efficiens, mouetur a fine. ergo &c. III.

Quartò denique prob. neque finem esse causam. *Omnis causa est principium*, ex quinto Metaph. cap. IV.
1. Finis non est principium, imò verò è regione opponitur principio. Hoc etiam tradit Stagirites, in eodem lib. cap. 3. in fine, *Circa generationem autem, & actiones, totamque transmutationem, cum sciamus motus principium: hoc autem aliud, & fini oppositum est*. non itaque finis erit causa.

Præterea, Quod non est, id nequit vllo pacto constitui causa: Finis autem, qua finis nondum est: hic etenim dicitur causa, quando non est: quippe cum est, cessat eius causalitas.

Postremò, Finis non est causa physica, sed moralis, quare temerè inter causas Physicas connumeratur. Consecutio aperta est, quia causæ morales spectant ad scientiam moralem: causæ verò Physicæ ad Physicam. Assumptum autem ex eo ostenditur, quia finis causat tantum alliciendo, quatenus iniicit agenti amorem, & desiderium sui. At causa, quæ solum alliciendo causat, moralis est.

Hinc Plato in Hippia maiore ambigit, an finis sit causa: tum quia finis est res effecta, & causata, vt vides in faniatate: tum quia causæ efficientis non potest esse causa: esset autem, si finis constituatur causa.

Denique, pro hac parte occurrit Stagiritæ auctoritas in hoc lib. tex. 70. asserentis, efficiens, & finem coincidere in idem, secundum speciem: formam autem, & finem coire in vnum secundum numerum. Non sunt igitur quatuor genera causarum, sed pauciora.

Argumenta, quod causæ sint plures quàm quatuor.

VIII. Ltera ex parte causarum genera videntur ad plura, quàm ad quatuor extendi. Primò, obiecta sensationum, ac sensuum sunt causæ. cum enim sensus *consistat in quodam pati, & moueri*, secundo de Anim. tex. 51. moueaturque ab obiectis, a quibus fit acta, quemadmodum ibidem a tex. 54. explicatur, profectò obiecta sortiuntur rationem causæ. At non sunt aliqua ex quatuor causis iam enarratis; quare obiecta erunt aliud causæ genus. Minor ex eo facile suadetur; quòd ea non sunt materia, aut forma, cum istæ sint intrinsecæ ijs, quorum sunt causæ: obiecta verò sunt longè seiuncta a sensibus, ac sensationibus. Neque sunt causa efficiens, quia causa efficiens sensationum immediatè quidem sunt sensus: radicalis autem est anima. Nec denique sunt finis; quia si obiecta essent finis sensationum, cum potentiæ sensitiuæ sint propter suas operationes, sequitur ipsas potentias etiam esse propter eadem obiecta. Quod porrò nemo dixerit. Quis vnquam dicet, visum esse propter colorem? Adde, quod anima est finis facultatum, quemadmodum docet Philosophus in eodem secundo lib. tex. 36. non igitur obiecta. Idem argumentum confici potest & de obiecto respectu intellectus.

IX. Secundò, Instrumenta, veluti calor ignis, & ferra artificis, sunt veræ causæ. Nam ex ijs ita pendet res effecta, vt sine illorum opera effici nequeat: At instrumenta ad nullum dictorum generum possunt reduci. Etenim si ad vllum reuocarentur, maximè ad causam efficientem: Sed ad istam non reducuntur: cum hæc sit id, vnde primò incipit motus: siue, vt loquitur Arist. in tex. 29. est *vnde principium mutationis primum*. Instrumenta autem non sunt ea, vnde primò incipit motus; non enim à sectio incipit primò a ferra, sed ab artifice. Item, consilians, & imperans sunt causæ, vt constat ex tex. 29 Ad nullum autem horum generum videntur reduci.

Tertiò, Tot sunt distinguenda genera causarum, quot sunt modi, quibus respondemus, cum fit quæstio propter quid, de aliqua re, vt ex Aristotele hic colligitur. At potest fieri quæstio propter quid, de aliqua re, cui satisfieri nequit per quatuor dictas causas, sed per solam Ideam, siue causam exemplarem: hæc igitur erit quintum genus causarum. Minor prob. Si quispiam interrogetur de statua Socratis, cur sit sima, vt etiam arguit Simplic. in hoc lib. com. 52. is neque per materiam, ex qua illa facta fuit, neque per formam, seu figuram, neque per causam effectricem, aut per finem poterit satisfacere, sed per solam causam exemplarem; quia scil. Socrates erat simus. Atque huiusmodi eius idea obuersabatur in mente artificis.

Hinc Seneca in Epist. 66. aduersus Platonem, & Aristotelem inuectus, ait, hanc causarum turbam, quæ ab his constituta est, *aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendere*. Probat, nam si id omne dicendum est causa, quo remoto, nequit aliquid effici, sequitur, inter causas esse annumerandum, & locum, & tempus, & motum; cum sine his nihil vnquam effici valeat. X.

Sin autem id solum est causa, quod verè facit, & ex quo pendent omnia, profectò vna duntaxat erit causa poncoda, nempe causa efficiens. Quippe hæc materiam mouet. hæc formam producit: hæc finem aliquem propositum habet: hæc denique vtitur causa exemplari tanquam instrumento.

SECTIO SECVNDA.

Quàm variæ extiterint priscorum Philosophorum opiniones circa causas rerum naturalium.

E numero causarum varia extitit inter antiquos Philosophus existimatio, vt vel ex ipso Aristotele in primo Metaph. cap. 3. intelligimus. Vetusti Physici vnam duntaxat rerum omnium causam inuenere, nitricum materialem. XI.

Hanc enim, ait Arist. asseruerunt esse, *& elementum rerum, & principium*. Et post multa, quæ eo loci agitat, tandem concludit, *ex his itaque solam quis causam illam, quæ in materiæ specie dicitur, putabit*.

Dein alij subsecutæ ætatis animaduerterunt, materiam solam, ac sine agente, iacere inertem, ac ociosam, iccircò adiunxerunt causam efficientem, quæ illam reduceret ad actum. *Procedentes enim*

ipsa

ipsa res eos in via posuit, & quærere coegit. Si enim quammaximè omnis generatio, & corruptio ex aliquo vio, aut pluribus est, qualiter hoc accidit, & quæ causa? Non enim vtique facit ipsum subiectum transmutare se ipsum. Dico autem veluti neque lignum, neque æs causa est, vt vtrumque ipsorum mutetur: Neque lignum quidem lectum, æs autem statuam facit, sed aliud quid mutationis est causa. Hoc autem quærere nil aliud est, quàm alteram quærere causam, vnde est principium motus, vt nos eam appellare solemus. inquit Philosophus in eodem cap.

Post hos auctores, alij considerare cœperunt, quod istæ solæ duæ causæ non sufficiunt ad entium naturam. Enimuerò considerabant res, tum Vniuersi, tum particulares, quæ omnes benè, pulchrè, & ordinatè fiunt, & factæ benè itidem ac pulchrè se habent.

Ad hunc autem effectum haud sufficiunt, *ignis*, causa efficiens, & *terra*, causa materialis; Nam causa efficiens si est naturalis, semper agit idem; sin autem est libera, existit indifferens; ac proinde debet determinari. Multo minus materia poterit statui causa huius varietatis, & ordinis rerum. Nec rursus conueniens est opinari, res ita benè ac pulchrè se habere a casu, & a fortuna: propterea isti ab ipsa veritate coacti adiunxerunt causam finalem, propter quam hoc, & non alio pacto entia fiant.

XII. Hinc Anaxagoras dixit, quod sicut in animalibus est talis aliqua causa, ob quam animalia agunt, sic intellectus primus insit causa Mundi, & totius ordinis eius. Hoc etiam docuit Arist. his verbis. *Post hos autem, ac talia principia, tanquam non sufficientia ad generandam rerum naturam, ab ipsa veritate coacti, (vt diximus,) sequens principium quæsiuerunt: vt enim entia* τὸ, καὶ καλῶς, *benè ac pulchrè se partim habeant, partim fiant, neque ignem fortasse, nec terram, nec aliud huiusmodi quicquam verisimile est causam esse: nec illos verisimile est arbitrari: Nec rursus casui, & fortunæ tantam attribuere rem probè se habet. Quare qui vt animalibus, ita in natura intellectum inesse causam Mundi, totiusque ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad antiquiores vana dicentes apparuit.* Istas autem *rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuisse scimus*.

XIII. Circa quæ verba nota. Primò, quod Arist. causam, de qua hic loquitur, ait esse deprehensam *post talia principia*, videl. post causam materialem, & efficientem, quas quidem immediatè supra nominarat. Quare hæc est alia causa, sicuti nos exposuimus, & non est causa efficiens, vt cum S. Thom. plerique omnes interpretantur.

Nota 2. quod Arist. hanc causam vocat ἐχομένην ἀρχὴν: quod dupliciter verti potest. Primò, *principium habitam*, vt etiam legit antiqua translatio; & significat finem iam habitum, seu præhabitum, & præconceptum in intentione. Secundò, transferri potest, *principium sequens*, seu *coniunctum*: & significat eundem finem, qui in executione est cum opere coniunctus, absoluto namque opere, absoluitur etiam, & cessat finis.

Nota 3. quod intellectus ab Anaxagora inductus, non refertur hic ab Aristotele tanquam causa efficiens absolutè, sed tanquam is, qui εὖ καὶ καλῶς, benè, & pulchrè disponit, & ordinat res, quia proprium est intellectus disponere & ordinare. Qui autem sic agit, profectò agit gratia alicuius finis: Sed redeo ad causas.

XIV. Alij olfecerunt quoquo pacto formam. *Nam Democritus, & Empedocles ad exiguam partem tetigerunt formam, & ipsum quod quid est*, vt refertur in tex. 20. huius lib. Veruntamen cum eam tantum tetigissent, nequibant illam constituere veram causam. Sic alij Veteres, qui formam substantialem penitus ignorarunt, non potuerunt eam vllo pacto facere causam. Ex alia verò parte ijdem auctores despexerunt finem, vel quia opinarentur, Naturam non operari propter finem: vel quia assererent, omnia quæ fiunt, euenire a casu. Quocirca ad istorum etiam aures, causæ propriè arctantur tantum ad duas, videl. materialem, & efficientem. XV.

Stoici autē, & si cognouerint duas has causas, nihilominus opinati sunt, materiam propriè haud esse dicendam causam, quia causa facit: materia verò nihil vnquam videtur facere, sed potius pati: Ex qua quidem radice Stagirites etiam ostendebat in primo lib. huius operis tex. 54. principia ex parte materiæ minimè multiplicari, quia proprium materiæ officium est pati: *ad patiendum verò sufficit vnum*. Solam itaque causam efficientem, cum ea sola re vera faciat res, aiebant esse nomine veræ causæ dignam. Sic refert Laertius in vita Zenonis, & Possidonius apud Stobæum cap. 16. & Senec. in epist. illa 66. Quocirca tum ipsi Stoici, tum complures alij Veterum, materiam appellabant principium rerum naturalium, at non causam.

XVI. Quid demum Plato hac in re senserit, haud conuenit inter auctores. Communiter aiunt Doctores nostri, eum quinque genera causarum constituisse, quæ sint causa materialis, formalis, efficiens, finalis, & exemplaris. Alij secus contendunt, Ac primò dicunt, ipsum eiecisse ex numero, & conditione causarum materiam, & formam, propterea quod in Hippia maiore scribit, causam non debere esse aliquid eius, quod causatur. *Aliud enim*, inquit ille, *est causa, aliud id cuius causa est. Neque enim causa ipsius causæ causa esse potest*. Cum itaque materia, & forma re ipsa sint partes compositi, quod est causatum, excluduntur, ad aures Platonis, a conditione causæ. Imo verò ex eodem Dialogo, & ex Philebo colligunt aliqui, quod Plato veram causam solam efficientem existimauerit, finem autem potius esse rem effectam, quàm causam: Nihilominus Socrates in Phædone ostendere enititur, solum finem esse causam, eò quia illud est causa,

quod

Digitized by Google

quod a nobis redditur interrogatis, propter quid aliquid sit, aut fiat: Finis autem solus redditur a nobis interrogatis, propter quid aliquid sit, aut fiat.

XVII. Germana nihilominus Platonis mens ea est, quod propriè, & strictim loquendo, causæ sint sola finis, & efficiens. Istæ namque dicuntur causare aliquid a se ipsis distinctum. Et inter has duas adhuc magis propriè sit causa efficiens: Materia verò, & forma ita strictè haud sint appellandæ causæ, sed concausæ: Et materia quidem sit locus generationis, & sedes imitationis idearum: forma verò sit qualisqualis earumdem idearum imitatio. Ideam autem, siue causam exemplarem, quidam ex eiusdem Platonis schola constituunt distinctum causæ genus, quod sit medium inter efficiens, & finem: est enim idea recta ratio, quam opifex internè intuens, efficit opus suo fini congruum. Alij verò cum Syriano in 13. Metaphys. aiunt, ideam non constituere diuersum causæ genus a prædictis quatuor, sed diuersa ratione spectatam reduci ad triplex genus causæ, videl. formalis, finalis, & efficientis. Vnde colligunt, ea Platonis sententia, genera causarum, propter ideas non reddi plura, quàm quatuor: qua in re immorandum mihi non duco.

SECTIO TERTIA.

Euidens ostensio, quod quatuor tantum sint causarum genera.

XVIII. T iam communi voto receptum est, causas rerum naturalium haud esse plures, aut pauciores constituendas, quàm quatuor, quæ sint materialis, ea qua res fit, formalis, per quam fit, efficiens, a qua fit, & finis, propter quem, seu cuius gratia fit. Et ita ex necessitate tenendum.

Sic colligit Stagirites in hoc lib. tex. 28. & 29. & tex. *68.* & *69* Et ita sensatè euincitur. Nam Causa, vt supra exposui, est, propter quam aliud est. Omne autem quod est habens causam, necessariò est actu: Fit autẽ vnumquodq; actu per formã, cur enim isthuc existit actu equus, illud actu leo, nisi per suas formas? Forma itaque est vna causa. Deinde, hoc quod nunc est actu, antea poterat fieri; erat itaque in potentia, & quidem in potentia passiua, & subiectiua; quæ potentia reducta ad actum, remanet in composito causato, & vnà cum forma illud componit; alioquin hoc causatum esset sola forma: quæ quidem potentia subiectiua cum sit materia, hæc erit altera causa. Porrò omne quod est in potentia, non reducit se ipsum ad actum, non enim lignum, aut æs facit se lectum, vel statuam, necessario igitur debet adesse agens, quod eam materiam redigat ad actum: Modo agens, vt agat, debet determinari: alioquin cum de se sit indifferens ad agendum, & non agendum: & ad agendum hoc, aut illud, nunquam ederet effectum vllum determinatum: Id autem a quo agens determinatur, est finis. Sic ergo clarissimè vides necessitatem dictarum quatuor causarum.

Quod autem non sint plures causæ, quàm præfatæ quatuor, sic colligitur. Causa est ea, propter quam aliud est, ergo tot solum modis dicetur causa, quot modis responderi potest ad quęstionem factam propter quid. Modo ad huiusmodi quæstionem nequit responderi, nisi secundum vnam aliquam ex dictis quatuor causis: quare causæ non sunt, nisi dictæ quatuor. Minor prob. Si quis enim quærat, propter quid homo est corruptibilis? aptè respondetur, quia est compositus ex contrarijs elementis, quæ sunt eius materia. Item, propter quid est corporeus? quia constat ex materia. Si verò sciscitetur, propter quid est rationalis? apta dices, propter formam, siue animam rationalem. Ita, si interroget, propter quid eleuantur vapores? reddemus causam Solis, & astrorum effectricem virtutem. Et si roget, propter quid homo existit? respondemus, quod est, propter genitorem suum. Et demum, si petat, propter quid Sol nunc quidem ad meridiem, nunc verò ad septentrionem vergit? respondemus per finem, vt hyemem æstatæ, autumnum vere contemperet. Sic homo comedit, propter sui conseruationem. Arist. autem in tex. *68.* & *69.* ponit alia exempla, quæ ibi considerabimus. XIX.

Hæc, quæ dixi, rem intentam planè euincunt. Libeat tamen audire quomodo alia quoque præclara ingenia quaternarium causarum numerum hauserunt. Simplic. com. 52. huius lib. Quicquid, inquit, fit, id constat ex materia, & forma, cum omne quod fit, vt ostendit Stagirites in primo Phys. tex. 64. & septimo Metaph. tex. 26. sit compositum: En igitur materia, & forma. At nihil efficit se ipsum: est itaque id a quo illud fit & hoc est efficiens. Porrò istud operatur propter aliquod bonum, quod sibi proponit veluti finem. Sic igitur dictæ quatuor causæ sunt necessariæ: Et cum per eas absoluatur opus, haud est, cur vlla alia inducatur. Hæc eadem assertio multis alijs rationibus potest confirmari, quas consultò prætereo, ne in re perspicua inanis impendatur labor. Adi tamen, si lubet, Alber. Mag. in 2. Phys. tract. 2. cap. 7. Franc. Piccol in 2. Phys. in digress. ad tex. 38. Thom. Gian. lib. 5. suæ Phys. cap. 24. & Raphael Auers. quæst. 11. quæ est de rerum causis, sect. 3. Ego propero ad diluenda contraria argumenta. XX.

SE-

SECTIO QVARTA.

Diluuntur argumenta in prima sect. pro contraria parte confecta. Et primò diluuntur ea, quibus probabatur, causas esse pauciores quatuor.

XXI. 

PRimum arg. depellitur, quia effatum illud, quod causa est perfectior, aut æquè perfecta cum suo effectu, varias habet explicationes, vt inferius ex instituto expendam: Interea dic, causam materialem, & formalem, si accipiantur iunctim, esse æqualis perfectionis, ac est earum effectus, id est compositum physicum: cum enim hoc non distinguatur a partibus simul sumptis, nisi diuersa ratione, quemadmodum in quæst. de distinctione totius à partibus patefeci, palam est, vtraque esse eiusdem entitatis, ac perfectionis. Si autem materia, & forma accipiatur vnaquæque seorsim, est minus perfecta ipso toto, cum vtraque sit quippiam incompletum. Quo quidem intellectu haud est verum, quod causa sit perfectior, aut saltim æquè perfecta cum suo effectu. Nec propterea erit aliqua perfectio in effectu, quæ in causis non existerit, quia perfectio effectus non est pensitanda ex quacunque causa sigillatim, sed ex concursu omnium causarum.

Ad 1. confir. respond. quod cum causa, vt superius dixi, sit principium influens in aliud: causare communiter erit solum influere in aliud: ac proinde in hac significatione omnes causæ dicuntur etiam agere: Veruntamen agunt diuersimodè. Nam materia influit, & agit sustentando: Forma autem influit, & agit formaliter elargiendo esse: Finis verò alliciendo: Efficiens demum influit, & agit efficienter, vt in quæstionibus de earum causalitate dicemus. Quocirca eædem causæ alio etiam atque alio modo sunt actu dum causant. Materia est actu per formam: forma etiam intelligitur educi ex materia, & causare: finis est actu per intellectum: efficiens autem existit actu a parte rei dum causat.

Ad 2. confir. Materia etiam dat effectui esse in suo genere; quandoquidem propter materiam res dicuntur corporeæ, ac materiales, quemadmodum statua, & phiala sunt æneæ, aut argenteæ ab ære, & argento. Forma verò elargitur esse formale, ac specificum, & de hoc loquitur Arist. loco in argum. inducto.

Ad 2. arg. respond. Forma, & omninò omnis causa est prior natura suo effectu. Siquidem illud dicitur prius altero secundum naturam, a quo alterum pendet, non verò è conuerso; vt docet Stagirites quinto Metaph. cap. 16. Manifestum autem est, causatum pendere a forma, non hanc ab illo. Est autem eadem forma simul duratione cum suo effectu, quo pacto intelligit Arist. duodecimo Metaph. tex. illo 16. XXII.

Ad confir. Iam dixi in solutione ad 1. arg. perfectionem totius compositi hauriri non ex vna sola causa, sed ex concursu omnium causarum. Quocirca totum compositum absolutè est perfectius, quàm sola forma, cum includat totam formam, & adhuc aliud ens, nempe materiam. Propterea in secundo de Anim. tex 4. legimus, quod *substantiæ maximè esse videntur corpora, & horum naturalium*.

Locus verò Philosophi ex tertio Metaph. tex. 11. quod *principium, & causa debent esse præter res, quarum principium* est, communiter exponitur de causis extrinsecis, efficitrice, ac fine; non verò de causis internis, materia, & forma. Sic etiam interpretatur S. Thom.

Aptius tamen dicendum existimo, eam propositionem proferri ab Stagirite non ex propria mente, sed iuxta Veterum Philosophorum intelligentiam, cum quibus eo loci edisserit. Edisserit enim, quod species infimæ dicendæ sint magis principia, quàm prima genera: id quod probauerat tribus rationibus. Deinde, præfatis verbis arguit in oppositam partem, Reuoca antem in memoriam, quod Veteres, quemadmodum legis in lib. primo eiusdem operis cap. 3. & nos exposuimus in quæst. præced. cognouerunt tantum duo principia, siue duas causas, scil. causam materialem, & efficientem. in quibus præfata enuntiatio verissima est. Primùm enim materia ita est huius, aut illius rei causa, vt te vera non sit res ipsa, sed aliquid aliud ac diuersum ab ipsa. Non enim res naturalis est ipsa materia. Atque hæc conditio cadit etiam in formam, & in omnem omninò causam. Deinde, materia ita est causa huius rei, vt ab ea seiungi queat, & constituere aliam rem. Quæ quidem nota formæ materiali conuenire non valet. Cum itaque effatum illud, in cuius consideratione versamur, enuncietur iuxta Veterum opinionem, non habet locum in formis, quam illi non cognouerunt. XXIII.

Tertium argum. nullam ingerit difficultatem. Efficiens potest quidem dici effectus, respectu finis, quatenus excitatur, ac determinatur à fine, vt hoc potius, quàm aliud operetur: nihilominus deinde verè efficit effectum, respectu cuius est causa. Porrò causæ sunt sibi mutuo causæ, vt docuit Philosophus in tex. 30. in argum. inducto, & lib. 5 Metaph. cap. 3. Ita sanitas est causa deambulationis in genere causæ finalis, & deabulatio est itidem XXIV.

dem causa sanitatis; in genere efficientis, sicut etiam ostenditur in secundo Poster. tex. 11.

XXV. Eodem pacto quartum argum. nullius est difficultatis. Neganda est minor. Ad auctoritatem verò Philosophi ex quinto Metaph. occurrendum, quod finis est oppositus tantum principio efficienti, sicut explicat idem auctor in primo lib. eiusdem operis cap. 4. quia efficiens est principium motus; Finis autem est terminus motus.

Ad confir. dic, finem esse causam prout est in intentione: qua ratione dicitur causare, quando non est, quia tunc non existit in se a parte rei Quando autem iam ponitur in executione, dicimus eius causalitas cessare, quia tunc completus agentis operatio.

XXVI. Ad vult. respondeo, causam allicientem ad edendos actus morales, vtique esse causam moralem. Ita beatitudo V. G. aut aliud bonum rationis allicit ad actus virtutis moralis, cuiusmodi sunt actus temperantiæ, iustitiæ, officij, &c. causam verò allicientem ad actus naturales, haud esse moralem, sed physicam. Ita bonum naturale, V. G. sanitas, allicit ad actus physicos, videl. exercitium, diætam, potionem amaram. Atque de hac causa est sermo in præsenti: Ad quam tamen reducitur illa moralis.

Ex quibus etiam liquet, quomodo ad Platonem in eodem argum. inductum, sit occurrendum. Finis verè est vna causa physica: & in executione vtique est aliquid factum: in intentione autem est causa. Ite heud inconuenit, causæ efficientis esse aliam causam in alio genere causæ, vt in responsione ad 3. arg. dixi.

Demum, qua ratione plures causæ in vnam doceri; nec propterea imminuendus sit quaternarius causarum numerus, aperui ad tex. 70. Quocirca si recolit qui hæc legit, quid eo in loco diximus, non etiam hic eadem repeti expectabit.

Depulsa argumenta, quibus in eadem sect. probabatur, causas esse plures quatuor.

XXVII Aud minati facilitate depelles argumenta, quæ quaternarium causarum numerum contendunt augere. De primo, quod est de obiectis sensuum, variæ agitantur opiniones. Sunt qui volunt, obiecta reduci ad causam materialem. Distinguunt verò, quod materia alia quidem est ex qua, veluti materia prima, ea quæ euocatur forma substantialis, & æs, ex quo formatur statua. Alia est materia in qua, vt eadem materia, quatenus in ea, excipitur forma, & paries, in quo inhæret albedo: Alia denique est materia circa quam, ceu marmor, circa quod occupatur operatio lapicidæ. Aiunt itaque, obiecta esse materiam circa quam sensuum actus versantur. Ita refert Gian. lib. 5. Phys. cap. 28.

Quæ sententia affatim falsa est. Tum quia materia circa quam, nihil omninò influit in id, quod circa eam operatur. Neque enim marmor quicquam influit in lapicidam; quamquam eius operationi resistat. Manifestum autem est, obiecta influere in sensus. Siquidem immittunt, ac imprimunt in sensus sui speciem intentionalem, per quam attinguntur, vt discimus ex secundo de Anim. tex. 121. Tum etiam, quia sensus, auctore Philosopho tex. 51. eiusdem lib. consistit, *in quodam pati, & moueri*, cuius ratio subiungitur, a Philosopho, quia sensus secundum actum, *videtur quædam alteratio esse*. Quod autem elteratur, id porrò patitur, & mouetur. At sensus patiuntur ab obiecto, quemadmodum in tex. 54. eius lib. ostenditur, quia omnis patiuntur, & mouentur *ab actiuo actu existente*, quæ in proposito sunt obiecta. Iccircò in tex. 59. asseritur, quod *sensitiua operationis actiua sunt extra, visibile, & audibile, similiter & reliqua sensibilium*. Falsum itaque est, obiecta sensuum redigi ad causam materialem. XXVIII

Dicendum itaque est, obiecta sensuum, & sensationum reduci ad genus causæ efficientis, & aliquo modo formalis. Prior pars ex eo liquet, quia obiecta, vt nunc ostendebam, mouent sensus, & deducunt de potentia ad actum: Omne autem huiusmodi efficit. Neque id tollit, quominus sensus sit causa efficiens sensationum, vt argum. in cuius solutione versamur, contendit. Nam sensus primò quidem recipit speciem sensibilem ab obiecto, & patitur: Deinde, ea indutus agit, vt suo loco explicaui. De hac parte vide P. Suarez disput. 12. suæ Metaph sect. 3. & Gian. loco indicato. XXIX.

Posterior verò pars facile suadetur, quia obiecta specificant sensationes, & sensus: Quippe potentiæ specificantur per actus, & actus per obiecta: Quod autem specificat, subit rationem formæ. De qua quidem parte adi PP. Conimbr. in hoc 2. lib. cap. 7. quæst. 2. art. 3. Consultò autem dixi, obiecta redigi *aliquo modo* ad causam formalem, quoniam ea non sunt forma intrinseca, & compositionis, de qua procedit illud argum. sed sunt forma extrinseca, & veluti quædam coarctatio, & commensuratio sensationum, & sensuum, quemadmodum idea quoque est quædam forma extrinseca: Hine S. Thom. in prim. part. quæst. 15. art. 2. *idea*, inquit, *græcè*, *latine forma dicitur*.

Ad 2. arg dicendum, quod instrumenta, siue naturalia, siue artificialia, & si vis, etiam supernaturalia, reducuntur ad suas causas principales efficientes. XXX.

cientes: Argumento est, quod non dicimus, calor comburit, aut serra secat, sed ignis, & artifex. Stagirites autem dum ait, efficiens esse, vnde principium mutationis primum, verba facit de causa principali. Consilians autem, & imperans, quæ in eodam argum. subijciuntur, sunt causæ morales: quæ, vt retrò indicaui, rediguntur ad physicam efficientem.

Ad 3. respondeo, exemplar, siue ideam
XXXI. non constituere aliud causæ genus præter quatuor iam enarrata, sed ad ea reduci. Reducitur autem ad genus causæ formalis: tum ad genus causæ efficientis, vt quo: & aliquo modo ad causam finalem, vt infarius in quæst. propria explicabo.

Quare ad argum. concessa maiori, neganda est minor, quod quæstioni de similitate Statuæ Socratis non possit satisfieri per quatuor illas causas. Est enim talis, tum propter formam exemplarem existentem in mente artificis: tum propter finem: quem illa artifex sibi proposuit, vt imaginem Socratis faceret illi quamsimillimam.

Denique Seneca immerito carpit eximios viros, Platonem, & Aristotelem. Eius autem ratio planè futilis est. Locus, tempus, & id genus alia, dici possunt conditiones, sine quibus non fiet effectus, quemadmodum sine approximatione nunquam comburet ignis: at non sunt causæ, quoniam ijs definitio causæ, iam retro à nobis exposita, aptari nequit. At verò neque ex altera parte sola causa efficiens inducenda est, cum hæc debeat præsupponere materiam, & producere formam, & agere, alicuius gratia, quæ porrò sunt diuersum quippiam a causa efficiente.



QVAESTIO TERTIA.

De causalitate causæ materialis.



Visum a nobis hucusque est, I.
quid causa in communi sit, & quot sint genera causarum. proximum est, vt videamus, quomodo vnaquæque illarum causet. Initium verò a causa materiali expediemus, quemadmodum Stagirites quoque in tex. 28. ab ea ipsa exorsus est, cuius instituti rationem eo loci reddidimus.

Porrò in causalitate materiæ, quemadmodum in cæteris causis, hæc quatuor possunt, ac debent inquiri. Primò, quid materia causet, siue qui sint effectus ipsius. Secundò, quo causet, siue quæ sit in ea ratio causandi. Tertiò, in quonam sita, & collocata sit materiæ causalitas, siue per quid constituatur actu causa. Postremò, quæ vnquam sit conditio necessaria, vt illa causet.

SECTIO PRIMA.

Expenduntur opinio, & fundamenta existimantium, materiam esse, ac dici causam solum respectu compositi, non verò respectu formæ.



Vppono hoc loco ea omnia, quæ II.
de materia secundum se spectata fuse exposui in Disput. 1. post commentationem libri præced: atque nunc eam specto in ordine duntaxat ad causalitatem. In primis autem materia in generatione potest comparari tum ad formam, quæ ab ea expellitur, vnde consequitur interitus totius: tum ad formam, quæ in ea ipsa materia de nouo producitur, ratione cuius consurgit aliud compositum. Materia ad expulsionem formæ præcedentis collata, nullam vnquam obtinet causalitatem: Si-

QVAESTIO PRIMA.

Quid sit causa in communi.

SECTIO PRIMA.

Quanta inter Doctores exorta est in definienda causa in communi, confusio, quia Arist. eam non definiuit.

I. 

Ic mecum ipse sæpenumero reputaui, quod si clarum Aristotelis iubar inter mortales non effulsisset, res litteraria in omni posteritate haud minoribus ignorationis tenebris vrgeretur, quàm ante eundem ipsum Aristotelem premebatur: & doctrinæ ferè omnes etiammùm in maiori versarentur confusione, quàm fuerant vnquam: id quod cùm ex alijs multis, tum ex hac minima re, quam subijcio, facile deprehendes.

II. Nemo ita stupidus est, qui quid sit causa, non apprehendat: quippe si alia nescit, certè non nescit se esse causatum. Nihilominus, quia Arist. causam in communi reliquit indefinitam, dum eam posteri varijs modis efferre tentant, atque hi quidem vno, illi verò alio modo colorant; & rursus isti definitiones illorum examinant, illi alias sugillant, expendunt particulas, mutant, limitant, augent, expellunt alias, alias intrudunt, nata est inter eos, atque in dies excreuit, confusio quammaxima. Causa tanti mali est, quia nullam causæ communiter acceptæ definitionem Philosophus tradidit. *ideò omnibus datum est, ex proprio Marte rationem communem causæ definire; quo nihil exitialius. Nulla enim lex esse potest, vbi legislatores sunt omnes: neque communem aliquam auscultant latam à Principe, cui auscultent omnes*, inquit, & verè, P. Ouiedo in suo curs. Philosoph. in Phys. contron. 7. puncto 1.

Ex quo quidē obiter collige, quantum nos omnes in Philosophia vni Stagiritæ debeamus, quem longè rectius, quàm Lucretius Epicurum suum, possis alloqui.

E tenebris tantis, tam clarum extollere lumen.
Qui primus potuisti, illustrans commoda vitæ.

Rem accipe. Philosophus non definiuit expressè causam in communi, neque in hoc secundo lib. neque in quinto Metaph. cap. 2, quibus in locis ex professo de causis agit, neque alibi vspiam: Quem imitati sunt interpretes Græci, apud quos nulla itidem extat communis causæ definitio, vt adnotauit etiam Gianin. lib. 5. suæ Phys. cap. 21. Non definiuit autem Arist. causam eo modo captam, vel quia assignare vnam communem definitionem, quæ quidem ex æquo omnia quatuor causarum genera complectatur, esset nimis extensum, & posset rem ambiguam reddere, vt nonnulli, cum Vallesi. lib. 2. Phys. quæst. 13. opinantur: Vel quia causa non est vnum quippiam vniuocum, sed anologum, cuius nequit vna ratio probè ac explicatè afferri, quemadmodum existimant alij cum Perer. lib. 8. Phys. cap. 1. & Gianin. loco indicato. Vel quia, vt ego existimo, cum is accuratè explicuerit singula causarum genera, tum earundem naturam, differentias, & modos, quemadmodum in textuum explanatione vidimus, satis indicauit, quomodo possit communis aliqua causæ definitio cudi, si quis eam vellet conficere, sicuti nos quoque inferius, vt æui nostri auribus obtemperemus, duas subijciemus. III.

IV. Audi iam causæ definitionem. Quidam apud Plutarch. lib. primo de plac. Philos. cap. 11. causam definiuere esse *eam, cuius est effectus*: Vel *esse id, a quo aliquid proficiscitur*. Auicen. lib. primo suæ Metaph. cap. 7. *causam*, ait, *esse id, quod dat esse rei*. S. Thom. in hoc lib. lect. 10. *causa*, inquit, *est, ad quam sequitur esse alterius*. In Opuscul. autem 31. scribit, *causam esse id, ex cuius esse sequitur aliud*. Et in quæst. 10. de potentia, art. 1. ad 3, habet, *Dicimus enim causam, ad quam sequitur aliud*. Hanc Complutens. in Phys. Disput. 8. quæst. 1. & quidam alij aiunt, esse desumptam ex libello de Causis: in quo tamē libro nihil huiusmodi leges.

V. P. Suarez in Metaph. Disput. 12. sect. 2. tres causæ definitiones affert. Prima est, quod *Causa est id, per quod satisfit interrogationi, qua inquiritur, propter quid aliquid sit, seu fiat*. Secunda, *Causa est id, ad quod aliquid sequitur*. Tertia, *Causa est id, a quo aliquid per se pendet*, (hæc fuit prius tradita à P. Fonces. in 1. Metaph. cap. 7. quæst. 1.) quam quidem, quod ad rem spectat, approbat Suarez: Nihilominus subdit, quod libentius causam sic describeret. *Causa est principium per se influens esse in aliud*. PP. Conimbr. in hoc 2. lib. cap. 7. quæst. 1. definiunt, quod *Causa est id, a quo aliquid per se dependet*. Perer. lib. 8. Phys. cap. 1. *Causa*, inquit, *est, quæ in suo genere, per se, & principaliter concurrit ad constituendum effectum*. P. Feschius in suis Vestig. Peripat. Vestig. 2. cap. 1. *Causa*

est,

ad cuius esse sequitur aliud esse. Run. Tract. 1. de Causis, num. 13. *Causa*, ait, *est principium per se influens in effectum*.

VI. Franc. Piccolom. in hoc lib. in Digress. de Causis, definit *causam, quod sit principium, ex quo effecta per se pendent pro esse, & distincta cognitione*. Quam tradidit etiam in lib. de definitionibus, quo loci, assignat etiam hanc, quod *Causa est ratio, per quam dissoluitur omnis quæstio*. Thom. Gianin. lib. 5. Phys. cap. 21. *Ego*, inquit, *arbitror, hanc posse afferri communem in omni causa definitionem, Causa est principium, quod est per se est ens, ac per se ac primùm suam operam confert ad quippiã efficiendum*. Mallr. & Bellut. in Phys. Disput. 5. quæst. 2. aiunt, *Causam esse principium per se positiuè influens esse in aliud cum dependentia huius ab illo*. Franc. Ouiedo in suo curs. Phys. Controu. 7. punct. 1. vult, *Causam esse principium influens in terminum non identificatum cum natura principij*. Arriag. *Causa est, quæ per se influit producendo essentiam*. Exclames, opinor, *Obe iam satis est*, ita sanè.

Quid iam? morabimur ne in hisce definitionibus an expendendis, an confutandis? Apage, vt ego inani labore Lectorem excruciem: Si cui otium, & lubet, legat indicatos auctores: Mihi id innuisse satis, quod quia Arist. causam ita acceptam non definiuit, vides, quid in Republica litteraria natum, & alium sit. Nihilominus aperiendum est.

SECTIO SECVNDA.

Quænam fuit radix, quæ hosce Doctores in tot Causæ definitiones compulit. Præterea, explicatur, quod Causa tum propriè, tum impropriè dicitur: Et duplex eius definitio ab auctore adducitur.

VII. Lerique omnes Doctores nostri rebus Philosophicis res fidei nostræ commiscent, atque laborant in multis. In proposito theoremate inspexerunt Græcos Patres admittere causam in diuinis, asseuerantes, Deum Patrem dici, ac esse causam filij. Inter Latinos verò Theologos constanter, causam exulare a diuinis; & Patrem dici quidem, ac esse principium filij, non autem causam: Eodem pacto Patrem, & filium verè esse principium spiritus Sancti, & non causam.

Orientis Ecclesiæ lumina, Patres, sic opinati sunt, quia causa, & principium conuertuntur, sicut ens, & vnum, & sola differunt ratione ex Aristotele quarto Metaph. tex. 3. cuius hæc omninò sunt verba. *Si itaque ens, & vnum idem, & vna natura sunt, propterea quod se inuicem sequuntur, quemadmodum principium, & causa, sed non quod vna ratione significantur*. Hinc idem Philosophus libr. eiusdem operis duodecimo tex. 12. causas rerum naturalium appellat non modo materiam, & formam, sed etiam priuationem, quia scil. cum hæc sit principium earundem rerum, erit etiam appellanda causa. *Tres itaque*, inquit, *sunt causæ, & tria principia: duo quidem ipsa contraria, quorum hoc quidem ratio, & forma; hoc verò priuatio: tertium autem materia*. Cum itaque in diuinis Pater re ipsa vera existat principium filij, erit etiam causa.

Latini verò Patres, & subsecuti Theologi animaduerterunt, principium esse communius quippiam ipsa causa, & causam supra principium addere influxum quendam in effectum; & cum nihil influat in se ipsum, causa infert distinctionem in natura a causato. Quocirca etiam oritur limitatio quædam ac dependentia effectus a causa: vt docet S. Thom. in prim. part. quest. 33. art. 1. ad 1. Quæ omnia a diuinis procul exterminanda sunt, cum ibi sit vna tantum natura, & personæ existant sibi coæquales, & coæternæ. VII.

Secundò, quia omne causatum videtur comprehendi sub vniuersitate creaturarum. *Nam apud Philosophos prima causa Deus nominatur: omne autem causatum sub vniuersitate creaturarum comprehenditur apud eos, & ideo si filius causam dicatur habere, posset intelligi, quod sub vniuersitate causarum, aut creaturarum comprehenderetur* inquit idem S. Thom. in Opuscul. 2. cap. 1.

Tertiò, quia causa est prior suo effectu, vel tempore, vel saltem natura. Manifestum autem est, huiusmodi prioritates nullo vnquam pacto adesse in diuinis. *Neque enim prior est Pater tempore, cum filius sit æternus: neque prior natura, cum Patris, & filij sit vna natura*, ait idem S. Doctor in cap. 2. eiusdem opusculi.

Hinc in responsione illa ad 1. arg. articuli primi nuper indicati ex prima part. ita scribit Dicendum, quod Græci vtuntur in diuinis indifferenter nomine causæ, sicut & nomine principij: sed Latini doctores non vtuntur nomine causæ, sed solum nomine principij. Cuius ratio est, quia principium communius est, quàm causa sicut causa communius, quàm elementum. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei dicitur principium, sed non causa. Quanto autem aliquod nomen est communius, tanto conuenientius assumitur in diuinis, vt supra dictum est. Quia nomina quanto magis

 specia-

ſpecialia ſunt, tanto magis determinant modum conuenientem creaturæ. Vnde hoc nomen cauſæ videtur importare diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij. In omnibus enim cauſæ generibus ſemper inuenitur aliqua diſtantia inter cauſam, & id cuius eſt cauſa, ſecundum aliquam perfectionem, aut virtutem: Sed nomine principij vtimur etiam in his, quæ nullam huiuſmodi differentiam habent, ſed ſolum ſecundum quendam ordinem, ſicut cum dicimus, punctum eſſe principium lineæ, vel etiam cum dicimus, terminum lineæ, eſſe principium lineæ. Hæc S. Thom.

IX. Nihilominus poſſet quiſpiam ex parte Græcorum Patrum dicere, quod cauſa, alia quidem importat haſce imperfectiones; & eſt quatenus reperitur in creaturis: Alia verò abſtrahit ab huiuſmodi imperfectionibus, & importat ſolummodo alicuius ab aliquo emanationem: & hæc ſit in diuinis. Neque enim nouum eſt in Theologia, attribui Deo aliqua, ſecluſa omni imperfectione, quæ tamen, quatenus reperiuntur in creatura, concernunt imperfectionem.

Adde, quod Pater Deus non eſt principium filij, ſicuti punctum eſt principium lineæ, aut terminus à quo eſt itidem principium motus, aut pars eſt principium totius, quæ erant exempla S. Thom. Hæc quippe non exercent actionem vllam circa ea, quorum ſunt principia: Cæterùm Pater Deus eſt principium filij, & Pater, ac Filius ſunt principium Spiritus Sancti, per veram, ac realem actionem: Verè etenim ille producit, & generat filium: & hi verè ſpirant, & producunt Spiritum Sanctum. Quod ſi ſunt principium agens, producens, generans, ſpirans, videntur etiam poſſe appellari cauſa, abſque vlla tamen imperfectione.

Hinc magnus ille, & doctrina, & ſacra Purpura Cardinalis Beſſarion, cum non ſemel in diuinis vſus eſſet nomine cauſæ, more Patrum Orientalium, ita ſemet explicat in illa facundiſſima oratione, pro vnione, quæ legitur circa finem Concilij Floren. *At notare oportet, quod Sancti Doctores Orientales etiam in diuinis vtuntur nomine cauſæ, & cauſati largo modo: non quidem vt limitationem, & dependentiam importat, ſed prout productionem, & emanationem a principio eius, quod eſt à principio, ſignificat: ideò me etiam &c.*

X. Sed iam communiter inter Doctores dicitur, cauſam gemino modo vſurpari: *Vno quidem communi quadam acceptione, pro omni eo, a quo aliud quomodocunque procedit: in qua acceptione conuertitur cum principio. Secundò, accipitur propriè, pro ſola re poſitiua, quæ ſuum eſſe communicat alteri cum dependentia.* Ita diſtinguunt P. Suarez in diſput. illa 12. ſect. 2. PP. Compluten. in Phyſ. diſput. 8. quæſt. 1. Ruu. Tract. 1. de cauſis, quæſt. 1.

Nos itaque in præſenti verba faciemus de cauſa propriè dicta, quæ cum a diuinis vſquequaque exterminetur, coegit Doctores noſtros in definienda hac cauſa, duo debere præ oculis habere. Vnum, vt definitio cauſæ competat omni, ac ſoli cauſæ in rebus creatis. Alterum, vt cauſa excludatur a diuinis. Quod in cauſa fuit, vt tot cauſæ definitiones excogitarent, quot ſupra a nobis relatas audiuiſti.

Huic inſtituto ego quoque morem gerens, duas
cauſæ definitiones ſubjicio: Vna eſt. Cauſa eſt XI.
principium, a quo primò res dependenter eſt. Principium pono loco generis: reliquas voces loco differentiæ. Pono vocem. (primò) vt excludam inſtrumenta: Adijcio (dependenter) vt ſeponam productionem Verbi diuini, quod re ipſa eſt a Patre tanquam a vero principio, & non dependenter: Non enim filius dependet in eſſe à Patre: Eodem pacto nec Spiritus Sanctus. Denique vocem (eſt) non accipio in ſtricta, ac propria ſignificatione, quatenus idem pollet eſſe aliquid ex aliquo, atque componi ex illo, vt in lib. præced. ad tex. 42. quæſt. 1. expoſui, Sic enim non niſi cauſam materialem, & formalem amplecteret, ex quibus res intrinſecè componuntur: ſed accipio in laxiori ſignificatu, prout amplectitur & cauſam effectricem, a qua res effectiuè ſunt, ſiue exiſtunt, & etiam finem, propter quem aliquid eſt.

Altera cauſæ communiter acceptæ definitio fue- XII.
rit hæc. Cauſa eſt ea, propter quam eſt aliud. Porrò ſi tantum dicas, cauſam eſſe eam, propter quam res eſt, planè cernis aptiſſimam Cauſæ definitionem, acceptam ex Ariſtotele, tum in his contex. tum in quinto Metaph. cap. 2: tum in primo Poſter. tex. 6. quibus in locis cauſa dicitur eſſe ea, per quam reſpondemus ad quæſtionem propter quid. Nihilominus conſultò dixi, (propter quam eſt *aliud*) vt cauſam excludam a diuinis, vbi quamuis Filius ſit à Patre, ſiue propter Patrem, (vocem etenim, propter, non accipio ita, vt ſignificet finem, ſed accipio communiter) nihilominus Filius non eſt aliud a Patre. Nam *Pater, & ego vnum ſumus*, ait Veritas ipſa, Chriſtus. Ex his habes, quid cauſa ſit.

Proximum eſt, vt videamus, quotuplex ſit: hoc autem eſt quærere.

QVAE.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum sint tantum quatuor genera Causarum, quæ sunt Causa materialis, formalis, efficientis, & finis.

SECTIO PRIMA.

Argumenta pro parte negatiua; Et primùm quod sint pauciora, quàm quatuor.

I. 
Identur esse pauciora; Ac primo quidem ostendo, materiam non posse constitui causam. Causa est perfectior suo effectu; quocirca etiam dici solet, quod omnis nobiliori modo sunt in causa, quàm in se ipsis. Vel saltem causa est æquè perfecta, ac eius effectus: alioquin effectus haberet aliquam perfectionem, quam a suis causis non acciperet, quod est impossibile. Sed materia neque perfectior est, neque æquè perfecta cum suo effectu: quare materia non est causa. Minor vel ex eo liquet, quòd effectus materiæ est compositum substantiale, quod porrò longa intercapedine præstat materiæ.

Præterea, Causa necessario debet exercere aliquam operationem circa causatum: cum causare sit quoddam agere: Atqui materia neque quicquam agere, neque vllam omninò valet exercere operationem. Quid ita? quia vnumquodque agit in quantum est actu. Materia autem est solum potentia: quare nullam habet actiuitatem, ac proinde non est causa.

Accedit, Causa elargitur esse causato: Causa namque, vt diximus, est illa, propter quam est aliud. Materia nulli rei elargitur esse, quin potius accipit esse à forma; siquidem auctore Philosopho in secundo de Anim. tex. 2. *Forma est, secundum quam iam est hoc aliquid*. materia igitur non est causa.

Secundò ostendo, neque formam esse causam. Causa naturaliter est prior suo effectu, vt constat ex primo Poster. & nos inferius aperiemus, cum à causa dependeat effectus, non autem è contra. Hinc Auerr. 7. Metaph. com. 4. *causata*, inquit, *posteriorantur causis*. Sed Forma non est prior suo effectu. Quod ex eo apparet, quia effectus formæ est compositum, cum quo forma est omninò simul: Scribit enim Philosophus duodecimo Metaph. tex. 16. quod *causæ mouentes, tanquam antea ortæ, existunt: quæ verò vt ratio, simul sunt. Cum enim sanus fit homo, tunc etiam sanitas est: Et forma æneæ sphæræ simul atque ænea sphæra*. II.

Item, pars naturaliter est minus perfecta suo toto: partes quippe subeunt rationem materiæ respectu totius, vt ex Arist. in tex. 28. habuisti. Forma est pars totius compositi substantialis: quocirca fieri nequit, vt sit eius causa; alioquin minus perfectum causaret magis perfectum: Quod contradictionem inuoluit.

Huc facit locus Philosophi ex tertio Metaph tex. 11. in quo scribit, principium, & causam debere esse præter res, quarum sunt: & posse ab iis segregari. *Principium enim*, inquit, *& causam esse oportet præter res, quarum principium est, & posse esse separatum ab eis*. At materia, & forma non sunt aliquid præter res, quarum sunt; neque ab eis seiungi queunt: neque igitur principium, neque causa erunt.

Tertiò prob. neque agens, seu efficiens esse causam. Quod est effectus, non est causa, sed potius causatum: Efficiens est effectus causæ finalis. Quod ostendo, tum auctoritate Philosophi in tex. 30. huius lib. asserentis, quasdam causas esse sibi mutuo causas, *vt exercitium est causa bonæ habitudinis, & hæc exercitij*. Quod si exercitium, est effectus bonæ habitudinis, non igitur fuerit causa. Tum etiam, quia illud quod mouetur ab alio, non est causa: Efficiens, qua efficiens, mouetur a fine, ergo &c. III.

Quartò denique prob. neque finem esse causam. *Omnis causa est principium*, ex quinto Metaph. cap. 1. Finis non est principium, imò verò è regione opponitur principio. Hoc etiam tradit Stagirites, in eodem lib. cap. 3. in fine, *Circa generationem autem, & actiones, totamque transmutationem, cum sciamus motus principium: hoc autem aliud, & fini oppositum est*. non itaque finis erit causa. IV.

Præterea, Quod non est, id nequit vllo pacto constitui causa: Finis autem, qua finis nondum est: hic etenim dicitur causa, quando non est: quippe cum est, cessat eius causalitas.

Postremò, Finis non est causa physica, sed moralis, quare temerè inter causas Physicas connumeratur. Consecutio aperta est, quia causæ morales spectant ad scientiam moralem, causæ verò Physicæ ad Physicam. Assumptum autem ex eo ostenditur, quia finis causat tantum alliciendo, qua tenus inijcit agenti amorem, & desiderium sui. At causa, quæ solum alliciendo causat, moralis est.

Digitized by Google

Hinc Plato in Hippia maiore ambigit, an finis sit causa: tum quia finis est res effecta, & causata, vt vides in sanitate: tum quia causæ efficientis non potest esse causa: esset autem, si finis constitueretur causa.

Denique, pro hac parte occurrit Stagiritæ auctoritas in hoc lib. tex. 70. asserentis, efficiens, & finem coincidere in idem secundum speciem: formam autem, & finem coire in vnum secundum numerum. Non sunt igitur quatuor genera causarum, sed pauciora.

Argumenta, quod causæ sint plures quàm quatuor.

VIII. 
Ltera ex parte causarum genera videntur ad plura, quàm ad quatuor extendi. Primò, obiecta sensationum, ac sensuum sunt causæ. cum enim sensus *consistat in quodam pati, & moueri*, secundo de Anim. tex. 51. moueaturque ab obiectis, a quibus fit actu, quemadmodum ibidem a tex. 54. explicatur, profectò obiecta sortiuntur rationem causæ. At non sunt aliqua ex quatuor causis iam enarratis; quare ob ecta erunt aliud causæ genus. Minor ea eo facile suadetur; quòd ea non sunt materia, aut forma, cum istæ sint intrinsecæ iis, quorum sunt causæ; obiecta verò sunt longè seiuncta a sensibus, ac sensationibus. Neque sunt causa efficiens, quia causa efficiens sensationum immediatè quidem sunt sensus: radicalis autem est anima. Nec denique sunt finis; quia si obiecta essent finis sensationum, cum potentiæ sensitiuæ sint propter suas operationes, sequitur ipsas potentias etiam esse propter eadem obiecta. Quod porrò nemo dixerit. Quis vnquam dicet, visum esse propter colorem? Adde, quod anima est finis facultatum, quemadmodum docet Philosophus in eodem secundo lib. tex. 36. non igitur obiecta. Idem argumentum confici potest & de obiecto respectu intellectus.

IX. Secundò, Instrumenta, veluti calor ignis, & ferra artificia, sunt veræ causæ. Nam ex iis ita pendet res effecta, vt sine illorum opera effici nequeat: At instrumenta ad nullum dictorum generum possunt reduci. Etenim si ad vllum reuocarentur, maximè ad causam efficientem: Sed ad istam non reducuntur: cum hæc sit id, vnde primò incipit motus, siue, vt loquitur Arist. in tex. 29. est *vnde principium mutationis primum*, Instrumenta autem non sunt ea, vnde primò incipit motus: non enim sectio incipit primò a ferra, sed ab artifice. Item, consiliana, & imperana sunt causæ, vt constat ex tex. 29 Ad nullum autem horum generum videntur reduci.

Tertiò, Tot sunt distinguenda genera causarum, quot sunt modi, quibus respondemus, cum fit quæstio propter quid, de aliqua re, vt ex Aristotele hîc colligitur. At potest fieri quæstio propter quid, de aliqua re, cui satisfieri nequit per quatuor dictas causas, sed per solam Ideam, siue causam exemplarem: hæc igitur erit quintum genus causarum. Minor prob. Si quispiam interrogetur de statua Socratis, cur sit sima, vt etiam arguit Simplic. in hoc lib. com. 52. is neque per materiam, ex qua illa facta fuit, neque per formam, seu figuram, neque per causam effectricem, aut per finem poterit satisfacere, sed per solam causam exemplarem; quia scil. Socrates erat simus. Atque huiusmodi eius idea obuersabatur in mente artificis.

Hinc Seneca in Epist. 66. aduersus Platonem, & Aristotelem inuectus, ait, hanc causarum turbam, quæ ab his constituta est, *aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendere*. Probat, nam si id omne dicendum est causa, quo remoto, nequit aliquid effici, sequitur, inter causas esse annumerandum, & locum, & tempus, & motum, cum sine his nihil vnquam effici valeat. X.

Sin autem id solum est causa, quod verè facit, & ex quo pendent omnia, profectò vna duntaxat erit causa ponenda, nempe causa efficiens. Quippe hæc materiam mouet, hæc formam producit: hæc finem aliquem propositum habet: hæc denique vtitur causa exemplari tanquam instrumento.

SECTIO SECVNDA.

Quàm variæ extiterint priscorum Philosophorum opiniones circa causas rerum naturalium.


E numero causarum variæ extitit inter antiquos Philosophos existimatio, vt vel ex ipso Aristotele in primo Metaph. cap. 3. intelligimus. Vetusti Physici vnam duntaxat rerum omnium causam inuexere, nimirum materialem; XI.
Hanc enim, ait Arist. asseruerunt esse, *& elementum rerum, & principium*. Et post multa, quæ eo loci agitat, tandem concludit, *ex his itaque solam quis causam illam, quæ in materiæ specie dicitur, putabit*.

Dein alij subsecutæ ætatis animaduerterunt, materiam solam, ac sine agente iacere inertem, ac ociosam, icircò adiunxerunt causam efficientem, quæ illam reduceret ad actum. *Procedentes enim ipsis*

ipsa res eis in via posuit, & quærere coegit. Si enim quammaximè omnis generatio, & corruptio ex aliquo vno, aut pluribus est, qualiter hoc accidit, & quæ causa? Non enim utique facit ipsum subiectum transmutare se ipsum. Dico autem veluti neque lignum, neque æs causa est, vt vtrumque ipsorum mutetur: Neque lignum quidem lectum, æs autem statuam facit, sed aliud quid mutationis est causa. Hoc autem quærere nil aliud est, quàm alteram quærere causam, vnde est principium motus, vt nos eam appellare solemus. inquit Philosophus in eodem cap.

Post hos auctores, alij considerare cœperunt, quod istæ solæ duæ causæ non sufficiunt ad entium naturam. Enimuerò considerabant res, tum Vniuersi, tum particulares, quæ omnes benè, pulchrè, & ordinatè fiunt, & factæ benè itidem ac pulchrè se habent.

Ad hunc autem effectum haud sufficiunt, ignis, causa efficiens, & terra, causa materialis; Nam causa efficiens si est naturalis, semper agit idem; sin autem est libera, existit indifferens; ac proinde debet determinari. Multo minus materia potest statui causa huius varietatis, & ordinis rerum. Nec rursus conueniens est opinari, res ita benè ac pulchrè se habere a casu, & a fortuna: propterea isti ab ipsa veritate coacti adiunxerunt causam finalem, propter quam hoc, & non alio pacto entia fiant.

XII. Hinc Anaxagoras dixit, quod sicut in animalibus est talis aliqua causa, ob quam animalia agunt, sic intellectus primus insit causa Mundi, & totius ordinis eius. Hoc autem docuit Arist. his verbis. *Post hos autem, ac talia principia, tanquam non sufficientia ad generandam rerum naturam, ab ipsa veritate coacti, (vt diximus,) sequens principium quæsiuerunt: vt enim entia εὖ, καὶ καλῶς, benè ac pulchrè se partim habeant, partim fiant, neque ignem fortasse, nec terram, nec aliud huiusmodi quicquam verisimile est causam esse: nec illos verisimile est arbitrari: Nec rursus casui, & fortunæ tantam attribuere rem probè se habet. Quare qui vt animalibus, ita in natura intellectum inesse causam Mundi, totiusque ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad antiquiores vana dicentes apparuit.* Istas autem *rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuisse scimus.*

XIII. Circa quæ verba nota. Primò, quod Arist. causam, de qua hic loquitur, ait esse deprehensam *post talia principia*, videl. post causam materialem, & efficientem, quas quidem immediatè supranominarat. Quare hæc est alia causa, sicuti nos exposuimus, & non est causa efficiens, vt cum S. Thom. plerique omnes interpretantur.

Nota 2. quod Arist. hanc causam vocat ἐχομένην ἀρχὴν: quod dupliciter verti potest. Primò, *principium habitum*, vt etiam legit antiqua translatio; & significat finem iam habitum, seu præhabitum, & præconceptum in intentione. Secundò, transferri potest, *principium sequens*, seu *coniunctum*: & significat eundem finem, qui in executione est cum opere coniunctus, absoluto namque opere, absoluitur etiam, & cessat finis.

Nota 3. quod intellectus ab Anaxagora inductus, non refertur hic ab Aristotele tanquam causa efficiens absolutè, sed tanquam is, qui εὖ καὶ καλῶς, benè, & pulchrè disponit, & ordinat res, quia proprium est intellectus disponere & ordinare. Qui autem sic agit, profectò agit gratia alicuius finis: Sed redeo ad causas.

Alij olfecerunt quoquo pacto formam. *Nam Democritus, & Empedocles ad exiguam partem tetigerunt formam, & ipsum quod quid est*, vt refertur in tex. 20. huius lib. Veruntamen cum eam tantum tetigissent, nequibant illam constituere verum causam. Sic alij Veteres, qui formam substantialem penitus ignorarunt, non potuerunt eam vllo pacto facere causam. Ex alia verò parte ijdem auctores despexerunt finem, vel quia opinarentur, Naturam non operari propter finem: vel quia assererent, omnia quæ fiunt, euenire a casu. Quocirca ad istorum etiam aures, causæ propriè arctantur tantum ad duas, videl. materialem, & efficientem. XIV.

Stoici autē, & si cognouerint duas has causas, nihilominus opinati sunt, materiam propriè haud esse dicendam causam, quia causæ faciunt: materia verò nihil vnquam videtur facere, sed potius pati: Ex qua quidem radice Stagirites etiam ostendebat in primo lib. huius operis tex. 54. principia ex parte materiæ minimè multiplicari, quia proprium materiæ officium est pati: *ad patiendum verò sufficit vnum.* Solam itaque causam efficientem, cum ea sola re vera faciat res, aiebant esse nomine veræ causæ dignam. Sic refert Laertius in vita Zenonis, & Possidonius apud Stobæum cap. 16. & Senec. in epist. illa 66. Quocirca tum ipsi Stoici, tum complures alij Veterum, materiam appellabant principium rerum naturalium, at non causam. XV.

Quid demum Plato hac in re senserit, haud conuenit inter auctores. Communiter aiunt Doctores nostri, eum quinque genera causarum constituisse, quæ sint causa materialis, formalis, efficiens, finalis, & exemplaris. Alij secus contendunt, Ac primò dicunt, ipsum eiecisse a numero, & conditione causarum materiam, & formam, propterea quod in Hippia maiore scribit, causam non debere esse aliquid eius, quod causatur. *Aliud enim*, inquit ille, *est causa, aliud id cuius causa est. Neque enim causa ipsius causæ causa esse potest.* Cum itaque materia, & forma re ipsa sint partes compositi, quod est causatum, excluduntur, ad aures Platonis, a conditione causæ. Imo verò ex eodem Dialogo, & ex Philebo colligunt aliqui, quod Plato veram causam solam efficientem existimauerit, finem autem potius esse rem effectam, quàm causam: Nihilominus Socrates in Phædone ostendere enititur, solum finem esse causam, eò quia illud est causa, XVI.

quod

Digitized by Google

quod a nobis redditur interrogatis,propter quid aliquid sit, aut fiat: Finis autem solus redditur a nobis interrogatis,propter quid aliquid sit, aut fiat.

XVII. Germana nihilominus Platonis mens ea est,quod propriè,& strictim loquendo, causæ sint solæ finis, & efficiens Istæ namque dicuntur causare aliquid a se ipsis distinctum. Et inter has duas adhuc magis propriè sit causa efficiens: Materia verò, & forma ita strictè haud sint appellandæ causæ, sed concausæ: Et materia quidem sit locus generationis,&, sedes imitationis idearum: forma verò sit qualis qualis earumdem idearum imitatio. Ideam autem, siue causam exemplarem, quidam ex eiusdem Platonis schola constituunt distinctum causæ genus, quod sit medium inter efficiens, & finem: est enim idea recta ratio, quam opifex internè intuens,efficit opus suo fini congruum. Alij verò cum Syriano in 13. Metaphys. aiunt, ideam non constituere diuersum causæ genus a prædictis quatuor, sed diuersa ratione spectatam reduci ad triplex genus causæ, videl. formalis, finalis, & efficientis. Vnde colligunt, ex Platonis sententia, genera causarum,propter ideas non reddi plura, quàm quatuor: qua in re immorendum mihi non duco.

SECTIO TERTIA.

Euidens ostensio, quod quatuor tantum sint causarum genera.

XVIII. T iem communi voto receptum est, causas rerum naturalium haud esse plures, aut pauciores constituendas,quàm quatuor, quæ sint materialis,ex qua res fit,formalis, per quem fit, efficiens, a qua fit, & finis,propter quem, seu cuius gratia fit. Et ite ex necessitate tenendum.

Sic colligit Stagirites in hoc lib. tex. 28. & 29. & tex. 68. & 69 Et ita sensatè euincitur. Nam Causa, vt supra exposui, est, propter quam aliud est. Omne autem quod est habens causam, necessariò est actu: Fit autē vnumquodq; actu per formā, cur enim isthuc existit actu equus, illud actu leo, nisi per suas formas? Formæ itaque est vna causa. Deinde, hoc quod nunc est actu, antea poterat fieri; erat itaque in potentia, & quidem in potentia passiua, & subiectiua; quæ potentia reducta ad actum, remanet in composito causato, & vnà cum forma illud componit; alioquin hoc causatum esset sola forma: quæ quidem potentia subiectiue cum sit materia, hæc erit altera causa. Porrò omne quod est in potentia,non reducit se ipsum ad actum, non enim lignum, aut æs facit se lectum,vel statuam,necessario igitur debet adesse agens, quod eam materiam redigat ad actum: Modo agens, vt agat, debet determinari: alioquin cum de se sit indifferens ad agendum,& non agendum:& ad agendum hoc, aut illud, nunquam ederet effectum vllum determinatum: Id autem a quo agens determinatur, est finis. Sic ergo clarissimè vides necessitatem dictarum quatuor causarum.

XIX. Quod autem non sint plures causæ, quàm præfatæ quatuor,sic colligitur. Causa est ea, propter quam aliud est, ergo tot solum modis dicetur causa, quot modis responderi potest ad quæstionem factam propter quid. Modo ad huiusmodi quæstionem nequit responderi, nisi secundum vnam aliquam ex dictis quatuor causis: quare causæ non sunt, nisi dictæ quatuor. Minor prob. Si quis enim quærat, propter quid homo est corruptibilis? aptè respondetur, quia est compositus ex contrarijs elementis, quæ sunt eius materia. Item, propter quid est corporeus? quia constat ex materia. Si verò sciscitetur, propter quid est rationalis? apte dices, propter formam, siue animam rationalem. Ita, si interroget, propter quid eleuantur vapores? reddemus causam Solis,& astrorum effectricem virtutem. Et si roget, propter quid homo existit? respondemus, quod est, propter genitorem suum. Et demum, si petat, propter quid Sol nunc quidem ad meridiem,nunc verò ad septentrionem vergit? respondemus per finem, vt hyemem æstate, autumnum vere contemperet. Sic homo comedit, propter sui conseruationem. Arist. autem in tex. 68. & 69. ponit alia exempla, quæ ibi considerabimus.

XX. Hæc,quæ dixi,rem intentam planè euincunt: lubeat tamen audire quomodo alia quoque præclara ingenia quaternarium causarum numerum hauserunt. Simplic. com. 52. huius lib. Quicquid, inquit, fit, id constat ex materia, & forma, cum omne quod fit, vt ostendit Stagirites in primo Phys. tex. 64. & septimo Metaph. tex. 26. sit compositum: En igitur materia, & forma. At nihil efficit se ipsum: est itaque id a quo illud fit: & hoc est efficiens Porrò istud operatur propter aliquod bonum, quod sibi proponit veluti finem. Sic igitur dictæ quatuor causæ sunt necessariæ: Et cum per eas absoluatur opus, haud est, cur vlla alia inducatur. Hæc eadem assertio multis alijs rationibus potest confirmari, quas consultò prætereo, ne in re perspicua inanis impendatur labor. Adi tamen, si lubet, Alber. Mag. in 2. Phys. tract. 2. cap. 7. Franc. Piccol in 2. Phys. in digress. ad tex. 38. Thom. Gian. lib. 5. suæ Phys. cap. 24. & Raphael Auers. quæst. 11. quæ est de rerum causis, sect. 3. Ego propero ad diluenda contraria argumenta.

SECTIO QVARTA.

Diluuntur argumenta in prima sect. pro contraria parte confecta. Et primò diluuntur ea, quibus probabatur, causas esse pauciores quatuor.

XXI. Rimum arg. depellitur, quia effatum illud, quod causa est perfectior, aut æquè perfecta cum suo effectu, varias habet explicationes, vt inferius ex instituto expendam: Interea dic, causam materialem, & formalem, si accipiantur iunctim, esse æqualis perfectionis, ac est earum effectus, id est compositum physicum: cum enim hoc non distinguatur a partibus simul sumptis, nisi diuersa ratione, quemadmodum in quæst. de distinctione totius à partibus patefeci, palam est, vtraque esse eiusdem entitatis, ac perfectionis. Si autem materia, & forma accipiatur vnaquæque seorsim, est minus perfecta ipso toto, cum vtraque sit quippiam incompletum. Quo quidem intellectu haud est verum, quod causa si perfectior, aut saltim æquè perfecta cum suo effectu. Nec propterea erit aliqua perfectio in effectu, quæ in causis non extiterit, quia perfectio effectus non est pensitanda ex quacunque causa singillatim, sed ex concursu omnium causarum.

Ad 1. confir. respond. quod cum causa, vt superius dixi, sit principium influens in aliud: causare communiter erit solum influere in aliud: ac proinde in hac significatione omnes causæ dicuntur etiam agere: Veruntamen agunt diuersimodè. Nam materia influit, & agit sustentando: Forma autem influit, & agit formaliter elargiendo esse: Finis verò alliciendo: Efficiens demum influit, & agit efficienter, vt in quæstionibus de earum causalitate dicemus. Quocirca eædem causæ alio etiam atque alio modo sunt actu dum causant. Materia est actu per formam: forma etiam intelligitur educi ex materia, & causare: finis est actu per intellectum: efficiens autem existit actu a parte rei dum causat.

Ad 2. confir. Materia etiam dat effectui esse in suo genere; quandoquidem propter materiam res dicuntur corporeæ, ac materiales, quemadmodum statua, & phiala sunt æneæ, aut argenteæ ab ære, & argento. Forma verò elargitur esse formale, ac specificum, & de hoc loquitur Arist. loco in argum. inducto.

Ad 2. arg. respond. Forma, & omninò omnis causa est prior natura suo effectu. Siquidem illud dicitur prius altero secundum naturam, a quo alterum pendet, non verò è conuerso; vt docet Stagirites quinto Metaph. cap. 16. Manifestum autem est, causatum pendere a forma, non hanc ab illo. Est autem eadem forma simul duratione cum suo effectu, quo pacto intelligit Arist. duodecimo Metaph. tex. illo 16. XXII.

Ad confir. Iam dixi in solutione ad 2. arg. perfectionem totius compositi hauriri non ex vna sola causa, sed ex concursu omnium causarum. Quocirca totum compositum absolutè est perfectius, quàm sola forma, cum includat totam formam, & adhuc aliud ens, nempe materiam, Propterea in secundo de Anim. tex. 4. legimus, quod *substantia maximè esse videntur corpora, & horum naturalium*.

Locus verò Philosophi ex tertio Metaph. tex. 11. quod *principium, & causa debent esse præter res, quarum principium* est, communiter exponitur de causis extrinsecis, efficiente, ac fine; non verò de causis internis, materia, & forma. Sic etiam interpretatur S. Thom.

Aptius tamen dicendum existimo, eam propositionem proferri ab Stagirite non ex propria mente, sed iuxta Veterum Philosophorum intelligentiam, cum quibus eo loci edisserit. Edisserit enim, quod species infimæ dicendæ sint magis principia, quàm prima genera: id quod probauerat tribus rationibus. Deinde præfatis verbis arguit in oppositam partem. Reuoca autem in memoriam, quod Veteres, quemadmodum legis in lib. primo eiusdem operis cap. 3. & nos exposuimus in quæst. præced. cognouerunt tantum duo principia, siue duas causas, scil. causam materialem, & efficientem. in quibus præfata enuntiatio verissima est. Primùm enim materia ita est huius, aut illius rei causa, vt te vera non sit res ipsa, sed aliquid aliud ac diuersum ab ipsa. Non enim res naturalis est ipsa materia. Atque hæc conditio cadit etiam in formam, & in omnem omninò causam. Deinde, materia ita est causa huius rei, vt ab ea seiungi queat, & constituere aliam rem. Quæ quidem nota formæ materiali conuenire non valet. Cum itaque effatum illud, in cuius consideratione versamur, enuncietur iuxta Veterum opinionem, non habet locum in forma, quam illi non cognouerunt. XXIII.

Tertium argum. nullam ingerit difficultatem. Efficiens potest quidem dici effectus, respectu finis, quatenus excitatur, ac determinatur à fine, vt hoc potius, quàm aliud operetur: nihilominus deinde verè efficit effectum, respectu cuius est causa. Porrò causæ sunt sibi mutuo causæ, vt docuit Philosophus in tex. 30. in argum. inducto, & lib. 5 Metaph. cap. 3. Ita sanitas est causa deambulationis in genere causæ finalis, & deambulatio est itidem XXIV.

cientes. Argumento est, quod non dicimus, calor comburit, aut ferra secat, sed ignis, & artifex. Stagirites autem dum ait, efficiens esse, vnde principium mutationis primum, verba facit de causa principali. Consilians autem, & imperans, quæ in eodem argum. subjciuntur, sunt causæ morales: quæ, vt retrò indicaui, rediguntur ad physicam efficientem.

XXXI. Ad 5. respondeo, exemplar, siue ideam non constituere aliud causæ genus præter quatuor iam enarrata, sed ad ea reduci. Reducitur autem ad genus causæ formalis: tum ad genus causæ efficientis, vt quo: & aliquo modo ad causam finalem, vt inferius in quæst. propria explicabo.

Quare ad argum. concessa maiori, neganda est minor, quod quæstioni de fimitate Statuæ Socratis non possit satisfieri per quatuor illas causas. Est enim talis, tum propter formam exemplarem existentem in mente artificis: tum propter finem; quem ille artifex sibi proposuit, vt imaginem Socratis faceret illi quamsimillimam.

Denique Seneca immerito carpit eximios viros, Platonem, & Aristotelem. Eius autem ratio planè futilis est. Locus, tempus, & id genus alia, dici possunt conditiones, sine quibus non fiet effectus, quemadmodum sine approximatione nunquam comburet ignis: at non sunt causæ, quoniam ijs definitio causæ, iam retro à nobis exposita, aptari nequit. At verò neque ex altera parte sola causa efficiens inducenda est, cum hæc debeat præsupponere materiam, & producere formam, & agere, alicuius gratia, quæ porrò sunt diuersum quippiam à causa efficiente.



QVAESTIO TERTIA.

De causalitate causæ materialis.



Visum a nobis hucusque est, quid causa in communi sit, & quot sint genera causarum: proximum est, vt videamus, quomodo vnaquæque illarum causet. Initium verò a causa materiali expedtemus, quemadmodum Stagirites quoquè in tex. 28. ab ea ipsa exorsus est, cuius institutionem eo loci reddidimus. I.

Porrò in causalitate materiæ, quemadmodum in cæteris causis, hæc quatuor possunt, ac debent inquiri. Primò, quid materia causet, siue qui sint effectus ipsius. Secundò, quo causet, siue quæ sit in ea ratio causandi. Tertiò, in quonam sita, & collocata sit materiæ causalitas, siue per quid constituatur actu causa. Postremò, quæ vnquam sit conditio necessaria, vt illa causet.

SECTIO PRIMA.

Expenduntur opinio, & fundamenta existimantium, materiam esse, ac dici causam solum respectu compositi, non verò respectu formæ.



Suppono hoc loco ea omnia, quæ de materia secundum se spectata fuse exposui in Disput. 1. post commentationem libri præced: atque nunc eam specto in ordine duntaxat ad causalitatem. In primis autem materia in generatione potest comparari tum ad formam, quæ ab ea expellitur, vnde consequitur interitus totius: tum ad formam, quæ in ea ipsa materia de nouo producitur, ratione cuius consurgit aliud compositum. Materia ad expulsionem formæ præcedentis collata, nullam vnquam obtinet causalitatem: Si II.

quidem exuere, & amittere formam, non est causare? Quamobrem tota materiæ causatio ad ea tantum spectari debet, quæ in ipsa per generationem fiunt? Fiunt autem forma substantialis, & compositum itidem substentiale.

Mira & altercatio, & confusio hac de re extat inter Doctores. Sunt qui contendunt, vnicum, & adæquatum esse materiæ effectum, qui est ipsum compositum, quod quidem illa vnà cum forma internè componit. Formam verò non posse vnquam dici materiæ effectum. Eodem modo existimant, causalitatem formæ esse solum respectu compositi, cuius itidem est pars, atque vnà cum materia conflat; non autem esse respectu etiam materiæ. Sic Auicen. 6. Metaph. cap. 4. Alber. Mag. in hoc 2. Phys. tract. 2. cap. 1. Ioann. Maior in 2. distin. 12. quæst. 2 Faber Fauen. in Metaph. disput. 2. cap. 5. Huc etiam eunt nonnulli recentiorum.

III. Quæ sententia probatur. Primò ex definitione materiæ, data in tex. 82 libri præced. quod sit *subiectum primum, ex quo fit aliquid cum insit.* Sed illud quod fit, est solum compositum; quandoquidem *omne quod fit, semper compositum est*, ex eodem lib. tex. 64 formæ autem non fiunt, vt etiam discimus ex septimo Metaph. tex. 27. quare effectus materiæ est tantum ipsum compositum.

Secundò, Materia nequit esse causa formæ, quia vnum principium non est causa alterius principij. Definita etenim sunt principia in lib. primo tex. 42. quod *neque ex alijs, neque ex alterutris fiunt*. Si autem materia causaret formam, nonne vnum principium fieret ex altero? effectus enim est a sua causa. Ergo materia non est causa nisi compositi.

Tertiò, Materia, vtpote causa intrinseca, causat internè componendo. Solum autem compositum ita causat, non itidem formam. Non enim componit formam vllo pacto; neque igitur illam causat; sed solum compositum. Accedit, quod materia est vna causa, eaque vniuoca, quare vnum tantum erit eius causatum? atque vnus effectus illi correspondet in tali genere? Denique, Vbi causatur vnum propter aliud, ibi est vnum tantummodo causatum: At qui omnia, quæ a materia fiunt, sunt propter compositum: quare hoc tantum censeri debet illius effectus. Hinc nouissimè P. Arriag. disput. 8. sect. 1. Difficile, inquit, probari potest causalitas materiæ in formam. Hanc enim suspicamur ex eo, quod aliquæ formæ naturaliter nequeunt sine subiecto conseruari, quod non conuincit, subiectum illud debere causare materialiter prædictas formas. Anima enim rationalis in primo instanti suæ creationis, naturaliter loquendo, nequit esse extra materiam, & tamen nec in illo instanti causatur à materia.

Confutata relata opinio: & euersa eius fundamenta.



IV. Communis nihilominus ac vera sententia duplicem causalitatem assignat materiæ. Alteram respectu compositi, quod veluti pars potentialis substantialiter componit, in quo quidem conuenit cum præcedenti opinione. *Nullus enim, quem ego viderim, excludit compositum a causalitate materiæ*, vt multiscitus P. Suarez in Metaph. disput. 13. sect. 7. Alteram causalitatem tribuit eidem materiæ respectu formæ: Sic duplicem quoque causalitatem adscribit formæ, quæ tamen de se suo loco. Ita S. Thom. in primo Phys. lect. vlt. & 5. Metaph. lect. 2 & quæst. 3. de poten. art. 8. Bened. Perer. lib. 8. suæ Phys. cap. 2. PP. Conimbric. in hoc lib. cap. 7. quæst. 8. art. 1. Suarez disput. 13. in Metaph. sect. 7. PP. Complut. in Phys. disput. 9. quæst. 2. Rub. in hoc lib. tract. 2. de causis, Mastr. & Bell. disput. 5. quæst. 3. art. 2. Franc. de Ouiedo in suo cursu Philos. in Phys. contron. 7. punct. 1.

V. Et probatur euidenti ratione. Vbicunque inuenitur diuersa dependentia per se aliquorum ab aliquo, ibi necessario diuersa est causalitas istius erga illa, quia sicut dependentia per se vnius ab alio necessario indicat causalitatem illius, ita diuersa dependentia per se aliquorum commonstrat diuersam eorundem causalitatem. Sed in forma, & in composito per se inuenitur diuersa dependentia a materia: Quod sic ostendo, compositum per se dependet a materia tanquam a componente essentialiter ipsum: forma autem, saltem materialis, dependet itidem per se ab eadem materia tanquam ex ea, a qua fuit educta, & in qua recipitur, & a qua sustentatur, ac conseruatur: quare materia habet diuersam causalitatem erga compositum, ac erga formam:

Explico euidentius. Materia causat compositum componendo, causat formam non componendo, sed veluti verum subiectum, promendo eam e gremio suo, tum recipiendo in suo sinu, & conseruando. Hæcne non erit diuersa causalitas? Adhæc, materia formam quidem continet in se potestate: compositum verò non continet in se potestate: alioquin cum compositum constet ex materia, & forma, materia contineretur potestate in materia. Quod dictu ridiculum est. Quid verò? Materia prius intelligitur causare formam, quàm compositum. Enimuerò ex eo

quod

quod recipit formam, consequenter causat compositum.

VI. Secundò probo. Et quod materia causet compositum, vltrò vtriusque opinionis auctores fatentur. Quod autem causet formam, ostendo. Omne quod prius est in potentia in aliquo, & postea fit actu, ast effectus illius in eo genere, in quo erat in potentia. Cum omnis effectus contineatur virtute in sua causa, iuxta conditionem illius causæ. Atqui omnis forma substantialis, generabilis, & corruptibilis, prius ast virtute in materia, tanquam in causa materiali, postea fit actu: quare verè & propriè talis forma est effectus materiæ in genere causæ materiali.

Minor expressè iacet apud Arist. multis in locis, pro qua complura eius testimonia attuli supra Disput. de Principio formali, sect. 9. Nunc vnum subijcio ex libro secundo de gener. animal. cap. 1. quo loci hæc leges. *ab eo quod actu est, id quod potentia est, efficitur, tum in natura, tum in artis operibus, & formam inesse in illo oportet.* Et ratio quoque in promptu suppetit, quia nisi formæ substantiales essent potentia in materia, profectò omnes producerentur ex nihilo, ac crearentur. Quod quidem & a Peripato, & a vero est alienum, quemadmodum in eadem sect. 9. penè demonstraui. Ex his itaque manifestè apparet, haud esse vnum, ac solum materiæ effectum, nempe compositum, sed materiæ causalitatem esse tùm respectu compositi, tum respectu formæ.

Diluuntur argumenta præcedentis opinionis.



VII. Argumenta autem oppositæ illius sententiæ facile diluuntur. Ad 1. neganda est minor. Fit vtique ex materia tam forma, quàm compositum, cum vtraque nunc fiut, cum antea non essent: sed tamen fiunt diuerso modo, vt superius ostendi. Et sanè forma fit vt via, & vt in scholis loquimur, fit vt quo: ac proinde minus propriè: compositum verò fit tanquam primarius terminus, & vt quod, ac propriè.

Hoc intellectu Arist. in tex. illo 64. ait. omne quod fit, semper esse compositum. Quod autem forma quoque fiat, testatur Philosophus cùm alibi sæpe, tum nono Metaph. tex. 14. his omninò. *Forma omnis quæ fit, aliquo modo prius fuit in fieri, & in moueri.*

VIII. Ad 2. Iam ad tex. 42. exposui, quænam sit germana intelligentia definitionis principiorum. Arist. in ea definitione non ait, vnum principium non fieri ex altero, sed non esse ex altero, id est, non componi ex altero.

Ad 3. patet solutio ex responsione ad 1. Materia causat quidem compositum, ceu pars interna materialis: veruntamen habet etiam aliam causalitatem in formam, vt nuper a nobis patefactum est.

Pro duobus vltimis argum. Scito, effectum alicuius causæ esse duplicem. Alter quidem est vltimatus; alter verò quocunque modo productus. V.G. effectus domificatoris priori modo, est domus: effectus verò posteriori modo eiusdem, sunt fundamenta, parietes, tecta, & consimilia. In re nostra, compositum est effectus vltimatus materiæ: eductio verò formæ, tum receptio, & sustentatio eiusdem suscipiuntur propter terminum vltimatum. Vt igitur non valet, ædificator est vnus, quare vnum duntaxat effectum, id est domum producit: Et sicut non valet, fundamenta, & parietes ordinantur, & sunt propter domum, ergo non sunt effectus ædificatoris: ita in proposito philosophare.

Ad instantiam denique Arriag. Occurrendum, quod materia est causa materialis animæ rationalis, etiam in primo instanti eius creationis, quantum ad receptionem, & re ipsa ab illa informatur, quamuis non sit quantum ad esse, vt inferius explicabo.

SECTIO SECVNDA.

Explicatur, quinam sunt effectus materiæ respectu formæ.



Demonstratum a nobis hucusque est, materiam, præter causalitatem compositi, obtinere etiam aliam in formam: quæ quidem causalitas erga formam adhuc complectitur multa munia, vt sunt eductio formæ, eius receptio, sustentatio, &c. iccircò videndum incumbit, quæ vnquam, & quot sunt huiusmodi munia, siue effectus materiæ. IX.

Vt autem res penitus innotescat, accipe vniuersam Naturæ œconomiam, quæ in generationa rerum naturalium seduló obseruatur. Primò agens naturale, V. G. ignis disponit, præparatque materiam ligni, per calorem, ac siccitatem, quibus medijs eijcit etiam ab eadem materia formam ligni. Deinde, ex illa eadem materia vltimatè disposita educit in eodem instanti formam ignis, quæ in illa ipsa materia potestate continebatur, quemadmodum in Disput. 2. post commentationem lib. præced. sect. 10. abundè ostendi. Postea, forma ignis educta intelligitur vniri cum materia:

atque in ea recipi, veluti in suo proprio subiecto, & vt actus in propria potentia, vnde est informatio. Et quia proprium quoque officium subiecti est, sustentare ea, quæ in eo ipso existunt, materia sustentant, & conseruat formam. Ad hæc, ratione vnionis materiæ, & formæ interuenit intima quædam earum communicatio ad conflandum vnum, cui tam materia, quàm forma se se tanquam vera pars internè communicat. Postremò, cum materia, vt in lib. de Ort. & inter. patefeci, sit radix, cur aliqua sint plura numero, ideò eadem materia limitat formam, eamque ad tale indiuiduum trahit, & ita consurgit, & generatur hic particularis ignis.

X. Hinc vides, quod in materia spectantur hæc omnia: eius; dispositio, eductio formæ, vnio, receptio, informatio, sustentatio, communicatio, & coarctatio indiuidualis. Caue autem hæc ita accipias, quasi fiant in tempore ac successiuè, quod V. G. primò eliminetur forma præcedens, postea in alio temporis instante educatur, ac recipiatur subsequens forma, &c. sed inter ea est solum ordo naturæ, & distinctio quædam ex natura rei.

XI. His ita constitutis, alij alia pro materiæ effectibus obtrudunt. Suarez in Metaph. disput. 13. sect. 7. cui complures alij adhærent, constituit quatuor materiæ effectus, ex natura rei distinctos, qui sint, compositum, forma, quæ materialis est, vnio, formæ cum materia, & generatio, ita etiam tuentur Mastr. & Bellut. in Phys. disput. 5. quæst. 3. art. 1. Quatuor, inquiunt, sunt, quæ a materia causari possunt propriè, generatio compositi, vnio eius cum forma, forma materialis, & compositum ipsum. Patres autem Complutens. in Phys. disput. 10. quæst. 1. cum distinxissent, causalitatem materiæ in fieri, & in facto esse, subdunt, causalitatem materiæ in fieri, esse generationem receptam in materia, causalitatem verò in facto esse, esse vnionem substantialem, prout in ipsa materia recipitur.

Alij verò, vt P. de Ouiedo in suo curs. Philos. in Phys. contr. 8. punct. 1. primo quidem constituunt, materiam dici in ordine ad duplicem terminum causam materialem, scil. in ordine ad formam, & vnionem, quæ ex illa educuntur, & illi insunt; & in ordine ad compositum, quod componit. Deinde explicant, Et compositum quidem causat materia se ipsam communicando, tanquam aliquid illi intrinsecum, ex quo componitur, & cum quo inadæquatè identificatur. Formam verò, & vnionem causat tanquam effectus adæquatè ab ipsa materia distinctos, quos totos ponit extra se entitatiuè, ita vt nihil illorum constituat formaliter, neque componat, sed tantum illis dat esse per receptionem, quod agens tribuit per actionem. Alij demum alio pacto hic philosophantur.

XII. Quæ quidem sententiæ omninò videntur insufficienter referre effectus materiæ. Et quidem priores duæ, primùm omittunt eductionem formæ de potestate materiæ, quæ, vt mox audies, est legitimus materiæ effectus, quanquam non vniuersalis. Deinde, nullam faciunt mentionem receptionis formæ in materia, nullam sustentationis eiusdem à materia; qui duo existunt genuini ac potissimi materiæ effectus. Postea, inter materiæ effectus concludunt generationem, quæ quidem aut accipitur formaliter, qua est transmutatio substantialis, & hoc pacto luce clarius est, eam haud esse effectum materiæ. Vel accipitur, quatenus generatio denotatur esse via quædam ad producendum ipsum compositum, & tunc generatio complectitur omnia quæ ordinantur ad huiusmodi productionem, quæ porrò sunt & eductio, & vnio, & receptio, &c. cur ergo iterum inter effectus materiæ recensent *vnionem formæ cum materia*? Hæc enim iam inclusa est in generatione. A potiori redarguuntur insufficientiæ reliquæ opiniones relatæ. Quod itaque ego hac in re dicendum existimem, sic expono.

Enucleantur legitimi materiæ effectus in generatione.



Onstituo 1. Eductio formæ de potestate materiæ non est essentialis & perpetuus materiæ effectus: sed est solum in formis caducis, & corruptibilibus. XIII.

Prior assertionis pars euincitur in anima intellectiuà, quæ est verè humani corporis forma, vt dixi in opere de triplic. Stat. Anim disput. 4. nec tamen educitur de ipsa materia, sed foris secus accedens, vnitur ac recipitur in materia iam vltimatè præparata, vt etiam demonstraui in eodem opere, disput. 1.

Cuius rei, rationem hanc accipe, quia vt aliqua forma educatur de potentia materiæ, necesse est, eam prius secundum esse contineri virtute in illa, vt multis ostendi supra in disput. de principio, formali sect. 10. Impossibile autem est, animam intellectus participem contineri secundum esse vllo pacto in materia. Quod sic commonstro. Forma, cuius operatio non comprehenditur a materia, sed eam penitus excedit, ipsa quoque non comprehenditur secundum esse ab eadem materia, sed illam transcendit: propterea, quod vnumquodque agit secundum quod est, ita vt si est à materia secundum esse comprehensum, comprehendatur etiam ab eadem materia secundum operationem; & si in operando transcendit materiam, transcendat etiam in essendo.

Sed operatio animæ intellectiuæ non comprehenditur a materia, sed omninò eius conditionem excedit,

cedit, vt ex instituto probat Philosoph. in tertio de Anim. Et in secundo de gener. animal. cap. 3 aiebat de operatione animæ intellectiuæ, quod *nihil cum eius actione communicat actio corporalis*. ergo anima rationalis non continetur secundum esse in potentia materiæ, ac proinde non educitur de eius potestate, sed quemadmodum Stagirites quoque in cap. illo 3. concludit, *extrinsecus accedit, solaque diuina est*.

Reliquæ autem formæ substantiales omnes, vt pote caducæ ac corruptibiles, euocantur de potestate materiæ, ideircò eductio in iis est essentialis, ac perpetuus materiæ effectus, quemadmodum posterior nostræ assertionis pars asseuerat.

Constituo 2. Perpetua, & inseparabilia materiæ
XIV. munia, siue effectus sunt vnio materiæ cum forma: receptio eiusdem formæ in eadem materia: sustentatio formæ a materia: & limitatio numerica eiusdem formæ.

Declaro singula. & quod spectat ad vnionem, reuoca in memoriam ea, quæ in lib. præced. ad tex. 17. quæst. 2. sect. 3. dixi, quod altera est vnio actiue, quæ vnitio potius consueuit appellitari, & est ipsa agentis, seu vnientis operatio. Altera est vnio formaliter, quæ rursus aut accipitur in fieri, quatenus vnibilia per mutuam quandam siue actionem, seu communicationem intelliguntur vniri; aut est in facto esse, cum vnibilia iam re ipsa vnita, quasi quiescunt. In mea assertione non capio vnionem primo modo: est enim ea effectus efficientis, sed accipio duobus posterioribus modis: præcipuè verò intelligo vnionem in fieri. Tunc etenim intelligimus materiam, & formam vniri, & veluti inter se mutuo agere. Agere, inquam, non perinde atque agunt causæ effectrices, sed suo modo. Postea intelligitur dicta vnio terminata, & sic consequitur vnio tertio modo, id est in facto esse, quæ est veluti terminus præcedentis vnionis, & sunt ipsæmet partes vnitæ, quemadmodum in sect. illa 3. exposui.

Quæ de hac vnione dixi, dispice in vnione aquæ
XV. V. G. ac vini, quæ primùm approximantur, & vniuntur ab agente; mox vnita atque confusa mutuo in se se agunt, & alterant; demum perfecta mutua vniendi actione, quasi conquiescunt. Conquiescunt, inquam, vniri amplius. Veruntamen hic obseruandum discrimen inter hanc aquæ cum vino vnionem, in fieri, & vnionem materiæ cum forma; quod ibi vtrumque miscibile, aqua, & vinum, agit in alterum vera ac positiua actione, cum vtrumque sit præditum qualitatibus contrarijs, actiuis æquè ac passiuis. In vnione verò materiæ cum forma, neque ex parte formæ, & multo minus ex parte materiæ vlla propria, ac positiua intercedit actio, sed solum forma concurrit vt actus, materia veluti potentia, vt explicat Philosophus octauo Metaph tex. 15. Et forma quidem afficit; atque hac ratione latiori quodam modo dicitur agere; prout agere cadit in quamcumque causam; materia verò afficitur. Quæ quidem affectio potest modo aliquo vocari agere ipsius materiæ. Sic Arist. in tertio huius operis lib. tex. 19. cum dixisset, *aut actio quidem erit in agente, passio verò in patiente*; Subiungit, *si autem oportet & hanc actionem vocare, æquiuoca vtique erit*. id est, si id quod est in patiente, ipsum nimirum affici, ac recipere oportet appellare actionem, profectò haud erit actio propriè dicta, sed æquiuoca, videl. analoga. Ex his itaque liquet, quæ vnquam vnio, & quomodo, sit effectus materiæ, & causæ materialis.

Ex qua quidem vnione in fieri consequitur vnio XVI.
in facto esse: Inde receptio formæ in materia. tum sustentatio eiusdem formæ a materia; quæ porrò omnia sunt. syncera ac perpetuá materiæ primæ munia in genere causæ materialis in generatione: Nam materia prima essentialiter est potentia passiua, ac receptiua: Causalitas autem potentiæ passiuæ, ac receptiuæ est recipere formam, eamque receptam sustentare, ac conseruare. Præterea, nulla vnquam potest concipi generatio, in qua præfata tria, vnio, receptio, & sustentatio formæ non intersint. Hæc non sunt effectus formæ in generatione, ergo materiæ. Vltima autem conditio, quod scil. materia prima limitet, ac indiuiduet formam, pendet è celebri illa quæstione, quod materia sit principium indiuiduationis, de qua suo loco.

Verùm adnotanda est doctrina S. Thom. ex XVII.
quæst. 3. de potent. art. 8. & lib. 5. Metaph. lect. 2. quod receptio, & sustentatio formæ a materia, duplex est. Vna est quo ad informationem, & quo ad esse: Altera est quo ad informationem tantum: Priori modo materia recipit, & sustentat formas substantiales, materiales, quæ non modo quo ad informationem, sed quo ad esse etiam ita dependent a materia, vt citra eam ne momento queant consistere. Posteriori autem modo recipit ac sustentat solum animam rationalem. Hæc quippe quamquam pendet a materia quo ad informationem; non tamen pendet quo ad esse. Quo fit, vt receptio, ac sustinentia formæ secundo hoc modo, scil. quo ad informationem, sit vniuersalis, ac perpetuus materiæ effectus: receptio autem, ac sustinentia primo modo, videl. quo ad informationem, & quo ad esse simul, haud est vniuersalis, & perpetuus eius effectus, cum in forma rationali deficiat. Quæ igitur sint munia, siue effectus materiæ in generatione, hinc habes.

Dices, hæc munia, eductio formæ, vnio eius XVIII.
cum materia, receptio, sustinentia, & numeralis coarctatio formæ, suntne diuersi actus, an verè vnus?

Profectò realiter est vnus actus, qui tamen subit diuersas rationes, ac definitiones: ita vt alia ratione sit eductio, alia vnio, &c. Et quidem re ipsa esse vnum actum, vel ex eo constat, quia si esset alius atque alius actus, iam posset in materia adesse

eductio

eductio formæ & non esse vnio, aut receptio formæ eductæ in materia: Quod repugnat: quia tunc forma de potentia materiæ euocata esset sine subiecto. In illo autem vno actu adesse rationes diuersas, facile euinces, quia alia definitione describimus eductionem formæ de potestate materiæ, alia vnionem eiusdem cum materia, alia receptionem. Hæc de primo capite: Pergo nunc ad secundum,

SECTIO TERTIA.

Quid est id, quo materia prima causat, se ipsane, an aliquo alio superaddito?

XIX. Nter quatuor causas patentius nobis apparet causa effectria, quę in particulari oculis nostris subijcitur. Ex ea itaque proportione quadam ad reliquas oculriores progredi par est. Porrò causa efficiens est ea, quæ agit, veluti faber lignarius, est qui secat, & ignis, qui calfacit: habet autem duplex principium, quo agit: Vnum primum ac radicale, & est forma eius substantialis: Alterum proximum ac immediatum, & est facultas vt in artifice vis motiua, & in igne calor. Sic in proposito, materia ipsa est, quæ causat effectus iam recensitos. At quo mediante illos causat? sitne quæ est ratio proxima ac immediata illi causandi? eiusne essentia, an aliqua alia vis?

Scito præterea, quod causa efficiens, aut consideratur in potentia, & in actu primo, cum videl. actu non operatur, potest tamen operari: Aut consideratur in actu, cum re ipsa agit. In primo statu constituitur per duplex illud principium ordine suo. In secundo autem statu constituitur per suam actionem, vt inferius explicabo. Sic ergo in materia debemus inuestigare quid est id, per quod materia redditur apta in actu primo, vt possit causare. Deinde, debemus inquirere, quid est illud, per quod eadem materia constituitur actu causa. Primum illorum spectam in hac sect. secundum reijciam in sect. sequ.

Referuntur de re proposita duæ opposita sententia, cum suis fundamentis.

Istinguunt aliqui in materia essentiam, & potentiam: Atque illam quidem aiunt esse substantiam: hanc verò esse proprietatem illi superadditam; ac proinde esse quoddam accidens, inditum tamen ipsi materiæ a natura ad causandum effectum suum. Sic inter alios Iandun. in 1. Phys. quæst. 25. & Tolet. quæst. 12. & videtur etiam Auerr. in 1. Phys. com. 70. cuius verba mox audies. XX.

Fundamentum istorum est, quia omnis potentia est alicuius entitatis potentia, in qua etiam fundatur; & etiam dicit habitudinem ad actum: ergo etiã potentia materiæ est alicuius entitatis, nempe essentiæ ipsius materiæ, & in ea fundatur, ac dicit etiam relationem ad actum: Quare potentia est proxima ratio materiæ causandi: essentia verò est tantum ratio prima ac radicalis.

Excipe iam verba Auerr. quibus duplex etiam contorquet telum. *Et accidit*, inquit, *substantia eius, materiæ, vt sit in potentia omnes formæ, non quod potentia eius est in substantia, ita quod sit pars definitionis; quoniam, si potentia esset in substantia eius, tunc esse eius destrueretur oblatione potentiæ, & præsentia formæ in actu: scil. formæ, ad quam habebat potentiam, vt reciperet. Et vniuersaliter, si potentia esset in substantia eius, tunc substantia eius corrumperetur apud generationem: & esset in prædicamento ad aliquid, non in prædicamento substantiæ.* XXI.

Ex quibus ita perstringe. Omnis potentia ordinata ad actum destruitur, siue desinit esse, adueniente actu, ad quem ordinabatur: ergo & potentia materiæ perit adueniente forma, ad quam erat recipiendam: ergo aut dicendũ est, accedente forma, destrui ac desinere esse ipsam essentiam materiæ, si potentia esset eius essentia; aut fatendum, potentiam haud esse eius substantiam, sed aliquid ipsi superadditum.

Item, potentia est in Prædicamento ad aliquid; essentialiter namque respicit actum. Essentia materiæ non est in Prædicamento ad aliquid, cum sit substantia; alioquin ex ea non fierent substantiæ, quare potentia materiæ non est eius essentia, sed quippiam illi adiectum. Et per consequens, hæc potentia erit illi ratio proxima ac immediata causandi: essentia autem erit solum ratio radicalis ac remota.

Alij verò ex opposito firmiter asseuerant, materiam non habere duas rationes causandi, vnam qui- XXII.

quidam remotam ac principalem: Alteram verò proximam ac immediatam, sed per se ipsam, & per entitatem suam principaliter, & proximè causata effectum suum in suo genere: Ita S. Thom. in prim. part. quæst. 77. art. 1. ad 2. *actus*, inquit, *ad quem est in potentia materia prima, est substantialis forma; & ideò potentia materiæ non est aliud, quàm eius essentia.* Et in lib. 1. huius operis ad tex. 79. hæc habet. *Actus, & potentia diuidunt quodlibet genus entium, vt patet in nono Metaph. & in 3. huius. Vnde sicut potentia ad qualitatem non est aliquid extra genus qualitatis, ita potentia ad esse substantiale non est aliquid extra genus substantiæ. Non igitur potentia materiæ est aliqua proprietas addita super essentiam eius, sed materia secundum suam substantiam est potentia ad esse substantiale.* Sic habet & in primo cont. Gen. cap. 43. & in 2. dist. 3. quæst. 4. art. 1. & alibi sæpe. Et ita sentit communiter sua schola, Capreol. in 1. dist. 42. quæst. 1. ad argum. Aureol. contr. 4. conclus. Soncin. 8. Metaph. quæst. 6. Heruæus de Vnit. form. quæst. 16. Suarez in Metaph. disput. 13. sect. 8. Complut. in Phys. disput. 3. quæst 2. Ruu. in 1. Phys. tract. de materia, quæst. 6.

XXIII. Quæ sententia probatur primò. Materia proximè ac immediatè causat per suam potentiam: Sed potentia materiæ est ipsamet eius essentia, ergo materia proximè ac immediatè causat per suam essentiam. Maior est certa, quia materia proximè causat recipiendo actum: Actus autem proximè recipitur in potentia, vt constat ex secundo de Anim. tex. 26. quare materia proximè ac immediatè causat per suam potentiam. Minor verò ex eo commonstratur, quia cum potentia accipiat specificationem ab actu, vt docet Philosophus secundo de Anim. tex. 29. talis est potentia, qualis est actus, ad quem per se ordinatur: Sed actus, ad quem potentia materiæ ordinatur, est substantialis, cum sit ipsa forma substantialis, quare etiam potentia materiæ est substantialis; ac proinde est ipsamet eius essentia.

XXIV. Secundò prob. Vel potentia materiæ est ipsamet substantia, & essentia materiæ, vel est aliquod accidens, realiter ab ea distinctum; vel est modus aliquis saltem ex natura rei distinctus. Nequit secundum, aut tertium affirmari, ergo primum. Minor, quo ad primam partem prob. quia si potentia materiæ esset aliquod accidens, tunc materia vniretur formæ per vnionem accidentalem; ac proinde non componeret vnum per se. Quod ostendo conspicuè. Nam si materia vniretur formæ, & eam reciperet media potentia accidentali, profectò actus ipse vnionis, siue receptio ipsa, esset accidentalis: cum actus, & potentia sint eiusdem generis. Per vnionem verò, & receptionem accidentalem nequit vllo pacto fieri vnum per se, sed consurgit vnum secundum accidens.

Quod autem dicta potentia non sit modus quidam ex natura rei distinctus, ex eo suadetur, quia nulla suppetit necessitas ponendi hanc distinctionem, cum eiusmodi materiæ potentia sit illi connaturalis, & omninò ab ea inseparabilis. Vnde efficitur, vt materia per suammet essentiam, & principaliter, & proximè causet.

Explicatur propria auctoris opinio.



EGo hac in re tria profero. Vnum est, quod potentia materiæ primæ, per quam proximè ac immediatè causat, non est aliquod accidens, secundum rem ab ea distinctum, illique superadditum, siue aliqua proprietas accidentalis, qua mediante materia vniatur formæ, eamque recipiat, & constituat compositum. XXV.

Alterum est, In materia est duplex potentia causandi distincta secundum rationem. Vna radicalis, & æqualiter se habens ad omnes omninò formas substantiales, quas recipere potis est. Altera est proxima ac immediata, destinata ad hanc, aut illam formam.

Tertium. Istæ potentiæ secundum rem sunt ipsamet materiæ entitas, ac realitas; diuersæ autem ratione ac destinatione.

Singula declaro. Ac primum quidem assertum XXVI. sensatè demonstratur per rationes secundo loco nuper adductas. Et sanè si illa materiæ potentia esset accidentalis, ineuitabili consequentia colliges, etiam vnionem, ac receptionem materiæ ad formam esse accidentalem: Ac proinde ex materia, & forma nullo modo consurgere vnum per se, vt superius inferebam. Hinc Arist. octauo Metaph. tex. 15. cum vocasset in dubium, vnde est, quod homo, qui videtur ex pluribus entibus diuersis conflari, est vnum per se? *& quid est quod hominem facit vnum?* Respondet, hominem esse vnum per se, quia componitur ex materia, quæ est potentia, & ex forma, quæ est actus. *Quod si*, inquit, *quemadmodum diximus, hoc quidem materia, hoc verò forma est, & hoc quidem potentia, hoc verò actus, profectò non videtur amplius dubitatio esse, quod quæritur.* &c. Sentit ergo, materiam suapte natura esse potentiam, & formam ex sui itidem natura esse actum; atque has se ipsis, & immediatè vniri, non per aliquod accidens intermedium. Adde, quod in materia immediatè nullum vnquam inhæret accidens, quemadmodum in lib. de Ort. & inter. patefeci. ergo potentia materiæ nequit vllo modo statui aliquod accidens, & proprietas illi superaddita.

Pro

XXVII Pro intelligentia verò secundi, ac tertij nostri asserti, scire oportet, quod materia prima potest considerari, primò quidem quatenus in se est quædam entitas, & substantia, simplex, corporea tamen; qua ratione spectatur in se, ac veluti quoddam absolutum; quoniam entitates, atque essentiæ rerum non ordinantur ad aliquid extra se. Deinde, hæc eadem entitas ex sui natura est incompleta ac imperfecta: Omne autem incompletum ac imperfectum per se respicit id, a quo compleri, ac perfici valet: propterea illa entitas, & essentia materiæ per se respicit formam, a qua completur, perficitur, *&* *secundum quam iam dicitur hoc aliquid*, vt loquitur Stagirites in secundo de Anim. tex. 2. & septimo Metaph. tex. 8. Quocirca materia prima per se fit correlatiua formæ, vt dicitur secundo Phys. tex. 26. *quod eorum quæ ad aliquid, materia est*. Quicquid enim aliud respicit, qua illud respicit, respectiuum, & correlatiuum est. Cum itaque illa materiæ entitas, & essentia hac ratione respiciat formam, vt apta ab ea perfici, & vt capax illius, manifestum est, quod essentia materiæ est eius potentia, sed diuersa ratione considerata. Per quam quidem potentiam materia proximius, vt vides, respicit causalitatem, quàm per essentiam suam, cum essentia ceu quippiam absolutum contrahatur per potentiam ad causandum. Hinc rectè à nonnullis dictum est, quod virtus absoluta causæ non est illi ratio agendi, nisi includendo respectum transcendentalem ad effectum.

XXVIII Hanc tamen materiæ potentiam appello radicalem respectu causationis materiæ. Nam cum præfata potentia sit communis, & indifferens, vtpote quæ ex æquo respiciat omnes omninò formas, quarumcumque est capax: est autem capax omnium sublunarium; Præterea, cum a causa indifferenti, vt indifferens est, non egrediatur determinatus effectus, necessè est, in eadem materia poni aliam potentiam propinquiorem effectui; & aliam proximiorem capacitatem, per quam illa eadem materia destinetur potius ad hanc, quàm ad aliam formam. Quæ etiam potentia non est aliquid reale præter entitatem, & essentiam materiæ: vel præter potentiam radicalem, sed est illa eadem essentia, & potentia radicalis, sed tali, aut tali ratione destinata.

XXIX. Ex qua quidem doctrina intelligimus, quomodo *ad aliam formam est alia materia*, vt ait Philosoph. secundo *Phys.* tex. 26. Intelligimus prætereà, quomodo *non quodlibet fit ex quolibet, nisi quis accipiat secundum accidens, sed album quidem fit ex non albo. & non ex omni, sed ex nigro, aut medijs*, vt determinatur in primo Phys. tex. 43. Intelligimus etiam, quomodo idem Philosophus in tex. 62. eiusdem lib. volens indicare materiam propriam, ex qua fit vnaquæque res, ait, plantarum, & animalium materiam esse semen. *Semper*, inquit, *est aliquid, quod subijcitur, ex quo fit, quod fit, vt plantæ, & animalia ex semine*. Modo quod materia sit determinata huius, aut illius materia, profectò non habet per suam essentiam, neque per potentiam illam vniuersalem, ac indifferentem; ergo per aliam proximiorem. Quæ omnia possunt commodè explicari, ac illustrari ex appetitu eiusdemmet materiæ radicali, & appetitu proximo, de quo dixi supra in quæst. de Principio materiali sect. 6. Et ex duplici priuatione, quam posui in materia in eodem lib. præced. ad tex. 42. quæst. 3.

Ex his quæ hucusque disserui, liquidò constat, essentiam materiæ primæ esse radicem ac fontem in eius causalitate: Deinde, eam ipsam essentiam consideratam secundum aliam rationem, esse quandam capacitatem, & potentiam ex æquo respicientem omnes formas, quam appellaui potentiam radicalem: Demum, hanc contrahi, destinari, & fieri proximiorem potentiam: Atque hæc tria suo ordine concurrunt dum materia causat.

Diluuntur argumenta prima illius opinionis, quatenus nostræ opinioni videntur officere.



AD 1. primæ dicendum, quod potentia gemino modo potest dici esse alicuius. Primò dicitur esse alicuius, quod tamen per ipsammet potentiam, veluti per quandam differentiam, & vltimum complementum constituitur in suo esse: Atque hæc potentia non præsupponit id, cuius asseritur esse potentia: neque fundatur in eo tanquam in aliqua entitate ab illo discriminata: Secundò dicitur esse alicuius, quod iam in suo esse intelligitur constitutum: Quocirca etiam recipitur, ac fundatur in eo, vt in aliqua entitate re ipsa ab illo distincta. Potentia primæ materiæ primo modo dicitur esse ipsius essentia: propterea, neque præsupponit essentiam materiæ, neque in ea fundatur tanquam in aliquo distincto secundum rem. Potentia autem V. G. visiua, hominis non est differentia, aut complementum essentiæ eius: ob id intelligitur aduenire illi essentiæ iam constitutæ, & in ea fundari. eodem modo dic de habitudine. XXX

Totum hoc proficiscitur ex differentia, quæ inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem intercedit. Illa, vtpote accidentalis, aduenit rei iam plenè constitutæ: Hæc autem intimè imbibitur in re ipsa, cuius est habitudo, veluti quædam ipsius differentia, & vltimum complementum. Neque etenim habitudo, siue relatio transcendentalis creaturæ, V. G. ad creatorem, aduenit creaturæ iam constitutæ, neque habitudo transcenden-

talis

talis potentiæ visiuæ, qua potentia visiua est, præsupponit eam potentiam, & deinde illi supermanit, sed intrinsecè,vt indicaui, comprehenduntur in ijs. Quo fit, vt res istæ neque etiam possint perfectè cognosci, absq; huiusmodi habitudine.

XXXI. Auerr. autem in argumento inductus, intelligit de potentia proxima ipsius materiæ, quam ego etiam constitui, quæ porrò haud est aliquod accidens adiunctum materiæ, sed est ipsamet materiæ essentia, & potentia radicalis secundum aliam rationem ad aliam atque aliam formam destinata, vt nuper enucleaui.

Vnde apparet etiam solutio ad duo illa Auerr. argumenta. Hæc enim proxima potentia, aduenienta forma, ad quam erat, dicitur ab Auerr. destrui, non quidem entitatiuè ac realiter, cum eiusmodi entitas sit ipsamet materia, sed dicitur destrui formaliter, quia desinit eius destinatio. Neq; ambigendum puto, quin ratio, & destinatio, per quam materia erat propria, vt in ea potius reciperetur forma plantæ, quàm lapidis, cesset adueniente forma plantæ, aut saxi remanet autem semper illius realitas.

XXXII Ad alterum Auerr. argum. negandum est, omnem potentiam collocari in Prædicamento ad aliquid: In eo reponuntur potentiæ duntaxat accidentariæ, cuiusmodi non est potentia materiæ, vt dictum est.

XXXIII Argumenta verò secundæ sententiæ minimè omnium officiunt nostræ. Illa etenim id tantum enixè contendunt, quod potentia materiæ non est accidentalis, quod nos vltro fatemur. Cæterùm nos, præter essentiam materiæ, & præter potentiam ab illa opinione constitutam, quam nos radicalem vocauimus, adscribimus eidem materiæ aliam propinquiorem capacitatem, & proximiorem potentiam ad causandum, cuius potentiæ dicta opinio neutiquam meminit, in quo illam existimamus defecisse.

XXXIV. Præterea, cum illa sic arguit. Materia causat per suam potentiam: Potentia eius est eiusdem essentiæ, ergo causat per suam essentiam: committit fallaciam, quia distinctio rationis inter essentiam, & potentiam materiæ, quam illa etiam opponi admittit, sufficit, vt de vna concedatur, de altera negetur. Quemadmodum anima mea intellectiua, sensitiua, & vegetatiua sunt vna atque eademmet entitas; & sola ratione discriminatæ, vt latè demonstraui in opere de Triplic. stat. Anim. Disput. 4. sect. 5. Et tamen non valet. Homo intelligit per animam intellectiuam: hæc est etiam sensitiua, ergo intelligit per animam sensitiuam. Secundum autem argumentum pro illa opinione adductum, stat validè pro nostra.

SECTIO QVARTA.

Quæ est actualis causalitas materiæ?



INitio sectionis antegressæ declaratum à nobis est, quid hic essemus quæsituri. Cum videlicet hactenus inuenerimus, quid illud sit, per quod materia prima constituitur apta, ac potens causandi, siue causa in potentia: consequens est inuenire, per quid hæc eadem materia reddatur causa actu. Quæ quidem res valdè etiam controuertitur, & a plerisque recentiorum, mirum, seu potius miserum in modum conuoluitur; dum alij ex alijs anxij, & plerunque deteriore nota, exscribunt; modo sua volumina videant intumuisse. Et quidem P. Suarez disput. 13. Metaph. sect. 6. quatuor opiniones recenset, additque suam: Plures commemorat Bartholomæus Amic. & Mastr. ac Bellut. Ille quidem in Phys. tract. 10. de causa materiali, quæst. 4. dub. 1. isti verò itidem in Phys. disput. 5. quæst. 4. in principio. XXXV

Quidam dixerunt, causalitatem actualem materiæ nil esse aliud, quàm ipsammet materiam, quæ se ipsam exhibet composito, & per se ipsam sustentat formam. Alij asserunt, causalitatem actualem materiæ nihil aliud addere materiæ præter relationem causæ ad effectum. Nonnulli, causalitatem hanc esse modum quendam ipsius materiæ realem, & ex natura rei ab ea distinctum. Non desunt, qui contendunt, causalitatem materiæ consistere in receptione actionis agentis, per quam effectiuè producitur forma ex materia, & est quædam passio ipsius materiæ. Alij demum asseuerant, actualem materiæ causalitatem; & id per quod constituitur actu causa, non esse aliud, quàm ipsummet eius effectum, diuerso modo significatum, & conceptum. XXXVI

In quibus quidem expendendis, diutius non immorabor. Prima apparet falsa, quia ipsa materia est semper eodem modo: actualis autem eius causalitas haud est semper eodem modo. Secunda etiam apparet falsa, quia relatio causæ ad effectum consequitur ad causam actu, quocirca impossibile est, vt illam constituat. Tertia quoque approbanda non est, quia modus ille realis, atque ex natura rei a materia distinctus, per quem illa sententia constituit materiam causam actu, aut est aliquid substantiale, aut accidens. Primum ne fingi quidem potest quid vnquam illud sit præter eam ipsam materiam. Secundum verò iam a nobis in sect. præced. reiectum est. Et insuper alibi patefactum est, XXXVII

esse impossibile, vt in materia immediatè adhæreat aliquod accidens. Quarta opinio non attingit punctum difficultatis. Nam omnis causa per suam causalitatem refertur ad suum effectum: Materia autem vt recipit actionem agentis, atque ab eo patitur, non refertur ad suum effectum, siue ad formam, siue ad compositum; sed refertur ad agens. ergo figmentum est opinari, causalitatem materiæ sitam & collocatam esse in receptione actionis agentis. Quinta demum sententia, si rectè explicetur, potest defendi, vt inferius dicetur.

XXXVIII. His itaque rejectis, communis est inter auctores opinio, quod actualis materiæ causalitas circa formam, quæ educitur de eius potentia, sit vnio ad formam per modum receptionis, & passiuæ informationis: Quemadmodum è contra causalitas formæ circa materiam, sit vnio eius ad materiam per modum actiuæ informationis, de qua tamen re inferius. Et communis vtriusque, id est, materiæ, & & formæ actualis causalitas sit earum vnio ad inuicem, & mutua communicatio. Ex parte quidem materiæ per modum receptionis: ex parte verò formæ per modum informationis. Ita P. Suarez in disput. 13. Metaph. sect. 6. & disput. 15. sect. 5. & 6. Rub. in hoc lib. ad cap. 7. tract. de causa materiali, & formali. Hurtad. in Phys. disput. 5. sect. 3. Auers. quæst. 12. sect. 3. & 4. Amic. tract. 20. de causa materiali, quæst. 4. dub. 2. & communiter alij. Hinc P. Ouiedo in suo curs. Phil. in Phys. contr. 8. punct. 1. *causalitatem*, inquit, *materialis, & formalis causæ totius in ordine ad ipsum totum ex parte materiæ esse vnionem, per quam materia vnitur formæ, & ex parte formæ esse vnionem, per quam forma vnitur materiæ, extra totam controuersiam esse debet.*

Huic tamen vsqueadeò communi opinioni equidem acquiescere haud queo, sed omninò existimo distinguendum. Quod aut sermo est de formis materialibus, & de potentia materiæ eductis, aut loquimur de forma non educta, cuiusmodi apud nos exsistit anima intellectiua: & tunc profero tres conclusiones.

XXXIX. Prima est, In formis eductis de potentia materiæ, ac proinde in generatione earum rerum, quarum illæ sunt formæ, id per quod materia formaliter constituitur causa actu, non est vnio materiæ ad formam, sed est eductio dictæ formæ de potestate materiæ; & vt ita dicam, est concursus ipsius materiæ eductiuus formæ, qui explicatur per habitudinem *ex quo aliud*.

Secunda conclus. In sola anima rationali vnio materiæ ad formam, est id per quod materia redditur actu causa.

Ex quibus infero tertiam conclusionem, quod cum vnumquodq; denominetur à potentiori, ac pluris & formæ materiales, atque eductæ, absque comparatione plures sint, quàm forma non educta, (hæc etenim est vna ac sola forma humana, illæ autem sunt omnium cæterarum rerum naturalium,) manifestè consequitur, illam opinionem, quod actualis materiæ causalitas sit vnio eius ad formam, absolutè prolatam esse falsam.

Probo autem primam meã assertionem, & ni me animus fallit, euidenter. Per illud aliqua causa constituitur causa actu, per quod intelligitur primò incipere causare. Ita actio agentis est id, per quod agẽs redditur actu causa, quoniã per illam intelligitur primò agere. Ignis censetur actu causa respectu huius ligni, cum primùm concipitur calefacere illud. Atqui materia prima in formis ex eius gremio euocatis, formaliter intelligitur primò incipere causare, non in vnione sui cum forma, sed in eductione formæ, & quod sit *id, ex quo aliud*; nempe sit subiectum, ex quo educatur forma, & fiat compositum, quare id per quod materia constituitur actu causa in generationibus huiusccemodi rerum, non est vnio, sed eductio. Minor est euidens, quia prius est educi formam, quàm eam vniri. In illo itaque priori materia iam intelligitur causa actu; cum eductio, vt rectò ostendi, sit eius effectus. XL.

Præterea, Quando aliqua multa ordine quodam se habent ad aliquod, illud est eius constitutiuum, quod in eo primum omnium intelligitur: quandoquidem constitutiuum rei nihil in ea re præsupponit ante se. Modo in materia respectu formarum, ac generationis, de qua verba facimus, est eductio formæ de materia, est huius vnio cum forma, est receptio, est sustentatio formæ ab eadem materia: Et inter hæc omnia primò intelligitur eductio: per hanc igitur, & non per aliquod reliquorum materia redditur actu causa. Nec quicquam obstat, quod hæc omnia sint vnum secundum rem; Nam formaliter, & ex natura rei sunt diuersa: & secundum hanc rationem in præsenti inquirimus. XLI.

Assertio nostra luculenter apparet etiam ex Arist. qui vbique causam materialem explicat, non per vnionem eius ad formam, aut eius receptionem, sed per eductionem, & habitudinem, quod sit *id ex quo*. Ita in hoc secundo lib. tex. 28. *Vno*, inquit, *modo causa dicitur, ex quo fit aliquid, cum insit, vt æs statuæ, & argentum phialæ, & horum genera*. & in tex. 31. *elementa syllabarum, & materia factibilium, & ignis, & huiusmodi corporum, & partes totius, vt id, ex quo, causa sunt*. Ita in quinto Metaph. cap. 2. & alibi sæpe.

Secunda verò assertio est conspicua, quia materia prima respectu formæ rationalis, primum munus, quod intelligitur causare, est vnio dictæ animæ cum materia, inde receptio, ac sustentatio. Quippe pro comperto suppono, hanc formam neutiquam extrahi de sinu ac potestate materiæ, vt in opere de Triplic. statu. Anim. disput. 3. ostendi. Cum itaque in hoc casu vnio sit primum materiæ officium, palam est, materiam per vnionem constitui causam actu. XLII.

Tertia demum assertio ex his, quæ nunc dixi, omninò consequitur. Si etenim vnumquodque tale dicitur à maiori parte, vt docet Arist. secũdo de Anim. tex. 49. & S. Thom. in prim. part. quæst. 115. art. 2. Et

formæ

Digitized by Google

formæ eductæ respectu eius quæ non educitur, sunt longè plurimæ, profectò quisquis materiam per vnionem ad formam constituit causam actu, non rectè dicit, cum constituat a perexigua parte.

XLIII. At contra ea quæ constitui objicies. Per illud materia intelligitur reddi causa actu, quod in ea primum omnium intelligitur respectu causalitatis: sed primò, etiam ante eductionem formæ, intelligitur in materia actio agentis. Quod sic ostendo. eductio formæ de potentia materiæ fit per actionem agentis, quare prius est actio, postea eductio.

Secundò, Materia prima est suapte natura causa passiua: ergo eius causalitas formaliter consistit in eo, quod est pati. Atqui eductio formæ de eius potētia formaliter non est pati, sed pati est recipere actionem agentis. quare materia est causa actu ex eo quod recipit talem actionem, non autem per eductionem.

Tertio, illud est causalitas alicuius causæ, à quo causatum dependet quandiu durat. At res naturalis causata, non dependet quandiu perseuerat, ab eductione formæ ex materia, cum illa iam transierit: dependet autem ab vnione formæ cum materia, & a receptione, ac sustentatione ipsius, quare vnio, & receptio formæ potius, quàm eductio erunt causalitas materiæ.

XLIV. Occurrendum est; Et quidem ad 1. quod actio agentis, si spectetur qua est quoddam accidens, nequit immediatè recipi in materia proindeque nulla vnquam ratione potest eam constituere actu causam; cum id, per quod causa redditur actu, debeat illi immediatè inesse. Si verò spectetur, qua est transmutatio substantialis, est in eodem instanti cum eductione formæ, vnione, & receptione. Nam omnia hæc, vt supra exposui, sunt idem met actus. Nihilominus adhuc eductio in ea transmutatione præcedit illas alias functiones: Siquidem terminus præcipuus à quo, eius mutationis est priuatio materiæ: postea intelligitur educi forma, deinde vniri, inde recipi, demum sustentari.

Ad 2. fateor, materiam primam esse essentialiter causam passiuam: eiusque causalitatem formaliter sitam esse in eo quod est pati. At nego eam, per eductionem formæ formaliter non pati. Porrò quid est formam educi de potestata materiæ, quàm ipsam materiam ita affici, vt quod erat in eius potentia, fiat actu? Hoc autem si non est pati, ecquid est?

Ad 3. neganda est minor. Nam actio, vt est communis Doctorum consensus, est causalitas agentis; quæ tamen transit. ergo si propterea res naturalis non dependet ab eductione formæ, quod ea præterit, neque dependebit ab actione agentis. Quod tamen affirmari nequit. Adde, quod eductio formæ in formis materialibus est omninò necessaria ad subsequentia munia, vnionem, receptionem, sustentationem. Quid enim vniretur, aut reciperetur, nisi prius educeretur?

SECTIO QVINTA.

De conditionibus necessariò requisitis ad actualem causalitatem materiæ.

Certum atque dilucidum est, in causis, præter rationem tum radicalem, quàm proximam causandi, exigi etiam quasdam conditiones, sine quibus causæ illæ nunquam suas causalitates exercent, neque effectum producent vnquam. Non sat est, ad actualem combustionem concipere ignem forma substantiali, & calore præditum, quibus possit comburere, nisi etiam existat, & approximetur ipsi combustili, neque impediatur. Sic in materia prima inquirendum erit, quid vnquam sit necessarium, vt ea causet actu? XLV.

Scite autem oportet, conditiones, quæ quocunque modo requiruntur ad agendum, esse in duplici classe: Aliæ dicuntur minus propriè, aliæ propriè. Conditio impropriè dicta, omninò tamen necessaria ad agendum, est omne illud, sine quo causa nullo pacto operaretur: nihilominus illa conditio includitur in tali causa, vel vt prædicatum essentiale illius, vel vt ratio prima ac radicalis, vel vt ratio proxima causandi. Sic entitas mea, existentia mea, substantia, corpus, animal, sunt conditiones astatim necessariæ, vt ego loquar: Sic anima rationalis, & intellectus, vt quispiam speculetur. Quæ quidem conditio a quibusdam Doctorib. nostris, inter quos est Suarez in disput. 13. Metaph. sect. 8. vocatur generalis, & quasi transcendentalis. Quò etiam referunt conseruationem, & manutenentiam Dei, sine qua omnis creatura non modo nihil posset operari vnquam, sed statim redigeretur ad nihil. XLVI.

Conditio autem propriè dicta, necessaria ad agendum, quæ trito etiam verbo, conditio sine qua non, consueuit appellitari, tres notas debet habere. Prima est, vt ea non includatur in causa neque vt aliquid illi essentiale, neque vt ratio agendi. Secunda, quod ita sit necessaria, vt absque ea talis causa nunquam exeat in actum. Tertia, quod non sit aliquid posterius ipso effectu. Quæ omnia vel in ipsa ignis approximatione ad combustibile parent conspicuè. Hanc, opinor, conditionum distinctionem voluerunt quidam indicare, dum ita distinguunt, quod aliud est conditio causantis, aliud conditio ad causandum. Conditio, inquiunt, causantis est, vt singularitas, quia, auctore Philosopho XLVII.

in primo Metaph. cap. 1. actiones sunt suppositorum, seu singularium: conditio autem ad causandum est, vt approximatio ignis. Nunc in re proposita.

XLVIII Dico 1. Ad actualem causalitatem materiæ omninò est necessaria existentia materiæ primæ: quæ tamen non est conditio secundo modo, sed primo; nimirum est conditio minus propria, siue est conditio generalis.

Vtraque pars est euidens. Et quidem prior, quia materia in sua causalitate est reale subiectum: Subiectum autem debet antecedenter recipere agentis influxum suo tamen modo, & debet disponi, ac præparari ad formam: ergo debet actu existere. Item, in materia actu celebratur generatio substantialis, vt est quædam transmutatio: in quo igitur celebraretur, nisi materia actu esset?

Addunt aliqui, quod ideò res naturales non creantur, quia fiunt ex materia, sed non ideò non creantur, quia fiunt ex materia possibili, ergo quia fiunt ex materia actu existente. Et consequenter ipsa materia non causat materialiter, nisi quatenus actu existit. Minorem probant, nam ipsa materia dum fit a Deo, fit ex materia possibili: alioquin non posset fieri: & nihilominus creatur, quia fieri ex materia possibili, est fieri ex nihilo, propterea quòd materia possibilis, qua possibilis, nihil est; Vnde dictio, Ex, in illa locutione non dicit habitudinem causæ materialis, sed termini a quo, Quando ergo dicit habitudinem causæ materialis, necesse est, vt designet rem, quæ non modo possibilis sit, sed etiam actu existat.

XLIX. Aduerte autem, me nomine existentiæ materiæ, nunc non intelligere propriam materiæ existentiã, si vllam habet, de qua re dixi supra in disput. de Principio materiali, sect. 5. sed intelligere existentiam, quam materia habet per formam. Ratio in promptu suppetit, quia ad obeunda præfata materiæ munia, V. G. disponi, præparari ad formam, &c. requiritur existentia rei completa. Hanc autem materia, vt omnes fatentur, non habet, nisi per formam.

Posterior verò nostræ assertionis pars aperta etiam est ex ijs, quæ nuper de conditionibus dixi. Existentia namque in materia est aliquid illi intrinsecum, & est quid commune cum omnibus alijs rebus: ergo non est conditio propriè dicta, sed generalis.

Dico 2. Propria conditio necessaria ad hoc vt
L. materia actu causet, est indistantia, & intima propinquitas materiæ ad formam, &, vt ita dicam, intima coexistentia, & compenetratio inter materiam, & formam.

Hæc etiam assertio de se conspicua est. Nam materia, & forma, vt conficiant totum, debent vniri; Vniri autem non per quancunque vnionem, aut iuxtapositionem, sed per intimam vnionem, vt actus, & potentia: sicut discimus ex octauo Metaph. tex. 15. adeo vt forma vsquequaque actuet, perficiat, contineatque materiam. Hæc autem intimè actuetur, perficiatur, & contineatur, quemadmodum explicat idem Arist. lib. primo de Anim. tex. 72. & 90. Sed hæc omnia vel animo concipere impossibile est, inter res quæ non sint eo modo vnitæ, quo in nostra conclus. asserimus. Id idem conspicis ex opposito. Nam anima V. G. hominis hesterno die defuncti, nunc existit, vbi vbi existit, est enim interitus expers: & materia itidem, quamquam sub alia forma, existit: nec tamen est homo ille, neque vlla materiæ, & formæ causalitas, quia videl. ab inuicem distant. Quid verò? si anima illa adstaret suo corpori, nec tamen actuaret illud, non consurgeret ille homo.

Dico 3. Ad actualem causalitatem materiæ requiritur veluti propria & necessaria conditio, apta LI.
materiæ præparatio, & destinatio ad hanc, aut ad illam formam.

Et quidem per præparationem intelligo præuias dispositiones, ab agente introductas, per quas quidem materia tunc accomodatè disponitur ac præparatur potius ad formam V. G. ignis, quàm equi. Per destinationem verò non intelligo aliquid distinctum a materia, sed ipsammet materiam, quatenus ex eo quod erat communis, atque indifferens ad omnes formas, contrahitur secundum diuersam rationem, & destinatur ad hanc potius, quàm ad aliam formam, quemadmodum superius exposui. Quæ conditio ex sensu ipso comprobatur: Cernimus etenim lignum V. G. per calorem, & siccitatem disponi, si debet fieri ignis: per humorem verò ac frigus, si terra.

Præter hasce conditiones nulla requiritur alia. LII.
Nam qui in materia prærequirunt quantitatem interminatam, quam ipsi materiæ intrudunt coæuam, non rectè philosophantur, cum huiusmodi quantitas admittenda non sit, vt in lib. de Ort. & inter. ostendi.

Qui autem aiunt, requiri proportionem inter materiam, & formam, & omninò inter subiectum, & formam, quia non quodlibet subiectum potest quamlibet formam recipere, neq; versa vice, quælibet forma potis est informare quoduis subiectum. Quid enim? potestne vnquam subiectum corporeum ac materiale informari forma aliqua immateriali ac spirituali, aut e contra subiectum spirituale recipere in se, & actuari forma corporea? Profectò nulla ratione: quia inter hæc haud interuenit requisita proportio.

Hæc vera sunt; attamen dicta proportio inter materiam, & formam non est censenda conditio propriè dicta, cum includatur intimè in substantia, & virtute rerum improportionatarum. Siquidem subiectum non esse proportionatum ad recipiendam aliquam formam, est, esse talis naturæ, & virtutis, vt formam illam recipere nequeat.

Cæterùm, quò res adhuc reddatur clarior, distingua, quod improportio subiecti, aut formæ, vel LIII.
consequitur per se naturam, & virtutem dicti subiecti, & formæ, vel est solum ex accidente. Primo modo est improportio inter corporeum subiectum, & for-

Digitized by Google

& formam spiritualem, aut e contra: & hæc nunquam possunt fieri proportionata. Improportio autem secundo modo est inter materiam V. G. terræ, & formam carnis. Materia enim terræ nunc est improportionata, sed materia proportionata ad formam carnis est cambium, aut gluten, aut sanguis: nihilominus materia terræ potest disponi, & per varias transmutationes effici proportionata. Et tunc hæc dispositio existit vera conditio, sed est ea, quam in tertia assertione constitui. Ex his, quæ hucusque dixi, facile dilues omnes obiectiones, quæ contra assertiones nostras poterunt obijci. ego ad alia pergo. sit ergo.

QVAESTIO QVARTA.

De Causa formali.



X his quæ hactenus de causalitate materiæ dissaruimus, facili negotio causalitas quoque formæ deprehenditur. Quippe quot modis vnũ oppositorum dicitur, totidem & alterum: Et quæ de materia, & potentia, in suo genere affirmata sunt, eadem ex opposito de forma, & actu affirmabuntur. Ex quo etiam vides, de quanam forma hic verba facimus. Non enim est sermo de forma extrinseca, cuiusmodi censetur esse forma exemplaris, de qua tamen inferius: At neque de forma separata, quo pacto substantias secundum esse a materia segregatas, consueuimus appellare formas: Quæ sic vocitantur, non quòd vllam causalitatem formæ exerceant, sed propter singularem actualitatem, & eximiam quandam pulchritudinem; sed agimus de forma substantiali physica, & materiæ correlatiua.

De hac autem secundum se spectata abundè disserui ad calcem lib. præced. in disput. de Principio formali: Quocirca hic de ea agendum incumbit, solum quatenus est causa: Sic enim & melius declaratur, & distinctius comprehenditur. Sunt itaque in forma, siue in causa formali quatuor illa inuestiganda, quæ in materia quoque discussa sunt. Qui sunt eius effectus. Per quid ea causat. Quæ est actualis eius causalitas. Et quasnam conditiones exigit in causando.

Præter autem hæc occurrunt
adhuc nonnulla alia
peculiariter
de
forma discutienda.
sit ergo.

SECTIO PRIMA.

Qui sunt effectus causæ formalis.



Mnino causalitas formæ duplex constituenda est: Altera erga materiam, altera erga compositum, quemadmodum quæst. præced sect. 3. de materia quoque dictum fuit, quod eius causalitas est tum respectu formæ, tum respectu compositi. Porrò dum assero, in forma esse duplicem causalitatem, non intelligo esse duos actus re ipsa distinctos: ita vt forma vno quidam actu exerceat suam causalitatem erga materiam, altero verò erga compositum: Quanquam Ioan. de Ripa apud Capreol. in 3. distin. 5. quæst. 2. art. 2. opinatus sit, causalitatem formæ ad compositum, & causalitatem eiusdem in materiam, esse duos actus a parte rei distinctos. Imò verò ita distinctos, vt alter ab altero valeat seiungi. II.

Quæ tamen sententia communi Doctorum calculo damnatur, quia eodem actu, quo forma intelligitur actuare materiam, intelligitur etiam constituere compositum. Et planè repugnat, quod forma actu ac realiter actuet materiam, & quod ex ea actuante, & materia actuata non intelligatur conflari compositum: aut e contra, quod forma componat, & constituat compositum, & quod non actuet, informetque materiam: Omninò igitur fatendum est, vnum duntaxat esse actum secundum rem, qui tamen subit diuersas rationes: ita vt secundum vnam rationem dicatur actuatio, & informatio materiæ: secundum aliam dicatur continentia, & conseruatio eiusdem materiæ, siue corporis; secundum aliam sit compositio compositi &c. III.

Distinguendum itaque est: Ac primò quidam explicandum, quæ sit causalitas formæ erga materiam: deinde, quæ sit erga compositum. De prima dissident auctores, P. Suarez in Metaph. disput. 15. sect. 7. deinde Auers. quæst. 12. sect. 4. & nonnulli alij tuentur, vnam esse causalitatem, siue effectum cuiuscunque formæ respectu sui subiecti, quæ proprio, & adæquato nomine nuncupatur informatio; per quam videl. forma est in subiecto, atque actuat ipsum. Alij verò, vt Fonsec. 5. Metaph. cap. 2. quæst. 3. sect. 4. geminam causalitatem adscribunt formæ respectu materiæ. Vnam aiunt, esse informationem, qua forma actuat, ac perficit materiam: Alteram, esse continentiam, qua eademmet forma continet, & conseruat materiam in tali esse: IV.

Ego

Ego verò formæ tres effectus tribuo respectu materiæ, qui sunt. Vnio in fieri formæ cum materia. Actuatio, siue informatio materiæ: Et continentia qua forma continet materiam. Et omnes isti sunt perpetui, & inseparabiles effectus formæ.

V. Singulas declaro. Et quidem prima euidenter apparet ex ijs, quæ in quæst. præced. sect. 2. de causalitate materiæ dixi. Profectò dum materia, & forma intelliguntur vniri, (quæ est vnio in fieri,) veluti vera actus, & vera potentia, necessario ibi intelligitur interuenire mutua quædam causalitas materiæ in formam, in genere causæ materialis: Et vicissim formæ in materiam, in genere causæ formalis, quemadmodum loco nunc indicato exemplis etiam declaraui. Præterea, si materia, quæ nullius est actiuitatis, exercet causalitatem in vnione sui, & formæ, quemadmodum retrò patefeci, quanto maiori cum ratione in eadem vnione tribuenda erit causalitas ipsi formæ, cuius proprium est, esse principium cuiuscumque actiuitatis?

VI. Secunda etiam pars est manifesta. Tum quia effectus formalis, ac genuinus formæ est actuatio subiecti, ac sui ipsius communicatio; vnde confestim sortitur in subiecto formæ denominatio. Tum quia forma est actus, & species, quemadmodum legimus in hoc secundo lib. tex. 12. & secundo de Anim. tex. 2. cur autem sic nuncupatur, nisi quia actuat, perficitque materiam, quæ suapte natura est tantum potentia, vt dicitur in primo lib. tex. 82. & quia illam actuando exornat, quæ alioquin est turpis, ex tex. 81 eiusdem lib.? Nec sanè vlla ratione potest forma concipi in materia, quin illam informet. Hic enim verba facimus de forma informante, non assistente.

VII. Tertia pars, quod effectus formæ sit continentia materiæ, commonstratur testimonio sensus. Videmus, quod quandiu forma substantialis V. G. ligni, aut equi, integrè perseuerat, manet lignum, & animal vnum: discedente autem forma, fac per putredinem, lignum dissoluitur, & abit in multa ac diuersa corpora. id quod euidentius cernis in animali, ex quo vno mortuo fiunt multi vermes, tum cinis, humor, vapor, &c. ergo ibi fiunt multæ materiæ. Hæc consequ. ex eo liquet, quod materia est vna, aut multiplex positiuè solum per formam. ita vt quemadmodum materia vnius equi est vna numero, ita materiæ duorum equorum sint numero duæ, sed specie vna: & materiæ vermis, ac terræ dissident genere: Qua de re abundè dixi in lib. de Ort. & inter. Ex quibus euidens est, quod forma ligni, aut equi continebat eam materiam, vt esset vna.

Hæc doctrina est Aristotelis in primo de Anim. tex. 90. quo loci hæc omninò scribit. *Dicunt quidem partibilem ipsam animam; & alia quidem intelligere, alia autem concupiscere. Quid igitur continet animam, si partibilis est natura? Non enim vtique corpus: videtur enim contra magis animа corpus continere: egrediente enim expirat; & putrescit.* Et in tex. 92. *Dubitabit*, inquit, *aliquis & de ipsius partibus, quam potentiam habeat vnaquæque in corpore. Si enim tota anima totum corpus continet, conuenit & partium vnamquamque continere aliquid corporis.* Quam difficultatem præcipuè mouet propter intellectum. Ex his liquido apparet continentia formæ in materiam; quinimo in ipsum quoque compositum, vt mox dicam.

Iam verò tres hosce effectus esse formæ perpetuos, ab eaque inseparabiles, ex eo deprehendes, quòd nulla vnquam est forma substantialis informans, in qua hæc tria officia non perpetuo inueniantur.

At dices: Anima rationalis est vera humani corporis forma informans, vt in opere de Triplic. statu Animæ, disput. 4. ostendi: & post corporis interitum manet superstes. Tunc autem neque illi vnitur materiæ, neque eam actuat, aut continet: Falsum itaque est, dictos tres effectus esse perpetuos cuicumque formæ. VIII.

Occurrendum est, quod anima intellectiua nexu corporis soluta, actu quidem nihil illorum trium retinet. Retinet autem omnia illa tria aptitudine. Quippe cum anima separata sit substantia quædam incompleta, & semipersona, profectò dicit habitudinem ad proprium corpus, a quo etiam nunc indiuiduatur, cum quo, iuxta nostræ fidei dogmata, in extremo die reunienda est, & quod iterum est informatura, & cum quo aut beata, aut misera deget in omnem æternitatem. At etiam in Peripato anima separata prædita est aptitudine saltem ad aliud corpus. De qua re vide, si lubet, quæ scripsi in dicto opere de Triplic. stat. disput. 3. sect. 3. & disput. 5. sect. 10.

Pergo nunc ad causalitatem formæ in compositum, atque ita statuo. Effectus formæ respectu compositi substantialis sunt iidem tres. Primò, quod forma ceu vera, & essentialis pars, actu ipsum componat. Secundò, quod illud idem constituat talis essentiæ, siue in tali esse. Tertiò, quod ipsum, quo ad eius fieri potest, contineat, tueatur, atque conseruet. IX.

Omnia sistunt in plano. Primum constat ex octauo Metaph. tex. 15. & secundo de Anim. tex. 7. quibus in locis legimus, ex materia, & forma substantiali fieri vnum simpliciter, *quia hoc quidem materia, hoc verò forma est: & hoc quidem potentia, hoc verò actu.* Et quemadmodum rotunditas, quod est Stagiritæ exemplum, est pars actualis, atque interna compositi rotundi; & æs est pars potentialis, ac interna eiusdem compositi rotundi, haud aliter de forma substantiali, & materia prima philosophandum est.

Secundum etiam extra dubitationem est, quia forma elargitur rebus esse. Hinc in septem. Metaph. tex. 8, & lib. oct. tex. 12. & alibi sæpe, forma dicta est, *ipsum quod quid erat esse rei*. Ipsa, in- X.


quam,

quam, quidditas, atque essentia rei. Atque hanc ipsam ob causam forma appellata venit *ratio*, sicut in primo Phys. tex. *69*. in secundo de Anim. tex. 37. in septim. Metaph. tex. 53. & lib. duodec. tex. 16. apparet, quoniam ea est ratio propter quam compositum est id, quod est. Quippe quod homo V. G. sit animal rationale, nulla alia valet reddi ratio, quàm quòd homo habet formam humanam, vt docet Philosophus septim. Metaph. tex. 58. Ita eadem forma concepius verbis ab Stagirite dicta est, tum rei *substantia secundum* rationem, vt secundo de Anim. tex. *9*. tum ipsa rerum essentia, tex. *36*. *Nam causa ipsius esse omnibus essentia est*, videl. forma.

Ex his quæ hucusque dixi, sequitur absolutè dicendum, quod compositum substantiale est verè & propriè effectus formæ. Enimuerò compositum causatur ea vnione formæ ad materiam; compositur essentialiter ab ea; sortitur ab eadem speciem, & pulchritudinem suam; conseruatur, atque in suo esse quammaximè ab illa dependet, verè itaque ac propriè est illius effectus.

XI. Verùm hic opponunt nonnulli. Effectus nequit esse nobilior sua causa: Compositum est nobilius forma, quare compositum nequit statui effectus formæ. Minor prob. tum quia compositum continet entitatem formæ, & insuper entitatem materiæ: tum quia habet esse completum ac perfectum: Forma verò habet esse incompletum ac imperfectum: tum denique, quia compositum est primò à natura intentum, vt testatur Philosoph. secundo de Anim. tex. 34. Forma verò non intenditur nisi propter compositum.

Veruntamen hæc nullo negotio depelles. Distinguenda est maior: Effectus non est nobilior tota sua causa principali: Nil autem vetat, quominus possit esse nobilior aliera sui parte. De qua propositione recole quæ dixi supra, quæst. 2. sect. 4. Ita contingit in præsenti. Forma haud est tota causa compositi, sed altera tantummodo pars: ideò nil obstat, quin compositum, sit perfectius sola forma. Cæterùm an compositum, & quomodo sit perfectius ipsa forma, ex instituto examinaui in secundo de Anim. ad tex. 3. nunc in re nostra pergo.



SECTIO SECVNDA.

Quæ est causalitas formæ, tum in actu primo, tum in actu secundo: Et quas exigit conditiones, vt actu causet.



Hæc tria ex ordine sunt nobis de forma enucleanda. Sensus primi quæsiti est, vtrumne forma causet enarratos effectus immediatè per suammet essentiam, an verò per intermedium quippiam, sibique superadditum? Concipio quippe formam substantialem, quasi antequam eam materia vniatur, antequam eam actuet, antequam constet totum: & quæro, per quid tunc intelligitur apta, ac potens causare? Ita planè quemadmodum in quæst. præced. sect. 3. quæsiui per quid materia constituitur causa in actu primo. XII.

Nonnulli recentiorum, inter quos est Ron. hic tract. 3. de causalitate formæ, adhibent exemplum in anima rationali, quæ aliquando actu est, nec tamen est causa actu, aut actu informat, sed solum est apta ad informandum. Quæritur itaque, an aptitudo ad causandum, quam habet sine actuali causatione ac informatione, sit aliquid superadditum substantiæ eius, quemadmodum intellectum dicimus esse ei suppradditum ad intelligendum, an verò sit ipsa, ac sola eius substantia.

Quod quidem exemplum primò assumit falsum, quod anima rationalis aliquando sit actu, (loquor in generatione hominis, non post eius interitum) nec sit actu causa. Quamuis enim ea non extrahatur de potestate materiæ, nihilominus procreatur totus in materia ceu proprius actus in propria materia: Impossibile autem est, intelligere vllum vquam actum esse actu in materia, & non actuare illam actu. Deinde, etiamsi hoc assumptum admittas, exemplum non poterit alijs formis accommodari: ac proinde proposita quæstio non erit de omni forma, sed ad solam rationalem erit coarctanda: Quod tamen afferendam nullatenus est: Sisto itaque in explicatione adhibita, quod quemadmodum materia, quamuis nunquam sit actu, quin actu sit causa respectu alicuius formæ, nihilominus eam concipimus de se, & quærimus, per quid materia potest causare, & per quid actu causat, ita concipimus formam, &c. XIII.

Videtur igitur esse causa per aliquid superadditum,

tum accidentale. Nam quæ maximè inter se dissident, ea non vniuntur nisi per aliquod medium: quia Natura nunquam transit ab vno ad aliud extremum, sed ea suauiter nectit per media, vt luculenter explicat Arist. lib. quarto de Partib. animal. cap. 5. Forma est actus, materia est pura potentia. Actus verò, & potentia quammaximè inter se distant, vt explicatur nono Metaph. tex. 7. quare forma nequit immediatè per suammet essentiam esse causa.

Præterea, causare est agere: Manifestum autem est, nullam substantiam creatam esse immediatum principium alicuius actionis: quare forma, quæ est substantia, haud erit causa nisi per aliquid superadditum. Accedit, quod in materia, vt sit causa, ponuntur præuiæ dispositiones: ergo etiam in forma, vt sit causa, debet aliquid ei superaddi. Hoc nequit esse alia substantia, propter easdem rationes: erit ergo accidens.

Dicendum nihilominus est, quod forma substantialis non constituitur causa per aliquid sibi superadditum, sed immediatè per suammet substantiam, & essentiam potest causare, vniri materiæ, eam informare, continere, & componere totum compositum.

XV. Sic expressè colligitur ex Arist. octauo Metaph. tex. 15. & secundo de Anim. tex. 7. vbi ait, *Vnde non oportet quærere, si vnum est anima, & corpus; sicut neque ceram, & figuram*, At figura vnitur ceræ nullo corpore mediante, quare & anima corpori, & omninò forma suæ materiæ: quemadmodum eodem loco subdit Arist. inquiens, *Neque omninò vniuscuiusque materiam, & id cuius materia*. Sic docet etiam S. Thom. in prim. part. quæst. 76. art. 7. & lib. 2. contr. gent. cap. 8. ite quoq; habet subtilis doctor in 1. distin. 12. quæst. 1. Et est sententia communiter inter Doctores recepta: & nos itidem ostendimus in opere de Triplic. stat. Anim. disput. 1. sect. 5.

XVI. Et ratio est euidens, quia id quod ex sua natura est actus ordinatus ad actuandum, haud eget alio, quo mediante actuet; sicut id quod per suam essentiam est calidum, minimè eget alio, quo mediante calefaciat, sed calefacit per se ipsum: Omnis autem forma suapte natura & essentia est actus ordinatus ad actuandum. Nam etiam Intelligentiæ, & Deus sunt ex sui natura actus: at non sunt ordinati ad actuandum: forma autem substantialis est actus ex se ordinatus ad actuandum, cum sit actus quidam incompletus. ergo forma non eget vllo alio, quo mediante actuet, & causet, sed per se ipsam id præstat.

S. Thom. in art. illo 7. hanc attulit rationem. Si anima vniretur materiæ per solam assistentiam extrinsecam, sicut motor vnitur mobili, indigeret aliqua potentia superaddita, per quam ei vniretur, quemadmodum intelligentia mouens cælum non vnitur ei immediatè per suam substantiam, sed per potentiã motiuã, qua illud circumagit: Atqui anima non iungitur corpori ceu motor extrinsecus, sed copulatur intimè ad constituendum compositum substantiale; atque ideò vnione substantiali. quare non vnitur medio aliquo alio. Anima autem est forma: ergo forma vnitur eo modo quo diximus.

Ad argumenta verò in contrarium adducta. Ad 1. distinguenda est minor. Actus, & potentia gemino modo possunt spectari. Primò absolutè, & secundum suasmet conditiones: Secundò respectiuè, quatenus hic quidem est actus huius; hæc verò est potentia huius. Si primo modo spectentur, vtique plurimum dissident. Quocirca si vtrumque hoc pacto haberet esse separatum, vtique oporteret, vt illa per aliqua intermedia vnirentur; si verò considerentur secundo modo, neutiquam distant, sed sicut immediatè se se respiciunt, ita immediatè, seque ipsis possunt vniri. Nam actus materiæ non est extra materiam, sed natura sua aptus est fieri in ea, vt dicitur in secundo de Anim. tex. 26. XVII.

Ad 2. argum. respond. effatum illud, quod nulla substantia creata est immediatum principium suarum actionum; intelligitur de actione propriè dicta, cuiusmodi non est causatio formæ in materiam, & in compositum, vt supra exposui. Ita essentia etiam est immediatum principium suarum affectionum, scil. per naturalem resultantiam, vt in lib. de Anim. dixi.

Ad 3. adest discrimen inter materiam, & formam in causando. Illa est subiectum; ac proinde præsupponitur ad causandum, ob id debet præuiè quoque disponi. Forma autem est actus, nec præsupponitur ad id, cuius est actus, & forma. Nam *causæ, quæ sunt vt ratio, simul sunt: cum enim sanus est homo, tunc etiam sanitas est: & forma aneæ sphæræ simul atque ænea sphæra*, inquit Stagirites duodec. Metaph. tex. 16.

De actuali causalitate formæ: & de conditione, sine qua forma non causat.

Ctualis causatio formæ proportione respondet actuali causalitati materiæ, de qua abundè in quæst. præced. sect. 4. dixi. Actualis itaque formæ causalitas respectu quidem materiæ, nihil est aliud, quàm formam XVIII.
actu vniri cum materia, veluti actum cum sua potentia: tum actu materiam informare: nec non eam ipsam actu, ac se ipsa continere. Causalitas autem eiusdem formæ respectu compositi est, quod se ipsam illi intimè actu communicet; quod actu

illud

illud componat; quodque eidem actu elargiatur esse. Hae autem omnia forma facit immediatè per suammet substantiam.

XIX. Omnia hæc sunt plana, tum ex his, quæ nunc de forma constituebam: tum ex ijs, quæ in quæst. præced. de actuali materiæ causalitate disserui: quocirca amplius hac in re immorandum haud duco.

Denique conditio necessaria, vt forma causet, censenda est eius indistantia a materia, siue applicata eius præsentia ad materiam: siue forma sit educta de sinu materiæ, & postea concipitur præsens, quemadmodum in omni forma materiali contingit, siue aliunde accedat, vt in anima intellectiua vsuuenit. Hæc quippe sola in forma est conditio propriè dicta,& sine qua forma nunquam causat: Quamuis prærequirantur etiam aliqua alia, veluti agens, quod eam producat, apta materiæ præparatio, &c. sed ista non sunt propriè conditio sine qua non; vt in sect. illa 4. dilucidaui, quæ si animo recolas, non etiam hic eadem repeti expectabis. Hæc de causa formali.

QVAESTIO QVINTA.

De causa efficiente.

SECTIO PRIMA.

An detur causa efficiens: & quæ sit.

1. 

Vnquam satis humani ingenij conditionem deploro, quod persæpe in rebus etiam clarissimis fœdè cæcutiat. Quid inter nos sensatius causa efficiente? Nam, vt sileam, loqui, comedere, incedere, moueri, percutere, quæ quisque hominum quotidie facit, efficere est: Nihilominus non defuerunt, qui à rebus naturalibus causam efficientem obnixè inficiati sunt. Refert Auerr. 9. Metaph. com. 7. & S. Thom. in prim. part. quæst. 105. art. 2. & lib. 3. cont. gent. cap. 69. aliquos dixisse, nihil præter Deum esse causam efficientem: & ipsum solum sine concursu alterius causæ effectiue efficere omnia, ad præsentiam causarum secundarum. *Vnde dicunt, quod ignis non calefacit, sed Deus præsente igne: nec manus mouetur, sed Deus mouet manum, præsente illo, cuius est manus, quæ mouetur*, inquit S. Thom. Deinde, hanc eandem opinionem veluti probabilem defendere tentauit Gabr. in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 2. dub. 3. quamuis dicat, se de ea non loqui assertiuè, sed dubitatiuè. Demum ita videtur sentire Sebastian. Bassones in sua Philos. Naturali, vt refert Auers. quæst. 14. sect. 2.

Quæ sententia sic potest confirmari. Aut Deus efficit omnia, quæcunque fiunt, aut non. Si dederis hoc secundum, derogabis diuinæ potentiæ: Nam si aliquis effectus non est à Deo, iam Deus non erit primum omnium, ac per suam essentiam ens. Si verò concesseris primum, quod scil. Deus efficiat omnia: vlterius peto, efficitne omnia immediatè, ac sufficienti virtute, an verò solum mediatè, ac partialiter? Hoc posterius affirmari nequit, vt de se manifestum est. ergo concedendum est primum, quod Deus efficiat omnia, quæcumque fiunt, immediatè, ac virtute sufficientissima. Quod si verum est, superuacanea erit omnis alia efficientia alterius causæ. Quæ conseq. vel ex eo liquet, quia vna causa immediata ac sufficiens satis est ad producendum effectum in suo genere. Ac proinde cum Natura nihil faciat frustra, profectò nullam tribuit virtutem rebus naturalibus ad efficiendum. II.

Præterea, Quoduis agens naturale, & omninò omnis creatura respectu Dei est instrumentum: Instrumentum autem neque propriam habet operationem vllam, neque propria actione quicquam dicitur efficere. Mens est S. Thom. in prim. part. quæst. 105. art. 5. & quæst. 3. de poten. art. 7. vbi concludit. *Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum diuinæ virtutis operantis.* III.

Ita etiam sentit Plato in Parmen. In quo quidem dicto D. Damasc. in sua Phys. cap. 9. non dubitauit præferre Platonem ipsi Aristoteli quemadmodum etiam adnotauit P. Suarez in Metaph. disput. 17. sect. 2. num. 15. Quo etiam facit illud Mercur. Trismegisti in Pimand. quod *mundus hic est instrumentum Dei*. Et denique Gabr. loco nuper indicato in fauorem huius sententiæ adducit testimonium Sacr. Script. nam primæ ad Corinth. 12. legimus, quod *idem Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Et secundæ Corinth. 3. *Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Adde ex Isaia cap. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*. Et Iob. 10. expressè effectus agentium naturalium adscribuntur ipsi Deo operanti, *Pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & neruis compegisti me, vitam, & misericordiam*

Digitized by Google

tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum.

IV. Nihilominus aperta veritas est, quod non modo Deus, sed res etiam naturales, & omninò res creatæ sunt verè, & propriè causæ efficientes: & verè ac syncerè producunt suas proprias actiones, congruas ac proportionatas suis essentijs.

Hic est communis Philosophorum, ac Theologorum consensus. Et demonstratur vel hac ratione, quam Auerr. loco iam indicato subiungit, *quia si entia non habuerint actiones proprias, non habebunt essentias proprias. Actiones enim non diuersantur, nisi per essentias diuersas.* S. autem Thom. in art. 5. cit. ex eo confirmat, quia qui ita statuunt, subuertunt ordinem causæ, & causam a rebus creatis. Hoc verò arguit defectum, & impotentiam in creante, *quia ex virtute agentis est quod suo effectui det virtutem agendi.* Deinde, virtutes operatiuæ, quæ in rebus inueniuntur frustra essent rebus attributæ, si res per eas nihil operarentur. Imò verò omnia res creata viderentur quodammodo frustra, si propria operatione destituerentur, cum omnes sint propter suam operationem.

V. Quid autem? Nonne fatua videretur Natura, dum tanta diligentia res secernit, tanta qualitatum varietate exornat, tam eximio instrumentorum munit apparatu, atque omnia dirigit ad operandum, vt V. G. in oculo animaduertere licet, si res ipsæ nihil essent operaturæ? Ita ea natura rei ignis non magis calefaceret, quàm infrigidaret: lapis non magis descenderet, quàm ascenderet, si Deus ad præsentiam horum ea opera produceret. Quocirca qui ex sententia illo modo sentiret, torquendus esset a te, donec aut fateretur, te esse, qui eum torquet, aut certè non deberet de te queri, cum non tu, sed Deus, te solummodo præsente, illum torqueat.

Quæ cum ita sint, optimo iure præfata sententia à grauiss. viris, inter quos est P. Suarez in disput. 18. Metaph. sect. 1 vocatur temeraria, & erronea: Et à S. Thom. in 2. distin. 1. quæst. 1. art. 4. dicta est stulta. Et Auerr. in com. illo 7. hæc omninò de illa eadem opinione subnectit. *Et ista opinio est valdè extranea a natura hominis: & qui recipiunt huiusmodi, non habent cerebrum habilitatum naturaliter ad bonum.*

VI. Nec argumenta pro opposita opinione inducta quicquam huic veritati officiunt. Ad 1. dicendum, quod Deus vtique immediatè, & intimè operatur omnes secundarum causarum effectus, sed operatur tanquam causa prima, quæ non excludit concursum causarum secundarum, sed operatur ille, operantur & illæ, per suas essentias, & virtutes ab illo sibi concessas, & vt causæ principales. Nec inconuenit, duas aut plures causas totales, diuersi ordinis, atque essentialiter subordinatas producere eundem numero effectum: imò hoc est necessarium, quemadmodum ostendit Philosophus oct. Phys. tex. 32. Et in secundo Phys. tex. 26. modo non clamat, quod *homo generat hominem, & Sol.*

Ad 2. Agentia naturalia dicuntur instrumenta diuinæ potentiæ operantis, non eo modo, quo baculus est instrumentum hominis mouentis lapidem per illum, sed quia in omni sua operatione dependent a causa prima, Deo, a quo & esse, & virtutem operatiuam, & actualem etiam præmotionem, & applicationem veram ac physicam habent: de qua re multa dixi in nostro *Manuali Scholastico de vitijs, & peccatis*, Tract. 4. Ex quo tamen non tollitur, quin agentia naturalia verè sint causæ principales suorum effectuum. Hinc rectè nonnulli adnotant, quod dupliciter dicitur, causam principaliter operari. Primò, principaliter, id est, independenter: & sic causæ secundæ non sunt principales, sed instrumentales. Secundò, principaliter, id est, per formam, & virtutem propriam & intrinsecam, & hoc modo causæ secundæ sunt principales.

VII. Nec demum testimonia sacrarum scripturarum allata quicquam turbant. Fatemur enim, & lubentissimè deosculamur, Deum Opt. Max. operari in nobis omnia opera nostra; sed tanquam causam primam, et qua descendit omnis datio bona, & omne bonum perfectum. Et quia, auctore Philosopho oct. Phys. tex. 32. primum mouens magis ac principalius mouet, quàm vltimum, *quia illud mouet vltimum, sed non hoc primum: & sine primo vltimum non mouebit, illud autem sine hoc*, vt intima ac principalior hæc Dei in omnibus efficientia indicetur in sacris literis, attribuuntur Deo opera naturæ: pelle, & carnibus vestisti me, &c. Verùm de his non hic locus. Pergo in re nostra.

VIII. Et est secunda positio primæ illi opposita. Sic vsuuenit, *dum stulti vitant vitia, in contraria currunt*. Quidam Philosophi, vt proprias operationes rerum tuerentur, sustinuerunt, Deum non facere effectus naturales immediatè: sed immediatè esse solum causam primi creati, & illud esse causam alterius, & ita deinceps. Sic refert S. Thom. in 2. distin. 1. quæst. 1. art. 4. Hinc non videtur multum recessisse Durand. qui in 2. sent. distin. 2. quæst. 5. & distin. 37. quæst. 1. defendere ausus est, quod actiones, & effectus secundarum causarum solum remotè, & mediatè dependeant à Deo, quatenus ab initio res condidit, & eis elargitus est virtutem ad operandum, & deinceps tam ipsas causas secundas, quàm earum virtutem operatiuam in esse conseruat. Quocirca cum ignis V. G producit calorem, Deus non concurrit cum eo immediatè, neque producit calorem vnà cum igne, sed mediatè duntaxat, ait Durand. vt iudicaui, de qua re vide Benedic. Perer. in sua Phys. lib. 8. cap. 7.

Sed

IX. Sed hæc positio aduersatur rationi naturali, & veritati nostræ fidei. Illi quidem, quia causa secunda essentialiter subordinata non agit, nisi dependenter a prima, cum omne quod mouetur, ab ab alio mouetur. Cui fundamento innixus Arist. inuenit primum motorem omninò immobilem, vt videre licet oct. Phys. Fidei autem nostræ, *quia non ponimus Angelos creatores, sed solum Deum creatorem omnium visibilium, & inuisibilium*. Hinc etiam labefactata manet imaginatio Durandi.

X. Tertia opinio asserit, quod nulla res corporea habet vim quicquam efficiendi; *& totaliter corporibus subtrahit actiones*, sed omnes effectus, quicunque in toto Vniuerso cernuntur fieri a causis corporeis, ait effici a spirituali quadam substantia, quæ omnia omninò corpora intimè penetrat, permeatque: adeò vt duro lignum V. G. ab igne calefit, & conburitur, non sit ignis, qui calefacit, sed virtus illa spiritualis penetrans per ipsum ignem,& ita in reliquis. Sic opinatus est Auicembron in lib. Fontis vitæ, & refert S. Thom. in prim. part. quæst. 115. art. 1. & lib. 3. contr. gent. cap. 69. *Et hæc sententia videtur esse deriuata ab opinione Platonis, qui posuit omnes formas, quæ sunt in materia corporali, esse participatas, & determinatas, & contractas ad hanc materiam: formas verò separatas esse absolutas, & quasi vniuersales. Et ideò illas formas separatas dicebat esse causas formarum, quæ sunt in materia*, ait S. Thom. in art. illo 1. Quò postea etiam flexit Auicen. inquiens, causas corporeas producere quidem in materia accidentia, & dispositiones; quandam verò intelligentiam separatam esse, quæ formas substantiales rerum omnium efficiat. Sic ille tradit in 1. suæ sufficient. cap. 5. & lib. 4. Metaph. cap. 4. tum lib. 9. cap. 4. De qua re abundè disserui ad calcem lib. primi. in disput. de Principio formali, sect. 8.

XI. Verùm hæc etiam sententia obsoleta est. Et virtus illa spiritualis per omnia permeans, & in omnibus operans, fictitia est: Et formæ, siue ideæ Platonis iam ab Arist. vbique euersæ: Et agentia naturalia producere non modò dispositiones, & accidentia, sed formas etiam substantiales rerum, vel ex eo eminentur, quòd alias non generarent. Nam formæ materiales nequeunt per se produci in materia, quemadmodum asserimus de anima intellectiua, sed euocantur de potestate materiæ: Si autem producerentur siue a substantia separata, siue a virtute illa permeante, fierent per se in materia. De qua quidem re satis dixi in disput. de Principio formali, sect. illa 8. Ex his itaque omnibus apparet, dari in natura causas efficientes, & quæ ipsæ sint.

SECTIO SECVNDA.

Quid, & Quotuplex sit causa efficiens.



XII. Ffectricem causam prisca illa, ac prima Philosophantium ætas clarè ignorauit, quemadmodum & causam formalem, & finem, & solum deprehendit materiam ac subiectum; ex quo inexistente fiunt res. *Nam plurimi eorum qui primò philosophati sunt, solas illas, causas, existimarunt omnium esse principia, quæ in materiæ specie sunt*, inquit Arist. in primo Metaph. cap. 3. Progrediente dein doctrina, post materiam, deprehensa est causa efficiens, propterea quod illius ætatis Philosophi oculis suis intuebantur, solam materiam haud esse satis, vt aliquid fieret. *Non enim ipsum subiectum se se mutari facit, dico autem, vt neque lignum, neque æs causa est, vt vtrumque eorum mutetur: neque lignum quidem lectum, æs verò statuam facit, sed aliud quippiam mutationis causa est. Hoc autem quærere, aliud principium quærere est; perinde atque id, quod nos vnde principium motus dicimus*. Subdit Arist. paulo inferius.

XIII. Sic ergo paulatim a re manuducti, & ab ipsa veritate coacti, post causam materialem, antequam olfacerent alias causas, inuenerunt causam effectricem; siue eam primus clarè induxerit Anaxagoras Clazomenius, dicens intellectum esse causam effectricem Vniuersi, *& mouisse omne*: siue ante eum Hermotimus itidem Clazomenius. Imo Hesiodus poeta vtroque longè vetustior hanc causam tetigisse visus est in sua Theogonia, dum cecinit, *Ante omnia fuisse chaos: deinde terram spaciosam, atque amorem, qui inter omnes immortales elucet*. Tanquam opportunum sit, inquit Stagirites lib. primo Metaph. cit. cap. 4. *vt in existentibus aliqua causa insit, quæ res ipsas moueat, atque congiungat*. Sed his, aliisq; consimilibus omissis.

XIII Causam efficientem definit Philosophus in hoc lib. tex. 29. & quinto Metaph. cap. 2. esse *vnde principium primum mutationis, aut quietis*. In tex. autem 31. eiusdem secundi lib. definit, esse *vnde principium mutationis, aut status, aut motus*. Quas quidem definitiones in textuum explicatione accuratè, ac singillatim enodaui: iccircò superuacaneum duco, hoc loco circa eas ipsas amplius immorari.

Ast hic, quin te admoneam, efficere nequeo, quod prior harum definitionum, quam vno ore antiquitas

tiquitas, & subsecuta etiam ætas deosculata est, non probatur quibusdam recentioribus; imò carpitur, siue vt obscura ac distorta, siue vt vitiosa, quod non competat omni definito, aut competat etiam alteri à definito. Ita Hurtad. in Phys. disput. 9. sect. 1. deinde alij: & nupertimè Arriaga in suo curs. Philos. in Physi disput. itidem 9. sect. 1. Hinc posthabita Stagiritæa definitione, subijciunt suas: deinde inter se effusè certant.

XV. Hurtadus causam efficientem definit, *esse principium per se influens in aliud, præcisa mutatione sui, ex præcisa ratione influxus*. Hurtadum validè perstringunt alij, quia dum Philosophi definitionem vt obscuram vellicat, *tradit aliam obscuriorem*, inquit, & rectè Mastr. in Phys. disput. 7. quæst. 1. & quod magis est, Arriag. loco indicato, & Franc. de Ouiedo in suo cursu itidem Philosoph. in Phys. disput. 9. punct. 1. vterque ex eadem Societate, Obnixè detegunt, Hurtadum *esse malum definitorem*.

P. Suarez in Metaph. disput. 17. sect. 1. ait, definitionem Aristotelis multa indigere interpretatione, & additione: quia illa particula, *vnde*, quę videtur esse loco generis, est æquiuoca: propterea loco generis intelligendum esse, Principium per se. At ne videatur committi nugatio, dicendo causam efficientem esse principium, per se, vnde est primum principium motus; dicendum esse, *causam efficientem esse principium per se, à quo primò est, aut fit mutatio*. & ita fit, vt descriptio Aristotelis virtute contineat hoc genus, per quod potest causa efficiens definiri, inquit idem auctor.

Etiam hanc Suarij definitionem conuellit Arriag. Deinde refert & aliam, quod *causa efficiens est, quæ*
XVI. *per se tribuit extrinsecè esse effectui*, Quam illicò reiecit: Ac tandem, (vt alia sileam) ipse corrigens Hurtadum, talem promulgat definitionem. *Causa efficiens est principium per se influens in aliud, præcisa mutatione sui, ex præcisa ratione causæ efficientis*. Contra quam deinde alter consocius, Franc. Ouiedo inuehitur acerbè his omninò. *Vitium huius definitionis vel recentem Dialecticum non latebit. Includit enim definitum eodem modo significatum in illa particula, (efficientis) ac ante definitionem definiendum proponebatur. Patitur etiam easdem difficultates, quas contra definitionem Hurtadi expendimus, à quo tantum differt per vltimam particulam*. Quid ergo? ego ne hic immorer? aut has definitiones confutem? imò verò ne morabor quidem. Amplector, ac veneror Stagiritæ definitiones, quæ summo ingenio cusæ sunt, & communem etiam auctorum in omni ætate meruerunt consensum: quas in suis contr. examussim enucleaui, ideò hic nihil addo, sed pergo ad secundam quæstionis partem.

Variæ causæ efficientis diuisiones.



Rima huius causæ diuisio est in causam primam, & secundam, siue vt nostri loquuntur, in increatam, & creatam. Causa efficiens prima est, quæ ita est principium effectuum omnium aliarum rerum, vt ipsa non sit ab vllo alio principio effecta, sed existat semet ipsa, & operetur omninò in omnibus tanquam principium vniuersale omnium, à quouis alio independenter: Quæ quidem causa, etiam in Peripato est sola Deus benedictus. Causa verò secunda & contra est ea, quæ ex sui natura supponitur, quod ea ipsa sit effectus alicuius alterius causæ prioris in eodem genere effectiuo: Nihilominus ipsa etiam est principium principale effectiuum aliorum effectuum in eodem genere effectiuo: Et semper in operando dependet à causa prima, ac sine illa nihil potest vnquam efficere: Huiusmodi sunt omnes causæ efficientes præter vnum Deum. Hæc diuisio colligitur ex Arist. octauo Phys. tex. 32. & lib. primo de Ort. & inter tex. 14. XVII.

Secunda diuisio. Causa efficiens alia est physica, alia moralis. Physica est, quæ realiter, verè, ac directè per se ipsam influit in effectum: sic pater est causa filij, ignis est causa alterius ignis, & faber scamni. Causa verò moralis est, quæ non directè, ac per se ipsam influit in effectum, sed inducendo alium, vt operetur. Sic qui consulit, suadet, præcipit, est causa moralis. Hinc Philosophus in tex. 29. huius lib. post definitionem causæ efficientis, apponit exempla tam de causa physica, quàm de morali, inquiens, *vt consultor causa, & pater filij, & omninò faciens facti, & mutans mutati*. Nihilominus causa moralis semper reducitur ad Physicam. XVIII.

Sunt qui causam moralem subdiuidunt, vt alia sit moralitate libertatis, alia moralitate imputationis. Prima est voluntas ad suos actus liberos, qui propterea etiam dicuntur actus morales. Secunda verò est illa, cui secundum prudentum hominum æstimationem imputatur effectus, talis causa est iubens, consulens, &c. Prima, partim distinguitur à causa physica, partim conuenit. Distinguitur, quia illa, positis omnibus ad agendum necessarijs, non potest non agere: hæc autem, positis omnibus ad operandum prærequisitis, potest pro arbitratu suo agere, & non agere. Conuenit verò, quia etiam voluntas verè, directè, & per se ipsam influit in suos effectus, & eos effectiuè elicit, perinde ac facit causa physica. Quæ tamen non est proprie diuisio,

diuisio, cum secundum membrum includatur in primo: siquidem imputatio, & omninò moralitas omnis est solum in actibus liberis.

XIX. Tertia diuisio causæ efficientis est in causam per se, & causam per accidens. Causa per se est, quæ secundum naturam propriam, & non secundum aliquid sibi accidens agit. Sic ædificator per se ædificat, medicus sanat, pictor pingit. Causa per accidens multiplex est. Vna quidem est, quæ accidit causæ per se operanti: vt cum dico, musicus ædificat. Sic statuarius est causa per se statuæ, Polycletus autem est causa per accidens eiusdem statuæ. *Amplius*, inquit, Arist. in tex. 33. huius lib. causa est, vt *accidens, & horum genera, vt statuæ aliter Polycletus, & aliter Statuarius; quoniam accidit Statuario Polycletum esse*. Alia causa per accidens est, vt removens id quod prohibet, Sic ille, *qui columnam diuulsit, aut qui lapidem remouit, a vase, in aqua, secundum accidens mouit*, inquit Philosophus octauo Phys. tex. 32. Alia causa per accidens est e contra, vt non impediens: quæ videl. cum potest, ac debet impedire aliquem effectum, non impedit. ita *absentia gubernatoris nauis est causa submersionis, cuius erat præsentia causa salutis*, vt dicitur in tex. 30. huius lib. Afferuntur nonnullæ etiam aliæ causæ per accidens, vt videre est apud Amicum quæst. 14. sect. 2. sed minus vsitatæ. Id porrò silentio prætereundum non est, quod conditio sine qua non, neutiquam recenseri debet inter causas ex accidente. Nam siue causa per accidens potest sequi effectus a sua causa per se: sine conditione autem ad agendum necessaria, nunquam sequetur effectus.

XX. Quarta diuisio, Causa efficiens alia est vniuoca, alia æquiuoca. Vniuoca est, quæ producit effectum eiusdem speciei ac ipsa est: veluti ignis producit ignem, & homo hominem. Sic ex secundo de Anim. tex. 34. *naturalissimum operum in viuentibus, est facere aliud quale ipsum*. Causa verò æquiuoca est, quæ promit effectum diuersæ naturæ & rationis, ac ipsa est, vt Sol, dum producit metalla, ranam, hominem. Siquidem *hominem homo generat, & Sol*, ex secundo Phys. tex. 26.

Causa vniuoca dicitur continere formaliter effectum. æquiuoca verò continere solum virtute, & eminentia. Porrò continere effectum virtualiter nihil aliud est, quàm habere in se virtutem producendi eiusmodi effectum diuersæ naturæ a se. Continere verò formaliter, caue ita accipias, quasi causa vniuoca habeat in se ipsa actu eundem numero effectum, siue eandem numero formam, quam in subiecto productura est: hoc quippe ab omni ratione abest, cum forma non transeat de subiecto in subiectum, sed intellige, quod habet formaliter in specie, videl. causa vniuoca actu prædicta est eadem specie forma, quam deinde producit in subiecto.

XXI. Hinc sequitur, causam vniuocam esse essentialiter æqualis perfectionis cum suo effectu: æquiuocam verò, præsertim verò si sit vniuersalis, esse perfectiorem suo effectu. Quod hoc pacto ostendo. Causa æquiuoca, si est, diuersæ speciei a suo effectu, vt nunc aiebam, profectò aut essentialiter est speciei perfectioris quàm sit effectus, aut imperfectioris, aut æqualis perfectionis ac est effectus. Hoc tertium ex eo affirmari nequit, quia impossibile est, duas species diuersas esse eiusdem essentialis perfectionis. Species enim perinde sunt, atque numeri ex decimo Metaph. Secundum quoque omninò impossibile est, quandoquidem nullus effectus potest statui perfectior causa sua principali: relinquitur itaque, vt causa æquiuoca sit perfectioris speciei, quàm sit eius effectus. Consultò dixi, præsertim si est causa vniuersalis, quia motus est causa efficiens caloris, atque adeò ignis, quemadmodum in opere de Meteor. lect. 22. multis perfeci: Et percussio baculi est itidem causa æquiuoca vibicis: Nihilominus neque motus est perfectior calore, ac igne per motum excitato, neque percussio vibice.

Quintò diuiditur in causam effectricem totalem, & partialem: Quid vtraque sit, termini ipsi ob oculos sistunt. Illa etenim est causa totalis; quæ omninò adæquatur effectui: Illa autem partialis, quæ vnà cum alia edit effectum. At verò etiam in hoc scyrpo nonnulli offendunt nodum de modo dignoscendi causam totalem. Arriag. in disput. 9. in Phys. sect. 2. effertur in suos, Vasquez, & Hurtad. quòd dixerint. Quando omnes formalitates, quæ sunt in effectu, continentur formaliter, vel eminenter in causa, tunc esse causam totalem, & adæquatam; nec tunc dari locum pro alia concausa simul influente. Hanc doctrinam Arriag. putat, absolutè loquendo, esse falsam. Primò, quia Deus continet omnes formalitates, ac prædicata effectus creati: nihilominus relinquit locum causis creatis, ergo falsum est, causam continentem omnes formalitates effectus non relinquere locum alteri concausæ. Secundò, licet ignis V. G. sit æqualis perfectionis cum altero igne, & nulla sit formalitas, quæ in igne illo non contineatur, relinquit tamen locum pro Deo, ergo &c. XXII.

Veruntamen præfata Vasquez, & Hurtad. doctrina si rectè, ac candidè capiatur, verissima est. Intelligitur, quod causa totalis non relinquit locum alteri concausæ in eodem ordine, vel in eodem genere. Sic neque Deus relinquit locum alteri concausæ in suo ordine, id est, causæ primæ. neque ignis, quando est causa totalis, relinquit locum alteri igni. Concursus verò primi entis, quamquam totalis, non excludit cooperationem causarum secundarum: Neque concursus ignis reijcit causas superiores; sed reijcit, excluditque affinem in suo duntaxat genere. Porrò si hæc est causa totalis, atque adæquata huius effectus, apertè repugnat, compati aliam concausam: tunc enim illa esset causa partialis: atque adeò esset totalis, & non totalis. XXIII.

Propterea scito, causam totalem rectè subdiuidi, iat

Digitized by Google

vt alia sit totalis totalitate causæ, alia totalitate effectus. Prima est, quæ se sola, & cum exclusione alterius concausæ sufficiens est producere effectum. Cum autem dico, eiusmodi causam respuere in sua causatione alias causas, intelligi debet, aut quod absolutè respuat quamcunque aliam causam; ita Deus est causa totalis creationis Vniuersi, aut etiam animæ rationalis. Quippe ad huiuscemodi effectus nil aliud committitur. Aut, quod excludat aliam causam in suo ordine, & suo genere, non verò excludat absolutè aliam causam diuersi ordinis, & diuersi generis. Quæ omnia clarissimè vel hinc cernere licet. Nam Deus Opt. Max. erga effectus secundarum causarum haud patitur vllam aliam concausam primam, ac ordinis diuini: at non repudiat causas ordinis inferioris, nimirum causas creatas. Sic ignis, cum est causa totalis, haudquaquam excludit concursum cælorum, Intelligentiarum, Dei: at omninò respuit in suo genere. Quid verò? ignis est causa totalis alterius ignis; nihilominus ad generandum alium ignem concurrit etiam materia, at in suo genere Hinc apparent infirma fundamenta Arriag.

Causa autem totalis ex parte effectus, quod erat alterum diuisionis membrum, est, quæ ita influit in
XV. effectum, vt nulla sit pars effectus, in quam illa non influat. Est commune exemplum, veluti quando duo trahunt nauim, dicuntur causæ totales totalitate effectus. Eodem modo ex opposito philosophare de causa partiali.

Sextò, Causa efficiens alia est vniuersalis, alia particularis. Vniuersalis est, quæ aut concurrit ad omnes omninò effectus, cuiusmodi est sola prima, *a qua pendet cælum, & vniuersa natura*, ex duodec. Metaph. tex. 39. aut concurrit ad plures, vt sunt omnes effectus subcælestes. Tales causæ vniuersales sunt Intelligentiæ, & cæli, a quorum *lationibus gubernatur omnis vis, & virtus inferioris mundi*, vt asseritur in primo Meteor. cap. 2. Causa autem
XVI. particularis est, quæ vnum aliquem certum ac determinatum edit effectum, vt sunt omnes causæ sublunares.

Septimò, Causa alia est proxima, & immediata, alia remota, & mediata. Prior est illa, quæ nullo alio intermedio concurrit ad effectum. Posterior verò est, quæ alio mediante dicitur concurrere. Exempli gratia causa remota speculandi est anima humana, deinde intellectus: proxima autem est habitus scientiæ, vt docet Arist. cum alibi sæpe tum octauo Phys. tex. 32. & secundo de Anim. tex. 55. hinc in tex. 61. *Nunc*, inquit, *tantum sit definitum, quod non simplex est id, quod potentia dicitur, sed aliud quidem, vt si dicamus, puerum posse militare, aliud autem vt in ætate existentem*.

Octauo, Causa efficiens alia est vt Quod, alia vt Quo. Causa efficiens vt Quod, est suppositum, siue res ipsa quæ agit, veluti ignis, qui comburit, & faber qui secat, quoniam actiones sunt suppositorum, ex primo Metaph. cap. 1. Causa efficiens vt Quo ad huc est duplex. Altera radicalis ac prima, & est forma substantialis rei: Altera proxima, & quasi instrumentalis, & est potentia. Sic anima mea est causa efficiens radicalis visionis meæ: quocirca etiam definita est in secundo de Anim. tex. 24. esse id, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus *primò*. Potentia autem mea visiua est causa itidem efficiens vt Quo eiusdem visionis.

Denique, *Causa efficiens quadruplex est*, inquit S. Thom. in hoc 2. lib. ad tex. 28. *scilicet perficiens, præparans, adiuuans, & consilians. Perficiens est, quod dat complementum motui, vel mutationi, sicut quod introducit formam substantialem in generatione. Præparans, seu disponens est, quod aptat materiam, seu subiectam ad vltimum complementum. Adiuuans est, quod non operatur ad proprium finem, sed ad finem alterius. Consilians est, quod dat agenti à proposito, formam, siue scientiam per quam agit. Nam agens à proposito agit per suam scientiam, quam consilians ei tradit. Sic & in rebus naturalibus generans dicitur mouere grauia, vel leuia, in quantum dat formam per quam mouentur*. Hæc S. Doctor: quæ etiam fusius refert. 5. Metaph. ad cap. 2. & ait, ita Auicennam diuisisse causam efficientem. XXVI.

SECTIO TERTIA.

Per quid constituitur causa efficiens tum in actu primo, tum in actu secundo.



Certissimum duco, quod quemadmodum Deus Opt. Max. operatur immediatè per suammet essentiam; ita aliæ res omnes, siue materiales atque corporeæ, siue substantiæ immateriales, quos Angelos appellamus, (quamquam de his non ita in Peripato constat) habent quasdam potentias, quæ sunt immediata principia suarum actionum. Quæ quidem potentiæ sunt accidentia propria, ac proinde realiter ab essentijs, a quibus proficiscuntur, distincta, vt in opere de Triplic. statu, Anim. disput. 8. sect. 5. & in secundo de Anim. patefeci. Quocirca per intellectum proximè intelligimus, per voluntatem volumus, per visum spectamus. Quærimus itaque per quid causa efficiens constituitur apta atque idonea in actu primo ad operandum. Hoc autem est quærere, quæ sit causalitas efficientis in actu primo. XXVII

Causa, auctore Philosopho in hoc lib. tex. 34. *aliæ quidem vt potentes dicantur, aliæ verò vt operantes*. XXVIII

rantes. illas licet appellare causas in actu primo: has in actu secundo. In proposito theoremate dicendum est, Causam constitui in actu primo radicaliter quidem per suam formam substantialem: proximè autem & immediatè per suam potentiam. Et quando aliquis habet habitum alicuius rei, tunc per eum adhuc proximius, ac immediatius constituitur in actu primo ad operandum. Hæc omnia vel ex iis, quæ & nunc, & in sect. præced. dixi, in aperto sunt. Sic ignis tanquam a radice est potens calfacere per suam substantiam, proximè per calorem. Sic homo ad contemplandum, primò quidem per animam intellectus participem, propinquius verò per intellectum, immediatè demum per habitum scientiæ.

Quæ est actualis causa efficientis causalitas?

XXIX. ON exigua inter doctores nostros hac de re versatur dissensio, seu de re ipsa, siue potius de modo explicandi: Ex vna parte plurimi tuentur, actualem causalitatem efficientis esse actionem ipsius. Ita S. Thom. 5. Metaph. ad cap. 2. Alber. in hoc lib. tract. 2. cap. 6. Suarez in Metaph. disput. 18. sect. 10. Conimbr. ad cap. 7. huius lib. quæst. 6. art. 2. Ruu. tract. 4. de causa efficiente, quæst. 1. Auers. Quæst. 14. sect. 4. & alij.

Ex altera verò Soncin. 5. Metaph. quæst. 4. Herueus Quodlib. 2. quæst. 1. Ianell. 5. Metaph. quæst. 4. Fonsec. ad eundem lib. quæst. 5. sect. 2. negant, actionem esse causalitatem causæ effectricis. Et quidem Soncin. statuit, causalitatem huiusce causæ in eo collocari, quod sit dare effectiuè esse effectui. Ianell. autem contendit, causalitatem esse agere. Vnde nonnulli eum explicant, quod dum negat actionem esse efficientis causalitatem, neget actionem in abstracto: concedat autem actionem in concreto: quia agere est actio in concreto. Fonsecam varium notat hac in re Auers. loco indicato, adductis multis eius locis, in quibus modo vnum, modo aliud videtur statuere. Deniq; Patres Complutens. disput. 10. in Phys. quæst. vlt. cum dixissent, causalitatem efficientis non in ipsa actione vt sic consistere, sed potius in ipso agere, nempe in ipso influere, siue communicare, aut educere effectiuè rem de non esse ad esse, seu ipsam actionem exercere, quatenus in hoc inuoluitur ipsum agens, vt coniunctum actioni, & vt illam exercendo attingit effectum: deinde subdunt, quod si de causalitate agentis, quo ad rem ipsam loquamur, nō potest esse dissensio. Melius tamen dicemus, esse ipsum agere, quàm actionem &c.

Vt ergo rem ex imo deducam, in causa effectrice hæc omnia suppetunt, de quibus potest quispiam ambigere, per quod constituatur causa actu. videl. essentia, potentia, effectus ab ea productus, relatio eius ad effectum, actio, & ipsum agere.

Primò dicendum est, causam efficientem, neque XXX.
per suam essentiam, neque per suam potentiam causandi, neque per effectum ab ea profectum, neque denique per relationem ad effectum constitui actu causam.

Prima pars est aperta, quia posita actuali causalitate, necessario ponitur causa actu. Manifestum autem est, aliquid habere suam essentiam, nec tamen esse causam actu.

Eodem pacto colliges, potentiam, ac virtutem causandi haud esse actualem efficientis causalitatem, quia sæpissimè euenit, vt præditum eiusmodi potentia, non operetur actu. Hinc Philosophus secundo de Anim. tex. 53. distinguebat seorsum, quod alius sit potentia, alius actu. *Dupliciter vtique dicetur & sensus. Hic quidem vt potentia; hic verò vt actu. Similiter autem & ipsum sentire, & quod potentia existit, & quod actu.*

Quod verò neque effectus a causa editus valeat statuere id quod inquirimus, vel ex eo palam est, quòd effectus ordine naturæ præsupponit causam actu. Prius enim intelligimus causam esse actu, deinde apprehendimus oriri ab ea effectum, cum XXXI.
vnumquodque operetur in quantum est actu. Repugnat igitur, causam constitui actu efficientem per ipsum effectum.

Potiori denique ratione id idem euinces de relatione; Nam relatio causæ ad effectum re ipsa vera subsequitur ad causam actu operantem, & ad effectum iam productum. Præterea, Relatio causæ ad effectum fundatur in aliqua entitate absoluta: alioquin res posset in infinitum abire. Hæc entitas haud est causa in potentia. Non enim ego nunc dico relationem ad effectum, quem possum producere cras: quare entitas absoluta, in qua relatio cau- XXXII
sæ ad effectum fundatur, est ipsamet causa actu operans: ac proinde apertè repugnat, effici causam actu per ipsam relationem.

Dico 2. Longè significantius dicimus, actionem esse actualem causæ effectricis causalitatem, siue id per quod causa effectrix constituitur actu efficiens, quàm si dicas, esse ipsum agere, seu traducere rem de non esse ad esse, vt vltima opinio contendebat.

Duo hic incumbunt probanda. Alterum, quod actio efficientis sit actualis eius causalitas. Alterum, quod ita loquemur melius. Primum sic prob. Illa est causalitas efficientis, a quo actu denominatur efficiens: actualis namque denominatio proficiscitur à forma actuali: sed denominatur ab actione. Quod ostendo. Efficiens idem est, atque agens: Agens autem actu denominatur ab actione actu in eo existente. Et si vis, efficiens est ab effectione, quæ idem est actio. Ita planè sicut homo denominatur ab humanitate, & iustus a iustitia. Hinc Auctor

sex

ſex Principiorum, Gilber. Porrect. actionem definiebat, eſſe eam, a qua denominatur agens. ergo id per quod cauſa eſt actu agens, & efficiens, eſt ipſa actio.

Præterea, Sicut album, & calidum ſunt concreta Prædicamenti Qualitatis, ita agens, & efficiens ſunt concreta Prædicamenti Actionis. Illa conſtituuntur actu ab albedine, & caliditate. Et albedo atque caliditas ſunt quædam formæ actu ea concreta conſtituentes. ergo etiam agens, & efficiens actu conſtituuntur ab actione, & effectione: & iſtæ erunt quædam formæ actu illa conſtituentes.

Ad hæc, Actio communiter definitur ex tertio Phyſ. cap. 3. & S. Thom. ibidem, quod ſit agentis, quatenus agens eſt, actus, ſiue perfectio. ergo per eam eſt aliquid actu agens, qua agens: ac proinde hæc ſyncerè eſt eius actualis cauſalitas. Adde, quod poſita actione in aliquo; & ſublatis per intellectum quibuſcunque alijs, ponitur agens: ablata verò actione, non amplius manet agens. ergo &c. Quæ rationes profectò ſunt apertæ, niſi velis in ipſis terminis offendere.

XXXIII. Quod autem hæc conſtitutio cauſæ efficientis melius exprimatur per actionem quàm per ipſum agere, oſtendo, quia agere, preſsè eſt ipſummet exercitium cauſæ efficientis; ſicut diſgregare V. G. viſum, eſt exercitium albi. ergo quemadmodum nunquam dices: album conſtituitur actu per diſgregare, ſed per albedinem, ita nonniſi diſtortè dixeris, agens, & efficiens conſtitui actu talia per ipſum agere. Hinc etiam S. Thom. quæſt. 2. de potent. art. 1. diſtinguit hæc duo, agere, & id quo agens eſt actu, dum, inſit, *agere nihil aliud eſt, quàm communicare illud, per quod agens eſt actu.*

Addo, quod actio eſt cauſalitas efficientis non modo in fieri, ſed etiam in conſeruari, quando effectus ex ſui natura expoſcit talem conſeruationem. Sunt etenim nonnulli effectus, qui non ſolum primò fiunt ab agente, cum actu incipiunt eſſe, verùm etiam iam facti, continuò & actualiter conſeruantur per actualem eiuſdem cauſæ influxum, quandiu illi ipſi effectus in eſſe perſeuerant: adeò vt ceſſante actuali eius cauſæ influxu; illicò pereant. Ita corpus V. G. luminoſum non modo gignit lumen, ſed actuali quoque ſui præſentia illud idem tuetur in diaphano. Vnde Philoſoph. ſecundo de Anim. tex. 69. aiebat, lumen eſſe *præſentiam luminoſi in perſpicuo*. Sic etiam dependet a Deo *cælum, & vniuerſa natura*, ex duodecimo Metaph. tex. 49. Eadem itaque actio, dum res promit in eſſe, appellatur productio: dum eas tuetur, dicitur conſeruatio. de qua re adi S. Thom. in prim. part. quæſt. 9. art. 2.

XXXIV. Inſuper: Actio eſt etiam ſuo modo cauſalitas cauſæ per accidens. Nam illud quod per ſe eſt cauſalitas cauſæ per ſe, eſt iidem per accidens cauſalitas cauſæ per accidens. Imo actio cenſenda quoque eſt cauſalitas, quando propria paſsio naturali ſequela dimanat ab eſſentia, iuxta doctrinam D. Thomæ in prim. part. quæſt. 77. art. 6. de qua re dixi in opere de Triplic. Stat. Anim. diſput. 8. ſect. 6. & in ſecundo de Anim.

Ex dictis clarè ac facile dirimes illam etiam dubitationem, in qua nonnulli recentiores mirum in modum torquentur, *Vtrum cauſalitas cauſæ efficientis diſtinguatur à cauſa, & effectu*. Dicendum enim eſt, quod omnis cauſa quæ efficit, eſt ſubſtantia: ſi igitur cauſalitas eius eſt actio: quæ in quacunque cauſa ſecunda (actio enim cauſæ primæ eſt eius ſubſtantia) eſt accidens. profectò cauſalitas eius cauſæ realiter diſcriminatur a cauſa. Sic enim accidens diſtinguitur a ſubſtantia.

Item effectus, vt plurimum ſunt ſubſtantia, ergo eadem ratione cauſalitas etiam diſtinguitur ab effectu. Quando autem effectus eſt accidens, veluti calor, qui in aqua, aut ligno producitur, tunc actio, & omninò omnis motus diſtinguitur re a ſuo termino extrinſeco ad quem, & non diſtinguitur ita a ſuo termino intrinſeco ad quem, vt in tract. de motu dicam.

At obijcies, quod actio nequeat ſtatui cauſali- XXXV.
tas cauſæ efficientis. Nam illud quod eſt effectus alicuius cauſæ, nequit ſtatui cauſalitas, & id per quod ſit cauſa actu: quandoquidem prius eſt, cauſam eſſe actu, poſtea producere effectum. Actio propriè eſt effectus cauſæ efficientis quippè ab ea accipit eſſe, ab eaque pendet eſſentialiter. quare actio nullo modo valet ſtatui cauſalitas cauſæ effectricis. Præterea, Actio nihil eſt aliud, quàm res in fieri. Atqui res in fieri eſt verè effectus agentis: quare actio verè eſt effectus: ac proinde non eſt cauſalitas.

Ad hæc argumenta, prætermiſſis aliorum reſponſionibus, dico, actionem eſſe quoddam medium inter cauſam, & effectum, V. G. ſectio eſt inter Fabrum, & Scamnum. Quocirca tum ad cauſam, tum ad effectum poteſt, ac debet referri. Relata ad cauſam concipitur tanquam forma quædam illi adueniens, atque inhærens, Et quia proprium formæ eſt afficere ſubiectum, & affectum denominare, hæc præſtat actio relata ad cauſam. Eadem actio ad effectum collata, eſt veluti via quædam ad illum; Et hac ratione etiam ipſa eſt effectus agentis: veruntamen effectus vt Quo, quia mediante illa producitur effectus, qui ab agente intenditur: Ex his apparet ſolutio etiam ad ſecundum argumentum.

SE.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

Quæ conditiones sunt necessariæ, vt causa efficiens actu agat?

xxxvi. Ermultæ inter Doctores, præsertim verò æui nostri, exagitantur controuersiæ de conditionibus ad causam effectricem requisitis, vt agat; Nec modo intra Naturæ limites, sed interposita quoque supernaturali, & absoluta, vt aiunt, potentia Dei. Potissimum verò examinant quatuor, Prima est, vtrumne causa efficiens, vt agat, debeat existere; Secunda, an debeat esse distincta a passo, in quod agit; Tertia, num debeat esse propinqua, ac simul cum passo, an verò possit agere etiam in distans. Quarta, numquid debeat esse dissimilis, aut etiam contraria passo? Quæritur itaq; primò.

Estne necesse, causam efficientem actu existere, ad hoc vt agat, an verò possit aliquando agere, etiamsi non existat.

xxxvii Onendus mihi in primis est, existentiam rei non esse illi conditionem propriè ac in rigore dictam ad agendum; quia, quemadmodum supra quæst. tertia sect. 5. ostendi, conditio strictim accepta, quæ communiter appellatur conditio sine qua non, debet tres obtinere conditiones, Quarum vna erat, vt non sit inclusa in ipsa causa; veluti quippiam illi essentiale, aut tanquam ratio agendi. Modo existentia cuiuscunque rei intimè ac essentialiter in ea includitur; & est primum fundamentum agendi: quocirca non est conditio propriè dicta ipsi causæ effectrici, sed est aliquid essentiale, atque omninò præsuppositum ad agendum. Id in causa est, cur pleriq; Doctores eam quæstionem non agitant inter conditiones huiusce causæ: Nihilominus quia alij eam ipsam interserunt, & fortassè contradicendi studio in extrema declinant non ab re fuerit, pauca subijcere quid hac in re existimem dicendum.

Ac primò quidem nonnulli opinati sunt, posse aliquod agens naturale non existens, dummodo tamen immediatè ante extiterit, naturaliter concurrere, verèque ac physicè producere aliquem effectum, etiamsi in instanti, aut tempore eius productionis non existat. Ita Cabrer. 3. part. quæst. 26. art. 1. Zumel, & quidam alij apud Huriad disput. 8. sect. 5. Alij verò erubescentes, vt loquitur Mastrius disput. 7. quæst. 4. hoc viribus naturæ concedere, asserunt, saltem supernaturaliter non implicare, causam non existentem eleuari ad producendum realem effectum. Sic Caietan. in 3. part. S. Thom. quæst. 62. art. 1. Victoria ibidem, & Domin. Soto in 4. distin. 9. quæst. 2. art. 7. xxxviii.

Alij e contra firmè asseuerant, existentiam vsq; adeò esse necessariam causæ efficienti ad causandum, vt neque naturæ viribus, neque supernaturaliter valeat aliquid non existens, verè ac physicè concurrere ad productionem alicuius effectus. Ita P. Suarez 3. part. disput. 8. sect. 2. dein Huriad & Mastr. locis indicatis, & communiter alij, quos refert Barth. Amic. tract. 12. quæst. 3. dub. 1. & 2.

Pro resolutione accipio, agens naturale, non existere in rerum natura dum dicitur agere, sed immediatè antea extitisse, gemino modo posse intelligi. xxxix. Vno quidem, quod ipsum re vera desierit esse, atque existere; nihilominus antequam desijsset, impresserat in aliquo suam virtutem, eamque in illo reliquit incolumem. Altero, quod ita desierit esse; atque existere, vt priusquam desijsset, nihil omninò sui in aliquo reliquerit, sed planè perinde censetur posteaquam esse desijt, ac erat antequam inciperet in rerum natura esse. Enimuerò ita est penitus nihil, quod nunc non est, sed fuit; sicut quod nunc non est, nec vnquam fuit. Ita candela non lucet postquam extincta est, ac non lucebat antequam accenderetur. Quo posito.

Constituo 1. Agens naturale primæ conditionis optimè potest naturaliter producere effectum realem, physicum, etiamsi, quando effectus producitur, ipsum non existat.

Res est clara. Proijciat quispiam sagittam in scopum, & illa proiecta, illicò ille intereat: Sagitta feriet scopum, non existente causa, quæ proiecerat: Cur? quia antequam proijciens moreretur, impresserat sagittæ vim motricem. Sic in alteratione: Ignis producit calorem in ferro. Ferrum, etiam extincto & non existente in rerum natura a igne, comburit virtute ab illo accepta. Sic in generationibus per semina celebratis, in quibus semen a generante decisum continet in se virtutem ab illo acceptam eamque formatricem atque generatiuam fœtus: semen quippe existit principium rei genitæ, & semen animalis est potentia animal. Assertio itaque nostra est, quando procreato iam semine, vbi opus est, destruitur & desinit esse ille, cuius est semen, tunc etiam non existens operatur. xxxx.

Ratio huius a priori ea est, quia vt aliquis dicatur mouere, & agere satis est, & requiritur, vt vel ipsum mouens, & agens tangat effectum per actualem contactum, &, vt aiunt, per contactum suppositi: vel per suam virtutem, vt docet Arist. septimo Phys. cap. 2. & nos dicemus inferius.

Constituo 2. Contradictionem inuolui, vt agens naturale, quod dum desijt in rerum natura existere, nihil omninò sui reliquit in aliquo, possit siue naturaliter, siue quauis alia superiori potentia concurrere physicè, & re ipsa producere vllum effectum realem, ac physicum.

Prob. Repugnat esse in natura effectum, quin sit eius generatio: alioquin esset productus, & non esset productus. *Impossibile autem est, esse generationem, nisi sit motus*, ex octauo Phys. tex. 1. & deinceps. At motus essentialiter exposcit mouens: Vnde in tertio eius operis lib. tex. 18. colligitur, *motum esse actum huius ab hoc motiuo*. Si autem causa efficiens nunc non existit, neque reliquit quicquam sui, profectò non est mouens: quocirca impossibile penitus est, ab eiusmodi causa non existente posse produci vllum effectum.

Deinde, extant irrefragabiles Stagiritæ regulæ: Ac primo quidem docet cùm alibi, tum præcipuè septimo Phys. cap. 5. in quolibet motu quatuor reperiri, & sunt. Virtus motiua, siue ipsum mouens: Resistentia, siue mobile: Spacium supra quod, aut intra quod fit motus: Et tempus, quod motum, mensurat. At si causa non existit, iam deest primum, ergo nullus erit motus, ac proinde neq; effectus vllus.

Præterea, in septimo Metaph. tex. 22. decernit, quod *omnia quæ fiunt, ab aliquo, & ex aliquo, & aliquid fiunt*. In casu autem proposito non est a *quo fiat*. Item in nono Metaph. tex. 7. *non entibus*, inquit, *non attribuitur ipsum moueri*. Causa autem illa non existens, est non ens: quare illi nunquam attribuetur mouere, & facere. In quinto eiusdem operis cap. 3. *causa, & effectus simul sunt, & non sunt*. Hic non est causa, vtpote quæ nullo pacto existit, ergo neque est effectus. Hinc in lib. quarto, quasi indignabundus in hæc omninò erumpit. *Et si non est verum diuidendo dicere, neque dices: nihil prorsus sunt illa sanè, quæ non sunt, quo loquentur, aut ambulabunt?*

Præterea, vbi non est potentia physica, repugnat esse effectum physicum: alioquin esset actu, quod esse non poterat. At quando causa efficiens non existit, nulla in ea suppetit potentia physica. Nam quod causa illa concipiatur ab intellectu, & referatur ad
LIII. præsens, non facit, vt vel ea sit aliquid reale, vel in ea sit potentia realis, ac physica. secus dum concipio hesternum diem, aut etiam Adamum; & refero ad res præsentes, illi fierent aliquid reale: Quod dictu absurdum est. Ergo repugnat, a causa effectrice non existente, vllum effici effectum. Postremò; Quod nullo pacto habet existentiam, nequit alteri existentiam tribuere. Nihil porrò alteri elargiri aptum est, quod ipsum non habet. Causa efficiens non existens, nullo modo habet existentiam, qui igitur poterit effectui existentiam dare?

Verùm, occurrunt auctores oppositæ sententiæ, quod in eo casu causa vtique non existit formaliter, & in esse entis: nihilominus est virtualiter, & in esse causæ.

Ast hæc sunt nuda vocabula. Nam si causa non est in esse entis, quo vnquam pacto erit in esse cau- LIIII.
sæ, si causa est aliquod ens? Deinde, si in hac responsione mediante dicere, quod quamuis ea causa, cũ operatur, non sit actu, attamen est per suam virtutem, (hoc porrò significat esse aliquid virtualiter) tunc se se recipiunt in nostram opinionem, vt in præced. conclusione constitui. At non cohærenter loquuntur. quoniam illa causa tũc re vera in rerum natura existit sua vi, quam antequam desineret esse, impresserat.

Alij hac se galea tegunt, quod licet ea causa actu non existat simultanea existentia cum effectu, tamen immediatè antea extitit. Hoc autem est quidam contactus &, vt ipsi loquuntur, quædam contiguatio inter causam, & effectum: Quæquidem contiguatio sufficit, vt illa causa efficiat hunc effectum. Explicant ex proportione ad locum. Ita se habent causæ, & effectus respectu durationis, siue temporis, sicut se habent respectu loci. At in loco inter causam, & effectum est solum contactus, & contiguatio: non enim causa, & effectus se se penetrant: & hæc contiguatio loci satis est, vt causa producat effectũ: ergo etiam contiguatio in duratione inter causam, & effectum sufficit, vt illa producat istum.

Sed nihil dicunt. Maior falsa est. Nam dum causa in loco contingit effectum, vtraq; sunt entia actu: ideòq; inter illa optimè seruatur actualis contactus: & vtraq; mensurantur eodem temporis momento. Quod autem iam præterijt, nunc non est: quocirca repugnat, inter illud, & aliquid aliud esse contactũ, siue contiguationem. Præterea, illa *sunt contigua, quorum extrema sunt simul*, ex quinto Phys. tex. 22. Impossibile autem est, extremum causæ non existentis esse simul cum re, siue effectu, si hic nunc existat. Quod vel ex eo ostendo, quia aut sunt simul loco, aut simul tempore. Non prius, nam res, quæ
non existit neq; est, quo vnquam pacto poterit esse LV.
in loco, aut loco simul cum alia? Non posterius, quia quæ sunt in diuerso tempore, nequeunt esse simul tempore; cum inter extremum vnius, & extremum alterius intercedat tempus reale. ergo aperta est repugnantia dicere, causam non existentem esse contiguam cum effectu, si hic existat.

Argumenta hucusq; confecta euidenter conuincunt causam efficientem, ad hoc vt actu operetur, omninò debere vel in se ipsa actu existere, vel saltem sua virtute, quam antequam desijsset, reliquit in passo: Et huius oppositum est consimile figmento. Idq; non modo esse verum loquendo naturaliter, sed etiam supernaturaliter: In qua tamen particula nolo diutius morari. Adi, si lubet, auctores superius a nobis pro vltim. sent. indicatos, qui hoc etiam multis ostendunt.

At

lvii. At obijcies. Tempus actu causat instans, quod est quippiam reale, ac præsens: Nihilominus tempus, cum id causat, non existit secundum aliquam sui partem præsentem, sed solum per partem immediatè præteritam, & futuram, vt colligitur ex Arist. quarto Phys. tex. 105. Sic motus causat mutata esse: Nec tamen existit secundum aliquam sui partem præsentem: alioquin non esset aliquid successiuum. ergo non exigitur coexistentia actualis causæ cum effectu, vt operetur.

Præterea, Præuiæ dispositiones causant formam substantialem in materia: ex vi namque illarum educitur forma: Attamen cum forma fit, illæ non existunt. Enimuerò illæ inerant in toto composito: Hoc autem in instanti a quo, prius corrumpitur, quàm fiat forma in materia: ergo &c.

lviii Hæc inania sunt. Primùm, Instans, mutatum esse, & omne omninò indiuisibile nequit per se produci, vt docet Philosophus sexto Phys. cap. vlt. Etenim quicquid fit per se, fit per motum, vel mutationem in se receptam, ex octauo Phys. tex. 5. Impossibile autem est, indiuisibile in se ipso recipere motum, aut mutationem. Deinde, instans in tempore non producitur a tempore effectiuè, sed ab Intelligentia, quæ producit totum motum Primi mobilis; qui motus enitiuè est tempus. Qui etenim producit totum, producit & partes, & omnia eius indiuisibilia. Sic ignis, dum lignum calefacit, producit effectiuè omnia mutata esse, quæcunque in ea calefactione reperiuntur. Ab omni itaque veritate procul stat, quod instans, & mutatum esse producantur effectiuè à tempore, & à motu, vt in illo antecedente accipitur.

Quid verò? ita se habent instantia in tempore, & mutata esse in motu, sicut puncta in linea. Quis autem opinabitur, puncta produci effectiuè à linea?

Ad aliud de productione formæ substantialis, respond. quod in generatione substantiali præter præuias dispositiones, quæ in instanti generationis desinunt formaliter esse, supperest etiam alia actio, a dispositionibus distincta, quæ est generatiua formæ, & productiua compositi; & ea fit a virtute generantis, quæ porro tandiu in materia, saltem virtute durat, quousque perueniatur ad vltimam formam, & similem formæ generantis: de qua re dixi in lib. 1. de Ort. & inter.

At iam succedit secunda conditio causæ efficientis, pro qua sit.

SECTIO QVINTA.

Vtrum, vt causa efficiens agat, necessariò requiratur distinctio inter eam, & subiectum, in quod agit; an verò possit saltem aliqua actione agere in se ipsam.



Ropositum theorema communiter existimant difficile, tum quia suapte conditione videtur obscurum: tum quia complicat variarum difficultatum quæsita: tum propter diuersas de eo auctorum opiniones. xlix.

At primò quidem Auic. in 1. suæ suffic. cap. 5. deinde Scot. in 1. distin. 3. quæst. 7. & in 2. distin. 2. quæst. 10. & vberius 9. Metaph. quæst. 14 tum Greg. Arim. in 2. distin. 6. quæst. 1. part. 3. Iandun 8. Phys. quæst. 2. & alij, quos longa serie refert Mastr. disput. 7. quæst. 4 art. 2. contendunt, vniuersaliter non esse necessariam distinctionem agentis a subiecto passo; sed distinguendum hic esse, quod agentia vniuoca requirant huiusmodi distinctionem: ac proinde hæc non possint agere in se ipsa; agentia verò æquiuoca minimè exigant talem distinctionem; & per consequens commodè possint agere in se ipsa.

Suarez in Metaph. disput. 18. sect. 7. postquam fusè disseruerit, & constituerit num. 11. hanc assertionem, quod *omnis causa efficiens per motum physicum, & actionem transeuntem, distinguitur in re aliquo modo a materiali causa recipiente effectum*, tamen versus finem eiusdem sect. num. 54. hæc scribit. distinctionis necessitas agentis a patiente *vniuersalis est in actione vniuoca, ex illo principio, quod idem non possit simul esse in actu, & potentia: In actione autem æquiuoca non ita vniuersaliter vrget illud principium, neque aliud quod vniuersale sit.* Tunc subiungo: Sed agentia æquiuoca agunt per motum physicum, & actionem transeuntem, vinum etenim aut piper ita calefaciunt. ergo vel falsa est vniuersalis illa assertio, quod omnis causa efficiens per motum physicum, & actionem transeuntem distinguitur in re aliquo modo a materiali causa recipiente effectum: vel falsum est, necessitatem distinctionis agentis a patiente in actione æquiuoca non vniuersaliter vrgeri. Iam verò in illam sententiam iuerunt postea Hurtad. in sua phys. disput. 9. sect. 8. Paul. Atesius lib. 1. l.

de gener. & corrupt. disput. 5. quęst. 42. & quidam alij.

LI. Secundo, alij distinguunt efficientiam, quod alia est per veram actionem, alia verò per naturalem resultantiam, cuiusmodi est propriorum accidentium ab essentia rei. Atque illam, aiunt, exigere distinctionem agentis a subiecto passo: hanc non item. Ita videtur insinuare S. Thom. in prim. part. quæst. 77. art. 6. cum enim inter argumenta contraria tertio loco proposuisset, quod anima non possit causare suas passiones in se ipsa, quia emanatio potentiæ est quidam motus: Nihil autem mouetur a se ipso: quare anima non causat in se suas passiones, alioquin se ipsa moueret. Respondet, *quod emanatio propriorum accidentium a subiecto non est per aliquam transmutationem, sed per naturalem resultantiam, sicut ex vno naturaliter aliud resultat, vt ex luce color*. Sic etiam defendit Ferr. in 1. contr. Gent. cap. 23 & Capreol. in 1. distin. 3. quæst. 3. ita etiam tenet Zabar. in lib. de calore cælesti cap. 7.

Tertiò, quidam alij distinguunt, quod actio vna quidem est directa, vt calefactio, alia autem reflexa, & est quando ea aliquo impedimento extrinseco, actio quasi conuertitur ad idem agens, sicut lumen dum per reflexionem intenditur. Dicunt itaque priorem actionem necessario exigere distinctionem agentis a subiecto passo. Per secundam verò commodè posse aliquid agere in se ipsum. Ita PP. Conimbric. lib. 1. de gener. & corrupt. cap. 9. quæst. 1. art. 1. cui quidem opinioni adhæsit etiam Tolet. in eodem lib. quæst. 14.

Quartò, alij diuidunt actionem, quod alia est
LII. corruptiua, alia perfectiua. Actio corruptiua ea est, per quam subiectum tendit ad destructionem, veluti calefactio. Actio verò perfectiua est, per quam subiectum perficitur, *& est salus magis eius, quod est potentia ab eo, quod est actu*, vt loquitur Philosophus secundo de Anim. tex. 57. cuiusmodi sunt actiones immanentes, visio, auditio, intellectio. Quo posito dicunt, actionem corruptiuam omninò requirere distinctionem inter agens, & passum: neque tali actione posse quicquam in se ipsum vnquam agere. Actionem autem perfectiuam neutiquam exigere hanc distinctionem: ideòq; posse aliquid per eam in semetipsum agere. Quocirca, subdunt. Quia actio immanens, ex nono Metaph. tex. 16. recipitur in eo, a quo elicitur. ergo idem patitur a sua actione. Sic nonnulli apud Tolet. loco nunc indicato. Et de actionibus immanentibus tenuit etiam Suarez in Metaph. disput. 18. sect. 7. conclus. 4.

LIII. Quintò, sunt qui aiunt, quod si sermo sit de animatis, procul dubio agens, & patiens, mouens, & motum sunt distincta; neque quicquam potest a se ipso pati, aut moueri: quia in ijs alia est pars quæ agit, ac mouet: alia quæ patitur, & mouetur. Sin autem loquamur de inanimatis, cuiusmodi sunt grauia, & leuia, & quæ illorum prædominium sequuntur, tunc potest quidem aliquid proximè, & instrumentaliter in se ipsum agere, non verò principaliter. Nihilominus eiusmodi actio tribuitur generanti. Siquidem grauia, & leuia mouentur a generante. Cum itaque generans sit seiunctum a re, quæ mouetur, etiam in his erit verum, quod agens, & patiens, mouens, & motum discriminantur.

Sexto denique alij syncerius in omni omninò LIIII. re, quæ ab intrinseco patitur, ac mouetur, (quippe quæ a principio extrinseco propelluntur, palam est, ea moueri ab alio; veluti dum lapis proijcitur sursum) exigunt duplicem partem. Alteram, quæ agat, ac moueat; Alteram, quæ patiatur, ac moueatur. Quocirca necessaria est distinctio agentis a subiecto passo. Et vniuersè erit verum, quod nihil idem potest a semetipso moueri, aut pati: sed necessariò quicquid mouetur, moueatur ab alio. Ita interpretes Græci ad initium septimi lib. Phys. & lib. oct. a tex. 34. quo loci Stagirites decernit, quod *necesse est, omne quod mouetur, ab alio moueri*. Et in tex. 40. *Necesse*, inquit, *est, omne quod mouetur, esse diuisibile in semper diuisibilia: impassibile igitur est, ipsum mouens se ipsum penitus: mouere ipsum se ipsum*. Et a tex. 54. ostendit, nihil absque distinctione mouentis, ac mobilis posse a se ipso moueri. Sic tenentur Simplic. Themist. & Auerr. ad ea loca: necnon S. Thom. tum ad ea ipsa Philosophi loca, tum quæst. 22. de Verit. art. 3. & lib. 1. contr. Gent. cap. 23. & alibi sæpe. Et nos ijs in locis expendemus demonstrationes Aristotelis: nunc ad theorema institutum pergo.

Argumenta, quod vniuersè non sit necessaria distinctio agentis à subiecto passo, sed sæpenumero obtingat, vt aliqua agentia agant in se ipsa.



LV. Supponit quæstio, omne agens creatum, vt cum nostris Doctoribus loquar, nedum naturale, indigere subiecto, vt suam actionem exerceat: alioquin ageret circa nihil; quod penitus fieri nequit. Arguitur autem, tale subiectum non necessario debere ab agente distingui.

Primò: Si vlla obstaret ratio, quominus idem possit in se ipsum agere, maximè esset vulgaris illa, quod non potest idem simul esse in potentia ad recipiendum, & in actu ad agendum. Atqui hæc ratio non viget, quia commodè potest aliqua res esse in actu virtuali, & in potentia formali. videl. habere vim ad efficiendam aliquam formam, & tamen actu illam non obtineat, sed habeat capacitatem ad recipiendam illam: tunc itaque potest formam

mam illam per actum virtualem in se ipsa producere: ac proinde aget in se ipsam. V. G. vinum est in actu virtuali calidum, habet enim vim calefaciendi: id idem existit in potentia formali; actu namque existit frigidum, & est aptum calefieri, quare potest in se ipso producere calorem, cuius ipsum est capax: & sic aget in se ipsum.

LVI. Secundò, Grauia, & leuia a se ipsis mouentur motu secundum locum: In ijs autem nequit distingui pars mouens, & pars mota, cum illa sint corpora simplicia: haud ergo est necessaria in vniuersum inter agens, & passum distinctio. Vlterius sic vrgetur. In elementis non sunt nisi materia prima, & forma substantialis. Fac, forma sit pars mouens: at materia certè nequit esse pars mota. cur? quia subiectum motus debet esse ens actu: Materia verò est sola potentia, vel ipso Philosopho auctore in primo Phys. tex. 82. Hinc Auerr. lib. 4. de cælo com. 22 Forma, inquit, elementorum, vt forma mouet: vt in materia, mouetur.

Tertiò; concordi voce Doctores omnes ex Aristotele nono Metaph. tex. 16. constituunt duplex actionum genus. Aliæ sunt transeuntes, quæ exercentur ad extra in subiecto ab agente seiuncto, vt calefactio, aut sectio; Aliæ immanentes, quæ intrinsecè manent in eo ipso principio, a quo eliciuntur, veluti visio, aut intellectio. ergo agens in actionibus immanentibus etiam patitur: ac proinde nulla est distinctio inter agens, & subiectum passum. Est etenim idemmet principium quod operatur, & quod recipit operationem, ac patitur. ergo &c.

LVII. Quartò; Essentia producit propria sua accidentia per simplicem productionem: Vt enim a Sole lux, sic ab anima emanant propriæ eius affectiones: & in ea ipsa recipiuntur. V. G. ab anima humana, simpliciter & immediatè profluunt intellectus, & voluntas, & in eadem anima immediatè suscipiuntur. ergo tunc eademmet essentia est tum agens, tum subiectum respectu eiusdem rei: atque adeò idem agit, & patitur a se ipso.

Quintò, Elementa, & etiam mixta possunt in se ipsis educere suas qualitates, cum illæ ab aliquo extrinseco fuerint remissæ, vt vel in aqua calefacta animaduertere licet, quæ postea ex se ipsa recuperat innatam sibi frigiditatem, quare tunc eademmet res & agit, & patitur: & agit in se ipsam.

Explicatur, quanam distinctio requiritur inter agens, & subiectum, in quod agit: Et quomodo intelliguntur illa Stagiritæ effata, Omne quod mouetur, ab alio mouetur, Et, nihil potest in se ipsum agere.



Istinctio agentis a subiecto in quod agit, pendet ex germana intelligentia illarum propositionum, Omne quod mouetur, ab alio mouetur, ac proinde nihil a se ipso. Et quod nihil valet in se ipsum agere: Quorum prius habet Philosophus octauo Phys. a tex. 34. & deinceps: posterius autem in primo de gener. & corrup. tex 48. Enimuero si potest idem in se ipsum agere, seque ipsum mouere, haud erit vniuersè necessaria distinctio agentis a patiente, cum idem non distinguatur à se ipso. LVIII.

Pro syncero itaque illorum axiomatum intellectu scito, ea non ita crassa Minerua arripienda esse, sed adhibendas esse quasdam conditiones. Prima est, quod intelliguntur de agente, & mouente per se: non autem de ijs, quæ sunt per accidens. Nil enim vetat, quominus possit aliquid mouere se ipsum per accidens: & hoc pacto etiam agere in se ipsum per accidens.

Patet: quia tunc dicitur quippiam moueri per accidens, cum ad motum alterius in quo est, mouetur, vt constat ex Arist. in principio lib. quinti Phys. & lib. octauo tex. 27. & primo de Anim. tex. 36. Manifestum autem est, animam, dum mouet corpus, ipsam quoque moueri ad motum corporis: quare tunc anima mouet corpus per se, & mouet se ipsam per accidens: perinde ac nauta, mouet cymbam per se: mouetur autem ipse ad motum cymbæ per accidens: ac proinde etiam mouet se ipsum ex accidente. *Videtur enim vt in nauibus, & in ijs, quæ non natura constant, sic in animalibus esse diuisum id, quod mouet, & id quod mouetur: & sic totum ipsum se ipsum mouet*, inquit Stagirites octauo Phys. tex. 28. LIX.

Quæ conditio ex eo quoque redditur manifesta, quòd cum Arist. diuisisset in tex. 27. libri huius tò dicari mouentia, & mota, quod quædam sint per accidens, quædam per se; statim in tex. 28. omittit prius membrum, ea scil. quæ mouent, & mouentur ex accidente, tanquam ea quæ sub scientiam minimè cadunt, & accingitur patefacere, illud effatum, omne quod mouetur, moueri ab alio. ergo

euidens

euidens est, id intelligi de ijs duntaxat, quæ mouent, & mouentur per se, non verò de ijs quæ per accidens.

Secundò, non debent dicta axiomata intelligi de tota aliqua re, quæcunque illa fuerit, quæ mouetur: Hoc quippe intellectu non sunt vera; cum plurimæ res spectatæ secundum se totas, moueantur a se ipsis.

Hoc patet. Primò, omnia animalia mouentur a semetipsis. Nunc enim sedeo, postea ego ipsemet ad alium locum moueo. Ita *vegetabilia omnia habent in se ipsis potentiam, & principium, per quod augentur, & decrementum accipiunt secundum contraria loca*, vt loquitur Arist. secundo de Anim. tex. 14. Præterea, omne omninò corpus naturale mouetur a se ipso, cum in se habeat naturam, quæ ex secundo Phys. tex. 3. est *principium, & causa motus, eius in quo est.* Quocirca initio eius lib. secernuntur ab Arist. entia naturalia ab ijs quæ sunt propter alias causas, quòd illa obtineant in se ipsis principium sui motus: hæc non item.

LX. Hæc apud Arist plana sunt: Sic ille cùm alibi sæpe, tum præcipuè octau. Phys. pluries docuit de animalibus. vt in tex. 17. & 20. & 28. &c. Hinc in tex. 51. ex instituto explicat, quonam motu animal non mouet se, & quo mouet se. *Insunt*, inquit, *alij motus animalibus, secundum quos non mouentur per se ipsa, vt augmentatio, diminutio, respiratio, quibus mouetur animalium vnumquodque, cum quiescit, & non mouetur secundum eum motum, qui est a se ipso. Huius autem causa est continens, & multa ingredientium, vt quorundam alimentum. Nam dum concoquitur, dormiunt, dum autem disgregatur, excitantur; & mouent se ipsa.* Et in eodem lib. venatur primum se ipsum mouens, quod est cælum. Vnde in tex. 34. ait, *Si igitur omne quidem quod mouetur, ab alio mouetur, primum autem mouens mouetur quidem, non autem ab alio, necesse est, ipsum a se ipso moueri.* In eo autem toto quod se ipsum mouet, necessario debet duplex pars distingui: Altera, quæ per se moueat: Altera, quæ per se moueatur, quemadmodum in animali, anima per se mouet: corpus per se mouetur, sicut dixi de nauta, & naui.

LXI. Tertia itaque causæ efficientis conditio est, quod nihil idem secundum idem mouet se ipsum, sed secundum vnam partem mouet: secundum alteram mouetur. Partes autem voco, ex quibus illud totum substantialiter coalescit, vel quasi substantialiter coalescit, vt cælum ex corpore cælesti, & intelligentia. Huius conditionis ratio in promptu est, quia alias idem omninò respectu eiusdem simul esset actu, & simul esset potentia: Et actu haberet aliquam formam, & actu eam ipsam non haberet. Quatenus enim mouet, & agit, actu est, & actu habet formam, secundum quam agit: Quatenus autem mouetur, & patitur, non est actu, neque illam formam habet.

Hanc quoq; conditionem luculenter tradit Arist. qui in tex. 40. hæc habet. *Impossibile igitur est, ipsum mouens se ipsum penitus mouere ipsum se ipsum.* Perpende illud, *penitus*, & geminatas voces, *ipsum se ipsum*: Subdit deinde rationes, *Feretur enim totum, & feret secundum eandem lationem, vnum existens, & indiuiduum specie: Et alterabitur, & alterabit: quare docebit vtique, & docebitur simul, & sanabit, & sanabitur secundum eandem sanitatem.* Quid verò? Huic fundamento innitens deprehendit in primo se ipsum mouente, nimirum in cælo, omninò adesse duas partes: quarum vna sit corpus cæleste, quod mouetur: Altera sit intelligentia illius motrix, vt a tex. 52. apparet.

Quartò, non est vniuersaliter necessarium, vt agens sit distinctum supposito, siue existentia a re quam mouet: benè autem debet esse distinctum re, & essentia. Dixi in priori parte, non esse vniuersè necessariam distinctionem suppositi, & existentiæ, quia multa mouentia vtique distinguuntur supposito, & existentia a re mota, veluti dum ego moueo lapidem: Sæpenumero tamen mouens, & motum, agens, & patiens non sunt duo supposita, neque seiunctim vtramque per se existit, sed sunt vnum subiecto, atque vnà coexistunt; sicut in animalibus vsuuenit, in quibus anima, quæ mouet, non est suppositio, & existentia distincta a corpore, quod mouetur. Nihilominus alia est res, & alia essentia anima, alia corpus; LXII.

Contemplare hoc mihi in lapide V. G. sursum proiecto, vbi totum aggregatum ascendit: Res mota est lapis: Res mouens est vis illi a proijciente iniecta. quæ quidem vis non est supposito a lapide separata; neque per se existit. sed intimè illum afficit: est tamen res inta essentia a lapide diuersa. Sic de anima motrice, & corpore moto philosophare. Quod enim vis illa sit ab agente extrinseco lapidi impressa anima verò sit forma intimè corpus informans, ad propositum nihil attinet.

Ex his, quæ hucusque sic palpabiliter retuli, tanquam in tersissimo Naturæ electro conspicis syncerам illorum axiomatum veritatem, quod omne quod mouetur, mouetur ab alio; & quod nihil agit in se ipsum. Quæ commodè possunt etiam accommodari tum emanationi simplici propriorum accidentium ab essentia, tum actionibus immanentibus: quamquam neutrum horum sit motus physicus, de quo propriè Stagirites illa sua effata protulit. LXIII.

Nihilominus quò feruidioribus quorundam ingenijs adhuc vberius satisfiat, ita progredior.

Expli.

Explicantur illa eadem axiomata distinctius, ac particularius.

LXIV. 

Onstituo 1. Omne agens vniuocum exigit distinctionem inter se, & subiectum in quod agit: ac proinde nihil actione vniuoca valet in se ipsum agere: neque se ipsum tali actione mouere. Aduerte, agens, quantum ad præsens attinet, esse duplex; Vnum quidem est vniuocum, quod formale etiam appellatur, quia per formam, quam in se actu habet, operatur: ideòque edit effectum similem sibi, vt homo producit hominem, equus equum, ignis ignem. Alterum verò est æquiuocū, quod etiam virtuale nuncupatur, quoniam non agit per formam, quam in se actu habet, sed per virtutem ac vim, quam in se continet solum potentia; Sic cælum calefacit tanquam agens æquiuocum; non enim excitat calorem per caliditatem, quam formaliter in semetipso habet, sed tantum per vim producendi calorem, qua quidem vi cælum reuera præditum est. Ita vinum, piper, idque genus alia calefaciunt. Quo supposito.

LXV. Assertio nostra est de priori agente: Recipitur autem communiter ab omnibus: nec vidi hucusq; quemquam, qui eam inficietur. Ratio est euidens: quia omne agens vniuocum ex primæuo naturæ instituto in agendo intendit edere in passo formam, qualem ipsum in se actu habet, & *facere aliud quale ipsum*, vt ait Arist. secundo de Anim. tex. 34. Quippe si passum actu haberet formam illam, frustra esset naturæ conatus in agendo. Sed omne agens vniuocum iam habet actu in se formam per quam operatur: ergo repugnat, vt amplius talem formam recipiat: ac proinde repugnat, idem posse in se ipsum agere.

Explicatur euidentius. Huiusmodi agens aut supponitur habere in seipso actu totam formam, quam in passo intenderet producere: aut nihil illius haberet; aut habere solum aliquam eius partem. Si actu in se habet totam, profectò manifestè repugnat, vt illam vlterius recipiat, vt tandem in illius receptione patiatur. Si nihil formæ habet in se actu, iam non erit agens vniuocum. Si demum habet solum partem, quomodo illa pars poterit producere aliam vltra se ipsum? V. G. si agens habet calorem vt quatuor, nunquam producet calorem vt sex; alioquin ageret vltra suas vires. quare aperta repugnantia est, quod agens vniuocum possit in se ipsum agere: sed necessario exigitur distinctio realis inter ipsum, & subiectum, in quod agit.

Constituo 2. Agens æquiuocum non potest per se & immediatè agere in se ipsum, neque se ipsum hoc pacto mouere potest: Ac proinde etiam hoc agēs necessario exigit distinctionem inter se, & subiectum, in quod agit.

Hanc assertionem, negent nonnulli etiam hodie vt in prima sententia initio huius sect. retuli: nihilominus eam inuenio expressè decisam ab Aristotele in primo de Ort. & inter. tex. 48. Quo loci decernit, simile, & omniquaque indifferens haud posse agere in se ipsum. Quod duplici confirmat ratione, quarum secunda est hæc. Si simile omniquaque posset in simile agere, ergo posset etiam agere in se ipsum, cum vnumquodque sit sibi quamsimillimum. Hoc autem dictu absurdum est. Minorem probat, quoniam si aliquid potest agere in se in ipsum, *nihil vtique erit incorruptibile, aut immobile*. Cur? *quia ipsum se ipsum mouebit omne*. LXVI.

Sic extende Si quippiam posset à se ipso pati, vnumquodque esset actiuum simul, & passiuum: Omne autem passiuum est corruptibile. quare nihil in natura esset incorruptibile. Item, Ad faciendum motum requiruntur, ac sufficiunt actiuum, & passiuum, siue motiuum, & mobile: At si quippiam posset agere in se ipsum, & mouere se ipsum, tunc in se contineret hæc duo. quare posset in se re ipsa facere motum: atque adeò nihil erit immobile. Hoc autem est contra ea quæ in octauo Phys. demonstrata sunt, & contra rationem ipsam, ergo &c.

Hinc ita perstringo. Mouens, præsertim verò immobile, est agens æquiuocum: hoc nemo negabit. Atqui illud, ex decretis Aristotelis hic, non potest in se ipsum agere, seque ipsum mouere, quare agens æquiuocum non potest in se agere &c.

Præterea, in tex. 73. eiusdem lib. edisserens Arist. aduersus Democritum asserentem, atomos ex se descendere, ita scribit. *Amplius, quid est quod mouet? si enim aliud, passiuum: si autem ipsum se ipsum vnumquodque, aut diuisibile erit, secundum aliud quidem mouens, secundum aliud autem motum; aut secundum idem contraria inerunt*. Perpende, hic esse sermonem de motore secundum locum, qui etiam ad aures auctorum oppositæ sententiæ, est æquiuocus: Et nihilominus Arist. censet absurdum ac impossibile, quod is possit se ipsum mouere: Et addit rationem; quia aut erit diuisibilis, nimirum in partem mouentem, & partem motam; aut vni, atque eidem inerunt contraria: videl. actus, & potentia, quæ est ratio ab eodem Arist. non semel in oct. Phys. adhibita. LXVII

Ad hæc, admissa opposita opinione, illicò ruit vniuersus Stagiritæ progressus in octauo Phys. quo deprehendit primum motorem immobilem. Totus quippe ille innititur huic fundamento, quod omne quod mouetur, ab alio moueatur necesse est. Diceret enim aduersarius, quod in mouentibus, & motis deuenimus tandem ad vnum primum: sed hoc est

aliquid

Digitized by Google

aliquid simplex, & absque reali distinctiona partis mouentis, & motæ, ipsum mouet sa ipsum, & agit in se ipsum, cum sit agens æquiuocum. Quocirca haud est necesse adesse partem vllam immobilem. Qua autem fronte quispiam proferat, eximium illum Stagiritæ progressum esse inanem?

Adde, quod motus, vt in octauo Phys. ostendi, ast vnicum ac singulare medium ad deprehendendum motores immobilea. Hac itaque via interclusa, vt re vera aduersa illa sententia obstruit, nihil nobis relinqueretur, vnde naturaliter valeamus efficaciter probare existentiam Primi motoris immobilis. Quod porrò vel cogitare absurdum est. Hinc P. Suarez in dispu. illa, 18. sect. 7. num. 12. Qui inquit, dicunt, rationem Aristotelis, quod non potest aliquid agera in se ipsum, quia non potest esse idem secundum idem simul in actu, & in potentia, procedero ad summum de alteratione vniuoca, non verò de æquiuoca, existimant *eam non esse vniuersalem, quod est re vera dicere, non esse efficacem. Præsertim quia ipse vtitur ea ratione etiam in motu locali, in quo actio semper est æquiuoca: virtus enim motiua semper est alterius rationis à forma, seu termino motus localis.*

lxviii Atque, vt innumera alia prætercam, vnum subijciam ex lib. non Metaph. tex. 2. vbi Arist. vniuersè, vt Metaphysicum decet, definit potentiam actiuam, vt etiam fecerat lib. quinto cap. 17. quod *sit principium transmutationis in alio, prout aliud est.* Et definit potentiam passiuam, quod *in ipso patiente principium est transmutationis passiuæ ab alio, prout aliud est.* Haccine possunt verificari, si idem siue vniuocum, siue æquiuocum agat in se ipsum? Vbi inuenies in eodem respectu eiusdem principium transmutandi aliud, prout aliud est? Vbi principium transmutationis passiuæ ab alio, prout aliud est? Verùm ipsemet Eximius præceptor eximit nobis hunc laborem, subdit enim, *propter quod nullum pro vt connaturale factum, ipsum à se ipso patitur.* Et causam subnectit. *vnum enim, & non aliud est.* Dic age, agens æquiuocum estne vnum, atque idem, an aliud a se ipso? Non aliud: Non igitur potest agere in se ipsum.

lxix. At desinere nolo, quin paucis adhuc aduersæ illius opinionis fundamentum, & exempla discutiam. Fundamentum fuit, quia potest aliquod agens æquiuocum habere in se actum virtualem, & potentiam formalem: ergo sicut potest per actum virtualem producere aliquam formam in alio, quod illam formam actu non habet; ita potest eam ipsam producere in se ipso: V. G. vinum, & piper, quæ sunt eorum exempla, habent actum virtualem, id est possunt calefacere alia: ergo & se ipsa. Explicant magis, quia sunt multi effectus æquiuocè producibiles a diuersa forma, vel substantiali, vel accidentali, ergo possibile est, vt aliquod sit actiuum alicuius formæ, sicut est aliud actiuum eiusdem formæ: & sit idem passiuum, seu receptiuum eiusdem formæ. ergo tunc sicut potest recipere illam formam ab alio, ita potest eandem in se producere, & recipere.

Mira est istorum philosophia. Primùm, hæc locutio, vinum, piper, vel quoduis aliud, habet actum virtualem, est distorta. Nam ea non habent vllum actum: sed tantum habent vim ac potentiam producendi actum: sicut ego dum quiesco, non habeo actum meæ potentiæ motiuæ: hic enim est motus, sed habeo potentiam producendi actum. Et quamuis non oporteat vim anxiè facere in verbis, nihilominus non debemus vsqueadeò verba contemnere. Vetus est dictum, quod *qui non rectè loquitur, fieri nequit vt rectè sentiat.*

Deinde, hæc consequentia, vinum, piper, aliudue agens habent vim ac virtutem agendi in alia, ergo & in se ipsa, est planè inania. Quid enim? ignis potis est alia comburere, ergo & se ipsum? Baiulus potest portare pondus centum librarum, ergo potest portare & se ipsum? quæ quidam consecutiones nonnisi ridiculè concederentur.

Postea, agentia illa æquiuoca, ceu vinum, aut piper, nunquam ex se ipsis reducent suam illam virtutem ad actum: neque ex se calefacient vnquam, etiamsi mille perdurent annos. Sed illorum potentia debet reuocari ad actum ab alio agente actu existente. (e quem fugit, quod omne quod est potentia tale fit actu tale, ab eo quod actu est tale?) Neque illa potentia potest reduci ad actum a quocunque agente indiscriminatim. Non enim vinum, aut piper excitabunt calorem in dolijs, in aromatarijs, vel etiam in manu exposita: sed ab agente apto atque idoneo illa alterare, & quod in ijs potentia est, facere actu, cuiusmodi agens est calor animalis, V. G. calor ventriculi. Hic alterando euocat in actum calorem, qui in illis continebatur potentia: a quo quidem calore immediatè calefit ipse ventriculus: & calefactus actu, calefacit illa iam alterata. lxx

Adde, quod vinum, ac piper, dum alterata actu calefiunt a ventriculo, id habent non qua agunt, sed qua patiuntur ab alio. Cum itaque huiusmodi agentia æquiuoca nunquam ex se producant effectum, quem virtute præhabent, figmentum est opinari, quod ea possint in se ipsa agere. Adde, quod si possent agere, haberent profectò eiusmodi affectum a se ipsis inseparabilem.

Prætatea, Quando ab agente idoneo, nempe a calore animalis, vis calefactiua piperis in potentia præexistens, reducta est ad actum; & in pipere actu excitatus est calor, illicò ibi consurgit quoddam compositum actu, ex duplici parte reali, quarum vna est substantia piperis iam alterata, altera est actualis calor in illa inhærens. Hic actu agit, & actu calefacit: illa actu patitur, & calefit. Non igitur idem agit in se ipsum: neque idem per se est actu simul & potentia respectu eiusdem, sed alia res est, quæ agit alia quæ patitur, quamuis ambæ sint in eodem composito. Id quod in alijs quoque rebus potes animaduertere. Quando V. G. ex graui fit leue, generans, vt philosophatur Arist. octauo Phys. lxxi.

tex. 32.

tex. 32. educit de potentia illius grauis formam leuis, ac proinde leuitatem; per quam leue statim ascendit, nisi quid impediat. Hic adest pars agens ac mouens sursum, nempe leuitas, quæ prius erat in potentia grauis: Adest pars passa ac mota, nempe corpus illud leue. Vt ergo hic non idem agit in se ipsum, sed alia est res mouens, alia mota. quod euidentius vides in viuentibus; sic in vino, pipere, idque genus alijs debes philosophari.

Quæ quidem omnia longè clariora reddentur, si
lxxii. tibi subiecero quosdam modos ab auctoribus illius opinionis adhibitos, dum vrgentur: Si agens æquiuocum potest per actum virtualem producere in se formam, cuius est capax, & actu non habet, veluti piper calorem, cur non producit? Videmus siquidem vinum, & piper esse actu frigida. Occurrunt quidam, inter quos est Rau. 8. Phys. cap. 4. quæst. 1. quod secundum qualitatem virtualem nunquam res se alterat, quia talis qualitas non est data corpori a natura ad agendum in se, sed in alia, vt piper per calorem virtualem, quem habet, non potest se calefacere, sed alia, &c. Suarez autem in disput. illa 18. sect. 7. num. 16. dupliciter, it obuiam. Ait 1. Huiusmodi agentia virtualia tale habere temperamentum, & dispositionem naturalem, vt resistat, & impediat, ne illa qualitas virtualis suam formalem actionem in eadem parte exerceat. Ait 2. Huiusmodi agentia non habere totalem, seu integram virtutem calefaciendi, nisi aliunde iuuentur. Non solum enim non possunt in se, sed neque in aliud, nisi per aliquod extrinsecum ad potentiam proximam reducantur. Nam si manui vel piper, vel vinum apponas, nullum calorem ab eis percipies: Quando autem ab extrinseco adiuta alia calefaciunt, poterunt etiam calorem in se ipsis producere.

Duo priores dicendi modi communiter reijciun-
lxxiii. tur ab alijs illiusmet opinionis auctoribus, veluti apertè insufficientes, vt videre licet apud Atesium lib. 1. de ort. & inter. disput. 5. quæst 42. sect. 6. Et certè primus dat vltrò, quod nos contendimus, quod *huiusmodi agentibus virtuales qualitates non sunt a natura data ad agendum in se, sed in alia*.

Secundus etiam concedit obstare ac impedire temperamentum, & dispositionem naturalem, quominus huiusmodi agentia possint agere in eadam parte. Non igitur agent in se vnquam, quia eadem est ratio de vna, ac de cæteris partibus.

Tertius, qui ab ijs ipsis iudicatur melior, nihilo plus efficit. Primò, quia si illa agentia de se non habent integram vim agendi, quo igitur pacto agent in seipsa? Deinde, cum Suarez ait, præfata agentia vinum, & piper, adiuta ab agente extrinseco calefacere alia; & sic etiam posse in se producere calorem, planè confitetur, illa non agere immediatè, & per se in sa ipsa, sed calefieri ex calefactione iam in alijs producta. Quod porrò est calefieri per accidens: de qua actione hic non loquimur. Subsecuti deinde recentiores idem volunt saxum: propterea missos facio, & pergo vlterius.

Quid in re proposita dicendum de naturali resultantia propriorum accidentium ab essentia: Et de actionibus immanentibus.



Præfata axiomata, quicquid mouetur, moueri ab alio: Et, idem non posse in se ipsum agere, re ipsa vera Arist. protulit de agente, & passo, mouente, & moto physicis, quæ per motum verum, & physicum agunt, ac patiuntur, de quo motu oct. Phys. & primo de Ort. & inter agebat. nihilominus existimo ea ipsa haud incommodè posse suo modo applicari tum simplici emanationi, per quam propria accidentia naturaliter fluunt ab essentia, tum actionibus immanentibus. Quod porrò quomodo contingat, tentabimus explicare. lxxiv.

Quod itaque spectat ad primum, tria in præsenti accipio. Primò, quod omnes potentiæ animatorum, hominis, equi, plantæ, & omnes omninò vires ac facultates, per quas aliæ res naturales proximè operantur, vt vis magnetis trahendi ferrum, aut summus in igne calor, distinguuntur realiter ab essentia, a qua dimanant; & sunt accidentia secundæ speciei Qualitatis, vt multis ostendi tum in Opere de Triplic. Stat. Anim. disput. 8. sect. 5. tum in lib. de Anima. Et docet S. Thom. ex professo in prim. part. quæst. 77. articul. 1. atque colligitur ex Arist. nono Metaph. tex. 3. & lib. duodec. tex. 26. quoniam cum actus, & potentia diuidant ens, & quodcumque entis genus, sit, vt actus, & potentia sint in eodem genere. Manifestum autem est, actus, siue Operationes rerum esse accidentia, quocirca, & potentiæ earum erunt accidentia.

Secundò accipio, quod propria hæc accidentia dimanant naturali quadam ac simplici resultantia ab essentia, siue a forma substantiali eius rei, cuius sunt accidentia, vt, eum docuit S. Thom. tum sæpe alibi, tum in quæst. illa 77. art. 6. & nos fusè egimus in dicta disput. 8. sect. 7. & in lib. de Anim. Emanare autem naturali consecutione nihil aliud est, quàm produci non per veram aliquam actionem, sed naturali necessitate fluere, perinde ac lux fluit a substantia lucidi. lxxv.

Tertiò accipio, præfata accidentia, loquendo in vniuersum, esse in duplici differentia. Quædam sunt materialia atque corporea, cuiusmodi sunt omnes facultates animæ sensitiuæ, ac vegetatiuæ in animalibus, & plantis, nec non vires proximæ inanimatorum, veluti vis magnetis, calor ignis, &c. Quædam autem sunt immaterialia atque incorporea, & sunt inter sublunaria in solo homine, intellectus, agens, possibilis, & voluntas. Quam di-

stinctionem validè comprobaui in sect. illa 6. commemorata. Quæ quidem accidentia tam primæ, quàm secundæ classis in viuentibus oriuntur ab anima. Quocirca abeunte illa à corpore, non amplius apparent neque eiusmodi accidentia, neque actiones illorum.

Discriminantur autem in eo, quod accidentia propria materialia & corporea immediatè subiectantur in toto composito: vel in vna aliqua eius parte, vt visus in oculis. Accidentia autem immaterialia ac incorporea, quæ, vt dixi, in solo homine suppetunt, immediatè recipiuntur in anima eius intellectiua. Hoc etiam latissimè locis iudicatis probaui: neque præsentis instituti est in eo diutius immorari: sed his ita prælibatis.

Constituo 1. Causa efficiens, quæ per simplicem emanationem producit propria sua accidentia, quæ-
lxxvi. cunque illa sint, distinguitur realiter ab effectu, quem producit. proindeque hac ratione nullo modo agit in se ipsam.

Hæc assertio conspicuè eruitur ex his, quæ nunc adnotabam: Nam huiusmodi causa est essentia, siue forma substantialis rerum; atque adeò est substantia: dicti autem effectus sunt accidentia: At substantia realiter distinguitur a quocunque accidente. quare & dicta causa ab omni huiusmodi effectu.

Constituo 2. Dicta causa distinguitur etiam à subiecto eorundemmet propriorum accidentium. Sed diuerso modo. Nam a subiecto facultatum materialium & corporearum discriminatur realiter, ceu pars à toto: à subiecto autem facultatum immaterialium dissidet solum diuersa ratione.

Vtramque partem explico. Subiectum facultatum corporearum est totum compositum, vt indicaui. Anima autem, & omnis forma substantialis alicuius distinguitur realiter ab illo toto; non quidem distinctione totali, sed tanquam pars à toto, quemadmodum lib. 1. huius operis ad tex. 17. in quæst. de distinctione totius a suis partibus fusè exposui, quare anima, & omninò forma substantialis re ipsa distinguitur à subiecto dictarum facultatum, siue accidentium. Non igitur anima hac ratione agit in se ipsam neque se ipsam mouet.

Sic autem sermo sit de facultatibus immaterialibus, & incorporeis, intellectu, inquam, & voluntate,
lxxvii. quæ ab anima intellectiua immediatè prodeunt, atque in ea ipsa immediatè insident: quamuis causa productiua illarum facultatum non sit realiter distincta à subiecto earundem, (nam eadem anima est & causa productiua, & subiectum) nihilominus distinguitur ratione, & cum aliquo fundamento in re. Nam anima secundùm quod effectiuè producit suas passiones, non recipit eas; & secundum quod recipit, non producit. Icircò autem anima hæc duo potest præstare, quia licet sit substantia simplex, tamen non est actus purus sed conflata ex actu, & potentia. Quocirca qua ex parte est actus, efficit actu suas facultates, qua verò est potentia, fteruitur iis pro susceptiuo.

Hinc Philosophus secundo de Anim. tex. 36. aiebat, animam esse principium, & causam in triplici genere causæ, Materialis, finalis, & efficientis. Hoc porrò habet anima secundum diuersas rationes, vt dixi. Et quia actio, per quã illa edit suas passiones, non est actio vera, & per modum physicum, sed quædam fluentia, etiam in hac simplici emanatione vides, idem secundum idem, & per se non agere in se ipsum.

Addo, quod productio facultatum ab anima competit ipsi animæ per se. Etenim producit huiusmodi facultates, quia per se est tale ens: Sicut substan- lxxviii.
tia Solis profert talem lucem, quia per se est eiusmodi substantia: Receptio autem earundem facultatum in eadem anima est illi quasi per accidens. Accidit quippe facultates esse accidentia, quandoquidem in Deo sunt substantia: quæ accidentia egent subiecto: Quapropter quasi per accidens est, quod anima dictas facultates in semetipsa recipiat. Vnde si præfatæ passiones essent substantia, & per se subsisterent, anima tantum produceret illas; non autem reciperet. Ex quibus vberius vides, quomodo neque in emanatione facultatum idem per se agit in se ipsum.

Eodem prope modo de actionibus quoque immanentibus philosophare. Agunt quippe, & patiuntur tum sensus, tum intellectus in suis operationibus, quæ omnes sunt immanentes, vt constat ex nono Metaphys. tex. 16. veruntamen non secundum idem, & per se: sed secundum vnam rationem agunt: secundum aliam patiuntur. Immò verò patiuntur ab alio atque alio, quemadmodum exposui in libris de Anim. Rem paucis accipe. Sensus patitur præsuppositiuè, recipiendo speciem sensibilem: postea ea indutus, solum agit, cognoscendo, aut iudicando de obiecto. Postremò, quia sensatio iam elicita est actio immanens, cuius peculiare est, recipi in eodem ipso à quo fuit elicita, icircò recipitur quasi per accidens in sensu: in qua quidem receptione sensus dicitur pati. Non itaque secundum idem, & ab eodem, & agit, & patitur.

Etiam ergo in actione immanente dicta Stagiritæ effata, suo tamen modo, obtinēt veritatem; quæ luculentius innotescet, si argumenta in contrarium confecta diluamus. Prius autem monitum te volo, quod idem in se ipsum agere non posse, docuit etiam Plato cum alibi sæpe, tum in Hippia Maiore, qui loci inductione ostendit, causam non debere esse aliquid eius, quod causatur, *Aliud*, inquit, *est causa, aliud id, cuius causa est. Neque enim causa ipsius causæ causa esse potest.*

De.

Depelluntur opposita opinionis argumenta.



Veritas lumen quoddam intellectus merito suo censetur ideoq; vbi sin intellectu affulsit, illicò ab eo depellitur erroris caligo. Si, quam hucusque concleauimus veritas est, vide, quàm facile omnia molimina aduersæ sententiæ ruunt. Ad 1. Plurimæ suppetunt rationes, quarum aliquas audiuisti, ob quas repugnat, idem per se in se ipsum agere: præcipua porrò est illa in argumento indicata, quod idem nequeat esse actu simul ac potentia. Quam si auctores illi ideò *vulgarem* appellant, quòd per ora doctorum hominum agitur, ferendi sunt: Sin verò *vulgarem* dicunt, quasi e vulgo, ac triuio petitam, molè sentiunt, vt vel ex supra dictis apparet.

Deinde, consequentia illius primi argumenti planè inanis est, cum vis illa virtualis nunquam se ipsam ex se ad actum reducat, vt ostendi.

lxxx. Quidam recentiores, inter quos est Arriag. in suo curs. Philosophico disput. 3. de gener. & corrupt. sect. 10. opinantur in ratione illa, quod idem simul esset in actu, & in potentia, &c. insidere æquiuocationem. Nam illud *in potentia* dupliciter potest vsurpari. Vel pro vt dicit virtutem operandi: & hoc pacto non repugnat, eum qui habet virtutem operandi, simul esse in actu operationis. Nam omnes causæ secundæ, & Deus ipse, quando operantur, simul sunt in actu operationis, & in potentia ac virtute ad operandum. Aliter potest accipi *esse in potentia*, id est *in carentia actus*, & sic re vera repugnat esse in actu, & in potentia. Cæterùm hoc non sequitur ex eo, quod idem agat in se ipsum. Adducunt etiam instantiam de materia, quæ dum actu causat in se materialiter formam, adhuc est in potentia, quia etiam habet virtutem causandi seu recipiendi.

Veruntamen hi non rectè distinguunt. Nam quando ego nunc scribo, vtique sum in actu scriptionis, & sum tamen in potentia; At non sum respectu huius numero scriptionis: Sed ad alias, quas deinceps ac successiuè possum exarare, ita est etiam materia ad recipiendas formas: Modo Stagiritæ ratio non hoc petit: sed quod idem simul esset in actu, & in potentia respectu eiusdem numero actionis, & eiusdem numero formæ. Quod ineuitabili consequentia eueniet, si idem agat in se ipsum. Nam quatenus hæc res agit in se ipsam, est in actu respectu huius numero actionis, & respectu huius formæ, quam producit: quia vnumquodque agit in quantum est actu. hæc eadem res quatenus patitur est, in potentia respectu huius istius actionis, & respectu huius istius formæ, quam recipit, quia vnumquodque patitur in quantum est in potentia. ergo idem simul esset in actu, & non esset in actu respectu eius, & eiusdem rei: atque adeo simul esset in potentia, & non esset.

Ad 2. argum. respondeo, Grauia, & leuia proximè quidem moueri à suis formis substantialibus, remotè autem à generante, vt in octau. lib. huius operis in quæst. de motore grauium, & leuium dixi. Porrò quamuis elementa existant corpora simplicia, in iis suppetit duplex res: non quidem supposito, & existentia; (hoc quippe haud est necessarium.) re ipsa inter se distinctæ. Res, seu pars, quæ ibi mouet, est forma substantialis, *vt quando ex graui fit leue, veluti ex aqua aer, hoc enim potentia primùm, & iam leue est, & operatur statim, nisi quid impediat*, inquit Arist. octau. Phys. tex. 32. operatur verò, & ascendit à sua forma: cur enim prius non ascendebat? Res autem mota non est materia nuda, sed induta eadem forma substantiali, & est ipsum compositum; quod vt possit moueri, id habet ratione materiæ. nisi enim in eo adesset materia, non esset corpus: & nisi esset corpus, non posset physicè moueri, quia ex sexto Phys. tex. omne quod ita mouetur, omninò debet esse corpus. Cæterùm difficultas ex æquo premit omnes Philosophos, Nam si quid in elementis concludit, id idem concludit etiam in animalibus: quæ, vt sensus ipse docet, mouent se ipsa. Atqui in iis pars mouens vtique est anima, qua etiam abeunte, cessat motus. Pars autem mota quænam est? (non enim in animali suppetit vlla alia forma substantialis præter animam) an materia nuda? nequaquam: sed est materia tali forma induta. Quod sanè nihil est aliud, quam corpus siue compositum ipsum. Decipitur itaque in eo argumento arguentis imaginatio, qui concipit, quasi forma, & materia sint duæ res per se, ac separatim existentes, sicut sum ego, & lapis: postea illa moueat, hæc moueatur. Non ita res se habet, sed ex vtraque coalescit vnum totum, in quo forma est ratio mouendi, materia est ratio, vt moueatur, sicut vides in composito ex lapide, & vi motrice sursum proiecto, vt superius exposui.

Ad 3. argum. ex dictis liquet, quomodo in actionibus immanentibus idem non agit in se ipsum: sed intercedit distinctio. Sic etiam patet ad 4 argum. de naturali resultantia proprietatum accidentium. lxxxi.

Denique, aqua calfacta, quod erat 5. argum. reducens se ipsa ad pristinum frigus, mirum in modum multorum laborem fatigauit. Quid non excogitauerunt aliqui ad assignandum causam productiuam illius frigiditatis? quæ si abundas otio, videre potes apud Perer. libr. 7. Phys. cap. 14. Conimbr. 7. Phys. cap. 2. quæst. 1. art. 3. Tolet. 2. Phys. quæst. 2. Vno verbo dico: Illa aqua reducit se à sua forma substantiali. De qua re dixi in disput. de Principio formali in calce lib. præcedentis Atque de hac conditione, hæc satis.

Digitized by Google

SECTIO SEXTA.

Vtrum, & quomodo requiratur indiſtantia, ſeu propinquitas cauſæ efficientis ad paſſum, vt operetur; an verò agens poſſit agere, etiamſi loco diſtet a paſſo?

lxxxiii. Æc quoq; conditio vehementer controuerſa eſt, vtpote quæ multa complectitur capita. Primò in dubium vocatur, an omnis cauſa efficiens, ex eo quod efficiens eſt, ſiue increata, ſiue creata, exigat præſentiam localem ad paſſum, vt operetur; an verò ſolum agens creatum id expoſcat, ex eo quod eſt quippiam limitatum. Secundò, an omne agens creatum ſiue corporeum, ſiue corporis expers, requirat eam conditionem. Tertiò, an ſaltem omnia agentia naturalia, & corporea debeant eſſe ſimul cum ijs, in quæ agunt, an verò hoc expoſcant quædam duntaxat agentia naturalia ex aliqua peculiari ſua conditione.

Propterea hoc argumentum latiſſimè patet. Quod enim ſpectat ad cauſam increatam, tractant Theologi cum Magiſtr. in 1. ſent. diſtin. 37. & cum S. Thom. in prim. part. quæſt. 8. artic. 1. & in 3. contr. Gent. cap. 68. Quod verò ſpectat ad cauſam creatam ſpiritualem, agunt ijdem Doctores in 2. ſent. diſp. 2. & in prim. part. quæſt. 52. Agunt etiam Metaphyſici. Hinc P. Suarez in Metaph. diſput. 18. ſect. 8. *Hæc*, inquit, *quæſtio vniuerſalior eſt, quàm phyſica: complectitur enim omnem efficientem cauſam.* Tractant etiam Philoſophi Naturales, vt videre eſt apud Ariſtotelem ſeptimo Phyſ. cap. 2. & lib. octau. cap. vlt.

Equidem de hoc argumento ea tantum ſubijcerem, quæ inſtituto Phyſico genuina ſunt. Nihilominus quia determinatio huius conditionis in primo efficiente, Deo, ſuppeditat euidentiſſimam confirmationem in cauſis naturalibus; iccirco de eo duo verba.

Ratio cauſæ efficientis, quæ efficiens eſt, omninò exigit præſentiam localem, vt operetur: atque adeò primum efficiens, Deus, eſt ibi, vbi operatur.

Egant aliquammulti non mediocris notæ Doctores, præſentiam localem, ac propinquitatem ad paſſum exigi a cauſa efficiente in communi, ſed tantum requiri, aiunt, a cauſa limitata: immò neque ab omni iſta, ſed ſolum ab aliqua. Primum autem ac infinitum efficiens, Deum, nulla huiuſmodi præſentia ac indiſtantia indigere, vt operetur. Quod ſi de facto eſt in omnibus rebus, vt re ipſa eſt, id habet, non quia in ijs agit, ſed quia exiſtit immenſus. Ita Scot. in 1. diſtinct. 37. quæſt. vnica. Ocham, & Gabriel in eadem diſtinct. ſequuntur Gregor. de Valent. in 1. part. S. Thom. quæſt. 8. puncto 1. Vazquez in eadem part. diſput. 28. deinde alij, quos percenſent Auerſ. quæſt. 14. de cauſis ſect. 7. & Maſtr. ac Bellut. in Phyſ. diſput. 7. quæſt. 4. art. 3. & ipſi ſe illis adiungunt. lxxxiv.

Quæ ſententia prob. 1. Deus operatur per ſuam voluntatem: Voluntas Dei æqualiter ſe habet tam lxxxv.
ad propinqua, quàm ad remota: *vocat enim ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, quare Deus ita poteſt operari in remota & diſtantia, ac operatur in propinqua.

Secundò, Deus poteſt agere, vbi nunc poſitiuè non eſt. Quod oſtendo: Deus nunc in ſpacio imaginario extra totum Vniuerſum actu ac poſitiuè non eſt: Nihilominus abſque vlla dubitatione poteſt ibi corpus, aut Angelum creare. ergo &c.

Tertiò, Prius eſt creaturam produci a Deo, quàm Deum eſſe illi præſentem. ergo poterit Deus producere aliquid, & non fieri illi præſens. Conſequent. prob. quia id quod eſt prius, non dependet a poſteriori, ac proinde poteſt illud eſſe abſque hoc, vt explicatur in Poſtprædic. cap. de Priore: Aſſumptum autem prob. quia illud, cui alterum debet fieri præſens, profectò debet præſupponi.

Oppoſita tamen ſententia videtur validior, quòd cauſa efficiens ex communi ſua ratione, atq. ex ſuo genere omninò debet eſſe propinqua, ac loco præſens cum paſſo, vt in illud agat: (hæc autem præſentia ſiue ſit ſuppoſiti, ſiue virtutis, nil refert) adeò vt etiam Deus ipſe ea vi ſuæ operationis ibi ſit, vbi operatur.

Ita S. Thom. cùm alibi ſæpe, tùm præcipuè in prim. part. quæſt. 8. artic. 1. & lib. 3. contr. Gent. cap. 68. Quibus in locis ex eo probat, Deum eſſe vbique, quia operatur vbique. Eſt enim hæc eius

ratio.

Digitized by Google

ratio. Deus est in omnibus rebus, non quidem sicut pars essentiæ, vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei, in quod agit. Oportet enim omne agens coniungi ei, in quod immediatè agit: & sua virtute illud contingere: sed proprius effectus Dei agentis, & conseruantis omnia est ipsum esse rerum, quod illis est maximè intimum: ergo Deus intimè coniungitur, & est in omnibus rebus. Ita tutati etiam sunt Alb. Ægid. & Durand. in distinct. illa 37. De qua quidem re vide Magistrum Bagnes, & Nazar. ad eum art. S. Thom. & Ferr. ad cap. illud 68. pro vniuersa Thomistarum familia. Eandem opinionem tuentur P. Suarez in Metaph. disput. 18. sect. 8. & disput. 30. sect. 7. Conimbr. hic cap. 2. quæst. 1. Paul. Aref. in 1. de Gener. & corrupt. quæst 41. Run. aliique permulti. & ita est tenendum.

lxxvii. Quæ quidem assertio luculenter euincitur ex sacris eloquijs, quæ plurima suppetunt, ego tria expendam. Actor. 17. dicitur, Deus *non longè est ab vno quoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*. Perpende, quod Apostolus ex eo colligit, Deum non longè ab vnoquoque nostrum esse, quia operatur in nobis. Hoc quippe pollet, *in ipso viuimus, mouemur, & sumus*. idest ipse causat in nobis vitam, motum, esse. Eodem pacto Regius Psaltes psal. 138. *si*, inquit, *ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Perpende rationem, cur Deus dicatur esse in cælo, & adesse in inferno. Quia illuc manus tua deducet me, & dextera tua tenebit. Quæ porrò sunt operationes. Et Sapien. cap. 8. *attingit a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*. & in cap. 7. *attingit autem vbique propter suam munditiem*, quibus in locis vides, præsentiam Dei in rebus explicari per eius operationem. *attingit*. Et quia operatio Dei est eius essentia, est ibidem per suam essentiam. Quocirca, quamuis istæ illationes, Deus operatur alicubi, ergo ibi est; Et Deus est alicubi, ergo ibi operatur, ambæ sint verissimæ, differunt tamen, quòd prima est à priori, & per causam. Secunda est a posteriori.

lxxviii Pro cuius rei intellectu scito, quod ratio propter quam substantia corporea est in loco, est contactus quãtitatis dimensiuæ, ratione cuius tangit, seu potius tangitur ab vltima superficie corporis ambientis, qui est locus, vt habes in quarto Phys. Quocirca si substantia corporea esset quacunque quantitate expoliata, non esset in loco. Ita in substantijs spiritualibus ratio essendi in loco est contactus virtualis facultatis operatiuæ, quo quidem contactu mediante, illa substantia tangit, & continet rem, in qua dicitur esse veluti in loco, & præsens. Propterea *Angelus per applicationem virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercumque dicitur esse in loco corporeo*, inquit S. Thom in prim. part. quæst. 52. art. 1. Vt ergo in corporibus a priori colligimus. Hoc corpus tangit hunc locum, seu tangitur ab hoc loco, ergo est in eo secundum substantiam: ita in rebus spiritualibus a priori colligimus, eas esse alicubi, suo tamen modo, ab earundem operatione.

Aduerte præterea ex eodem S. Thom. 2. contr. Gent. cap. 56. pulcherrimam differentiam, quod agens corporeum nequit contingere aliquod corpus nisi secundum vltimam superficiem, cum duo corpora viribus naturæ se se penetrare non queant: Substantia verò spiritualis optimè potest intimè penetrare aliquod corpus, & quamlibet aliam substantiam. Potissimum autem id præstat Deus, qui penitus illabitur cuicunque creaturæ. Ex quo sequitur, agens corporeum haud posse agere in passum secundum se totum immediatè, sed agit in vnam partem mediante altera: substantia verò spiritualis optimè valet immediatè agere tum in totum passum, tum in singulas eius partes, sicuti de anima intellectiua dicimus, quod tota degit in toto, & in quauis parte etiam tota.

Argumenta verò aduersæ sententiæ leui opera depelluntur. Ad 1. Plena veritas est, Deum operari per intellectum, & voluntatem: ac posse vbi vbi voluerit, operari; & in spacio imaginario condere innumeras etiam res: sed quando ibi operatur, etiam est: & dicitur esse in rebus illis, quia illas replet, conseruat, præmouetque ad operandum. Adde, quod nihil dicitur distare a Deo, quasi in se illud Deus non habeat. *Dicuntur autem res distare à Deo per dissimilitudinem naturæ, vel gratiæ, sicut & ipse est super omnia per excellentiam suæ naturæ*. ait S. Doctor in prim. part. quæst. 8. art. 1. ad 3. lxxix.

Hinc apparet solutio etiam ad 2. argumentum. Adde, quod prius in aliquo signo concipimus virtutem operatiuam Dei producere in spacio imaginario rem, quàm esse in illa: (quamquam virtus operatiua Dei sit eademmet eius essentia) quoniam illa intelligitur tanquam causa earum rerum, in quibus deinde Deus est conseruando eas ipsas. Causa enim intelligitur prius, quàm sit effectus.

Tertium argum. ex eadem doctrina manet labefactatum. Nihilominus adiungo, consequentiam illius nullam esse; etiamsi admittas antecedens. Ad cuius probationem dic, quod aliqua sunt posteriora, quæ tamen necessariò consequuntur ex prioribus, quamuis priora non dependeant a posterioribus, vt explicat Magist. Bannes in quæst. illa 8. dub. 1. in solut. ad 3. argum. in eo dub. factum.

Ex his apertè euincitur, quod si primum efficiens, vt operetur, omninò est cum eo in quod operatur, profectò indistantia ac propinquitas erit de ratione causæ efficientis in communi: ac proinde nullum vnquam reliquorum agentium, præsertim verò naturalium poterit agere in distans: Et quod inde consequitur: non poterit agere in distans, quin etiam agat in medium. Nihilominus sunt qui etiam his tergiuersentur, propterea eorum partes audiamus.

Argu-

Digitized by Google

Argumenta, quibus suaderi videtur, agencia naturalia posse agere in distans, non agendo in medium.



xc. Rincipio, Sol calefacit aerem, tum globum terrestrem, & nos ipsos: à quibus quam remotissimè distat: & non calefacit orbes sibi subiectos, qui inter ipsum, & mortalem hunc mundum intercedunt. Et Luna causat æstum maris: causat autem per aerem, quem tamen non mouet: ergo agunt in distans, & non in medio.

Præterea, idem Sol, ac reliquæ causæ cælestes producunt in hoc sublunari orbe varios, & admirabiles effectus, non modo accidentales, verùm etiam substantiales. Et quidem accidentales, vt calores, frigora, siccitates, ventos, sanitatem, morbos, vt etiam Arist. in Probl. sect. 1. quæst. 3. contestatur, vt multis ostendi instendi in opere de Meteor. lect. 7. & 8. Substantiales autem, vt viuentia, quæ ex putri oriuntur. At dictæ causæ valdè distant ab omnibus hisce: & nihil huiusmodi progignunt in medio.

Accedit, quod eadem causæ in ipsis terræ visceribus edunt plurimos, admirandum virtutum effectus, veluti gemmas, aurum, argentum, metalla omnia. De quibus fusè disserui in opere de Meteor. à lect. 7. & inde: quare causæ effectrices naturales agunt immediatè in distans, nihil agendo in medio.

xci. Secundò: Descendendo deinde ad mortalia obseruamus, animalia, quorum propagatio fit per semen, producere effectus in subiecto à se distante, vt V. G. equus generans producit formam substantialem equi à se geniti, atque adeo equum ipsum, in materia remota ac dissita, id est in vtero equæ. Et quandoque contingit, vt cum forma equi geniti fit, equus generans interierit, atque omninò in natura rerum non sit.

Nec dici potest huiusmodi effectus produci à virtute generantis, relicta in semine, quæ operatur etiamsi agens principale actu non sit.

Quia effectus substantiales oriri debent à causa substantiali: si simile prodit à simili: Virtus autem illa est quoddam accidens: icircò non sufficit ad producendum præfatos effectus: quare commodè poterit agens naturale operari in passo, quamuis illi non adsit præsens.

xcii. Tertiò, Id idem deprehendemus expatiando per omnes rerum gradus. Ac primò quidem in homine occurrunt tria exempla. Primum, Imaginatio residet in capite, vt in lib. de Anim. in tract. de sensibus internis ostendi. Hæc autem immediatè mouet appetitum exsistentem in corde eius animalis, cuius est imaginatio. Alterum, quod eadem Imaginatio dum iucundum quippiam, aut aduersum concipit, afficit ac mouet membra animalis, etiam distantia. Quo spectat illud Philosophi ex tertio de Anim. tex. 46 *sed neque cum speculatur aliquid huiusmodi, iam præcipit, aut persequi, aut fugere; quemadmodum sæpe intelligit terribile aliquid, non iubet autem timere, sed cor mouetur: si autem delectabile, pars aliqua alia.* Tertium accipitur ex fascinatione oculorum, qui dicuntur quandoque rem distantem fascinare, vt de quibusdam muliereulis passim narratur, & scribit etiam Alex. Aphrod lib. 2. Problem 54. Alber. lib. 2. de Anim. cap. 4. & lib. 4. Metaph. tract. 3. cap. 1. & S. Thom. in prim. part. quæst. 117. art. 3. quo loci, adducit Glosam, quæ super illud ad Galat. 3. Quis vos fascinauit veritati non obedire, ait, *quod quidam habent oculos vrentes, qui solo aspectu inficiunt alios, & maximè pueros.*

Sic inter terrestria fertur Basiliscus, suo olfactu serpentes necare, aspectu homines interimere, atque aues volantes, quamquam distantes lædere, vt scribit Plin. lib. 29. cap. 4. & Isidor. lib. 12. Etymol. capite itidem 4.

In aquatilibus illico occurrit piscis, Torpedo dictus, qui intra retia conclusus, brachium piscatoris distantis stupefacit: Et quos appetit pisces, efficit eadem facultate torpendi, & stupefactos capit, ac vescitur: Quod quidem vt consequatur, abdit se se in arena, & limo, sicut adnotat Plin. lib. 32. capite 1.

Sic in mixtis inanimatis magnes e longinquo afficit, attrahitque ferrum: Radix, Aproxis dicta, herba est, vt scribit idem Plin. lib. 24. cap 17. e longinquo concipit ignem, hoc idem præstat Naphta, & complura alia. Non est itaque quod dubites, quin agens naturale possit agere in distans, non agendo in medio.

Quartò: Desumitur argumentum ex ijs, quæ in hominum vsu versantur, in quibus nonnumquam obseruamus, agens naturale non modo agere in distans, sed vehementius agere in extremum, quàm in medium. Sic in ollis feruentibus longè calidior est aqua in summo, quàm in imo: *& vasorum fundi, ebulliente in ijs aqua, non vrunt; adeò vt ea pleriq; fundo sustinentes deportent,* inquit Arist. lect. 24. Problem. quæst. 3. & 8. Et oleum supra papyrum infusum, atque igni impositum, calesit, & feruescit, integra perseuerante papyro, vt testatur idem Auctor. xciii.

Sen.

Sensatè demonstratur, causam efficientem naturalem omninò debere esse contiguam, siue simul cum eo, in quod agit; aut simultate suppositi, aut saltem simultate virtutis. Ac proinde nihil posse agere in aliquod distans, quin suam virtutem diffundat per totum medium.

XIV. Nia omnia scito, simultatem siue contactum agentis ad passum, duplicem esse. Vnus appellatur contactus suppositi, tum contactus præsentiæ, tum formalis; & est quando duo corpora sibi præsentia mutuò sa se contingunt: veluti cum ignis substantialiter præsens calefacit lignum. Alter vocatur contactus virtualis, vt cum idem ignis non tãgit lignum secundum vltimam suam superficiem, sed distans ab eo, calefacit illud per suum calorem. Modo adhoc vt agens in aliquod agat, haud est necessarius semper contactus formalis inter agens, & passum; siquidem cernimus ignem excalfacere materiam à se distantem, quanquam intra sphęram suæ actiuitatis, & quandoque in ea excitare ignem: Attamen omninò est necessarius saltem contactus virtutis.

Hoc itaq; est, quod prima nostræ assertionis pars asseuerat, videl. omne agens, si non contactu præsentiæ, saltem contactu virtutis debere esse simul cum passo, vt agat. Sic ex professo Arist. septimo. Phys. cap. 2 probat pulcherrima inductione, ex motu secundum locũm, ex alteratione, necnon ex augmentatione, ac diminutione, mouens, alterans, augens, & diminuens omninò oportere esse simul cum ijs, in quæ agunt. *Tacuit autem generationem, quia manifestum est, in ea magis, quàm in alijs, quod generans est cum generato*, inquit Auerr. in com. Ita sentiunt omnes interpretes Gręci. & S. Thom. in hac eadem doctrina extitit perpetuus, vt videre est in prima parte quæst. 8. articul. 1. & lib. 3. contr. Gent. capite 68. & alibi sæpe.

Ex qua quidem Stagiritæ inductione sic colligunt viri docti. Modus agendi communis omnibus agentibus naturalibus, profectò in aliqua intrinseca & naturali necessitate fundatur: Modus agendi per immediatum contactum est communis omnibus agentibus naturalibus, quemadmodum in illa inductione apparet, & oppositum neque per rationem, neque vllo experimento potest suaderi, vt in solutione aduers. argumentorum patebit; Hic ergo agendi modus est necessarius.

Quod verò agens dum per suam virtutem agit in passum distans, debeat in toto quoque medio agere, XCV. & per totum illud diffundere suam virtutem & actionem, quæ est altera nostræ assertionis pars, eadem sensata experientia commonstratur. *Enimuerò ignis in balneis in corpora nostra non sine medio agit, sed prius excalfacit parietes sibi propinquos, ipsi deinceps continuum aerem calefaciunt, ipse aer rursus calefacit nos*, inquit Philopon. Et S. Thom. in prim. part. quæst. 8. artic. 1. ad 3. *nullius*, inquit, *agentis, quantumcumque virtuosi, actio procedit ad aliquid distans, nisi in quantum in illud per media agit.*

Ratio verò à priori huius necessitatis ab alijs alia adhibetur, vt videre est apud Capreol. in 1. distin. 37. quæst. vnic. artic. 2. Suarez sect. illa 8. num. 2. & Conimbr. 7. Phys. cap. 2. quæst. 1. art. 1. Raphael autem Auers. quæst. 14. sect. 7. & 8. affert septem aliorum Doctorum rationes pro hac re, & nititur earum insufficientiam patefacere. Mihi germana huius necessitatis ratio desumenda videtur ex intima natura actionis agentium naturalium: quæ porrò, vt ostenditur in tertio Phys. cap. 2 est quidam motus, & quoddam accidens. Hinc ita colligo. De ratione motus est, esse in subiecto; cum sit actus entis: Hoc subiectum, in quo motus omninò inhærere debet, non est ipsum agens: At neque est immediatè passum, cum supponatur distare ab agente: & motus ab agente profectus nequit, vt ita dicam, de se transilire ab agente ad passum; tunc enim esset motus, (hoc suppono) & non esset motus, cum in illo medio non esset actus alicuius entis: quare necessario debet recipi ac insidere in medio, & successiuè ad passum vsque distans peruenire.

Hanc rationem duo mihi, quamquam à posteriori, reddunt conspicuam. Vnum est. Si hic esset XCVI. ignis, deinde succederet bipalmare vacuum, postea adesset combustibile: profectò ignis non ageret per illud vacuum in combustibile. Cur? quia quando motus, & actio ignis deuenisset vsque ad extremum aeris, atque attigisset vacuum, non haberet amplius in quo susciperetur. Hinc communiter Philosophi cum Aristotele in quarto Phys. decernunt, quod si esset vacuum, per illud nullus esset possibilis motus. Et in secundo de Anim. tex. 74. aduersus Democritum opinatum, quod si fieret vacuum, illud conferret ad videndum, etiam si formica in cælo esset, ait Arist. *Hoc autem impossibile est: patiente enim aliquid sensitiuo fit ipsum videre: ab ipso igitur qui videtur, colore, impossibile est*. quia videl. color per illud vacuum minimè posset agere in visum. Ob hanc eandem rationem in primo Meteor. cap. 2. constituebat idem Auctor, mundum hunc inferiorem, *ex necessitate esse continuum quodammodo superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur.*

Alterum exẽplum, quod mihi eandem rationẽ sensatè confirmat, illud est, quia videmus, si inter agens, &

gua extat dubitatio; tum de eorum distinctione, tum de loco, tum de modo operandi, qua de re haud est huius instituti differere: Adi, si lubet, Piccolom. in lib. de facultate, qua sponte animalia mouentur. Interea dico, quod imaginatio in animali est vis quædam superior ad appetitum: Virtus verò superior naturaliter potest mouere inferiorem. Mouet autem per spiritus, & humores, qui quidem ea apprehensione imaginationis alterantur: alterati autem afficiunt, & mouent appetitum. cum omnia hæc existant in eodem animali. Sic vsuvenit, dum ex vehementi alicuius obiecti terribilis apprehensione contremiscunt genua, & ex apprehensione iucundi arriguntur membra.

Tertium exemplum accipiebatur ex fascinatio-
c. ne. Eam nonnulli penitus inficiati sunt, existimantes, quæcunque de ea narrantur, cuncta esse poetarum, aut vulgi commenta. Sed re vera non est, quod quispiam inficietur rem consensu variarum ætatum, & sensata cordatorum hominum experientia comprobatam. Admitto igitur fascinationem naturaliter fieri posse: Modum autem quo fit, explicat Alex. Aphrodis. lib. 2. suorum Problem. quæstio 54 Alber. mag. 2. de Anim. cap 4. D. Thom. in prim. part. quæst. 117. art. 3. ad 2. Abulens. paradox. 4. cap. 16. & Plin. lib. 7. cap. 2. & lib. 33. cap. 10.

Fit autem hoc pacto. Quidam homines, frequentius verò nonnullæ vetulæ, tetra quadam inuidia, & nequitia anguntur: cum autem vident aliquem venusta forma præditum, vehementi imaginatione illam quasi malitiosè hauriunt. Ea tali imaginatione immutantur, & accenduntur in ijs spiritus corporis, & fiunt quasi tabidi: quę spirituum immutatio maximè excitatur in oculis, ad quos confluunt spiritus subtiliores. Isti spiritus iam incensi ac venenosi inficiunt radios visuales, atque vna ex oculis effusi, immediatè inficiunt aerem, & per eum pertingunt vsque ad rem visam, eamque fascinant. Porrò radios visuales infectos inficere obiectum, docuit etiam Arist. in lib. de Insomn. cap. 2. his verbis. *Quemadmodum visus patitur, sic & facit aliquid. In speculis enim valdè mundis, cum menstruis aduenientibus mulieribus, inspiciunt in speculum, fit superficies speculi vt nubes sanguinea: & si nouum sit speculum, non facile est abstergere huiusmodi maculam.* Sic in re proposita philosophare, quod *prodit de pupilla radius exitialis, qui per oculos obducti hominis subit, vertitque quam aggressus naturam est, maloque habitu deprauat, vt mox corpus languescat, morboque laboret. Sed omnium maximè pueri vitio illo capiuntur, quoniam natura tenerrimi sunt, facillimèque affici a quolibet possunt.* inquit Aphrodis. loco indicato. Hoc idem, seruata proportione dicendum est, de Basilisci aspectu, aut habitu, qui in eodem argumento obijciebatur.

cI. De torpedine iam dixi. Profectò ea vim quandam per totum medium diffundit: & per illud afficit piscatoris manum. Cæterùm medium illud non stupet, quia huiusce affectionis penitus existit incapax. Quis enim stupor esse potest, vbi nullus sensus? manus autem stupet, siue à nimia quadam ac vehementi Torpedinis frigiditate, aut noxio aliquo vapore per manum effuso, siue à peculiari quadam illius conditione, & antipathia.

Naphta verò, & Aptosis, atque id genus combustibilia ignem, quoquo pacto distantem concipiunt, quia sua natura existunt temperamenti valdè sicci, & calidi Concipiunt autem per calorem ignis. Nonne obseruasti candellam recens extinctam ex alia candella propinqua, non tamen contigua, reacendi? quod propterea fit, quia candella extincta est impensè disposita ad ignem: & quandoque concipit ignem mediante fumo ab ea egressio, qui quidem defert flammam candellæ accensæ ad eam quæ nuper extincta est.

Ad 4. argum. Impossibile duco, quod agens naturale, loquendo per se, agat vehementius in ex- c 11.
tremum, quàm in medio. Primum verò exemplum, ex Arist. de aqua feruente, & fundo vasis acceptum, haud est ita pronè & crassè intelligendum. Ego tria in eo considero, & requiro. Vnum est, forma vasis: Alterum, modus califaciendi. Tertium, tempus calefactionis.

Primò, Arist. ponit in exemplo nomen genericum *vasa*, quod tamen melius accipio pro specie vasis, idest ollis, aut alijs eiusmodi figura constructis, (quamuis in quocumque alio vase id possit fieri, sed minus expressè) quæ fundum habent angustiorem: partem autem mediam, (quam ventrem ollæ appello,) habent laxiorem: supremam non ita laxam, vt in ollis cernis. Ob id fortasse Arist. notanter dixit in quæstio 8. fundi vasorum, *quibus calefacimus aquam*: innuens vasa domestica, quibus quotidie vtimur.

Secundò, est modus dictam aquam calefaciendi. Non enim debet vas, siue olla superimponi igni, ita vt ignis, eiusue flamma actu feriat fundum vasis. Quippe tunc impossibile existimo, quod fundus non incalesceret; & quod possit quispiam supposita manu, vas illud innoxiè sustinere, vt posse fieri asserit Arist. in quæstio 5. *fundo sustinens deportare*: Sed debet poni à latere, vt vides apponi ollas ad ignem: Præterea exigo, vt sub fundo ollæ nullæ subsint prunæ; Sed tota calefactio à latere illius ollæ celebretur.

Tertiò, specto tempus: Vel enim loquimur, quando aqua incipit calefieri: vel cum iam calefactio est progressa, & vt ita dicam, explicata. Quibus positis res ita fit.

Dum olla aquæ plena applicatur igni, & aqua incipit alterari, citius calefit aquæ pars, quæ in c 11.
fundo, & circa fundum existit, quàm quæ est in ventre ollæ: quia illa est mole minor, & in loco angustiori: ista autem est quantitate maior, & in loco longè capaciori. Supponamus itaque, aquam circa fundum incaluisse vt vnum: tunc aqua mediæ partis vix intepescit. & vt Philosophus ait, aqua est *frigidiuscula*:

Præterea, pars circa fundum existens, iam calefacta nititur sursum emergere: impeditur autem, & repellitur ab aqua mediæ partis, quæ respectu aquæ in fundo existentis est frigida. Hinc prior illa aqua retrocedit, atque contrahitur, & fit ibi quædam antiperistasis, ideoque intenditur in ea calor, sitque vt duo, vel etiam vt tria calida. Et quamuis suprema etiam illa pars citius calefiat, quàm inferior illa, cum illa sit & quantitatis minoris, & loci angustioris, quàm pars media: tamen in parte illa suprema fit exhalatio: nec interuenit vlla circumobsistentia, quemadmodum fit in parte infima. Propterea in illa calefactionis principio absoluté pars infima aquæ est quacumque alia calidior. Et tunc sentitur fundus ollæ calidior.

Postea verò etiam media aquæ pars vincitur ab eodem igne: inde effunditur calefactio per totam aquam: & calor infimæ partis dudum cohibitus erumpit validiùs: & omnes calidiores partes aquæ petunt superna. Partes autem eiusdem aquæ crassiores, ac terreæ subsident: ac veluti repelluntur versus fundum: vnde ebulliente aqua in parte superiori, fundus ollæ non est feruidus. Tunc citra noxam poteris manu fundo ollæ supposita, eam de vno in alium locum deferre. Hæc vberius lubuit explicare, quoniam non vidi, qui rem hanc syncerè attigerit.

CIV. Quod autem feruent oleum (quod erat alterum exemplum in eodem argum. adductum) infusum papyro, quæ igni imposita haud comburitur, ideo contingit, quia papyrus est valdè sicca ac tenuis substantiæ: ideircò infuso illo oleo imbuitur, fitque veluti quoddam corpus vnctuosum. Ac proinde quod in eo est liquidum ac subtile, cuiusmodi est oleum, feruet: quod autem est solidius, cuiusmodi est papyrus, non feruet: tamen valdè calefit. Impeditur verò comburi propter olei vnctuositatem, vt etiam videtis in stupa candelæ. Verùm de hac conditione hæc satis: superest vt de quarta, ac vltima conditione duo verba dicamus.

Quomodo in causa efficiente requiritur dissimilitudo ad effectum.



CV. AN simile possit in aliud omninò sibi simile agere, necne, ea instituto examinaui in lib. 1. de Ort. & inter. circa tex. 48. Nunc paucis accipe, quod agens per se ac proximum, & passum possunt spectari, aut in principio actionis, aut in fine actionis. Spectata in fine actionis, sunt similia, cum institutum agentis in agendo sit, reddere passum sibi simile, & facere aliud quale ipsum. Sed tunc minus propriè dicitur agere. Siquidé quando reddidit passum sibi simile, cessat eius actio.

CVI. Spectata verò in principio actionis, adhuc geminu modo considerantur, videl. aut actu, & ratione formæ: aut potentia, & secundum materiam. Agens, & passum sumpta secundum materiam, neque similia, neque dissimilia censenda sunt, quia similitudo oritur ab aliqua forma. Sed potius conueniunt in vna materia: Nam nisi in vna materia conuenirent, omninò neque agere, neque pati inuicem possent: *in quibus enim est agere, & pati, horum necesse est, vnam esse materiam*, iuxta decretum Philosophi in primo de ort. & inter. tex. 48.

Accepta autem ratione formæ, necessario agens, & passum debent esse dissimilia: quinimo contraria: tum quia actio versatur inter contraria: tum quia generationes sunt ex contrarijs. Et quia vnum quodque agit in quantum est actu, & per suam formam, ideò propriè, & absoluté dicendum est, agens exigere dissimilitudinem ad passum, vt agat: Hæc determinatio est Aristotelis, tum secundo de Anim. tex. 5. tum in primo de ort. & inter tex. 48. tum alibi sæpe. Atq; de causa effectrice hæc satis.

QVAESTIO SEXTA.

De fine, siue de causa finali.



FInis vno quidem modo appellatur extremum cuiuscumque rei, quod illam rem finit, terminatque: quo pacto punctum terminatiuum est I.
finis lineæ, peroratio est finis orationis, & mors vitæ. Hic finis non est causa finalis, de qua nunc verba facimus, sed opponitur principio, à quo res incipit esse. Sic Arist. quinto Metaph. cap. 3. *principium*, inquit, *motus, fini oppositum est*. Alio modo finis est, cuius gratia, sine propter quem, alia suscipiuntur, & fiunt. Hic existimatur esse bonum, & optimum. De hoc instat dicendum. Hanc finis distinctionem indicauit Philosophus in tex. 23. huius lib. illis notis. *Finis non est omne vltimum, sed quod optimum.*

Quamuis autem causa finalis absolute sit omnium causarum prima, vtpote quæ excitat, ac determinat agens, tum vt disponat materiam, tum vt II.
educat formam: vnde etiam Stagirites, in primo de Partib. animal. cap. 1. expendens, quænam ex quatuor causis habenda sit prima, quæ verò secunda, *principatum sanè*, inquit, *illa obtinere videtur, quam sub hoc verbo, cuius gratia, significamus*. Nihilominus optima methodo tractari debet vltimo loco.

Primò, quia eius natura, & causatio est apprimè obscura: quocirca ab explicatione cæterarum causarum manu ducimus ad istam.

Secundò, quia quamuis causa finalis in intentione agentis sit omnium causarum prima, in executione tamen est vltima.

Tertiò, quia hæc causa aut fuit neglecta, aut ignota multis prisca Philosophiæ. Ob cuius ignorantiam in varios errores lapsi sunt, vt testatur Arist. in primo Metaph. c. 3. Ideircò diligenter explicanda est. Vt igitur hic eundé ordiné teneamus, quẽ in alijs quoq; causis explicandis tenuimus, quæro.

SECTIO PRIMA.

Variæ finis deuisiones.



PRæcipuæ causæ finalis partitiones sunt, quas hic subij-
III. cio. Primò, finis alius præexistit ante motum: alius est in mente agentis. Proinde prior intenditur non vt efficiendus, sed vt obtinendus. Sic centrum Vniuersi est finis in motu grauium, & locus sursum in motu leuium. Grauia quippe mouentur gratia acquirendi locum deorsum, & leuia locum sursum. *Nam actus ipsius leuis est alicubi esse, & sursum*, ex octauo Phys. tex. 32. Ita nummi sunt dici solet finis hominis auari, qui finis etiam dicitur finis obiectiuus, de quo inferius. Posterior verò finis intenditur ab agente, vt efficiatur, veluti sanitas est finis deambulationis. Hæc diuisio iacet in vndecimo Metaphi. cap. 6. & explicatur à S. Thom. 3. contr. Gent. capite 18.

Secunda diuisio, eaque satis celebris est, quod alius est finis Cuius, alius finis Cui. Prior est res
IV. illa, ob quam consequendam immediatè mouetur agens ad operandum, veluti sanitas, cuius gratia æger deambulat, aut sumit potionem amaram. Finis autem Cui est persona, siue subiectum, cui intendimus acquirere finem Cuius, vt homo, cui intendimus sanitatem. Hæc diuisio est apud Arist. in hoc lib. text. 24. & lib. secundo de Anim. text. 36. Finis Cuius appellari quoque solet, *finis quod*, vel finis *qui*: videl. qui debet acquiri. Finis verò Cui, etiam dicitur *finis quo*, vt etiam vertit Argir. sed sanè melius exprimunt vim horum finium illæ notæ, finis Cuius, & finis Cui.

Circa hanc diuisioné controuertitur inter Doctores, vtrumne vterque hic finis dicendus sit verè ac propriè finis, an non?

Qua in re sunt qui altercando in contraria currunt. Gabriel in 2. distin. 2. quæst. 1. cum Ocham in eadem dist. quæst. 3. Henric. Quodlib. 2. quæst. 8. concidunt, solum finem Cui esse finem verè ac propriè: Finem autem Cuius se habere veluti secundario, & instrumentaliter.

Quæ quidem opinio potest suaderi primò, quia Philosophus secundo Metaph. tex. 8. explicans fi-
V. nem, *& ipsum cuius gratia*, ait, *esse tale, quod non est alicuius gratia, sed eius causa cætera*. Hoc verò non cõpetit nisi fini Cui: Hic enim solus non est causa alterius: Finis autem Cuius procul dubio appetitur gratia finis Cui: Secundò, ille est verè finis, in quo intentio agentis quiescit: Huiusmodi autem est solus finis Cui. Quippe tunc solum intentio, & operatio ægri, ac medici quiescunt cum ægro sanitas acquisita est, non autem prius.

E contra alij asseuerant, solum finem Cuius esse verè ac propriè finem: Finem autem Cui censeri potius subiectum. Quod probant. Primo, quia nos sumus finis Cui: At nos non sumus propriè finis, sed quodãmodo finis: ait enim Arist. in hoc lib. tex. 24. *sumus & nos quodammodo finis omnium*. Secundò, finis Cui respectu finis Cuius habet rationem subiecti: At causalitas subiecti ad ea, quæ in eo sunt, non est in genere causæ finalis, sed in genere materiæ: quare finis Cui non est propriè finis, sed solus finis Cuius.

Nihilominus germanus Stagiritæ mens, & veritas ipsa est, vtrumque esse verè finem. Et quidem Arist. in tex. illo 24. hosce fines indicans ait, *du-* VI.
pliciter enim est id, cuius gratia. Et in secundo de Anim. tex. 36. *dupliciter dicitur ipsum cuius gratia, & Cuius, & Cui*, ergo vtrumque censuit esse verè finem. Et ratio etiam est manifesta, quia vterque hic finis excitat voluntatem, & mouet ad eligenda media ad sui consecutionem.

Porrò vt rem hanc penitus introspicias, scito, duos hosce fines posse considerari, tum seorsim, tum iunctim. Si considerentur seorsim, ac partialiter, tunc finis Cuius concipitur tanquam forma quędam & perfectio. Finis autem Cui apprehenditur veluti subiectum. Vnde vterque hic finis in suo genere est quid vltimum: quemadmodum, si materiam, & formã V.G. equi concipias de se, & partialiter, vtraq; in suo genere est prima, ita vterque hic finis in suo genere, (quod enim in principijs est primum, id in finibus est vltimum) est vltimus. Secundò dicti fines coeunt in vnum: & ex vtroque fine Cuius, & Cui, coalescit vnus integer ac totalis finis, adeò vt quemadmodum ex forma, & materia fit compositum naturale, sic suo modo ex fine Cuius tãquam ex forma, & ex fine Cui tanquam ex subiecto fiet vnus adæquatus ac totalis finis, qui est, V. G. (homo sanus,) & hic totus mouet voluntatem ad eligenda media, vt deambulationem, medicinam, sectionem venæ, idque genus alia ad consecutionem sui.

Ex his vides, quomodo finis Cuius non ordinatur ad finem Cui tanquam medium. Tum quia medium, qua medium, nullo pacto est vltimum: Finis autem Cuius in suo genere est vltimus, vt nunc aiebam. Tum quia ex medio, & fine non conflatur vnum tertium totum. Ex his autem finibus conflatur vnus integer finis.

Hinc nonnulli cum Caiet. in 1. 2. quæst. 17. artic. 5. vt intimius indicent differentiam inter finem VII.
Cuius, & medium, adnotant, quod de medio dicimus, amo, seu volo hoc propter hoc: Cæterùm haud debet dici, amo, & volo sanitatem propter hominem. volo beatitudinem propter me, sed volo sanitatem homini: volo beatitudinem mihi, *quia sic explicamus totale obiectum motiuum voluntatis*. Adde, quod actus voluntatis, quo æger vult integrum hunc finem, potest referri, & partialiter ad finem Cui, quo pacto est actus beneuolen-

Digitized by Google

tiæ, aut etiam amicitiæ: & potest referri itidem partialiter ad finem Cuius, qua ratione est amor concupiscentiæ. Nos enim amamus nos ipsos amore amicitiæ: alia verò quæ ordinantur ad nos, amamus amore concupiscentiæ. Hoc est, quod ait S. Thom. in 1. 2. quæst. 26. art. 4. subiectum, cui amatur bonum, amari simpliciter: bonum autem quod illi amatur, tantum amari secūdum quid.

Ex his nullo negotio dilues argumenta pro prima illa opinione facta. Et quidem primum, quia Arist. loquitur eo loci de fine, vt absolutè est finis, non vt copulatur cum altero, sicuti hic contingit. Deinde, iam dixi, vtrumque finem, & Cuius, & Cui seiunctim spectatum in suo genere esse vltimum. Vltimum autem non ordinatur vlterius. Dilues secundum arg. quia intentio agentis adæquatè quiescit in toto illo conflato ex vtroque termino, vt nuper exposui.

Argumenta verò pro altera opinione inducta vim nullam habent. Ac primò quidem, quomodo homo sit naturaliter finis eorum quæ sunt, abundè declaraui in propria quæst. circa tex. illum 24. Illud autem *quodammodo*, haud est particula, vt aiunt, diminutiua, sed significat, quod entium quæ in mundo sunt, alij quoq; suppetunt fines, ac sumus etiam nos, sed alio modo ac sunt illi fines. Ad 2. iam dixi, quomodo finis Cui comparetur ad finem Cuius tanquam materia, & subiectum, ex quo, & altero fine consurgit vnus integer finis.

Tertia diuisio: Finis alius est vltimus, alius non vltimus: Prior est ille, gratia cuius alia fiunt, & qui
VIII. vlterius haud ordinatur ad alium finem. Qui rursus est duplex. Vnus quidam est vltimus in vno aliquo genere, veluti si dicas, *honorem esse finem vitæ ciuilis*, vt refertur in primo Ethic. cap. 4. Alter est absolutè vltimus, propter quem omnia omninò operamur, cuiusmodi est fœlicitas ipsa. *Nam id quod per se sectandum est, eo perfectius dicimus, quod propter aliud expetimus, quodque nunquam ob aliud eligendum est, in ijs quæ & per se, & ob aliud expetuntur, absolutè autem perfectum, quod semper per se, nunquam ob aliud expetendum est. Eiusmodi autem videtur fælicitas maximè esse. Hanc enim propter se ipsam, & nunquam ob aliud expetimus: At honorem, voluptatem, mentem, ac virtutem omnem etiam propter ipsa expetimus. quippe cum eadem expeteremus etiamsi nihil inde nobis eueniret: fælicitatis tamen causa etiam ipsa eadem expetimus, ex his fælices nos futuros existimantes: horum verò causa nullus fælicitatem, neque omninò ob aliud quippiam expetit*: inquit Stagirites in eodem primo lib. cap. 5. Finis autem non vltimus, ac intermedius ille est, propter quem immediatè fit aliquid, nihilominus ipse adhuc ad vlteriorem finem ordinatur, vt nummi sunt finis intermedius artificum:
IX. quippe ob eos laborant, quos deinde ordinant ad trahendam vitam. Hæc diuisio dicitur etiam esse in finem remotum, & proximum: accipitur autem ex Arist. in hoc lib. tex. 29. & secundo Metaph. capite 2. & lib. 1. Ethic. cap. 5.

Etiam hic extat altercatio de fine intermedio, an sit verè finis. Ratio dubitandi ea est, quia de ratione finis est, vt propter se ametur, & alia propter ipsum: ac proinde vt is non ametur propter alium. Manifestum autem est, finem intermedium non amari propter se, sed propter alium finem, ad quem ordinatur, quare absolutè non erit appellandus finis, seu causa finalis.

Quidam negant, alij distinguunt, vt videre est apud Suarez disput. 23. sect. 2. num. 14. & Vasq. 1. 2. disput. 4. Nihilominus dicendum est, finem non vltimum ac intermedium verè esse causam finalem. Ita Arist. locis nunc indicatis. De qua re omninò vidēda est expositio nostra ad tex. illum 29. Præterea, in primo Ethic. cap. 5. cum Arist. dixisset finem in medicina esse sanitatem, in arte militari victoriam, in ædificatoria domum, subdit, *Quoniam verò plures esse fines videntur, & horum quosdam* (audis?) *ob aliud expetimus, vt diuitias, tibias, instrumenta denique omnia, &c.* Deinde statim assignat alium finem vltimum, ac perfectissimum, qui est fælicitas: ergo censet intermedios fines re ipsa esse finem, & causam finalem.

Et ratio est euidens. Nam illa censenda est causa finalis, ob quam alia fiunt, vt ambulatio ob sanitatem. *propter quid enim ambulas? vt sanetur. & cū ita dicamus, putamus causam reddidisse*, ait Philosophus quinto Metaph. cap. 2. At sanitas est finis intermedius. quandoquidem finis vltimus constitutus est ab eodem Aristotel. ipsa fælicitas. Quid verò? etiamsi dederis, sanitatem esse finem vltimum, adhuc ad eam tuendam vtimur, si opus est, inanitione, & vt Arist. loquitur, *ἰσχνασία* macie: propter hanc autem vtitur diæta, purgatione, scissione venæ, exercitio: ergo inanitio est causa finalis, &c.

Argumentum autem in contrarium factum non concludit. In fine duo possunt considerari. Vnum X.
quod sit id, gratia cuius alia fiunt: & hoc est commune omninò fini; & Arist. per hanc notam declarat finem. Alterum, quod ametur propter se. Quæ conditio vera est comparando finem ad sua media, quæ sanè non amantur propter se, sed propter aliud. Medium quippe qua medium, est alicuius extremi: & finis qua finis est mediorum finis. Cum igitur in argumento infertur, finis amatur propter se, ergo non propter aliud, proindeque non habet alium finem vlteriorem, committitur fallacia: quia in antecedenti finis accipitur comparatus ad media: in conseq. finis sumitur absolutè.

Adde, quod cum præfati auctores dicunt, finem amari propter se, si intelligunt, eum amari propter suam bonitatem, verum dicunt: quicumque enim finis bonum est, siue verum, siue apparens. Sin autem contendunt, ita amari propter se, vt non habeat aliquid aliud propter quod possit amari, falsum est. Hæc quippe conditio, quod ita ametur, vt non habeat aliud vltra se, est propria solius finis vltimi, vt explicat Arist. in primo Ethic. cap. 5. Vt ergo de ratione causæ efficientis tantum est habere virtutem actiuam, non verò

quod

Digitized by Google

quod eam virtutem habeat sine subordinatione ad aliam causam efficientem, quia hoc non est de ratione efficientis in communi, sed de ratione Primi efficientis, & ideò causæ secundæ est vera causa efficiens: Et similiter de ratione principij conclusionis tantum est, habere vim, vt ex illo inferatur conclusio, non autem quod illud non sit illatum ex alio principio, in cuius virtute inferat conclusionem, quoniam hoc est solum de ratione primi principij, ita de ratione finis tantum est habere aliquam bonitatem, quæ ratione sui expetatur, quamuis eam bonitatem habeat cum subordinatione ad aliam vlteriorem ac excellentiorem bonitatem. Hoc ipsum clarissimè vides in genere intermedio, quod verè est genus, nihilominus habet aliud genus supra se.

II. Quarta diuisio. Finis alius dicitur obiectiuus: Alius formalis. Ille appellari quoque solet finis *qui*: Hic verò finis *quo*. Finis obiectiuus est res aliqua, siue obiectum, in quo inuenitur ipse ratio, quæ appetitur. Finis formalis est acquisitio, siue possessio talis rei. V. G. Diuitiæ sunt finis obiectiuus eius, qui ditari intendit: adeptio verò, possessio, ac fruitio earundem est finis formalis. Ita Doctores nostri in beatitudine aiunt, finem obiectiuam esse ipsum Deum: finem formalem esse facialem eiusdem visionem, ac fruitionem. Hæc diuisio traditur à S. Thom. 10 prim. part. quæst. 26. art. 3. ad 2. & 1. 2. quæst. 1. art. 8. & eam accipit ex Arist. quinto Metaph. cap. 2. Ex quibus, vides, quomodo finis obiectiuus præsupponitur ante actum agentis, quod propter finem illum agit: antequam enim possideam, aut intendam nummos, ipsi sunt: sunt verò non vt à me possessi, sed tantum vt res quædam, Finis autem formalis fit ab ipso agente. Id etiam edocuit D. Thom. in 1. 2. quæst. 11. art. 3. ad 3. quod vterque hic finis in vnum coit, atque ex vtroque conflatur totum quippiam, quod est causa finalis, ob quam agens operatur.

III. Quinta: Finis alius est operis: alius operantis. Et quidem finis operis est ille, ad quem ipsum opus ex sui natura ordinatur. Sic in scientijs speculatiuis finis operis est cognitio veritatis, vt constat vel ex ipso Philosopho secundo Metaph. tex. 3. & finis operis extruendæ domus est habitatio. Finis autem operantis ille censetur, ad quem opus ex solo agentis arbitrio ordinatur, veluti cum quispiam addiscit scientias speculatiuas, vt lucretur & erigit ædificia ob inanem gloriam.

IIII. Sexta: Finis alius est ipsamet agentis operatio: alius qui per operationem producitur. Primus est vt pulsatio cytharæ, aut numerosa saltatio. Quippe qui cytharam tangit, finem sibi figit ipsam cytharizationem: quam deinde potest vel ad delectationem, vel ad lucrum dirigere. Secundus verò finis conspicitur in sanitate, quæ ex curatione consurgit: aut in domo, quæ fit ex ædificatione. Diuisio sumitur ex Arist. lib. 1. Ethic. cap. 1. & libr. itidem 1. Mag. moral. cap. 3. Sunt adhuc aliæ quędam finium partitiones, et non vsqueadeò in frequenti vsu r ob id consulto eas omitto.

SECTIO SECVNDA.

Finis estne causa realis physica, an non?



Nihil est inter doctrinarum edulia vsqueadeò sanum, quod in aliquo, an feruidiore, an crudiore stomacho, non possit prauè alterari. Finem esse veram causam, & quartam inter causas physicas, post Aristotelis diem communiter suscepit omnis subsecuta ætas; Nihilominus adhuc reperti sunt, qui negent, finem esse causam realem physicam, sed contendunt esse causam moralem. Ita tuentur in schola Scoti multi, quos allegat Mastr. in Phys. dispnt. 7. quæst. 8. art. 3. conclus. 2. & art. 5. & ipse etiam statuit, nullum finem esse causam realem physicam, sed esse causam moralem. Atque ita colliguot ex Scoto tum alibi, tum in 1. dist. 2. quæst. 2. XIV.

Quæ sententia suadetur primò. Causa realis in actu duo importat; videl. entitatem causæ, in qua fundamentaliter dicitur causa: & causalitatem realem, quæ consistit in relatione ad effectum: Finis, vt actu causat, neutrum ex his dicit reale: quare neutiquam erit causa realis. Minor prob. Et quod non dicat entitatem realem, ex eo suadetur, quia finis est actu causa vt habet esse obiectiuum in intellectu, sed esse obiectiuum non est ens reale actuale: alioquin quando concipio chimeram, illa esset ens reale actuale. Neque dicit caulalitatem actualem, quæ sita est in relatione, quia relatio requirit suum fundamentum in actu: non enim potest esse maioris entitatis fundatum, quàm fundans: Hic autem nullum adest eiusmodi fundamentum: ergo neque relatio. XV.

Explicatur magis, Causa realis debet referri realiter ad suum effectum: *nam causæ actu existentes, & singulares, & ea, quorum sunt causæ, simul sunt, & non sunt*, ex secundo Phys. tex. 37. At finis, dum causat, non existit. Quod autem non existit, referri nequit, quare finis non erit causa realis. XVI.

Secundò, Causa realis ac physica influit realiter ac physicè in effectum, vt supra quæst. 1. sect. 4. dixi: Finis hoc pacto influere nequit. Quod ostendo. Nam aut influit quando est in rerum natura, & hoc dici non potest, quia cum finis est, iam cessat operatio agentis, & est iam ipsum opus, siue effectus productus: quare tunc non influit. At neque influit quando non est, quia quod non est, qui vnquam potest quicquam influere? Quippe fundamentum totius operationis, ac proinde causalitatis,

que

Digitized by Google

que influxus est ipsum esse. Adde, quod influxus physicus, exposcit contactum physicum. Quod autem non est profecto nullum potest habere contactum, ergo nullum etiam influxum.

Tertiò, Quod mouet tantum metaphysicè, non est causa realis physica, sicut neque ea quæ dicuntur ridere metaphoricè, rident verè ac physicè: & homo dictus metaphoricè, non est homo verus ac physicus. Finis autem, auctore Philosopho in primò de ort. & inter. tex. 55. mouet metaphoricè: *Nam sanitas non est effectiua, nisi secundum metaphoram*. ergo finis non est causa realis physica.

Syncera tamen veritas est, finem, siue causam finalem, esse veram, realem, ac physicam causam. Ita Philosophus in hoc secundo lib. tex. 28. & tex 70. & primo Metaphys. cap. 3. & lib. quinto capite 2. quibus in locis probat, quatuor esse genera causarum physicarum, inter quæ enumerat finem. Ita deinde interpretes Græci, Arabes, Latini, vno ore. Quocirca superuacaneum duco, quemquam ex nomine recensere. Adi, si lubet, P. Suarez disput. 23. Metaph. sect. 1. Conimbr. in hoc libr. cap. 7. quæst. 20. qui complures commemorant, & sequuntur.

Pro cuius rei intelligentia scito, finem accipi, aut qua est in intentione agentis, aut qua est in exe-
xvii. cutione rei, qui etiam dicitur finis secundum esse: finis hoc secundo modo acceptus, non est causa vllo pacto. Primò, quia causa est principium motus, est origo actionis, est prior effectu. Finis autem in executione, & secundũ esse, est terminus motus agentis: est postremum actionis eiusdem: ac est ipsemet effectus agentis. Secundò, quia causa omninò debet influere in effectum. At finis secundum esse, quando iam est à parte rei non influit, sed potius est id, in quod concursus aliarum causarum tendit, quemadmodum in quolibet fine potes considerare. Sic ergo finis non est causa.

Sed est causa consideratus primo modo, quatenus videl. est in intentione agentis, atque re vera excitat, allicit, & mouet ipsum agens ad operandum.

Prob. Primò. Causa vera ac realis, vt supra quæst. 1. sect. 2. exposui, est ea, propter quam est
xviii. aliud. Manifestum autem est, propter finem esse, ac fieri alia. Quippe si quæramus, cur, seu propter quid aliquis deambulet: aptè respondentes dicimus, *vt sanus sit: & ita locuti opinamur assignasse causam*, inquit Arist. in hoc lib. tex. 29. & quinto Metaph. cap. 2. Profectò particula illa, propter, causam denotat, cum vnaquæque res sit propter suam causam, vt constat & primo Post. capite 2. Quod si deambulatio est effectus realis ac physicus, eius causa, propter quam ea fit, vtique est realis ac physica.

Secundò, Agens physicum, præsertim verò spontaneum, aut liberum, potest elicere varios effectus physicos, veluti homo potest ædificare, & destruere. Ad huiusmodi autem effectus tale agens est indifferens: quare necessariò debet physicè determinari ab aliqua causa, vt potius hunc, quàm illum effectum producat: alioquin, cum à causa indifferenti, qua indifferens est, nunquam egrediatur determinatus effectus, illud agens nunquam operaretur. Constat autem id à quo ita determinatur: esse finem. Si igitur finis, à quo agens reale ac physicum, determinatur physicè, ad producendum effectum physicum, non est causa realis, ac physica, profectò neque Sol lucet.

Huc facit etiam alia ratio desumpta ex ordinatione causarum ad inuicem, vt optimè arguit S. xix.
Thom. in 1. 2. quæst. 1. art. 2. quia causæ ita sunt sibi inuicem ordinatæ, vt si prima subtrahatur, necesse sit alias etiam subtrahi: Prima autem inter omnes causas est causa finalis. Quod ita sit manifestum, quia materia non consequitur formam, nisi secundum quod mouetur ab agente: nihil enim reducit se ipsum de potentia ad actum: Agens autem non mouet, nisi ex intentione finis: Quippe si agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc, quàm aliud. Cum itaque id à quo determinatur, sit finis, profectò hic est vera, realis, ac physica causa.

Superest in nobis ipsis sensata experientia. Quisque enim nostrum rationabiliter operans, agit ob certum aliquem ac præconceptum finem; in quem veluti in scopum suas operationes dirigit: Et quod magis est, siue ille finis sit re ipsa bonus, siue solum apprehensus vt bonus: vnde homo excitatus physicè ad illius consecutionem, inquirit media, disponit, laborat, vigilat, torquetur. Quid non suffert æger, quo amissam sanitatem recuperet? Quæ incommoda non subit alius pro paruo lucello, aut caduca gloriola? Quod si media, labores, atq; effectus sunt in rerum natura reales ac physici, ambigis, quod etiam motio, & causa ob quam exercentur, sit realis ac physica?

Pro solutione autem argumentorum aduerte, finem in intentione necessariò esse quoddam xx.
bonum, siue verum, seu apparens. Qui intellectu finis ab Aristotele sæpenumero nuncupatur, *id quod optimum*. Et sanè nisi finis apprehendatur vt aliquod bonum, nunquam voluntas ad operandum excitabitur: cum nemo ad malum intendens operetur. Ratio quoq; huius rei à priori ea est, quia voluntas est potentia, vt dici solet, cæca: ob id manuduci debet ab intellectu. Hic itaque apprehendit aliquid ceu conueniens, amabile, appetibile, vno verbo ceu bonum, nam *bonum omnia appetunt*. Et vt tale proponit voluntati, & dictat esse prosequendum: Tunc voluntas ab eo excitata, optat illud bonum; & imperat alijs potentijs ad operandum propter consecutionem illius boni. Huc spectat illud Auerr. dictum, quod *balneum in anima est agens desiderium*: idest, balneum non excitat sui desiderium, quà est res aliqua in rerum natura existens, sed quà est in mente, siue in intentione.

Quod si finis in intentione est aliquod bonum, ergo est aliquod ens reale. Profectò mera fatui-

tas

Digitized by Google

tas esset operari, finem, qui in intentione agen-tis degit, & ipsum agens verè impellit ad operandum, esse nihil, aut esse ens rationis. Finis itaq; est bonum, & ens reale. Istud bonum, & ens reale est fundamentum causalitatis, & relationis causæ finalis.

Præterea scito, hoc bonum, & ens reale, idest finem in intentione, dupliciter posse considerari. Vno modo in actu primo, & quasi speculatiuè: Altero in actu secundo, & practicè. Explico: quando quis apprehendit sanitatem, eamque contemplatur, quod bona, quod optabilis, quod cum ea reliqua & animi, & fortunæ bona florent, absque ea pessum eunt, sanitas est causa in actu primo: Quando deinde actu mouet ad vocandum medicum, ad potionem amaram, & alia media ad consecutionem finis, est causa in actu secundo. Itaque finis in actu primo est res proximè apta dicere relationem: Finis in actu secundo dicit actu relationem ad effectum, de qua re mox vberius audies.

xxi. Et his dilues non modo argumenta initio sectionis pro contraria parte inducta, sed complura etiam alia: Ad 1. negandum est, finem in intentione non esse ens reale, & non posse dicere relationem ad effectum. Iam enim exposui, quomodo finis intentus in actu secundo actu habet effectum. Quod verò de chimera in eodem argomento obijcitur, quod videl. si esse obiectiuum in intellectu est ens reale, ergo chimera animo concepta erit ens reale actuale, occurrendum est, quod si concipiatur veluti quoddam animal, est in animo aliquid reale, at non est tale quippiam à parte rei.

Hinc soluta quoque manet confirmatio ibidem adiecta, quod finis dum causat, non existit: distinguendum enim est. Non existit à parte rei, fateor; existit tamen in intentione. Et hoc etiam pacto verè ac physicè influit. Quæ est solutio etiam secundi argumenti.

Ad 3. respondeo, esse malum interpretem eum, qui non accipit totam Auctoris sententiam, sed rapit tantum frustum illius, & ex illo conatur suam imaginationem colligere. Arist. in tex. illo 55. in argum. inducto, non ait, absolutè finem mouere metaphoricè, sed comparat finem cum causa effectiua, & ait, finem in comparatione effectionis mouere metaphoricè. Cuius afferti ratio ea est, quia causa efficiens mouet, vi à parte rei in se ipsa existit: vnde eius causalitas eius est manifesta: Finis autem non mouet vt in rerum natura existit, sed prout degit in mente, alliciendo ac impellendo agens. Ex quo tamen non sequitur, finem non esse causam veram ac physicam. Accipe integram Philosophi periodum. *Est enim effectiua causa, vt vnde principium motus: cuius autem gratia, non effectiua. Ideò sanitas non est (audi) effectiua, nisi secundum translationem.*

SECTIO TERTIA.

Per quid constituitur causa finalis tum in actu primo, tum in actu secundo.



Vm determinatum hucusque sit, finem esse causam realem physicam, quæ ratio in fine est communis, ac veluti generica, quia etiam reliquæ tres causæ sunt reales ac physicæ, consideranda deinceps veniunt ea, quæ sunt huius causæ propria, quemadmodum in alijs etiam causis præstitimus. xxiii. Primò itaque videndum occurrit, quæ sit ratio, quæ veluti forma quædam constituit causam finalem in actu primo, & est illi ratio vt possit causare, & finalizare. Cum enim eademmet res V. G. eadem forma valeat esse & causa formalis, & causa efficiens, & causa finalis, vt colligitur ex hoc secundo lib. tex. 70. docendi methodus exigit, vt rationem assignemus, sub qua ea res est finis, & ab alijs causis discriminetur. Hoc autem est quærere, vt nonnulli loquuntur, quænam est finis causabilitas? Secundò, inquirenda est actualis eiusdem finis causatio, quæ propriè dicitur causalitas. Tertiò, explicare oportet, qui sunt effectus finis. Quartò, denique quas conditiones exigit finis, vt actu causet. Duo priora complectar in hac sectione: reliqua in sequ.

Explicatur duplex ratio, scil. radicalis, & proxima, constitutiua causa finalis in actu primo.



Vod igitur ad primum spectat, scire oportet, quod quemadmodum causa V. G. efficiens, spectata in potentia, siue in actu primo, constituitur per duo principia ordine quodam inter se subordinata, quæ xxiv. sunt illi rationes agendi, ita vt vnum principium sit radicale, & est forma substantialis agentis: Alterum proximum, & est eiusdem agentis vis ac facultas, aut etiam habitus, vt in quæst. praced. sect. 3. exposui: Et quemadmodum in materia prima est itidem duplex potentia, vna radicalis, proxima altera, vt quæst. 3 sect. 3. dixi, ita nunc inquiro, num in fine hæc duo principia oporteat assignare, & quæ illa sint.

Dico

Dico 1. In fine possunt ac debent assignari duæ rationes causandi, constitutiuæ finis in actu primo, quarum vna est radicalis, altera est proxima.

Quæ assertio ex eo suadetur, quia finis est causa realis physica, sicuti sunt reliquæ tres causæ: ergo sicut in illis distinguntur dictæ duæ rationes causandi, constitutiuæ illarum, ita possunt ac debent poni in fine.

Dico 2. Ratio causandi radicalis in fine, & quæ in causa efficienti respondet formæ substantiali, est bonitas obiectiua: Ratio autem causandi proxima eiusdem finis, quæ respondet facultati eiusdem efficientis, est appetibilitas. Itaque finis constituitur causa in actu primo, aptus ac potens finalizare per hæc duo, videl. bonitatem, & appetibilitatem.

xxv. Quæ assertio ex eadem proportione ad causam efficientem colligitur. Nam quemadmodum in agente, V. G. in igne, consideratur primò, quod sit quoddam ens: deinde, quod sit tale ens, aptum comburere, id quod habet ab hac forma: postremò, quod ex ea forma dimanet talis potentia, nempe calor; ita in fine, primò apprehenditur quod sit quædam entitas: Deinde, intelligitur in eo bonitas, tanquam affectio quædam & forma illius. Nam licet ens, & bonum conuertantur, tamen entitas concipitur tanquam fundamentum, & stratum quoddam: bonitas autem se habet veluti affectio illius. Postremò, à bonitate fluit appetibilitas. Et quia entitas est communis cuiuscumque rei, reliquæ duæ, idest bonitas, & appetibilitas, erunt propriæ, & constitutiuæ finis, eo ordine, quo dixi.

Præterea prob. Et quod bonitas sit constitutiua finis, & sit illi ratio causandi, habes ex Arist in hoc lib. tex. 23. & lib. secundo Metaph. cap. 2. & lib. primo Ethic. cap. 7. affirmante, *non omne vltimum esse finem, sed optimum*. Et in tex. 31. huius lib. aliæ causæ, inquit, sunt *vt finis, & bonum aliorum*. Et in primo Ethic. cap. 1. *bonum est, quod omnia appetunt*, ergo ratio propter quam est finis, & propter quam appetitur, est eius bonitas. Ita etiam docet S. Thom. in 1. 2. quæst. 1. art. 1. quo loci ostendit, idem esse hominem operari propter finem, quod operari propter bonum: quia *obiectum voluntatis est finis, & bonum*. Et in prim. part. quæst. 5. art. 4. probat, bonum habere rationem finis, & in respons. ad 2. de causalitate finis explicat tritum illud effatum, *quod* bonum est diffusiuum sui, *bonum*, inquit, *dicitur diffusiuum sui esse eo modo, quo finis dicitur mouere*. Atque hic est communis Doctorum consensus.

xxvi. Ratione etiam prob. Essentia finis in eo posita est, vt in nobis moueat, & alliciat ad se voluntatem. At nihil potest mouere, & attrahere ad se voluntatem nisi bonum. Quod sic ostendo. Ita obiectum voluntatis est bonum, sicut obiectum intellectus est verum: Nihil autem potest trahere ad se assensum intellectus nisi verum, siue sub ratione veri: impossibile enim est, intellectum assentiri falso, vt falsum est, ergo impossibile quoque est, aliquid mouere, & attrahere ad se voluntatem nisi bonum, siue sub ratione boni. Huc spectat vulgatum illud, quod *Nemo intendens ad malum operatur*. Constat, itaque, bonitatem esse constitutiuam finis, eidemque esse rationem finalizandi in actu primo.

Quod autem bonitas in fine sit radicalis ratio, appetibilitas verò sit ratio proxima, vt in eadem assertione adieci, ex eo mihi persuadeo, quia appetibilitas oritur à bonitate veluti quædam affectio illius. ideo namque appeto, quia est bonum. Quæ duo, videl. bonum, & appetibile, distinxit etiam Arist. in primo Phys. tex. 81. dum formam appellat diuinum quoddam, *bonum, & appetibile*.

xxvii. At non omiserim te commonere, quod quantum ad radicem, ex qua oritur in fine appetibilitas, est differentia inter Doctores. Quidam dicunt, appetibile non oriri solum à bonitate, sed proficisci tam à bono, quàm à malo: propterea quod opinantur, voluntatem nostram posse velle, atque appetere tam bonum, quàm etiam malum, sub ratione mali. In qua sententia fuit Ocham in 3. quæst. 13. dub. 3. & inclinat etiam Scot. in 1. distin. 12. quæst. 4. & in 2. distin. 43. quæst. 2. Alij aiunt, appetibile vtrique non oriri à bono, & à malo, quoniam malum, qua malum, appeti, & intendi nequit, sed oriri à bono, & ab indifferenti quoniam existimant, præter res bonas, & malas, dari alias indifferentes. Quas quidem opiniones examinare non est huius instituti; idcircò in præsens ceu firmum ac ratum suppono, voluntatem non posse velle, aut appetere nisi bonum: malum autem, qua malum, nunquam. Et omnem finem esse bonum; sine deinde sit bonum verum, siue solum appareat, nil refert: Quippe *differt nihil idem dicere bonum, vel apparens bonum*, inquit Philosophus in tex. 31. huius lib. Et hic est *consensus omnium rectè sentientium*, ait Suarez in disput. illa 23. sect. 5. num. 3. Atque hæc de ratione constitutiua finis in actu primo, per quam efficitur aptus ac sufficiens ad causandum.

Quæ est causalitas finis, siue actualis eius causatio.



Longè maior ac implicatior stat difficultas, quid illud sit, per quod finis constituatur causa in actu secundo. Audiuerunt plerique omnes ex Aristotele in primo de ort. & inter. tex. 55. quod finis, & ipsum cuius gratia non mouet sicut causa effectiua, sed secundum metaphoram; vnde sic etiam ipsi passim loquuntur. S. Thom. in 1. 2. quæst. 9. artic. 1 & lib. 1. contr. gent. cap. 75. Auicen. 6. Metaph. tract. 5. cap. 5. Albert. 5. Metaph. tractat. 1. cap. 3. Scot. in 1. distint. 2. quæst. 4. deinde alij, qui pleno ore aiunt, finem mouere metaphoricè.

Iam

Iam verò supposito, quod finis sit causa realis physica, vt tertiò, ostendi, ac proinde quod eius motio metaphorica sit realis physica, adhuc explicandum incumbit, quid ea motio sit, & in quonam actu, aut quomodo fiat. Quæ res profectò abstrusa est, vnde diuersi etiam, ac multiplices dicendi modi sunt exorti: quos omnes referre extra rem duco, quia multi eorum rem non attingunt. Si cui lubet, adeat P. Suarez in disput. illa 23. sect. 4. Conimbr. in hoc lib. cap 7. quæst. 21. & Auers. quæst. 13. de causis, sec. 5. Equidem tres celebriores subijcio, deinde quid ipse existimem, explicabo.

xxix. Primus, & quidem satis celebris dicendi modus est, quod causalitas finis nihil aliud sit, quàm ipsemet actus, siue actio interna voluntatis, in quantum gratia finis elicitur. Ita Suarez in disput. nunc indicata sect. 4. Adhæret Ruu. hic tract. 5. quæst. 3. & pro ea refert multos alios.

Quæ tamen sententia mihi videtur apertè falsa. Primò, Voluntas est potentia passiua: ergo debet actu excitari ab aliquo, vt actu operetur: Sed actu excitatur à fine: quare finis intelligitur actu causa, antequam sit actus Voluntatis: ac proinde repugnat, quod finis constituatur actu causa, siue quod eius causalitas sit ipse actus voluntatis. Conseq. prob. quia aliàs id quod est prius, & causa actu, constitueretur per id quod est posterius, & effectus.

Secundò, Causalitas finis est allectio, & attractio, atque ea quidem realis, ac physica, vt supra patefeci; per quam finis, vtpote bonus, & appetibilis, allicit, attrahitque voluntatem ad sui amorem. Hæc propositio de se manifesta est. Sed actus voluntatis, in quantum elicitur propter finem, formaliter non est allectio, & attractio, sed formalissimè est operatio rei iam allectæ, & attractæ, idest voluntatis, quæ à fine mouetur, atque attrahitur, vt operetur. Hæc etiam enunciatio est clara: ergo repugnat, vt causalitas finis sit ipsemet actus, siue operatio voluntatis. Profectò saltem ordine naturæ omninò præcedere debet motio, & excitatio alicuius in aliquam rem, deinde est ea res mota, & excitata: & postea est actio ab illa ipsa re mota & excitata profecta. Motio, & excitatio in voluntatem fit à fine, ergo hic omninò præcedit, saltem ordine naturæ voluntatem motam; & multò magis actum illius: ergo impossibile est, quod actus voluntatis sit actualis causatio finis.

xxx. Tertiò, Si causalitas finis est actus internus voluntatis, quatenus elicitur propter finem, sequitur, etiam actum externum, V. G. deambulationem factam propter sanitatem esse causalitatem finis. Hoc autem nemo dederit: quare neque illud, ex quo illud consequitur. Consecutio prob. Nam actus ille internus voluntatis est causalitas finis, iuxta eam sententiam, in quantum producitur propter finem: Atqui etiam deambulatio producitur propter sanitatem, quæ est finis, ergo etiam deambulatio fuerit causalitas finis.

Nec dici potest, vt nonnulli occurrunt cum Suario, quod deambulatio est actus à voluntate imperatus; Modo ex actu elicito voluntatis, & ex actu imperato coalescit vnus integer actus in ratione actionis, siue in ordine ad causalitatem finis, & ab eadem causalitate totus oritur. Nam finem, inquiunt, mouere V. G. ad volendum scribere & ad scriptionem ipsam, non sunt duo, sed vnum, & idem; quia illa duo, videl. voluntas scribendi, & ipsa scriptio, ita sunt connexa, vt separari non possint.

Hoc nihil ijs opitulatur; imò euidentius sic vrgeo. Voluntas scribendi, & ipsa actualis scriptio; Volitio sanitatis, & ipsa deâbulatio, quæ fit propter illâ sanitatem, non sunt duo, sed vnum & idem respectu causalitatis finis: vt in hac responsione dicitur: xxxi. Sed volitio finis est causalitas finis, vt eadem sententia statuit: ergo actualis scriptio, & actualis deambulatio sunt etiam causalitas finis. Hoc autem e go dicto absurdissimum duco: quandoquidē scriptio, & deambulatio sunt effectus, & media ad illum finē, ergo contradictio est, quod sint causalitas eiusdem finis, & sint id per quod finis fiat actu causa.

Addunt aliqui contra illam eandem sententiam, quod ea non assignat causalitatē finis respectu agentium naturalium, in quibus non adest actus voluntatis. Hac itaque opinione relicta.

Est secundus dicendi modus Caiet. in 2. 2. quæst. 17. art. 5. §. *Ad euidentiam*, qui quidem ex proportione agentis ita de fine philosophatur. In causa efficiente considerantur hæc tria, videl. Id per quod agens in actu primo constituitur: Tum eius agentis effectus: Et actio ipsa, per quā agens est causa actu, quæ actio est media inter agens, & effectum. Ita in fine inueniri oportet hæc eadem tria. Primū adest ratio constitutiua finis in actu primo, de qua etiam nos diximus. Deinde, adsunt effectus. Damū adest ipsa finalizatio, quæ est media inter finem in actu primo, & effectum ipsius finis. Vt ergo causalitas efficientis est eius actio, per quam illud constituitur causa actu, quemadmodum in quæst. præcedent. diximus, ita causalitas finis est ipsamet finalizatio, quæ in agente respondet actioni. xxxii

Quæ quidem finalizatio, subdit. Caiet. explicatur per hæc verba, esse id cuius gratia. Hanc eandē speculationem insinuat Soncin. 5 Metaph. q. 2. in secundo modo dicendi, quem ibi affert. Item Bened. Perer. lib. 8. Phys. cap. 3. Hinc Fonsec. 5. Metaph. cap. 2. quæst. 10. sect. 4. *Non est, inquit, alia causalitas finis quærenda, præter hanc, quæ designatione ipsa finis denotatur, esse id cuius gratia*.

Accusatur ab alijs hæc contemplatio, quòd nō explicat rem, & relinquit quæstionem indecisam. Hoc enim ipsū, inquiunt, est quod quærimus, quidnā formaliter sit hæc finalizatio, siue fieri propter aliquid? Estne illa eadē actio per quā res fit, an aliquid aliud.

Tertia opinio asserit, causalitatē finis vtique esse aliquid præuium, ac præcedens actū voluntatis. Id autem esse metaphoricā finis motionē, & excitationem voluntatis factam à fine repræsentato ipsi voluntati: xxxiii. per quam excitationem imprimitur eidem voluntati aliquid reale, saltem intentionale. Et in hac impressione, siue in re ipsa impressa, quæ actum voluntatis præcedit, ait consistere causalitatem finis. Ita Conimbr. in hoc lib. quæst. 21. art. 3. & multi alij.

Explicatur propria aucторis opinio.



EQuidem in ea versor opinione, quod causalitas finis sit ipsa actualis finis ostensi, & repræsentati ab intellectu ipsi voluntati, sub ratione boni, amandi, & appetendi excitatio, & attractio voluntatis ad amorem, & desiderium eiusdem finis.

xxxiv, Declaro. Voluntas ex sui natura consequitur intellectum tanquam inclinatio ad bonum per eundem intellectum sibi propositum, vt explicat S. Thom. in 1. part. quæst. 19. art. 1. Vnde etiam nequit ferri nisi in rem præcognitam, vt iã ostendi, quia ad hoc vt voluntas actu inclinetur ad suum obiectum, quod est bonũ, debet vtiq; tale obiectum illi proponi, sicut ad hoc vt visus videat aliquod visibile, debet illi obijci. Nequit autem illi proponi, nisi media cognitione. Hinc etiam fit ex opposito, vt ea ipsa voluntas sit apta nata ad quælibet se extendere, quæ ei intellectus sub boni ratione proponere potest, vt docet S. Thom. lib. 1. contr. gent. cap. 27. Et propterea ab Arist. tertio de Anim. tex. 54. voluntas, & appetitus dicuntur *mouentia mota.*

Finis itaque ab intellectu appræhensus, & voluntati sub ratione boni, amandi, & appetendi ostensus, illicò naturaliter excitat voluntatis inclinationem, ipsamque voluntatem allicit, & attrahit ad se, & ad sui amorem, desiderium, & consecutionem. Et in hac excitatione, & attractione, quæ vt vides, præcedit omnem actum voluntatis, constituo causalitatem finis.

Et hanc attractionem appello motionem metaphoricam, quia licet sit realis physica, tamen non fit per influxum eo modo, quo causa effectiua causat. Rem exemplo illustro: Quando puellulo ostendis V. G. pomum, aut aliquid ludicrum, statim eius appetitus excitatur ab illa re ostensa: vnde etiam extendit manum, vt illam capiat. Hic causatio non est extensio manus, aut actus appetitus, sed est ostensi pomi excitatio, allectio, & attractio. Quæ quidem excitatio, & attractio commodè, & optimè dixeris, esse ipsum appeti, & desiderari.

xxxv, Hanc puto germanam ac synceram Stagiritæ, & D. Thom. mentem. Et quidem ille in duodec. Metaph. tex. 36. scribit, primum eus, quod mouet vt finis, mouere immotum, quia mouet, *vt appetibile, & intelligibile.* Et in tex. 37. *Est*, inquit, *id cuius gratia alicui eorum, quorum hoc quidem est, hoc verò non est: mouet itaq; vt quod amatur: quod mouetur autem cætera mouet.* Sic colligo. Finis mouet sicut mouet ipsum appetibile: Motus appetibilis est ipsũ appeti: quare motus finis est ipsum appeti. Præterea, in allegatis verbis duo vides. Vnum, quod finis mouet. Alterum, quod mouet vt appetibile. Arguo sic. Actus mouentis formaliter non est actus moti: Finis, & appetibile mouet: voluntas est mota: ergo actus finis, & actus appetibilis formaliter non est actus voluntatis, quo finem appetit, sed antecedit.

S. autẽ Thom. cùm alibi, tũ præcipuè q. 22. de Verit. art. 2. hanc eandem veritatem docet, dũ scribit, *quod sicut influere causæ efficientis, eiusque causare est agere; ita influere, & causare causæ finalis est appeti.*

Porrò veritatem nostræ assertionis, radicitus, aut ego fallor, introspicies, si pulcherrimam illam dif- xxxvi,
ferentiam expendas, quæ inter intellectum, & voluntatem; ac omninò inter potentias cognoscitiuas, & appetitiuas intercedit; quod potentia cognoscitiua trahit res cognoscendas ad se: appetitiua verò trahitur à rebus ipsis optatis. *Etenim cognitio est, secundum quod cognitum est in cognoscente: appetitus autem est, secundum quod appetens inclinatur in ipsam rem appetitam. Et sic terminus appetitus, quod est bonum, est in re appetibili: sed terminus cognitionis, quod est verum, est in ipso intellectu.* inquit S. Thom. in prim. part. quæst. 16. art. 1. idque desumpsit ex Aristotele lib. sexto Metaphys. tex. vlt.

Ex qua quidem doctrina collige. Primò, quod
vtrarumque facultatum, videl. cognoscitiuarum, & xxxvii,
appetentium obiecta re vera agunt in suas potentias, sed diuerso modo. Obiectum potentiæ cognoscitiuæ agit in sensum, & intellectum, (nam sentire, & intelligere est quoddam pati, ex secundo de Anim. tex. 51. & lib. tertio tex. 12.) immittendo in illos sui speciem, per quam dicitur esse in cognoscente. Obiectum potentiæ appetitiuæ eodem agit in potentiam, alliciendo, & attrahendo ipsam ad se ratione suæ bonitatis.

Secundò, quod sicut immissio speciei V. G. rei visibilis in oculum, non est ipsemet oculi actus, sed aliquid reale distinctum ab eo, ita allectio, & attractio rei appetibilis in voluntatem, non est ipsemet voluntatis actus, sed aliquid reale distinctũ ab eo actu.

Tertiò, quòd sicut immissio speciei in visum ordine quodam antecedit actum visus, & est id quo res visibilis mouet visum ad videndum, illumque quasi actuat, ita attractio rei appetibilis ordine quodam antecedit actum voluntatis; & est id quo appetibile mouet voluntatem ad volendum.

Quartò, quia id in quod aliud fertur, videtur pati, sicut locus, in quem pondus fertur, siue cadit, dicitur percuti: Et appetibile est id, in quod voluntas fertur, vnde amor eleganter dictus est pondus, iuxta pulchrum illud August. effatum, *Amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror:* ideò causalitas finis ex hac parte explicatur voce passiua, quod sit appeti, amari, desiderari, vt ex Arist. & S. Thom. dixi.

Hanc expositionem de causalitate finis mirificè mihi olim approbauit Illustrissimus, ac doctissimus Aloysius Quirinus, Sereniss. Reipub. Venetæ à secretis: vir omnigena doctrina, præsertim verò peripatetica instructissimus: pietate insignis, & litteratorum æui nostri Mecœnas munificentissimus. Cuius inclyto nomine, atcitur mea erga ipsum, obseruantiæ ergò, hanc meam paginam signo, exornoque. Cuius auctoritas apud me pollet quamplurimum. Sed ad rem redeo.

Ex

Digitized by Google

Ex his quæ hactenus dicta sunt, colligo, quod si Caiet. nomine finalizationis intellexit hanc appetibilis allectionem, & attractionem, vt est à nobis explicata, rectè & acutè philosophatus est. Dicta etenim attractio reuera est quodammodo media inter finem in actu primo constitutum, & actum voluntatis, qui est effectus eiusdem finis in suo genere. Et ad hunc eundem sensum potest etiam reduci tertia sent. superius a nobis relata

Verùm aduersus hanc opinionem a nobis sanci-
xxxviii. tam erit fortasse qui obijciat. Primò, quia nihil potest assignari, imò ne excogitari quidem ante omnem actum voluntatis, quod dicatur motio, & attractio voluntaria, ergo temerè intruditur allectio illa, & attractio.

Secundò, si dicta attractio est ante omnem actũ voluntatis, & est aliquid reale, & fit de nouo cum prius non esset, necessariò debet assignari aliqua causa, quæ illam producat per veram aliquam actionem. Etenim omne reale, quod nunc est, & antea non erat, debet fieri per aliquam veram actionem. At nulla potest huiusmodi causa productiua eius entitatis assignari. Quod ita suadetur, quia ibi nihil est aliud quàm voluntas, & finis. Atqui talis causa nequit statui voluntas, cum illa entitas constituatur ante omnem eius actum. Neque potest statui finis, quia finis, qua finis non efficit, sed solum est id cuius gratia operatur agens: alioquin finis, quà finis esset causa efficiens, ergo &c.

Veruntamen hæc nihil scrupuli ingerunt: Ad 1. respond. quod excitatio, & attractio finis fluit ab ipso fine appetibili apprehenso ab intellectu, & propositio voluntati: & est aliquid reale physicum, tamen vt Quo: quia mediante tali attractione finis mouet ad effectus reales physicos.

Ad 2. dico, attractionem illam, & entitatem realem, quæ procul dubio nunc fit, cum antea non esset, vtique produci ab aliqua causa reali effectiua, quæ antecedenter produxit aliquid, ad quod statim ac necessariò resultat dicta attractio. Hæc causa est intellectus, qui concipit antecedenter finem: & illum ostendit voluntati. Ista ostensio est effectus nouus. Ad hanc autem ostensionem naturali consecutione consurgit excitatio, & motio realis, sicut manus mea facit de nouo ostensionem pomi puellulo: pomum autem ostensum allicit puellum. Verùm de hac re hæc dixisse satis sit iam.

SECTIO QVARTA.

Qui sunt effectus causæ finalis, siue quænam agentia agunt propter finem?



SI causa finalis est, quæ excitat, attrahit, mouetque agens xxxix. ad operandum, effectus adæquatus finis erit excitari, attrahi, ac moueri ad operandum. Rectè: sed hoc est commune quippiam; ideircò pressiùs ac distinctiùs eius effectus sunt enucleandi. Vt verò rem totam paucis habeas, distribuo in tres classes omnia agentia, quæcunque in hac mundana rerum vniuersitate reperiuntur. In prima, seu infima colloco agentia merè naturalia, cuiuscunq; cognitionis expertia, vt elementa, mixta inanimata, & etiam vegetabilia. In secunda classe constituo animalia bruta, quæ saltem ea aliqua phantasia operantur. In tertia ac suprema classe reponuntur agentia intellectualia, quorum Doctores nostri, tres faciunt gradus, qui sunt Deus, Angelus, homo. Nos interea de hoc solo dicemus. Scio autem, quod quærere, quinam sunt effectus finis in his agentibus; clarè ac syncerè est quærere, an hæc agentia agant propter finem. De vna quaque igitur istorum classe dicendum.

Explicatur, quod agentia primæ, & secundæ classis, id est agentia merè naturalia, & vegetabilia: tum animalia bruta agunt propter finem: & quomodo.



HÆc agentia operari gratia alicuius finis, post Aristotelem, xl. iam inter omnes pro comperto habetur. Sic enim ille demonstrat à capite septimo huius lib. aduersus Veteres quosdam Philosophos, existimantes, effectus naturales non effici propter finem, sed ex necessitate materiæ, aut casu quodam proficisci

Stagirites verò commonstrat, naturam per se agere propositio aliquo fine: Cuius rationes accuratè eo loci expendemus; Interea nonnullas subjiciam, quæ tamen rem apertè euincunt.

Videmus grauia naturaliter descendere, leuia ascendere: illa, vt assequantur Vniuersi centrum, in quo quiescerant: Hæc vt locum supernum teneant, in quem naturali pondere feruntur. Præterea experimur, ea ipsa grauia aliquando ex se ascendere (quanquam id præstent præter particularem suã inclinationem) ne alicubi detur vacuum: pariterque leuia ea se descendere ob eandem rationem. ergo tunc operantur propter determinatum finem.

Ad hæc, animaduertimus certa aliqua temperamenta, & quasdam vires ac facultates peculiares, atque admirabiles semper comitari, ac consequi determinatas quarundam rerum species. Quæ porrò haud essent, si natura non operaretur propter finem. Sic obseruamus in herbis, & plantis vnum esse propter aliud: sic cortices sunt duriores propter continentiam, & tutelam arborum: sic folia sunt ob fructuum coopertimenta: sic cætera id genus alia, de quibus fusè Arist. loco nunc indicato, & lib. primo de Part. animal. cap. 1. ergo agentia merè naturalia, & vegetabilia agunt propter finem.

xli. At verò quemadmodum in hac assertione conspirant omnes Doctores, ita de modo quo præfata agentia merè naturalia agunt, seu mouentur propter finem, dissident. Quidam opinantur hæc agentia ferri, ac ordinari in finem non intrinsecè, & e. propria sua natura, sed solum extrinsecè ex ordinatione Dei, qui omnia disponit, atque in suos peculiares fines dirigit, præmouetque. Hinc S. Thom. in prim. part. quæst. 103. art. 1. ad 1. scribit, huiusmodi agentia naturalia dici operari, seu moueri propter finem quasi ab aliquo acta, & directa in finem, *sicut sagitta mouetur, directa ad signum à sagittante, qui cognoscit finem, non autem sagitta*. Quod etiam habet tum alibi, tum in prima secund. quæst. 1. art. 2. Sic deinde sentiunt Soncin. 5. Metaph. quæst. 2. Suarez disput. 23. Metaph. sect. 10. Conimbr. in hoc lib. cap. 9. quæst. 2. art. 2. quibus deinde adhærent alij. Quæ sententia confirmari potest ex illo effato, *Quod opus naturæ, est opus intelligentiæ*.

Altera verò ex parte dicta agentia operari propter finem non modo extrinsecè, vt ab aliquo intel-
xlii. lectuali agente acta ad suos fines, sed ex sua propria natura, & intrinseca inclinatione, vel ex eo videtur innotescere, quia descensus V. G. lapidis ad centrum, qui procul dubio fit propter finem, vt dixi, non oritur ab aliquo extrinseco agente, sed ab intrinseca eius natura, & naturali eius propensione, quia videl. grauis est: est autem grauis, quia tali forma, ac tali natura gaudet. Vnde etiam habet naturalem appetitum ad centrum. Ita de alijs philosophandum est. Hinc Arist. in tex. 76 huius lib. obseruabat, naturam per se ac ingeniosè fecisse dentes anteriores animalium acutos, vt sint apti ad diuidendum cibum: posteriores autem & maxillares latos, ad contundendum, & terendum eundem cibum. ergo agentia hæc naturalia non agunt, neque feruntur ad suos fines ab extrinseco, sed re ipsa ab interna sui conditione. Atque hæc est syncera Stagiritæ mens, & veritas ipsa.

Pro cuius tamen maiori intelligentia, scito, hanc locutionem, agere propter finem, seu moueri pro- xliii.
pter finem, patere latissimè, quocirca potest in quatuor gradus distribui. Quædam agunt, seu mouentur propter finem sine vlla cognitione finis, & tantum à virtute extrinseca: ita contortum telum fertur ad feriendum scopum. Si etenim interrogemur, cur, siue propter quid, ita telum illud moueatur aptè dixeris; vt feriat scopum. Quædam agunt, ac mouentur propter finem iidem absque eo quod cognoscant finem: sed tamen feruntur ad eiusmodi finem à sua natura, & virtute sibi ingenita: sic grauia tendunt deorsum; leuia sursum. Quædam agunt, & mouentur propter finem, quem apprehendunt cognitione sensitiua, tamen non cognoscunt ordinem & nexum mediorum in finem. Sic agunt, seque mouent gratia finis animalia rationis expertia: vt V. G. ouis apprehendit herbam sibi commodam, & currit ad manducandum eam. Quædam denique agunt, & se ipsa mouent propter finem, cum cognitione perfecta eiusdem finis, ac cognitione & ordinatione mediorum in eundem finem: quæ sola sunt agentia intellectualia, vt inter subcælestia homo.

Ex his liquidò conspicis, in quonam sagitta a iaculante proiecta, & agens merè naturale conue- xliv.
niunt, & in quo dissident. Conueniunt, quantum ad apprehensionem finis, & ordinationem actionis, seu mediorum in finem, quia tam sagitta, quàm agens naturale non apprehendit finem, sed id quod in vtroq; finem concipit, & dirigit actiones in finem, est agens superius: in sagitta quidem est iaculator: in opere autem agentis naturalis est intelligentia. Et hac ratione opus naturæ dicitur opus intelligentiæ. Dissident verò, quia sagitta proiecta fertur in eum terminum extrinsecè à solo impetu iaculantis: agens autem naturale fertur à sua natura. Porrò quis non videt, lapidem V. G. longè diuerso modo ferri, dum descendit, vt assequatur centrum, ac facit dum ab aliquo vi projicitur aut sursum, aut ad lapus, vt aliquem V. G. feriat? vtrobique mouetur propter finem à superiore agente præconceptum: sed mouetur diuerso modo.

Sic vegetabilia ab intrinseco mouentur secundum contraria loca, vt loquitur Arist. in secundo de Anim. tex. 14. Et in hoc lib. tex. 80. hæc scribit: *& in plantis apparent conferentia quædam fieri ad finem, vt folia propter fructus coopertimentum: & radices non sursum, sed deorsum, gratia nutrimenti*. Ex his itaque constat, quod agentia primæ classis, nempe merè naturalia, & vegetabilia agunt propter finem: & quomodo.

In secunda classe constitui animantia rationis, consilijque expertia: Quæ porrò operari gratia alicuius finis, oculis nostris intuemur. Quis in dies singulos

singulos non cernit, complura eorum agere propter certos ac determinatos fines ? adeò vt Arist. in tex. 80. dixerit, quædam animalia, quæ neque arte, neque inquirendo, neque deliberando faciunt, ita agere propter finem, *vt dubitauerint aliqui, vtrum intellectu, aut quodam alio operentur, vt araneæ, & formicæ, & huiusmodi*, de quibus eo loci nonnulla adnotaui. Hæc itaque agentia longè perfectiori modo operantur propter finem, quàm agentia primæ classis; quia hæc apprehendunt finem, quod non faciunt illa: Et in his excitatur appetitus elicitus ad finem: Tamen neque ista apprehendunt ordinem mediorum in finem, quia id facere est opus intellectus; de qua re instat dicendum.

Agens intellectuale propriissimè agit propter finem.



Ffectus finis maximè præfulgent in agente prædito intellectu: cuius tres quidem gradus superius
xlvi. innui, qui erant Deus, Angelus, homo: tamen orationem meam ad solum hominem contraho. Hominem itaque propriissimè agere gratia alicuius finis, intendendo finem ipsum, consulendo de medijs, eligendo media aptiora ad finem, eaque propter consecutionem illius exequendo, qui in se ipso non experitur, is nota & charactere hominis exuendus est.

Et ratio huius rei est plana, quia homo cum sit plena libertate donatus, est indifferens ad agendum, & non agendum; & ad agendum hoc, aut illud: propterea libertas appellitari consueuit, *facultas contradictionis & contrarietatis*. Necesse itaq; habet determinari ab aliquo, vt potius agat, quàm non agat, & potius hoc, quàm aliud. secus nunquam operaretur: id verò à quo determinatur ad agendum, & ad agendum hoc potius, quàm aliud, est finis. Sic ille qui habet pro fine constructionem domus, vnit ligna: qui verò finem sibi præfixit destructionem domus, disiungit ligna. Quocirca homo non modo agit propter finem; sed agit modo perfectissimo, quia cognoscit & finem, & media, & eorundem ordinem, seu nexum ad finem.

At verò cum in homine variæ sint operationes,
xlvii. operæpretium fuerit, accuratius distinguere, ac explicare, quænam eius actiones fiant propter finem, & quæ non ?

At primò quidem, cum finis spectet ad voluntatem, certum ac dilucidum est, simplices hominis intellectiones, & subitos eius motus, qui omnem voluntatis actum præuertunt, non esse propter finem. Certum itidem est, aliquas hominis actiones externas aliquando non fieri propter certum finem, veluti cum homo, nutante capitus percutit quempiam, aut cum studiosus fricat sibi barbam, dum intensè speculatur; aut corrodit vngues, vel crura pendentia, sine vlla animi applicatione baiulat. Fricatio, corrosio, & motio illa haud fiunt tunc propter finem.

Actus itaque hominis, qui quouis modo respiciunt finem, sunt actus Voluntatis; qui sunt in duplici differentia. Alij eliciti: Alij imperati. De vtrisque dicendum breuiter. Actus eliciti ij vocantur, quicunque immediatè ab ipsa voluntate proficiscuntur. Actus autem imperati sunt, qui ad voluntatis imperium ac nutum ab alijs quibusuis potentijs producuntur, vt ab intellectu, appetitu sensitiuo, aut membris exterioribus, de quibus omnibus vberius dixi in opere de Vitijs, & Peccatis, Tract. 1. disput. 2. cap. 1. Et agit S. Thom. in prim. secund. à quæst. 8. vsque ad 17. vbi multa eius interpretes. Porrò actus eliciti adhuc subdiuiduntur: quod alij sunt in prosecutione boni, vt amor, desiderium, fruitio: Alij in fuga mali, vt odium, timor, tristitia. Nos paucis ita dicamus: xlviii.

Primus Voluntatis actus elicitus est simplex amor finis, qui etiam dicitur Volunias; & est simplex quædam voluntatis complacentia circa finem ab intellectu sibi oblatum. Secundò, hunc actum sequitur quoddam desiderium, & quædam determinatio efficax eiusdem voluntatis consequendi finẽ, quæ propriè nuncupatur intentio. Tertiò, intentionem sequitur Consensus, qui est actus, quo Voluntas consentit in media ab intellectu inquisita, ac proposita: Quartò, consequitur electio, per quam Voluntas vnum mediorum, aut aliqua media, cæteris anteponit, atque amplectitur ad finem obtinendum. Porrò Consensus, & electio differunt inter se tantum secundum diuersos respectus. Siquidem prout Voluntas vult id quod intellectus vtile, honestum, & amplectendum censuit, appellatur consensus; (vnde consensus dicitur actus voluntatis respiciens etiam intellectum) vt verò voluntas illud medium præfert alijs, dicitur electio. Quintò, electionem sequitur alius actus voluntatis, qui vocatur Vsus; & est actus, quo voluntas applicat alias potentias ad executionem mediorum. Atque hi omnes voluntatis actus præcedunt consecutionem finis. Subsequuntur deinde alij itidem actus voluntatis eliciti, qui sunt post consecutionem finis, & versantur circa finem iam habitum ac possessum, cuiusmodi est fruitio, gaudium, delectatio. xlix.

Hinc omnes actus eliciti Voluntatis in tres l.
classes distribuuntur. Prima est eorum, qui circa finem nondum obtentum versantur, vt amor, desiderium, & intentio. Secunda classis est eorum actuum, qui versantur circa media, per quæ obtinendus est finis, vt consensus, electio, & Vsus. Tertia est eorum, qui occupantur circa finem iam adeptum, vt fruitio gaudium delectatio.

Et quidem actus secundæ classis, qui nimirum versantur circa media, fatentur omnes Doctores verè ac propriè esse effectus causæ finalis, & verè, ac propriè esse propter finem. Hi namque omnes suscipiuntur, & exercentur propter consecutionem finis.

Dissident

Dissident autem de actibus primæ, & tertiæ classis: multi enim contendunt, eos haud esse effectus finis. Ac primò quidem non videtur, simplex amor finis, qui est primus actus Voluntatis, esse effectus finis, siue esse propter finem. Nam causalitas finis est, vt propter illum desiderentur alia: Sed in simplici amore finis non desideramus aliquid propter finem, quia tunc supponeremus finem dilectum: ergo simplex amor finis nequit dici, quod sit propter finem.

Ita neque Intentio finis videtur dicenda esse propter finem. Quippe esse aliquid propter finem est, fieri ea intentione finis. At ipsa intentio finis non est propter intentionem finis: alioquin & illa intentio esset ob aliam, & ita in infinitum: quare intentio finis, quæ est secundus actus Voluntatis, non est effectus finis, siue non est propter finem.

Similiter neque ij Voluntatis actus, qui sunt post consecutionem finis, videl. fruitio, gaudium, & delectatio, possunt dici esse gratia finis. Nam quando iam aliquis actu fruitur fine, nihil amplius facit propter finem.

III. Nihilominus asserendum est, etiam actus primæ classis, qui versantur circa finem ante ipsius consecutionem, & actus tertiæ classis, qui sunt de fine iam habito, ac possesso, esse effectus finis, & elici, ac exerceri propter finem. Ita colligitur ex S.Thom. prim. secund. quæst. 1. art. 1. constituente, omnes actus humanos, quorum videl. homo est dominus, esse propter finem: Manifestum autem est, præfatos actus, id est amorem, intentionem, fruitionem, &c. esse actus humanos: quare omnes dicti actus sunt propter finem.

Ratio quoque clara suppetit, quia causalitas finis, vt in sect. 3. ostendi, est, vt ille ratione suæ bonitatis, & appetibilitatis alliciat, & attrahat voluntatem ad sui amorem. At in omnibus enarratis actibus fit hæc allectio, & attractio. ergo omnes illi actus, id est simplex amor, intentio, fruitio, & gaudium causantur à fine, & eliciuntur propter finem. Minor prob. Nam si quis quærat, cur nunc elicitur in me simplex amor circa hanc rem, siue circa hunc finem? aptè dicam, excitari, quia hæc res ratione suæ bonitatis ab intellectu Voluntati meæ repræsentata allicit illam, atque trahit ad sui amorem. ergo hic amor est effectus finis, & elicitur gratia finis. Eodem pacto, cur hæc res intenditur? quia ratione suæ bonitatis attrahit voluntatem. Ita, & posteriori ratione actus, qui circa finem possessum occupantur. Cur etenim elicitur, & exercetur hæc fruitio, & hoc gaudium circa hanc rem? Profectò quia hæc olim amata, intenta, optata, nunc possessa allicit, imò detinet voluntatem in sui fruitione, &c.

Argumenta verò in oppositum inducta facile diluuntur per hanc distinctionem, quod fieri, siue
IIII. esse aliquid propter finem, gemino modo potest accipi. Vno quidem strictiùs, quo pacto respicit eas solas res, quæ fiunt gratia finis, id est media: & hic est effectus partialis finis: Alio modo fieri, siue esse propter finem, accipitur vniuersaliùs, qua ratione respicit tam res ipsas, quàm actus, qui exercentur propter finem. Et hic est effectus adæquatus finis: & hoc modo esse, & exerceri propter finem, competit & simplici amori, & intentioni, & fruitioni, & gaudio, & delectationi. Hæc de actibus elicitis Voluntatis.

Actus autem imperati cum sequantur imperium voluntatis, præsupponunt finem iam voluntate volitum, & intentum, propterea nullum relinquitur dubium, quin fiant gratia finis.

SECTIO QVINTA.

Vtrum ad hoc vt finis actu moueat voluntatem, debeat necessariò esse cognitus: & qua cognitione. Tum quid est in fine esse cognitum: estne conditio, an ratio formalis motiua.



Xploratum est, voluntatem nunquam posse in rem penitus incognitam IV.
ferri: ideoque vt finis actu moueat, attrahatque voluntatem, omninò debet prius ab intellectu apprehendi; & voluntati proponi sub ratione boni, conuenientis, & appetibilis. Sic docuit Magnus præceptor cùm alibi, tum in primo Rhetor. cap. 10. his notis. *Est autem voluntas cum ratione appetitio boni: Nemo enim vult, nisi quod existimauerit esse bonum.* Et S. Thom. in prim. part. quæst. 82. art. 2. ad 1. *appetibile*, inquit, *non mouet appetitum nisi in quantum est apprehensum*. Et art. 4. eiusdem quæst. ait, *quod intellectus mouet voluntatem per modum finis*. Sic etiam iisdem in prim. secund quæst. 9. art. 1. & quæst. 30. art. 3. ad 1. & quæst. 31. art. 3. & alibi sæpe. Quo etiam spectat tritum illud, *Nihil volitum; quin præcognitum*. Atque ita stat communis omnium Doctorum consensus.

Et quemadmodum nihil mouet voluntatem, nisi ab intellectu cognitum sit, ita nihil impellit appetitum sensitiuum, nisi saltem cognitione sensitiua sit apprehensum, vt contingit in brutis.

Eius autem rei triplex occurrit ratio. Prima est. V.
Voluntas est appetitus rationalis: quare in suis operationibus debet ratione duci. Duci autem ratione est sequi rationem, & ferri in id quod ratio proponit, ac dictat: quare voluntas non fertur, nisi in obiectum ab intellectu cognitum, & ei dictatum.

Se-

Digitized by Google

Secunda, Voluntas ex sui conditione est potentia cæca. Non enim est facultas cognoscitiua: alioquin esset intellectus. Potentia verò cæca debet in suis operationibus manuduci. Hæc manuductio nequit nisi ab intellectu fieri, quia nihil aliud valet ante actum voluntatis excogitari. Debet igitur voluntati ostendi obiectum, in quod ea tendat: Ostensio verò obiecti fit ab intellectu, quare voluntas semper tendit in id quod ei intellectus dictat; nec alio modo fertur vnquam.

Tertia ratio. Constat, esse in rerum vniuersitate plurimas res pulchras, optimas, ac præclarissimas, in quas tamen voluntas non fertur. E contra verò adesse alias turpes, teiras, pessimas, in quas aliquando ardenter fertur. Et sæpenumero tendit in eas res, quæ nullo modo in rerum natura existunt, ergo signum euidens est, voluntatem moueri non à rebus, quatenus in se ipsis sunt, sed quatenus ab intellectu voluntati repræsentantur. Consequ. est clara: Assumptum verò quo ad omnes sui partes probatur.

Et quidem prima vel ea eo apparet, quia bonum, & malum, ea Arist. sexto Metaph. tex. vlt. ht.
sunt in rebus. At non omnes homines volunt easdem res. Imo verò pauci cognoscere possunt vera bona: atque adeò illa velle. Secunda etiam pars apparet in iis, qui mendacia, furta, homicidia machinantur, & re ipsa perpetrant, Hinc Arist. lib. secundo de morib. ad Eudem. cap. 10. *Voluntas*, inquit, *secundum quidem naturam boni est, præter naturã verò mali: & vult natura quidem bonum præter naturam verò, & ex mentis quadam euersione, malum.* Tertia denique pars est conspicua, quia re vera plerumque intendimus finem, qui in rerum natura haud est: Sic æger intendit sanitatem, quæ verè non est, & quandoque nec esse potest: sic ille qui alicubi imaginatur thesaurum absconditum, Et vterque eligit media ad consecutionem concepti finis: Sic voluntas dicta est, *esse etiam impossibilium*, lib. primo Magn. Moral. cap. 18. eorum videl. quæ in se ipsis esse ac fieri minimè possunt nihilominus apprehenduntur vt possibilia. Ex his liquido conspicis, obiectum Voluntatis vt actu eam moueat, omninò debere ab intellectu cognosci, eique proponi, ac dictari.

At iam quæres: Cum in homine multiplex sit cognitio intellectiua, quæ vnquam cognitio requiritur, ac sufficit, vt finis actu moueat voluntatem.

Respondeo, Cognitio intellectiua in homine adæquatè diuiditur in speculatiuam, & practicam: ht.
Hæc deinde in actiuam, & factiuam, quemadmodum, ex Aristotele sexto Metaph. capite 1. & lib. vndec. cap. 6. & lib. 3. de Anim. tex. 49. ostendi in principio huius operis. quæst. 2. Proœm. sect. 3. Rursus tam speculatiua, quàm practica potest esse vel habitualis, vt quando quis habet habitum, nec tamen quicquam operatur actu: vel actualis, vt cum quispiam re ipsa operatur. Qua diuisione posita.

Primò, certum est, cognitionem habitualem, siue illa sit speculatiua, siue practica, non sufficere, vt finis actu moueat voluntatem. Ratio huius as- lvett.
serti eruitur ea natura ipsiusmet habitus, qui in eo consistit, vt inclinet facultatem ad obiectum mediante actu, per quẽ ille fuit genitus: At in cognitione habituali non est actus, quare illa cognitio non inclinabit, nec mouebit voluntatem. Et constat etiam experientia, quandoquidem cum aliquis dormit, habet cognitionem habitualem, siue habitum: nec tamen actu mouetur ab aliquo fine: alioquin etiam excitaretur ad media.

Secundò, firmum quoque est, cognitionem speculatiuam actualem non sufficere, vt finis actu moueat voluntatem: Nam cognitio speculatiua, vt diximus ex secundo Metaph. tex. 3. non ordinatur ad aliquod opus, sed sistit in sola contemplatione sui obiecti: ac proinde non concipit obiectum sub ratione conuenientis, aut disconuenientis, nec vt tale voluntati proponit. Sed cognitio, quæ debet mouere voluntatem, profectò debet ordinari ad opus, & concipere ac proponere voluntati obiectũ, vt bonum ac conueniens, aut disconueniens, quare cognitio speculatiua, quamuis sit actualis, non mouet voluntatem.

Relinquitur itaque vt motio voluntatis oriatur à sola cognitione practica. Quæ adhuc duplex est. lix.
Vna quidem in communi, qua cognosco V. G. virtutem esse amplectendam. Altera in particulari, qua apprehendo hanc virtutem nunc esse sectandam. Prior cognitio mouet aliquo pacto voluntatem, sed in communi, nec sufficit, vt ex ea voluntas excitetur ad aliquod opus, quia operationes, & effectus sunt singulares, vt docet Philosophus primo Metaph. cap. 1. Sola igitur cognitio practica, actualis, rei particularis sufficit, & requiritur, vt finis actu excitet ac moueat voluntatem ad opus.

Quid est in fine esse cognitum? conditione, an ratio formalis obiectiua?



N fine duo sunt, videl. eius bonitas, siue vera, seu apparens, & apprehensio, ac cognitio eiusdem finis. Quærimus itaque, finis mouet ne voluntatem ratione bonitatis, an verò ratione apprehensionis, ac cognitionis? Enimuero si mouet ratione apprehensionis, profectò esse apprehensum in fine erit ratio formalis obiectiua, ac motiua voluntatis: si verò mouet ratione bonitatis, hæc erit ratio obiectiua: cognitio autem erit solum conditio sine quâ bonitas illa non moueret. Iam enim ostensum lxx

est,

est, finem haud posse mouere, nisi apprehendatur.

Qua in re tres circumferuntur opiniones. Prima absolutè asseuerat, quod in omni fine potius esse apprehensum, & cognitum sit ratio formalis obiectiua, mouendi voluntatem, quàm ipsa bonitas. Ita Auicen. 6. suæ Metaph. cap. 5. Capreol. in 2. distin. 25. quæst. 1. art. 3. Soncin. 5. Metaph. quæst. 5. Medin. in 1. 2. quæst. 1. art. 1.

Quæ sent. hac ratione prob. Illud in fine est ra-
lxi. tio formalis obiectiua, & motiua voluntatis, quod in fine semper est, vt ille moueat, non autem illud quod aliquando est, aliquando non est. Atqui esse apprehensum ac cognitum in fine semper est, quādo finis mouet: bonitas autem non semper est. ergo potius esse cognitum in fine, quàm eius bonitas est ratio, quæ mouet voluntatem. Maior videtur clara. Minor autem prob. Et quo ad primam partem, quia finis nunquam excitat voluntatem, nisi apprehensus, quemadmodum nunc ostendebam. Quo ad secundam etiam partem patet, quia aliquando nulla suppetit in fine bonitas, nec entitas vlla, veluti cum quispiam imaginatur alicubi abscondi thesaurum, vbi re vera nullus est: & mouetur ex illa imaginatione ad operandum. Et quandoque entitas illa est impossibilis, vt dum quis correptus ægritudine, quæ nulla ope curari valet; nihilominus ea apprehensa vt possibilis, mouetur ad medicamenta.

Secunda sententia distinguit. Aut enim sermo
lxii. est de bonitate finis, quæ aliquo modo in rerum natura existit, aut de ea quæ nullo modo est, vel etiam esse nequit. In primo casu ratio formalis, quæ obijcitur, ac mouet voluntatem, vtique est bonitas realis finis: esse autem apprehensum, tunc est tantum conditio sine qua bonitas illa nequaquā moueret. In secundo autem casu, esse apprehensum, & cognitum in fine, est ratio, quæ re ipsa excitat, ac mouet voluntatem. Ita Caietan. in 1. 2. quæst. 32. art. 3. cui adhærent alij.

Quæ opinio, quo ad secundam partem, sic potest suaderi. Ratio formalis, quæ in fine mouet, debet esse aliquid reale: Siquidem si realiter mouet voluntatem, & ad effectum realem, debet vtique esse aliquid reale. Manifestum autem est, quando finis nullo pacto existit in rerum natura, tunc in motione voluntatis nihil aliud esse reale, præter apprehensionem, & cognitionem finis. ergo tunc apprehensio, & cognitio sunt ea quæ mouent.

Confirmatur, quia in casu proposito apprehensio facit bonum, ergo illa mouet: nam etiamsi demus, bonum illud confictum mouere, adhuc negari nequit, quin apprehensio præcipuè etiam moueat, quia quod est causa causæ, est causa causati.

Veritas tamen est, quod bonitas finis, siue vera,
lxiii. siue apprehensa vt vera, est ratio formalis, quæ voluntati obijcitur, atque eam mouet: apprehensio verò, & cognitio semper est tantum conditio necessaria. Ita S. Thom. in prim. part. quæst. 89. art. 1. ad 1. & lib. 1. contr. gent. cap. 57. Scot. in 2. distin. 25. quæst. 1. & communiter alij, quos referunt, & sequuntur Suarez disput. 13. Metaph. sect. 8. & PP. Conimbr. in hoc lib. cap 7. quæst. 23.

Et probant. Primò ex definitione finis ab Arist. sæpius assignata, quod finis est, cuius gratia agens mouetur ad operandum, & cuius gratia re ipsa operatur. Atqui agens non mouetur ad operandum, neque operatur gratia apprehensionis, & cognitionis, sed gratia bonitatis, quæ quidem in fine, aut verè est, aut apprehenditur in eo adesse: quare bonitas, non apprehensio est ratio motiua, &c.

Secundò, Illa est ratio formalis mouendi voluntatem, quæ in executione finis satiat intentionem agentis, & qua habita, quiescit agens ab operando: Sed apprehensio, & cognitio in fine non satiat intentionem agentis, & ea habita, non cessat agens ab operando: bonitas autem finis in executione finis satiat intentionem agentis, eaque obtenta, agens cessat ab operando: ergo bonitas est ratio formalis obiectiua, & motiua, non apprehensio, & cognitio.

Fundamenta verò aduersarum opinionum nihil
concludunt. Et quidem ad 1. neganda est minor, lxiv.
quod bonitas in fine aliquando est, aliquando non est. Semper in quocunque fine volito adest bonitas; Sed aut vera, aut apprehensa vt vera. *Differt enim nihil dicere idem bonum, vel apparens bonum*, inquit Philosophus in hoc lib. tex. 31. Et in primo Ethic. cap. 2. legimus, *amat vnusquisque non quod sibi est bonum, sed quod apparet: sed id nihil refert. nam amabile apparens erit*. Sic finis, & eius bonitas semper existit, sed vel existentia reali, vel in intentione: Quo etiam pacto existit in mente thesaurus, qui nusquam est: & sanitas, quę omnem respuit curam, apprehensa vt acquisibilis: mouet efficaciter voluntatem ad sui consecutionem: Nam si sanitas illa apprehendatur, vt impossibilis, voluntas nunquam mouebitur efficaciter, sicut nemo efficaciter vult volare: sed eam imperfecta quadam volitione vellet. Imò omnis finis mouet, vt in intentione existit, sicut supra dixi.

Hinc etiam vides, quid ad fundamentū secundæ
operationis dicendum sit. Neganda itidem est mi- lxv.
nor: Bonum, quamquam ab intellectu factum, ac fictum, in intentione est aliquid reale. Atque istthuc bonum excitat voluntatem: non apprehensio, quæ illud efficit. Suppetit accommodatum exemplum. Si quis pictor, postquam fecisset aliquam imaginē, caperetur illius amore: tunc ars eius pictoris non est ratio formalis, quare hic captus sit amore dictæ imaginis, sed est pulchritudo imaginis: ita apprehensio factiua illius boni apparentis ac ficti haud est ratio quæ mouet voluntatem, sed bonum, quamquam fictum. Atque hæc de causa finali, & de omnibus quatuor causis per se dicta sint satis: superest explicare causam instrumentalem, & idealem.

QVÆ.

QVAESTIO SEPTIMA.

De causa instrumentali, & ideali.

SECTIO PRIMA.

De instrumento.



I. Nstrumentum est id, quod principali agenti inseruit ad producendum aliquem effectum ab illo agente per se intentum. Multiplex autem est instrumentum. Primò latiori quodam significatu instrumētum nū usurpatur omne id, siue sit inanime, siue animatum, quo vtimur quocunque modo ad aliquod opus: *Instrumentorum quædam inanima sunt; quædam animata, veluti gubernatori, nauis quidem inanimis est, qui verò proram regit, animatus*, inquit Stagirites lib. primo Polit. cap. 4. quo pacto, & prædia, & possessiones, & diuitiæ, & serui dicuntur instrumenta ad vitam commodè transigendam.

Deinde, instrumenta inanimata subdiuido, quod alia sunt instrumenta solum quātum ad applicationē, non verò quantum ad actualem actionem: Alia sunt, & quantum ad applicationem, & quantum ad actualem operationem. Primæ conditionis sunt illa, quæ assumuntur quidem ab artifice, & applicantur ad producendum aliquem effectum; sed postquam sunt applicata, agunt per suas vires innatas. Sic ignis applicatur ad liquandum metalla, & aqua ad secandum lapides. Instrumenta verò secundæ classis illa sunt, quæ applicata à principali agente non concurrunt ad effectum per aliquam propriam, & distinctam actionem, sed omnem motum accipiunt à principali agente, & mouent præcisè vt mota, sicut inferius explicabo.

II. Præterea, instrumenta alia sunt coniuncta, alia separata: Illa sunt vt visus, siue oculus in animali vel calor in igne. Ista autem, vt semen ab animali decisum, & serra, aut penicillus in artifice.

Item, instrumenta alia sunt naturalia, quæ nimirum à natura instituta sunt ad aliquod opus naturale principalis agentis efficiendum, vt oculus, quo animal videt, calor, quo calefacit ignis: aut etiam semen, quo mediante generans gignit aliud quale ipsum. Alia sunt artificialia, veluti serra. Doctores autē nostri addūt tertium instrumentorū genus, nempe supernaturale, quod quidem à Deo assumitur ad producendum effectus supernaturales, Ita sacramenta sunt instrumenta producendæ gratiæ, de quo tamen instrumento edisserere alterius instituti est. Vide alias instrumenti partitiones, & varias etiam definitiones apud Franc. Piccol. in 2. Phys. ad tex. 28. & Thom. Gran. lib. 5. Phys. cap. 3 u. ego pergo, & tria breuiter de instrumento inquiro. Primum est,

Ad quodnam causæ genus reducuntur instrumenta?



III. Vpponu instrumentum non constituere aliud causæ genus præter quatuor iam enarrata: & inquiro, ad quod ergo causæ genus reuocatur? Philoponus in 2. Phys. tex. 27. instrumenta reducit ad causam materialem, *quia*, inquit, *calor insitus innatusque est subiectum, in quo natura firmata, & fusa animal procreat*.

Deinde Zimar. in theorem. 85. ait, instrumentum reduci quidem ad causam efficientem, tamen interdum redigi etiam ad materiam. Quod probat, quia perspicuitas in aeris illuminatione inseruit tanquam instrumentum: Nihilominus perspicuitas tunc non est causa efficiens, quia causa efficiens non suscipit illuminationem, sed potius eam ex se profert: perspicuitas autem eam suscipit. Neque est causa formalis, cum hæc sit ipsum lumen: Neque est causa finalis, quia ipsa perspicuitas ordinatur potius ad illuminationem, quàm versa vice: relinquitur ergo vt sit causa materialis.

IV. Alij distinguunt, quod instrumentum vno quidem modo vsurpatur amplè, & impropriè; & hoc pacto potest ad omnia causarum genera reduci. Alio autem modo capitur strictè & propriè, qua ratione reducitur solum ad causam efficientem.

Primam partem probant, quia instrumentum in prima acceptione denotat omnem causam subordinatam: Manifestum autem est, hanc subordinationem inueniri non modo in genere causæ effectiuæ, sed etiam in reliquis causarum generibus. Ita in causa finali sunt media, quæ subordinantur fini: In causa formali formæ priores subordinantur formis posterioribus, in eorum sententia, qui in vno composito formarum admittunt pluralitatem: Ita in causa materiali sunt potentiæ, quæ recipiunt in se actus per subordinationem ad substantiam, quæ est primum subiectum. De qua re vide Fonsec. 7. Metaph. cap. 7. quæst. 3. & Auers. quæst. 15. sect. 1.

Hæc tamen instrumenti acceptio nimis impropria est: & vix videtur instrumenti nomen mereri.

Neque quævis subordinatio satis est ad constituendum instrumentum.

Quapropter absolutè dicendum existimo, instrumenta propriè reduci ad vnam ac solam causam efficientem. Ratio est, quia instrumenta debent aliquo modo agere: vt inferius explicabo. Constat autem alias causas, maximè verò materialem, non agere, nisi ipsum agere accipias largo quodam modo, vt in quæst. 2 sect. 4. dixi. ergo instrumenta non sunt nisi in causa efficiente. Hinc Arist. in hoc lib. tex. 31. tum quinto Metaph. cap. 2. instrumentum sub causa efficienti assignauit, adhibens exemplum de semine, quod est instrumentum generantis.

VI. Hinc ad Philoponum dico, falsum assumi, naturam esse firmatam, ac fusam in calore, & sic operari: quin verò res opposito modo se habet: calor firmatur, ac diffunditur in natura: & ideo calor est instrumentum, quo medio natura operatur. Vnde Stagirites secundo de Anim. tex. 41 animam ait esse simpliciter causam nutritionis: calorem autem, siue *ignem esse concausam*.

Ad rationem Zimaræ dico, perspicuitatem aeris in illuminatione non esse instrumentum, sed esse quandam aptitudinem, & habilitatem: Nam instrumentum agit aliquo modo, vt inferius dicam: perspicuitas autem in aere nil agit, sed tantum recipit lumen, & patitur.

At dices. Si instrumentum reducitur ad causam effectiuam, & etiam aliquo modo agit, poteritne appellari propriè causa efficiens, an non?

VII. Respondeo negatiuè. Primò, quia causa efficiens est primum, vnde incipit motus, vt constat ex tex. 28. instrumentum verò non est primum vnde incipit motus: non enim, sectio incipit primùm à serra, sed ab artifice. Secundò, quia causa efficiens est illa, quæ propriè agit, & cui attribuitur effectus: Instrumentum verò non est huiusmodi. Non enim dicimus, securis facit scamnum, sed artifex.

VIII. At verò neque id ignorabis, quod nomen instrumenti primùm fuit impositum instrumentis artium, quæ quidem videmus, neque temerè esse facta, neque propter se ipsa, sed vt homini ad producendum aliquem effectum ab eo per se intentum inseruiant. Si enim interroges, cur serra hoc, terebra alio modo facta est? respondebo, vt illa inseruiat ad secandum, hæc ad perforationem.

Deinde traductum est nomen instrumenti ad significanda naturæ instrumenta, veluti partes corporis instrumentales, & alia à natura instituta, vt corporibus naturalibus ad sua munia obeunda famulentur. Sic in secundo de Anim. tex. 6. plantarum *partes dicuntur instrumenta*. Et lib. tertio eiusdem operis tex. 38. manus dicta est. *instrumentum instrumentorum*, & lib. quarto de Partib. animal. cap. 10. eadem *manus* appellatur, *instrumentum ante instrumenta*. Et subditur etiam ratio, cur homini à natura datæ sint manus, his verbis. *Manus instrumentum sunt, Natura autem, vt homo prudens, ita tribuere solet vtique rem qua vti possit: Rectius enim tibia dabitur perito tibiæ, quàm tibiam habenti, peritia tibiæ addetur: rem enim minorem maiori, potiorique natura addidit, non maiorem, nobilioremque minori. Quod si ita melius: Natura autem ex ijs, quæ fieri possunt, facere solet quod melius sit, homo non propter manus prudentissimus est; sed quia prudentissimus omnium animalium est, ideò manus obtinet. Qui enim prudentissimus est, rectè plurimis vti instrumentis potest. &c.* sic ea ipsa natura fabrefecit in alijs rebus apta instrumenta ad operandum: sic in alijs.

Quæ si vera sunt, nescio quid nonnullis recentiorum, inter quos est Aruag. in suo curs. Phys. disput. 11. sect. 3. in mentem venerit, vt reijciant instrumenta artis a ratione proprij instrumenti physici: quia, inquiunt, instrumenta artium non attingunt physicè effectum. Et quia causa instrumentalis debet esse propriè causa: præfata autem instrumenta non sunt propriè causa. IX.

Quæ omnia falsa sunt. Siquidem instrumenta artium propriissimè sunt instrumenta, vt vel ex nunc dictis apparet: Et prætereà verè ac physicè attingunt effectum, quamuis non sua propria, & distincta actione ab ea principalis agentis, sed per actionem principalis agentis, vt infra dicam. Imò verò instrumentum immediatius agit in effectum immediatione suppositi, siue præsentiæ, quàm agat agens principale: quamuis hoc agat in eundem effectum immediatius immediatione virtutis. Ita falsum quoque est, instrumentum esse propriè causam. Iam enim dixi cum Aristotele instrumenta haud esse causas, sed concausas. Sed iam quæro secundò.

Vtrum de ratione instrumenti sit mouere vt motum a principali agente.



NEgant aliqui cum Suarez in disput. 17. Metaph. sect. 2 in quarta explicatione causæ principalis, & instrumentalis: innituntur autem his fundamentis. X.

Primò. dantur multa instrumenta, quæ non agunt, sicut non mouent, vt mora, ergo non est de ratione instrumenti agere vt motum. Assumptum probant, Phantasma est instrumentum ad productionem speciei intelligibis: Et tamen non concurrit ad eam vt motum. Item, semen ab animali decisum est instrumentum ad generationem: nihilominus non agit vt motum. ergo &c.

Minor prob. & quidem de phantasmate, quia si

phan-

phantasma agit vt motum, motio qua mouetur, aut est corporea, aut incorporea, ac spiritualis. Non prior, quia phantasma ex eo quod ipsum est quid corporeum, ac materiale, vtpote improportionatum, nequit attingere productionem rei incorporeæ, videl. speciei intelligibilis. ergo si motio est aliquid corporeum, phantasma cum illa motione adhuc remanet improportionatum, vt possit attingere, & producere dictam speciem. At neque potest poni in phantasmate vlla motio incorporea, ac spiritualis, quia accidens incorporeum, ac spirituale, nequit recipi in subiecto corporeo ac materiali. Et etiam, quia accidens dependet a subiecto in esse, fieri, & conseruari. Quis autem dicat, rem incorpoream ac spiritualem dependere a corporea ac materiali?

De semine etiã res est clara, quia cum semen decisum attingit fœtum, non mouetur ab eo, cuius fuit semen: quinimo sæpenumero euenit, vt is neque in rerum natura reperiatur. ergo &c.

XI. Secundò, Ex opposito permulta agunt ac mouent vt mota: nihilominus non agunt propriè, ac in rigore vt instrumenta, sed vt agentia principalia, ergo &c. Antecedens prob. piper non calefacit nisi calefactum prius ab alio, ac proinde mouet vt motum ab alio: tamen piper non calefacit vt instrumentum, cum agat per propriam atq; innatam virtutem. Item, causæ secundæ efficientes mouent vt motæ a prima vt velea, ipso Philosopho liquet octau. Phys. tex. 33. Et tamen causæ secundæ non sunt propriè instrumenta. Non igitur ratio instrumenti exigit, vt agat secundum quod est motum, si & multa instrumenta mouent non vt mota, & vicissim multa agentia mota non sint instrumenta.

XII. Veritas tamen est, quod instrumentum, qua instrumentum, omninò exigit, vt agat ac moueat in quantum mouetur a principali agente: proindeque sine huiusmodi motione nunquam aget: & omne quod ita agit, est instrumentum.

Assertio est expressa Stagiritæ octau. Phys. tex. 33. vbi expendens dependentiam, ac necessitatem agentium superiorum, & inferiorum, siue priorum, & posteriorum, adhibet exemplum de homine mouente lapidem per instrumenta, & ait eum posse mouere, & immediatè per vnicum instrumentum, vt cum manu mouet lapidem, & per multa, veluti cum manu mouet baculum, & baculus motus a manu mouet lapidem: & subdit, semper mouens posterius mouere, vt motum a priori, & sine eo mouere nequaquam posse. Vnde concludit, *& sine primo quidem vltimum non mouebit: illud autem sine hoc, vt baculus non mouebit, non mouente homine*. Et idem dicendum de reliquis instrumentis.

Idem docet Sanctus Thom. cùm sæpe alibi, tum in 3. part. quæst. 63. art. 1. & 4. vbi ait, *instrumentum non operatur, nisi in quantum est motum a principali agente, quod per se operatur*. & lib. 2. cont. Gent. cap. 21. *instrumentum*, inquit, *nunquam adhibetur ad causandum aliquid, nisi per viam motus, nam de ratione instrumenti est, quod sit mouens motum*. De qua re adi Caietan in primo loco: Capreol. in 4. dist. 1. quæst. 1. Magist. Nazar. in 1 par. quæst 45. art. 5. & Compluten. in Phys. disput. 12. quæst 1 & sic tenent communiter alij.

Ratio quoq; est euidens, quia instrumenta, qua instrumenta, ex se sunt improportionata, atque insufficientia ad producendum effectum, nisi eleuentur a principali agente. Manifestum autem est, quod eleuari, est aliquo modo moueri: quare instrumenta, qua instrumenta, nunquam agent nisi vt mota: Profectò si omnia instrumenta fabrilia hic adsint, ni artificis manus accedat, nihil artificiale fiet vnquam. XIII.

Quam quidem eleuationem vt penitius introspicias, scito, quod instrumenta alia quidem recipiunt quandam qualitatem, seu vim a principali agente sibi impressam, quæ est præter entitatem dictorum instrumentorum. Et hæc vis adhuc est duplex. Altera quidem est per modum actualis cuiuspiam motionis, veluti dum serra actu mouetur ab artifice. Altera verò imprimitur instrumento iisdem a principali agente per modum permanentis, per quam instrumentum dicitur tandiu moueri a principali agente, & agere vt motum, quandiu dicta vis in eo perseuerat. Ita sagitta tandiu fertur, & ferit, quandiu in ea conseruatur vis, & impulsus proijcientis. Eodem pacto semen decisum tandiu mouetur, & agit vt motum, quandiu in eo viget generantis vis. Qua deinde, ob aliquod impedimentum euanescente, semen non amplius est aptum instrumentum ad generationem. Quædam alia instrumenta in sui eleuatione non recipiunt in se ipsis ab agente principali aliquam qualitatem, seu vim distinctã a sua ipsorum entitate; sed ipsa formaliter sunt vis agentis principalis; atque illi quasi innata, operantur tanquam eius instrumenta. Sic calor est instrumentum ignis, eique innixus calefacit, & quandoque producit ignem, ac substantiam. Et hoc est quod communiter dicimus, accidens agere in virtute substantiæ. Sic verò innixus est eleuari. Quocirca si per impossibile calor ignis separaretur a substantia ignis, nunquam posset producere alium ignem, ac substantiam. Ex quibus liquidò conspicis, omne omninò instrumentum agere vt motum.

Ad argumenta verò prioris opinionis facilis est occursus. Et quidem ad 1. negandum est, phantasma XIV. esse instrumentũ producendi speciem intelligibilẽ, sed se habet vt obiectum, sicut color ad visum: & quia phantasma est materiale, illustratur ab intellectu agente, & fit species intelligibilis. De qua re dixi in opere de Triplici Statu Anim. disput. 9. sect. 7. & 9. Et nunc ex eo potest explicari, quia phantasmata ita se habent ad intellectum, quemadmodum colores ad visum, *phantasmata enim sunt sicut sensibilia*, ex tertio de Anim. tex. 30. & 39. Vt ergo lumen efficit, vt colores fiant actu visibiles, & possint immittere suas

ſpeciem in viſum; eumque ad videndum mouere, nam *& lumen quodammodo facit potentia existentes colores, actu colores*, vt legimus in dicto lib. de Anim. tex. 18. Ita intellectus agens illuſtrat phantaſma, cum etiam hic intellectus, *ſit quale lumen*, ex eodem tex. 18. Ex his ceſſant etiam eius argumenti probationes. Nam lumen intellectus agentis non recipitur in phantaſmate inhæſiuè, ſed ſolum terminatur ad illud: ac proinde neque dependet a phantaſmate: ſicut neque lumen Solis recipitur inhæſiuè in pariete, neque ab eo dependet.

XV. Ad ſecundam probationem de ſemine deciſo, dicendum, ſemen re vera eſſe inſtrumentum, ſed iam expoſui, quomodo in eo manet vis motiua generantis.

Ad 2. Argum. negandum eſt antecedens: Ad prob. dico, piper non calefacere vt inſtrumentum, ſed per calorem proprium: qui prius erat in potentia, poſtea a calore ventriculi euocatus ad actum, calefacit: de qua re multa dixi in quæſt. 5. ſect. 5.

Cauſæ autem ſecundæ effectiuæ non ſunt propriè inſtrumenta, quamuis agant dependenter a prima, quia agunt per virtutes proprias. de qua etiam re dixi in eadem quæſt. ſect. 2. ſed iam quæro tertiò.

Vtrum ſit de ratione inſtrumenti habere aliquam propriam ſibi virtutem, & propriam actionem diſtinctam, & præuiam ad actionem principalis agentis.



XVI. SANCTVS Thom. in prim. part. quæſt. 45. art. 5. habet hanc propoſitionem, *Cauſa ſecunda inſtrumentalis nō participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis.* Et 2. contr. Gent. capit. 21. omne, inquit, *agens inſtrumentale exequitur actionem principalis agentis, per aliquam actionem propriam, & naturalem ſibi*. Et in 3. part. quæſt. 62. art. 1. ad 2. ait. *inſtrumentum habet duas actiones; vnam inſtrumentalem, ſecundum quam operatur non in virtute propria, ſed in virtute principalis agentis; alteram autem habet actionem propriam, quæ conuenit ſibi ſecundum propriam formam. Sicut ſecuri competit ſcindere ratione ſuæ acuitatis, facere autem lectum, in quantum eſt inſtrumentum artis: non autem perficit inſtrumentalem actionē, niſi exercendo actionem propriam; ſcindendo enim facit lectum.* Idem habet quæſt. 78. eiuſdem partis art. 4. ad 2. & quæſt. 17. de Verit. art. 4. & alibi.

Hinc Caiet. in art. illo 5. primæ part. & Bannes,
XVII. ac Nazar. ibidem, tum ferr. ad cap. 21. cit. deinde
alij, quos referunt, & ſequuntur, PP. Complutenſ.
in Phyſ. diſput. 12. quæſt. 2. & complures alij eius xxxvi.
ſcholæ abſolutè ac firmè docent, de ratione inſtrumenti indiſpenſabiliter eſſe, habere actionem propriam, diſtinctam, & præuiam ad actionem principalis agentis, per quam attingit effectum.

Quæ quidem poſitio poteſt hac ratione ſuaderi. Inſtrumentum habet aliquam propriam virtutem actiuam: niſi enim haberet huiuſmodi virtutem, fruſtra aſſumeretur a principali agente ad producendum effectum. Sed omni virtuti actiuæ reſpondet aliquid per eam factibile: alioquin eſſet actiua nihili. Hoc quod dictæ virtuti actiuæ inſtrumenti reſpondet, eſt actio, & eſt effectus: ergo aliqua actio diſtincta ab actione principalis agentis reſpondet ipſi inſtrumento, vt eius propria.

Quod autem huiuſmodi propria inſtrumenti actio ſit præuia ad actionem principalis agentis, eamque aliquo pacto præcedat, etiam probatur. Primum in intentione eſt vltimum in generatione. Sed quando concurrunt cauſa principalis, & cauſa inſtrumentalis ſimul ad aliquem effectum, tunc ille effectus eſt primus in intentione ſecundum id quod habet a cauſa principali: ergo ſecundum hanc rationem eſt vltimus in executione. Quatenus autem ille idem effectus habet eſſe ab inſtrumento, eſt poſterior in intentione: ergo etiam erit prior in executione, quàm ſit ſecundum quod eſt a principali agente, & per conſequens actio propria inſtrumenti eſt præuia, & prior quàm ſit actio principalis agentis.

Ex qua quidem opinione deducitur, quod cum inſtrumentum debeat habere aliquam virtutem, & operationem propriam circa effectum: Et nulla creatura poſſit habere vim, & actionem circa ipſum nihil, ſequitur, vt nulla creatura poſſit eleuari a Deo vt inſtrumentum ad creandum aliquid.

Alij ex oppoſito negant, eſſe de ratione inſtrumenti habere aliquam virtutem, & actionem propriam, per quam attingat effectum. Quocirca, aiunt,
licet aliqua inſtrumenta de facto habeant aliquam XVIII.
virtutem iuxta quam eleuantur, hæc tamen vis non eſt neceſſaria, ſed ſine huiuſmodi propria virtute, & operatione benè poſſunt eleuari, præſertim a Deo. Ita Scot. in 4. diſt. 1. quæſt. 1. Durand. in 4. diſtin. 1. quæſt. 4. de qua re Maſtr. in Phyſ. diſput. 7. quæſt. 5. art. 2.

Mihi hac in re tria videntur dicenda. Verum
eſt, quod inſtrumentum neceſſariò ex ſui ratione XIX.
debet habere aliquam diſpoſitionem propriam, ſiue aptitudinem potius ad hunc, quàm ad alium effectum producendum: quæ diſpoſitio eſt aliquid proprium ipſius inſtrumenti.

Alterum eſt, quod hæc inſtrumenti diſpoſitio eſt modificatiua actionis principalis agentis circa effectum ab eo producendum.

Tertium eſt. Inſtrumentum non habet aliquam actionem propriam, diſtinctam ab actione principalis agentis, circa effectum, ſed operatur circa eum per actionem principalis agentis, deferendo

eam

eam ad effectum, & modificando dictam actionem vt potius producat talem, quàm alterius conditionis affectum.

XX. Singula probo. Et quidem primum sensus ipse tum in instrumentis artium, tum in instrumentis naturæ commonstrat. Videmus, quod serra debet esse dura lata, dentata: Terebra alia forma prædita; alia malleus. Has appello proprias instrumentorum dispositiones. Et istæ procul dubio sunt aliquid proprium instrumentorum. Et nisi serra huiusmodi dispositionem haberet, frustra adhiberetur ab artifice ad sectionem. Quid enim causæ est, quod si faber lignarius super tabulam motu vicissitudinario, agitat aliud instrumentum, siue ligneum, siue etiam ferreum, non secat, ac facit serra? quia videl. illa instrumenta non habent id quod serræ proprium est.

XXI. Secundum nostrum assertum consequitur ex primo. Nam si dispositio instrumenti variat actionem principalis agentis, quemadmodum in exemplo nunc indicato cernis, quando serra efficit, vt motus, qui per aliud instrumentum haud esset sectio, sit sectio, ergo modificat eam. Atque hæc duo nostra asserta, & nihil aliud existimo intelligere D. Thomam, dum locis superius adductis ascribit instrumentis aliquid proprium, & aliquam virtutem, & actionem. Quod colligo ex ipsiusmet S. Doctoris probationibus in art. illo 5. primæ partis, quarum prima est. *Si instrumentum non operatur per aliquid sibi proprium, non oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Sic enim videmus, quod securis scindendo lignum, quod habet ex proprietate suæ formæ, producit scamni formam, quæ est effectus proprius principalis agentis.* Vbi vides, propriam dispositionem instrumenti, quod *determinata instrumenta*, adhibentur ad determinatas actiones: Et quod instrumenta hæc dispositionem habent, *ex proprietate suæ formæ*. Vides etiam modificationem actionis, quod *securis scindendo* facit scamnum: quia nimirum alia etiam instrumenta faciunt scamnum, & non scindendo. Altera Sancti Thomæ ratio est, quia si instrum. *nihil ibi ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum.* Agit profecto: modificat actionem principalis agentis, eam defert ad effectum, & per eam ipsam tangit effectum.

XXII. Tertium denique nostrum assertum, quod scilicet instrumentum non habeat aliquam actionem propriam, distinctam ab actione principalis agentis circa effectum, &c. ostendo, quia omnis actio instrumenti, qua instrumentum, circa effectum, conuenit illi per actionem principalis agentis. tum quia instrumentum, vt iterò ostendi, mouet vt motum: tum quia alias non ageret vt instrumentum, sed vt principale agens. Sed si instrumentum, dum actu cum principali agente operatur, haberet circa effectum aliquam actionem propriam distinctam ab actione principalis agentis, tunc non omnis eius operatio esset per actionem principalis agentis. ergo repugnat, instrumentum habere circa effectum actionem propriam distinctam ab principalis agentis. Minor est clara, quia illa propria ac distincta instrumenti actio non esset per actionem agentis principalis. Quocirca serra in ea actione non esset instrumentum: & cum supponatur esse instrumentum, simul esset instrumentum, & non esset.

Deinde, sumo illam instrumenti actionem distinctam ab actione principalis agentis, & peto, est ne alia entitas realiter distincta ab entitate actionis principalis agentis, an non? Esse aliam, planè videtur irrationabile: Quis credat, vnum simplicem fabri ictum in lignum esse duas entitates realiter distinctas? Sin autem non sunt duæ entitates, se ipsa discriminatæ, profectò non rectè dicunt, quod actio instrumenti est alia ac diuersa ab actione agentis principalis: & quod sit præuia, siue ante actionem principalis agentis: Siquidem eademmet entitas non est præuia sibi, neque est ante se ipsam.

Quod si auctores illi primæ opinionis hoc tantum intelligunt, quod effectus, V. G. sectio, siue scamnum, potest secundum vnam rationem referri ad causam principalem, & secundum aliam ad causam instrumentalem, verum quidem dicunt. XXIII Ast hoc non sufficit, vt dicamus, in effectu adesse duas actiones: atque vnam esse præuiam alteri, siue ante alteram, quemadmodum multi eorum loquuntur.

Quod si adhuc vis, actionem instrumenti appellari præuiam, potest interpretari hoc pacto: quod dispositio, & modificatio instrumenti vocatur præuia, quia præsupponitur ad eleuationem principalis agentis, vt adnotant aliqui moderni, inter quos est P. Ruiz. tract. 4. de caus. quæst. 3. Reliquæ particulæ in eadem tertia nostra assertione adiunctæ, ex dictis sunt claræ.

Fundamentum autem pro prima illa opinione adductum, sic est explicandum: quod instrumentum ex se habet dispositionem ad agendum, vt in prima nostra assertione dictum est: instrumenta enim parantur ad actionem. Dicta autem dispositio non debet absolutè dici virtus actiua, sed cum additio, idest, virtus actiua instrumentalis. Huic dispositioni, & si vis, virtuti respondet modificatio actionis principalis agentis, & instrumentum eleuatum per actionem eiusdem principalis agentis attingit effectum.

Ad aliud de præuia instrumenti actione, dico, quod idem numero effectus, totus est, & agentis principalis, & instrumenti, sed vtriusque in suo genere. Et totus hic est primò in intentione agentis principalis: & totus est vltimò in executione. instrumentum enim non intendit effectum. Quocirca figmento simile est dicere, effectum esse prius ab instrumento, postea à principali agente. Atque de instrumento hæc satis.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

De Causa ideali.



IDea vox græca *latinè dicitur forma*, , ait S. Thom. prim. part. quæst. 15. art. 1. At quia idea formatur
XXIV. a verbo εἴδω, quod est inspicio & video, idea, si originem vocis spectes, propriè denotat visum, siue inspectum, quoniam agens ideam internè inspiciens edit opus ad extra. Nihilominus non est, quod noua formemus nomina, cum idea iamdudum latina facta sit.

Frequenter Doctores pro eodem accipiunt ideam atque exemplar: tamen exemplar re ipsa latius patet quàm idea. Quippe exemplar, græcè παράδειγμα, competit etiam rebus a parte rei in se ipsis existentibus, quæ alicui proponuntur imitandæ. Sic corpora naturalia proposita V. G. pictoribus. & statuarijs imitanda, sunt illis exemplaria. Sic opera excellentiorum artificum iure alijs imperitioribus censentur exemplaria, veluti statuæ Dædali, aut Polycleti inseruiebant rudioribus artificibus pro exemplari. Sic litteræ à magistro propositæ puero imitandæ, sunt illi exemplar. Attamen neque corpora illa naturalia, neque statuas Dædali, vel Polycleti, neque litteras a magistro ad imitandum propositas ritè dixeris ideas; quia idea est tantum in mente. Ad plura igitur extenditur exemplar, quàm idea.

Hinc Senec. Epist. *66*. distinguit exemplar, quod aliud est internum, aliud externum. Exemplaria externa vides in exemplis a nobis nunc inductis: Exemplar verò internum est, quod sibi format in mente, qui aliquem effectum vult extra producere, & hoc propriè est idea. Iccircò idea a quibusdam potius dicitur *forma exemplaris*, quàm simpliciter exemplar. Et à S. Augustino in lib. 83. quæst. qu. 46. *idea dicta est forma intellectualis exemplaris*. Imo verò S. Thom. in prim. part. quæst. 15 art. 3. illud adiecit discrimen inter ideam, & exemplar in mente diuina, quod idea, quam in eodem art. vocat rationem, dicatur, quatenus respicit principium cognitionis: & spectat ad scientiam speculatiuam: exemplar autem dicatur, secundum quod est in mente diuina principium factionis rerum, & ad practicam cognitionem spectat quibus adnotatis, quæro primo.

An, & quomodo ponendæ sint ideæ.



PRincipio pro comperto habendum est, nec dari de facto, nec posse vnquam dari ideas XXV.
eo modo, quo Plato, ex relatione Aristotelis, posuit suas ideas.

Hic opinatus est, ideas esse quasdam substantias, & formas vniuersales ab omni re sensibili actu abiunctas, ac per se subsistentes, ex quarum participatione fiant res omnes. Sic colligitur ex Philosopho primo Metaph. cap. 5. & lib. tertio tex. 7. & lib. septimo tex. 53. & prim. Magn. moral cap. 2. & alibi sæpe. Huiusmodi autem ideas esse vtquequaque impossibiles, demonstrat idem Philosophus locis inductis multis rationibus, & nos apposuimus aliquas in principio huius operis, quæst. 2 proœmial sect. 2.

Interea vnam hanc subijcio. Si possent eiusmodi ideæ dari, posset dari aliquid, quod simul esset vniuersale, & non esset vniuersale. Hoc implicat, ergo &c. Consecutionem sic ostendo. Illæ ideæ instituebantur a Platone naturæ vniuersales. vnde septim. Metaph. tex. 55. dicit Arist. quod *omnis idea videtur participabilis*. Et in primo Poster. tex. 2. *idea est præter multa*: & in primo Metaph. cap. 2: *idea est id quod per se est separabile*. Quod autem est participabile, & quod est præter multa, & quod per se est separabile, id porrò vniuersale est. Ideæ itaque illæ essent vniuersales. Ex altera parte illæ eædem non essent vniuersales, quia omne quod per se existit, est singulare: Ideæ autem per se existerent. Hinc Arist. in primo Metaph cap 4. *id as*, inquit, *ponentis auferunt scientias, quia auferunt demonstrationem, quæ fieri nequit ex particularibus ambabus proportionibus* vbi vides, ideam supponi ceu particularem. Quod autem est particulare, id sanè vniuersale non est.

Consulto in conclusione dixi, non dari Platonis ideas, *vt de Platone retulit Arist.* quia multi & XXVI.
sanctitate, & doctrina viri præcipui constanter asseuerant, Platonem non eo modo inuexisse ideas, quo ei a Stagirite tribuuntur: sed ideas collocasse in mente diuina, quæ quidem sint rationes, ac formæ exemplares, ex quarum imitatione fiunt res omnes. Vno verbo, posuisse ideas in mente diuina, sicuti nostri etiam Theologi constituunt. Ita Clemens Alex. lib. 4. Strommat. circa finem, & lib. 5. ad initium. S. August. passim, præsertim verò lib. 7. de Ciuit. Dei, cap. 18. Eusebius in Præparat. Euangel. cap. 1. in quam rem multa deinde congessit August. Eugub. lib. 1. de perenni Philosophia cap. 12. deinde conniuenter alij.

Nihilominus ego existimo, hosce Patres non tam referre quid Plato de suis ideis senserit, quã quid ipsi XXVII.
vellent

vellent ipsum sensisse. Sic amat fieri. Erant nimirum dicti SS. Patres doctrinæ Platonicæ apprimè addicti, quemadmodum in opere de Triplic Stat. Anim. disput. 5. sect. 10 ostendit: ideirò eam doctrinam occulto quodam affectu ad optimum sensum trahere nisi sunt. Puto ingenuè Platonem per suas illas ideas tantoperè ab eo agitatas, non intellexisse ideas, ac rationes exemplares in mente diuina existentes, sed reuera illas eo modo inuexisse, quo Arist. eius opinionem, vt fidus viginti annorum discipulus retulit:

xxviii. Quod sic colligo. Primò ideæ se formæ exemplares in mente diuina existentes, sunt rerum omnium, & vt S. Thom. in prim. part. quæst. 15. art. 3. ostendit sũt, iã etiam rerũ quæ in aliquo tempore fiunt quàm earum, quæ cognoscuntur à Deo, tamen nunquam fient: alioquin Deus haud esset omnium opifex: neque cognosceret omnia. Sed ideæ à Platone inuectæ non sunt omnium, sed solum quarundam rerum. ergo per illas Platonis ideas non possumus intelligere ideas ac rationes, quibus diuina gaudet mens. Minor traditur à Siriano auctore Platonico lib. 12. Metaph. cap. 2. his omninò verbis. *Ideas ponentes, non omnium esse aiunt, quia non malorum, nec turpium, sed potius priuatione, & absentia idearum hæc in natura esse: nec sunt ideæ eorum, quæ alias aliter se habeat, nec partium, vt manus, & capitis: nec compositorum, vt hominis sapientis, nec eorum, quæ à diuersis arboribus connascuntur, nec artium, quæ naturam imitantur, &*
lxi. *ad solum naturæ vtilitatem pertinent. nec operum, quæ ex animæ proposito pendent; sed solum animalium, & perfectarum substantiarum sunt ideæ, & eorum, quæ conferunt ad naturalem harum substantiarum dispositionem, vt hominis, & si quid est omninò perfectum, sapientia, scilicet, & virtutis.*

xxix. Secundò, ideæ Platonis erant, ex quarum participatione fiant res: Sic ipse tradit in Parmin. & Phædro, & alibi. Et Arist. primo Metaph. cap. 5. *Pythagorici*, inquit, *aiebant, entia esse imitatione numerorum: Plato verò, nomen mutando, participatione.* Atqui ideæ in mente diuina existentes non sunt, ex quarum participatione res sint, sed benè res sunt ad illarum imitationem, siquidem ideæ diuinæ sunt ipsamet diuina essentia, vt est communne Doctorum decretum; Quis autem dicerit, equum, aut lapidem esse ex participatione diuinæ essentiæ?

xxx. Tertiò. Si Plato per suas illas ideas intelligeret rationes exemplares in mente diuina degentes, ad quarum imitationem Deus producit, se prodfert ad extra quæcunque producit, profectò non esset opus tanta circumscriptione, & tanto labore in ijs explicandis, aut potius implicandis, quia res in sententia Platonis erat clarissima. Is etenim possuit Deum rerum omnium conditorem, atque opificem, vt ex Timæo constat, vbi post productionem rerum omnium introducit Deum hoc pacto minores Deos, id est Intelligentias alloquentem. *Dij Deorum, quorum opifex ego, & pater sum, hæc attendite. Quæ a me facta sunt &c.* Quis autem nescit, quod in mente cuiuscunque opificis sunt ideæ, & exemplaria rerum ab eo producendarum? Quocirca non erat, quod Plato tantopere laboraret, ac torqueretur, vt suas illas ideas adsperiret: sed quia per eas intelligebat aliquid aliud, propterea in illarum explicatione multus, & varius est, quemadmodum videre licet in Phædone, in libris de Repub præsertim verò in Parmenid. vbi inter alia hæc habet: *Ideas nec habemus, nec apud nos sunt, nec ipsarum cognitionem habemus.*

Verùm mitto facio alia: hoc tantum inculco, videri penitus incredibile, quod Arist. vir immensæ existimationis, etiam dum inter viuos ageret, vo- xxxi.
luerit imponere Platoni opinionẽ vsqueadeò prodigiosam, eamque suis euulgare scriptis, viuente adhuc Platone, vel certè florente eius Academia, in qua quidem magna cum laude vigebant, ac docebant illius discipuli; eiusqoe dogmata ita ea tempestate multis arriserant, vt ipse Aristotelis discipulus, & in Peripato successor Theophrastus multa Platonis dogmata fuerit amplexatus. His ita se se habentibus, Arist. imponeret Platoni? Profectò non homines modo, sed tota gymnasia aduersus Aristotelem exclamassent. At nihil huiusmodi ab illius, aut subsecutæ ætates hominibus contra eum habemus, sed aliqui ex nostris SS Patribus, doctrinæ, vt dixi, Platonicæ addicti, eam ad diuinas ideas traxere.

Quocirca si vtrisque, id est & Aristoteli, & prçstans clarissimis Patribus satisfacere volueris, dicere potes, quod Plato re vera cognouit, & posuit in mente diuina rationes, & ideas rerum ab eo producendarum, quemadmodum etiam constituit mundum idealem, sed præter eas inuexit alias eo planè modo, quo recenfuit Arist Et quãdo Plato absolutè loquitur de ideis, intelligit has secundæ classis: propterea etiam Stagirites meritò atque optimo iure has reiulit, & relatas confutauit: Et nos in nostra conclusione asserimus, huiusmodi portentosa naturæ molimina nec de facto dari, nec posse vnquam dari.

His hunc in modum explosis, ideam in sensu
genuino, ac proprio sic definio: Idea est forma exi- xxxii.
stens in mente agentis intellectualis, quam ipsum agens internè inspiciens, producit ad extra opus simile illi. Formam pono loco generis: siquidem forma est aliquid commune, tum formis materialibus, tum à materia quocunque modo abiunctis. Reliquę particulę obtinent locum differentiæ. At primo quidem cum dico, *existens in mente agentis intellectualis*, Secerno ideam à formis tam materialibus, quam materiæ expertibus, cuiusmodi sunt intelligentiæ, quæ non in mente, sed in se ipsis existunt. Deinde, in mẽte agentis intellectualis insident variæ formæ, velut species intelligibilis impressa, species expressa, siue verbum, habitus intellectuales, & actus ab ipso intellectu eliciti, propterea coarcto per subsequentia verba, quod eam agens *internè inspiciens*, (contemplatur etenim agens intra se

ipsum

ipsum ideam) producit ad extra effectum similem atque conformem illi . Adhuc , cum dico , quod agens internè eam spectans operatur , &c. indico, tūc agens illud agere ex intentione: & propter finē.

XXXIII. Constituo secundam assertionem. Huiusmodi ideas re vera dari in rerum vniuersitate, ea certitudine tenendum est, qua tenemus, dari agentia intellectualia. Perinde est ac si dicam. Tales ideæ omninò debent dari.

Et quidem dari in nobis eiusmodi ideas ac formas exemplares, ostendit Philosophus septimo Metaph. tex. 23. & tex. 30 quo loci vniuersè constituit, artificialia fieri, *quorum forma est in anima: Formam autem dico ipsum quod erat esse vniuscuiusque*. & singillatim explicat, vt domus externa fit à domo existente in anima, & sanitas ad extra à sanitate, quæ est forma in anima. *Quare*, inquit, *quodam modo ex sanitate sanitatem accidit fieri, & domum ex domo, quæ sine materia, eam quæ habet materiam. Ars enim medendi, & ædificandi est forma sanitatis, & domus, Dico autem substantiam absque materia quod quid erat esse*. Sed hæc domus, & hæc sanitas, quæ sunt sine materia, & quæ sunt forma in anima, profectò nihil aliud sunt, quā ideæ, ergo secundum Arist. verè dantur tales ideæ. Differt autem idea ab arte, quia ars respicit multa, idea verò respicit vnum particulare.

XXXIV. Ratio quoque pro eadem assertione aperta est, quoniam omne agens intellectuale agit per intellectum: agere autem per intellectum est, intra se ipsum formare ac disponere rationem operis producendi: Hæc ratio, quæ in intellectu formatur, & respicit opus, nihil est aliud quàm idea, quare in omni agente intellectuali datur idea.

Præterea, Materia ex se in quacunque productione, seu naturali, siue artificiali est indeterminata: determinatur autem à determinata forma. Hæc formæ determinatio in artificialibus nequit aliunde oriri, quàm ex idea in mente artificis existente. Cur etenim mensa V.G. aut axedra tali forma, ac magnitudine extruitur, nisi quia ita ab artifice fuit præconcepta?

XXXV. Ex his sequitur, potiori iure iuxta veritatem collocandas esse in Deo ideas, ac formas exēplares omnium rerum, quæcumque ab eo producuntur in aliqua differentia tēporis, aut absolutè possunt produci: tum quia Deus Opt. Max. est agens maximè intellectuale: tum etiam quia, vt ex fide profitemur, est supremus omnium opifex. Quæ quidem ideæ in mente diuina indicantur Gen. 1. cum Deus ait, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Cuius sententiæ intellectus est, hominem fieri ad imaginem, nempe ideam ac similitudinem in mente Dei existentem. Hinc S. Thom. quæst. 3. de Verit. art. 1. in arg. sed contra refert S. Augustin. ita dicentem. *infidelis est, qui negat ideas esse in mente diuina*. De hac materia multa Scholastici agunt circum Magistr. Sentent. in 1. distin. 36. & S. Thom. in prim. part. quæst. 15. mihi hic immorandum non est.

Sed quæres, Quid Arist. de huiusmodi ideis respectu Primi mouentis, Dei, opinatus est? Censuitne in Deo adesse ideas ac rationes exemplares mundi, & rerum in eo existentium, an non? XXXVI.

Firmum ac dilucidum est, Aristotelem ex animo tenuisse, mundum, & motum iuxta ex parte esse æternum. Quo posito, ita existimo dicendum. Si mundus secundum suum esse est effectiuè productus a Deo, hoc duplici modo potuit euenire. Aut quod fluxit ab eo naturali quadam emanatione, sicut lux fluit à Sole: & hoc pacto non præcessit in Deo imago, & idea mundi.

Vnde qui posuerunt Deum esse agens necessarium, & ab eo procedere omnia per necessitatem naturæ, non per arbitrium voluntatis, non possunt ponere ideas in Deo, quia ea quæ ex necessitate naturæ agunt, non agunt ex præconcepto fine, & formata idea,

Aut mundus emanauit per intellectum, & voluntatem, quamquam ab æterno; Et hoc modo potest in eo concipi simultanea quædam idea cum ipso effectu. Enimuerò si effectus est æternus, profectò saltem tempore non præcessit eius idea. Ita Stagirites dixisset de Deo respectu Vniuersi.

Cæterùm respectu rerum sublunarium Deus, in sententia Aristotelis habet ideas eminenti quodam modo: Ratio huius asserti est, quia Arist. vt in octauo huius operis lib. ostendi, vtique existimauit Deum respectu mundi, & motus ipsius esse agens necessarium; nihilominus reliquit in eo secundario, & mediantibus alijs causis cognitionem, & eminentem quandam libertatem circa res sublunares. Hæc de primo quæsito: iam inquiro secundò.

Quomodo Ideæ causant.



Arios hoc theorema potest edere sensus. Primò, an idea causet vt quoddam distinctum causæ genus à quatuor causarum generibus iam enarratis, sicut nonnulli Academici opinati sunt. Ad quod respondeo negatiuè, quia nulla potest de idea excitari quæstio, cui non abundè satisfiat per illas quatuor causas. quare superuacaneè introduceretur aliud distinctum causæ genus à præfatis quatuor. Reducitur ergo idea ad causas iam constitutas. XXXVII.

At tunc succedit alius sensus eiusdem quæsiti, *quomodo idea causat*, id est, causatne vt causa formalis, an vt efficiens, an quomodo? quod est quærere, ad quodnam causæ genus idea reducitur.

Respondeo, reduci ad genus causæ formalis: tum ad genus causæ efficientis: & ad causam finalem intermediam.

Prima pars traditur ab Arist. tex. 28. huius lib. vbi expressurus causam formalem ita scribit. *Alie*

autem

Digitized by Google

autem modo causa est forma, & exemplar: hęc autē est ratio ipsius quod quid erat esse. Vbi vides, exemplar, siue ideam collocari in genere causæ formalis. Item idea ex septimo Metaph. tex. 23. est forma, & *ipsum quod quid erat esse vniuscuiusque* effectus artificiati: Ipsum autem quod quid erat esse est forma.

Imò verò idea duplici ratione est forma. Vna quidem respectu intellectus, in quo recipitur & residet: Altera respectu effectus producendi: Quantū ad
xxviii. primum, ex eo apparet, quia agens intellectuale per ideam constituitur in actu primo tale agens, & per illam eandem actu operatur hunc aut illum effectū. Siquidem ratio, cur hic facit domum, ille scamnum est, quia hic habat apud se ideā domus, ille scamni: Sed id per quod aliquid constituitur in actu primo, & per quod actu agit, est eius forma. ergo idea collata ad subiectum, in quo est, erit forma. Et hac ratione potest dici forma intrinseca subiecto.

Quantum autē ad secundū, id est respectu effectus, idea est forma extrinseca. Pro cuius rei intelligentia notanda est doctrina D. Thomæ q. 3. de Veritat. art. 1. quod forma alicuius rei potest dici tripliciter. Vno
xxix. modo, a qua formatur res, sicut a forma agētis procedit formatio effectus, sed quia non est de necessitate actionis, vt effectus pertingat ad cōpletam rationē formæ agentis, cū frequēter deficiant, maximè in causis æquiuocis, ideò forma, a qua formatur aliquid, nō dicitur esse idea, vel forma. Alio modo dicitur forma alicuius, secundū quā aliquod formatur, sicut anima est forma hominis, & figura statuæ est forma Cupri. Et quamuis forma, quæ est pars cōpositi, verè dicatur esse illius forma, non tamen cōsueuit dici eius idea, quia videtur hoc nomen idea significare formam separatam ab eo, cuius est forma. Tertiò modo dicitur forma alicuius illud, ad quod aliquid formatur: & hæc est forma exemplaris, ad cuius similitudinem aliquid cōstituitur: & in hac significatione consuetum est nomen ideæ accipi, vt idea idem sit, quod forma, quam aliquid imitatur. hæc S. Doctor.

Secūda pars assertionis, quod videl. idea reducatur ad genus causæ efficientis, intelligitur de causa efficiente vt Quo: & euidenter colligitur ex præcedenti parte, quia omnis forma, dū cōstituit aliquid in esse, est eidem principium agendi, siquidem quod elargitur esse rei, elargitur & operari. Sed idea constituit agens intellectuale in esse talis agentis, vt nūc ostendi,
xl. quare idea est principium operādi eidem artifici. Principiū autē operandi est causa efficiens: ergo idea est causa efficiens. Sic etiā colligitur ex Philosopho cùm alibi, tum septimo Metaph. tex. 23. vbi causam cōualescendi, dū fit ab arte, ait esse formā in anima, idest artem, siue ideā sanitatis. *Faciens igitur, & vnde cōualescēdi motus incipit, si ab arte, forma est in anima.*

Tertia deniq; pars ex eo suadetur, quia finis arti-
xli. ficis, dum operatur, est, facere opus simile suæ ideæ. ergo idea ingreditur rationem finis. Propterea cum artifex in conficiendo opere deficit a sua idea, dicitur defecisse a suo fine. Et quia idea ordinatur ad aliud, Nā domificator V. G. cōcipit castruēdā domū, propter habitationē, ideo idea est finis intermedius, vt in eadem conclusionis parte dixi. Atq; hæc de idea, & omninò de causis p̄ q̄stiones dictis sint: Reuertar ad Arist. *Nā mea iam lōgo meruit ratis æquore portū.*

Finis de causis per se.

CAPVT V.

Instituitur Disputatio de Casu, & fortuna: & referuntur aliorum opiniones de ipsis.

TEXTVS XXXIX.



DICITVR autem & Fortuna, & Casus de numero causarum esse: & multa I.
& esse, & fieri propter fortunam, & casum. Quo igitur modo in his causis est fortuna, & casus, & vtrum idem sint fortuna, & casus, aut diuersum, & omninò quid sit fortuna, & casus, considerandum est.

Absoluta tractatione causarum per se, accingitur nunc Arist. explicare causas per accidens. Pri-
mò, quia dum de causis edissereret, fecit in tex. 30. II.
mentionem causæ per accidens: necesse itaque habuit, hanc declarare. Secundò, quia cum hactenus explicuerit manifestas causarum species, & causas ipsas, quæ palam agunt; pergit nunc explicare quasdam causas, quæ vel ex communi hominum sensu dicuntur causare occultè, cuiusmodi sunt casus, & fortuna. Tertiò, quia de casu, & fortuna variæ extiterunt inter antiquos opiniones. Quartò, quia fortunæ adscribuntur varia attributa vulgo iactata, & quasi per manus tradita, quæ explicari debent, quo vnquam intellectu accipienda sint.

Auctor autem hanc solam causam ponit in principio huius tex. quod post tractationem causarum per se, agendum incumbit de casu, & fortuna, quia etiam ipsa dicuntur esse causæ. *Fortuna*, inquit, *etiam, & casus de numero causarum esse dicuntur*. Quod etiam probat, quia illa est causa, a qua aliqua fiunt, & sunt: At *multa, & esse, & fieri dicuntur a fortuna, & casu*, propterea de his est agendum.

Deinde, proponit tria theoremata de casu, & for-
tuna discutienda. Primò, quomodo casus, & for- III.
tuna sint in his causis: videl. quomodo reducantur ad quatuor causas iam enarratas. Enimuero nisi redigantur ad illas, fatendum erit, causas per se esse plures, quàm quatuor. Hoc proponit Auctor illis verbis, *considerandum est igitur, quomodo sunt in his causis fortuna, & casus*. Secundò, proponit videndum esse, vtrumne casus, & fortuna sint vnum, & idem; an inter se dissideant; *& vtrum idem sit fortuna, & casus*, ἢ ἕτερον, *an diuersum*. Et

quia diuersitas inter aliqua potissimùm hauritur ex eorundem definitione; ideircò proponit tertiò, esse inuestigandum, quid vtrumque illorum sit, *& omninò quidnam sit fortuna, & casus*. Porrò quæstio, quid res est, supponit quæstionem, quod est, ideò Arist. ab hac ducit initium, & quærit, an fortuna, & casus sint aliquid reale, an verò inania tantum nomina, & absque vlla subiecta re.

TECTVS XL. & XLI.



Vidam enim & si sint, an non, dubitant: nihil enim fieri a fortuna dicunt, sed omnium esse aliquam causam determinatam, quæcumque dicimus à casu fieri, aut a fortuna, vt veniendi a fortuna in forum, & reperiendi quem volebat quidem, non autem putabat. Causa est, velle, cum venerit, emere. Similiter autem & in alijs, quæ a fortuna dicuntur, semper aliquam esse accipere causam, sed non fortunam. Quoniam si aliquid esset fortuna, inconueniens vtique per quam verè videbitur, & dubitabit vtique aliquis, propter quid nullus antiquorum sapientum causas de generatione, & corruptione dicens, de fortuna quidquam determinauit, sed (vt videtur) nihil opinabantur illi esse a fortuna.

I. Inuestigaturus an casus, & fortuna sint aliquid, refert primò, vt suus est mos, aliorum opiniones, vt ijs reiectis, legitimè ac syncerè constituat suam. Refert autem tres opiniones. Quidam absolutè negauerunt Casum, & fortunam. Alij casum & fortunam dixerunt esse causas tantum Cœli, & motuum Cœlestium. Alij fortunam appellauerunt quoddam Numen.

Et quidem in his duobus contextibus tria facit. Ponit primam opinionem, & subnectit duplex eius fundamentum, videl. a ratione, & auctoritate petitum. Ait itaque. *Quidam enim, an sit casus, & fortuna, nec ne, dubitant*. Negant nimirum, ea esse aliquid reale.

Ratio eorum fuit. Si casus, & fortuna essent aliquid reale, maximè, quia dantur in rerum na-

II. tura quidam effectus veri, ac reales, qui nullam habent certam ac determinatam sui causam: ea namque ex communi hominum consensu dicuntur casualia, & fortuita, quæ, cum eueniunt, nullam dicuntur habere causam determinatam, sed indefinitè, & insolitè censentur contingere. Atqui hoc fundamentum falsum est, quia omnium, quæ fiunt, est assignare certam ac determinatam causam. Hanc minorem declarat Auctor exemplo vnius effectus, qui communiter appellatur fortuitus, quando videlicet proficiscitur aliquis in forum, vt emat aliquid; & ibi inuenit debitorem, *quem volebat quidem, non putabat autem* inuenire. Inuentio debitoris nuncupatur fortuna, quia contingit præter intentionem illius, qui in plateam iuit. At hæc inuentio habet causam certam ac definitam, quæ est voluntas emendi, ob quam quidem iuit in forum, vbi erat debitor, quem inuenit. Et quod de hac inuentione dicitur, id idem fatendum erit in omnibus alijs, quæ dicuntur esse a fortuna: omnium enim adest aliqua alia definita causa præter fortunam.

Subnectit in tex. 41. aliud fundamentum, quòd antiqui sapientes, qui de causis ortus, & interitus III.
rerum verba fecerunt, nihil vnquam de casu, & fortuna determinarunt: Argumento itaque est, eos existimasse, casum, & fortunam re vera esse solum conficta nomina, & omninò nihil. Inconueniens quippe est, & meritò quispiam dubitaret, cur Veteres illi tractantes causas rerum, in quibus casus, & fortuna insidere videntur, non etiam de ijs tractarint? Sed propterea, vt videtur, hoc facere neglexerunt, quoniam illi quoque arbitrabantur, nihil esse a fortuna.

TEXTVS XLII.



Ed & hoc mirabile est. Multa enim & fiunt, & sunt a fortuna, & casu, quæ non ignorantes, quod licet referre ad aliquam causam vnumquodque eorum, quæ fiunt; vt antiquus sermo dixit, destruens fortunam, horum tamen alia quidem esse dicunt omnes a fortuna, alia verò non a fortuna.

Vtranque propositam rationem conuellit: Et primam quidem, *quia mirabile & hoc est. &c.* Auctores, inquit, opinionis negantis casum, & I.
fortunam, (quam opinionem appellat παλαιὸν λόγον, *antiquum sermonem*, quasi obsoletum) sibi pugnantia dicunt. Siquidem vna quidem ex parte, horum, quæ videl. fiunt, *alia quidem esse, dicunt omnes, a fortuna, alia verò non a fortuna.*

Ex altera autem parte inficiantur casum, & fortunam, asseuerantes, omnes omninò effectus habere certam ac determinatam causam, *non ignorantes*, idest contendentes, ὅτι ἐστί [illegible] ἕκαστον αἴτιον τῶν γιγνομένων: Sic vere, quod vnumquodque eorum, quæ fiunt, possit ad aliquam causam referri.

Tunc sic vrget. Si omnia quæ fiunt, & sunt, habent determinatas causas, ac proinde omnium est æqualis conditio. Quid causæ est, quod alios II.
quidem effectus appellant fortuitos, alios autem non? Mirabile profectò est, quod omnia, quæ fiunt, & sunt, ex æquo prædita sint certis, ac determinatis causis, & nihilominus alia dicantur fieri a fortuna, alia non item. Deinde cum ait.

Digitized by Google

TEXTVS XLIII.



Vocirca & quodammodo erat facienda ipsis mentio. At verò neque illorum quidem aliquid opinabantur esse fortunam, vt amicitiam, aut litem, aut ignem, aut intellectum, aut aliquod aliud talium. Inconueniens est igitur, siue non putauerunt esse, siue putantes reliquerunt, præsertim aliquando, vtentes, vt Empedocles non semper aerem segregari superius dicit, sed vt acciderit. Dicit enim in mundi fabrica:

Sæpè alias aliter, sed tunc sic forte cucurrit

Et partes animaliū a fortuna fieri plurimas ait.

I. Conuellit secundam rationem, & in ea, tria facit. Primò ait, priscos illos te vera in hoc defecisse, quia ἀμηχάνως *aliquo pacto erat illis facienda mentio* de casu, & fortuna. Siquidem aut in ea versabantur opinione, quod casus, & fortuna aliquid essent, aut opinabantur esse nihil. Si prius, tenebantur omninò apertè quidnam casus, & fortuna essent. Si posterius, adhuc tenebantur de casu, & fortuna edisserere, ac nobis in aperto constituere, ea haud esse aliquid, sed esse voces vacuas, ac merum nihil. Quod cum non fecerint, meritò carpendi sunt.

Posset aliquis dicere, Veteres complexos esse casum, & fortunam in causis, quas illi ponebant. Excludit Philosophus hoc dictum, *At verò neque illorum quidem aliquid opinabantur esse fortunam, &c.* Illi, inquit, nunquam aiebant, casum, & fortunam esse quippiam ex ijs causis, quas pro generatione, & constitutione rerum attingebant, vt Empedocles *amicitiam, & litem, aut ignem*, id est, quatuor elementa, *aut intellectum*, quemadmodum videl. Anaxagoras: *aut aliquid aliud huiusmodi*: ideircò omninò defecerunt, quia de casu, & fortuna nihil determinauerunt.

II. Sugillatum vrget Empedoclē, quod hic sæpenumero, nomine casus, & fortunæ visus sit in rebus: Omninò itaque debebat explicare, quidnam, & quomodo hæc essent. Quod autem Empedocles dictis nominibus sæpe vsus sit, confirmat Arist. ex duplici illius dicto. Primò, quia Empedocles aiebat, aerem in constitutione mundorum, quos ille iactabat, successiue fieri; ac destrui, non semper ab alijs elementis segregari eodem modo, neque in omni mundo aerem sua natura tenere locum superiorem terra, & aqua, vt nunc in hoc mundo habet, sed ita forte fortuna accidisse: in alijs autem mundis, alijs temporibus factis, aerem multoties habuisse alium locum inter elementa. Ad quod quidem comprobandum adducit Arist. ipsiusmet Empedoclis versum ex lib. cui ille nomen fecit κοσμοποιΐα *fabrica mundi.*

οὕτω συνέκυρσε θέων τότε, πολλάκι δ᾽ ἄλλως.

Sæpe alias aliter, sed tunc sic forte cucurrit.

Id est aer sæpe eucurrit alias in alijs mundis alio modo; sed eum hic noster mundus fieret, tunc casu eucurrit sic, in eum videl. locum, in quo nunc est. Hæc eadem verba Empedoclis legimus in lib. secundo de Ort. & inter tex. 44. ad id idem propositum ab Stagirite relata. Vbi etiam addit, quod Empedocles opinatus est, elementa casu, ac fortuna, non ratione aliqua misceri: ideòque naturam destruebat, aut certè eius non meminit, sed solius fortunæ. En eius verba. *Amplius autem, & apparent, quòd mouentur; segregauit enim lis, latus autem fuit superius æther, non à lite, sed quandoque quidem, inquit, vel vt a fortuna.*

Nam plerunque aliter, sed tum sic forte cucurrit. Quandoque autem, inquit, natum esse ignem sursum ferri; Aether autem longis terram ingrediebatur radicibus.

Secundò Arist. probat, Empedoclem vsum fuisse nomine casus, & fortunæ, quia dicit, *partes animalium fortuna fieri plurimas*. Quomodo Empedocles casu, & fortuito constitueret animalium partes, explicat Arist. in primo de Part. animal. cap. primo. vbi vide.

TEXTVS XLIV.



Sunt autem quidam, qui & Cœli huius, & mundanorum omnium causam esse ponunt casū: a casu enim fieri dicunt reuolutionem, & motum, qui discreuit, & constituit in hunc ordinem vniuersum.

Ponit hic secundam opinionem: deinde per tres subsequentes contex. eam ipsam expendit. Ait itaque, extitisse nonnullos, *qui casum, aiunt esse causam Cœli huius, & mundanorum omnium*. Dicunt, Cœlum hoc, & mundana omnia a casu esse fabrefacta, quia reuolutio, & motus fiunt a casu, qui quidem motus distinxit, & constituit vniuersum hoc ordine, quem cernimus. I.

Auctor huius dogmatis extitit Democritus, qui ex infinitis atomis construebat innumeros mundos: & alios quidem gigni, alios autem interire. Atque eorum omnium generationem reducebat ad casum; quemadmodum in primo de Cœlo, & lib. primo de Part. animal. cap. I. legimus, quia videl. atomi ex infinito vacuo, in quo temerè ferebantur, casu ita confluxerint, & conflauerint hunc, aut alium mundum.

Verba illa, *casum faciunt causam Cœli huius & mundanorum omnium* gemino modo exponi. Primò, vt omnia hæc referat ad hunc nostrum mundum; ita vt per Cœlum, Arist. intelligat corpora Cœlestia; per, *Mundum*, verò intelligat alias partes constituentes hunc eundem mundum, cuiusmodi sunt elementa. Omnia quippe hæc Democritus a casu asseruit ita facta, ac disposita esse. Hoc verò dicit Arist. ad differentiam aliarum rerum, q[ue] II.

Digitized by Google

in hoc eodem mundo reperiuntur, vt sunt plantæ, & animalia, quæ porrò idem Democritus aiebat, haud esse a casu, sed a natura; quemadmodum dicimus ex hoc, & sequente contex. nec non ex primo de Part. animal. cap. 1. Atque hæc expositio eo fulcitur fundamento, quia in subsequentibus verbis fit mentio tantum de vno mundo, cum dicitur, quod reuolutio, & motio secreuit in hunc ordinem, *& constituit vniuersum.*

Secundò expono, vt Arist. *Cœlum* referat ad hûc
II. nostrum mundum totum: Cœlum enim significat etiam totum mundum, quemadmodum explicat idem Philop. in primo de Cœlo tex. 102 *Mundana* autem referat ad alios mundos, siue ad illa, quæ ad aliosmundos constituendos spectant. Siquidem Democritus alios etiam mundos asseuerabat factos a casu. Quam quidem expositionem videtur mihi indicare modus loquendi Aristotelis, *τοῦ οὐρανοῦ τοῦδε Cœli huius*, qui perinde est, ac si dicat, huius Cœli nostri; ad differentiam aliorum Cœlorum, qui porrò in alijs mundis, quos indicat per subsequentem vocem *mundanorum* existunt. Quid si pro *κοσμικῶν*, *mundanorum*, legas *κόσμων*, mundorum? Dici quoque potest, quod per mundana intelligat affectiones ad alios, atque alios mundos spectantes, veluti quod hic mundus sit talis figuræ, alius verò alterius; Hic talis constitutionis, tantæq; molis, alij alterius, & fortasse maioris, aut minoris.

Hanc Democriti opinionem refert, & impugnat, Arist. in Primo de Part. animal. capite. 1. dum hæc omninò commiuit literis. *Vt enim ars in artificiosis, ita in rebus ipsis aliquod esse principium aliud, & talis causa videtur, quam ex vniuerso perinde vt caloris frigorisque primordia habemus. Quam ob rem verisimilius dixerim, Cœlum & factum esse ab eiusmodi causa, si factum est, & magis esse ob eam causam, quàm animalia caduca, & mortalia. Ordo enim & ratus, certusque status longè magis in rebus patet Cœlestibus, quam in nobis; incerta autem, inconstans, & fortuita conditio in genere mortali potius est. At illi genus animalium quodque natura constare, extitisseque, censent. Cœlum autem forte, sponteque tale constitisse volunt, in quo nil fortunæ, nil temeritatis deprehendi potest.* Eandem opinionem eleganter explicat Lucret. lib 2. de rebus naturalibus prope finem, vbi sic exorditur.

Nullo iam pacto verisimile, &c.

TECTVS XLV. & XLVI.



T valdè hoc ipsum admiratione dignum est, quod dicant, ipsa quidem animalia, ac plantas à fortuna nec esse, nec fieri, sed aut naturam; aut intellectum, aut quippiam tale aliud esse causã. non enim quoduis ex semine vnoquoque fit, sed ex tali quidem olea, ex tali autem homo; Cœlum autem, & diuiniora sensibilium a casu fieri: talem autem causam nullam esse, qualem animalium, & plantarum. Atqui, si sic se habeat hoc ipsum dignum est consideratione, & bene sese habet dici aliquid de hoc ipso. Nam præter quam quod, & alioqui absurdum est, quod dicitur, adhuc absurdius est dicere, cum videant in Cœlo nihil à casu factum, in ijs autem, quæ non à fortuna, multa contingere à fortuna, attamen par erat contrarium fieri

Euertit relatam Democriti opinionem: & in his I.
duobus contextibus tria facit. Pronunciat eius censuram; & adijcit suæ censuræ duplicem rationem.

Inquit ergo, *hoc etiam ipsum valde dignum est admiratione*, quia scilicet manifestam suam secum habet improbabilitatem. Et statim subdit primam rationem ex dictis ipsiusmet Democriti, & aliorum eius opinionis sectatorum asentium, sublunaria, *vt animalia, & plantas neque esse, neque fieri a fortuna*, & à casu: sed istorum causas esse determinatas, quæ sint aut natura, aut intellectus, aut aliquid aliud certum, ac determinatum. Quod quidem vel ex eo confiteri cogebantur, quia oculis suis intuebantur, *non ex cuiuslibet semine quoduis nasci, sed ex tali oliuam, ex tali hominem*, ex alio certo, ac determinato canem, ex alio bouem, & ita in reliquis. Quod si hæc inferiora, caduca, fluxa, & humilia, neq; fiunt, neq; sunt à fortuna, & casu, sed aut ab optima rerum parente natura, aut à prouido intellectu, aut ab aliqua alia causa definita, nonne mirabile dictu est, *Cœlum*, mundum scilicet vniuersum, *καὶ τὰ θειότερα τῶν φανερῶν, & diuiniora manifestorum*, siue *sublimium*: sublimia, inquam, ac diuina corpora Cœlestia, nullam obtinere determinatam causam, *qualem habent animalia, & plantæ*, sed esse facta temerè, & à casu?

Profectò hoc ipsum si ita se habet, *ἄξιον ἐπιστάσεως*, Vox *ἐπιστάσεως*, non significat considerationem vtcunque, sed accuratam inspectionem, & si ita loqui lu- II.
bet, insistentiam. Et dicta verba gemino modo expono. Primò, si res ita sese habet, quemadmodum ipsi dicunt, dignum porrò erat, vt illi huic rei insisterent, & afferrent huius differentiæ rationem, cur subcœlestia non fiant a casu, benè autem mundana? At nullam attulerunt: propterea *benè sese habet dici aliquid de hoc ipso.* Secundò,

Digitized by Google

si res ita se habet, dignum est, vt nos huic ipsi contemplationi insistamus, siue constanter & diligentes expendamus: nam *bene sese habet dici aliquid de hoc ipso*.

Subdit in tex. 46. πρὸς γὰρ καὶ ἄλλως ἄτοπον εἶναι τὸ λεγόμενον, quæ verba incommodè translata sunt,
111. *Nam præter quamquod; & alioquin absurdum est, quod dicitur, adhuc absurdius est dicere, hæc &c.* Peius habet alia lectio. *Quomodo enim eo quod aliter inconueniens est, quod dicitur, adhuc inconuenientius dicere &c.* Dic: Nam præter quam quod, & alio modo absursum est quod dicitur, adhuc absurdius est dicere hæc, cum videant in Cœlo &c. Quasi Arist. duo absurda distinguat. Vnum, quod colligitur ratione; Alterum, quod colligitur a sensu & hoc maius est.

Inquit itaque, asserere, vt ait præfata opinio, est absurdum & alio modo; tùm propter rationem nunc confectam, tùm propter alias, quæ efferri possent; sed adhuc est absurdius, quia aduersatur sensui, per quem quidem cernimus, nihil in Cœlo fieri ex accidente, nihil temerè, nihil indeterminatè, sed cuncta statis temporibus, & inuariabili ordine euenire: e contra verò videmus in sublunaribus, veluti in plantis, & animalibus, quæ illi dicunt, *non esse a fortuna*, complura fieri per accidens, & fortuito vt, V. G. monstra: ergo sensus ipse docet, in his potius, quàm in illis adesse casum, ac temeritatem. De hac opinione perpende verba Aristotelis ex lib. primo de Part. animal. cap. 1. prope finem, quæ in tex. præced. apposui. Ego ad alia pergo.

TEXTVS XLVII.



Unt autem quidam, quibus fortuna videtur quidem esse causa, immanifesta autem humano intellectui, tanquam diuinum quiddam existens, & fælicius. Quare considerandum est, & quid sit vtrunque, & si idem, an aliud, & casus, & fortuna; & quomodo in determinatas causas incidunt.

Adijcit tertiam de fortuna opinionem, quod
1. aliqui censuerunt quidem fortunam esse causam, veruntamen dixerunt, eam esse intellectui humano occultam, atque immanifestam.

Quoniam verò gemino modo contingere potest, aliquid esse humano intellectui ignotum,
II. & immanifestum; Vno quidem, ob sui diminutionem, & exilitatem, quo pacto materia prima dicitur per se ignota, & immanifesta, atque ideò dicitur scibilis per aliud, & analogiam, vt explicatur in tex. 69. lib. primi: Et priuatio per se est immanifesta, & solum cognoscitur per formam, qua priuat. Altero modo est aliquid ignotum, & immanifestum ob maximam sui excellentiam, quæ longa intercapedine intellectus nostri exuperat proportionem: Sic Deus, & Intelligentiæ existunt nobis ignotæ, ac immanifestæ, ad quas *intellectus noster se habet, sicut oculus nycticoracis ad lumen diei* ex secundo Metaph. tex. 2. Cum, inquam, gemina hac significatione sit aliquid humano intellectui abditum, ac immanifestum, ideò subiungit Aristotel. qua ratione Veteres illi asseuerarint, fortunam esse causam intellectui humano *immanifestam*, Et ait ὡς θεῖόν τι, καὶ δαιμονιώτερον, Quædam latinæ translationes habent, *tanquam diuinum quoddam existens, & fælicius* Alia verò sic legit: *tanquam diuinum quoddam ens, & excellens*. Melius, opinor, sic: *tanquam excellens quiddam existens, & natura diuiniore præditum*. Nam θεῖον, hic significat excellens, vt etiam in tex. 81. lib. præced. aiebat Arist. de omni forma, *existente diuino quodam bono, & appetibili*. δαιμονιώτερον autem idem est, ac si dicas, magis Dæmonium; ideò transtuli per subsequentia verba, *natura diuiniore præditum*.

Huic opinioni non se opponit Aristot. siue quòd fortunam reuereretur haberet, siue quod 112.
prudenter nolit superiorum, & occultarum causarum ordinationi quicquam derogare. Enimuerò *illa opinio volebat, quod omnes fortuiti euentus reducerentur in aliquam diuinam causam ordinantem, sicuti ponimus omnia ordinari per diuinam prouidentiam. Sed quamuis hæc opinio habeat veram radicem, non tamen bene vsi sunt nomine fortunæ. Illud enim diuinum ordinans, non potest dici, vel nominari fortuna, quia secundum quod aliquid participat rationem, vel ordinem, recedit à ratione fortunæ*. inquit S. Thom. in com. Vel potius ideo Arist. nihil obijcit contra eam opinionem, quia inferius in tex. 55 explicabit, quonam intellectu hoc dictum sit accipiendum: Ideò solum repetit in tex. ea quæ de casu, & fortuna discutienda sunt, vt in tex. patet.

AD.

ADNOTATIO.

IV. Ractatio de casu, & fortuna malè videtur ab Aristotele institui. Primò, quia tritum est in Philosophia, quod de ente per accidens non habetur scientia; ita docet ipsemet Philosophus tum alibi sæpe, tum in sexto Metaph. tex. 4. vbi hæc omninò scribit. *cum itaque ens multipliciter dicatur, primò, de eo, quod secundum accidens est, dicendum, quod nulla circa illud speculatio est. Signum autem, quod nulli scientiæ cura est illud*; Quod deinde multis exemplis probat. Et in tex. 6. addit rationem, cum ita scribit. *Quod autem non est accidentis scientia, patet. Omnis enim scientia eius est, quod aut semper, aut vt plurimum est. Quomodo enim discet, aut alium docebit? oportet enim vt determinentur, aut per semper, aut per vt plurimum, vt puta febricitanti proficuum melicratum est vt plurimum. Accidens verò præter hæc est.*

Sed casus, & fortuna sunt entis per accidens, sunt enim causæ per accidens, vt commonstrat idẽ Philosophus hic tex. 50. quare de casu, & fortuna nequit haberi scientia: ac proinde temerè de ijs instituitur tractatio.

Accedit, quod causæ per accidens non possunt sciri, quia auctore eodem Philosopho locis nunc indicatis, *sunt infinita*. Sed casus, & fortuna sunt causæ per accidens, quemadmodum ex professo probat Aristotel. in tex. 50. nunc indicato, non ergo possunt sciri.

Nihilominus dicendum est, quod de casu, &
V. fortuna optimè habetur scientia. Et cum casus, & fortuna sint innexa cum rebus physicis, quæ fiunt per se, & propter aliquem finem, meritò de casu, & fortuna instituitur consideratio in hac Physica tractatione. Ad argumenta autem respondeo, quod aliud est loqui de ente per accidens, vt tale ens est; aliud est loqui de ratione entis per accidens. Entia per accidens, quæ huiusmodi sunt, non cadunt sub considerationem alicuius scientiæ: Cœterum ratio eius, quod est esse ens per accidens, verè consideratur a scientia: Quemadmodum licet id, quod infinitum est, secundum quod est infinitum, sit ignotum, vt docet Philosophus cùm alibi, tum in lib. primo Phys. tex. 33. nihilominus de infinito, siue de ratione infiniti, secundum quod est infinitum, optimè est scientia, & propterea de eo etiam agitur in tertio huius operis. Sic itaque, quamuis casus, & fortuna sint entia, & causæ per accidens, commodè potest earum natura, & conditio explicari.

Respondeo 2. quod aliud est loqui de ente per
accidens, qua tale ens est, aliud autem agere, quod VI.
hoc ens per accidens sequatur ad id, quod est per se. Hoc secundo modo tractatur de casu, & fortuna. Nam fortuna sequitur effectum intentum per se, & est coniuncta cum intellectu: quippè fortuna non nisi in hominibus reperitur: Eodem pacto casus sequitur effectum per se, & est coniunctus cum natura. & propterea casus, & fortuna reducuntur ad illud causæ genus, in quo est intellectus, & natura, id est causæ efficiens, vt docebit Arist. in tex. 66. id est ad genus causæ efficientis, quemadmodum Stagirites infra tex 66. ex instituto docet. Nunc sequitur.

CAPVT VI.

An sint Fortuna, & Casus, & quid sint.

TEXTVS XLVIII.

*RIMVM igitur cum videamus alia quidem semper similiter fieri, alia autem frequenter, manifestum est, quod neutri horum causa fortuna dicitur. Id enim quod à fortuna, neque eius est, quod ex necessitate, & semper, neq; eius, quod est frequenter; Sed quoniam quædam fiunt, et præter hæc, & omnes hæc dicunt esse a fortuna, manifestum, quod aliquid est fortuna, & casus: talia enim a fortuna, & quæ a fortuna, talia esse scimus.*

Excussis Veterum Philosophorum opinionibus circa casum, & fortunã, aggitur iam Arist. ex sua
mente aperire propositas quæstiones, videl. an ca- I.
sus, & fortuna sint aliquid reale: quid sint: quomodo inter se differant: & ad quodnam causæ genus reducantur. At quoniam definitio rei explicat quid ea sit, idcircò Stagirites aggreditur inuenire casus, & fortunæ definitiones. Aptissima autem methodus deprehendendi definitiones, vt idem Philosophus docuit in secundo Poster. cap. 10. est diuisio, propterea incipit a diuisionibus rerum; ex quibus etiam euidenter colligit, quod casus, & fortuna sint. Et quia effectus sunt nobis notiores, ponit per duos tex. diuisionem effectuum; postea in tex. 50. ponit diuisionem causarum:

Pro-

Progreditur autem admirabili artificio. Primùm
II. inuestigat id, quod est commune casui, & fortunæ: quod facit in hoc sexto cap. Postea adijcit differentiam, & inuestigat discrimen inter vtrunque, & sic absoluit vtriusque definitionem. Iraque.

In hoc tex. duo facit: ponit primam diuisionem, & colligit casum, & fortunam esse aliquid reale. Et quia fortuna ponitur vt causa: causa autem innotescit ex effectibus: idcircò ponit effectuum diuisionem, quæ talis est. Quod eorum, quæ fiunt, quædam fiunt semper, & eodem modo: Quædam fiunt frequenter. Quędam demum fiunt *præter hæc:* videl. neque semper eodem modo, neque sæpè, sed fiunt rarò.

Effectus primi generis sunt ij, qui à causis æternis, ac necessarijs prodeunt: Ita Cœlestia semper
III. eodem modo mouentur, semper eodem modo lucent: Ita in sublunaribus ignis semper eodem modo calefacit: Ita in generationibus animalium, & plantarum spectans per se. Quandoquidem homo semper eodem modo generat hominem, & equus equum. Effectus autem secundi generis sunt V. G. in partibus animalium, aut plantarum, veluti, quod homo nascatur cum vno capite, duobus manibus, quinque digitis: sic enim res frequenter vsuuenit: nihilominus interdum id variatur. Effectus demum tertij generis sunt, qui neque semper, ac necessariò, neque plerunque, sed præter semper, & frequenter eueniũt, & vt Arist. loquitur *præter hæc*
II. contingunt, veluti quod fodiens sepulcrum, inueniat thesaurum.

His ita iactis, constituit Auctor, Casum, & fortunam, neque in primi, neque in secundi generis effectibus locum habere vllum. *Manifestum*, inquit, *est, quod neutri horum causa fortuna dicitur; id enim, quod à fortuna, neque eius est, quod ex necessitate, & semper; neque eius, quod est frequenter;* sed solum est inter ea, quæ sunt tertij generis.

Quibus ita positis, probat ex communi hominum iudicio, fortunam, & casum esse aliquid rea-
IV. le, cum ait, & *omnes hæc*, quæ videl. sunt præter semper, & frequenter, *dicunt esse à fortuna; manifestum est, quod aliquid est fortuna, & casus, &c.* Sic strue. Si dantur effectus reales fortuiti, necessariò debet dari fortuna, tanquam realis illorum effectuum causa: Cur? quia causa, & effectus vicissim referuntur, & proportionantur. Atqui dantur effectus reales fortuiti; quare necessariò etiam debet dari fortuna, tanquam realis illorum causa: Minorem probat ex communi hominum consensione, quia *omnes dicunt, esse a fortuna* ea, quæ præter semper, & frequenter obueniunt; siquidem, *quæ talia sunt, ea scimus esse a fortuna:* & è contra quæ proueniunt a fortuna, ea talia esse, itidem scimus.

Obserua, quod licet Arist. ex æquo tam de ca-
V. su, quàm de fortuna edisserat, nihilominus in his contextibus aliquando nominat solam fortunam, aliquando solum casum. Porrò, quando ponit solam fortunam, eo nomine intelligit etiam casum: & è contrà cùm ponit casum, intelligit etiam fortunam. Hoc non temerè, sed eo consilio facit, quia hucusque nondum vnum ab altero secreuerat; propterea quasi per nomen vtriq; commune effert, & modo ponit casum, modo fortunam, modo coniungit vtrunque, vt facit in hoc tex.

TEXTVS XLIX.



Orum autem, quæ fiunt, alia quidem propter aliquid fiunt, alia verò non. Horum autem, alia quidem secundum electionem, alia verò non secundum electionem; ambo autem sunt in ijs, quæ propter aliquid. Quare manifestum est, quòd in ijs, quæ sunt præter necessarium, & quod frequenter, sunt quædam, circa quæ contingit esse id, quod est propter aliquid. Sunt autem propter aliquid, & quæcunque ab intellectu vtique aguntur, & quæcunque à natura.

In hoc tex. tria facit. Ponit alias duas diuisiones, & colligit aliquid, quod sibi ad construendas casus, & fortunæ definitiones deseruit. I.

Prima diuisio est. Eorum, quæ fiunt, *alia quidem propter aliquid fiunt, alia verò non*. Illa dicuntur fieri propter aliquid, quæ fiunt ob aliquem vsũ, ac finem deliberatum: ceu ambulatio, quæ ob tuendam, aut recuperãdam valetudinem exercetur. Et artifex fabrefacit scamnum ad sedendum, & natura edit V. G. oculum ad videndum. Hanc partem expressit Auctor in fine tex. dum ait, ea esse propter finem, *quæcunque aguntur ab intellectu, & a natura*.

Illa verò non censentur fieri propter aliquid, quęcunque non fiunt ob huiusmodi vsum, & finem deliberatum, veluti cum quispiam non aduertens animum, confricat sibi barbam, dum attentè speculatur; aut ex praua quadam consuetudine corrodit sibi vngues. Sic natura producit in oculo nigrum, aut cœruleum colorem, qui nil facit ad visionem, vt testatur Stagirites lib. quinto de Generat. animal. cap. 1. prope principium, vbi *oculus*, inquit, *alicuius gratia est, sed cæsius non alicuius gratia est, nisi hæc affectio sit propria alicuius generis. Nec verò ad rationem substantiæ pertinet in nonnullis, sed vt quæ necessariò fiunt. Ad materiam, & principium, quod mouerit, causæ eorum referendæ sunt.*

Secunda diuisio. *Horum autem alia quidem secundum electionem, alia verò non secundum electionem*. Quæ quidem partitio haud amplectitur vtrũque membrum præcedentis diuisionis, videl. tam ea, quæ fiunt propter aliquid, quàm ea, quæ non fiunt propter aliquid, vt temerè plerique interpretum opinantur; Sed est subdiuisio solum eorum, quæ fiunt propter aliquem finem, vt ipsemet. Arist. II.

explicat

explicat subdens, *ambo autem sunt ἐν τοῖς ἕνεκά του, in his quæ fiunt alicuius gratia.* Itaque quæ fiunt propter aliquem finem, alia fiunt ex electione, cuiusmodi sunt effectus illi, quos ita agens operatur, vt cognoscat finem, & dirigat media in eum, tales censentur actus humani, quorum homo est Dominus. Alij autem effectus fiunt quidem propter finem, at non ex electione, nam *electio non sine intellectu est*, quemadmodum dicitur tex. 53 sed ex natura, vt quando brutum videt herbam, & currit, vt eam manducet.

Ex his diuisionibus eruit vnum, quod apprimè deseruit ad construendam fortunæ definitioné,
III. dum ait, *manifestum est, quod in ijs, quæ sunt præter necessarium, & quod frequenter, sunt quædam, circa quæ contingit esse id, quod est propter aliquid.* In ijs, inquit, quæ fiunt præter semper, & præter frequenter, supperunt aliqua, quæ fiunt propter finem. Hoc ita deseruit, quia fortuna, vt dictum est, & mox etiam dicetur, est in ijs, quæ neque semper, neque sæpe, sed raro fiunt: Sed fiunt propter certum ac definitum finem, ad quẽ accidit id, quod est fortuitum, sicut apparet in eo, qui propter certum aliquem finem fodit sepulcrũ, & accidit inuentio thesauri; Hoc vlterius explicat ipsemet Auctor, cum in calce tex. ait, ea esse propter finem, *quæcunque aguntur ab intellectu deliberato:* & quæcunque aguntur *à natura*, & subdit in principio tex. sequentis. *Huiusmodi igitur, cum secundum accidens fiunt, à fortuna dicimus esse.*

TEXTVS L.

*Uiusmodi igitur, cum secundum accidens fiunt à fortuna, dicimus esse. vt enim & quod est, aliud quidem per seipsum est, aliud autem secundum accidens, sic & causam contingit esse, vt ipsius domus per se quidem causa est ædificatiuum, secundum accidens autem album, aut musicum. itaque per se causa definita est, quæ verò secundum accidens, indefinita. Infinita enim vni accidunt: sicuti igitur dictum est, cum in ijs, quæ propter aliquid fiunt, hoc fiat, tunc dicitur à casu, & à fortuna.*

I. Tradidit hucusque partitiones ex parte effectuũ. tradit nunc aliam partitionem ex parte causæ. Quippe si fortuna statuenda est causa per accidens, omninò sciamus necesse est, quid sit causa per accidens.

In tex. tria facit. Diuidit causas: assignat inter eas discrimen: & colligit id quod casui, & fortunæ commune est. Ait itaque, causarum alias esse per se, alias autem esse per accidens. Probat, *vt enim & quod est, aliud quidem per se ipsum est, aliud autem secundum accidens.* Ita collige. Sicuti res se habet de ente, siue de reliquis entibus, ita se debet habere etiam de causis. Atqui entia, alia quidem sunt per se, alia verò per accidens, quare eodem pacto erunt etiam causæ, aliæ per se, aliæ per accidens.

Explicat deinde vtramq; causam in constructione domus. Causa, inquit, per se conficiendæ domus est II.
ars ædificatiua: etenim propositiones istæ, ædificator ædificat, Medicus curat, sunt per se. Causa verò ex accidente eiusdem domus est album, aut musicum: quippe accidit ædificatori esse album, aut musicum. De qua quidem distinctione multa dixi cum Arist. in lib. præced. ad tex. 74. Pulchrè etiã explicat Arist. in sexto Metaph. tex. 5. id quod fit per accidens, cum ait. *Quod enim neque semper est, neque plerunque, id accidens dicimus esse. Velutisi cum Sol est in cane, hyems fuerit, atque frigus, id dicimus accidisse: sed non si calor fuerit, atque æstus: propterea quod hoc semper, aut plerunque, illud non semper, neque plerunque fieri solet. Hominem etiam accidit esse album; neque enim semper, neque plerunque homo est albus: at non per accidens homo animal est. Ædificatorem quoque facere sanitatem per accidens est; propterea quod non est aptus ædificator idipsum efficere, sed medicus; sed accidit ædificatorem medicum esse. Epularum etiam effector voluptatem conectans, salubre quippiam fecerit, sed non epularum conficiendarum facultatis officio, ratione ue. Quapropter dicimus accidisse.*

In quibus quidem verbis vides quatuor exem- III.
pla, non temerè congesta, sed artificiosè apposita. Cum enim ens per accidens consurgat ex concursu diuersorum; primum horum exemplorum est secundum concursum in eodem tempore, vt quod hyems, siue frigus fit, dum Sol est in cane. Secundum est per concursum in eodem subiecto, vt homo, & album. Tertium est per concursum in eadem causa agente, sicut ædificator, & musicus. Quartum denique est secundum concursum in eodem effectu, sicut in eodem edulio salubre, & delectabile. Sed iam redeo ad Aristotelem.

Qui in secunda parte huius tex. annectit discri-
men inter causam per se, & causam per accidens, IV.
quod *causa per se est definita*. Cuius assertı ratio ea est, quia causa per se essentialiter in suo genere proportionatur effectui suo, ita vt essentia effectus, & causa per se in tali genere omninò sibi correspondeant: Quo fit, vt quemadmodum essentia cuiuscunque effectus est definita ac determinata, sic & causa per se illius effectus erit definita & determinata. Causa verò, *quæ est secundum accidens, est infinita*. Cur? quia *indefinita vni accidunt*. Profectò in vna, atque eadem re commodè possant innumera accidentia specie, aut genere diuersa, insidere, cum non varient essentiam rei. Quid vetat, quominus ædificator sit & albus, & musicus, & astrologus, & alia complura?

Demum colligit id, quod casui æquè, ac fortunæ commune est. *Sicut igitur dictum est, cum in ijs, quæ propter aliquid fiunt, hoc fiat*. (hoc, nimi-

rum

rum quod est per accidens, de quo nunc dicebamus) *tunc dicitur à casu, & a fortuna*. Tam igitur casus, quàm fortuna in eo communicant, quod in ijs sunt, quæ fiunt propter finem: sed discriminantur, quòd fortuna est cum electione, casus est sine electione, vt inferius apparebit.

Adnotationes, & difficultates circa hos tex.



Gitatur communis difficultas circa primam Philosophi diuisionem, qua partitur effectus, vt alij eueniant semper eodem modo, alij frequenter, alij rarò: quæ partitio videtur insufficiens, quia datur effectus, qui procedit a causa æqualiter indifferente, vnde etiam talis causa appellatur contingens ad vtrumlibet, cuiusmodi est voluntas, quæ ex æquo, & per se est indifferens ad indeterminata ad vtrumque oppositorum. Effectus itaque huius causæ neque fiunt vt semper, neque vt in pluribus, neque damum vt rarò, sed vt æqualiter. vi.

Quod etiam hac ratione potest suaderi. Præfati effectus non fiunt semper & eodem modo: non enim voluntas semper & eodem modo vult. Quæ autem fiunt præter semper, ea vel fiunt vt in pluribus, & frequenter; vel vt in paucioribus, & rarò, vel denique in æqualibus: & sic est contingens ad vtrumlibet.

vii. De qua difficultate varia dicunt interpretes, Simplic. & Auerr. Plurima verò congessit Ludouc. Chatar. in suis conciliation. ad hos tex. Equidem breuiter dico, diuisionem Philosophi esse adæquatam. Et contingens ad vtrumlibet non constituere aliud membrum a tribus illis positis ab Arist. distinctum, sed reduci ad illa. Ratio est euidens, quia causa contingens ad vtrumlibet, idest voluntas, non potest esse causa alicuius effectus in quantum est ad vtrumlibet. Primò, quia secundum quod se habet ad vtrumlibet, est indifferens: a causa autem indifferente, vt indifferens est, non egreditur determinatus effectus. Secundò, quia voluntas hac ratione considerata habet conditionē materiæ, quia est in potentia ad duo opposita: vt enim materia suapte natura est apta recipere hanc, aut oppositam formam, ita facultas, quæ se habet ad vtrumlibet, est apta elicere, & recipere hanc, aut oppositā actionē? Nihil autem agit secundum quod est in potētia propterea oportet, vt causa se habens ad vtrumlibet, determinetur ad vnam, quàm ad alteram partem, si debat edere aliquem effectum. Determinatur autem ab obiecto appetibili: siquidem potentia mouetur ab obiecto, vt explicat Arist. secundo de Anim. tex. 54. & lib. tertio tex. 2. & 14.

Quibus positis dico, quod in voluntate adest primum membrum Aristotelicæ diuisionis, idest sēper & eodem modo. In quantum si voluntas vult operari, semper & eodem modo debet ea indeterminata fieri determinata: & etiam, quia semper, & eodem modo debet determinari ab obiecto, eoque bono, siue vero, siue apparente. viii.

Deinde, adsunt etiam alia duo membra diuisionis, scil. frequenter, & rarò. V. G. dicere, aut amare veritatem, est frequenter in viris probis, & cordatis: quibus tamen aliquando excidit mendacium. Sic ergo in voluntate, diuersa ratione adest modus operandi tum semper, tum frequenter, tum rarò: dum autem est determinata, est necessaria ex suppositione, quia vnūquodq; dum est, necessē est esse.

Dubita 2. Arist. in secunda diuisione ait, *eorum quæ sunt, alia quidem fieri propter aliquid, alia verò non*. Hoc è regione aduersatur ijs, quæ idem Philosophus ex instituto probat inferius, quod Natura, & omne agens agat propter finem: quare inane est asserere, aliqua fieri non propter aliquid. Hæc enim propositio particularis negatiua est contradictoria illius vniuersalis affirmatiuæ, quod Natura agit propter finem. ix.

Apparuit iam in explicatione textuum quomodo aliqua non fiant propter aliquem deliberatum finē, vt fricatio barbæ in intensa animi applicatione, aut contorsio vnguium. Præterea, illa propositio, Natura, & omne agens agit, propter finem, intelligitur de ijs, quę non agentia intendunt primò ac per se: autem de ijs, in quibus veluti exorbitant: cuiusmodi est, V. G. fricatio barbæ. Vnde in dictis Aristotelis ne vmbra quidem contradictionis subest. Nā vt particularis illa negatiua esset cōtradictoria illius vniuersalis, deberet esse de eodem, secundum idem: Quod hic, vt vides, non contingit. x.

Adde, quod Aristot. hic non ait, ea quæ fiunt a Natura alia quidem fieri propter aliquid, alia verò non: sed absolutè ait, *ea quæ fiunt*, videl. quomodocunque fiant. Quomodo verò Natura agat propter finem, suo loco abundè dicetur.

TEXTVS LI.



Psa autem adinuicem horum differentia posterius determinanda est, nunc verò hoc sit manifestum, quod vtraque sint in ijs, quæ propter aliquid fiunt: vt causa recipiendi argentum venisset reportaturus pecuniam, si sciuisset; venit autem non huius gratia, sed accidit venisse, & fecisse hoc reportandi gratia: hoc autem neque vt frequenter veniatem ad locum, neque ex necessitate. Est autem finis reportatio non causarum, quæ in ipso, sed eligibilium, & ab intellectu, & dicitur tunc à fortuna quidem venisse, si autem proponens: & huius gratia, aut semper veniens, aut frequenter reportans, non à fortuna.

Inuenit hucusq; Arist. ea, quæ casui, & fortunę

 exi-

existunt communia; consilium eius deinceps est, I. inuestigare differentiam, quæ inter casum, & fortunam intercedit. Differentia verò innotescet, si appareat propria, ac particularis definitio fortunæ, & casus; propterea in hoc, & sequenti contex. animus illi est, colligere definitionem fortunæ.

Textus in tres diuiditur partes. In 1. colligit illud commune, in quo casus, & fortuna conueniunt. In 2. exemplo aperit effectum fortuitum. In 3. adijcit nonnullas conditiones effectus fortuiti.

Ait itaque. Differentia, quæ inter casum, & fortunam est, posterius est a nobis determinanda: nunc ex his, quæ hactenus declarata sunt, hoc est manifestum, quod vtraque, & casus, & fortuna *sunt in ijs, quæ fiunt propter aliquid*.

Subdit, *vt causa recipiendi argentum*, &c. Pul- II. cherrimum hunc locum nemo, aut ego desipio, introspexit penitus. Latinè pessimè translatus est, sed etiam in Græcis codicibus video aliquam differentiam. Siquidem aliqui etiam antiquissimi codices habent, οἷον ἕνεκα τοῦ ἀπολαβεῖν τὸ ἀργύριον ἦλθεν ἄν, κομιζόμενος τὸν ἔρανον, εἰ ᾔδει. Alij sic: οἷον ἕνεκά του ἀπολαβεῖν τὸ ἀργύριον, hic interpungunt; ἦλθεν ἄν κομιζόμενος τὸν ἔρανον, rursus interpungunt, εἰ ᾔδει. Ego puto interpungendum esse etiam post illud ἦλθεν ἄν.

Audi iam latina verba. Quidam habent, *vt causa recipiendi argentum venisset, reportaturus pecuniam*. Alij sic, *ceu argenti recipiendi gratia venisset, accepturus illud, si sciuisset*. Alij. *vt causa accipiendi argenti venit, vtique delaturus pecuniam si sciuisset*. Alij, *vt causa recipiendi argenti venisset, reportaturus pecuniam, si sciuisset*. Versio apud Simplic. habet, *vt argentum reciperet, venisset, debitum reportaturus, si sciuisset*. apud Philopon. verò sic: *ceu argenti recipiendi gratia venisset deferens, si sciuisset*. Putida omnium versio est Vicomerc. *vt pecuniæ accipiendæ gratia venisset, si accepturum se illam, sciuisset*.

Ante omnia ego existimo, locum etiam in græcis codicibus esse corruptum, & illud ἕνεκά του, non III. esse Aristotelis: & exemplum incipere sic, οἷον ἀπολαβεῖν, &c. Vereor etiam, ne illa quoque verba ἦλθεν ἄν, sint transposita, & eorum locus sit immediatè ante illa, εἰ ᾔδει; & tunc reddunt sensum clarissimum. Nihilominus retenta communi lectione, scito, aliud esse legere ἕνεκα τοῦ, posito circumflexo super τοῦ: aliud autem ἕνεκά του. Priori modo τοῦ est articulus, & nectitur cum ἀπολαβεῖν, recipere: posteriori autem modo est vox enclitica, & sic ἕνεκά του, significat *propter aliquid*. Priorem locutionem habent multi codices græci, quæ est falsa, & ideo etiam tres latinæ translationes, quæ habent, *causa, aut gratia recipiendi argenti*, &c. sunt falsæ: quia receptionem argenti faciunt finem illius itionis, cum tamen Arist. clarissimè eam faciat fortuitam.

IV. Scito præterea, ἔρανον esse symbolum, siue pecuniæ portionem, quam vnusquisque deponit, dum multi conueniunt facere aliquid ex communi impensa, veluti conuiuium. Dicit itaq; Arist. quod effectus fortuitus est, vt si quis ἦλθε, venit in aliquem locum κομιζόμενος τὸν ἔρανον, portaturus suum symbolum, & contingat ἀπολαβεῖν τὸ ἀργύριον, vt accipiat argentum: id est, contingat, vt ibi inueniat debitorem, a quo accipiat argentum alias sibi debitum: Rursus, ἦλθεν ἄν, εἰ ᾔδει, *venisset vtique*, scil. in eum locum, *si sciuisset* ibi adesse dictum debitorem. Venustas Stagiritæ exempli est, quod aliquis per se eat aliquo, vt soluat pecuniam, & accidat, vt accipiat pecuniam.

Vt autem exemplum, & omninò effectum fortuitum deprehendamus, annectit Arist. nonnul- V. las conditiones. Prima est. *Venit autem non huius gratia, sed accidit venisse, & fecisse hoc portandi gratia*. Quod ille homo eo loci est non eo fine, vt ibi inueniat debitorē, & accipiat argentum sibi debitum; sed vadat, vt portet suum symbolum: quippe si ex consilio iret, vt illum ibi inueniret, minimè esset effectus fortuitus.

Secunda est: *Hoc autem neque frequenter*, &c. Quod neque locus ille sit talis, vt ibi præfatus debitor frequenter soleat conuenire.

Tertia, *neque ex necessitate*. Multo minus illa acceptio debiti fuerit fortuita, si debitor in eum locum necessariò foret conuenturus, tunc enim inuentio, & occursus eius neutiquam esset accidentalis, atque adeò neque fortuitus, vt explicat Auctor in fine tex. *Si autem proponent, & huius gratia; aut semper veniens, aut frequenter reportans, non a fortuna*.

Deinde subdit, ἔστι δὲ τὸ τέλος ἡ κομιδή, οὐ τῶν ἐν αὐτῷ αἰτίων, ἀλλὰ τῶν προαιρετῶν, καὶ ἀπὸ διανοίας. Sic verte. *Est autem finis ipsa portatio, non causarum, quæ in ipso sunt, sed eligibilium, & ab intellectu*. VI. Siue *a discursu*. Vult dicere, quod finis illius hominis deferentis symbolum, qui finis est *ipsa portatio*, non est finis, & causa naturalis, quales sunt aliæ existentes in illo eodem homine, quia finis, & causa naturalis consequuntur intrinsecè: quæ autem a nobis eliguntur, alio pacto se habent. Quæ verba adijcit Arist. vt colligat, in debitore fortunam eam esse per electionem, & propositum, quemadmodum in tex. sequen. dicet.

At quæso, nonne satis erat dixisse, delationem illam symboli esse τῶν προαιρετῶν, *eligibilium*, cur addidit καὶ ἀπὸ διανοίας *& ab intellectu*? Consultò VII. id facit, quia eligibilia significant quasi in potentia: sunt enim ea, quæ ab intellectu quidem radicaliter, a voluntate autem formaliter possunt eligi. Hoc verò haud sufficit ad fortunam, sed requiritur actualis electio, quam vt Arist. indicaret, addidit, *& ab intellectu, seu a discursu*.

Fortasse dici etiam potest, quod electio alia quidē est propria, alia verò minus propria, ita & eligibilia. Prior electio est solum in habentibus intellectū: posterior verò reperitur etiam in brutis, at ouis præeligit herbam potius, quàm paleam. Vt igitur Arist. indicaret, fortunam esse solum cum electione propriè dicta, addidit, *& ab intellectu*.

TEX.

TEXTVS LII.



Anifestum itaque, quod fortuna causa est secundum accidens in ijs, quæ secundum electionem eorum, quæ propter aliquid sunt: quapropter circa idem & intellectus, & fortuna est, electio enim non sine intellectu est.

Colligit ex hucusque enucleatis definitionem
ii fortunæ, & adnotat vnum. Definitio talis colligitue. Fortuna est causa secundum accidens in ijs, quæ fiunt propter aliquid secundum electionem præter semper, & frequenter. Hinc alij communiter ita fortunam definiunt: Fortuna est causa per accidens in ijs, quæ fiunt secundum propositum propter finem in minori parte.

Explicatio definitionis Fortunæ.



N qua quidem definitione, causa secundum accidens stat loco generis,
iii quia causa per accidens ad plura extenditur. Porrò iam vel ex tex. 50. nosti, quod causa alia quidem est per se, & hæc est finita ac determinata. V. G ædificator ædificat; medicus sanat. Alia verò est per accidens, quæ est infinita & indeterminata, cum vni, atque eidem causæ per se possint innumeræ causæ per accidens coniungi: Et e contra; vna atque eadem causa per accidens, & idem effectus per accidens possit annecti multis causis per se. Exemplum prioris quidem est, vt ædificatori potest accidere esse albo, musico, tibicini, circulatori. Quapropter hæc adiuncta dicuntur ædificare per accidens. Exemplum autem posterioris, vt inuentio thesauri, quæ est effectus per accidens, potest sequi ad multas, ac varias causas per se: potest enim aliquis fodere terram, aut propter iacienda fundamenta, aut propter arborum plantationem, aut propter parandum sepulcrum, aut propter excauandum puteum. Fortuna itaque est causa per accidens, quia accidit alicui causæ per se operanti, & per se intendenti effectum.

Quod vt penitus introspicias, diuide causam per accidens. Nam vna quidem se tenet ex parte causæ
per se, cui alia accidentaliter coniungitur, sicut al- iii.
bum, & musicum in ædificatore, quandoquidem hæc, quemadmodum nunc indicabam, dicuntur de ædificatore per accidés. Altera verò causa per accidens se tenet ex parte effectus; & est, quando euenit aliquid, quod accidentaliter iungitur ipsi effectui per se intento, & per se producto a causa per se. V. G. si dicamus, ædificator est causa discordiæ, quia ex domo fabrefacta accidit discordia. Fortuna, siue effectus fortuitus non dicitur per accidens priori, sed posteriori modo: quia videl. effectui per se intento, & per se producto a causa itidem per se annectitur aliquid per accidens, & hoc est fortuna, siue effectus fortuitus, vt patet in fossione terræ, cui accidentaliter coniungitur inuentio thesauri: & in exemplu Aristotelis, in delatione symboli accidentaliter coniungitur exactio debiti argenti.

Sequitur, *in ijs, quæ fiunt propter aliquid*,
idest propter finem. Iam conspicuum est, effe- iv.
ctum fortuitum necessariò esse coniunctum cum effectu per se, ac propter deliberatum finem intento.

Additur, *secundum electionem*. Hæc particula in definitione fortunæ est præcipua, & veluti nota distinguens eam à casu, & propterea hæc in tex. probatur, *quapropter circa idem, & intellectus, & fortuna est: electio enim non sine intellectu est*.

Quapropter circa idem versatur intellectus, ac ratio, & fortuna, *in ijsdem rebus*, inquit Aristoteles in sexto Eth. cap. 4. *quodammodo ars, & fortuna versantur, quemadmodum & Agatho ait*,

Fortuna vt artem, sic & ars fortunam iuuat.

Quo etiam spectat tritum illud eiusdem Philosophi effatum ex secundo Magn. Moral. capite 8. quod *vbi mens plurima, & ratio, ibi fortuna minimum: Vbi plurima fortuna, ibi mens perexigua*. Hinc a nonnullis fortuna sic expressa est: quod sit intellectus aliquid præter intentionem operans coniunctum ei, quod ex intentione operatur.

Nec te quicquam turbet, vt re ipsa turbauit aliquos interpretes; quod electio est opus, & ope-
ratio voluntatis: Huius enim est eligere bonum, v.
& reprobare malum. Et ita etiam docuit Aristot. tertio Eth. cap. 2. quod *electio est consultatiua appetitio*: appetitio autem voluntatis est. At Aristot. hoc loco electionem tribuit intellectui, dum ait, *electio enim non sine intellectu est*.

Responsio est, quod electio radicaliter oritur ab intellectu, formaliter autem est opus voluntatis, quemadmodum indifferentia, in qua consistit electio, atque adeo libertas ipsa, vt a radice est ab intellectu, formaliter verò est in voluntate, sicut multis exposui in opere de vitijs, & peccatis

Tract. primo Dispot. 1. cap. 2. Nam vt dicitur Pouerb. 11. *errant enim, qui operantur iniquitatem*. Huc etiam spectat illud Stagiritæ, *omnis, qui delinquit, ignarus est*.

De qua re videndus est S. Thom. in prim. part. quæst. 63. art. 1. ad 4. & quæst. 83. art. 1. & in prima secundæ quæst. 6. art. 2. & in secundo sent. dist. 24. quæst. 1. art. 2. & 3. tum de Verit quæst. eadem. 24. art. 2. Nunc intelligis, cur Philosophus in lib. de animal. motu, electionem facit communem cogitationi, & appetitui. *Electio*, inquit, *est communis cogitationi, & appetitui*. Sed redeo ad definitionem fortunæ, in qua.

VI. Vltimò additur, quod sit in ijs, quæ contingunt *præter semper, & frequenter*, sed raro, siue, *in minori parte*: Quæ quidem verba Arist. omninò in sua definitione vult intelligi, quamuis ea non expresserit in hoc tex. 52. quia superius patefecit. Et sanè ea in definitione fortunæ sunt necessaria. Nam si ad aliquem effectum aut semper, aut frequenter soleat aliquid accidere, quamuis id præter intentionem agentis accidat, non tamen dicitur fortuna; veluti cum quispiam semper, aut frequenter madefacit pedes, cum per loca humida, ac lutosa incedit, quamquam hoc non intendat, nec tamen dicitur id esse a fortuna.

TEXTVS LIII.



Ndefinitas igitur causas, necesse est, esse, à quibus fiat, quod est à fortuna: vnde videtur fortuna indefiniti esse, & immanifesta homini: Et est, vt nihil a fortuna videatur vtiq; fieri: omnia enim hæc rectè dicuntur, quoniam rationabiliter. Est enim, vt fiat à fortuna: secundum accidens enim fit.

I. Tum demum definitio censenda est rectè tradita, cum non modo quid sit ipsum definitum, affert: verùm etiam quæ circa illud idem definitum dubitantur, soluit, redditque causas eorum, quæ dubitantur, vt docet magnus Præceptor cum alibi sæpè, tum præsertim lib. secundo Poster. cap. 9. & libro quarto Phys. tex. 31. propterea, vt definitio fortunæ hucusque confecta appareat rectè assignata, refert Arist. per quatuor contextus, & ex definitione iam data enucleat quædam dicta, seu dubia, quæ ea præsertim tempestate circa fortunam solebant excitari. Hæc verò accipit primò quidem ex Veterum quorundam Philosophorum assertis: secundò ex communi loquendi vsu.

II. Refert verò, & explicat quinque dicta: Et in hoc tex. 53. explicat duo, quæ quidem respiciunt primam, & tertiam opinionem superius in tex. 40. & 47. relatas. Tertiam autem, quæ Cœlum hoc, ac mundana omnia facit a casu orta, ceu absurdam hoc loco præterit; & etiam, quia in tex. 66. euertit ex industria.

Primum itaque effatum erat, quod fortuna sit homini immanifesta. Ita asserebatur in tertia opinione tex. 47. Secundum dictum erat, quod nihil fiat à fortuna, quoniam omnes effectus præditi sunt suis causis determinatis. Ita referebatur in prima opinione tex. 40. De quibus quidem effertis hæc pronuntiat Arist. *Omnia ista rectè dicuntur; quoniam rationabiliter*. Si nimirum probè accipiantur. III. Et quidem prius dictum ex vero dicitur; at non ea ratione fortuna censenda est humano intellectui abdita, ac immanifesta, qua prisci illi opinati sunt, quia videl. sit excelsum quippiam, & δαιμονιώτερον, sed quia est causa per accidens. Quod autem est per accidens, id potiò immanifestum est. Quid ita? quia omnis cognitio fertur in rem definitam, ac determinatam. Quod autem est per accidens, est indefinitum, ac indeterminatum, propterea est immanifestum.

Adde, quod certa cognitio est, cum cognoscimus causas: *fortuna autem est eius, quod indefinitum est*: proficiscitur enim a causa indefinita. quippe *indefinitas causas necesse est esse, a quibus fiat, quod est a fortuna*. Has itaque ob causas fortuna dicenda est homini esse occulta, & immanifesta, non verò quia, &c.

Secundum etiam dictum, ait Stagirites rectè intellectum esse veritati consentaneum. Addit distin- IV. ctionem ἔστι μὲν γὰρ ὡς γίνεται ἀπὸ τύχης, *est enim, vt fiat a fortuna*: Formula distinctionis est consueta Aristoteli, sed tu subintellige alterum distinctionis membrum, videl. est autem vt non fiat a fortuna. Et sensus est: secundum vnam quidem rationem aliquid fit a fortuna; secundum aliam verò nihil fit à fortuna. Si loquamur per se, verum est, nihil esse à fortuna, quia fortuna causa est euentus fortuiti, non per se, sed ex accidente. Si autem sermo sit de ipso fieri quomodocunque, sic verum etiam est, aliquid fieri à fortuna, *secundum accidens enim fit*. Deinde cum ait,

TEXTVS LIV.



T est causa, vt accidens, fortuna: vt autem simpliciter, nullius, vt domus ædificator quidem causa est, secundum accidens autem tibicen, & vt veniens referat argentum, non huius causa veniens: infinitæ sunt multitudine: etenim videre aliquem volens, & persequens, & vsurus, & fugiens.

Declarat vtrunque indicatæ partitionis membrum; I.

brum : quo vnquam pacto dici queat, & nihil esse a fortuna, & aliquid esse a fortuna? quæ membra ipsemet in principio tex. exprimit, *& est causa, vt accidens fortuna, vt autem simpliciter, nullius.* Simpliciter, ac per se loquendo, fortuna nullius est causa: sed autem secundum accidens.

II. Subdit exemplum de ædificatore, *vt domus ædificator quidem causa est: secundum accidens autem tibicen.* Ædificatio domus, quæ est effectus determinatus, per se habet causam ædificatorem, nec quicquam in eo effectu hac ratione loquendo est secundum accidens: nihilominus quomodocunque loquamur, ille effectus fit etiam a tibicine, veluti a causa per accidens. Sic in te fortuita, *vt veniens, referat argentum,* aduentus illius hominis, qui ac cessit daturus symbolum, & accepit debitum sibi argentum, de quo abundè dixi in tex. 51. si spectetur per se, nihil habet a fortuna, sed est a causa determinata, quæ quidem causa est ἡ κομιδὴ τοῦ ἐράνου, *delatio symboli*: Si verò expendatur secundum quamcunque rationem, & secundum ea, quæ illi aduentui obtinguot, & consocianiue ea accidente fit fortuitus: accidit namque ibi inueuanire debitorem: Et ille homo non venit huius causa. Quare aduentus hic, vt respicit causam per se, non est fortuitus. *Eorum enim, quæ per accidens sunt, vel fiunt, & causa per accidens est,* inquit Arist. sexto Metaph. tex. 5.

III. Eodem insistens exemplo, aperit vlterius, quomodo homo ille inuenerit ibi ea accidentia suum debitorem, & cur talis debitor venerit en loci? Et ait, quod innumeræ sunt causæ, quæ illum possunt in eum locum deducere: hoc significat illis verbis, *infinitæ enim multitudine.* Causæ, inquit, quæ in eũ locum valent illum compellere, esse possunt numero infinitæ: Recenset autem quatuor. Quippe fieri potest, vt eò veniret, *volens videre aliquem:* vel *persequens* aliquem, qui se in eum locum receperat: vel *visurus* ibi aliquid: vel denique *fugiens.* Vides, vt medullitus expendit, quomodo occursus huius hominis in suum debitorem sit omninò inspectatus, omninoque accidentarius, ideoque verè fortuitus? Ex his itaque habetur, in quonam sensu vera sint duo illa Veterum dicta, quod fortuna sit causa humano intellectui occulta, atque immanifesta: Et quod nihil fit a fortuna, & in quo sint falsa. Pergit.

TEXTVS LV.



T dicere esse aliquid præter rationem fortunam, rectè est. Ratio enim est aut eorum, quæ semper sunt, aut eorum; quæ frequenter: fortuna autem est in ijs, quæ fiunt præter hæc. Quare, cum indefinita sint, quæ sic sunt causæ, & fortuna indefinita est. Attamen etiam in quibusdam dubitabit vtique aliquis, nunquid quæ vis sint fortunæ causa vt sanitatis, aut spiritus, aut æstus, sed non detonderi. Sunt enim aliæ alijs proximiores earum, quæ secundum accideat, causarum.

Aperuit in tex. proximè antegressum ex definitione fortunæ, in quonam sensu vera sint duo illa opinionum effata, quæ videbantur, esse hominum imperitorum dicta: progreditur nunc aperire quædam alia, quæ ex communi hominum existimatione de eadem fortuna iactari solebant. Et in hoc tex. duo facit. Primum refert, atque ea eadem definitione aspectu tertium quoddam dictorum de fortuna. Deinde excitat dubitationem. I.

II. Plerique omnes hominum passim dictitant, fortunam esse quiddam παράλογον, *præter rationem.* Hoc quoque, inquit Arist. rectè dictum est. At non en intellectu, quasi fortuna sit res quæppiam existēs, quæ sine ratione operetur, eaque, ac temerario arbitrio cuncta moderetur, ac versetur: sed ita appellatur, quia nos haud valemus, rationem fortuiti euentus assignare. Tùm quia, ratio est eorum, quæ aut semper, aut plerunque fiunt: Fortuna autem est in ijs, quæ præter semper, & frequenter eueniunt. Tùm quia, ratio est eius, quod est definitum, ac determinatum. Atqui fortuna est causa indefinita, & indeterminata, *fortuna enim indefinita est,* non igitur eius poterit assignari ratio. Hinc intellectu fortuna fuerit aliquid παράλογον.

III. Subdit. *Attamen in quibusdam dubitauerit vtique aliquis,* ἆρ' οὖν τὰ τυχόντα αἴτια ἂν γένοιτο τῆς τύχης; Sic verte, *vtrumne quæuis causæ esse possint,* siue, *esse debeant, causa fortunæ?* Fortunam ponit Arist. hoc loco pro effectu, qui a fortuna est, quemadmodum alias haud semel facit. Excitat his verbis dubitationem. Pro cuius intelligentia tauoca in memoriam ea cap. de causis, quod causarum per accidens, aliæ sunt propinquiores effectui, aliæ remotiores. Id, quod repetit Aristot. etiam in calce huius tex. dum ait, *sunt enim aliæ alijs proximiores earum, quæ secundum accidens, causarum.* Ita Polycletus, & albus sunt causæ per accidens statuæ, sed Polycletus est vicinior quàm albus, sicut dicitur in tex. 33. quia potius ille, quàm albus accedit ad statuarium, qui est causa per se statuæ.

IV. Hoc fundamento iacto, sic ergo dubitationem. Dictum est, fortunam esse causam per accidens: At in quibusdam effectibus fortuitis interuenire plures causæ per accidens, quarum necessariò aliæ alijs existunt proximiores: petitur, omnesne statui debēt causæ subsecuti effectus, ita vt omnes dicendæ sint fortuna, an verò non omnes? Et si non omnes, quænam?

Occurrit Auctor illis verbis, *vt sanitatis, aut spiritus, aut æstus,* ἀλλ' οὐ τὸ ἀποκεκάρθαι *sed non detonsum esse.* Malè habent latini codices in tempora præsenti *detonderi,* vel *capillorum remotio.* Vult dicere Arist. non omnes, sed propinquam subsecuti effectus fortuiti causam, appellandam esse fortunam. Sit V. G. recuperatæ sanitatis causa per accidens abrasio capitis: sit quoque *spiritus,* id est ven-

ius

tus, siue frigus, aut sit *æstus* escalfactio; quia scil. æger aut venti flatu fuerit refrigeratus, aut Solis æstu, vel alio modo excalfactus. Depositio capillorum est causa remotior; idcircò etiam ab Aristotele exprimitur per verbum præteritum ἀποκεκάρθαι, *detonsum esse*: frigus verò, vel æstus fuerint causæ viciniores. Fortuna itaq; recuperatæ sanitatis (supponit Auctor, sanitatem forte fortuna, & non arte esse recuperatam) erit *spiritus, aut æstus, sed non detonsum esse*. Sic mihi hunc locum videor aptè enucleare, & non vt alij, quorum expositiones apponere nolo.

V. Pro nostra expositione in promptu stat etiam ratio, quia ita philosophari debemus de causis per accidens in suo ordine; sicuti loquimur de causis per se itidem in suo ordine: At in causis per se *oportet semper causam vniuscuiusque summam quærere*, vt dicitur in tex. 38. siue *primam*, vt in tex. 27. idest proximam, & immediatam effectui, ita vt hæc censeatur vera ac germana huius effectus causa. Quare etiam in causis per accidens debemus accipere causam propinquam, & illi assignare effectum fortuitum. Perpende etiam, quod Auctor ait, dubitari posse *in quibusdam*, quia non omnes euentus fortuiti habent huiusmodi plures causas per accidens.

VI. Iam verò sanitatem præter intentionem, & forte fortuna non semel obtigisse, vel ex ipsis historijs nouimus. Sic à fortuna sanitas restituta est Pheræo Iasoni, cui hostis gladio vomicam aperuit, quam medici sanare non poterant. Refert Tullius lib. 4. de Natura Deorum. Sic Q. Fab. Max. prælio aduersus Regem Allobrogum apud Isaram flumen commisso, in ipsa acie febre quartana, eaque diuturna liberatus est. Sic adultera illa miscuit marito bina venena, vt eum tutius, ac citius tolleret, & accidit, vt alterum fieret alteri antidotum, & *cessit lethalis noxa salutiferæ*. Rem eleganti epigrammate descripsit Auctor, quod ita claudit.

Quam pia iura Deum, prodest crudelior vxor:
Et cum fata volunt, bina venena iuuant.

TEXTVS LVI.



Ortuna autem Bona quidem dicitur, cum bonum aliquid euenit: Mala autem, cum malum aliquid. Prosperitas verò fortunæ, & infortunium, cum magnitudinem habent hæc. Quocirca, & cum parum abest, vt quis malum, aut bonum capiat magnum, est vel infortunatum esse, vel benè fortunatum; quoniam tanquam existeret, dicit intellectus; quod enim parum, tanquam nihil distare videtur. Amplius autem incerta est prospera fortuna rationabiliter. Fortuna enim incerta est; neque enim semper, neque frequenter possibile est esse eorum, quæ sunt a fortuna quicquam.

Quatuor complectitur in hoc tex. Explicat vndenam dicatur bona, aut mala fortuna. Quæ sit prosperitas, & aduersitas fortunæ. Qui vnquam appellentur fortunati, & infortunati: Et denique, quomodo fortuna sit incerta. I.

Hoc quoque inter homines commune iactatur dictum, quod in rebus humanis re ipsa vera, & bona, & mala fortuna dominetur. Hæc communis hominum censio inanis, & irrita existimanda non est, sed alicui rationi innititur. Huius itaque ratio reddenda venit; quæ tamen quasi dicat Arist. non videtur posse reddi, si fortuna constituatur, quemadmodum a nobis constituta fuit, causa indefinita ac indeterminata; quippe quod indefinitum, ac indeterminatum est, id sanè neque bonum, neque malum est.

Occurrit Eximius præceptor, & ait, hoc etiam verè affirmari, atque huius rationem commodè II. posse ex eadem fortunæ definitione hauriri. Nam verè dantur inter homines effectus fortuiti, alij quidem boni, alij autem mali. Horum effectuum qualitatem, & denominationem nos tribuentes causæ, dicimus bonam, aut malam fortunam. Quocirca bona fortuna illa dicitur, cum id, quod re ipsa euenit, bonum est: Mala autem fortuna nuncupatur, cum pariter id quod euenit, est malum. Quis nescit, quod sæpe, ac eleganter causam ex effectu significamus? Ita dicimus hyemem pigram, timorem mæstum, senectam tristem, pallidam mortem. Sic igitur ex effectu secunda, & aduersa fortuna appellitatur.

Addit εὐτυχία, *Prosperitas verò fortunæ, &* δυστυχία, *infortunium, cum magnitudinem habent hæc*. Bona, III. & mala, quæ forte fortuna obtingunt, aut sunt grandia & excellentia, aut parua & mediocria. Quando alicui eueniunt bona fortuita, magna, ampla, & eximia, tunc vocatur εὐτυχία, *Prosperitas fortunæ*, & qui ea bona consequitur, dicitur εὐτυχὴς *fortunatus*, siue, vt vim græcæ vocis efferam, *benè fortunatus*. Similiter cum quispiam in magnum, ac tetrum aliquod malum casu incidit, tunc dicitur δυστυχία, *infortunium*, & malo illo affectus appellatur δυστυχὴς, *infortunatus*.

Annectit, *Quocirca, & cum parum abest &c.* Non modo eos, inquit, benè fortunatos dicimus, IV. qui re ipsa bona grādia, & excellentia fortuito cō secuti sunt. Sed illos etiam, qui propè sunt, & parum abest, vt ea capiant. Eodem pacto infortunatum dicimus tum eum, qui in magnum aliquod ac fœdum malum casu incurrit, tum etiam illum, qui prope est, & parum abest, vt in illud incurrat.

Addit vir incomparabilis geminam huius assertt rationem. Primò, *Quoniam tanquam existeret, dicit intellectus*. Proximum illud, atque iam iam impendens malum apprehendit, tanquam si illud existeret, & ipse iam illud actu pateretur. Nam,

opr.

opinio imminentis periculi, quasi realem ineutit terrorem. *Et cogit*, ait ille, *quæ possunt fieri, facta putare mala*. Quid verò? mala plus terrere solent eos, qui ipsa futura expectant, quàm vbi iam acciderint molestare. Metus enim tam improbus est, & multu rem, quam metuunt, ipsi iuet anticipent. Scio Senecam hoc in Epist. 75. his omninò verbis reprehendere. Quemadmodum aues inanis fundæ sonus territat, ita nos non ad ictum tantum exentamur, sed ad strepitum: inter suspecta male viuitur. Infirmus animus, antequam malis opprimatur, queritur, præuenit illa, & ante tempus cadit. Quid autem dementius, quàm angi futuris, nec se tormento reseruare, sed accersere sibi miserias? Sic ille concionatur, sed nos ad Aristotelem.

I. Qui addit secundam rationem. *Quod enim parum, tanquam nihil distare videtur*. Hæc potest esse explicatio præcedentis rationis: & potest etiam esse de se ratio. Quoniam quod parum distat, nihil distare videtur: Qui parum ab infortunio distat, poterit dici nihil distare, atque adeò erit infortunatus appellandus.

Postremò, *Amplius incerta est prospera fortuna, &c.* Nihil inter mortalia præsentis querela frequentius, quod fortuna, præsertim verò secunda, ac prospera sit lubrica, instabilis, incertaque: ideoq; ei minimè omnium fidendum.

Hoc quoque dictum, an Arist. iuxta sancita a nobis, habet rationem. Nam ea sunt certa, quæ aut semper, aut frequenter eueniunt. Si itaque fortuna consequitur ad ea, quæ præter semper, ac frequenter fiunt, profectò fortuna suapte natura erit incerta: ideò *neque semper, neque frequenter possibile est esse eorum, quæ sunt a fortuna quicquam*.

II. At quæro, cum Auctor hactenus que tam de secunda, ac bona, quàm de aduersa, ac mala fortuna verba fecerit, cur hic expendens inconstantiam, & incertitudinem fortunæ, meminit solius prosperæ fortunæ, non verò etiam aduersæ? ait enim, *Amplius incerta est prospera fortuna rationabiliter*.

Consultò id facit, quoniam homines conqueri solent potius, quod secunda incerta sit, & lubricè immutetur, quàm quod aduersa. Et re ipsa ita visuuenit; facilius, ac sæpius prosperitas eduit, quàm mutetur aduersitas; quia mutatio fortunæ fit per actiones ciuiles, & instrumenta talibus actionibus apta. *Fortuna enim est circa agenda*, inquit Arist. tex. 58. Modo, qui aduersa, & nouercali fortuna opprimuntur, ij sanè neque magnas actiones edere valent, neque apta habent instrumenta: *ob id non facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi*. Qui verò optima, & illustri fruuntur fortuna, affluunt opibus, quæ sunt potissima flectendarum rerum instrumenta; & præterea inflati varias moliuntur actiones, quæ porrò omnes rectè dirigi nequeunt, ideò ex alto facilis descensus, & lapsus præceps.

Nunc colligit per epilogum ea omnia, quæ communia casui, & fortunæ hactenus explicauit. *Sunt igitur*, inquit, *ambo causæ, quemadmodum dictum est, secundum accidens, & fortuna, & casus, in ijs, quæ possunt fieri non simpliciter, neque frequenter, & horum, quæcunque vtique fient in ijs, quæ propter aliquid*.

CAPVT VI.

Assignat differentiam inter casum, & fortunam: Et ostendit, ad quodnam causæ genus casus, & fortuna reducantur.

TEXTVS LVII.



VNT igitur ambo causæ, quemadmodum dictum est, secundum accidens, & fortuna, & casus in ijs, quæ possunt fieri non simpliciter, atque frequenter, & horum, quæcunque fient in ijs, quæ propter aliquid. Differunt autem, quoniam casus in plus est: quod enim est a fortuna, est & a casu: hoc autem non omne a fortuna est. Fortuna enim, & quod a fortuna est, ijs inest, quibus, & fortunatos esse inerit, & omninò actio.

Inuenit ijs, quæ casui, & fortunæ existunt cōmunia, & assignata definitione fortunæ, ea qua possumus etiam differentiam casus, & fortunæ deprehendere, saltem per exclusionem casus a fortuna: sicut qui nouit definitionem hominis, potest distinguere hominem ab equo, Leone, & alijs, quæ homo non sunt. Nihilominus, quoniam hæc differentia non est vtriusque extremi positiua: ideircò progreditur Arist. assignare ex instituto germanam inter casum, & fortunam differentiam, quam expendit per aliquot textus. I.

Tu verò, vt eam quasi simplici intuitu pellustres, sic habe, Fortuna est in ijs, qui ex electione, ac deliberato consilio agunt: casus autem extenditur etiam ad alia, quæ sine deliberato iudicio, & sine cognitione fiunt. Hinc fit, vt nulla vnquam inanimata res, nullum animal rationis expers possit dici quicquam agere a fortuna: quinimo neque infantes, ac pueri, cum etiam isti non agant ex deliberato iudicio, neque edant actus, quorum ipsi sint domini: propterea neque vlla res inanimis, neque vllum brutum, neque pueri ipsi possint appellari fortunati, aut infortunati, nisi per quandam simi-

Digitized by Google

ſimilitudinem, quemadmodum lapides, ex quibus Deorum conſtruebantur aræ, Protarchus appellauit fortunatos, quòd ab hominibus adorarentur, cum alij lapides ὁμόζυγες αὐτῶν, *einſdem notæ, ac cõditionis cum ijs*, qui prope aras eſſent, eorundem hominum pedibus calcarentur.

Poſſunt etiam hæc eadem inanimata, bruta, & infantes dici aliquo pacto fortunata, quatenus contingit ea pati aliquid, quod fit a fortuna. Sed iam Ariſtotelem audiamus.

Qui ſtatim in principio huius tex. conſtituit hãc differentiam, quod caſus eſt aliquid magis commune, *& in plus* ſe extendit, quàm fortuna; Ita vt quod a fortuna eſt, id etiam fit a caſu; at viciſſim non omne, quod eſt a caſu, ſit etiam a fortuna: ſicut quod eſt rationale, eſt etiam animal; at non omne quod eſt animal, eſt rationale. Quocirca, quemadmodum rationale additum animali contrahit illud, & conſtituit determinatam ſpeciem animalis: ſic electio, ſiue agere ex deliberato iudicio, appoſitum ei, quod euenit præter intentionem agentis propter finem, in ijs, quæ rarò contingunt, facit fortunam, quæ eſt veluti contracta, ac determinata ſpecies caſus.

IV. Deinde, *fortuna enim, & quod a fortuna, ijs ineſt, quibus, & fortunatos eſſe inerit*. Probat dictam differentiam duobus medijs complicatis, quæ ſic extende. Fortuna eſt in ijs, qui poſſunt eſſe fortunati: eſt enim fortuna, quaſi qualitas quædam, a qua oritur denominatio fortunati. At fortunati poſſunt eſſe, ac dici ſolum homines operantes ex deliberatione: caſus autem poteſt eſſe etiam in multis alijs rebus: quare fortuna minus latè patet, quàm caſus, *& caſus in plus eſt*, quàm fortuna.

Quod autem ſolum homines operantes ex deliberatione iudicij valeant eſſe, ac dici fortunati, declaratur in progreſſu, & etiam confirmatur per ſecundum medium, quod hac in parte eſt fundamentum. *Fortuna in ijs eſt, quibus omninò inerit actio* πρᾶξις: Sed talem actionem, hoc eſt praxim, non habent niſi homines operantes ex intellectu, & deliberatione iudicij, Quandoquidem praxis ſequitur intellectum practicum, qui omninò eſt cum diſcurſu, & pro fine habet opus, & ad illud tendit cum deliberatione, vt explicat Ariſt. in principio ſexti Metaph. & nos multis declarauimus Quæſtio ſecunda huius operis ſect. 3. ergo fortuna coarctatur ad pauca, & ineſt ſolis agentibus ex intellectu, & conſultatione, *& quibuſcunque non conuenit* πρᾶξαι, *agere, neque conuenit illud, quod a fortuna eſt, facere*, vt concludit Auctor in calce, textus ſequentis. Sic ergo fortuna ad pauca coarctatur, *& caſus in plures eſt*.

TEXTVS LVIII.



Vocirca & neceſſe eſt circa agenda eſſe fortunam. Signum autem eſt, quoniam videtur vel idem eſſe cum fœlicitate proſpera fortuna, aut prope: fœlicitas autem actio quædam eſt, eſt enim bona actio: Quare quibuſcunq; non contingit agere, ijs neque a fortuna aliquid facere continget.

Conſtituit, fortunam in ijs eſſe, quibus inerit vtique & actio ἡ πρᾶξις. Hinc ſtatim in principio huius tex. deducit, fortunam neceſſario verſari περὶ τὰ πρακτικά, *circa agenda*, ſeu *circa practica*. I.
Et ait. *Propterea neceſſe eſt circa agenda eſſe fortunam*. Quod quidem connexum apertè colligitur, quia ſi fortuna eſt in ijs, in quibus inerit actio, & praxis, ergo neceſſariò fortuna reſpicit agenda, & quæ per praxim valent effici. Huiuſmodi autem ea dumtaxat ſunt, quæ ex conſultatione, & deliberatione fiunt. Et illa propriè dicitur agere, qui ita operatur, vt habeat ſui actus dominium, & qui huiuſmodi ſui actus dominio caret, potius agitur pecudis inſtar, quàm agat.

Deinde cum ait, *ſignum autem eſt, quoniam videtur vel idem eſſe cum fœlicitate proſpera fortuna, vel propè*, Probat tum id quod nunc aiebat, videl. II
fortunam verſari circa agenda: tum eam ipſam poſitam eſſe in actione, & praxi. Illud, quod aut eſt fœlicitas ipſa, aut eſt propè fœlicitatem, ſi tum eſt in actione, ac praxi: ſed ἡ εὐτυχία proſpera fortuna aut eſt ipſa fœlicitas, aut prope fœlicitatem; quare proſpera fortuna ſita eſt in actione, ac praxi: Quod ſi fortuna proſpera eſt in praxi, ergo & fortuna abſolutè: cum id quod eſt ſecundum quid, non immutet naturam eius, quod eſt ſimpliciter.

Maior vel ex eo conſpicua eſt, quia fœlicitas nihil eſt aliud, quàm εὐπραξία, *bona operatio*, quemadmodum ab eodem Philoſopho multis oſtenditur in primo Ethic. & repouit etiam hic inquiens, *Fœlicitas autem actio* πρᾶξις *quædam eſt: eſt enim* εὐπραξία *bona actio*: ergo quod eſt idem ac ipſa fœlicitas, profectò conſiſtet in actione, ac praxi. Eodem pacto, quod eſt prope fœlicitatem, ſeu cum ea iunctum erit etiam in actione.

Minor etiam duas habet partes: Prior profertur veluti ex communi hominum conſenſu, & propterea Auctor ait, *videtur*. Poſterior eſt quaſi correctio, & limitatio illius. Porrò communis multorum III.
ſenſus eſt, quod fœlicitas nihil ſit aliud, quàm proſpera fortuna, & viciſſim proſpera fortuna nil aliud ſit, quàm ipſa fœlicitas: Hoc Ariſtot. quaſi corrigens addit, *aut prope*. Si inquit, proſpera, ac ſecunda fortuna non eſt ipſa fœlicitas, certè eſt propè ipſam, nẽpe eſt aliquid cum ea iunctum.

ctum: quippe cum fœlicitas coalescat ex bonis animi, bonis corporis, & bonis adiacentibus, seu bonis fortunæ, vt in secundo Ethic. declaratur, palam est, fortunam esse iunctam, atque consociatam cum ipsa fœlicitate.

Ex his infertur, *Quare quibuscumque non contin-*
iv. *git agere* πράττειν, *ijs neque a fortuna aliquid facere contingit*. Si fortuna, vt nunc patefactum est, in actione, ac praxi sita & collocata est, siue cum ea est coniuncta, profectò quibus hæc actio non suppetit, neque etiam suppetet edere aliquem effectum fortuitum, nam cui non competit causa, quomodo is potis est, producere illius causæ effectum?

TEXTVS LIX.



B idque, neque inanimatum quippiam, neque bestia, neque puerulus, quicquam facit à fortuna, quoniã non habent electionem: neque prospera fortuna, neque infortunium his inest, nisi secundum similitudinem, vt dixit Protarchus, fortunatos esse lapides, ex quibus sunt aræ, quòd honorentur: copulati autem cum his conculcentur. Pati autem a fortuna inest quodammodo & his, cum agens aliquid circa hæc agat à fortuna: aliter autem non est.

Ex his, quæ nunc sancita sunt, colligit in hoc tex.
8. in quibus enquam non reperiatur fortuna, neque agere à fortuna? Et ait primò, si fortuna in ijs est, qui voluntariè, & ex sententia deliberata agunt, profectò neque aliquid inanimatorum, neque vllum animal rationis expers, quinimo neque infantes, ac puelluli poterunt actiuè, & propriè habere fortunam, neque vllum effectum fortuitum edere; ac proinde, *neque prospera fortuna, neque infortunium inest ijs*.

Addit rationem, *quoniam non habent electionem*. Subdit, *nisi secundum similitudinem, &c.* Quamquã præfata inanimata, bruta, atque huius classis alia, propriè & actiuè neque prosperæ, neque aduersæ fortunæ sunt capacia, possunt nihilominus per metaphoram, ac similitudinem tum fortunata, tum infortunata dici. Ita Protarchus fortunatos appellauit eos lapides, ex quibus Deorum aræ, atque imagines erectæ, cõfectæq; essent, propterea quod homines illos venerarentur supplices: alios verò ὁμοζυγεῖς αὐτῶν, *eius generis cum illis*, qui prope aras strati iacerent, dixit infortunatos, quia pedibus eorundem hominum conculcarentur.

Subnectit alium etiam modum, quo hæc eadem
i. sui fortunata, aut secus valeant appellari, *pati autem a fortuna &c.* Et est, quod dicuntur fortunata, quando patiuntur aliquid fortuitum: cum videl. aliquis operans ex electione, certaque animi sententia agit aliquid circa ista, præter suam intentionem, ac proinde agit a fortuna. Quæ res vel hoc exemplo potest intelligi: Exponat aliquis infantem aut feris, aut arbitrio maris, vt pereat: contingat autem, vt ille seruetur, ac in sublimem etiam aliquem euehatur honoris gradum. Hic infans dici potest fortunatus, & eius salus, atq; euectio dicetur a fortuna, quia est effectus fortuitus eius, qui eũ exposuit. Ita si infans, antequam nascatur, vel nuper editus, testamento declaretur hæres præter intentionem eius, qui testamentum condit. Dicitur enim hic infans fortunatus, quia patitur effectum fortuitum. Sic in rebus quoque inanimatis, veluti si quispiam gratia construendæ domus voluat lapidem triangularem, vt tali loco reponat: contingat verò, vt inter voluẽdum lapis ita sistet, vt sit aptus ad sedendum, ille dicitur a fortuna pati huiuscemodi situm, atque adeò a fortuna dicetur aptus ad sedendum.

TEXTVS LX.



Ed casus & alijs animalibus & inanimatorum multis, vt equus, casu dicimus venit, quoniam saluatus quidem est veniens, non salutis autem gratia venit, et tripes casu cecidit: stetit enim sedendi causa, sed non sedendi causa cecidit.

Patefecit adhuc vsque fortunam non nisi in hominibus reperiri, & omninò in ijs, qui ea certo, ac 1.
sibi constituto fine operantur, vnde constat, fortunam collocari in vno aliquo certo & constituto genere agentium. Pergit nunc commonstrare casum in multis etiam alijs rebus inueniri. Ex quo, posita differentia innotescet, *casum in plus esse*, quàm fortunam.

Ait itaque, quod fortuna est tantum in hominibus, eo quo diximus, modo; *sed casus inest, & alijs animalibus, & inanimatorum multis*. Nullum brutum agit quicquam ex electione, cum *electio*, vt in tex. 52. dicitur, *non sit sine intellectu*: agunt tamen eiusmodi res propter finem, quemadmodum in cap. 8. huius libri demonstratur: Cum itaque præter intentum finem in ijs aliquid rarò obtingit, casus est. Consultò autem ait Arist. *& inanimatorum multis*, quia non in omnibus inanimatis perpetuò casus adest, neque enim dum autumno cadunt V. G. folia, & vento huc, atque illuc agitantur, dixeris, casu cadere, & agitari; quandoquidem hoc semper, aut frequenter euenit: at si folium a vento delatum, ita decidat, vt cyathum aptè cooperiat, dicemus, casu cooperuisse.

Arist. duplex apponit exemplum. Vnum de 11.
equo: alterum de scamno, *vt equus, casu dicimus venit, quoniam saluatus quidem est veniens, non sa-*

lutis tamen gratia venit. Nam sic animo finga. Dum inter hostes datur classicum ad pugnam; aliquis equus sitiens, & videns prope adesse fontem, deserat prælium, & confugiat ad fontem, vt bibat: accidat autem in illo prælio interfici omnes reliquos equos: tunc ille, qui ad fontem sese receperat, dicitur casu saluatus. Non dicitur autem a fortuna saluatus, quia non agit ex electione: dicitur verò a casu, quia salus obtigit præter illius intentionem, quæ erat extinctio sitis: *non enim*, inquit Auctor, *salutis gratia venit.*

Eodem pacto, si scabellum tripus cadat ex alto, & cadens stet supra pedes aptum ad sedendum, dicitur casu ita stetisse: *stetit enim sedendi gratia, sed non sedendi gratia cecidit.*

TEXTVS LXI.

Quare manifestum est, quod in ijs, quæ simpliciter propter aliquid fiunt, cum non eius, quod euenit gratia fiunt, cuius extra est causa, tunc a casu dicimus: à fortuna autem horum quæcunque a casu fiunt eligibilium in habentibus electionem.

i. Ex his colligit in prima parte huius contex. casus definitionem, atque vt ea, nec non ipsa differentia inter casum, & fortunam magis adhuc appareat, repetit in secunda parte tex. quorum vnquam fit fortuna.

Ait itaque, a casu dicimus fieri, cum in ijs, quæ simpliciter fiunt propter aliquid, cum non fiunt eius gratia, quod euenit, cuius causa est extra. Vides, casum per tres efferri conditiones. Prima est, vt ea, in quibus casus versatur, fiant simpliciter propter aliquid. Secunda, vt non fiant eius gratia, quod deinceps euenit a casu. Tertia, vt causa eius, quod a casu contingit, sit extra.

ii. Primò ait, quæ fiunt *simpliciter*, idest propter aliquid, siue propter finem, at non cum electione, & discursu, quemadmodum vsuenit in fortuna, sed quomodocunque fiant, modo fiant ob aliquem finem. Enimuerò & cætera animantia præter hominem, & ipsa inanimata agunt propter finem vtcunque, & *simpliciter*.

iii. Deinde ait, effectum, qui propter hunc finem editur, haud debere fieri propter effectum casualem, qui subsequitur: alioquin huiusmodi effectus esset per se intentus, ac proinde effectus casualis non esset casualis. vt vides in scamno ex alto delapso: non enim eo fine cecidit, vt staret aptum ad sedendum.

Per illa demum verba, *cuius causa est extra*, significat Arist. effectum casualem sequi per accidēs ad illam causam: etenim quod alicui est per accidens, dicitur esse extra illud. Cum itaque effectus casualis consequatur per accidens ad talem causam, optimo iure dicitur extra eam. Vel dic, *cuius causa est extra*, causa, ad quam casus sequitur, est extra ipsum effectum casualem, quia illa causa ex se non inclinatur ad eum effectum, sed dirigitur, ac ordinatur ad aliud, ad quod postea ea accidente euenit talis effectus.

Pro completa casus definitione adde, quod casus fit in ijs, quæ præter semper, & frequenter contingunt; quæ quidem verba Arist. omninò vult in definitione casus intelligi ex iam dictis. Quocirca cōmuniter casus hunc in modum effertur. *Casus est causa per accidens in his, quæ agunt propter finem eorum; quæ raro contingunt.*

Sequitur Philosophus, *a fortuna verò horum, quæcunque a casu fiunt eligibilium in habentibus electionem* quæ omnia ex superius declaratis aperta, & conspicua sunt. Iam enim nosti, fortunam in ijs duntaxat reperiri, qui ex iudicio eligunt, & ex electione operantur. iv.

TEXTVS LXII.

Signum autem est ipsum frustra, quoniam dicitur, cum non fiat, quod propter aliud est, illius gratia. Vt ambulare, si purgationis gratia est: si verò nō facta fuit ambulanti, frustra dicimus ambulasse, & quod ambulatio frustra fuit, tanquam hoc sit Frustra, quod natum est alterius gratia, cum non perficiat illud, cuius gratia erat, natumque erat: quoniam si aliquis se lotum dicat frustra, quia non defecit Sol, ridiculus vtique erit, non enim erat hoc illius gratia.

Consilium Auctoris in hoc, & sequenti contex. est, probare, casum in ijs versari, quæ fiunt propter finem, sed tamen casus euenit præter eum finem. Accipit verò argumentum ab etymologia casus, qui græcè dicitur, αὐτόματον, & constituitur ex αὐτὸ, quod pollet ipsum, & μάτην frustra. Non abhorret Arist. quandoque res, de quibus agit, ex nominum significatione confirmare. Sic in quinto huius operis lib. tex. 7. comprobat transmutationē a voce μεταβολή. Ait enim: *Omnis transmutatio est a quodam in quiddam: manifestat autem & nomen μεταβολή, post aliud enim aliquid, & aliud quidem prius significat, aliud autem posterius*. Quod porrò optima præstat ratione, quia *nomina*, eodem Philosopho auctore in tertio lib. Rhetor. cap. 3. *sunt rerum imagines*, & Plato in Cratylo, *nomen*, inquit, *est imitatio vocis eius rei, quam imitatur, & nominat*. Profectò nomen nil aliud videtur esse, quàm definitio contracta, quemadmodum i.

c con-

Digitized by Google

e contra definitio nil esse aliud, quàm nomen explicatum. *Ratio, cuius nomen est signum, definitio est rei*, ait Arist. in quarto Metaphys. tex. 28.

In hoc itaque tex. explicat, quid hæc vox μάτην frustra significet, ex qua postea in tex. seq. colligit
11. suum intentum. Rem, inquit, ita se habere de casu, vti nunc dicebamus, *Signum est* τὸ μάτην *ipsum frustra* ὅτι λέγεται ὅταν μὴ γένηται τὸ ἕνεκα ἄλλου, ἐκείνου ἕνεκα. Quæ verba multis modis, sed in omnibus parum aptè translata sunt. Quidam sic. *tunc enim dicitur, cum id, quod est alicuius gratia, non est factum illius gratia*. Alij. *Quoniam dicitur, cum non fiat, quod propter aliud, illi ac causa*. Vtrãque hanc versionem habet. S. Thom. Alij vt habet tex. Simplicij. Signum autem est ipsum temerè, vel frustra, *quod dicitur, cum id, quod factum fuerit eius gratia*. Alij, vt Vicom. Signum autem est, quia vox μάτην quæ valet frustra, *tum vsurpatur, cum id, cuius gratia aliquid sit factum, non fuerit, sed illud, quod eius gratia*. Alij, *quoniam dicitur cum non fiat, quod propter aliud est, illius gratia*. Alij alio modo.

Hinc nonnulli, vt Vicom. turbant lectionem
1111 græcam: & Simplic. refert etiam aliã itidem græcã lectionem. Et in antiquo meo codice græco inuenio varietatem in interpunctione. Sic enim lego, ὅταν μὴ γένηται τὸ ἕνεκα, hic interpungit. deinde ἄλλου ἐκείνου ἕνεκα: quam lectionem omninò puto mendosam.

Amplector itaque communem lectionem, quam primo loco posui. Et illam sic struo. Frustra dicitur ὅταν τὸ ἕνεκα ἄλλου, μὴ γένηται ἕνεκα ἐκείνου. Adverbum dic. Frustra dicitur, quando id, quod fit propter aliud, non fit propter illud: videl. quando aliquid fit propter aliquem finem, & suscipitur gratia illius finis, & tamen non fit, idest, non consequitur illum finem, tunc dicitur frustra.

Hoc declarat Auctor tum exemplo, tum clario-
tr. ribus verbis. Exemplum est, *vt ambulare, fit* λαπάξεως ἕνεκα *vacuitatis gratia est*. Sic verte, & non vt in latinis codicibus legitur *purgationis*, vel *egestionis*, vel *depositionic*. Si quispiam eo animo ambulet, vt digerens reliquias ciborum in ventriculo insidentes, paret sibi appetitum futuri cibi, nec tamen hunc finem consequatur, *dicitur frustra ambulasse, & ambulatio frustra fuit*. Hoc etiã scito, quod λαπάζω, inter alia significat, deuoro, & λάπαξις est deuoratio, quasi igitur dicat Aristot. si quis eo fine ambulet, vi postea multum cibi ingurgitet, si id non consequatur, *dicitur frustra ambulasse*.

Quod subsequentibus verbis clarè explicat, *tan-*
v. *quam hoc sit frustra, quod natum est alterius gratia, cum non perficiat illud, cuius gratia erat*. Clara hæc sunt, & ea his clarior redditur data nostra expositio.

Monet deinde, & subdit, κἂν ἐπεφύκει, *& aptum natum erat, quia si aliquis se lotum dicat frustra, quia non defecit Sol, ridiculac vtique erit*. Vt aliquid dicatur frustra, debet operatio suscipi tali animo, vt subsequatur talis effectus, qui tamen re ipsa non sequatur: Si autem operatio non suscipitur tali animo, sed fit propter aliquem alium finem, neutiquam dicetur frustra. V. G si quispiam lauet se in balneo ob valetudinem suam, non possumus dicere lotionem illam fuisse frustra, si eo loto, non deficiat Sol: & qui secus loqueretur, deridendus foret. Cur? *quia*, inquit Arist. *non erat hoc illius gratia*?

TEXTVS LXIII.



I igitur casus iuxta nomen est, cum ipsum frustra fit. decidit enim non percutiendi gratia lapis: a casu igitur decidit lapis, quoniam cecidisse potuit vtique a quodam, & percutiendi gratia. οὕτω δὴ τὸ αὐτόματον, sic verte: *sit itaque ipse casus est secundum nomen, cum ipsum frustra fit*: male in latin. codicibus legitur, *si igitur ipse casus, &c.*

Porrò, vt rem dilucidè comprehendas, scito ex Simplicio, ipsum μάτην *frustra* triplex esse. Vnum 1.
quidem, quando nihil aliud euenit illi, qui frustra dicitur egisse, sed solum proprio fine frustratur, vt ambulatio excitandæ famis causa suscepta, cum non obtinet suum finem. Alterum est, quando euenit alius finis, siue alius effectus diuersus a fine, & effectu, quos agens intendebat. V. G. intendit Alchymista ex mercurio facere argentum, & facit cinerem. Tunc illius operatio dicitur frustra, quia non cineris, sed argenti producendi gratia operabatur. Tertium est, quando quispiam facit aliquid propter aliquem finem, qui finis re vera euenit, sed tamen præter illum finem euenit etiam aliquid aliud, quod nullam habet connexionem cum illo fine, sed omninò obuingit per accidens. & hoc, quod ita sequitur, dicitur αὐτὸ μάτην, *ipsum frustra*, siue αὐτόματον, casus.

Subdit exemplum. decidat ex alto aliquo loco lapis: profectò ille descendit, vt in suo loco naturali quiescat: accidat autem, vt Petrum illac trans- 11.
euntem percutiat: hæc percussio est αὐτόματον casus; *decidit enim non percutiendi gratia lapis: a casu ergo decidit lapic*. E contra verò percussio non esset a casu, si quispiam lapidem illum ea industria proijceret, vt Petrum feriret: sic etiam admonet Auctor in tex. Ex quibus clarissimè vides, quomodo casus re ipsa sit in ijs, quæ fiunt ob aliquem finem. Simplic. hic altercatur cum Alex. eum, si lubet, adi: mihi consilium non est aliorum dicta congerere.

TEXTVS LXIV.



Aximè autem est separatum, quod a fortuna est in ijs, quæ natura fiunt: nam cum sit aliquid præter naturam, tum non a fortuna, sed magis a casu factum esse dicimus. est autem & hoc alterum: huius enim extra est causa, illius verò intra.

I. Patefacit in hoc tex. in quonam fortuna maximè differat a casu; & ait, Id *quod a fortuna est, maximè separatum est in ijs, quæ natura fiunt*. Effectus fortuitus maximè differt ab effectu casuali, ac proinde fortuna a casu, quia casus est in ijs, quæ fiunt a natura. Ratio huius asserti est euidens. Agens liberum, operans ex electione maximè differt ab agente naturali: sed fortuna est in agentibus liberis ex consultatione, certoque animo operantibus: casus autem est in agentibus naturalibus: quare fortuna maximè in eo differt a casu.

Minor habet duas partes. Et quidem fortunam reperiri in agentibus ex electione, iam ex hucusq; habitis liquet: Casum autem esse in agente naturali, ex eo probatur in tex. quia cum aliquid fit a natura, sed præter eius ordinem, & *præter naturam*, veluti dum homo nascitur cum octo digitis, tunc *non a fortuna, sed magis a casu dicimus esse factum*.

II. Pergit. *Est autem & hoc alterum: huius enim extra causa est, illius verò intra*. Dupliciter expono. Primò, vt ex differentia nunc constituta colligat alteram differentiam itidem inter casum, & fortunam, quæ sit huiusmodi: quod eorum quæ sunt a fortuna, causa est extrinseca, agens enim ex electione videtur esse quid extrinsecum: eorum autem, quæ sunt a casu, causa est intrinseca, quemadmodum eorum, quæ sunt a natura:

Secundò, Dixit fortunam maximè discriminari a casu, quia hic est in ijs, quæ natura fiunt. At posset quispiam inferre, ergo actus casualis, & actus naturalis non differunt inter se: Vterque enim est naturà factus. Occurrit Arist. & ait, *hoc autem*, nempè fieri à casu, *est alterum* ab eo quod simpliciter fit à natura, quia licet vterque actus, & naturalis, vt naturalis est, & naturalis, vt casualis est, fiat in natura, tamen secundum quod est simpliciter naturalis habet causam intrinsecam, & nihil aliud sibi adiungit: idem autem actus naturalis, secundum quod est casualis, habet causam extra, & habet sibi aliud adiunctum, ratione cuius per accidens se habet ad illam causam, & hac ratione dicitur casus. Deinde cum ait.

TEXTVS LXV.



Vid igitur sit casus, & quid fortuna dictum est, & quo a se inuicem differant. At de modis causarum, in quibus est vnde principium motus, vtrumque ipsorum est, aut enim eorum, quæ sunt naturæ, aut ab intellectu causa semper est, sed horum multitudo indeterminata est.

Colligit in hoc tex. se iam duas quæstiones in tex. 39. propositas satis explicuisse: Deinde explicat tertiam. Ex his, inquit, quæ hactenus de casu, & fortuna edisseruimus, constat, *quid sit casus, & quid fortuna*. Et præterea, *quomodo inter se differunt*. Quæstio autem an casus, & fortuna sint aliquid, ex ijs etiam ipsis quæ dicta sunt, cumulatissimè manet enucleata. Quippè iam apertè patefactum est, reipsa dari einsmodi causalitatem, quæ fit per accidens, in qua casus, & fortuna reponuntur; Et præterea patefactum est, causalitatem illam esse realem. Ex quibus euidenter apparet, casum, & fortunam haud esse conficta solum nomina, & vacuas voces, sed aliquid reale. I.

In secunda tex. parte. *At de modis causarum, in quibus &c.* diluit vltimam quæstionem, quę erat, ad quod vnquam genus causæ reducuntur casus, & II. fortuna? & ait, reduci ad causam efficientem.

Probat hac ratione. Ad illud causæ, genus reducuntur casus, & fortuna, in quo sunt natura, & intellectus: fortuna etenim consequitur intellectum; Casus autem naturam: At natura, & intellectus sunt principia effectiua; quandoquidem natura est *principium, & causa motus* ex hoc secundo lib. tex. 3. & intellectus est *id, quo intelligit, & discernit anima* ex tertio de Anim. tex. 5. quare *vtrunque eorum*, id est & casus, & fortuna, *sunt in modis causarum, in quibus est vnde principium motus*, nempe causa efficiens.

Diceret aliquis. Hinc videtur sequi, casum, & fortunam esse causas determinatas, cum natura, & intellectus sint III. causæ determinatæ. Occurrit. *Causa semper est, sed horum multitudo indeterminata est*.

Verum, inquit, est, naturam, & intellectum esse causas certas, ac definitas, nihilominus multitudo effectuum casualiũ, & fortuitorum est indeterminata, quia procedunt ab illis vt a causis per accidens.

TEX.

TEXTVS LXVI.



Voniam autem casus, atque fortuna causæ sunt eorum, quorum aut intellectus causa sit, aut natura, cum secundum accidens causa aliqua sit horum ipsorum, nihil autem secundum accidens est prius ijs, quæ per se sunt; manifestum est, quod neque causa per accidens prior est ea, quæ est per se.

Sinxit, casum, & fortunam esse causas per accidens; & sequi ad naturam, & intellectum ex accidente. Ex his nunc demonstrat, longè a veritate alienam esse opinionem Democriti relatam in tex. 44. asserentis, casum, aut fortunam esse causam *Cœli huius, & omnium mundanorum*. Ac primò quidem in tex 66 iacit quasi tríplex fundamentũ.

Primum est, quod casus, & fortuna sunt causæ per accidens eorum, quorum intellectus, & natura existunt causæ per se. Hoc iam ex supra dictis est palam.

Secundum est, quod nihil secundum accidens est prius ijs, quæ per se sunt: siue quod idem est, omne quod est per accidens, est posterius eo, quod est per se. Ratio in manu suppetit, quia quod est per accidens, nihil aliud est, quàm recessus ab eo, quod est per se, aut quædam illius participatio; quocirca nisi præsupponatur id, quod est per se, omninò repugnat fieri, ac esse id, quod est per accidens. Ita in octauo huius ilius operis lib. tex. 39. *id*, inquit, *quod per se est causa, semper prius est eo, quod secundum aliud est*. Ita etiam scribit in secundo de Cælo tex. 18. de eo, quod præter naturam existit, respectu illius, quod est secundum naturam: Nimirum illud necessariò esse posterius isto. *Nihil præter naturam sempiternum est*. posterius enim est *quod præter naturam existit, eo quod secundum naturam: & excessus quidam est in generatione, quod præter naturam est iis, quod secundum naturam*. Sic in proposito de eo, quod est per se, & per accidens philosophare.

Tertium, causa per accidens non est prior ea, quæ est per se: siue causa per accidens est posterior ea, quæ est per se: Nam eadem est ratio de causa, quæ est de ente, siue de effectu.

TEXTVS LXVII.



Osterior itaq; casus est, atq; fortuna & intellectu, & natura. Quare si quammaximè Cœli causa est casus, necesse est, prius intellectum, & naturam esse, & aliorum multorum, & huius vniuersi causam.

Sic colligit ex supradictis fundamentis. Intellectus, & natura sunt causæ per se: Casus autem, & fortuna sunt causæ per accidens: sed causæ per se sunt priores; causæ autem per accidens sunt posteriores causis per se; ergo *posterior casus est, atque fortuna, & intellectus, & natura*.

Hinc vlterius ita concludit, *quare si quammaximè, &c.* Si casus, aut fortuna ponitur causa Cœli, & mundanorum, vt Democritus ait, profectò ante casum, & fortunam fuerunt causæ, ipse intellectus, & ipsa natura, tum multorum aliorum, tum huius mundi, cum intellectus, & natura, vtpote causæ per se, sint priores, quàm casus, aut fortuna.

Vel sic redige. Illa est causa Cœli, & vniuersi, quæ est omnium causarum prima. Nam sicuti ipsum vniuersum est veluti prius, tùm quia omnia ordinantur ad ipsum, seu partes ad totum, tum quia ante ipsum nihil aliorum fuit: sic ea quæ germana vniuersi causa statuenda est, debet esse cæteris omnibus prior: Sed intellectus, & natura sunt causæ priores, casus autem, & fortuna sunt causæ posteriores, ergo si qua est ponenda causa Cœli, & vniuersi, ea profectò erit intellectus, & natura, non autem casus, aut fortuna, vt dicit Democritus.

Hic imponit Eximius Præceptor finem tractationi de casu, & fortuna, Et omninò tandem causis per se, quàm ex accidente. Equidem antequam ad alios tex. progrediar, sisto tantisper, quare sit.

QVAESTIO VNICA.

De Casu, fortuna, & fato.



Væ de casu, & fortuna Auctor noster hucusque enucleauit, ita sensata visa sunt, vt non modo in Philosophorum, sed Theologorum quoque scholis iam crebro resonet, casũ, & fortunam esse causas ex accidente, eo modo quo ab Aristotele hactenus declarata sunt. Vident nimirum, quod lapis ex alto cadens percutit hominem illac transeuntem; casualiter autem ita percutit. Et qui forum perijt, vt sibi opportuna compararet, inueniet debitorem: inuenit autem a fortuna. Quæ tamen ita sunt causæ, & aliquid reale in rerum natura, vt non sint distinctum quippiam a quatuor generibus causarum, sed per accidens sequantur ad aliquem effectum, primò ac per se ab agente intentum.

Nihilominus tertia illa opinio ab Sagirite in tex. 47. relata, quod fortuna sit causa quædam immaterial-

ma-

manifesta humano intellectui, tanquam θεῖόν τι, καὶ δαιμονικώτερον *excellens quippiam ac diuiniore natura præditum*, incredibiles olim in pectoribus hominum egerat radices, nec fortesse hodie omninò euulsa est. Græci, (sileo exteras gentes) fortunam reuerenter habuere: pro quibus vnus spondeat, ac respódeat Plato, qui lib. quarto de legibus prope principiũ ita scribit. *Deum quidem omnia, & fortunam, opportunitatemque simul cum Deo, cuncta humana gubernare.* Et in Epinomid. ad finem, *Qui*, inquit, *hæc aliter adipisci studet, fortunam, vt dicimus, ignorat.* Demosthenes in oratione ad Epistolam Philippi, *Magnum*, inquit, *est momentum rerum, vel potius totum est fortuna ad omnia hominum negotia.* Ante hos Orpheus in hymno, quem in fortunam conscripsit, eam appellat, ἀπρόσμαχον εὖχος ἔχουσαν, inexpugnabile decus habentem, siue, vt alij vertunt, inexpugnabile numen.

Romanis, quamquam fortuna inter Selectos, maiorumque gentium Deos non commemoraretur
III. relata, *credita tamen fuit vel potentissima*, ait Ioan. Rosin. lib. 2. Romanar. antiquit. cap. 16. Hinc, auctore Plutarcho in opusc. de fortuna Romanorum, *permulta ei antiqua & splendida omnis generis fere honoribus posita extabant templa, & permixta partibus, & locis Romæ potissimis.*

Quocirca varijs quoque nominibus ornata colebatur. Sic legimus templa fortunæ Primigeniæ, fortunæ Obsequentis, fortunæ fortis, fortunæ Priuatæ, fortunæ Publicæ, fortunæ Viscosæ, fortunæ Paruæ, fortunæ Muliebris, fortunæ Equestris, fortunæ Reducis, Plebeiæ, Malæ, Seiæ, Mammosę, idque genus aliarum, de qua quidem re multa P. Vict. de regionib. Vrbis, Ioan. Rosio, loco indicato. Latinus poeta exclamat; *fortuna omnipotens.* Et Tullius lib. 5. Tusc. *dominam rerum* appellauit. Ante vtrumque Plautus.

Centum doctùm hominum consilia sola hæc deuincit Dea,
Fortuna; atque hoc verum est: perinde vt quisque fortuna vtitur,
Ita praecellet; atque exinde sapere eum omnes dicimus.

Huc facit illud Ouid. Trist. 5. Elig. 15.

Rara quidem est virtus, quam non fortuna gubernat.
Quæ maneat stabili cum fugit illa, pede:

Quin verò Satyricus poeta Iuuen. quamquam
IV. Romanis effusum fortunæ cultum carpat, tamen fortunam e Deorum albo haud abradere visus est, cum ait, nullum obesse numen, trito illo carmine,

Nullum numen abest, si sit prudentia; sed te
Nos facimus fortuna Deam, caloque locamus.

Audires pessim inter illos, si quid prosperum, si quid fælix, si qu' ex animi sententia, votoque caderet, aut contra, si quid turbulentum, molestum, calamitosum obtingeret, id totum fortunæ adscribi. Hanc in singulos homines ius habere, hanc ciuitates, ac regna euertere, hanc euersa, ac iacentia erigere, hanc denique ima summis, imisque summa pro arbitratu commiscere. Hinc communes quærimoniæ, quod ea sit lubrica, quod inconstans, quod incerta, quod cæca, quod temeraria, quod infida, quod prospera maximè pertimescenda, quod vitrea, & cum splendet frangitur. Quæ quidem de re pleni sunt vndique libri. Lege, si lubet, Lactant. firm. lib. 3. diuin. Instit. D. Augustinum de Ciuit. Dei libris potissimùm 2. 4. & 7. Cæl. Rhodin. lib. 21. cap. 29.

Equidem duo subijciam loca. Ex Plinio vnum:
Alterum ex Pacuuio. Ille in lib. 2. cap. 7. sic effunditur. V.
Inuenit tamen inter has vtrasque sententias medium sibi ipsa mortalitas numen, quo minus etiam plane de deo coniectatio esset. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus, fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuicijs colitur, volubilis a plerisque, & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola vtramque paginam facit. Hactenus ille. Pacuuij verò carmina, quæ citentur in 2. Rhetor. ad Herennium, hæc sunt.

Fortunam insanam esse, & cæcam,
Et brutam perhibent Philosophi,
Saxoque instare globoso prædicant volubili.
Ideò quò saxum impulerit, eò cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem iterant, quia nil cernat, quò se se applicet.
Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit.
Brutam, quia dignum, atq; indignum nequeat internoscere.

Re tamen vera inter homines sunt nonnulli for-
tunati, alij infortunati: Et quidã in vno aliquo re- VI.
rum genere, veluti in militia, aut mercatura, alij in pluribus: Et quidam valdè, ac per totum vitæ spatium, quamquam hi vix pauci, quidam verò mediocriter, & per interualla.

Rem ita esse, loquuntur passim historiæ: & nos ipsi quotidie cernimus. Videmus aliquos V. G. in congerendis diuitijs, quicquid appetierint, illicò obtinere: alios contra quacunque in re implicari, & alijs atque alijs vrgeri difficultatibus: Illis cuncta ex animi sententia fluere; his, si festucam de terra eleuare voluerint, hinc inde varia emergere impedimenta: Illis, si terram (vt ita dicam) manibus tangant, in aurum, opesque verti: his omnes facultates a manibus, imoque sinu effluere, dissipari, disperdi. Idque non semel aut bis, sed quasi continuata serie: Neque illis hæc prospera obuenire propter prudentiam, virtutem, probitatem: his autem contraria propter stultitiam: quin verò res plerumque secus obtingit. Ita per alios rerum gradus tute ipse expatiare. Et quod magis est, permulti internè coniectant in aliquo genere suam sortem. Quo fit, vt etiam alij confidenter, alij

timidè

Digitized by Google

timidè operentur:

VII. Hic etiam, omissis alijs auctoribus, vnum consulam Aristotelem, qui lib. 7. moral. Eudem. cap. 14. rem hanc ex professo agitat. Atq; cum in principio cap. constituisset, quod non solum prudentia efficit, τὴν εὐπραγίαν, bonum successum, siue prosperitatem, & virtutem, *sed fortunatos etiam benè agere, tanquam fortuna secunda prosperos gignente successus, affirmamus*, statim proponit, *considerandum igitur est, natura ne fortunatus, ac infortunatus sit, an secus, & quomodo res habeat*. Et quidem de istorum existentia subdit, *fortunatos enim quosdam esse cernimus; & stulti in multis, quorum scil. fortuna domina est, benè agant: siquidem & in ijs, in quibus ars est, multum sanè, & fortuna iuuet, vt in militia, & in gubernatoria.*

Pergit, & quærit, si sunt huiusmodi homines, vtrumne igitur ab aliqua habitudine homines sint idonei ad huiusmodi successus conficiendos, an non? At nunc, subdit, quidam opinantur, ὡς φύσει τινῶν ὄντων. *tanquam natura quidam sint tales; & natura quales quosdam facit, & statim a natiuitate.* Apponit exemplum, quod quemadmodum hi quidem a natiuitate oculis cæsijs præditi sunt, illi nigris, qui sanè forma quadam inter se distinguuntur, *sic fortunati, & infortunati.*

VIII. Præterea, huiusmodi homines non agere prosperè propter prudentiam, vel ex eo liquet, quod in multis prospere agunt etiam stulti ac stolidi. *Et non raro, velut in arte nauium gubernatrice, peritissimi etiam parum secundam fortunam experiuntur, ac velut in alea iactu, alius nihil, alius multum lucratur; quam fælicitatem vel naturæ beneficio accepit, vel, vt inquiunt, beneuolentia Dei, qua etiam in exilio, & rectius benignitatem fortunæ experitur: non secus ac malè compacta nauis rectius sæpe agitur, non per se quidem, sed quia peritum gubernatorem nacta. Sic fortunatus ille genium bonum gubernatorem habet.*

Deinde obijcit, quia *absurdum est, tales a Deo genione diligi, non præstantissimum potius, sapientissimumque.*

IX. Pergit pro natura, & subnectit, quod necesse est, huiusmodi successus, & secundam fortunā contingere, *aut natura, aut intellectu*, nempè prudentia, aut ἐπιτροπείᾳ τινὶ *procuratione quadam*. In latina traslatione habetur *procuratione diuina*, sed in græco, *diuina* non est: tamen intelligunt, vel diuina, vel superna. τάδε δύο μὴ εἶ. duo autem non sint: natura igitur fuerint fortunati.

Rursus opponit, quoniam quæ a natura sunt, ea porrò semper, aut plerumq; eodem modo eueniunt. At quæ à fortuna obtingunt, neq; sēper, neque sæpe obueniunt eodem modo. Item, si secunda fortuna est a natura, fatendum est, quod quemadmodum hoc quod est, cæsijs oculis præditum non cernere acutè, non adscribimus fortunæ, sed naturæ, neque dicimus, id eum a fortuna, obtinuisse, sed a natura, sic homo ille dicendus erit οὐκ εὐτυχής, ἀλλ' οἷον εὐφυής, *non fortunatus, sed velut bona natura præditus.*

Post hæc conuoluitur, & solita verborum contractione, & quasi quadam dicendi obliquitate rursus quærit. πότερον, ἢ ἔστι τύχη ὅλως, ἢ ἔσται μέν, ἀλλ' οὐκ ἔτι. quæ sic sonant. *Est ne fortuna vniuersaliter, an est quidem, sed non amplius* Vel sic, *fortuna erit ne*, (nam ἔσται est futurum) *vniuersaliter: vel erit quidem. sed non amplius.* sensus est, quærit, fortuna estne aliquid vniuersè, siue simpliciter loquendo, an non? Deinde, an verò est quidem aliquid, sed tamen non est causa alicuius. Latinus interpres sic vertit. *Sic rursum quæritur: an fortuna sit in vniuersum aliqua, vel cum sit, an non sit etiam vnde.* Quæ vltima verba exprimunt causam efficientem: hæc quippe definitur in tex. 28. huius lib. & quinto Metaph. cap. 2. esse vnde principium motus. X.

Statim respondet. *Atqui necessum est, & esse fortunam, & causam esse: Vnde & bonorum quorundam, & malorum causa fuerit.* Vide responsionem ad vtramque partem propositi theorematis: & quod sit: & quod causa sit: & quod quorundam bonorum, & malorum causa fuerit: Sequitur, εἰ δὲ ὅλως ἐξαιρετέον, totam periodum, quam latinus interpres peruertit, sic effer. *Si verò omnino*, Vel, *An verò omninò excipiendum sit, & nihil à fortuna fieri affirmandum*: ἀλλ' ἡμεῖς, *sed nos* (audi) *existente alia causa, propterea quia illam non videmus, fortunam esse dicimus causam*. Hic siste: & mente libera intellige, quæ vnquam est ea causas, quam, vt Arist. ait, quia nos non videmus, appellamus fortunam. Hæc porrò non est ea causa, quæ per se intendit effectum, ad quem consequitur ea accidente effectus fortuitus, qui dicitur fortuna, sicut in textuum expositione de fortuna diximus; cuiusmodi est V. G. homo fodiens, aut fossio terræ in inuentione fortuita thesauri: Homo, et eiuro ad plateam in inuentione fortuna debitoris. At neque est ipsemet effectus fortuitus, vt ipsa inuentio thesauri; quia omnia hæc sunt sensibilia, & ea ipsa videmus: Causam autem, quam appellamus fortunam non videmus: Quocirca est aliqua alia, eaque inuisibilis, & omninò in se ipsa insensibilis. XI.

Quæ quidem causa censenda est germana ac legitima causa per se dictæ inuentionis thesauri: quamuis illa eadem inuentio collata ad fossionem, & ad hominem fodientem sit effectus per accidens. XII. & ita loquitur Arist. de fortuna in secundo Phys. vt exposuimus. Et ratio est, quia in libris Physic. considerat ea, quæ ad Physicum spectant: Huiusmodi autem sunt, ea quæ concernunt materiam, vt est homo fodiens, fossio, vel inuentio thesauri. Et sic tam homo fodiens, quam fossio, quam inuentio ipsa sunt per accidens. Quod vel ex eo manifestum est, quia multi homines fodiunt, nec tamen inueniunt thesaurum. Nihilominus hic idem effectus relatus ad causam illam, quam nos non videmus, ideoque appellamus fortunam, non est per accidens, sed est per se intentus. Neque est nouum ac insolens, vt vnus aliquis effectus compa-

para

paratus ad causam inferiorem sit secũdum accidẽs, collatus verò ad causam superiorem non sit secũdũ accidens, sed per se intentus. Sit exemplum de domino, qui ex deliberato iudicio mitteret duos seruos per loca diuersa, sed ita disposita, vt illi infallibiliter sibi occurrant: Atque hoc domini consilium serui nesciant. Occursus ille respectu seruorum est per accidens, & præter illorum intentionem: respectu autem domini est per se intentus. Vel sicuti, si quispiam certò sciat in aliquo determinato loco incubare thesaurum absconditum; & instiget aliquem rusticum, hoc ignorantem, vt ibi fodiat sepulcrum, qui fodiens re ipsa inueniat thesaurum: inuentio illa respectu rustici est effectus per accidens, & omninò præter eius intentionem: in ordine autem ad instigantem est effectus per se intentus. Sic in proposito philosophare.

XIII. Sed pergit cum Arist. qui eam ipsam causam vlterius explicans ait, *Propterea definientes fortunam constituunt causam analogam*, siue, *proportionalem humanæ ratiocinationi*. Hæc causa, quam nos non videmus, & appellamus fortunam, debet habere analogiam, ac proportionem cum humanis ratiocinatione: Ratiocinatio hominis est supra sensibilia: quocirca dicta quoque causa fuerit supra sensibilia. Vno verbo, hæc causa, (vtor nominibus quæ in hoc ipso cap. 14 sunt) est quædam ἐπιτροπία, procuratio, videl superna, & ὁρμὴν τῆς ψυχῆς, impetus quidam in anima, & quidam afflatus, qui est ceu quoddam principium, quo quispiam fertur, & concupiscit, quæ, quando, & quo pacto oporteret; eaque peragit præter rationem perinde ac prudentes disponerent per rationem illa ipsa peragere.

XIV. Porrò hæc procuratio, atque afflatus supernus iuxta Veritatis nostræ firmitatem inde descendit, vnde est omnis datio bona, & omne donum perfectum: a Deo tempore Max. Quid autem dixi, iuxta veritatis nostræ firmitatem? Etiam in naturæ caligine collimarunt multi, quos prætereo, vno Aristotele contentus, cuius verba ex hoc ipso cap. 14. hæc omninò sunt. *Et quoddam est principium, extra quod aliud nullum reperiatur* ἄγονδὲ, *videl.* ἡ ἀρχὴ, *principium*, διὰ τὸ τοιαύτη τὸ εἶναι, τοῦτο δύνασθαι ποιεῖν, sic verte. *Hoc autem*, principium, *quia est tale secundum esse, hoc potest facere. Quod autem quæritur, hoc est, quodnam est principium motus in anima? Patet autem sic esse, quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine. Rationis autem non ratio, sed præstantius quidpiam est principium. Quid autem scientia præstantius est, nisi Deus? Virtus enim organum intellectus est: quocirca Veteres dixerunt fœlices ex fortuna, qui irrationales ad rectè agendum impellerentur, nec velle ipsis confert: principium enim habent & intellectu, & voluntate præstantius. Alij verò rationem habent, illud verò non habeat. Quales sunt enthusiasmi; hoc enim non possunt hi, quippe qui sine ratione feruntur. Itaque horum, qui prudentes, sapientesque sunt, celeris est vaticinatio* E mca: *Patet autem, quod species fœlicitatis duæ sunt. Altera diuina, ideoque qui fœlix est, diuinitus aliquid fecisse dicunt: Is autem est, qui aliquid iuxta impetum diuinum* (in græco non est diuinum) *perficit: Alter est, qui aliquid præter hunc impetum facit: Irrationales verò ambo: ac illa frequens magis fœlicitas est, ista frequens minus*. Hæc magnus præceptor.

Quæ omnia ipse accuratè perpende: ego vnum adhuc eius ipsius locum subijcio ex libro secundo Rhetor. cap. 17 quo loci expendens mores hominum fortunatorum, inter alia ita scribit. XV. *Vnus autem consequitur melior mos bonam fortunam, quod fortunati* φιλόθεοι, *Dei amatores sunt: Et se habent* πρὸς τὸ θεῖον *erga diuinum quodammodo*: siue, *erga diuinum benè affecti sunt: credentes propter bona, quæ sunt a fortuna*. Quæ omnia cum ita sint, ineptiunt, qui aduersus hunc afflatum, ac procurationem supernam obmurmurant: Hæc de fortuna.

Addidit in quæstione etiam fatum, quoniam hoc quoque pertinet ad ordinem causarum: de quo inextricabiles olim extitere errores: Ille inter alios caput extulit, quod fatum esset vis quædam, cui res omnes, omnes actiones etiam liberæ hominum, superna omnia subiacerent: quod quidem ineuitabile, ineluctabileque volentem duceret, nolentem traheret; & vt Seneca loquitur, sit necessitas rerum omnium, quam nulla vis rumpat,

Veruntamen fatum in huiusmodi significatione, detestatur catholica doctrina: admittit verò fatum in bono sensu, & est hic, vt per XVI. fatum intelligamus infallibilem ordinem, ac dispositionem, quam diuina prouidentia tribuit causis omnibus, non modo naturalibus, verum etiam liberis ad suos effectus producendos, ita vt ex illis dispositis sequatur effectus certò & infallibiliter eo planè modo, quo ex omni æternitate dispositum ordinatumque est.

Quod vt melius intelligas, aduerte ex S. Thoma in prim. part. quæst. 116. art. 2. quod cum prouidentia diuina exequatur suos effectus XVII. per causas intermedias, (loquimur non de effectibus immediatè a solo Deo dependentibus, quomodo V. G est creatio) potest ipsa ordinatio effectuum gemino modo considerari. Vno quidem, secundum quod est in ipso Deo; & sic vocatur prouidentia. Altero verò, secundum quod est in causis intermedijs, a Deo dispositis ad aliquos effectos producendos, quæ nimirum ex suppositione, & ex vi dispositionis existentis in mente diuina diriguntur causæ secundæ ad talem, ac talem effectum; & secundum hanc rationem dicitur fatum. Quo fit, vt fatum sit in ipsis rebus creatis a Deo ad hunc, illumue effectum ordinatis. Hinc Boetius lib. 4. de consolat. prof 4. definiuit fatum, quod sit inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio.

spositio, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus. *Sic ergo in quantum omnia, quæ hic aguntur, diuinæ prouidentiæ subduntur, tanquam per eam ordinata, & quasi prælocuta, fatum ponere possumus: licet hoc nomine sancti doctores vel recusauerint, propter eos, qui ad vim positionis syderum hoc nomen retorquebant. Vnde August. dicit in 5. de Ciuit. Dei. si propterea quisquam res humanas fato Dei tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem, fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat;* inquit Angelicus Doctor in quæst. 116. nunc commemorata, art. 1. Atque hic finem facio de causis tum per se, tum ex accidenti. est igitur.

CAPVT VII.

Quatuor tantùm esse genera causarum: & Physicum per omnia ea demonstrare.

TEXTVS LXVIII. & LXIX.



VOD autem sint causæ, & quod tot numero, quot dicimus, manifestum est: tot enim numero ipsum propter quid comprehendit. Aut enim ad ipsum quid est reducitur ipsum propter quid, vltimum in immobilib. vt in Mathematicis. Ad definitionem enim recti, aut commensurabilis, aut alius cuiuspiam reducitur vltimum. Aut ad mouens primum, vt propter quid certauerunt? quoniam furati sunt. Aut cuius gratia? vt dominentur. Aut in ijs, quæ fiunt materia. Quod igitur causæ hæ, & tot sint, manifestum est.

Absoluit tractationem de casu, & fortuna; nunc confirmat genera causarum esse quatuor tantum, iam retro constituta: quæ quidem res confirmatione, & stabilimento (vt Simplic. loquitur) videbatur indigere, cum magnum quippiam, & vix credibile videri posset, tantam rerum, ac causarum multitudinem quatuor dumtaxat, ijsque simplicibus causarum generibus comprehendi. Hanc verò probationem haud poterat Aristot. exequi, antequam casum, & fortunam explicasset, & aperuisset, casum, & fortunam neutiquam præfata causarum genera augere, sed ad causam efficientem redigi. Propterea germanus huius ostensionis locus est in hac parte.

Ponit itaq; in principio tex. huiusmodi assertionem. Manifestum est, causas esse; & esse tot numero, quot diximus. videl. quatuor, siue causas, siue causarum genera. II

Primam partem, vt iam patefactam supponit. Secundam verò colligit hoc argumento. Tot sunt genera causarum, quot numero sunt illa, quæ *ipsum propter quid comprehendit*. Nam quæstio propter quid, quærit causam, & interroganti propter quid aliquid est, aut fit, respondemus per causam. Sed quæstio propter quid comprehendit tantùm quatuor genera causarum iam enarrata, & non plura, ita vt per ea apertissimè, & adæquatè valeamus ad omnem omninò interrogationem factam per quæstionem propter quid, respondere: quare quatuor tantum erunt causarum genera, iam enarrata.

Minorem probat Philosophus in tex. ingeniosè inducendo quæstiones tùm in scientijs speculatiuis, tùm in actiuis, siue practicis, in quibus omnibus quæstio propter quid, adæquatè resoluitur per dictas quatuor causas. Ac primò quidem ponit causam formalem, dum ait, *aut enim ad ipsum quid est reducitur ipsum propter quid, vltimum in immobilibus, vt in Mathematicis.*

Scito, quod per *immobilia*, dum Arist. ait, *in immobilibus, vt in Mathematicis*, plerique omnes cum Simplic. intelligunt solas res mathematicas, quæ quidem dicuntur immobilea, quia per intellectum sunt abstractæ, tum ab omni motu, tum à materia sensibili. Et iuxta hunc sensum Arist. indicatis verbis explicat causam formalem, sed solum in scientijs Mathematicis. III

Alij autem, inter quos est Vicom. per *immobilia* intelligunt non modo Mathematica, sed reliqua omnia entia immobilia, quæ etiam secundum esse carent ab omni materia, motuque abiunctissima, cuiusmodi sunt intelligentiæ. Ita vt Aristot. quod de omnibus immobilibus vniuersè dixit, *vltimum in immobilibus*, postea exemplo declaret in Mathematicis, inquiens, *vt in Mathematicis*: Et secundum hanc explicationem exprimit causam formalem in duabus scientijs speculatiuis, videl. in Metaphysica, & in Mathematicis. Subnectit verò Aristot. exempla solum ex Mathematicis petita, quoniam Mathematicæ illa tempestate erant communiter notæ. Scito præterea, quod Arist. per *ipsum quid est*, cum ait, quod *aut ipsum propter quid reducitur ad ipsum quid est*, vult intelligere formam, seu quidditatem: Et quia hæc explicatur per definitionem, iccircò per *ipsum quid est*, intelligit definitionem, & propterea eam appellat *vltimum*. Nam per definitionem vltimò respondemus ad quæstionem propter quid aliquid est. Vbi namque ad definitionem cuiuspiam deuentum est, haud datur progredi vlterius, Et hoc non modo in immobilibus, sed in alijs etiam rebus est verum. Auctor autem ponit exemplum, in Math. inquiens, *ad definitionem enim recti, aut commensurabilis, aut alius cuiuspiam reducitur vltimum.* IV.

Digitized by Google

Cape iam exempla. *Si quæras*, cur linea recta sit? adæquatè respondebo, quia est minima linearum, quæ a puncto ad punctum trahuntur: quæ est
V. definitio lineæ rectæ. Ita si de angulo roges, cur rectus sit? occurram itidem per definitionem, eum esse rectum, quia recta super rectam κάθετος cadens, facit angulos rectos. Eodem pacto si percunteris, cur aliquæ lineæ commensuratæ sint? dicam, quia eandem mensuram recipiunt, quæ est definitio rerum commensurationem habentium. Et denique interrogatus, cur lineæ, quę in circulo ex centro egrediuntur, æquales sint? dicam, quia circulus est figura plana, vna linea contenta, in qua ab vno puncto positorum intra figuram, omnes tendentes ad circumferentiam rectæ æquales sunt inter se.

Et quia, vt nunc indicabam, non modo in Mathematicis, aut verò in Metaphysicis, verùm etiam
VI. in alijs quoq; rebus, quæstio propter quid vltimò resoluitur per definitionem: accipe etiam hic exempla. Si quæras, cur nix disgreget visum? & aliquis occurrat, quia est alba, tollet quidem proximè quæstionem, at non vltimò: quia rursus interrogabit, cur album disgreget visum? Ast vbi audierit definitionem albi, quod est disgregatiuum visus, quod vlterius quærat, nil habet. Ita cur homo est visibilis? dices, quia rationalis. At cur rationalis? quid tibi superest, quod vltra dicere possis? & propterea in primo Metaph. capit. 4 legimus, causam vnam essentiam esse, quia quæstio propter quid, ad ipsam rationem, & quidditatem vltimò reducitur, sicut etiam in hoc tex. asseritur.

At superest hoc loco notandum discrimen inter res Mathematicas, & naturales, quod de his agitan-
VII. tur, & resoluuntur complura quæsita etiam per alias causas, vt mox audies: in Mathematicis autem non nisi per vnicam causam formalem. Enimuerò quamuis Mathematica concernant aliquam materiam, illa tamen non est materia sensibilis, sed tantum intelligibilis, vt docet Sagittaries octauo Metaph. tex. 16. vnde Mathematicæ abstrahunt ab omni motu: ac proinde excludunt causam efficientem, quæ est *id, vnde principium motus*, vt vel ex tex. 29 huius lib. apparet. Excludunt etiam causam finalem propriè dictam, quemadmodum ex professo probat Arist. tertio Metaph. tex. 3. de qua re dixi in quæst. 1. sect. 3. post procem. huius operis. Cum itaque Mathematicę solum causam formalem syncerè expendant, ideò Philosophus loquens de causa formali, voluit eam assignare in Mathematicis; quæ conspicuè etiam apparet in reliquis immobilibus, quæ neque intelligibilem materiam includunt.

Subdit causam effectricem in practicis, *aut ad mouens primum, vt propter quid certauerunt? quo-*
VIII. *niam furati sunt*. Phocenses spoliauerunt Thebanorum templum. Isti ob hanc expoliationis causam bellum illis intulerunt. Causa igitur efficiens originaria fuit præfata expoliatio. Ita in rebus naturalibus vicissitudo, & perpetuitas rerum sublunarium refertur, in primo de Ort. & inter. cap. vlt. vt in causam effectricem, in motum Cœlestem, & eum quidē duplicem, sicut explicat idem Philosophus in lib. secundo eiusdem operis loco cit. & in secundo de Cœlo cap. 3 Si itaque quæratur, propter quid Thebani cum Phocensibus pugnauerunt? respondemus per causam effectricem, *quoniam* illi *furati sunt*: Ita propter quid est vicissitudo, & perpetuitas in his sublunaribus rebus? Propter multiplicem motum Cœlestem.

Subiungit de fine, *aut cuius gratia? vt dominen-*
tentur. Si quæras, cur Athenienses bellum Co- IX.
rinthijs indixerunt? dicam, vt illis dominarentur.

Apponit tandem causam materialem in facultatibus, quæ considerant res, quatenus fiunt, & generantur, cuiusmodi sunt artes, vel etiam scientia Naturalis: In his enim resoluitur quæstio propter quid etiam in materiam, ex qua res fiunt, vel factæ cognoscuntur. Hoc indicat Arist. cum ait, *aut in ijs, quæ fiunt materia*. V. G. si quæras, cur scamnum putrescit? quia est ex ligno. Cur homo est corruptibilis? quia constat ex elementis, & qualitatibus contrarijs.

Hinc ita collige. Si discurrendo per omnia cognitionum genera, aptè respondemus, & adæqua- X.
tè resoluimus ipsum propter quid, per illas quatuor causas iam à nobis assignatas, non est vllum aliud causæ genus intrudendum, quia esset superfluum. Atqui per dictas quatuor causas adæquatè id facimus, vt iam ostensum est: quare &c. Propterea etiam Auctor concludit, *quod igitur causæ hæ, & tot, manifestum est*. Porrò de numero causarum, & omninò de causis dixi abundè superius; iccircò hic verbum non addam.

TEXTVS LXX.



Um autem causæ quatuor sint, de omnibus est Physici cognoscere, & ad omnes, reducens ipsum propter quid, assignabit physicè materiam, formam, ipsum mouens, & id, cuius gratia. Veniunt autem tres in vnam plerumq;: ipsum enim quid est, & id, cuius gratia, vna est: ipsum verò vnde motus primum, specie eadem est his: homo enim hominem generat.

Absoluit hactenus, & quidem cumulatè causarum tractationem: nunc ad illud aperiandum accingitur, cuius gratia totam illam prouinciam su- XI.
scepit, vt nimirum explicet, quomodo Philosophus Naturalis se habeat ad hasce causas? consideret ne omnia earum genera, an solum aliqua? ideo.

Determinat, quod ad Philosophum Naturalem spectat, cognoscere omnes quatuor iam enarratas causas, & per omnes illas physicè demonstrare, sedu-

Digitized by Google

reducẽdo ipsum propter quid in quamlibet earũ id est in materiam, formã, mouens, siue efficiẽs, & id cuius gratia. Consultò ait, assignando hasce causas *physicè*, quia Philosophus naturalis non debet assignare causas per quascunque rationes. V. G. per rationes logicas, aut Metaphysicas, sed ex proprijs principijs, & secundum modum considerandi naturaliter.

II. Ratio autem assertionis hæc est, quia res naturales, quæ sunt obiectum Phylosophiæ Naturalis, includunt omnes dictas quatuor causas: sed quando obiectum scientiæ includit omnes quatuor causas, ad hoc vt cognitio in ea sit perfecta, debent omnes illæ cognosci, quia Auctore Phylosopho in proœm. huius operis. tex. 1. *tunc arbitramur cognoscere vnumquodque, cum cognouerimus causas primas, & principia prima, & vsque ad elementa*, de qua re abundè dixi post illud proœm. quæst. 1. sect. 2. ergo Naturalis Philosophus, si vult habere perfectam scientiam, de suo obiecto, tenetur cognoscere omnia dictarum causarum genera. Quod verò in rebus natura constantibus includantur omnes prædictæ causæ, iam patefactum est supra in tract. de causis. Et sanè adest efficiens, quod res naturales facit. Hoc in aliqua materia debet facere: tum agit propter aliquem finem; & denique producit id, ratione cuius res habent esse, quæ est forma.

Obijceret aliquis: Philosophus Naturalis plerunque habet scientiam per vnam tantũ, seu per duas III causas. V. G. cum habet alicuius rei definitionem. Definitio autem est per solam formam, & materiam, vt docet Philosophus oct. Metaphys. tex. 9. non igitur tenetur cognoscere omnes quatuor causas.

Occurrit Arist. *veniunt autem tres in vnam plerũque*. In his quatuor causis multoties tres coeunt in vnam: Hoc autem gemino modo contingere potest. Aut enim istæ tres causæ sunt vna res numero; aut vna tantum specie. Forma, & finis sunt vna, atque eadem res numero, ita vt causa formalis, & finalis sint vna secundum numerum: Et dicitur causa formalis, quatenus elargitur rei esse: dicitur autem finalis, quatenus terminat generationem, & est id, cuius gratia generans operatur.

Deinde, efficiens est idem specie cum forma, & fine. Hoc exprimit Arist. *vnde autem motus primũ. τῷ εἴδει τὸ αὐτὸ τούτοις, specie est idem his*, nempe cum forma, & fine, quæ iam dixit esse idem numero. Quocirca malè in latin. codicib. legitur, vnde autem motus specie, *eadem his*.

Quod verò efficiens, specie conueniat cum IV. forma, ac proinde cum fine, ex eo liquet, quia forma hominis generantis, quæ est principium efficiẽs, vt quo generationis, (hoc indicat Auctor, cum ait, *homo enim hominem generat*) sunt vnum secundum speciem.

Porrò hoc debes intelligere sic euenire in agentibus vniuocis, in quibus generans edit sibi simile in specie, *& facit aliud, quale est ipsum*, quemadmodum in secundo de Anim. tex. 34. asseritur: non autem habet locum in agentibus æquiuocis, vt in genitis ex putri apparet, & propterea oculatissimus Præceptor ait, sic euenire *multoties*.

Sunt itaque præfatæ causæ hoc pacto vnum, nihilominus determinantur ratione, ac definitione, quod satis est, vt diuersa causarum genera constituant.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 70.

CONstituit Auctor, formam, finem, & efficiens multoties coire in vnum, eo modo, quo exposuimus: at cur non etiam de materia aliquid dixit?

Ideo; quia materia neque numero, neque specie potest esse idem cum reliquis causis. V. Quia tres priores causæ sunt aut actus, aut actu: Forma, & finis sunt actus; efficiens verò est actu: cum vnumquodque agat in quantum est actu; & præterea agit per suam formam, per quam constituitur actu, iccircò istæ tres causæ possunt inter se aliquo pacto complicari. Materia verò est sola potentia: Quod autem est tantum potentia, nequit cum ijs, quæ actus, aut actu sunt, identificari; ideò non erat necesse hoc loco de materia aliquid præcipere.

Deinde ait, tres illas causas venire in vnam *multoties*.

Hoc summa cum ratione dicit, quia non veniunt semper; Et quidem si sermo sit de forma, & fine, primùm non omnis finis est idem cum forma, sed solum finis, qui generationem terminat. Deinde, VI. finis, qui est in generatione, adhuc est duplex. Alius est finis cuius, alius finis cui. Forma non est idem numero cum fine cui, hic enim est ipsum compositum, cui agens intendit acquirere finem cuius: Sed est idem numero cum fine cuius, quæ est forma producenda, quia agens intendit producere aliud sibi simile secundum formam.

Si autem accipiatur de forma, & efficiente, quod sint vnum specie, adhuc distinguendum est. Nam efficiens aliud quidem est vniuocum, sic ignis generat ignem, & homo hominem: aliud verò est æquiuocum, vt Sol generat ranam, & lacertam. Prius efficiens est idem specie in forma rei producendæ, aut productæ: non posterius: ideò etiam in efficiente, ac forma habet locum illud *multoties*.

Adhæc ait, formam, & finem esse idem numero: formam autem, & efficiens esse idem solum specie. Contra: Natura est forma, vt constat in VII. tex. 10. huius lib. At eadem numero natura est etiã causa efficiens: est enim natura, vt in tex. 3. eiusdẽ

libri deſinitur, cauſa motus; atqua adeò omnium actionum rerum naturalium.

Accedit, quod eademmet anima eſt principium, & cauſa in triplici genere cauſæ, videl. formalis, finalis, & efficientis. *Anima cauſa eſt, vnde motus, & cuius gratia, & vt aſſentia animatorum corporum*, inquit Stagirites in ſecundo de Anim. tex. 36. quæ tria ibidem probat. Si itaque anima forma eſt, profectò forma, & finis, & efficiens ſunt etiam vnum numero.

Occurrendum eſt, & quidem ad primum, quod natura eſt quidem forma reſpectu rei naturalis, reſpectu cuius non eſt cauſa efficiens: alioquin produceret ſeipſam: eſt autem efficiens reſpectu motus, & operationum ſubſequentium. Eodem pacto anima eſt cauſa formalis, in quantum elargitur rebus eſſe, ac viuere: eſt finis, quia propter illam natura facit talem, aut talem apparatum potentiarum, & organorum: eſt autem efficiens non reſpectu eius, cuius eſt formæ, ſed ſolum ad operationes illius compoſiti. Hæc rectè dicuntur.

Nihilominus contra ſic vrgeo. Etiam forma eſt
VIII. forma, & finis non reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu diuerſorum: eſt enim forma, qua reſpicit corpus, quod conſtituit: eſt finis, qua terminat actionem generatiuam: & nihilominus hic reſpectus ad diuerſa non tollit, quin forma, & finis dicantur eſſe vnum numero: ergo eadem ratione hæc numero natura, & hæc numero anima, quamuis reſpectu diuerſorum dicantur forma, & reſpectu diuiſorum efficiens, non video, cur non poſſint forma, & efficiens dici eadem numero.

Propterea ego concedo, ex hac parte re vera formam, & efficiens eſſe in agente ita vnum ſecundum rem, ſicut in termino ad quem eſt vnum forma, & finis. Cæterùm Ariſtot. non loquitur de forma, quatenus conſtituit ipſum efficiens, ideſt compoſitum operans, & quatenus ipſum reſpicit, quia cauſa efficiens, vt efficiens, præſupponitur conſtituta in eſſe, ſed loquitur ſolum de forma rei producendæ, quæ forma eſt eadem res cum fine generationis, & de hac forma, & fine, cum tali forma identificato loquens, rectè ait, quod efficiens eſt idem ſolum in ſpecie cum tali forma.

TEXTVS LXXI.



Tque omninò quæcunque mota mouent: quæcunque autem non, non amplius Phyſicæ ſunt: non enim in ſeipſis habentia motum, aut principium motus mouent, ſed immobilia ſunt. Quamobrem tria ſunt negotia, hoc quidẽ circa immobile, illud verò circa mobile quidem, ſed incorruptibile, aliud autem circa corruptibilia.

Mirum eſt, quotnam tricas hic, & ſequens contex. inter expoſitores pepererint. Aliqui, vt Vico- I.
mer. aſtruunt ſeſe ad illud inſcitiæ aſylum recipiunt, quod locus eſt ambiguus, & quantum ipſi conijciunt, *mancus, & deprauatus*. Qui omninò audiendi non ſunt.

Neque audiendi ſunt quidam alij, qui ita expo-
nunt, quod quæcunque autem non mota mouent, II.
non amplius phyſica ſunt, id eſt, iſta non ſunt phyſicæ ſpeciei, ac ſubſtantiæ, ſicut videl. ſunt illa, quę mota mouent. Qui quidem auctores ex eo ad hanc expoſitionem compulſi ſunt, quia cum vidiſſent in tex. præced. eſſe dictum, quod efficiens, *eſt idem ſpecie* cum forma, & fine, coniunxerunt illud, *ſpecie*, illius tex. cum voce *Phyſicæ* huius tex. vt ſenſus ſit, quæcunque non mota mouent; non amplius ſunt Phyſicæ ſpeciei, ac ſubſtantiæ, quia in ſeipſis non habent motum, nec principium motus, cuiuſmodi ſunt res Phyſicæ.

Quę expoſitio, vt alia ſileam, apertè conuincitur falſa ex contex. græco. Nam vox *ſpecie* in tex. præced. eſt τῷ εἴδει, generis neutrius: in hoc autem tex. dicitur οὐκ ἔτι φυσικῆς, quæ eſt generis fæmen. (ſubauditur autem conſiderationis, ſiue contemplationis, vt mox audies.) Vnde niſi velis in Ariſtotele eſſe ſolæciſmum, ſenſus ille conſiſtere nequit.

His itaque valere iuſſis, ſuppetit alia reſponſio
ferè communis inter Doctores, quod cum Ariſtot. III.
dixiſſet, id vnde eſt motus primum, nempe efficiens eſſe idem ſpecie cum forma, & fine. Nunc ſubdat, *& omninò quæcunque mota mouent*, ideſt, & vniuersè omnia efficientia, quæ dum mouent, & efficiunt, ipſa quoque mouentur, (cuiuſmodi omnia procul dubio ſunt corpora naturalia) ſunt eiuſdem ſpeciei cum forma, & fine. Quæ autem mouent, & efficiunt non mota, tantum abeſt, vt ſint eiuſdem ſpeciei cum forma, & fine, vt nec a Phyſico conſiderentur. Quam quidem partem effert Philoſ. inquiens, *Non amplius Phyſicæ ſunt*, ſubaudi, conſiderationis. Huius aſſerti ratio ſubnectitur, quia Phyſicus ea expendit, quæ in ſe habent principium motus, id eſt naturam, aut habent motum, quæ videl. quocunq; pacto mouentur, ſiue per ſe, ſiue per accidens: mouentia autem non mota, *in ſe ipſis non habent motum, aut principium motus, ſed immobilia ſunt*. Quam ob rem iſthæc non ſunt phyſicæ conſiderationis.

Quæ quidem expoſitio, quantum ad ſecundam partem rectè habet: ſed prima eius pars, quod ni-
mirum omnia, quæcunque mota mouent, ſint eiuſ- IV.
dem ſpeciei cum forma, & fine in generatione, vrgetur aperta difficultate, quoniam corpora Cœleſtia mouent, & efficiunt effectus in hoc mortali orbe, vt mota: Nihilominus corpora Cœleſtia non ſunt eiuſdem ſpeciei ſecundum formam, & finem cum effectibus a ſe productis. Num quid Sol eſt idem

ſpe-

Digitized by Google

specie cum rana, aut lacerta ab eo producta? Nisi velis, Stagiritarum illud effatum limitare ad sola mouentia mota proxima, & vniuoca, vt limitat Simplic. Quæ tamen limitatio neutiquam videtur cohærere verbis Aristotelis, cuius locutio, *& omninò quæcunq; mota mouens*, planissimè est propositio vniuersalis. Quare est.

Secunda expositio, quam existimo germanam, quod cum Arist. in tex. proximè antegresso sanxerit, quod cum quatuor sint causæ, officium *Physici est. de omnibus cognoscere*; & assignare Physicè ipsum propter quid per omnes quatuor causas, nunc sequatur, & colligat vniuersaliter id quod ibi quasi per species dixit, idest, Et *omninò physici* munus est, cognoscere *quæcunque mota mouent*: illa autem, quæ mouent non mota, sed existentia immobilia, non amplius sunt Physici, siue physicæ, ac Philosophiæ Naturalis cognoscere. Vide, quod id quod in tex. præced. referendo ad scientificum dixit *Physici*, in hoc tex. referens ad scientiam ait *Physica*. Cur autem isthæc mouentia immobilia non sint Physicæ considerationis, subdit rationem, quam iam exposui in secunda parte præcedentis expositionis.

Hinc perperam nonnulli recentiores aiunt, per Physicam hoc loco, *non amplius physica sunt, &c.*
VI. haud intelligi Philosophiam Naturalem, quia, inquiunt, tunc Arist. excluderet a consideratione Philosophi Naturalis cuncta non habentia in seipsis motum, aut principium motus: Hoc autem a veritate abest, cum hic complura consideret, quæ in semetipsis non habent motum, aut principium motus. Quippe ea tantum habent in se motum, vel principium motus, quæ sunt corpora naturalia: Extra dubitationem autem est, a Philosopho naturali non considerari solum corpora naturalia, verùm etiam eorundem passiones, motus, & principia, inter quæ est etiam materia prima, primusque motor. Quare per *Physicam* hic non possumus intelligere scientiam Naturalem, sed vox, *Physica*, est coniungenda cum *specie*, vt supra retuli. Hæc illi

Mirum est, quod viri isti, alioquin cati, ita
VII. sese irretiunt. Arist. duo affirmat de ijs, quæ a Physica consideratione excludit. Vnum est, quod moueant. Alterum, quod hoc faciant non mota ab alijs, siue existentia immobilia. Hæc etenim est integra eius propositio, quæcunque mota mouent, ea sunt Physicæ considerationis: Cape alterum membrum, quæcunq; autem mouent, vt non mota ab alijs, sed existentia immobilia, non amplius sunt Physicæ. Imo verò hæc mouentia immobilia debent mouere Physicè, quemadmodum ipsemet Arist. explicat in tex 73. his notis. *Duplicia autem sunt principia mouentia Physicè, quorum alterum non physicum est*. Et addit eandem rationem, quam in hoc tex. dedit, *non enim habet motus principium in se ipso*. Quas duas conditiones neque in passionibus corporum naturalium, neque in motibus, neque in principijs eorundem reperiri palam est. Hæc etenim nō dicuntur mouere; cùm mouere sit quoddam agere, ac proinde sit suppositorum, vt colligitur ex primo Metaph. cap. 1. At neque existunt immobilia, mouentur siquidem per accidens. Præterquamquod, qui considerat corpora naturalia, tenetur considerare & affectiones, atque attinentia ad illa, vt discimus ex primo Poster. Quod autē de primo motore obijcitur, ille consideratur a Philosopho naturali, vt est principium motus. quare inane est asserere, quod eadem ratione deberent excludi a naturali consideratione affectiones, &c. Sed iam.

Arist. in secunda parte tex. infert. *Quam ob rem* VIII.
tria sunt negotia, hoc quidem circa immobile, illud verò circa mobile quidem, sed incorruptibile, aliud autem circa corruptibilia. Hæc etiam verba vario modo exponuntur. Sunt qui omnes has tres *πραγματείας tractationes*, siue hæc *tria negotia* referunt ad vnam ac solam Philosophiam Naturalem, quod eius sint tres præcipuæ partes, quarum vna comprehenditur libris de physico auditu. Hæc, quia in octauo lib. potissimùm agit de primo motore immobili, ob id dicitur in præsenti contex. *esse circa immobile*. Alia, quam continent libri de Cœlo, tractat de ipso Cœlo, siue de vniuerso, quod corpus *est mobile quidem, sed incorruptibile*. Tertia demum complectitur cœtera volumina naturalis tractationis, & versatur *circa corruptibilia*.

Quæ expositio falsa est: Primò, quia iam Aristot. sanxerat, mouentia immobilia haud esse physicæ contemplationis. Quo igitur pacto rursus dicet, Physicam *esse circa immobile*? Secundo, Nimis remotum est, vt totum octo librorum Physicorum opus dicatur occupari circa immobile, propterea quod vna, eaque exigua vnius libri octaui pars versatur circa primum motorem omninò immobilem. Nam de eo incipit Aristot. agere solum a tex. 54.

Adde, quæ est radix omnium, quæ in his
contex. 71. & 73. aut affirmantur, aut excluduntur a Physica contemplatione, quod cum IX.
Aristot. ait, mouentia immobilia non considerari a Physico, intelligit, ea non considerari eo modo, quo considerantur mouentia mota, Modo hæc quo vnquam pacto expenduntur a Physico? Profectò non solum quantum ad an sint, sed quidditatiuè; quid ea sint, & veluti propria subiecta. Hæc igitur, ac talis quidditatiua consideratio de mouentibus immotis est opus primæ Philosophiæ, vt Stagirites sexcentis in locis contestatur.

Alij tria negotia, seu tres tractationes hic
indicatas, tentarunt ad tres partes Philosophiæ X.
redigere, videlicet ad Metaphysicam, Mathematicas, & Physicam; ita vt vna, nimirum Methaphysica, *sit circa immobile*: Altera, sit Mathematica: Et pro ea innuat Aristot. vnam eius partem, Astronomiam, quæ contempla-

tur

tur Cœlum corpus *mobile quidem*; sed incorruptibile. Tertia deinum sit Philosophia Naturalis, quæ circa corruptibilia occupatur, quam expositionem alio etiam loco indicaui.

Nihilominus mihi non valdè arridet: Tum quia Astrologia haud est syncera Mathematicarum pars, sed mixta, atque, vt auctor est Philosophus in tex. 17. potius vergit ad naturalem scientiam. Tum quia, malè coarctatur Philosophia Naturalis in tertio loco ad sola corruptibilia, cum eadem ipsa ex officio contempletur etiam Cœlestia, vt multis ostēdi in principio huius operis in quæstione de obiecto naturalis Philosophiæ.

II. Dicendum itaque existimo, Aristotelem præfatis verbis indicare duas scientias, Metaphysicam, quæ versatur circa immobilia, & Physicam, cuius pars quidem contemplatur mobilia incorruptibilia, corpora, inquam, Cælestia; pars autem occupatur circa sublunaria, quæ in generatione, & corruptione versantur. Ita expressè inuenio apud eundem Aristotelem duodecim. Metaph. quo loci cum in tex. 5. dixisset, quod *tres* sunt *substantiæ*: *Vna quidem sensibilis, cuius quædam sempiterna, quædam corruptibilis; tertia verò immobilis*: Subdit in tex. 6. duas priores esse naturalis contemplationis: itaque *illa*, inquit, *sunt naturalis*, id est contemplationis: annectit rationem, *cum motu enim sunt*. Tertiam verò ait, esse *alterius* scientiæ, videl. primæ Philosophiæ. Propterea rectè adnotat S. Thom. ad tex. hunc 71. quod *hæc diuisio est secundum diuersitatem rerum extra animam existentium: non secundum diuisionem scientiarum accepta*.

TEXTVS LXXII.



Vere ipsum propter quid, & ad materiam reducenti redditur, & ad ipsum quod quid est, & primum mouens. De generatione enim maximè hoc modo causas considerant, quid post quid fiat, & quid primū fecit, aut quid passum est, & sic semper, quod deinceps est.

I. Constituit in tex. 70. *Physici esse munus, cognoscere*, omnes quatuor causas, ita vt possit ipsum propter quid physicè resoluere, ac reducere ad omnes eas. Quam tamen assertionem non probauit, sed statim explicauit, quomodo aliquæ illarum plerunque veniant in vnam. Postea in tex. 71. adhuc secrauit physicam cognitionem excludendo mouentia immobilia. Nunc in hoc, & sequenti contex. probat illam suam conclusionem duabus potissimùm rationibus.

II. Et quidem in hoc tex. duo facit: Primùm proponit suum intentum: Deinde probat. Inquit itaque, quod causa, & ipsum propter quid redditur, & assignatur τῷ ἀνάγοντι, *reducenti* (est atticismus pro ἀπὸ τοῦ ἀνάγοντος, a reducente, id est a Philosopho naturali, vt etiam transtulit Argirop. dicens, *quare ipsum propter quid a naturali Philosopho, & ad materiam, & formam, & ad id, quod primò mouit reducente ipsum assignatur, & redditur*.) Redditur, inquam, & ad materiam, & ad formam, & ad efficiens. Perinde est, ac si clarè dicas. Philosophus naturalis considerat omnes istas causas, & resoluit, ac reducit effectus ad eas.

At verò Aristot. in recensendis causis omittit finem. Quod consulto facit, quia finis, vt contex. 70. dicam, fuit est idem cum forma, & consequitur ad efficiens. Quæ duo cum expressè posuerit voluit subintelligi etiam finem. Vel dic, ideo omisit, quia vt nunc audies, colligit rationem ex modo, quo Veteres has ipsas causas considerabant: Veteribus autem finis haud erat vsque adeo inspectus, quemadmodum legere licet, cùm alibi sæpè, tum in primo Metaph. cap. 3. iccircò noluit finem inter causas recensere.

De generatione maximè hoc modo causas considerant, quid post quid fiat, & quid primò fecit. Quæ III. quidem verba possumus primò in duas probationes redigere, vt vna quidem accipiatur ex sola Veterum Philosophorum auctoritate. Altera verò subijciatur ex natura rei. Priorem indicat Auctor illis notis. *Maximè hoc modo causas considerant*. Quasi dicat, Veteres, qui naturam, & conditionem causarum non omninò introspexerunt, tamen dum de causis rerum naturalium loquerentur, deprehenderunt, causas a nobis relatas esse a Philosopho naturali cognoscendas, ergo rectè & nos constituimus, Physici officium esse, eas cognoscere. Consueuit quippe Arist. sua placita, vbi id fieri potest, aliorum quoque consensu confirmare: Secundò possūt dicta verba exponi, vt tota sint vna ratio eruta ex discursu scientifico, quo Veteres illi Philosophi in cognoscendis causis progrediebantur.

Veruntamen nos erigamus rationem, vt ex natura rei est. Animaduertimus, fieri, ac generari hoc IV. post hoc. V. G. ex grano generari herbam, ex herba culmum, ex culmo spicam, ita deinceps. Atqui ista considerantur a Philosopho Naturali. Porrò in istorum generatione, primò necessariò adest efficiens, cum sine efficiente nihil vnquam fieri possit: Ergo Philosophus Naturalis considerat, *quid primum fecit*.

Efficiens omninò præsupponit patiens, quæ est materia. Tum quia repugnat, agens circa nihil operari: Quandoquidem quomodo ipsum nihil realem aliquem agentis influxum recipiat? Tum etiam, quia potentia actiua essentialiter respicit passiuam, quia est vis transmutandi aliud in quantum aliud. Proinde Physicus considerat *id, quod passum est*, id est materiam.

Vlterius hoc efficiens, ac transmutans materiam debet agere gratia alicuius; & debet determinari a certo aliquo fine, vt potius agat hoc, quàm illud:

Digitized by Google

Aliοquin nunquam ageret: & hinc considerat causam finalem.

Demum agens est id, quod finit in aliquem effectum, qui est ipsum compositum; quod tale est per talem formam: ergo considerat etiam formã. Quas duas causas, finem, inquam, & formam innuit Auctor in tex. illis verbis, *& sic semper quod deinceps est.* Quamuis hæc verba possint etiam alio modo exponi, quod videl. Physicus ita expendat etiam causas anteriores, quemadmodum in tex. 29. aiebat, quod debent cognosci *causæ, & genera ipsarum.*

V. Vnde ratio hunc in modum potest perstringi. Tot causas debet Naturalis Philosophus cognoscere, quot concurrunt, & spectantur in generatione rerum naturalium. At qui in ea habentur omnes quatuor causæ, quare Naturalis Philosophus debet omnes quatuor cognoscere.

TEXTVS LXXIII.

Duplicia autem sunt principia mouentia Physicè, quorum alterum non Physicum est. Non enim habet motus principium in se ipso. Tale autem est, si aliquid mouet, quod non mouetur, vt id, quod penitus est immobile, & quod omnium primum est.

I. Sanuit in antegressis contra Physicum, inter causas considerare etiam efficientem, & id, *vnde principium motus*. Posset quispiam quærere: Physicus considerat ne omne efficiens, & omne mouens, an non?

Occurrit Ar. st. in præsenti tex. & ait, *Principia mouentia physicè*, sunt in duplici differentia: Vnum est Physicum; alterum non est physicum. Subnectit communem vtriusque huius principij probationem, quæ est. Illud principium mouens physicè est physicum, ac naturale, quod in se habet principium motus: illud verò non est physicum, quamuis moueat physicè, quod *non habet motus principium in seipso*. Cum enim natura sit principium, & causa motus, profectò quod tali principio caret, Physicum, ac naturale non est.

II. Dein explicat, quod tandem sit illud principium, quod physicè quidem mouet, nihilominus physicum non est: & ait, esse illud, *ac tale, si aliquid mouet, quod non mouetur.* Loquitur cum conditione, *Si aliquid mouet μὴ κινούμενον, non motum*, quia nondum demonstrauit, huiusmodi mouens immotum dari: demonstrat autem in lib. octauo, ob id ait, si aliquid.

III. Quod vlterius explicat, inquiens, *vt id, quod penitus est immobile, & quod omnium primum est.* Quæ quidem verba Simplic. existimat significare aliqua diuersa. Et quidē per illa, *vt id, quod est penitus immobile*, vult intelligi artes, & prælectiones, quas ipse opinatur hic comprehendi inter causas immobiles, quia, inquit, etiam ars, & prælectio mouent nutibus naturalibus, ipsę existentes immobiles, *neque enim augentur, neque alterantur, neque secundum locum mutantur*: Per subsequentia autem verba, *& quod omnium primum est*, intelligit Simplic. ipsum primum motorem, qui nimirum tam per se, quàm ex accidente perseuerat immobilis.

IV. Quæ expositio mihi non placet. Primò, quia hæc verba, *vt id, quod penitus est immobile*, nullo vnquam pacto possunt arti, aut prælectioni, aut alicui alteri huius classis rei competere, quia hęc omnia non sunt penitus immobilia; mouentur enim per accidens. Deinde, si *penitus immobile* tribuimus arti, & prælectioni, & ipsum *primum omnium* accipiamus tanquam aliquod aliud membrum distinctum, ergo hoc non erit penitus immobile. Quod enim vnor distinctionis membro tribuimus, alteri negemus, necesse est. Quis autem dicet vnquam, primum omnium motorem non esse penitus immobilē? Quare ego his verbis, *id quod penitus est immobile, & quod omnium primum est*, existimo, indicari vnum primum omnium mouens immobile, & per analogiam inquit omnes mouentia, quæ sunt tam per se, quàm per accidens immobilia, cuiusmodi sunt ad aures Aristotelis, omnes intelligentiæ.

Fateor quidem, quod si vim græcorum verborum expendas, videntur non modo duo, sed quatuor distincta membra indicari, videl. id quod est, penitus immobile: id, quod est primũ omnium; id, quod est, *ipsum quid est*: & denique formam. Sic. o. legit: ὥσπερ τό, τι (particola, τι, videtur distinguere.) παντελῶς ἀκίνητον, καὶ τὸ πάντων πρῶτον, καὶ τὸ τί ἐστι, καὶ ἡ μορφή. quæ sic sonant, *vt ipsum quod est penitus immobile & ipsum omnium primum, & ipsum* (quæ verba iacent in principio tex. sequent.) *quid est, & ipsa forma.* IV.

Nihilominus non dimoueor a mea opinione, vt aliud quidem intelligam per *penitus immobile*, aliud verò per *primum omnium*, sed quemadmodum hæc verba, *& ipsum quid est, & forma* significant vnam, & eandem rem, vt nemo potest ambigere, sic etiam illa, *ipsum quod est penitus immobile, & omnium primum* significant vnam, & eandem rem, primum omnium motorem, vt dixi.

Hinc etiam ista verba, *& ipsum quid est, & forma, finis enim est*, (quæ in diuisione textuum vel indicatur reijciuntur ad tex. 74 quanquam præter rationem) Simplic. & eum eo Vicom & alij ita exponunt, quod forma quoque est immobilis, secundum quod est finis: quandoquidem finis immobilis in meote existens mouet, & quidem physicè. V.

Quæ expositio vel hac ratione euidenter conuincitur, quia tunc forma, secundum hanc rationem, & finis non essent mouentia physica. Iam enim Auctor Sanxit, mouentia immobilia non esse physica. Quis autem negabit, formam, & finem esse mouentia physica?

Propterea ego hunc locum omninò refero & VI.

nectõ

necto ad tex. 72. & ita explicarem, quod *Physici* officium est, considerare ipsum quod est, & formãt & sic etiam exponit Auerr E; cum forma, & finis in idem veniant, eiusdem Physici etiam erit considerare finem. Ita, inquam, lubens explicarem, nisi viderem iam in illo tex. 72. Aristotelem expressisse, quod physici sit resoluere & *ad materiam, & ipsum quid est, & primum mouens.* Vnde non est rationabile, quod eadem hic reculcet.

Iden in hoc lubrico loco dicendum existimo, quod cum Arist. in tex. illo 72. recensuisset solum tres causas, scil. materialem, formalem, & efficientem. & statim in tex. 73. efficientem distinxisset, nunc redit ad suum institutum, & probat, officium physici etiam esse, considerare causam finalem, & in eam resoluere. Probat autem sic. Physici est considerare, & resoluere ipsum quid est, & formãt At forma est finis, & id cuius gratia: quare Physici etiam erit, considerare finem, & in ipsum resoluere. Sed iam iuxta communem textuum diuisionem, audiamus tex.

TEXTVS LXXIV.



T ipsum quid est. & forma: finis enim est, & cuius gratia. Quare, cum natura propter aliquid sit, & hanc cognoscere oportet. & penitus reddendum est ipsum propter quid, vt quod ex hoc, necesse est hoc fieri. Hoc autem ex hoc, aut simpliciter aut frequenter. & si debet hoc fieri, vt ex propositionibus conclusio. & quia hoc erat, quod quid erat esse. & quia melius est sic, non simpliciter, sed ad vniuscuiusque substantiam.

Addit in hoc tex. secundam demonstrationem,
I. qua ostendit, Philosophum naturalem debere considerare omnes quatuor causas. Etuit autem demonstrationem ex duobus fundamentis. Vnum est, quod natura agit propter finem. *Natura propter aliquid est.* Alterum, quod naturalis Philosophus considerat naturam, eiusque actiones. *& hanc cognoscere oportet.*

Deinde statuit hanc assertionem. Naturali Philosopho, *penitus reddendum est ipsum propter quid.* Nempe debet hic cognoscere, & assignare causam *penitus*, videl. secundum quodlibet genus causæ. Quod est dicere, debet cognoscere omnes quatuor causas, & per illas assignare ipsum propter quid.

Cuius assertionis demonstratio hunc in modum
colligitur, ille, qui ponit naturam agere propter
II. finem, & considerat eius actiones fieri propter finẽ,
necessario cognoscit, & considerat omnes quatuor
causas: Philosophus Naturalis ponit Naturam agere propter finem, & considerat eius actiones fieri propter finem: quare Philosophus naturalis cognoscit, & considerat omnes quatuor causas.

Maior prob. nam in hac propositione, *Natura agit propter finem.* includuntur omnes quatuor cau-
sæ. Etenim nequit propter finem agere, nisi ha- III.
beat determinatas actiones, quæ primò quidem requirunt determinatum efficiens. Non enim à quolibet fit quodlibet: neq; ab homine generatur bos, aut canis; Sed ab homine homo, & ab equo equus. Hoc exprimit Auctor, *vt quod ex hoc necesse est hoc fieri, hoc autem ex hoc.* Addit autem Arist. hæc ita fieri aut simpliciter, aut frequenter; quia agentia naturalia quandoq; in suis effectibus deficiunt per accidens a fine intento, vt contingit in monstris.

Deinde debet habere determinatam materiam, non enim ex semine equi fiet vnquam canis, aut ex nuce oliua. Hanc materialem causam indicat Auctor, cum inquit, *& si debet hoc fieri, vt ex propositionibus conclusio.* Dicebat in tex. 31. suppositiones esse materiam conclusionis. *Elementa*, inquit, *& materia factibilium, & partes totius, & suppositiones conclusionis, vt id, ex quo causa sunt.* Manifestum autem est, conclusionem colligi talem, aut talem, quia propositiones tales sunt.

Præterea, hæc determinata actio terminatur ad productionem alicuius compositi, quod habeat certam, ac determinatam essentiam, & quidditatem, quæ est ipsa forma, & quod quid erat esse rei. Hanc causam formalem ponit Stagirites illis verbis, *& quia hoc erat quod quid erat esse.*

Demum, si agit propter finem, proculdubio hic
quoque adsit necesse est. Hanc causam finalem IV.
exprimit Arist. dum inquit, *& quia melius sic.* Addit verò oculatissimus Præceptor *non simpliciter, sed ad vniuscuiusque substantiam*, quia finis est quoddam bonum: & melius est habere ipsum, quàm non habere; cæterùm non est melius simpliciter habere ipsum, quàm non habere, sed proportione ad idem, cuius est finis. V. G. non est bonum, siue melius simpliciter habere quatuor pedes; quippe homo bipes existens, præcellit cunctis animantibus; At est bonum equo, quoniam hic hoc pacto melius sese habet ad suas actiones obeundas.

Manet itaque maior illa, firma, quod qui consti-
tuit, naturam agere gratia alicuius finis, & expen- V.
dit eius ipsius actiones fieri propter finem, quemadmodum facit Philosophus Naturalis; hic porrò considerare debet omnes quatuor causas, & ad omnes illas resoluere quæstionem propter quid. Veluti, si quæratur, quare hoc est equus? reducendo ad causam effectricem dices, quia est ab equo. Si quæratur, cur hæc conclusio est necessaria, illa verò probabilis? dic, quia hæc est ex talibus propositionibus, illa ex alijs; sic in reliquis.

Adnotatio circa tex. 73.

Ait Philosophus, id quod *penitus immobile* I.
& omnium primum est, mouere quidem physicè, & naturaliter; at non esse physicum.

Prio.

Digitized by Google

Priorem partem nonnulli hunc in modum interpretantur, quod dicitur physicè ac naturaliter mouere,
vi. quia suapte natura tale est, vt necessariò agat, atque moueat, nec possit non mouere: quia sic agentia naturalia, quale ipsum quoque primum mouens existimant esse, operantur. Sic inter alios Vicom.

Quæ expositio absurda est. Primùm, quia an primum omnium mouens immobile agat ea necessitate naturæ, an verò liberè, neque per imaginationem innuitur hic ab Aristot. de qua tamen re abundè dixi in octauo lib. Deinde, cum ego moueo lapidem, moueo physicè, produco namque motum physicum: Nihilominus liberè moueo. Sic primum illud penitus firmum, atque immobile dicitur mouere physicè, quia efficit motum physicũ, & eum quidem efficit effectiuè.

vii. Ex hoc tex. 73. & 71. palam euincitur absurda illa quorundam imaginatio, qui nuridè in Peripato contendunt, primum omnium ens, Deum, nullam habere efficientiam, sed esse merum, ac solum finem; Quam absurditatem strenuè confutauit doctissimus æque, ac pijssimus Pater Fetchius publ. ac meritissimus nostræ Vniuersitatis Theologus in suis Vestigat. Peripatet. Vestigat. 2. & 3. Et nos loco nunc indicato de hac ipsa multa diximus.

Nihilominus e re fuerit, ascribere hic sensata
viii. Simplicij verba ex com. tex. 71 *Ex his, inquit, rursus conspici posse reor, quod Arist. nouit immobilem, & primam causam, non solum finalem, sed etiam effectricem. Nam vnde motus primum, id est causam efficientem, diuidit in causam immobilem, & mobilem: quippè qui dicat, quæcunque mota mouent: Naturalis tractationis sunt, quæcunque verò immobilia mouent, non amplius ad naturam spectant, vbi mouere pro facere accepit. Et Alex. in his, inquit, Naturalis contemplationis est & de causa effectrice dicere, attamen non de omni, sed de his solum quæcunque mota ipsa motiua, & effectiua sunt aliquorum, perinde ac dixerit, Atque omninò quæcunque mota efficientium; tanquam perspicuum sit, quod sint causæ effectrices immobiles secundum suam sententiam.* Et ad tex. 73. hæc habet. *Si ergo rectè dicimus, dicta intentionem hanc habere, non temerè rursus facta est diuisio effectricis causæ. Et si quidem est effectricis causæ diuisio, vt etiam Alex. fatetur, patet, quod etiam efficiens primum. Arist. esse putat.* Hinc itaque liquet, cur primum immobile dicatur mouere Physicè.

ix. Non est autem Physicum, quia mouentia physica, siue naturalia necessariò sunt corpora: Primum autem mouens ab omni corporea concretione dagit quamremotissimum. Deinde, mouentia naturalia ita mouent, vt ipsa quoque moueantur. Repugnat autem primum omnium mouens moueri.

CAPVT VIII.

Excutitur, an Natura agat propter finem: & determinatur affirmatiuè.

TEXTVS LXXV.



ICENDVM igitur primũ quidem quod natura earum causarum est, quæ sunt propter aliquid, postea de necessario quomodo se habet in Physicis. Ad hanc enim causam reducunt omnes, quia cum calidum tale natura sit, & frigidum, & vnumquodque talium: hæc autem ex necessitate sunt, & fiunt, & apta natura sunt. Etenim etiam si aliam causam dicant, solum tangentes valere sinunt, hic quidem litem, & amicitiam, ille verò intellectum.

Patefecit Arist. causas tam per se, quàm ex accidente: Ostenditque Physici munus esse de omnibus 1.
ijs agere. Nunc videndum superest, vtrumne Natura in ijs ponenda sit, quæ agunt propter finem, qui est vna ea causis tam explicatis, an verò feratur agatque temerè, & casu cæco? Quod si agit propter finem, adhuc examinandum incumbit, vtrùm nam necessitas in rebus ipsis causatis oriatur à definitione ex aliquo alio, scil. ex materia, an ex ipso fine? Quæ duo theoremata Arist. deinceps examinat. Hæc est vna ratio continuationis huius partis cum superiori.

Præterea, Philosophus, dum superius disputaret de causis, vsus est duabus propositionibus, tanquã præsuppositis, quarum prima erat in tex. 74. quod natura agat propter finem. Altera verò erat, quod in rebus naturalibus insit necessitas. Dictum namque fuit in tex. 48. in natura esse aliqua, quæ semper eodem modo eueniunt. Hæc autem sunt necessaria. Quippe *idem est, aliqua semper eodem modo se habere, ac esse necessaria*, ait idem Aristot. sexto Metaph. tex. 3. idcircò de his duobus instituitur nunc agendum. Et quidem prius theorema decernit Arist. in hoc cap. posterius verò in capite sequenti.

In præsenti tex: tria facit. Sternit suam intentionem: Apponit necessitatem secundæ quæstionis:

II. Et occurrit tacitæ cuidam obiectioni. Ait itaque, Dicendum primò quidem est, *διότι ἡ φύσις τῶν ἐνεκά του τῶν αἰτίων, quod natura earum causarum est, quæ sunt propter aliquid.* Alia lectio græca habet, *διατί ἡ φύσις*, &c. idest, *quare*, siue *propter quid natura sit earum causarum, quæ sunt propter aliquid?* Prior lectio est veluti cõclusio, quod videlicet Natura agat propter finem: In posteriori autẽ lectione est quæstio, quæ proponitur discutienda; & hæc lectio mihi magis arridet; Tum quia sic proponitur secunda quæstio; Tum quia, in textu sequenti Arist. affert rationem dubitandi: Quod porrò non solet fieri, nisi dum proponitur quæstio. Deinde subdit, postea dicendum esse de necessario, quomodo se habet in rebus naturalibus.

In secunda parte tex. *ad hanc enim causam redu-*
III. *cunt omnes &c.* annectit rationem, cur hæc secunda quæstio veniat agitanda. Quia, inquit, cuncti Veteres Physici effectus naturales in hanc causam, scilicet materialem, reducunt, assignando de ijs rationem, quod necesse est, eos ita euenire propter materiam. Enimuerò cum calidum sit huiusmodi, nempe talis naturæ, & similiter frigidum sit talis itidem naturæ; sic etiam vnumquodque huiusmodi entium, sequitur, vt quæ ex ijs constituuntur, ex necessitate & sint talia, & fiant talia. Quapropter illi interroganti, cur aliquid ita fieret? nihil aliud respondebant, nisi *ὅτι οὕτω πέφυκε*, quod *ita natura aptum est fieri*.

Poterat quispiam dicere, id ab Stagirite imponi antiquis; quippe Anaxagoras constituit intellectũ, & Empedocles litem, & amicitiam, quæ porrò sunt causæ effectrices rerum; quare falsum est, eos redegisse effectus naturales in vnam ac solam materiã, siue in vnam necessitatem prodeuntem ex materia.

Occurrit Arist. quod licet nonnulli Veterum ali-
IV. quas alias causas præter materiam tetigerint, quemadmodum Anaxag. intellectum, & Empedocl. litem, & amicitiam, nihilominus ijs vtebantur tantùm in vniuersali istius mundi productione, sicut explicat idem Arist. in octauo Phys. tex. 2. in generationibus verò particularibus rerum natura cõstantium illas *χαίρειν ἐῶσι valere sinunt*, siue *valere iubent*, id est omittunt, ac spernunt. Antiqua translatio ineptè vertit, *& namque & si aliam causam dicunt, quamcunque tangentes, gaudere sinant.* Hinc D. Thom. *& si*, inquit, *aliqui antiquorum naturalium aliquam aliam causam tetigerint, quàm necessitatem materiæ, non tamen habent, vnde gaudeant gloriantes, &c.* At qui ita loquuntur, eos fugit, quid sibi velit, vel græce *χαίρειν ἐῶ*, vel latinè *valere iubeo*.

TEXTVS LXXVI.



Abet autem dubitationem, quid prohibeat, naturam non propter aliquid facere, neque quod melius est, sed sicut pluit Iupiter, non vt frumentum augeat, sed ex necessitate. Quod enim sursum latum est, frigefieri oportet: & quod frigefactum est, aquam factum, deorsum venire: augeri autem cum hoc fiat, accidit frumentum: similiter autem, & si cuipiam perit frumentum in area, non huius gratia pluit, vt pereat, sed hoc accidit. Quare quid prohibet, sic & partes se habere in natura, vt dentes ex necessitate oriri, anteriores quidem acutos, aptos ad diuidendum, maxillares autem latos, & vtiles ad terendum cibum, cum non propter hoc facti sint, sed acciderit. Similiter autem est & de alijs partibus, in quibus videtur inesse ipsum propter aliquid. Vbi igitur omnia acciderint, perinde atque si propter aliud facta forent, ea quidem seruata sunt, a casu consistentia aptè: quæcunque verò non sic, periere, pereuntq; quemadmodum Empedocles dicit ea, quæ prima hominem referunt, & tantum parte secunda.

Aggreditur primam propositarum quæstionum; Et in præsenti contex. quatuor præstat. Primò indi-
cat opinionem eorum, qui inficiabantur Naturam I. agere propter finem. Secundò, ponit illorum fundamentum. Tertiò, subijcit quandam illius solutionem; Postremò instat contra dictam solutionem.

At scito, Naturam agere propter finem, nos ex eo efficaciter concludere, quia Natura ex ijs, quæ fieri possunt, semper facit id, quod melius, atque commodius est. V. G. oculus ita affabrè a Natura efformatus est ad videndum, aut pes ad incedendum, vt nihil melius atque commodius queat optari. Cuius quidem rei illud indicio fuerit, quòd si a naturali sua dispositione vel tantillum dimoueatur, ac recedat, illicò efficitur ineptus ad suum vsum.

Qui igitur negant, Naturam agere propter
finem, nituntur labefactare hoc fundamentum, II. asserentes, Primum quidem, quod Natura non facit semper id, quod est melius, sed plerunque etiam id quod est deterius. Deinde, etiam quando fit id quod est melius, nihil prohibet, tunc naturam non agere propter finem, quia hoc non fit ex præsupposito fine, verùm ita accidit a casu. Hæc indicat Aristot. dum ait, *habet autem dubitationem, quid prohibeat, Naturam non propter aliquid facere, neque quod melius est.*

Subdit rationem per exemplum, *Sed sicut pluit Iupiter, non vt frumentum augeat, &c.* Quam sic extenda. Quid prohibet ita de tota Natura philosophari, quemadmodum vsuuenire cernimus in aliquo effecto naturali, præsertim verò ex ijs, qui censentur effectus communes in mundo, cuiusmodi est pluuia, quæ consequitur elementorum transmutationem? *Iupiter*, inquit Arist. *pluit*, idest Cœlum: (id autem dicit vtens verbis Empedoclis) Itaque videmus pluuiam fieri in Mundo, nec fieri ob aliquem finem, sed ex necessitate materiæ: postea contingit, vt videatur esse facta propter finem: ergo eodem pacto erit philosophandum de cæteris Naturæ operationibus.

Et quidem pluuiam effici ex necessitate, sic deprehendes. Necesse est, Solem, ac reliqua sydera circa terrastrem globum reuolui, quorum calore omninò attolluntur vapores; Isti ob caliditatem asciticiam necessariò ascendunt, cum autem peruenerint ad locum, vbi aduenticius ille calor deficit propter distantiam a loco reflexionis radiorum solarium, necessariò dicti vapores condensantur, atq; coguntur in nubem: Hæc vlterius frigefacta necessariò vertitur in aquam, quæ vtpote grauis, necessariò cadit deorsum? Hoc pacto tota pluuia fit ex necessitate. Contingat postea, vt ea pluuia cadente triticum in campo augeatur, non tamen pluuia fit propter auctionem tritici, sed accidit, cum hæc fit, augeri illud. Quod autem pluuia non eo fine fiat vt frumentum foueat, augeatque, argumento est, quòd ea ipsa plerunque dum fit, corrumpit frumentum, veluti si in area madefiat; vnde, *non huius gratia pluit, vt frumentum pereat, sed hoc accidit.*

Quid itaque vetat, quominus de omnibus Na-
IV. turæ effectibus sic opinemur? V. G. in animalibus dentes ex necessitate oriuntur, anteriores quidem, siue aduersi acuti, effusa ad eam partem materia tenuiori; maxillares verò, siue molares, ac inermi lati, decurrente eò materia crassiori; Ita vt & esti, & illi dentes sint facti tales ex necessitate materiæ: postea verò quàm tales effecti sunt ex necessitate; accidat, vt illi quidē *sint vtiles ad diuidendum cibum, isti autē sint vtiles ad terendum cibum, cum non propter hoc facti sint, sed acciderit.* Et quod de dentibus dicimus, id idem de cœteris omnibus animalium partibus existimandum est. Ita pollex non ideò sic constructus sit, & reliquis ex aduersa parte collocatus, crassiorque factus, vt reliquis obniti possit ad qualemcunque retentionem, sed exuperantia materiæ vi id euenerit. Quare si sint propter aliquem finem, per accidens illum habent, cum tamen tales extiterint ex necessitate.

Possit quispiam huic Veterum doctrinæ opponere, quia id quod accidit, non est semper, neq; frequenter. Conspicimus autem tales res semper, aut certè frequenter ita effici propter tales vsus, sicut in recensitis exemplis apparet: quare hoc non euenit a casu, sed ita fit ex præscripto Naturæ instituto. Natura enim facit aut semper, aut frequenter eadem.

Ad quam quidem obiectionem Arist. cum ait: *Vbi igitur omnia, &c.* affert solutionem eorundem Veterum Philosophorum, præsertim verò Empedoclis. Aiebat hic in exordio mundi casu confluxisse quatuor elementa, & ex vario eorum confluxu, & diuersa eorundem dispositione ortas esse innumeras res diuersissimas, quarum quædam erant perfectæ, plurimæ autem erant monstrosæ, & imperfectæ. Quocirca illæ solum postea permāserunt, & conseruatæ sunt, in quibus acciderat, partes ita esse factas, ac dispositas, vt res illæ viderentur esse factæ propter aliquem finem, & propter conseruationem; reliquæ verò, vtpotè imperfectæ perierunt. Et sic etiam fiat in dies quando generantur aliqua monstra: Manserunt igitur, & manent illæ solummodo res, quæ habuerunt, & habent dispositionem aptam ad sui conseruationem, non ab aliquo agente intendente illam dispositionem, sed ἐσώθη ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου συστάντα ἐπιτηδείως, Sic verte. *Seruata sunt, cum a casu congruè constitissent.*

Ita Empedocles dicit τὰ βουγενῆ, καὶ ἀνδρόπρωρα, VI.
Monstra sunt, & quidem duplicis conditionis Quare malè plerique omnes Interpretes hæc duo vocabola acceperunt quasi vnam & eandem rem significent. Et quidem de cæteris nil miror, quia legerunt ita translata, quod sint ea, quæ *prima hominem referunt, & taurum parte secunda.* Scito autem βουγενῆ, *bouigena* hoc loco haud significare ea, quæ ex bobus nascuntur, vt multi exponunt, quia fortasse viderunt in versione Simplicij hæc omninò legi, *Quemadmodum Empedocl. dicit a tauro genita;* Sed sunt ea, quæ in casuali illo elementorum concursu fiebant ex vna quidem parte, aut ex aliquibus, boues; & ex altera, aut aliquibus partibus, homines. Ita nugæ sunt, quod vox ἀνδρόπρωρα, sit conflata ex ἀνδρὸς, & πρώρα, quæ est anterior pars nauis, quasi significet anteriorem hominis partem, vt nonnulli cum Vicom. exponunt. Nam, ἀνδρόπρωρα sunt ἀνδροπρόσωπα, id est humanam faciem habentia; vt Varinus, & rectè exponit, & per apocopem fit ἀνδρόπρωρα. Et est propria vox Empedoclis, quod videl. essent aliquæ res, quæ solam faciem, vultumque habebant hominis, reliquum autem corpus ex alijs animalibus.

Quapropter magis stupeo, cum apud Simplic. βουγενῆ, καὶ ἀνδρόπρωρα lego virigens, & bouiprora.
Quid verò? Empedocles dixit, partes animalium VII.
ex elementorum commixtione primùm quidem emersisse separatim: veluti separata capita, manus, pedes; deinde casu, ac temerè inter se coiuisse, & sic partes vnius speciei, casu fuisse iunctas cum partibus alterius speciei atque hoc pacto esse facta mónstra. Porrò sententiam Empedoclis de rebus casu genitis, quas postea vsus secutus sit, amplexatus est Epicurus, quam deinde Lucret. libro 4. de rebus naturalibus his carminibus refert.

Nil ideo, quoniam natum est, in corpore, vt vbi
Possemus, sed quod natum est, id procreat vsum.
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata,
Non dictis orare prius, quàm lingua creata est.

Sed nos ad Aristotelem, qui ita concludit in tex. *Ratio igitur, qua dubitauerit aliquis, hæc est, & si qua talis alia est.*

TEXTVS LXXVII.



Ed impossibile est ista hoc se habere modo Hæc enim, & omnia, quæ natura sunt, aut semper sic fiunt, aut frequenter; sed eorum, quæ fiunt a fortuna, & casu nihil. Neque enim a fortuna, neque a casu videtur pluere sæpe hyeme, sed si sub cane: neque caumata sub cane, sed si hyeme. Si igitur aut a casu videntur, aut propter aliquid esse, si non possibile est esse hæc aut a fortuna aut a casu, propter aliquid vtique erunt. At verò natura sunt huiusmodi omnia, quemadmodũ & ipsi dixerint, qui hæc dicunt. Est itaque ipsum propter aliquid in ijs, quæ natura fiunt, & sunt.

Indicata Veterum opinione cum suo fundamento, asserentium Naturam non agere gratia alicuius
I. finis, accingitur eam confutare. Et in præsenti contex. duo facit. Ponit conclusionem, quam quinque rationibus firmat, quarum prima continetur in hoc tex.

Conclusio est. Impossibile est, ea quæ in præcedenti tex. recensuimus, eo modo se habere, sicut ibi relata sunt, sed dicendum est, *esse ipsum propter quid in his, quæ a natura fiunt, & sunt*, quod clarè est dicere: Natura agit propter finem.

Pro erigenda prima demonstratione, iacit hoc
II. fundamentum. Ea, quæ in tex. præced. relata sunt, & omninò omnia, quæ a Natura fiunt, aut semper fiunt eodem modo, aut certè frequenter: eorum autem quæ fiunt a fortuna, & a casu, nihil fit semper eodem modo, aut frequenter. Primam partem ceu conspicuam supponit. Secundam verò probat, quia non dicimus a fortuna, & à casu esse, quod in hyeme frequenter pluat: sed asserimus esse a casu, si sub cane, nimirum diebus canicularibus diuturnè pluat: Consimili ratione non dicimus esse a casu, quod diebus canicularibus sint caumata, ardores; sed si hæc fuerint media hyeme, dicuntur esse a casu.

Tunc sic vrget. Omnia, quæ fiunt, aut fiunt
III. ἀπὸ συμπτώματος, a contingente, id est a casu, & fortuna, aut propter finem. Quippe quę accidunt præter intentionē finis, dicuntur euenire contingenter, & casualiter: Sed impossibile est, ea quæ fiunt semper, aut frequenter, fieri a casu, siquidem casus, vt nunc dicebamus, reperitur in ijs quæ raro obueniunt: quare ea quæ fiunt semper, aut frequenter, fiunt propter aliquem finem: Atqui omnia, quæ fiunt a natura, fiunt aut semper, aut frequenter, vt etiam ipsi aduersarij dixerint: Ergo omnia, quæ fiunt a natura, fiunt propter aliquem finem. Deinde eum dicit.

TEXTVS LXXVIII.



Mplius in quibuscumque finis aliquis est, huius gratia agitur, quod prius, quodque consequens est, ergo, vt agitur, sic aptum natura est: & vt aptum natura est, sic agitur vnumquodque, nisi quid impediat. Agitur autem propter aliquid, & aptum itaque natura est huius gratia: vt, si domus eorum, quæ natura fiunt, esset, sic vtique facta esset vt nunc ab arte, si autem quæ natura non solum natura, sed & arte fierent, similiter vtique fierent, vt apta natura sunt propter ergo alterum, alterũ.

Ponit in hoc tex. secundam rationem, quæ inge- V.
niosissima est, quanquam a multis existimetur obscura: dirigitur autem immediatè contra fundamentum aduersariorum. Quippe demonstrat, quod ea, quæ à Natura fiunt, non fortiuntur hunc, aut illum finem ex accidente, & a casu, posteaquam talia fuerint facta ex necessitate materiæ, vt Veteres illi aiebant, sed ex sua ipsorum natura sunt ordinata ad talem, aut talem finem, & ita etiam actu fiunt propter talem finem.

Ac primò quidem sternit duo fundamenta: Po-
stea adijcit rationem: Demum rem totam exemplo II.
illustrat.

Primum fundamentum est, In quibuscumq; est aliquis finis, & sũt aliqua priora, aut deinceps ad illum finem, ista priora, & consequentia aguntur propter illum finem. Malè in latinis codic. legitur, in quibuscunque finis aliquis est, *huius gratia agit quod prius, quodque consequens est.* græce πράττεται *agitur*, & sanius id exposcit: quæ enim sunt ad finem, aguntur, & fiunt ob illius consecutionem: non agunt.

Secundum fundamentum est, quod vnumquodque sicut agitur, siue sicut fit, ita aptum natum est agi, ac fieri. Ratio est euidens, quia nihil potest fieri nisi eo modo, quo habet aptitudinem, vt fiat: Quæ quidem enunciatio reciprocatur hoc pacto. Vnumquodque sicut aptum natum est agi, ac fieri, sic agitur, ac fit: (hic addi debet limitatio) nisi quippiam impediat.

His ita iactis, annectit rationem illis verbis. *agi-
tur autem propter aliquid, & aptum itaque natura est* III
huius gratia. Sic struе. Paries, & actiones V.G.
ho-

hominis nunc sunt, & aguntur, ac fiunt propter aliquem finem, quemadmodum in exemplo superius allato, dentes anteriores acuti nunc sunt, & eorum actiones aguntur propter incisionem cibi: Dentes autem, & eorum actiones sunt priores ad hunc finem, qui est incisio cibi: dic clarè, sunt media adhunc finem: quare ea primo fundaméto præfati dentes nunc sunt, & eorum actiones aguntur propter incisionem cibi. At sicut vnaquęque res agitur, sic ex sua natura apta nata est agi, ergo dicti dentes, eorumque actiones ex sua natura sunt ordinati ad hunc finem, scil. ad incisionem cibi non itaque solum ex accidente, & à casu, quemadmodum Antagonistæ nostri contendunt. Hæc est Philosophi ratio, quæ, vt vides, haurit ex ipsa rerum natura, & conditione.

II. Postea luculentissimo exemplo rem totam sistit ob oculos, *vt si domus eorum, quæ natura sunt, esset &c.* In construenda domo supponunt fundamenta, parietes, tectum, domus ipsa: Domus est finis, & si vis etiam ipsa hominum habitatio est vltimus finis: fundamenta autem sunt priora, parietes sunt deinceps, postea est tectum, inde domus, postremò habitatio. Porrò fundamenta non iaciuntur à casu, neque parietes eriguntur temerè, aut tectum inconsultò adijcitur, & omninò domos non fit a casu, deinde incipiunt homines in ea cohabitare. Verùm fundamenta ex natura rei ponuntur ob hunc ipsum determinatum finem erigendæ domus, & parietes ex hoc eodem fine attolluntur, & ita reliqua omnia fiunt, *vt apta natura sunt: & alterum propter alterum.*

Sic existimare debemus, & naturam in procreandis suis effectibus progredi, & facere hoc propter hoc: adeò vt si domus esset ex ijs, quæ Natura ipsa procreat, profectò Natura non alio modo eam faceret, quàm nunc efficitur ab arte: & è contra, si ars posset aliquod ens naturale condere, V. G. equũ aut hominem, sanè non alio pacto eum conderet, quàm fit a Natura. Si itaque in artefactis res non fiunt a casu, deinde vtimur illis, sed ex præscripto fine, & vt res ipsa ex sua natura expostulat, fit hoc propter hoc, nonne fatuum est, non id idem in Natura existimare?

TEXTVS LXXIX.



T omninò ars alia quidem perficit, quæ natura non potest efficere, alia verò imitatur. Si ergo, quæ secundum artem sunt, propter aliquid fiunt, manifestum, quod & quæ secundum naturam: Similiter enim se habent inter sese in ijs, quæ secundum artem, atque in ijs, quæ secundum Naturam posteriora ad priora.

Adduxit in præcedentibus contex. duas rationes: & confirmauit exemplo artis, Naturam agere propter finem; subnectit hic tertiam rationem adhuc ex conditione artium haustam; siquidem conspicua inter Naturam, & artem præfulget affinitas. In tex. duo facit. Diuidit artes: Et colligit rationem. I.

Artium, inquit, aliæ imitantur Naturam; aliæ ipsam adiuuant. Priores aut imitantur Naturam secundum communem quandam rationem, quatenus quæcunque ars in disponendis, ac peragendis suis operibus progreditur ad modum naturæ ab imperfecto ad perfectius; Aut imitantur Naturam secundum peculiarem quampiam imitationem, veluti ars pingendi, aut statuaria, & si quæ sunt huius classis aliæ. Artes verò Naturæ adiutrices aut respiciunt naturam ægram, ac languidam: aut respiciunt Naturam simpliciter, quatenus tamen aliquando impeditur. Exemplum primæ conditionis est ars medendi. Siquidem Natura aliquo morbo oppressa nequit facere id, quod sublenata a medico facit. Exemplum verò secundæ conditionis videre licet in multis artibus, quæ naturæ quædam impedimenta remouent. In omnibus hisce artibus id relucet commune, quod omnes artes vtcunque respiciunt Naturam.

Deinde. *Si ergo quæ secundum artem sunt, propter aliquid fiunt, &c.* colligit rationem. Si artes quæ porrò aut sunt imitationes, aut adiumenta, aut omninò quædam accessoria Naturæ, agunt gratia alicuius finis, vt nemo non clarè animaduertit; profectò etiam natura, imo magis agit gratia alicuius finis. At prius verum est: quare & posterius. Consecutio vel ex eo liquet, quia si imitatio, & accessorium operantur gratia alicuius finis, quis credat, archetypum, & principale non itidem agere gratia alicuius finis? II.

Quam quidem consecutionem probat etiam Auctor in tex. dum inquit, *Similiter enim se habent inter se in ijs, quæ secundum artem, atque in ijs, quæ secundum naturã posteriora ad priora.* Sic extende. Vbicunque sunt quædam priora, quæ ordinantur ad posteriora, & hæc rursus ad alia, ibi necessariò adest ordo, qui ad aliquem finem terminatur: omnia enim ordo est dispositio aliquorum vsque ad vnum terminum, siue finem. At similiter in actionibus Naturæ, atque in artibus sunt quædam priora, quæ ordinantur ad posteriora, & hæc rursus ad alia, quare aut in vtrisque erit agere propter finem, aut in vtrisque erit non agere propter finẽ. Exploratum autem est, artes agere propter finem, ergo etiam Natura aget propter finem. III.

Adnotationes, & difficultates circa tex. 78. & 79.

IN tex. 78. ait, In quibuscunque est aliquis finis, omnia priora, & deinceps ad illum finem, fieri gratia

gratia illius finis. Dubitationem parit, quia hic per finem aut intelligit quodcunque vltimum, aut intelligit finem propriè dictum, qui habet rationem boni, *nam finis est bonum aliorum; id enim, cuius gratia, optimum*. inquit idem Philosophus in tex. 31. huius lib. Si intelligat priori modo, ineptè omne extremum appellat finem. Primò quia punctum est extremum lineæ, nec tamen est lineæ finis. Secundò, quia ipsemet Arist. in tex. 23. carpit Euripidem, quod mortem, quæ est vltima rerum linea, vocarit hominis finem. Si verò finem accipiat posteriori modo, petit principium; siquidem hoc ipsum est quod controuertitur, vtrumne in rebus Naturę sit aliquis finis, cuius gratia operetur Natura, an non? Hoc autem Arist. accipit, veluti concessum.

V. Difficultas hæc turbauit expositores. Nihilominus dicendum existimo, Aristotelem nomine finis minimè intelligere extremum tantum, sed verum finem: & hanc propositionem, quod in quibuscunq; est finis, ea quæ sunt ante, & deinceps ad ipsum, *& quæ sunt continua, & ordinata ad ipsum* vt Simplic. loquitur, esse vniuersè veram tam in naturalibus, quàm in artefactis. V. G. finis in ægro est sanitas, cuncta igitur quæ ante sanitatem facit medicus, facit gratia sanitatis.

Neque ob id Arist. in sua argumentatione petit principium. Nam aduersarij non negabant absolutè in Naturæ operibus subesse aliquem finem; sed illo admisso, subijciebant, eum finem haud esse per se, sed ex accidente dumtaxat, quoniam sic res illa facta fuit ex necessitate materiæ, postea accidit, vt ordinaretur ad talem finem, quemadmodũ in exemplo dentium retro exposui. Aristot. verò contendit, eiusmodi finem haud esse tantum ex accidente, sed per se, & ex natura rei intentum. Et vrget aduersarios, quia sicut vnumquodque est, ita natura aptum est fieri. Sed de facto hoc est finis huius, vt vos ipsi fatemini, quare isthuc est ex sui natura tale, & non solum per accidens. Vbi vides, quomodo Philosophus non petit principium, quia illam ipsam propositionem accipit vt concessam ab aduersarijs, in aliquo sensu, quod natura agat propter finem.

VI. Secundò difficultatem facit altera propositio, quod *vt agitur, sic aptum natura est; &, vt aptum natura est, sic agitur vnumquodque, nisi quid impediat*. Nam lapis sursum agitur, ac fertur a projiciente: qui tamen non est natura aptus ita ferri. Nam si esset aptus ferri sursum, non moueretur violenter dum projicitur sursum.

Occurrunt multi cum Diuo Thoma, hoc axioma esse verum, dum additur limitatio (naturaliter) lapis enim non fertur sursum naturaliter, ideircò in eo non habet locum effatum illud.

Quæ limitatio inanis est, quia etiam hoc axioma vniuersè est verum tam in naturalibus, quàm in quibuscunque alijs. Nam lapis agitur sursum vi a projiciente, ergo eodem modo *πέφυκεν est aptus* ab aliquo sursum projici: Non quidem aptitudine ab eius natura fluente, sed aptitudine obedientiali: Ita ligna, ac lapides habent aptitudinem, vt ab artifice in construenda domo collocentur in hoc, aut in illo loco, & hoc, aut alio modo. Quapropter sicuti vnumquodque fit, ita aptum est fieri. Deinde, quem vnquã latet, quod actus debet correspondere potentiæ. ergo sicut vnumquodque actu fit, ita potest, & est aptum fieri. Quare illud *πέφυκε* non coarctatur solum ad aptitudinem naturalem:

TEXTVS LXXX.



Aximè autem manifestum est in cæteris animalibus, quæ neque arte, neque inquirendo, neque deliberando faciunt. Quapropter dubitant quidem, verũ intellectu, aut quodam alio operentur, & aranei, & formicæ, & huiusmod: paulatim autem sic procedenti, & in plantis apparent conferentia quædam fieri ad finem, vt folia propter fructus cooperimentum. Quare, si & natura, & propter aliquid hirundo nidum facit, & araneus telam, & plantæ folia gratia fructuum, & radices non sursum, sed deorsum gratia nutrimenti, manifestum, quod est causa talis in ijs, quæ natura fiunt, & sunt.

Rationes huc vsque ex artibus adhibitæ ad ostendendum Naturam agere propter finem, respiciunt solum hominem, cum ars in vno, ac solo homine reperiatur. Annectit nunc Aristot. quintam rationem, quæ porrò est maioris ponderis, vt ipsemet indicat inquiens, *maximè autem manifestum est, &c.* eamque depromit ex alijs animalibus (propterea ait, a *cæteris animalibus*) & ex plantis, vt palam fiat, non modo in actionibus hominum, verum etiam in actionibus cæterarum rerum naturalium naturam agere gratia alicuius finis. I.

Rationem sic strue. Si vbi neque ars est, neque inquisitio, neque deliberatio, nihilominus apparet, II. actiones esse propter finem, profectò Natura agit propter finem: Atqui in animalibus rationis expertibus, & in plantis, neque artis quidquam est, neque vlla inquisitio, aut deliberatio, hæc enim *neque arte, neque inquirendo, neque deliberando faciunt*, & nihilominus apparet, actiones istorum fieri propter aliquid. Quare absolutè Natura agit propter finem, *& est in ijs, quæ natura fiunt, & sunt talis causa*. quæ nimirum agit propter finem, quæ porrò causa nulla est alia, quàm Natura ipsa.

Et quidem animalia bruta absque arte, inquisitione, & delectu operari, supponit Arist. Quod autem gratia alicuius finis operentur, probat, primò

mò ex communi hominum consensu; deinde ex proprijs eorum actionibus. Ex illo quidem, quia hæc opinio vsque adeo increbuit inter homines, vt nonnulli dubitauerint, vtrum bruta vtantur ratione, & operentur per intellectum, aut per aliquod aliud tale principium. Ex proprijs verò actionibus, quoniam nos ipsi cernimus ea exquisitè sua opera dirigere, & ordinare in finem. Quis enim sine admiratione intuetur araneam ita affabrè, & artificiosè telam suam contexere, vt muscas, culices, idque genus alia animalia ibi irretita capiat? Quis non stupet, dum formicam, magni exemplum laboris contemplatur, quæ ore trahit, quodcunque potest, atque addit aceruo, quem struit, non incauta, & non ignara futuri? Quis non admiratur actiones Hirundinum? de quibus omnibus mox subijciam aliqua. Profectò qui dicit, hæc non propter aliquid agere, sed casu, & temerè sic ferri, planè stupidus est.

III. Eodem pacto cum animum ad plantas adijcimus, animaduertimus, eas agere propter finem, quippe in ijs videmus ea fieri, quæ conspicuè conferunt ad finem. Videmus procreari folia propter fructuum defensionem, & produci pulpam fructuū ob custodiam seminis, ex quo pendet perennitas speciei, quam Natura per se intendit: tum arborum cortices esse propter cohibitionem & custodiam earundem arborum; tum radices haud *esse factas sursum in aere, sed deorsum in terra*; vt Auctor loquitur, quoniam per illas, veluti ore debent attrahere succum, ac nutrimentum ex terra. Si itaque & animalia, & plantæ φύσει naturaliter faciunt propter finem, quis non videt naturam agere propter finem?

Adnotationes ad tex. 80.

IV. TRia animalium genera recenset hoc loco Aristot. tanquam exempla ingeniosioris Naturæ, & expressius propter finem operantis: Araneorum, formicarum, & Hirundinum; de quibus singulis nonnulla strictim subijciam; qui verò plura cupit, consulat eundem Philosophum in lib. de Hist. animal. Plin. Plutar. præcipuè verò eruditissimum Vlyss. Aldron. Et quidem de araneis, & formicis in opere de insectis, de Hirundinibus autem in tomo de auibus.

Nos Aristotelem audiamus, qui libro nono de Histor. animal cap. 39. distinguit triplex araneorum genus, & de tertio hæc omnino subijcit. *Tertium genus, quod sapientissimum, lautissimumq; omnium est, texit enim, primum filis quoquo versus distendens in orbem, tum stamina ducens, initio a medio accepto: nec insciè medium ipsum accipit: deinde subtegmina inferens, atque stipans, cubile, & repositorium alibi sibi constituit, sed venationem in medio sui operis venando exercet. Cum enim bestiola eo inciderit, motu medij excitus occurrit, deuincitque primum obuoluens araneis, dum defatiget infirmamque faciat: tum tollit, ac defert: & si forte fame tenetur, exugit: hæc enim fruitio eius est. Sin minus, recondito, quod ceperit, in repositorio, repetit venandi negotium, sed prius resarcinato, quod per venatum lacessitum est. Si quid inter medium, & extrema inciderit, primum ipse in medium currit, inde ad id, quod inciderit, velut a stato initio properat. Si quis telam lacerarit, texere iterum incipit. Venatur oriente sole, aut occidente: quoniam bestiolæ temporibus his potissimum offendant. Fœmina & texit, & venatur, mas comes fruendi non laborandi est.*

At quoniam in hoc argumentum incidi, detegam rude quorundam erratum, inter quos est Iosephus Blancan. in opere, cui nomen est, *Aristotelis loca ex ipsius operibus collecta, & explicata*, qui ausi sunt Aristotelem reprehendere, quasi præter rationem senserit de Araneorum filis emittendis. Sic illi efferunt Stagiritæ verba, (& reuera sic iacent in latinis translationibus) *Aranei statim cum editi sunt, fila emittunt, non ab intrinseco, tanquam excrementum, vt Democritus ait, sed ab extrinseco de suo corpore, veluti corticem, aut more eorum animalium, quæ suos villos iaculantur, vt hystricis.* V.

Ad quæ quidem verba Blancanus ait, Aristotelem præter æquum reijcere opinionem Democriti, & existimat, Aristotelem præfatis verbis velle, araneos non producere sua fila ab intrinseco, sed ab extrinseco. Deinde subdit, aduersus hoc se fecisse experientiam, certoque comprehendisse, filum ex secessu aranei prodire: ac proinde ab intrinseco, vt aiebat Democr. non verò ab extrinseco: propterea Aristotelem errasse.

At tu scito, in versionibus latinis dictorum Aristotelis verborum insidere tria errata; vnde forsasse etiam factum est, vt præfati auctores verum Philosophi sensum minime assecuti sint. VI. Primus error est, quod Aristot. sua lingua facit propositionē negatiuam, isti autem faciunt affirmatiuam. Secundus, quod in nullo græco codice est vox *ab extrinseco*, quæ tamen in latinis translationibus intrusa iacet. Tertius, quod malè vertitur *Hystricis* casu genitiuo. Accipe græca, (& sic lego in omnibus codic.) οὐ δύνανται δὲ ἀφιέναι οἱ ἀράχναι τὸ ἀράχνιον εὐθὺς γενόμενοι, οὐδὲ ἔσωθεν ὡς ἂν περίττωμα, καθάπερ φησὶ Δημόκριτος, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ σώματος, οἷον φλοιὸν, ἢ τὰ βάλλοντα ταῖς θριξὶν, οἷον οἱ ὕστριχες. quæ sic valent. *Non possunt autem emittere aranei filum araneum statim editi, neque ab intrinseco, ac si esset excrementum, quemadmodum dicit Democritus, sed de corpore* (videl. suo) *tanquam corticem, vel tanquam ea, quæ villos iaculantur, vt Hystrices.* In quibus clarissimè conspicis tria illa, quæ adnotaui.

Hinc etiam apparet eorundem auctorum error in intelligendo Aristotelem. VII. Primò non ait Eximius vir aranea fila elici ab extrinseco ab ipso araneo, quin verò asseuerat, produci ex ipsius corpore: noluit autem dicere ex secessu. Deinde, non

negat,

negat ea, produci ab intrinseco; sed negat produci ab intrinseco ὡς ἂν περίττωμα, vt excrementum, & stercus. Idque summa cum ratione, quia materia, ex qua dicta fila proferuntur, haud est excrementitia, & stercoraria, sed viscosa quædã eiusdem aranei substantia: Eleganter Plinius de hoc eodem tertio araneorum genere hæc committit litteris lib. 12. cap. 24. *ordiar telas, tantique operis materia vterus ipsis sufficit, siue ita corrupta alui natura stato tempore, vt Democrito placet, siue est quædam intus lanigera fertilitas, tam moderato vngue, tam tereti filo, & tam æquali ducit stamina ipse se pendere vsus*, Hoc itaque inficiatur Aristot. fila non produci tanquam excrementa, vt stato tempore soluatur aluus. Quid verò? cortex in arbore fit ne ab extrinseco, aut a materia excremẽtosa? Profectò est potius quædam substantiæ eiusdem arboris, eaque viscosa, vt cohibeat arborem: & respondet animalium cuti. Ita villi Hystricum. Quæ duo sunt exempla Stagiritæ.

VERI; Quod autem illa materia non sit excrementitia, ex eo facile deprehendes, quod aranei, & alia id genus animalia parum admodum sumunt alimenti, parumque nutriuntur ob sanguinis, & caloris natiui defectum & exilitatem. Quod etiam ex verbis Philosophi nopera nobis inductis intelliges, cum ait, quod araneus tollit prædam, culicem videl. aut muscam, & *defert, & si forte fame tenetur, exugit; hæc enim fruitio eius est; sin minus, recondito, quod ceperit, in repositorio, repetit venandi negotium*. Porrò quid ex culice, aut musca suget, præsertim cum fame tenetur? cum itaque vix tantum capit alimenti, quin plus fere continuò in telarum textura consumat, si telarum materia esset excrementosa, dicendum foret, maiorem esse superfluitatem, excrementorumq; emissionem, quã alimenti assumptionem. Quod statuere absurdum est. Hæc pro Aristotele.

IX. Ast hic duo emergunt quæsita, quæ etiam P. Blãcan. reposuit, ea excipe ipsiusmet verbis. Vnum est; Num Araneus filum intus tanquam in glomo, vel spira conuolutum contineat? dicam quod non sine experientia conijcio; Existimo, Araneum non continere intra se filum vllum, verùm humorem quendam viscosum, qui in tenuissima fila fit ductilis; quemadmodum videmus accidere gummi, quod dirupiũ exhibet lentorẽ quendam, qui solo attritu ita digitis hæret, vt amoto sensim digito, filum tenue, & oblongum valdè deducatur: hoc inde conijcio, quia aliquando cum ventrem Araneorum secuissem, nullum intus filum, sed solus humor quidam lentus apparuit.

Alterum quæsitum idem auctor ita proponit.
X. Opportunè accidit, vt eius dubitationis solutio, aliã mihi alterius quæstionis, iam olim summis votis expetitam afferret explicationem. ea est huiusmodi. Sæpius fueram expertus, Araneos quosdam esse qui ex vno loco ad alium omninò sibi inaccessibilem transeant, siue quod idem est, ex eo loco ad illum fila deducant, vt ex vna arbore ad aliam; quamuis inter vtramque aut aquæ, aut densissima spineta, ac sepes interponantur. quod maximè mane equitantes experimur, dum nobis fila per vias transuersa, oculis, atque vultui obuiaotia adhærent. Qua ratione id araneus perficeret, neminem, qui litteris mandasset, reperi, ne ipsum quidem Vlyssem Aldrouandum, qui in hac eruditorum Palæstra maiores nostros videretur superasse. Physiologi a me hac de re interrogati, varij varia, nec consentientia respondebant, Alij aiebant, Araneum se demittere, ac suspendere ex vna arbore, & deinde ad aliam a vento perferri. At ego his minimè assentiebar, quia in Araneo nullum esset naturale instrumentum, veluti velum, in quod ventus possit impingere. Alij araneum ex vna arbore descendere, & postea alteram conscendere, interim emissum retro filum rapiando, ac deinde sursum attrahendo attollere, ac prætendere: Sed horum responsionum ob plurima impedimenta, quæ tenuissimum filum sæpius scidissent, subsidens refellebam. Alij verò aiebant, Araneum qualitate quadam præditum esse, qua ipse per aera non secus ac per aquam pisces, & per aerem volucres, ambulare posse. Verum opinio ista, ne risu quidem digna videbatur.

Huius igitur quæsiti solutionem, quam omnes ad hanc vsque diem latuisse puto, quamque omnibus gratissimam fore cognoui tibi loco auctarij initio promisi, nunc persoluam: accidit ergo vt dicebam, vt dum Araneus fugæ cupidus, ex bacillo in temperatæ lucis loco, nimirum e regione alicuius opaci penderet, vt cernerem ex filo illo, ex quo suspendebatur, plura alia fila hinc inde alternatim prodire, quemadmodum ex alternis arundinum nodis folia enasci solent. Quæ fila innata leuitate, per aerem quoquo versus, ceu patantia diffundebantur. factum est autem, vt eorum vnum quendam arboris cuiusdam ramum attingeret, eiq; statim adhæreret; quod illico Araneus optimè persensit, quippe quod filum illud visceribus eius ex altero capite affigeretur, atque per filum illud alijs omissis, subitò, vti egregius funabulus accurrit, sed tamen pedibus sursum, dorso autem deorsum, non supra filum, sed infra ad ramum illum se contulit, sicque me hostem suom fuga sæpius elusit. Ex qua repetita sæpius obseruatione luce clarius cõperi, Araneum non simplex filum, sed ramosum, ac multiplex emittere, atque aliquando ex successu etiam ipso duo simul eijcere, alterum, quo suspendatur, alterum verò, quod forte hac atque illac volitans alicui rei occurrat, atque hæreat, per quod postea ipse incedẽs ad locum sibi prius inaccessum, aditum parat, qua in re fures eos perbellè imitatur qui schalas ex funibus contextas, ac hamis ferreis munitas, ad fenestras proijciunt, vt per eas ibi affixas conscendere queant. Hæc illa. Neque ego de araneo plura.

De formicis verò integra extant volumina: *Ci-*

uilis

xi. *uilis generis*, inquit Aristot. lib. primo Histor. animal cap. 1. *est homo, apis, vespa, formica, grus*; Et lib. nono eiusdem operis cap. 38. *Insectorum*, inquit, *officiosissimum, & præ cæteris fere omnibus animalibus, genus formicarum, & apum est. Iam formicarum negotia omnibus in promptu habentur: vtque eadem semita semper ambulant, & cibaria recondunt, & cellas promptuarias faciunt, nec interdiu solum, sed etiam noctibus plena luna laborem exercent, nemo est, qui non videat.* De hoc argumento permulta, & admiratione digna Plutarchus in sermone, cui nomen, Vtrum terrestria animalia, an aquatilia sint prudentiora: Complura Plinius lib. 11. cap. 30. vbi refert formicarum itinere attritas silices, & semitas factas: Plurima Vlysses Aldrouand. in opere de insectis, libro quinto, capite primo.

Nos vnius D. Hieronymi elegantissimis verbis
xii. contenti simus, qui quidem in vita Malchi monachi ita scribit. Cogitans aspicio formicarum gregem angusto calle feruere, ferre onera maiora quàm corpora. Aliæ herbarum quædam semina forcipe oris trahabant; aliæ egerebant humidum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebant, illæ venturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret illata semina præcidebant, hæ luctu celebri corpora defuncta deportabant, quodque magis mirum est, in tanto agmine egrediens non obstabat intranti: quin potius, si quàm vidissent sub fasce, & onera concidisse, suppositis humeris adiuuabant. Quid multa? pulcherrimum mihi spectaculum dies illa tribuit, vnde recordatus Salomonis ad formicarum solertiam nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo suscitantis, cœpi tædere captiuitatis, & monasterij cellulas quærere, ac formicarum illarum similitudinem desiderare, vbi laboratur in medium, cumque nihil cuiuspiam proprium sit, omnium omnia sint. Hæc ille.

Demum de hirundine pauca hæc ex eodem Aristotele libro nono Histor. animal. indicaìn cap 7: accipe. *Omninò*, inquit, *ratio brutorum magnam referet vitæ humanæ similitudinem, magisq; in minore genere, quàm in maiore videris intelligētiæ rationem. Quod primùm in auiū genere hirundo in effingendo, cōstituendoq; nido ostendit. Confingit implicito luto festucis ad normam lutariæ paleanonis, & si quādo luti inopia est, se ipsa madefaciens volutat in puluere omnibus pennis. Stragulum sibi etiam more hominum facit, duriora primùm subijciens, & modicè totum consternens pro sui corporis magnitudine, atque in enutrienda prole mira tam mas, quàm fæmina æquitate laborat. Impartit pullis singulis cibum, obseruans consuetudine quadam, ne qui acceperit, bis accipiat. Excrementa etiam pullorum parentes eijciunt: post adultiores iam natos circumagi, foras[illegible]sos egerere edocent.*

Verùm de his satis: haud enim mihi nunc ani-
xiiii. mus est, eruditiones congerere, Pergo ad alios Stagiritæ contextus, si tamen prius apparentem quandam in eo repugnantiam explicuero, quæ est.

In hoc tex. scribit, arbores agere suas *radices non sursum, sed deorsum gratia nutrimenti*. Huius oppositum tradidit secundo de Anim. tex. 38. quo loci carpit Empedoclem, qui, dum nutritionem ad quatuor elementa referret, aiebat, radices in arboribus nutriri, & crescere deorsum, quia sunt terreæ; ramos autem, ac folia ascendere sursum, quia magis participant naturam ignis. Reprehendit hoc Aristot. his verbis: *Neque enim sursum, & deorsum omnibus, & ipsi vniuerso*. Et determinat, radices plantarum censeri sursum, non deorsum, quia correspondent illi hominis parti, videl. oris, quæ sursum est.

Nihilominus responsio plana est. In lib. secundo de Anim. loquitur de differentijs loci sursum, & deorsum respectu plantarum: & rectè ait, earum radices censeri sursum propter analogiam cum parte superiori hominis: In hoc autem tex. sermonem habet de differentijs loci respectu Vniuersi, in quo terra, eiusque centrum est locus deorsum, quemadmodum in primo de Cœlo demonstratur: ideò rectè asserit, radices agi non sursum, sed deorsum: ad illum, inquam, locum, qui in Vniuerso est deorsum.

TEXTVS LXXXI.



T quoniam natura duplex est; alia quidem vt materia, alia verò vt forma, finis autem est hæc: propter finem autem cætera, hæc vtique erit causa, cuius gratia. I.

Addit pro sua assertione, quod Natura agit propter finem, quintam rationem. Cum enim a tex. 77. per tres contex. patefecerit, Naturam agere propter finem in homine: deinde in tex. 80. aperuerit, animalia rationis experta, & plantas itidem agere gratia alicuius finis, intentio eius nunc est, commonstrare, etiam res naturales inanimes agere propter finem.

Reuocat autem in memoriam, quod Natura est duplex, materia nimirum, & forma, quemadmodum in cap. 1. huius libri, præsertim verò in tex. 10. habuisti; Et quod forma, & finis coeunt in vnum, vt etiam in tex. 70. audiuisti. Ad hæc, quod vbi est finis, & alia ipsum antecedentia, hæc fiunt, & sunt propter illum finem, quemadmodum fuit dictum in tex. 70.

Tunc ita perstringe. Vbi est forma physica, ibi est finis: In rebus naturalibus etiam inanimatis
III. est forma physica: quare in ijsdem est finis. Ast vbi est finis, & alia ipsum antecedentia, hæc fiunt, & sunt propter illum finem: ergo quæ in rebus naturalibus, etiam inanimatis, fiunt, & sunt, profectò fiunt, & sunt propter finem. Ita cum ignis V. G. ascendit sursum, hoc facit propter finem, qui est propria eius ipsius forma, sine eius conseruatio. Quippe in loco edito, ac superiori forma ignis melius ac commodius conseruatur, propterea quod ibi materia magis ac magis disgregatur, ac rarescit, qua conditione apprimè gaudet forma ignis.

Quid si ex hoc contex. colligam, etiam ipsam rerum inertissimam materiam primam esse propter finem? Enimuerò materia est propter formam, vt in tex. 23. fuit assertum: Forma est finis; quare materia est propter finem: Materia est Natura; Natura igitur est propter finem. Quocirca identicè hæc propositio potest concedi. Natura est propter Naturam.

TEXTVS LXXXII.



Peccatum autem fit & in ijs, quæ fiunt secundum artem. Scripsit enim non rectè grammaticus, & propinauit non rectè medicus medicamentum: quare manifestum, quod contingit & in ijs, quæ secundum Naturam fiunt. Si igitur sunt quædam secundum artem, in quibus quod rectè fit, propter aliquid fit, in ijs autem quæ peccantur, alicuius quidem gratia aggreditur, sed frustratur: similiter vtique se habet & in physicis, & monstra peccata sunt illius, quod propter aliquid agit, & in ijs igitur, quæ à principio vtique compositionibus bouigena, si non ad quendam terminum, ac finem poterant venire, corrupto vtique principio aliquo, fiebant, vt nunc semine.

Patefecit hucusque quinque rationibus ex natura rei haustis, Naturam agere propter finem: Accingitur nunc depellere aduersariorum rationes. Sic autem eas depellit, vt ingeniosissimè ex ijs ipsis adhuc demonstret, Naturam gratia alicuius finis operari. Et quia prisci illi, maximè verò Empedocles, ex tribus potissimùm capitibus impellebantur ad negandum, Naturam agere propter finem, ideò Aristot. illa tria expendit: quorum vnum exequitur in hoc, & sequenti contex. Alterum autem examinat in tex. 84. & 85. Tertium denique considerat in tex. 86. & sic tandem absolutissimom pulcherrimæ huic tractationi, quod Natura agit gratia alicuius finis, imponit finem.

Vna itaque ratio, ob quam illi inducebantur negare, Naturam edere sua opera gratia alicuius
finis, hæc erat, quia videbant in Natura aliquando II.
contingere errata, cuiusmodi sunt monstra; quæ porrò, aiebant illi, non contingerent, si Natura ageret propter finem: quia Natura quæ intendit agere, agit semper vno, & eodem modo. Monstra autem obueniunt extra consuetum Naturæ modum.

Occurrit Arist. & in hoc tex. tria facit. *Primò* ex hoc fundamento, quod in Natura aliquando eueniunt errata, colligit rationem pro sua assertione. Secundò explicat, quomodo tam in arte, quàm in Natura oriatur rectitudo, aut peccatum effectus. Tertiò declarat, vndenam monstra ab Empedocle initio rerum instructa, corrumperentur.

Ratio est. Ita se habet Natura respectu effectuum naturalium, sicut ars respectu artefactorum: Sed
ars agit propter finem, & nihilominus in ijs, quæ III.
ab arte fiunt, sæpenumero contingunt errata, vt *cum Grammaticus non rectè scripsit, & medicus non rectè propinauit medicinam*, quæ tamen errata non tollunt, quominus ars agat propter finem, Pari igitur pacto, quamuis in natura nonnunquam obueniant peccata, vt sunt monstra, hæc non efficiunt, quin Natura agat propter finem. Imo verò tantum abest, vt peccata, quæ in arte contingunt, indicent, artem non agere propter finem, vt potius patefaciant euidenter, eam moliri ac facere propter aliquam finem, & cum eo fine frustratur, tunc sequi artis defectum. Sic igitur de Natura etiam erit philosophandum.

Deinde explicat in 2. part. tex. vndenam oriatur
rectitudo, aut defectus effectuum. Accipit autem IV.
primò, quod artem propter finem agere, ex eo manifestè conspicies, quia si non ita ageret, qualitercunque eius operatio eueniret, non esset peccatũ. Quid ita? quia tunc operatio artis æqualiter se haberet ad omnia. Hoc autem dicere est absurdum, cum videamus hanc artem operari hoc modo, illam autem alio. Iacto igitur hoc fundamento, rectitudo operationis in arte, & plenitudo effectus artificialis est, quando ars attingit finem, ob quem molitur, ac facit: peccatum autem in arte erit, cum ea deficit a tali fine: Quocirca erratum est quidam defectus, & priuatio rectitudinis debitæ inesse. Si autem est priuatio, iam præsupponit habitum. Hæc exprimit Auctor illis verbis, *si igitur sunt quædam secundum artem, in quibus quod rectè fit, propter aliquid fit; in ijs autem quæ peccantur, alicuius quidem gratia aggreditur; sed frustratur*. Deficit autem tam ars, quàm natura a præscripto sibi fine, tum propter materiam, tum propter instrumenta, & agentia propinqua, tum propter alia extrinsecus ingruentia. *Sic* Natura molitur vtique, ac facit propter finem, quem dum consequitur, agit perfectè, & consurgit plenitudo effectus: dum autem ab eo deficit, obueniunt peccata, siue monstra,

quan-

Digitized by Google

quandoquidem monstra peccata naturæ sunt. *Similiter*, inquit Auctor, *vtique se habet & in Physicis: & monstra peccata sunt illius, quod propter aliquid agit.*

Deinde cum ait, *& in ijs igitur; quæ a principio vtique compositionibus*, &c. indicat vndenam generatim nascantur monstra: Et ait, ea fieri, quia corrumpitur aliquod principium ad generationem requisitum. Empedocles, vt in tex. 176. fuit dictum, finxit, in principio huius modi, ex casuali elementorum concursu emersisse in Natura varia monstra, vt bouigena, & viriprora, quæ postea periere, quia non habebant organa, quibus suam ipsorum salutem tuerentur. Inquit Aristot. si figmentum hoc demus, dicendum erit, monstra illa fuisse facta propterea quod non potuerunt perduci ad certum aliquem terminum, ac finem, *& fiebant corrupto vtique aliquo principio, sicut nunc seminis.* Quemadmodum nunc aliquando nascitur monstrum, quia materia, & semen, ex quo illud fit, vitiatur aut secundum substantiam, aut alio modo, propter quam materiam vitiatã Natura deficit ab intento fine, & facit monstrum. Ita in casu illo Empedoclis esset opinandum.

vi. Ex quo euidenter adhuc colligitur, Naturam agere propter certum finem. Imo verò conspicimus, quod dum Natura ab alicuius rei ad generationem requisitæ deprauationem deficit, ac declinat ab intento fine, semper declinat minus quo declinare potest; & semper conatur accedere magis ad finem intentum quo potest accedere.
Ita si intendat generare V. G. equum, & propter defectum cuiuspiam ad illius generationem requisiti, nequeat perficere equum, non generat plantam, aut capram, aut leporem, sed equum monstrosum. Quod manifestissimè denotat, eam in tali generatione intendere quidem determinatum finem, & conari opus suum ad eum finem perducere; at impeditam ab eo declinare, atq; deficere.



TEXTVS LXXXIII.



Amplius necesse est semen fieri primum, sed non statim animalia, & ipsa massa quidem molis prius semen erat. Amplius, & in plantis inest ipsum propter aliquid, minus autem distinctum est. Vtrum igitur & in plantis fiebant, vt bouigena, viriprora, sic vitigena, oleoprora? An non? inconueniens enim, sed tamen oportebat, si quidem & in animalibus.

Perstringit in hoc tex. peculiariter Empedoclem, & ex eius principijs demonstrat tum imaginatio- 1.
nem illam de productione monstrosorum hominum esse planè fabulam: tum etiam illa data, adhuc Naturam agere propter finem.

Ac primò quidem sternit hoc fundamentum. In generatione animalium non statim fit animal, sed necesse est, primum fieri semen, deinde ex eo cõsurgere animal. Quod fundamentum clarissima euincit inductio, sed auctor probat ex ipsomet Empedocle, qui asseruit ex casuali illo elementorum concursu, primò prodijsse ex terra quandam massam, οὐλοφυὴς appellabat, quam vocem, quanquam poeticam, ponit hic Aristotel. ex qua quidem aiebat, primùm esse factas partes animalium separatas, deinde iunctas confecisse animalia. Illud, οὐλοφυὴς, inquit Aristot. quod erat prius factum, ex quo deinde emerserunt partes, & animalia, erat semen. Vt enim semen virtute continet totum animal, sic massa illa οὐλοφυὴς continebat tota animalia deinceps edenda. Vnde etiam accipit nomen: fit enim ab ὅλον, quod est totum, & φύω, nascor, seu generor. Quare οὐλοφυὴς est quasi ὅλου (poeticè additur, υ, propter versum, sicut pro ὄλυμπος dicimus οὔλυμπος;) ὅλου totius inquam, φύσις natura. Vel est ὅλον totum φυὴς nascens. & si ita loqui licet οὐλοφυὴς verterem totigenum.

Ex quibus clare conspicis, non fieri animal statim, sed præire semen: idque suapte natura ordinari ad producendum deinde animal. Vnde 11
vlterius collige: Primò, fabulam esse illam monstrosorum hominum emersionem: Collige secundò, hanc rationem, quod vbicunque est actio ordinata, ea est propter aliquem finem: siquidem ordo in actione non requiritur nisi vt acquiratur aliquis finis: Modo iuxta Empedoclem, actio Naturæ, per quam initio rerum fuerunt producta animalia, est ordinata; nam massa οὐλοφυὴς fuit vt semen, quatenus ex ea fierent siue partes animalium, siue animalia ipsa, qui sanè est qui-

dam ordo? Quare etiam iuxta fundamenta Empedoclis actio Naturæ ex se est propter finem.

Secundò conuellit eandem Empedoclis imaginationem: *Amplius, & in plantis inest ipsum propter quid: minus autem distinctum est*. græcè
XIV, *ἧττον δὲ διήρθρωται, minus est dearticulatum*. Plantæ etiam habent diuersas partes, & vna est propter aliam, perinde atque ipsa animalia, quamuis minus conspiciantur diuersæ, ac dearticulatæ. Est enim in iis cortex, lignum, medulla; quare etiam ipsæ deberent fieri ex illa eadem massa, ex qua edita dicuntur animalia, aut certè ex alia consimili. Tunc sciscitatur Auctor ab Empedocle. Vtrumnam, sicut inter homines dicis fuisse facta βουγενῆ, *boni-genea* homines semiboues, & ἀνδρόπρωρα, alia animalia humanam faciem habentia; pari pacto facta sint monstra & in plantis? ita vt naturaliter nasceretur V. G. oliua, quæ tamen haberet aliquas partes aut vitis, aut platani, adeò vt essent *vitigena oleoprora* &c.? Hoc autem vel opinari *inconueniens est*. Quid ita? quia natura in suis actionibus non miscet species: id tamen iuxta Empedoclis imaginationem oportebit fateri; *si quidem & in animalibus*, ita factum fuisse dicit.

Nec te turbet, quod ars haud rarò conficiat quasdam arbores insertas, atque inocculatas, vt vná pars sit pyrus, altera persicus, aut alterius
XV, speciei.

Nam ars plurimis in rebus est præter rationem auida, ac penè dixerim, ingluuiosa; sicut in popinis apparet, in quibus quid illa non miscet? Quocirca sensatè Philosophus in primo Politic. capite 1. *Natura*, inquit, *nihil facit tale, quale statuarij, Delphicum gladium ob inopiam, sed vnum ad vnum: sic enim optimè*.

TEXTVS LXXXIV.



Mplius oportebat, & in seminibus fieri, vt accidit. Omninò autem destruit sic dicens, ea quæ natura sunt, & naturam. Natura enim sunt, quæcunque ab aliquo in seipsis principio continuè mota perueniunt ad aliquem finem: Ab vnoquoque autem non idem quibusque, neque quiuis, semper tamen ad eundem, nisi aliquid impedierit.

Duplici adhuc ratione eandem Empedoclis imaginationem perstringit, ostenditque ipsum, dum negat naturam agere propter finem, funditus euertere naturalia, & naturam ipsam.

I Prior ratio est, *amplius oportebat, & in seminibus fieri vt accidit*. Idem iudicium ferendum est de seminibus, quod de animalibus, ac plantis fertur; nam eadem est reciprocatio a semine ad animal, & ab animali ad semen: ac similiter inter semen plantæ, & ipsam plantam. Atqui iuxta opinionem Empedoclis, ex vna illa massa οὐλοφυῆ, quæ erat semen, prodierunt tot, & tam varia animalia, & plantæ, idque ὡς ἔτυχεν, *vt accidit*, a casu: quare etiam ab eodem animali poterit prodire quoduis semen, & a qualibet planta quodlibet semen. Hoc autem nisi amens, nemo concesserit, ergo neque illam Empedoclis imaginationem.

Posterior ratio, *omninò autem destruit, sic dicens, ea quæ natura sunt, & naturam*. Ita struitur. Illa dicuntur naturalia, quæ a principio in- II.
terno (quæ est ipsa natura) continenter mota perueniunt ad aliquem finem. Hanc enunciationem sensus docet: ἀφ' ἧς κινούμενα ἐν τῷ αὐτῷ ἀφικνεῖται, οὐδὲ τὸ τυχόν. *Sed non idem a quolibet tali principio interno, fit singulis, neque quodlibet*. Videmus ignem V. G. ab huiusmodi principio, id est a sua natura incessanter moueri ad talem finem, ad producendam ignem. Cernimus canem moueri a sua itidem natura ad procreandum canem: ita in reliquis omnibus. ἀεὶ μέντοιγε ἐπὶ τὸ αὐτὸ, ἂν μή τι ἐμποδίσῃ. quæ sic verte. *Et profectò semper ad eundem* (idest finem) *nisi quid impediat*.

Ad hæc, conspicimus hæc eadē agentia naturalia semper tendere ad eundem finem, & semper producere eundem terminum, nisi impediantur. Qui igitur dicit res naturales a casu emersisse, atque ex vna illa massa οὐλοφυῆ, animalia, plantasque prodijsse, vt facit Empedocles, is porrò naturalia, & Naturam ipsam tollit de medio.

TEXTVS LXXXV.



D autem cuius gratia, & quod huius gratia fiunt vtique a fortuna; sicuti dicimus quod a fortuna venit hospes, lotusque abiuit, cum tanquam gratia huius veniens egerit, non autē gratia huius venerit, & hoc secundum accidens. Fortuna enim est earum, quæ sunt secundum accidens causarum, quemadmodum, & prius diximus, sed cum hoc semper, aut frequenter fiat, non secundum accidens, neque a fortuna est, in physicis autem semper sic, nisi quid impedierit.

Induxit in tex. 82. primam difficultatem, qua Veteres illi oppressi inficiati sunt, Naturam agere gratia alicuius finis; eamque ita pessundedit, vt I.
ex illa ipsa validam eruerit suæ opinionis confirmationem, quemadmodum hactenus vidimus. Nunc

pro-

proponit alias duas difficultates, siue ipsæ quoque fuerint eorundem Veterum Philosophorum, siue ab ipsomet Aristotele excogitatę; vt ijs quoque labefactatis, syncera & inconcussa illuceat veritas.

In hoc tex. quatuor præstat. Indicat Veterum difficultatem: Eandem declarat exemplo: Soluit: Et solutionem confirmat. Ratio difficultatis ita formatur. Si qua esset ratio, quod Natura agit propter finem, maximè quia res naturales fiunt propter aliquem finem: Sed hæc ratio nulla est. Quod sic ostenditur. Res fortuitæ fiunt propter finem; & tamen ex eo non possumus colligere fortunam agere propter finem. Consimili igitur ratione ex eo quod res naturales fiũt propter aliquid, non rectè colligimus, Naturam agere propter finem.

II. Quod autem res fortuitæ fiant propter aliquem finem, declarat exemplo, *Sicut dicimus, quod a fortuna venit hospes, lotusque abijt, cum tanquam gratia huius veniens egerit: non autem gratia huius venerit.* Tres inuenio lectiones in græco. Vna, eaque communis est, καὶ λουσάμενος ἀπῆλθε, quę translata est, *lotusque abijt*: in antiqua tranlatione leges, *& balneatus abscessit*. Altera, quam indicat Philoponus, & adnotat codex Parisiensis in margine, est, καὶ λυσάμενος ἀπῆλθε, quæ sonat, *& cum soluerit abijt*. Tertia, quam lego, in antiquissimo meo codice est, καὶ λυτρωσάμενος ἀπῆλθεν, *& cum liberauerit*; siue, *cum redemerit, abijt.* Hanc vltimam existimo germanam: secunda etiam potest ad eundem sensum trahi: Primam autem omninò censeo falsam. Nullus hic lotionis locus. Sensus itaque est: Hospes quidam venit siue in Græciam, siue in Olympia V. G. spectaturus, ibi forte fortuna inuenit amicum captiuum, eum lubens redemit, & abijt. Non venit eo fine vt redimeret: sed si sciuisset, amicum ibi detineri captiuũ, veniret vtiq; redimere ac liberare illum. Dicimus igitur, quod *tanquam gratia huius veniens egerit. Redemptio est a fortuna, & est tanquam propter finem.*

Deinde soluit, *& hoc secundum accidens: fortuna enim, &c.* Hoc inquit, quod præfatus hospes ibi inuenerit amicum, & redemerit, est per accidens. Fortuna etenim in earum causarum numero est, quæ sunt secundum accidens, quemadmodum retrò haud semel dictum est. Quare alia est ratio de rebus fortuitis actis propter finem, & de rebus naturalibus: quandoquidem res naturales sunt propter finem per se, non secundum accidens.

Hoc probat in vltima parte tex: quia illud
III. quod fit semper, aut frequenter non est per accidens. Quæ fiunt e fortuna neque semper, neque frequenter fiunt. Res autem naturales, *semper fiunt sic*. videl. semper, aut frequenter, *nisi quid impediat*: quare res naturales non fiunt, neque sunt propter finem per accidens, sed per se.

TEXTVS LXXXVI.



Nconueniens autem est, non opinari propter aliquid fieri, nisi videant ipsum mouens deliberasse. Attamen etiam ars non deliberat: nam si esset in ligno nauis facienda ars, haud secus atque natura faceret. quare, si in arte inest ipsum propter aliquid, & in natura inest: maximè autem manifestum est, cum quis medetur ipse sibi ipsi. Huic enim similis est natura. Quod igitur causa sit natura, atque ita vt propter aliquid, manifestum est.

Apponit alteram difficultaté: Et in tex. tria potissimum facit. I.
Diluit indicatam difficultatem: declarat solutionem duplici exemplo: & colligit dictorum epilogum.

Dubitatio est. Ille dicitur agere propter finem, qui non modo proponit sibi finem; verùm etiam deliberat de medijs, quibus illum ipsum finem valeat consequi. Agentia naturalia, atque adeò Natura ipsa non deliberant. Enimuerò deliberatio supponit consultationem, ac proinde intellectum. Hinc Philosophus lib. 2. Moral. Eudemior. cap 10. *deliberatiuam*, inquit, *facultatem voco, cuius principium est consultatio, qua & concupisci aliquid vtile decreuerit; Quapropter nec reliquis animalibus, nec omni ætati, aut homini electio inest.* Cum itaque agentia naturalia, & Natura non deliberent, profectò non dicentur agere propter finem.

Soluit per exempla petita ab artibus. Solutio
verò in hoc sita est, quod deliberare de medijs ad II.
finem, non est quippiam per se requisitum ad id, quod est agere propter finem; sed interuenit ex accidente, & oritur ex imperfectione agentis propter finem, quia nimirum illi non constat, quisnam finis constituendus sit, & quibus medijs consequendus. Cum verò finis est determinatus, & media sunt essentialiter ad illum ordinata, nulla consultatione, ac deliberatione est opus. Hoc in artibus apertè licet animaduertere, quæ quidem omnes agunt propter determinatum finem: nec tamen de medijs consulunt: Et si quando ibi interuenit aliqua consultatio, id fit propter imperitiam artificis, & per accidens. quemadmodum in arte V. G. medendi circa abstrusos quosdam morbos factitari consueuit, vbi consultare, & coniectare necesse est. In artibus autem certis nulla de medijs interuenit consultatio. Neque enim scriptor consultat, quomodo litterę formandæ sint, vt nomen V. G. suum exaret. Et citharœdus, si in tangendo quamlibet chordam deliberaret, non ne esset

ineptissi-

inepitissimus esset exsibilandus? *Neque enim de artibus, & fei nijs, quæ certæ sunt, & seipsa contentæ, vllum consilium capitur*, ait Stagirites tertio Ethic. cap. 3. Hinc etiam dicitur, quod artifex non deliberat in quantum habet artem, sed in quantum ab eius certitudine deficit.

Hoc exprimit Auctor in tex. cum ait, *Attamen etiam ars non deliberat*. Sic itaque operatur Natura. Semen E. G. hominis habet determinatum finem, hominem generandum; Habet quoque media essentialiter disposita, atque ordinata ad illum finem, vt videl. primùm alteretur semen; deinde fiat anima vegetatiua, postea sensitiua, demum accedat humana, quemadmodum explicatur in secundo de gener. animal. cap. 3. Quò fit, vt minimè fit necessarium, quod semen cognoscat aut deliberet, si agit propter finem.

Subdit, *nam si esset in ligno nauis facienda ars, haud secus atque Natura faceret*. In hoc ars discriminatur a Natura, quod hæc est principium operans intrinsecum, illa verò est principium operans extrinsecum. Quocirca si ars naufactiua esset in ligno principium illi intrinsecum, ita faceret nauim absque cognitione & absque deliberatione, quemadmodum Natura facit opera sua. Si igitur ars illa tunc diceretur agere propter finem, profectò etiam Natura nunc agit propter finem. Et vt auctor concludit, *quare si in artibus inest ipsum propter aliquid, & in Natura inest*.

IV. Annectit aliud accommodatius exemplum de medico seipsum sanante. Hic enim est principium internum sibi, & dum artem callet, absq; vlla consultatione præscribit sibi opportuna pharmaca pro sanitate recuperanda. *Maximè autem*, inquit, Arist. *manifestum est, cum quis medetur ipse sibi ipsi huic enim simile est Natura*. Tandem concludit, exhis esse conspicuum, quod Natura agat propter finem, & *sit causa vt propter aliquid*. Quæ omnia, vt conspicatiora reddantur, Sit.



CAPVT IX.

Vndenam necessitas in rebus naturalibus hauriatur.

TEXTVS LXXXVII.



QVOD autem ex necessitate est, vtrum ex suppositione sit, an & simpliciter. Nunc enim opinantur, quod ex necessitate est, esse in generatione; quemadmodum si aliquis murum ex necessitate existimaret esse factum, quoniam grauia quidem deorsum ferri apta nata sunt, leuia autem supernè: quapropter lapides quidē deorsum ac fundamenta, terra autem sursum propter leuitatem, supra autem maximè ligna, leuissima enim sunt.

Excitabat in tex. 75 duplex theorema discutiendum. Nam Natura agat gratia alicuius finis: Et de ipso necessario, quomodo se habet in Physicis? Exegit primum: pergit nunc ad secundum: & in præsenti tex. proponit quæstionem: & vt eius est mos, primò affert Veterum Philosophorum de ea re opinionem.

Quæstio est, Vtrum, quod in rebus naturalibus est necessarium, sit tale ἐξ ὑποθέσεως, ἢ καὶ ἁπλῶς ex *suppositione*, *an verò & simpliciter*? In qua propositione vnum supponit: Alterum quærit. I. Supponit tam ex Veterum, quàm ex sua opinione in Natura adesse necessarium. Quærit autem, vndenam illhuc oriatur: est ne ex hypothesi, an verò etiam absolu è, siue simpliciter?

Pro eius intelligentia scito, quod necessitas simpliciter, siue absoluta illa est, quæ oritur a causis prioribus in esse, quæ sunt materia, forma, & causa etiam efficiens necessaria. A materia quidem, vt absolutè necessarium est, animal dissolui ac corrumpi, quia est compositum ex contrarijs, tanquam ex materia. A forma verò, vt absolutè necesse est, hominem esse rationalem, quia constat ex anima participe rationis. Ex causa efficiente in agendo necessaria, veluti necesse est, combustibile igni non impedito appositum calefieri. Et necessè est interuenire diei ac noctis alternationem, quia Sol fertur circa terram necessariò. Consulto autem dixi, & causam efficientem *necessariam*, vt excludam causas liberas, & contingentes, ad quas non

non sequitur simpliciter, & absolutè effectus.

Quod autem habet necessitatem ab eo, quod est vt posterius in esse, licet in animo præcedat, dicitur necessarium ἐξ ὑποθέσεως, *ex suppositione*, vt si dicam, necesse est, serram habere dentes duros, & constare ex ferro, si debeat secare. Hæc necessitas vt cernis, oritur a fine, quo præconcepto, atque constituto tali, necesse est, serram ex tali materia, & tali forma, siue figura confici: alioquin finis ille nunquam ponetur in esse. Et quia formæ, vt docuit Philosophus in tex. 70. venit in idem cum fine, idcircò talis necessitas accipitur etiam a formæ, quatenus illa est terminus, & finis generationis; vt si dicam, si debet generari equus, siue forma equi, necesse est, semen ac materiam esse talis naturæ.

III. Nunc introspicis punctum controuersiæ. Veteres auferebant necessitatem, quæ est in rebus naturalibus, oriri ex sola materia (negabant enim, vt iam nosti, per se finem) ideoque aiebant, in ijs esse *necessitatem simpliciter*. Aristot. autem ostendit, eos insufficienter loqui: quia necessitas rerum naturalium, quæ desumitur ex materia, ortus, ac pendet ex alia priori ac potiori necessitate, quæ est e fine: postea verò vt talis finis obtineatur, est necessaria hæc, aut illa materia, & ea quidem huius, aut illius dispositionis.

IV. Postquam proposuit theorema discutiendum, subijcit in 2. parte tex. Veterum opinionem: *Nunc opinantur, quod ex necessitate est, esse in generatione, &c.* Veteres illita in generatione rerum naturalium philosophabantur, ac si quispiam diceret, domum sic esse necessariò factam, quia lapides grauissimi necessariò deorsum tendentes constituarent fundamenta: Postea *terra*, id est lateres ex terra formati, ceu lapidibus leuiores, construxerunt parietes. Ligna domum, quæ cōparatione præcedentium censentur leuissima, obsoluunt tectum. Pari ratione de partibus animalium ratiocinabantur, quod V. G. homo habeat pedes inferius, & manus superius, quia in illis decubuit materie, & humor grauior, in his autem effusus est leuior. deinde cum ait.

TEXTUS LXXXVIII.



Ttamen non sine his quidem factus est, non tamen propter hæc, nisi vt propter materiam, sed causas abscondendi quædā, & saluandi. Similiter verò & in alijs omnibus, in quibuscunque ipsam propter aliquid est, non sunt quidem sine ijs, quæ necessariam habent naturam, non tamen sunt propter hæc, nisi vt materia sunt, sed propter aliquid: vt propter quid serra est talis? vt hoc, & huius gratia sit, hoc tamen cuius gratia, potest fieri si non ferrea sit: necesse est igitur ferream esse, si serra erit, & opus ipsius. Ex suppositione igitur necessarium est, sed non vt finis, nam in materia necessarium est, id autem cuius gratia sit, in ratione.

Aggreditur relatam Veterum opinionem confutare. Et in hoc tex. Primò elicio duas distinctiones: I. Deinde colligo conclusionem, & eius probationem. Prima distinctio est: Aliud est, aliquid non posse fieri sine hoc; aliud verò fieri propter hoc. Secunda distinctio, quando dicimus, hoc fit propter hoc, particula, propter, potest importere duo, videl. causam materialem, & causam finalem.

Primam distinctionem ponit in principio tex. cum ait, *Sed tamen non sine his quidem* γέγονε, *facta est domus: non tamen propter hæc*. Hæc potest dici causa, & conditio sine qua non. Secundam edijcit, *nisi vt propter materiam, &c.* Conspicis vtranque in exemplo domus, quæ porrò non est *sine his*. Neque enim absque lapidibus, cementis, & omninò absque materia fiet vnquam domus: *οὐμέντοιγε διάγε ταῦτα, at non* est domus *propter hæc*, Quippe cū isthæc possint in rerum natura esse, nec tamen esse domus, Vel *non est propter hæc*, quia videl. hæc sunt talis naturæ, & conditionis, vt aliqua sint grauia, alia leuia: sed domus fit vt cooperiet hominum res, eosque seruet a temporum iniurijs. Nisi velis dicere, quod domus constructa est propter lapides, & ligna, sed tunc est locutio tanquam propter materiam, & impropriè.

Deinde colligo talem conclusionem. In omnibus, in quibus est aliquis finis, necessitas accipi- II. tur ex fine, quæ est necessitas ex suppositione. Ac proinde, cùm in Natura sit ipsum propter quid, quemadmodum superius est patefactum, necessitas in generatione rerum naturalium, & in rebus ipsis est ex suppositione; ex qua necessitate oritur postea necessitas talis, aut talis materie pro illo fine obtinendo:

Rem

Rem totam Eximius præceptor exemplo sistit ob oculos; vt si dicas, *propter quid serra est talis?* respondebo, *vt hoc, & huius gratia sit: vt sit hoc*, videlicet opus, sectio; & huius sectionis gratia serra fit. Instrumenta enim omnia fiunt propter suas actiones. *Hoc tamen cuius gratia, non potest fieri, si non ferrea sit*. Finis serræ, idest sectio, obtineri nequit, nisi ea conficiatur ex ferro, vt habeat dentes duros, aptosq; ad secandum: propterea vt sit serra, & sit eius finis, sectio, necesse est ferream esse: ex *suppositione igitur necessitas est*.

10. Subdit, *sed non vt finis, nam in materia necessarium est, id autem cuius gratia in ratione*. Quæ verba quisnam interpretum introspexit, non video. Ac primò quidem aspectu videntur e regione repugnare ijs, quæ Aristot. immediatè superius dixit. Dixit enim, necessarium hauriri ex fine, *& ex suppositione*: ex materia verò non, nisi vt ex causa sine qua non. Ast hic negat dicēs, *non vt finis*: & necessitatem adscribit materiæ, *nam in materia necessarium est*. Itane perfractè contradicit sibi?

Nulla est repugnantia: Sed his verbis Aristot. occurrit obiectioni. Posset quispiam dicere. Id quod non est necessarium, nequit alijs elargiri necessitatem: Finis, quà finis, non est necessarius. Non enim necesse est generari hominem, aut equū, aut fieri serram, vel terebram: quia etiam sine istis rebus possunt res Vniuersi consistere. non igitur ex fine poterit hauriri necessitas materiæ.

11. Occurrit Aristotel. quod finis, vt finis, vtique non est necessarius, sed quatenus est in ratione: videl. vt præconceptus, & constitutus, fit necessarius, quandoquidem vnumquodque, dum est, necesse est esse. Hoc pacto ex eo constituto, postea est *in ipsa materia necessarium*. Quapropter si est talis finis, necesse est, esse talem materiam: non tamen e contra, si est talis materia, ergo debet etiam esse talis finis. Et hoc est, quod in scholis dicitur, quod *necessitas est a materia, ratio verò necessitatis a fine*.



TEXTVS LXXXIX.



St autem necessarium & in disciplinis, & in ijs, quæ secundum naturam fiunt, quodammodo similiter. Cū enim rectum hoc sit, necesse est triangulum duobus rectis æquales habere, sed non, si hoc est, illud est, sed si hoc non est, neque illud rectum est; in ijs autem, quæ propter aliquid fiunt, e contrario si finis erit, aut est; si vero non, sicut ibi, si non sit conclusio, principium non erit, sic & hic finis, & id gratia cuius. Principium enim, & hoc est non actionis, sed cogitationis, ibi autem cogitationis, actiones enim non sunt.

Declarat in hoc contex. necessitatem, quæ in rebus naturalibus reperitur, similitudine necessitatis, quæ est *ἐν τοῖς μαθήμασιν*, in disciplinis Mathematicis (quæ necessitas locum obtinet in omnibus scientijs speculatiuis) quoniam in his, & in ijs, quę secundum Naturam fiunt, *necessarium est quodammodo similiter*. Ait autem *quodammodo*, vt innuat, intercedere quidem inter ista aliquam similitudinem: nihilominus intercedere etiam aliquam differentiam, ac dissimilitudinem. I.

Aperit autem primò dissimilitudinem, dum subnectit, *cum enim rectum hoc sit, necesse est, &c.* In scientijs speculatiuis facimus syllogismos, in quibus sunt præmissæ, siue principium: & est etiam conclusio. Illæ habent rationem materiæ, quemadmodum docuit etiam in tex. 31. conclusio verò subit rationem formæ, ac finis. Modo positis præmissis, siue principio, necessario sequitur conclusio, quæ, vt dixi, sortitur conditionem finis. Posita verò conclusione, haud est necesse, poni dictas præmissas, cum fieri possit, vt hæc conclusio ex alio principio, & alijs præmissis valeat deduci. Vel aliquando existentibus præmissis falsis, possit conclusio esse vera. Vnde euidenter apparet, quod posita hac conclusione, non est necesse poni hoc principium.

Priorem partem explicat Auctor illis verbis, *quoniam rectum hoc est, necesse est, triangulum duobus rectis æquales habere*. Si inquit, ratio ac definitio anguli recti est hæc, necesse est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. De quo quidem exemplo permulta agitant interpretes. Adi, si lubet, Simplic. & Vicomer. Posteriorem verò partem ponit, *sed non, si hoc est, illud est*. Haud est necesse, si conclusio est, esse etiā præmissas illas, & illud tale principium. Itaque affirmatiuè valet a præmissis ad conclusionem: a conclusione autem II.

ad

ad præmissas affirmatiuè non valet: valet autem negatiuè. Ita, si conclusio non est, ergo neque præmissæ sunt. Hoc etiam expressit Aristot. cum ait, *sed si hoc*, nimirum conclusio, *non est*, *neque illud rectum est*. Ex his igitur vides, quomodo in speculatiuis à materia infertur necessitas finis.

III. *In ijs autem, quæ propter aliquid fiunt*, siue secundum artem, siue secundum Naturam, e contrario se sa habet res quantum ad hanc partem. Nam si finis futurus est, vel si est, necesse est fore, aut esse & materiam, quæ est ad eum finem. Hinc vides dissimilitudinem.

Cæterum si finis non est, tunc asserendum erit, *sicut ibi*, sicut in syllogismis, quod *si non est cõclusio, principium non erit, sic & hic finis, & gratia cuius*. Vnde vides etiam similitudinem. Meritò igitur ait, necessarium in speculatiuis, atque in ijs, quæ natura fiunt, *esse quodammodo similiter*.

IV. Duplex itaque intercedit similitudo, & vna dissimilitudo inter scientias speculatiuas, & res naturales. Vna similitudo est, quod sicut in scientijs speculatiuis posito principio, necessariò ponitur conclusio; sic in agendis propter finem, posito fine, necessariò ponuntur, quæ sunt ante ipsum finem, quia etiam *finis est principium*. Altera est, quod sicut ibi ablata conclusione, aufertur principium, ita hic sublato fine haud requiruntur aliqua ad eũ finem, nisi illa ipsa requirantur propter alium vsum. V. G. si non intendas extruere domum, non requiruntur lapides, ac cæmenta: nihilominus possunt ad alium vsum hæc eadem, nimirum lapides, & cæmẽta esse vtilie. Dissimilitudo autem est, quod ibi à materia, id est à præmissis, ac principio necessario colligitur conclusio. Hic autem non valet à materia ad finem, sed e contra.

V. Cum dixisset, à fine esse necessarium progressum ad ea, quæ sunt ante ipsum, quia *finis est principium*. Posset aliquis dicere. Principium eorum, quæ propter finem aguntur, est ipsum efficiens, quippe efficiens est id, vnde primum est motus, & actio ex tex. 29. non igitur finis est principium: alioquin eiusdem effectus essent duo principia.

Occurrit. Finis est principium, *non quidem actionis, sed ratiocinationis. ibi autem ratiocinationis: actiones enim non sunt*. Finis, inquit, in ijs quæ propter finem aguntur, est principium non immediatè, & eo modo, quo est efficiens actionis: sed immediatè quidem est principium ratiocinationis, quia ex ipso excitatur efficiens, vt de ijs quæ sunt ad finem, ratiocinetur. Quocirca immediatè est principium ratiocinationis: mediatè autem dici etiam potest principium actionis. V. G. concipit aliquis finem, id est, vsum, & vtilitatem domus, & concipit, domum esse tale cooperimentum, quod protegit homines a temporis iniurijs: inde sic ratiocinatur: opus est cooperimento, ergo faciendum est tectum: ergo exstruendi sunt parietes; ergo iacienda sunt fundamenta; ergo fodiendũ est. Et ex hoc vltimo incipit actio efficientis. Vnde liquidò conspicis, quomodo finis immediatè quidem est principium ratiocinationis in efficiente: efficiens autem ipsum est immediatè principium actionis. *Ibi autem*, id est in scientijs speculatiuis, finis est solum principium ratiocinationis: nam ibi non interueniunt πράξεις actiones, Actiones, inquam, quæ respiciunt opus, siue actiones practicæ. Notum enim est, quod finis speculatiuæ scientiæ est veritas: practicæ autem est opus, vt dicitur in secundo Metaph. tex. 3.

TEXTVS XC.



Vare si erit domus, hac necesse est fieri, aut existere, aut esse, aut omninò materiam, quæ propter aliquid est, vt lateres, & lapides, si domus: non tamen propter hac finis, nisi vt materiam, neque erit propter hac, omninò tamen, si non sint neque domus: neque serra erit: illa quidem, si non sint lapides: hac verò, si non sit ferrum, neque enim ibi principia, si non triangulum duobus rectis.

Doctrinam in tex. antegressu traditam applicat, (vt denotat particula illatiua *Quare*) exemplo de domo; proindeque accommodat necessitati, de qua sermonem habet. Ac primò quidem ait, quod si vera sunt, quæ nunc de fine, & ijs quæ ante ipsum sunt, constituimus, profectò dicendum erit, quod si *domus futura est*, *necesse est*, *hac* quæ ad eam conficiendam ordinantur, *fieri*, *aut existere*, *aut esse*, *aut omninò materiam*, *quæ propter aliquid est*. Vtitur tribus verbis, *fieri*, *aut existere*, *aut esse*. Dicit existere, sicut V G. lapides, & ligna præexistunt ante domus constitutionem: dicit *fieri*, veluti lateres, qui de nouo formantur ex terra; Vel cum lapides, ac ligna expoliuntur, Dicit esse, vt nimirum sit materia apta. Quę ipsemet vlterius explicat subiungens, *vt lateres, & lapides, si domus*. Quod autem singillatim de hoc exemplo posuit, postea extulit vniuersè de omni materia quæ est propter aliquem finem, dum ait, *& omninò materia*, *quæ propter aliquid est*. I.

Porrò materia ita est necessaria, vt illa penitus non existente, neque finis existat vnquam. *Omninò tamen*, inquit Auctor, *si non sint*, videl. media, & materia, *neque domus*, *neque serra erit: Illa quidem*, *si non sint lapides: hac verò, si non sit ferrum*. Non tamen e contra, finis dependet a materia, ita vt si materia sit, finis quoque de- II.

 beat

beat esse: *non enim finis est propter hæc*, videl. propter media, & materiam. Quid vetat, extare lapides, cæmenta, ligna, nec esse domum?

Deinde cum ait, *Neque enim ibi principia, si*
III. *non triangulum duobus rectis*. Addit aliud exemplum ea doctrina in tex. præced. de scientijs demonstratiuis tradita. Dictum est, quod in scientijs speculatiuis conclusio est vt forma, ac finis: præmissæ autem, & principium sunt veluti materia. Dictum præterea est, quod sublata conclusione, non requiruntur principia: sic ergo hic sublato fine, qui comparatur conclusioni, non requiruntur alia propter finem]. Vel alio pacto. Dictum est, quod finis in agendis *est principium*. vt ergo conclusio se habet ad præmissas, & sua principia; ita media, & materia se habet ad finem. Quare sicut ibi non existente conclusione, non sunt principia; ita hic non existente materia, non erit finis.

TEXTVS XCI.



Anifestum igitur est, quod necessarium est in Physicis, quod vt materia dicitur, & motiones eius. Et vtræque quidem Physico dicendæ sunt causæ, magis autem ea, cuius gratia. Causa enim hæc materia est, sed non hæc ipsius finis. Et finis is, cuius gratia, & qui principium est, a definitione, & ratione petitur, sicut in ijs, quæ secundum artem: quoniam, si domus est tale, hæc oportet fieri, & esse ex necessitate. & quoniam sanitas hoc est, hæc oportet fieri, ex necessitate, & esse. sic & si homo est hoc, hæc: si verò hæc, hæc.

Duo colligit in hoc tex. & ea quidem ab hucusque
I. qua enucleatis. Et vlterius declarat aliquid de fine. Colligit primò: Iam esse perspicuum, quod in rebus naturalibus est necessarium, *quod vt materia dicitur, & motiones eius*. Suppetit, inquit, in rebus necessarium ea parte materiæ, sine qua profectò opus nequaquam valet confici, quam necessitatem, & solam cognouerunt etiam Veteres; Neque nos eam inficiamur: sed vlterius asseueramus, hanc necessitatem esse propter aliud. Consultò autem addit, *& motiones eius*, quia non solum est necessaria materia ipsa, si finis haberi debet, verum etiam sunt necessariæ tales, aut tales eius ipsius materiæ dispositiones, per quas illa efficiatur apta huic aut illi proposito fini: istæ autem dispositiones materiæ fiunt per motus, & actiones, ideo etiam sunt necessariæ *motiones eius*, materiæ.

II. Colligit 2. quod Philosophus Naturalis debet dicere, & assignare, *vtrasque causas*; & causam materialem, ac proinde necessitatem ex ea profectam, & causam finalem, & necessitatem, quæ dimanat ex ea. Quin verò magis tenetur considerare, atque assignare finem, & necessitatem, quæ ex eo hauritur.

Reddit vltimò huius dicti rationem, *causa enim hæc materia est, sed non hæc ipsius finis*. Sic extende. Illud est Philosopho naturali magis considerandum, & assignandum, quod est causa, ob quam alia sunt; Atqui finis est causa, vt materia sit, non autem e contra, quare finis est Philosopho Naturali magis expendendus: ac proindè magis etiam eidem Philosopho erit expendenda necessitas, quæ pendet ex fine. Minor ex eo conspicua est, quia illud est causa alicuius, quo posito, ex necessitate illud sequitur. At posito fine, sequitur ex necessitate materia: posita autem materia, non ex necessitate sequitur finis, vt videre licet in intentione domus, & eius materia: quare finis est causa, vt materia sit, non autem e contra. Cum itaque Physicus de causis sermonem faciat, profectò de fine, & de eius necessitate magis, quàm de materia, & necessitate ex ea pendente tenetur edisserere. Hinc Aristot. tacitè ac modestè insinuat, quod cum Veteres illi Philosophi necessitatem ex fine ortam, quã longè arctiori ratione tenebantur cõsiderare, & assignare, neglexerint, seu ignorauerint, optimo iure carpendi sunt.

Deinde subdit, κάι τὸ τέλος τὸ οὗ ἕνεκα, κάι ἡ ἀρχὴ ἀπὸ τοῦ ὁρισμοῦ, κάι τοῦ λόγου. Quæ verba, III.
vtpote ea ipsa concisa, vario modo, & parum syncerè translata sunt. Communis versio habet, *& finis is cuius gratia, & qui principium est, a definitione, & ratione petitur*. Antiqua translatio legit; *Et finis qui, cuius causa, & principium, a definitione, & ratione est*. Argyropoi. vertit, *Atque finis ipse gratia cuius, quique principium est, a definitione, & ratione sumitur*.

Apud Simplicium sic: *& finis est id, cuius gratia, & qui principium est, a definitione, & ratione petitur*. Vicomer. habet. *Atque id, cuius gratia, & principium a definitione, & ratione, est finis*. Codex Parisiens: *At finis id, cuius gratia, & principium a definitione, & ratione sumitur*. Quid in tanta colluuie facies? Equidem clarius, vt opinor, sic verto. *Et finis*, (sive, & ille finis,) *qui est id, cuius gratia, & ipsum principium) accipitur a definitione, & ratione, siue a forma*. Sed age iam horum sensum inuestigemus. explico autem dupliciter.

Primò, Dixit, materiam non esse causam, vt finis sit, At quia finis vel consideratur qua est in in- IV.
tentione, & antecedit opus: vel qua est in executione, & est post ipsum opus, seu potius cum ipso opere coniunctus. Explicat itaq; Arist. per hæc verba, cuiusnam finis materia non est causa. Nam materia est concausa operis positi in esse, ac

proinde

proinde potest censeri aliquo pacto causa finis coniuncti cum opere in executione; At nullo pacto potest esse causa finis, prout hic est in intentione. Hos igitur duos fines distinguit Aristot. in dictis verbis, & ait, καὶ τὸ τέλος, τὸ οὗ ἕνεκα, *& ille finis, qui est cuius gratia*: nimirum qui est in intentione (quasi alter finis, qui in executione re ipsa est cum opere non sit amplius id, cuius gratia aliquid fiat) ille, inquam, finis, qui etiam est principium, capitur a definitione, & a ratione: ac proinde materia nequit statui illius finis causa, cum materia sit posterior illo fine. Et hoc statim declarat in rebus artefactis, *sicut in ijs, quæ secundum artem, quoniam si domus est tale, hæc oportet fieri, & esse ex necessitate*. V.G. accipio definitionem domus, quod sit coopertimentum ad conseruandas hominum res, & ad defendendum eos a temporum iniurijs. Ex hac definitione finis, siue ex ipso fine tanquam ex principio progredior, ergo oportet facere hoc, & hoc. Ita concipio definitionem sanitatis, & ex ea excitor ad media, vt explicatur etiam in tex. sequ.

II. Secundò sic explico dicta verba; & non coarcto omnia ad solum finem eorum quæ aguntur, sed illa verba, *& finis, qui est id cuius gratia*, refero ad finem in intentione, de quo nunc dixi: illa autem καὶ ἡ ἀρχή, *& ipsum principium*, refero ad principia scientiarum speculatiuarum, siue ad ipsasmet scientias: & sensus erit, Quod finis in intentione agendorum accipitur a definitione, & format pari pacto in scientijs principium demonstrandi accipitur a definitione, & ratione. Definitio enim est semen demonstrationis. Ita ædificator in ædificando, & medicus in sanando exordiuntur a definitione domus, & sanitatis. *Ita si domus est tale, hæc oportet fieri, & esse ex necessitate. Et quoniam sanitas hoc est, hæc oportet fieri ex necessitate, & esse, &c.* vt ipsemet Auctor ait.

TEXTVS XCII.



Ortassis autem & in ratione est necessarium, determinati enim opus secandi, quod diuisio huiusmodi est. Hæc autem non erit, nisi habeat dentes tales, hi verò non, nisi ferrea sit, sunt enim & in ratione quædam partes, vt materia rationis.

I. Dixit definitionem, & rationem esse principium necessarij processus, & in scientijs speculatiuis, & in ijs, quæ secundum finem aguntur: hoc vlterius & profundè ostendit ex intima definitionum conditione.

Scire autem oportet, apud Aristotelem triplicis conditionis esse definitiones: Vnam multi cum Simplicio in com. huius tex. appellant materialem; Alteram formalem: Tertiam ex vtraque compositam, seu mixtam. Quas omnes declarant in ira. Definitio materialis est, quod ira est feruor sanguinis circa cor: Definitio formalis est. Ira est appetitio vlciscendi, siue est appetitus recontristandi. Mixta denique est, vt quando diximus, ira est feruor sanguis circa cor propter appetitum vltionis, seu recontristandi.

Communiter tamen in scholis diuiditur definitio, quod vna est formalis, quæ dicit solum quod res sit: Altera appellatur definitio causalis, quia reddit causam, cur illa res sit. *Differt enim dicere, cur tonat, & quid est tonitrus: est enim alia ad quæstionem, quid est tonitruum, respondendi forma. Nam ad illam respondetur, quia extinguitur ignis in nubibus: ad hanc autem, qua quid sit tonitrus quæritur, hoc modo respondetur, est strepitus extincti ignis in nube*, inquit Eximius præceptor in secundo Poster. cap. 10. Itaque definitio formalis tonitrui est, quod tonitruum est strepitus extincti ignis in nubibus. Definitio autem causalis est, Tonitruum est extinctio ignis in ijsdem nubibus. Mixta verò hæc est. Tonitruum est strepitus extincti ignis in nubibus propter extinctionem ignis (factã in ijsdem nubibus. Atque hæc composita, integraque definitio dicitur ab Aristotele in eodem cap. *Demonstratio sola positione*, (id est terminorum, seu propositionum) *differens*. continet enim & principium, & conclusionem demonstrationis. Principium demonstrationis est definitio causalis: conclusio verò eiusdem demonstrationis est definitio formalis: Quæ omnia vides in hac demonstratione, Extinctio ignis in nubibus est strepitus extincti ignis in nubibus; sed tonitruum est extinctio ignis in nubibus, ergo tonitruum est strepitus extincti ignis in nubibus. II.

Hæc eadem doctrina obseruatur in artefactis, in quibus finis habet rationem causæ, & principij, vt ex Aristot. dictum est: ab eo namque excitatur agens ad operandum. Itaque definitio formalis V.G. domus est, quod sit coopertimentum constructum ex lapidibus, lignis, & cæmentis. Definitio autem causalis desumpta ex fine est, domus est coopertimentum protegens nos a frigore, æstu, & alijs temporum iniurijs. Enimuerò ideò domus debet ex lapidibus, lignis, & cæmentis constare, quia nos a temporum iniurijs tueri atque defendere debet: Vnde colligitur hoc pacto. Omne coopertimentũ propter homines defendẽdos a frigore, æstu, & alijs cœli iniurijs, debet cõstare ex lapidib. lignis, & cæmentis: Domus est huiusmodi, ergo, &c. In quibus vides, definitionem causalem desumptam ex fine esse principium demonstrationis; formalem autem desumptam ex materia, esse conclusionem: & integram definitionem ex vtraque illa confectam, esse demonstrationem sola positione diuersam. III.

Nunc ad propositum tex. Si definias τὸ ἔργον τοῦ πρίειν, *opus secandi*, vel, (vt cum antiqua translatione rudius, ac planius dicam) *opus serrandi*, di- IV.

ces, quod est *diuisio huiusmodi*. Hæc porrò definitio sumitur a fine: Est igitur definitio causalis ac proinde principium progrediendi, & colligendi alia. Quare ab ista progrediendo colliges, si opus serrandi est talis diuisio, ergo serra debet esse instrumentum diuisiuum tali pacto lignorum, aut lapidum, quibusdam dentibus præparatum: alioquin non diuidet: ergo debet esse ex ferro. Ita progreditur Medicus, qui accipit sanitatem esse commensurationem calidorum, frigidorum, humidorum, & siccorum, & ad hanc conseruandam, aut recuperandam eligit materiam, dicens, ergo his, aut illis medicamentis vtendum est.

Ex quibus omnibus luce meridiana clarius vides, quomodo in artefactis, & in naturalibus necessitas materiæ desumitur a fine: non autem e contra.

At quia posset aliquis dicere, in definitionibus, quæ sunt rerum vniuersalium quomodo ingreditur materia? vniuersalia enim videntur exuere omnem materiam. Occurrit Arist. *Sunt enim in definitione quædam partes, vt materia*. Materia videl. non designata, sed communis, includitur in definitionibus rerum naturalium, vt videa in definitionibus iræ, tonitrui, & domus. Præterquam quod in definitionibus materialibus apparet materia vel manifestè, vel consecutiuè. Laus Deo, & Beatæ Virgini Mariæ.

Finis commentar. lib. secundi Phys. vnà cum quæstionibus.




BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COMMENTARII IOANNIS COTTVNII IN TERTIVM LIBRVM ARISTOTELIS. DE PHYSICO AVDITV.



Connexio libri, & dicendorum propositio:


BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



VÆ Arist. in primo text. libri primi discutienda proposuit, & erant, *principia, causa, & elementa*, ea, vt vidimus, in toto illo primo, ac secundo lib. omnia absoluit accuratissimè; propterea nunc in 1. & 2. huius tertij libri contex. nouum conficit exordium, proponendo quæ deinceps tractaturus est; simulque indicando rationes, cur ea tractari necesse sit. Hæ verò sunt communes corporis naturalis, seu entis mobilis affectiones. Enimuero ipsa docendi ratio exposcit, vt peracta eorum tractatione, quæ naturam, atq; essentiam corporis naturalis constituunt, instituatur sermo de affectionibus, quæ eidem ipsi corpori naturali aut conueniunt, aut conuenire videntur; & sunt motus, & quæ eum ipsum comitantur, videl. continuum, infinitum, locus, vacuum, & tempus.

Et quidem in priori parte huius tertij lib. quæ tribus capitib. constat, expendit Arist. naturã, & essentiam motus: infra autem in lib. sexto (interserit verò tractationem cæterarum affectionũ propter rationes suo loco dicendas) considerat eiusdem motus distinctiones, species, continuitates, &c. In posteriori verò parte huius istius libri, quæ quinque complectitur capita, agit de infinito.

Ducit verò initium a motu, quoniã, vt ipsemet Arist. loquitur, *ignorato motu, ignoratur Natura*. Porrò motus est continuorum: continuum autem illud dicimus, quod in infinitum diuisibile est: quocirca de vtroque, idest, tam de infinito, quàm de continuo erit edisserendum. Ad hæc, dicendum quoque incumbit de loco, de vacuo, & de tempore, quia sine his motus aut non est, aut non videtur posse esse. Ait itaque.

CAPVT PRIMVM.

Inuestigatur, quid sit motus.

TEXTVS PRIMVS.



VONIAM autem natura quidem est principium motus, & mutationis; Methodus autem nobis de natura est, non latere nos oportet, quid sit motus: necessarium enim est, ignorato motu, ignorari naturam. Cum autem determinauerimus de motu, tentandum erit eodem modo aggredi, & de ijs, quæ consequenter sunt. Videtur enim motus continuorum esse, infinitum autem apparet primùm in continuo. Quapropter, & definientibus continuum accidit vti sæpenumero ratione infiniti, cum in infinitum diuisibile continuum sit.

Consti-

Constituit Auctor in hoc 1. tex. duas assertiones; quarum prima est. Ad Naturalem Philosophum

I. attinet cognoscere, & considerare, *quid sit motus*. Probat, Ad Naturalem Philosophum spectat cognoscere, ac considerare illud, sine cuius cognitione Natura ipsa cognosci nequit: Sine notitia autem motus Natura ipsa cognosci nequit. Nam *ignorato motu, ignoratur natura*. Quid ita? quia nihil a nobis potest quidditatiuè cognosci nisi deprehendamus quid sint ea, quæ in illius definitione collocantur: In definitione Naturę collocatus est motus: dictum quippe est in lib. præced. tex. 3. Naturam esse principium, & causam motus: quare hoc ignorato, haud possumus Naturam quidditatiuè cognoscere: Cum itaque nobis, vtpote Philosophis Naturalib. tractatio instituta sit de Natura, omninò tenemur cognoscere *quid sit motus*.

Secunda assertio, *cum autem determinauerimus*,

II. *&c.* oportet nos, qui nunc Naturalem Philosophũ agimus, postquam de motu determinauerimus, cognoscere, & determinare etiam ea, quæ motum ipsum comitantur, cuiusmodi sunt continuum, infinitum, locus, vacuum, tempus.

Probat duplici ratione. Prima respicit continuum, secunda infinitum. Vtraq; autem hauritur ex coniunctione, quàm hæc accidentia habent cum motu. Quocirca Arist. quasi sic ratiocinatur. Ideò ille qui agit de Natura, tenetur agere etiam de motu, quemadmodum nunc dicebamus, quia motus habet connexionem cum Natura: Ast etiam recensita accidentia habent connexionem cum motu, De continuo res est clara, *quia motus videtur esse continuorum*, videl. est quiddam continuum: ipsum itaq; continuum habet connexionem cum motu: ita vt possimus asserere, quod ignorato continuo, ignoretur motus etiam ipse. ergo, &c.

Deinde probat de infinito ex eadem connexione

III. cum continuo, *infinitum enim apparet primùm in continuo*. Qui vult definire continuum, *multoties* in eius definitione ponit infinitum, dicens, continuum esse id, quod in infinitum existit diuisibile. Quo fit, vt continuum cognosci non possit, ignorato infinito, quemadmodum neque motus, ignorato continuo, neque Natura ignorato motu, agendum igitur est tum de continuo, tum de infinito. Sequitur.

TEXTVS SECVNDVS.

*Dbuc autem sine loco, & vacuo, & tempore impossibile est, motum esse. Manifestum igitur est, quod & propter hæc, & præterea quòd cunctis sunt communia, & vniuersalia hæc omnibus, considerandum erit, cum proposuerimus de vnoquoque ipsorum: posterior enim est de proprijs speculatio ea, quæ de communibus est. Primùm autem, sicut diximus, de motu.*

Duo præstat in præsenti contex. Prosequitur rationem in tex. proximè antegresso inchoatam pro secunda conclusione, acceptam ex connexione cæterarum affectionum cum motu. Et addit aliam rationem pro ea ipsa assertione. Priorem sic collige. Præterea, illud a Philosopho Naturali debet considerari, sine quo nequit esse motus: Sine loco, & vacuo, & tempore impossibile est, motum esse: quare ista quoque a nobis consideranda sunt.

Et quidem de loco, res explorata est, quia cum omne quod mouetur physicè, sit corpus sensibile, vt demonstratur in lib. sexto huius operis tex. 32. pro- II.
fectò in aliquo loco, & per aliquem locum moueatur omninò necessa est. Adde, quod nullus alius motus potest effici sine motu locali, hic etenim, ex lib. octauo tex. 56. existit omnium motuum primus. Motus autem localis est de loco ad locum. quocirca sublato loco, ac proinde motu secundum locum, nullus alius motus relinquitur possibilis.

De tempore quoque res aperta est, tum quia omnis motus mensuratur aliquo tempore, *tẽpus enim*, vt Stagirites loquitur in quarto lib. tex. 115. *men- III.
surat & quod mouetur, & quod quiescit*. Tum etiam, quia *tempus est quædam motus passio*, ex lib. octauo contex. 18. Et omninò, *tempus est ipsius motus numerus, aut motus quidam*, ex eodem lib. octauo tex. 10. propter hæc itaque qui de motu agit, tenetur etiam agere & de loco, & da tempore.

At cur Aristot. inter necessaria ad motum recensuit etiam vacuum? Ait enim, *adbuc autem sine loco, & vacuo, & tempore impossibile est, motum esse*.

Respondeo, hoc non ex propria, sed ex Veterum opiniona adiecit, qui quidem ea potissimùm ratione inducti, intruserunt vacuum, vt per illud fieret motus, quemadmodum legimus in lib. quarto tex. 53. Cum itaque hanc Veterum positionem æquissimus vir Arist. nondum confutauerit, confutabit autem lib. nunc indicato, ob id in præsenti cum alijs ad motum necessarijs apponit etiam vacuum.

Secun-

Digitized by Google

IV. *Secunda ratio, & propter hæc, & præterea quòd cunctis sunt communia, & vniuersalia hæc omnibus*. Non modo, inquit, ob præfatum nexum, sed ob hanc quoque rationem dictæ affectiones a Naturali Philosopho veniunt considerandæ, quoniam illæ sunt accidentia communia cunctis corporibus naturalibus, & vniuersaliter conueniunt omnibus. Quem vnquam latet, omne corpus naturale esse mobile, continuum, finitum, in loco, in tempore? Cum itaque nobis in hoc opere Physico instituta sit tractatio de communibus rerum naturaliū principijs, & communibus itidem earundem rerum affectionibus: Et tractatio communium debeat tractationem propriorum præcedere, *nam posterior est de proprijs speculatio ea, quæ de communibus est*, (hæc autem particularis rerum naturalium indagatio habetur in libris subsequentibus, veluti de cælo, de ort. & inter. de animalibus, &c.) profectò tenemur nunc vnumquodque istorum proponere, atque de vno quoque edisserere singillatim. Et quia inter communia hæc accidentia motus existit primus, quem quidem reliqua relata accidentia comitantur, vt diximus, ob id de eo primùm dicendum est.

Adnotationes, et difficultates circa tex. 1. & 2.

V. PRimò difficultatem parit quod Auctor ait, *ignorato motu, ignorari naturam*, quoniam id quod per se est notum, ignorato quocunque alio, non ignoratur. Etenim vero quod est secundum se tale, sublato quocunque alio, semper manet tale: Natura autem per se est nota, adeò vt idemmet Stagirites in secundo lib. tex. 6. scriptum reliquerit, *ridiculum esse, tentare demonstrare naturam esse: manifestum enim est*; quare ignorato quouis motu, neutiquam ignorabitur natura.

Respondeo, duobus modis contingere aliquid esse per se manifestum, & totidem modis posse aliquid ignorari. Vno quidem, an illud sit: Altero autem quid sit. Natura, & motus quo ad vtramque hanc quæstionem æquo gradu incedunt, Ita vt si ignoro quid sit motus, ignorem etiam quid sit natura; & si ignoro quod sit motus, ignorem etiā quod sit natura, quia natura non nisi a motu deprehenditur: Modo motum esse in rerum natura vel sensus ipse decernit, quocirca eodem sensu dūce erit manifestum, naturam esse: atque hoc intellectu dicitur in tex. illo 6. esse ridiculum tentare demonstrare naturam esse: Pari pacto si ignoretur quid sit motus, ignorabitur, etiam quid sit natura: & hoc sensu dicitur in hoc contex. quod *ignorato motu, ignoretur natura*.

VI. *Secundò*. Scrupulum ingerit, quod Aristot. ait, *motum esse continuorum*. Quod quidem si verum est, iam motus erit in Prædicamento Quantitatis. quippe omne continuum quantum est. In eo autem Prædic. Stagirites non retulit motum inter species continui, sed tantum recensuit lineam, superficiem, corpus, locum, & tempus: quocirca aut in eo Prædic. diminutè, aut hic malè loquitur.

Vtrobique rectè loquitur: Nam in Prædicamentis propriè reponuntur completa duntaxat: motus verò existit quippiam incompletum, cum sit actus imperfectus, vt vel ea eius definitione liquet; icircò in eo Prædicamento motus minimè debuit inter species Quantitatis recenseri. Hoc tamen nihil impedit, quominus motus sit aliquid continuum, quia est aliquid successiuum: & quia neque componitur ex impartibilibus, neque in impartibilia diuiditur: quæ est legitima nota continuorum, vt in lib. sexto constat.

VII. Tertiò, Cur ait, infinitum apparere, *primùm in continuo*? An quia infinitum est etiam in discreto? Etenim *numerus augetur in infinitum, & magnitudines diuiduntur in infinitum*, inquit Arist. in hoc lib. tex. 68. At infinitas in discreto non apparet primùm, sed secundario. Quid ita? quia infinitum, quod fit in additione numeri causatur ex infinito, quod est in diuisione continui: nisi enim continuum diuidatur in infinitum, numerus non cresceret in infinitum.

VIII. Quartò, Cur volentibus nobis definire continuū, *multoties* accidit ponere in eius definitione infinitum? cur additur, *multoties*? si definientes continuum, semper vtimur infinito? dicimus enim, continuum esse diuisibile in infinitum.

Ideò sic oculatissimus Auctor loquitur, quia hāc continui definitionem, quod sit diuisibile in infinitum, non admitterent omnes Veteres: nam qui res naturales conflabant ex magnitudinibus indiuiduis, vt Democr. & Leuipp. de qua re cùm sibi sæpe, tum in primo de ort. & inter. tex. 8. & 9. & primo Metaph. cap. 3. eam neutiquam admitterent, cum perfractè tuerentur, continui diuisionem tandem finiri in magnitudines indiuisibiles.

Vel dicendum, & sanè melius, quod continuum alio etiam modo potest definiri, vt in Categoria Quantitatis legimus, quod *continuum est, cuius partes copulantur termino communi*. Ob id meritò ait, eo modo, quo hic loquitur, illud definiri *multoties*:

IX. Quintò, in proponendis communibus corporis naturalis affectionibus Aristot. videtur diminutus. Nam inter communes rerum naturalium affectiones recensentur etiam figura, magnitudo, & sensibilitas. Nullū quippe extat corpus physicum, quod non & figura, & magnitudine, & sensibilitate præditum sit.

Occurritur, quod figura non est omnium corporum naturalium affectio, sed censetur propria viuentium, vt docet Philosophus secundo de cælo cap. 1. Magnitudo verò idem est quod continuum.

Sensi-

Sensibile verò & si conuenit omni corpori naturali, nihilominus non conuenit ei absolutè, qua corpus est, sed per respectum ad sensum. Argumento est, quod de sensibili agitur separatim in lib. de sensu, & sensibilibus, & in lib. secundo de Anim. in tractatione sensuum. Affectiones autem, & attributa hoc loco ab Stagirite recensita, *sunt cunctis communia, & vniuersalia omnibus*, vt idem ait in tex. 2. Cuius quidem rei genuina ratio ea est, quia motus est veluti primigenia Naturæ proles, quem reliquæ relatæ affectiones comitantur aut intrinsecè, aut extrinsecè. Et quidem intrinsecè comitantur motum continuum, & infinitum, saltem potentia: Motus enim ex interna sui conditione est aliquid continuum: & hic idem est diuisibilis in infinitum. Extrinsecè autem comitantur eundem motum tanquam mensuræ quædam extrinsecæ reliquæ tres affectiones, videl. locus, vacuum, & tempus. Et quidem tempus, quia est mensura ipsius motus: Locus autem, quia est mensura ipsius mobilis: Vacuum denique, quia existimabatur à Veteribus tanquam mensura eiusdem mobilis.

IX. Tandem inter omnes hasce affectiones principem locum obtinet motus, Tum quia gaudet intimiori nexu cum Natura: Tum quia Natura definita est per motum, Tum quia eadem Natura per motum facit cuncta quæ facit. Tum insuper, quia per eundem motum se se nobis patefacit. Tum denique, quia vniuersa scientia de Natura, haud rarò appellitari solet scientia de motu. Meritò ergo atque, optimo iure Arist. ait, *primùm dicendum esse de motu*.

TEXTVS TERTIVS.

EST igitur eorum quæ sunt, aliud quidem actu solum, aliud verò potentia: & eorum quæ sunt actu, hoc quidem hoc aliquid, illud verò tantum aliud verò tale, & in alijs entis Prædicamentis similiter. Eorum autem quæ sunt ad aliquid, aliud quidem secundum superabundantiam, & defectum, dicitur, aliud autem secundum actiuum, & passiuum, atque omninò motiuum, & mobile. Motiuum enim motiuum mobilis est, & mobile a motiuo est mobile.

I. Accingitur indagare, ac explicare, *quid sit motus*. Hoc autem est inuenire ac tradere eius definitionem: definitio enim effert quid res sit. Aptissima verò methodus inueniendi definitiones existimatur diuisio, quemadmodum ipsemet Stagirites tradit in secundo Poster. cap. 10. & nos multis ostendimus in secundo huius operis lib. circa definitionem Naturæ, & in secundo de Anim. cap. 1. circa animæ definitionem: idcircò hic in tribus contexub. sternit Aristot. nonnullas diuisiones, seu entium enumerationes, ex quibus postea colligit admirabilem motus definitionem.

Dissident expositores de numero diuisionum, & longè magis de earundem intelligentia. Sunt qui arbitrantur tradi tantum quatuor diuisiones, Alij II. verò opinantur afferri quinque, quorum opinioni ipse etiam adhæreo. Itaque in præsenti contex. tradit, & explicat tres diuisiones: Vna est in id quod est actu tantum, & id quod est potentia tantum, & id quod est mixtim actu, & potentia. Altera est subdiuisio tertij membri in decem Prædicamenta. Tertia est relatiuorum in ea quæ dicuntur secundum exsuperantiam, & defectum, & in ea quæ dicuntur secundum actiuum, & passiuum.

In prima diuisione, & eius subdiuisione magna, vt indicaui, est inter auctores dissensio: nec sine ratione, quia in græcis codicibus extat varia lectio: III (latinos codices hoc loco haud est, quod attendas, omnes enim sunt corrupti). Communiter. in exemplaribus græcis, etiam antiquiss. sic lego. ἔστι δέ τι, τὸ μὲν ἐντελεχείᾳ μόνον, τὸ δὲ δυνάμει καὶ ἐντελεχείᾳ· τὸ μὲν τόδε τι, τὸ δὲ τοσόνδε, &c. Quæ sic sonant, *Est igitur aliquid, hoc quidem actu tantũ, hoc autẽ, potentia & actu; hoc quidem hoc aliquid, hoc autem tantum, &c.* Themist. addit aliquid, & sic legit. ἔστι δέ τι, τὸ μὲν ἐντελεχείᾳ μόνον, τὸ δὲ δυνάμει καὶ ἐντελεχείᾳ. καὶ τῶν ἐντελεχείᾳ τὸ μὲν, &c. quæ sunt, *Est igitur aliquid, hoc quidem actu tantum, hoc autem potentia & actu: & eorũ quæ sunt actu (illud Themist. addit) hoc quidem hoc aliquid, &c.* Porphyrius autem omittit vnam dictionem, & legit, ἔστι δέ τι, τὸ μὲν ἐντελεχείᾳ μόνον, τὸ δὲ δυνάμει, (omittit ἐντελεχείᾳ actu) καὶ τῶν ἐντελεχείᾳ τὸ μὲν τόδε τι, &c. videl. *est igitur aliquid, hoc quidem actu tantum, hoc autem potentia: & eorum quæ actu, hoc quidem est hoc aliquid, hoc verò tantum, &c.* Hanc lectionem secutæ sunt omnes ferè versiones latinæ. quocirca cõmuniter habent. *Est igitur eorum quæ sunt, aliud quidem actu solum, aliud verò potentia: & eorum quæ sunt actu, hoc quidem hoc aliquid., hoc verò tantum.* quamquam etiam hæc versio prætereat illud τί, videl. ἔστι δέ τι.

Nil itaque mirum, si varia quoque ac discrepantia dictarum partitionum subsecuta sint inter- IV. pretamenta. Auerr. D. Thom. & latini ferè omnes, primam diuisionem opinantur esse hãc, quod Arist. in ea diuidat entia bimembri diuisione in actum, & potentiam: ita vt in primo membro ponat ea, quæ sunt actu solum: in secundo autem ea, quæ sunt potentia solum. Deinde primum membrum subdiuidat in decem Prædicamenta; in substantiam, quantitatem, & reliqua Prædic. Subijciunt rationem, quia diuisio debet fieri per membra opposita: opposita verò membra sunt actus, & potentia:

Quæ quidem Interpretatio longè ab Stagiritæ

mente

mente abest? Primùm, quia non respondet textui græco, vt vidimus. Et illa Porphyrij lectio, quam latinæ versiones secutæ sunt, iam dudum erat explosa, quemadmodum etiam Simplic. adnotauit. Deinde, si diuisio fieret per actum, & potentiam, eaque bimembris, cur in primo membro a dictum est, *actu tantum*? nonne sat erat dicere, aliud esse actu, aliud potentia? Neque vllam hic admoneas fidem antiquæ versioni latinæ, quæ legit, *aliud potentia tantum*. Istud porrò potentia, *tantum*, in nullo codice græco reperies.

Ad hæc, non video, quo vnquam pacto id quod in decem Categorias subdiuiditur, sit primum membrum eius diuisionis; hoc est, ea quæ sunt *actu tantum*, cum exploratum sit, omnia Prædicamenta constare ex actu, & potentia: quippe ex genere, & differentia. Quid verò? Si animo recolas morem, & consuetudinem Stagiritæ in proponendis rebus, de quibus statim acturus est, quæ consuetudo est, vt ab eo tractationem incipiat, quod in propositis vltimo loco disposuerat, vt alias non semel adnotaui, planè euinces, hic non subdiuidi primum diuisionis membrum, videl. ea quæ sunt *actu tantum*, sed vltimum, quod est, in lectione græca, scil. τὸ δὲ δυνάμει καὶ ἐντελεχείᾳ, *hoc autem potentia, & actu*.

Neque ratio a præfatis auctoribus inducta quicquam concludit: Nam diuisio aut ipsa debet tradi bimembris, & per opposita, aut certè redigi ad bimembrem. Præterquam quod, hæc non tam diuisio, quàm enumeratio quædam censenda est, quemadmodum est etiam secunda siue diuisio, siue enumeratio in decem Categorias.

His itaque, atque id genus alijs interpretamentis omissis, equidem censeo, partitionem esse trimembrem. In primo membro collocatur id quod est *actu tantum*. Hic intelligo formas ac substantias a materia secundum esse abiunctas, maximè verò omnium primam: quæ quidem substantiæ ex eodem Philosopho duodec. Metaph. existunt actus tantum, siue actus puri.

Porrò in hoc diuisionis membro Arist. vult nos intelligere etiam secundum membrum huic primo oppositum, nempe id quod est potentia tantum: In quo intelligo materiam primam: Hæc enim, quemadmodum ad calcem lib. primi in disput. de principio materiali ostendi, est potentia tantum. Interea aduerte incredibilem Aristotelis ἀκρίβολογίαν. Non ait, alia esse actu tantum; neque ait, eorum quæ sunt, (vt latinæ versiones habent) alia esse *actu tantum, &c.* sed oculatè in numero singulari, *est aliquid, quod est actu tantum*. Quid ita? Primò, quia nondum demonstrauit, huiuscemodi substantias abstractas esse numero plures: ideirco sobriè sic loquitur, ἔστι δὴ τί, *est quidem aliquid*: Porro quis est vsque adeo cæcus, qui non fateatur, saltem esse vnam aliquam substantiam, siue vnum aliquod ens, quod sit actu tantum?

Deinde, ita locutus est, vt eodem numero singulari intelligeremus alterū diuisionis membrum, videl. materiam primam, quæ porrò vna tantum est.

Demum tertium eiusdem diuisionis membrum est, id quod est δυνάμει καὶ ἐντελεχείᾳ, *potentia & actu*. Atque hic intelligo res omnes quouis modo compositas.

Has confestim subdiuidit in secunda diuisione, dum ait, *hoc quidem est hoc aliquid*, substantia, *hoc autem tantum*, quantitas, *hoc verò tale*, qualitas, *& in alijs entis Prædicamentis similiter*. VII.

Ex hac secunda partitione, seu potius enumeratione, missis alijs, accipit vnum Prædicamentum, nempe relatiuorum, quoniam isthuc magis ad rem propositam facit, idque diuidit, inquiens, *eorum autem quæ sunt ad aliud, &c.* quod alia quidem dicantur secundum exsuperantiam, & defectum, veluti magnum, & paruum, duplum, & dimidium; Alia verò secundum actiuum, & passiuum, vt efficiens, & materia. Atque ne omnes relationis species recenseret, applicat diuisionem suo instituto, dicens, quod relatiua dicuntur etiam *secundum motiuum, & mobile*. Probat, quia motiuum est mobilis motiuum, & mobile est motiui mobile.

TEXTVS QVARTVS.

NON est autem motus præter res: *Mutatur enim semper id quod mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale, aut secundum locum; commune verò in his nihil est accipere, sicut dicimus, quod neque hoc, neque quantum, neque quale, neque aliorum Prædicamentorum vllum sit. Quare neque motus, neque mutatio vllius erit præter ea, quæ dicta sunt, cum nihil sit præter ea, quæ dicta sunt.*

Duo hic facit. Primùm constituit, motum non esse præter res circa quas fit: Deinde ait, nihil esse commune decem Categorijs. I.

At quæres, quo vnquam consilio Aristot. hoc intrudit isthæc asserta? nihil etenim ad rem, de qua agimus, videntur attinere: Quid porrò confert ad diuisiones pro motus definitione tradenda an motus sit in rebus, an extra eas?

Mirum est, quantum hic tenebrarum offunditur à nonnullis. Auerr. in ea versatur opinione, quod Aristot. hoc faciat, vt ostendat motum esse in pluribus Prædicamentis quàm vno: Id autem hoc syllogismo colligat. Motus est in moto: At motum est in pluribus Prædicamentis, quam vno: quare motus est in pluribus vno Prædicamento. Subnectit Auerr: Aristotelem id facere, vt detegat, motum non dici vniuocè, neque habere definitionem

vniuocam, sed secundum prius, & posterius. Quippe cum motus sit in diuersis Prædicamentis; & diuersis Prædicamentis nihil sit commune vniuocū, sequitur, eum non habere definitionem vniuocam. Quam quidem opinionem sequuntur complures etiam ex recentioribus, & circa eam multis cruciatur Zab. hoc loco.

III. Quæ quidem opinio ab Stagiritæ intentione longè abest. Ac primò quidem, quod Aristot. hoc loco non intendat probare, motum esse in pluribus Categorijs quàm vna, vel ex eius propositione constat, quæ est, *Motus autem non est præter res*. Hanc propositionem intendit per subsequentia verba cōfirmare, vt clarissimè indicat caussalis nota, *mutatur enim semper, &c.* Deinde, falsum est, quod Arist. probet, motum esse in pluribus Prædicamentis, vt ex eo colligat, motum non esse vniuocum, neque habere definitionem vniocè dictam. Nam Arist. non dicit, motum non esse commnnem Prædicamentis. sed ait, *nihil autem est accipere communem his*: Nihil, inquam, est Prædicamentis vniocnm, vt mox exponam. Adde, quod Philosophus hoc dictum, nihil est commune Prædicamentis, non probat, sed accipit tanquam communiter circumlatum, vt denotat dictio, ὡς φαμέν, *vt dicimus*, quę significat sermonem communem.

IV. S. Thom. arbitratur, Aristotelem inducere motum non esse præter res, vt motum reducat ad diuisiones, quas iam annuerat, quia motus non sit præter genera rerum, in quibus contingit esse motum. Et hoc colligat Aristot. quia motus est actus imperfectus: Omne autem imperfectum sub eodem genere cadit cum perfecto, non quidem sicut species, sed per reductionem; Quo fit, vt motus non sit præter genera rerum, in quibus contingit esse motum.

Ast hæc depromit S. vir ex penu suo, non ex Aristotelis intentione, vt cuique vel conniuenter textum aspicienti appatet. Missas facio aliorum cogitationes circa hanc rem.

V. Et existimo, germanam Stagiritæ mentem in hoc tex. hanc esse. Consilium eius in hoc primo capite est, inuenire definitionem motus. Inuenit id quod in ea vice generis collocandum est, quod scil. est actus iunctus cum potentia, quemadmodum in prima diuisione exposui. Inuenit etiam id quod loco differentiæ sit ponendum, videl. mobile, (nam in definitione accidentium abstractorum subiectum ponitur pro differentia) cum in tertia diuisione accepit motiuum, & mobile. Hæc duo, actus, inquam, & mobile satis erant pro conficienda motus definitione: dicet etenim infra motum esse actum entis, siue mobilis. At posset quispiā dicere, quod frustra Arist. laboret in indagādo motiuo, & mobili pro definitione motus, quia motus existit a rebus separatus, quemadmodum eum Plato quoque statuit. Quocirca commodè potest etiam sine mobili definiri.

Huic obiectioni occurrit Arist. & simul accipit occasionem carpendi Platonem, qui motum constituit inter quinque principia rerum, quæ apud eū erant, essentia, idem, diuersum, siue alterum, motus, & quies: quemadmodum legere est in Sophista, & in Timæo: proinde motus, erat a rebus auulsus. Hoc, inquit Philosophus, a veritate alienum est: nec motus est vnquam extra res ipsas. Probat, quoniam omne quod mouetur, ac mutatur, semper aut mutatur secundum substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale, aut denique secundum locum. Omnia verò ista sunt res, & quidem particulares, quare motus non est præter res, seu separatus. Rectè itaque, inquit Arist. nos fecimus, dum pro conficienda motus definitione accepimus motiuum, & mobile. VI

Vigeret adhuc aduersarius. Fac quod motus non sit præter res: Nihilominus cum fiat secundum plura Prædicamenta, vt tu ipse hic distribuis, profectò motus erit aliquid commune, idque vniuocum ad Prædicamenta; quare illud commune commodè poterit sine rebus definiri. VII

Ad hoc quoque occurrit Aristot. in a. part. tex. *commune autem in his nihil est accipere*. Non datur commune quippiam vniuocum ad Prædicamenta, quod scilicet non sit substantia, quod non quantum, quod non quale, aut aliquid cæterorum Prædicamentorum: quare neque etiam poterit dari motus communis vniuocè. Cur? quia tales sunt motus, quales sunt res ac termini eorum: In rebus ad quas fit motus, non est aliquid commune vniuocè, quare neque erit in motu: & sic neque hac ratione poterit motus definiri sine mobili. Ex hac expositione depelluntur plurimæ difficultates, quæ aliorum interpretationes, aut ego fallor, vaxant vehementer.

Adnotationes circa tex. 4.

MOtum non esse præter res, in quibus, & ad quas fit, vt Arist. asserit, etiam hac ratio sensatè euincet: quia motus re vera nihil aliud est, quàm fluxus alicuius formæ, & forma quædam fluens, siue fluat ad esse, siue ad non esse: ob id motus dicitur esse forma quæpiam diminuta, qua ipsum mobile affectum assiduo perficitur, donec ad actum perfectum perueniat. *Motus nihil est aliud, quàm generatio partis post aliam illius perfectionis, ad quam intendit motus, donec perficiatur, & fit in actu*, inquit Auerr. in com. huus tex. V.G. calefactio est fluxus a frigiditate ad calorem, siue calor quidam fluens, in quo quidem semper aliquid caloris magis ac magis acquiritur. Ita in alijs motibus philosophare. At fluxus, & forma fluens neque esse, neque intelligi potis est sine ijs, in quibus, & ad quæ fluit: cuius enim, & ad quid esset fluxus? vnde euidenter colligitur, motum nullo pacto

Digitized by Google

pacto posse consistere præter res ipsas.

IX. Sed circa hunc tex. multa dubitantur. Primò dubitat Auer. in com. & lib. 5. com. 9. quòd Arist. *in lib. de Prædicamentis dixit, motum esse in Prædicamento Passionis*. Hoc autem loco eum constituit in quatuor Prædicamentis, substantia, quanto, quali, & Vbi. Et quod magis est, hic motum redigit ad dicta quatuor Prædicamenta, Prædicamentum autem Passionis omittit.

Dubitatur 2. quia in lib. quinto tex. 9. motum reponit in tribus duntaxat Prædicamentis, in quantitate, qualitate, & Vbi: *secundum substantiam autem*, inquit, *motus non est, propterea quod nihil substantiæ contrarium est*. Hoc autem loco motum asseuerat esse, *aut secundum substantiam, aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, aut secundum locum*.

Dub. 3. quia in textu sequenti conceptis verbis affirmat, tot esse species motus, quot sunt species rerum; *quare motus, & mutationis species tot sunt, quot entis*. Atqui species entis indiscriminatim reperiuntur per omnia decem Prædicamenta, quare & motus per ea ipsa distribuetur: ac proinde non coarctatur tantum ad præfata quatuor.

X. De prima difficultate Auerr. in com. ea perstringit, quæ postea alij fusè extendunt. Ac primo quidem ait, motum dupliciter accipi posse. Vno quidem modo, quà est forma quædam diminuta ac fluens, sub qua stat mobile donec perficiatur in actu: qua ratione motus non differt a perfectione ad quam tendit, nisi secundum magis ac minus: Quo fit, vt motus sit de genere illiusmet perfectionis, ad quam tendit, Ita motus ad substantiam erit in genere substantiæ, motus ad quantitatem in genere quantitatis, motus ad qualitatem, in qualitate, &c. Altero modo motus accipitur quatenus est via ad perfectionem, qua ratione motus est aliquid aliud ab ipsa perfectione, ad quam tendit; cum via ad rem sit diuersum quippiam ab ipsa re. Hoc secundo modo, inquit Auerr. motus est genus per se: Atque ita spectatur ab Arist. in Prædic. & reponitur in vno Prædic. Passionis: Primo autem modo motus non est genus, neque Prædicamentum per se, sed reducitur ad eas res, ad quas progreditur: & sic est in pluribus vno Prædicamento.

Addit Auer. quod secundus *iste modus*, quatenus videl. motus est genus per se, *est famosior: ille autẽ*, idest primus modus, *est verior: & ideo Arist. induxit illum modum famosum in Prædicamentis: istum autem modum verum] in hoc loco*. In lib. autem 5. com. 9. citato idem Auerr. pro hac eadem difficultate propulsanda alijs verbis distinguit motum, quod videl. motus possit accipi aut secundum materiam, aut secundum formam.

XI. Ceterùm asseueranter aio, motum nusquam esse ab Arist. repositum in Prædicamento Passionis, quemadmodum Auerr. & cum eo plurimi alij iactitant. Primò, Prædicamentum illud Passionis, sicut etiam Actionis, & subsequentia quatuor, Arist. paucis verbis expediuit & in ijs nullam de motu fecit mentionem: temerè itaque præfati auctores accipiunt, motum fuisse ab Stagirite positum in Prædicamento Passionis.

Deinde Arist. Prædicamenta Actionis, Passionis, & reliqua quatuor, videl. Quando, Vbi, Situs, & Habet, nec definiuit, nec in sua inferiora distribuit, quæ videtur esse perpetua nota Prædicamẽti. Quod in causa fuit, vt ea deinde suppleuerit Gilbertus Porretanus, qui dictus est auctor sex Prædicamentorum; sed solum tradidit duas Actionis, & Passionis proprietates, videl. quod habent contrarium, & quod suscipiunt magis, & minus. ergo figmentum est asserere, in eo Prædicam. esse positum motum.

Nec te quicquam turbet, quod Arist. adhibuerit ibi exemplum de ipso *calefacere, & calefieri*, quæ sunt quidam motus; Nam hæc non induxit, vt explicaret essentiam Actionis, ac Passionis, cum detur actio, & passio absq; motu physico successiuo, veluti videre, & illuminari. sed attulit, vt patefaceret duas illas Actionis, & Passionis proprietates, quod habent contrarium, & suscipiunt magis, ac minus. Et probat, quia calefacere, quod est agere, existit cõtrarium ei quod est frigefieri. Sic vnũ aliquid magis quàm alterum calefacit; & magis calefit vnũ, quàm alterum. Escipe integra Philosophi verba. *Suscipit & ipsum agere, & pati contrarietatem, & magis ac minus. calefacere enim & refrigescere sunt inter se contraria; & calescere, & frigere, & gaudere, ac dolere: reperitur igitur in his contrarietas. Item magis, ac minus, nam & calfacere magis, & minus licet, & minus calescere, & magis, & maiorẽ, minoremue percipere dolorem*. Ex his, itaque liquido constat, nunquam motum fuisse determinate constitutum in Prædicamento Passionis, ac proinde prima illa difficultas nulla est. XII.

Addo, quod distinctio illa Auerrois de motu, qua est forma diminuta fluens ab imperfecto ad perfectum, & qua est via ad perfectionem, quamuis primo aspectu fortasse videatur speciosa, nihilominus si diligentius expendatur, non subsistit. Nam per viam aut intelligit spacium, supra quod defertur ac fluit diminuta illa forma, sicut via per quã incedimus, & tunc hæc via est ipsummet subiectũ motus: sicuti nos sumus, qui incedimus, aut intelligit ipsum fluens, & tunc est illa ipsa forma diminuta, ac proinde non distinguitur motus, vt est forma diminuta, & vt est via: aut denique intelligit ipsam successionem, & moram: & hoc non est motus, sed est tempus. Quare perperam multi etiam recentiores eam distinctionem tantopere efferunt. XIII.

Equidem in vna motus realitate hæc tria specto. Vnum est forma illa diminuta ac fluens a quodam in quoddam, per quam mobile successiuè magis ac magis acquirit illam formam ad quam tendit. & hoc est formaliter motus. Alterum quod considero est, quatenus illa eadem forma egreditur ab aliquo; & illud est agens: Tertium denique est, quatenus eadem forma recipitur in aliquo, & istud

eſt paſſum ; ac proinde eadem motus entitas vna ratione eſt actio, alia eſt paſſio. Verùm de prima difficultate hæc ſatis:

Solutio ſecundæ difficultatis iacet in tex. *muta-*
XIV. *tur enim ſemper quod mutetur, &c.* Mutatio eſt latius quippiam, quàm motus propriè dictus, quoniã mutatio complectitur etiam generationes, & corruptiones ſubſtantiales, quas tamen Ariſt. in principio libri quinti ſecreuit a motu. Itaq; motus ſyncerè dictus eſt ſolum ad tria Prædicamenta, vt Ariſtot. loquitur in libro quinto: Mutatio autem eſt etiam ad ſubſtantiã, & ſic loquitur hoc loco. Hem, admirare Auctoris diligentiam, qui cum dixiſſet, *mutatur enim ſemper, &c.* ſtatim hæc duo, id eſt mutationem, & motum, exprimit in concluſione inquiens, *Quare neque motus, neque mutatio vllius erit præter ea, quæ dicta ſunt*, Quæ duo coniungit etiam in calce tex. ſequentis. dum ait, *Quare motus, & mutationis ſpecies tot ſunt, quot entis.*

Vnde apparet etiam ſolutio ad tertiam difficultatem. Nam motus, & mutatio reducuntur ad ea rerum genera, ad quæ tendunt. Tendunt verò per ſe motus quidem ad tria dumtaxat Prædicamenta: Quantitatem, Qualitatem, & Vbi: mutatio verò tendit per ſe etiam ad ſubſtantiam.

Ex hoc contex. Doctores colligunt ſex ſpecies
XV. motus, quas quidem ex inſtituto declarauit Philoſophus in Poſtprædicam. cap. de motu. In ſubſtantia eſt generatio, & corruptio ſubſtantialis: In quãtitate augmentatio, & diminutio: In qualitate alteratio: & deniq; ſecundum locum eſt latio. deinde cum ait,

TEXTVS QVINTVS.



Numquodque autem dupliciter ineſt omnibus, vt hoc: aliud enim eſt forma ipſius, aliud verò priuatio. & ſecundum Quale, hoc enim eſt album, illud autem nigrum: & ſecundum Quantum, aliud enim perfectum eſt, aliud verò imperfectum: ſimiliter autem & ſecundum lationem, hoc enim ſurſum, illud verò deorſum: aut aliud quidem leue, aliud verò graue. Quare motus, & mutationis ſpecies tot ſunt, quot entis.

Cum in tex. præced. conſtituerit, motum haud
I. eſſe a rebus abiunctum, quoniam omne quod mutatur, id facit aut ſecundum ſubſtantiam, aut ſecundum quantum, aut ſecundum quale, aut denique ſecundum locum, nunc probat alio modo motum non eſſe a rebus abiunctum: Et in tex. duo facit. Ponit, & declarat vnum fundamentum, ex quo indicatur ratio. Et colligit concluſionem.

II. Fundamentum eſt, Vnumquodque Prædicamentum poteſt conſiderari & ſecundum formam, ſiue ſecundum perfectum; & ſecundum priuationem, ſiue ſecundum imperfectum. Cuius ratio ea eſt, quia in omni Prædicamento eſt aliqua contrarietas, quemadmodum docet idem Philoſophus decim. Metaph. tex. 16. Prima autem contrarietatũ eſt forma, & priuatio, vt ibidem ſubiungitur. Declarat modo, *vt hoc*, videl. Prædic. ſubſtantiæ. *Nam aliud eſt forma ipſius, aliud verò priuatio*: Eodem pacto in qualitate *hoc*, id eſt forma, *eſt album: illud autem*, nempe priuatio, eſt *nigrum*: (exploratum eſt apud Ariſtotelem, duorum contrariorum nobilius ſubire rationem formæ, ignobilius autem habere rationem priuationis): ita in quantitate, *aliud perfectum eſt*, nimirum, a forma, *aliud imperfectum. Similiter* & in motu locali, *hoc enim*, id eſt forma, *ſurſũ eſt, illud verò* id eſt priuatio *deorſum*: Siue leue, quod tendit ſurſum, habet rationem formæ ac perfecti: graue autem habet conditionem priuationis.

Ex his poteſt colligi hæc ratio. Motus, & muta-
tio eſt quidam tranſitus a quodam in quoddam: III.
Hic tranſitus aut fit a forma ad priuationem, aut e contra. Vtrouis autem modo fiat, ſemper eſt in rebus, & quidem particularibus: quare motus non eſt a rebus ſeparatus, imò tot ſunt ſpecies motus, ac mutationis, quot ſunt ſpecies rerum, in quibus ipſe fit.

Cum autem Ariſt. ait, tot eſſe, *ſpecies motus, ac mutationis, quot ſunt entis*. Primò ſpecies accipit impropriè: quandoquidem neque ens habet ſpecies cum ſit analogum, neque motus, cum ſit quippiam incompletum: ſed tamen dicuntur habere ſpecies ſuo modo, & quod explicat idẽ Ariſt. lib. 6. ſic motus dicuntur eiuſdẽ, aut diuerſi generis, vel ſpeciei.

TEXTVS SEXTVS.



Diuiſo autem ſecundum vnumquodque genus, hoc quidem eſſe actu, aliud autem potentia, eius quod potentia exiſtit actus, quatenus huiuſmodi, motus eſt; vt alterabilis quidem, quatenus alterabile, Alteratio: augmẽtabilis autem, & oppoſiti decreſcibilis, (nullum enim eſt commune nomen in vtriſque) Augmentum, & Decrementum: generabilis autem, & corruptibilis, Generatio, & Corruptio: eius verò quod fertur, Latio.

Ex fundamentis in tex. 3. iactis pergit motus de-
finitionem colligere, quam quidem in hoc tex. tra- I.
dit, & exemplis omnium ſpecierum motus illuſtrat: in ſubſequentibus verò contex. eam ipſam expendet accuratius.

Ait itaque διῃρημένου δὲ καθ' ἕκαστον γένος, τοῦ μὲν
ἐντελεχείᾳ, τοῦ δὲ δυνάμει, quæ verba in latinis ver- II.
ſionibus obſcurum admodum edunt ſenſum, *diuiſo autem ſecundum vnumquodque genus, hoc quidem*

dem esse actu, aliud autem potentia. Clarius sic resoluas: Cum diuiserimus secundum vnumquodq; genus, seu Prędicamentum, quod aliud quidem sit actu, aliud autem potentia. Erat in tex. 3. vt meministi, trimembris entium enumeratio, quod alia sunt actu tantum, vt formæ secundum esse a materia abstractæ: alia potentia tantum, vt materia prima: alia mixta δυνάμει, καὶ ἐντελεχείᾳ, *potentia, & actu*. Hoc tertium membrum rursus distribuebatur in decem Prædicamenta. Istam diuisionem ac distributionem indicat hic. Motus itaque est aliquid ex iis, quæ sunt huius tertiæ classis. nimirum est aliquis actus iunctus cum potentia.

III. Et propterea subdit Arist. quod *motus est entelechia*, siue, *actus eius, quod potentia existit, quatenus huiusmodi*: Hinc definitio motus communiter sic effertur. Motus est actus entis in potentia, secundum quod in potentia. Quæ in processu vberius explicabitur: interea sic accipe. Motus nuncupatur actus, quoniam est recessus quidam & transitus eius, quod erat in potentia, ab illa potentia, in qua quiescebat. Non potest autem transire, nisi sit in potentia transeundi, siue recipiendi in se id ad quod transit. V. G. aqua est in potentia, vt ab extrinseco agente recipiat calorem: recessus itaque, & transitus aquæ a sua potentia ad calorem, est actus; & est actus eius entis, quod erat in potentia. Et quia motus acquirendi caloris in dicta aqua consistit in actuali tendentia ad vlteriorem gradum caloris, hæc actualis tendentia exprimitur per subsequentia verba, *quatenus huiusmodi*.

IV. Declarat deinde Arist. in 2. part. tex. assignatam motus definitionem inductione in omni specie motus, *vt alterabilis quidem, quatenus alterabile est, alteratio*. Alteratio est recessus atque exitus, ac proinde actus eius rei, quæ poterat alterari, in quantum actu recedit a potentia, in qua erat, & actu tendit vlterius. & ideo *quatenus alterabilis est*. Porrò alterabile, V.G. aqua, degit in potentia ad multa. Potest quippè tum alterari, tum corrumpi, & conuerti, tum in ignem, tum in alia: Verum non recipit motum alterationis quatenus absolutè est in quacunque potentia, sed solum prout est apta exire in actum alterationis, & recipere V. G. calorem: ob id Auctor dilucidans hanc peculiarem potentiam ait, alterationem esse actum alterabilis, *quatenus alterabile est*.

V. Subdit de augmentatione, quod est actus entis augmentabilis, in quantum videl. augmentabile est: & diminutio est actus entis diminuibilis, quatenus diminuibile est. Et generatio, ac corruptio sunt actus rerum generabilium, & corruptibilium, quatenus huiusmodi sunt. Et denique motus secundum locum est actus eius, quod fertur, quatenus ferri aptum est.

Admonet autem per parenthesim, quod *nullum est commune nomen in vtrisque*, id est in augmentatione, & diminutione. Istæ mutationes sunt quidem duæ species motus in quantitate, periude ac est calefactio, & frigefactio: Albefactio, & nigrefactio in qualitate: Cæterùm non suppetit nobis vnum aliquod commune ac genericum nomen, quo illas vnà exprimamus, quemadmodum facimus in calefactione, frigefactione, dealbatione, quas omnes vno, eoque communi ac generico nomine appellamus alterationes.

TEXTVS SEPTIMVS.



Vod autem hoc sit motus, hinc manifestum. Cum enim ædificabile, quatenus tale ipsum dicimus esse, actu fuerit, ædificatur; & hoc est ædificatio: similiter autem & medicatio, & volutatio, & saltatio, & adolescentia, & senescentia.

I. Declarat adhuc datam motus definitionem alijs exemplis, & præsertim quod motus sit actus, atq; exitus eius, quod est in potentia, & quidem in potentia determinata ad hunc, illumue actum, Affert autè septem exempla. Primò ædificatio est motus: ædificatio autem non est antea, neq; post, sed tunc, cum actu ędificatur: actu autem ædificatur, quando fuerit actu id quod erat ædificabile, quatenus ædificabile. Vnde conspicis ædificationem esse exitum, ac proinde actum eius rei, quæ erat in potentia ad talem exitum. Hoc exemplum pertinet ad motum localem.

II. Secundum exemplum est, similiter autem & μάθησις, quod exemplum in plerisque latinis codic. desideratur: & quod magis est, ab Argyrop. viro alioquin sedulo est omissũ: antiqua verò translatio habet, *similiter autem, & doctrinatio*: Codex Parisien. legit, *actus ędiscendi*, ipsum videl. actu addiscere: & si ita loqui licet, addiscentia, quæ quidè tunc est, quando id quod poterat discere quatenus huiusmodi, actu discit. Atque hoc exemplo Arist. indicat alterationem pertinentem ad animam.

III. Tertium exemplum est medicatio. quæ non nisi tunc est, cum id quod poterat medicari, actu medicatur. & hoc exemplo significatur alteratio pertinens ad corpus. Subiungit volutationem, & saltationem, in quarum priori denotat motum localem, qui fit ab alio: in posteriori verò motum localem, qui ab ipso quod mouetur.

Subdit καὶ ἀδρυνσις, parum aptè in latinis codic. legitur *adolescentia*, cum adolescentia non significet actualem motum, sed partem ætatis: ideo dic, & progressio ad adolescentiam: nam ἁδρύνομαι est cresco, siue augesco. Hoc exemplo indicat Arist. motum augmenti: per quod innuitur etiam oppositum, id est decrementum.

IV. Denique καὶ γήρανσις, hoc etiam exemplum frigidè transfertur *senectus*, Melius *senescentia*, vt legunt

Digitized by Google

legunt alij : & est ipse progressio, siue tendentia,
motus senascendi. Quo quidem exemplo de-
notat corruptionem, per quam etiam intelligi-
mus oppositam, videl. generationem. Ita Philo-
sophus his exemplis, quæ apertaiim videtur pro-
ijcere, ingeniosissimè complectitur omnes om-
ninò motus: Quocirca præter omne æquum Ae-
gyr. prætermittit etiam duo hæc vltima exempla.
Sed pergo.

TEXTVS OCTAVVS.



*Voniam autem quædam ea-
dem & potentia, & actu
sunt, at non simul, aut
non secundum idem, sed
vt calidum quidem poten-
tia, frigidum autem actu,
multa iam agent, & pa-
tientur a se inuicem: om-
ne enim erit simul acti-
uum, & passiuum: quare & mouens physicè mobile
est, omne enim huiusmodi mouet, cum & ipsum
mouetur. Videtur igitur quibusdam omne quod
mouet moueri, sed de his quidem ex alijs erit
manifestum quomodo se habent. Est enim quoddam
mouens & immobile.*

Excitat Arist. in præsenti contex. difficultatem
circa motus definitionem. & probat non rectè
I. fuisse dictum, quod motus sit actus entis in poten-
tia. Sed potius dicendus sit actus entis in actu.
Dubitatio sic potest colligi. Omne physicum, &
corporeum, mouens est & ipsum mobile id est,
omne mouens physicum etiam ipsum mouetur:
& e contra, omne quod physicè mouetur, etiam
ipsum mouet, & reagit: *agunt enim, & patiuntur
ad inuicem*. Sed omne mouens est actu, ergo &
omne quod mouetur est actu: Motus autem, vt in
definitione diximus, est actus eius quod mouetur,
ergo motus est actus eius quod est actu, & non eius
quod est potentia. Hæc est difficultas.

Arist. autem sic in tex. progreditur. Primò ia-
II. cit fundamentum, ex quo huius difficultatis solu-
tio eruitur; Secundo indicat difficultatem: Ter-
tiò, refert quoddam Veterum dictum. Fundamen-
tum est. Multa eadem sunt & potentia, & actu,
sed aut sunt talia non simul, aut non secundum
idem. *Non simul*, id est non eodem tempo-
re, veluti eadem facultas est & loquendi, &
tacendi, at non simul: quippe dum quispiam
silet, est in potentia ad loquendum: dum
autem loquitur, est actu. Ita *Non secundum
idem*, sed respectu diuersorum aliquid est &
potentia, & actu; vt V. G. vinum est *calidum qui-
dem potentia, frigidum autem actu*. Hinc erui-
tur solutio inductæ difficultatis. Nam licet quod
physicè mouet; mouetur; & vt Auctor lo-
quitur, *mouens physicè mobile sit*, & e contra;
hoc tamen non competit illi secundum idem;
sed mouet quatenus est actu, mouetur quate-
nus est potentia.

Sunt qui aiunt, ex hac Stagiritæ solutione dis-
solui etiam quædam alia dubia, quæ circa na-
turam, ac definitionem motus suboriri pos- III.
sent. Simplic. adijcit hoc. Dictum est, mo-
tum esse actum eius quod est in potentia,
quatenus in potentia. Posset aliquis credere,
id quod mouetur, debere esse solum in po-
tentia, & nullo modo actu. Quippe si mo-
tus est actus eius quod est in potentia, pro-
fectò non erit eius quod est actu, cum actus,
& potentia opponantur. Hoc autem aduersa-
tur doctrinę eiusdem Philosophi libro quinto
huius operis, quo loci secernens generationem a
motu ait, omne quod mouetur, esse actu:
quod verò generatur, non esse actu; sed po-
tentia; quare quod mouetur non modo erit
in potentia, quatenus in potentia, verùm e-
tiam erit actu. Et ratio quoque id idem euin-
cit, quia si actu mouetur, actu est.

Quod quidem dubium depellitur ex doctrina IV.
nunc data, quia quod mouetur, est quidem actu,
at non mouetur quatenus est actu, sed quatenus est
in potentia. Nec inconuenit, vnum atque idem
esse & actu, & potentia, non quidem ad idem,
sed secundum diuersa, V. G. aqua dum calefit,
existit actu, veruntamen non calefit qua est actu,
sed qua actu quidem non est calida, sed tamen ap-
ta calefieri: Discrimen autem ab Stagirita con-
stitutum inter generationem, & motum, in eo posi-
tum est, quod id quod mouetur, est actu ens, cum
motus expostcat subiectum actu ens, quale est sub-
iectum omnium accidentium: generatio verò ac
corruptio, vtpote mutationes substantiales, nun-
quam exigunt huiusmodi subiectum, quod sit actu
ens, sed ens tantum potentia, quæ est materia pri-
ma.

Addunt alij, per hanc eandem Philosophi doctri-
nam tolli aliud quoque dubium, quod huiusmodi V.
est. In definitione motus constitutum est, motum
esse actum eius, quod est in potentia, prout in po-
tentia. Modo potentia est opposita actui: quæ ta-
men duo, id est actus, & potentia, iuxta defi-
nitionem motus, erunt simul in vno atque eodem
mobili. Nam si in mobili est motus, ergo est
actus; & si illud mouetur prout est in potentia, er-
go in eodem simul etiam erit potentia. quæ duo
videntur repugnare.

Hæc dubitatio tollitur, quia non incon-
uenit, in eodem mobili adesse actum, & po-
tentiam simul, sed respectu diuersorum. Est
in hoc mobili dum actu mouetur, actus re-
spectu partium seu graduum præcedentium
formæ acquisitæ. Est potentia respectu gra-
duum subsequentium eiusdem formæ acquiren-
dæ,

dæ, vt inferius latius explicabo. Quæ contemplationes e rè quidem cadunt, sed nos ad Aristotelem reuertamur.

Qui in tertia part. tex. *videtur igitur quibusdam,*
VI. *omne quod mouet, moueri*. Arrepta occasione ea eo quod asseuerat, quod *mouens physicè mobile est, omne enim huiusmodi mouet, cum & ipsum mouetur.* Hoc assertum, inquit Aristot. quomodo veritatem contineat, & quomodo ab ea discrepet, explicatum est in libro octauo: Ibi namque demonstratum habes, dari *quoddam mouens, & immobile.*

TEXTVS NONVS.



IVS autem, quod potentia existit actus, cum actu existens agit, aut idem, aut aliud, quatenus mobile, motus est. dico autem quatenus sic. est enim æs potentia statua, attamen æris actus, quatenus æs, motus non est. non enim idem est æri esse, & potentia quadam mobili: quoniam si idem esset simpliciter secundum rationem, esset vtique æris, quatenus æs, actus motus.

Communiter opinantur interpretes, præsertim
I. verò Græci, Aristotelem, postquam in tex. proximè praeced. dissoluit dubitationem, hic repetere clariorem, & ampliatam motus definitionem, ex qua quidem vberius natura motus innotescat. Ast ego existimo, in prima parte huiusce contex. describi ab Stagirite qualis vnquam actus sit illa, qui in definitione motus positus est, dum fuit dictum, motum esse actum eius, quod est in potentia. In 2 verò parte tex. declarari eundem actum exemplo æris.

II. Prima pars, quæ sic cómuniter legitur in codicibus græcis, est mendosa: ac proinde omnes latinæ translationes huius loci sunt falsæ, quas referre parco. Græca verba hæc sunt, ἡ δὲ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ὅταν ἐντελεχείᾳ ὂν ἐνεργῇ, ἢ αὐτὸ, ἢ ἄλλο, ᾗ κινητὸν, κίνησίς ἐστι. quæ sic sonant. *Eius autem quod potentia est actus, cum actu existens agit, aut ipsum, aut aliud, quatenus mobile, motus est.* Antiqua translatio proximius, vt solet, verbis græcis inhærens, sic legit. *Sed potentia existentis cum entelechia ens agat aut ipsum, aut aliud in quantum mobile, motus est.* quæ omnes inuolutum reddunt sensum. In antiquissimo codice meo græco sic lego ἡ δὲ τοῦ δυνάμει ὄντος, ὅταν ἐντελεχείᾳ ὂν ἐνεργῇ, οὐχ ᾗ αὐτὸ, ἀλλ᾽ ᾗ κινητὸν, κίνησίς ἐστιν. Hanc lectionem puto synceram Aristotelis: & ita etiam legebat Aspasius, & Themist. quemadmodum in margine eiusdem codicis græci adnotatur. Quæ latinè ad verbum sic sonat. *Actus verò eius, quod potentia est, quando actu existens agit, non quatenus est ipsum, sed quatenus est mobile, motus est.*

Lubet exscribere verba Simplicij, qui etiam vtramque hanc lectionem indicauit: Sed dupliciter, inquit, horum verborum scriptura fertur. Siqui- III.
dem secundum Aspasium, & Themistium, & plura exemplaria sic se habet. Eius autem, quod est potentia, quando cum actu fuerit, agit non quatenus ipsum, sed quatenus mobile, motus est. At secundum Alexandrum, & Porphyrium, sic iacet scriptura. Qui est autem eius quod est potentia, quando actu fuerit aliquid agens, siue idem, siue aliud, quatenus mobile, motus est. Verùm Alexander non ignorauit scripturam Aspasij, sed magis huic addictus est, quòd etiam addit quandam differentiam motus. Nam illud additum, vel idem, vel aliud, ast indicatiuum huius; scilicet, quendam motum ex se ipso esse actum secúdum id, quod est potentia, veluti auctio, & diminutio est, cũ intrinsecus fit, & latio naturalis secundum locum, & mutatio animalium secundum appetitum, & inclinationem: Sed ab alio agitantur ea, quæ vi mouentur, & secundum artem omnia fiunt, & sanè aliud agit, & aliud fit, sed commune ambobus est actus, secundum id quod est potentia, quæ non minus est passio, quàm actio. Hæc Simplic.

Cæterum ego secundam hanc scripturam, cui IV.
Alex. & Porphyrius adhæsere, quæque, vt iam indicaui, communiter in exemplaribus græcis, legitur existimo ab Stagiritæ calamo alienam. Nec esset, cur Arist. motus definitioné post duos cótextus iterum apponeret. Et discrimen ab Alexandro adiectum, de motu eorum quæ a semetipsis, aut ab alio mouentur, ast incongruum: quia cum Philosophus in hoc cap. tradat definitionem omni motui communem, insulsè faceret, si differentiam motuum, aut motorum intruderet.

Stagiritæam itaque puto, quam ex antiquo illo exemplari superius adduxi, quamque veriorem re- V.
putarunt etiam Aspasius, & Themist. Quasi itaq; Auctor præfatis verbis distinguat actum, quod alius ast, per quem aliquid est ipsum quod est, & per quem primò ac naturaliter agit; atque hic est actus, & forma substantialis. Alius verò ast, per quem aliquid est, & agit non absolutè quatenus est ipsum, sed quatenus est tale, aut tale. V. G. forma substantialis aquæ est actus, per quem aqua est aqua, & per quem primò ac naturaliter agit; Calor autem in eadem aqua ab agente extrinseco excitatus, est itidem actus eiusdem aquæ, sed non qua ipsa est aqua, sed qua est calefactibilis. Inquit itaq; Aristot. quod motus est actus eius entis, quod est in potentia, quemadmodum in definitione diximus, cum illud ens est actu (quippe quod mouetur, actu sit necesse est,) καὶ ἐνεργῇ, & agit, seu mouetur; sed non est ille actus, per quem illud ens est ipsum quod est, siue per quem constituitur in esse, sed est actus eius, quatenus illud est mobile. Vides, vt explicat, quisnam actus sit motus?

Hanc actuum distinctionem perpende, quàm luculenter ipsemet Auctor illustrat exemplo æris dum

dum ait, *dico autem quatenus sic, est enim æs potentia statua, &c.* Descripsi, inquit, motum non esse actum, quo quippiam est ipsum quod est, siue quatenus est tale ens, sed esse actum, quatenus illud est mobile: Hunc distinctionem, siue
II. hoc *Quatenus* ita declaro. Æs potest gemino modo spectari: & quatenus est æs, & quatenus est in potentia vt fiat statua. Alius igitur est actus, quo æs est æs: alius ille per quem potentia æris ad statuam actuatur. Motus non est ille actus prior, sed posterior, & vt Arist. loquitur, *æris actus, quatenus æs, motus non est*, sed est ille actus, quem respicit æs pro vt est potentia statua. Hos autem duos actus esse in ære distinguendos, confirmat Aristot. *non enim idem est æri esse, & potentiæ quadam mobili*. Alia est ratio æris, alia quod sit potentia statua. Nam si hæc non essent hoc pacto duo, sed essent *idem simpliciter, & secundum rationem*, tunc *motus esset actus æris, quatenus æs est*: Quod est
III. aperte falsum, *non est autem idem, vt dictum est*; Nam aliquando a parte rei est æs, nec tamen est motus: Quare motus erit actus æris, non qua illud est æs, sed qua est mobile, qua videl. est aptum moueri, & effici statua. Deinde cum ait.

TEXTVS DECIMVS.



Anifestum est autem & in contrarijs, posse enim valere, & posse ægrotare, alterum est. Namque ægrotare quidem, & valere idem esset: Subiectum autem & id quod valet, atque ægrotat, siue humiditas, siue sanguis, vnum, & idem est: quoniam autem non est idem, (quemadmodum neque color idem, & visibile) possibilis quatenus possibile, actus, manifestum quod motus est.

Constituit Aristot. subiectum spectari, & qua ipsum est, & qua est mobile, atque hæc duo discriminati inter se secundum rationem, idque declarauit exemplo æris: nunc hoc idem ostendit ratione, vt demum comprehendamus, motum esse actum entis quatenus illud est mobile.

I. Accipit vnum aliquem humorem existentem in corpore humano, veluti *humiditatem*, pituitam, *aut sanguinem*: Nos claritatis gratia accippiamus corpus humanum. In hoc corpore est δύνασθαι ὑγιαίνειν; Parum rectè latinè vertitur, *posse valere*, dic, *posse sanari*. Nam *sanari* denotat motum, & actualem transitum ab ægritudine ad sanitatem, quem motum haud exprimit vox *valere*, sed potius significat quandam degentiam, & statum sanitatis: Arist. autem hoc loco intendit exprimere potentiam mobilis ab vno ad aliud, vt vides in altero membro, καὶ δύνασθαι κάμνειν, & *posse ægrotare*: siquidem *ægrotare* motus est. In corpore itaque humano est potentia vt sanetur, & potentia vt ægrotet; quæ quidem potentiæ licet sint subiecto eædem; tamen ratione & essentia sunt diuersæ. Nam si non essent diuersæ, ergo neque actus earundem essent diuersi, cum potentiæ distinguantur, & multiplicentur per actus. Et tunc sanari, & ægrotare essent idem; quod nemo nisi amens dixerit: corpus autē humanum, *& id quod sanatur, aut ægrotat, vnum, atque idem est*. Hic itaque habenus tria: videl. vnum subiectum, & duas potentias ad contrarios motus.

Tunc collige. Sanari est quidam motus, ægrotare est itidem quidam motus: At isti non sunt II.
actus eius quod sanatur, aut ægrotat, quatenus est corpus: neque motus ægritudinis est actus eius quatenus est præditum potentia vt sanetur, neque sanatur quatenus potest ægrotare, sed sanatur, qua sanabile, ægrotat, qua ægrotabile. ergo rectè constitutum a nobis est, motum esse actum entis in potentia, non quatenus ipsum est, sed quatenus est mobile.

Arist. verò ita colligit. *Quoniam autem non est idem, (quemadmodum neque color idem, & visibile) possibilis, quatenus possibile, actus, manifestum, quod motus est.* Quoniam, inquit, subiectum, & præfatæ potentiæ non sunt idem, vt nunc dicebamus, manifestum est, quod ille actus, qui est eius quod est possibile, quatenus est possibile, est motus; veluti ægritudo est actus ægrotabilis quatenus est ægrotabile.

Appendit per parenthesim confirmationem, quod subiectum qua ipsum, & qua potens ægrotare sint diuersa, dum ait, *quemadmodum neque color, idem, & visibile*.

Difficultates ad tex. 10.

ARist. aduersatur sibi. Nam hic ait, non eandem esse potentiam ad sanitatem, & ægritu- III.
dinem, *sed alteram*: In quarto autem lib. tex. 84. sancit, vnam atque eandem esse potentiam contrariorum: & ita etiam habet tum nono Metaph. tex. 2. tum alibi sæpe.

Deinde, in hoc tex duo conuoluit. Vnum, quod potentia ad sanitatem, & ad ægritudinem sunt contraria, ait enim, *manifestum est & in contrarijs, posse enim sanari, &c.* & sanè potentiæ rerum contrariarum contrariæ sunt. Alterum, quod ait est, quod istarum, *subiectum, & id quod sanatur*, aut ægrotat, *vnum, & idem est*. Quomodo in vno & eodem subiecto inerunt simul duo contraria?

Ad 1. respond. quod in quarto Phys. loco indu- IV.
cto Stagirites loquitur de potentia passiua, quæ est materia; Hæc successiuè recipit formam, & priuationem;

tionem: & sic eadem potentia est contrariorum: ait enim; *Nos autem dicimus, quod est materia vna contrariorum, calidi, & frigidi, & aliarum naturalium contrarietatum*: Ita eadem numero superficies modo suscipit albedinem, modo nigredinem. In præsenti autem tex. sermonem habet de potentia, non qua importat ipsam materiam, & subiectum, sed qua denotat proximam eius aptitudinem ad aliquid: ideoque potentia hoc modo dicta, intimè concernit respectum ad aliud. Quo fit, vt quemadmodum illa, quæ dictæ potentiæ respiciunt, sunt contraria, sic & potentiæ erunt contrariæ.

Si verò sermo sit de potentijs actiuis, potentia libera eadem est contrariorum: potentiæ verò naturales sunt vnius tantum contrarij determinatè: Sic explicat ipse Philosophus nono Metaph. tex. 3. his verbis. *Atque omnes ea potentia, quæ sunt participes rationis, contrariorum eadem sunt effectrices: Expertium autem rationis, vna vnius est principium solum. Calidum enim calefaciendi tantum principium est: Medendi verò facultas ægritudinis est & sanitatis effectrix*.

V. Ad 2. dico, contrariorum alia quidem esse absoluta, veluti calidum, & frigidum, album, & nigrum; alia verò respectiua. Priora contraria in gradibus summis esse simul in eodem non possunt: possunt autem in refractis. Posteriora verò contraria nil prohibet, quin simul sint in eodem: sicut idem homo ad diuersa collatus potest esse & dominus, & seruus. Ex hac classe sunt potentiæ contrariæ, vnde commodè degunt simul in vno atque eodem subiecto.

TEXTVS XI.



Vod igitur est hic, & quod accidit tunc moueri, cum actus iste est, & neque prius, neque posterius, clarum est: contingit enim vnumquodque quandoque quidem operari, quandoque autem non: vt ædificabile, quatenus ædificabile, & ædificabilis actus, quatenus est, ædificabile, ædificatio est: aut enim huius ædificatio, aut domus actus est ædificabilis, cum domus sit; non amplius ædificabile est. ædificatur autem ædificabile. necesse est ergo ædificationem actum esse: ædificatio autem motus quidam est: at verò eadem conuenit ratio & in alijs motibus.

I. Nexum huius tex. quicquid alij dicant, hunc esse existimo. Duo explicauit Aristot. in duobus proximis contextibus. Vnum erat, Qualisnam sit actus, qui in definitione motus fuit positus. Alterum, Quid denotet particula *Quatenus*, in eadem definitione adiecta. Nunc in præsenti contex. colligit conclusionem de vtroque: & adhuc declarat secundum exemplo ædificabilis, & ædificationis.

Vtrumque sic colligit. *Quod igitur est hic, & quod accidit tunc moueri, cum actus iste est, & neque prius, neque posterius, clarum est*. Manifestum est, quod motus *est actus hic*, quem in duobus proximè antegressis contex expofuimus, quod videl. non est actus entis, *quatenus est ipsum*, quod est, & tale ens, *sed quatenus est mobile*.

Veruntamen hic duo animaduerte. Vnum est, quod hæc particula *Quatenus* ad duo potest referri, Primò ad mobile: Secundò ad motum. Cum refertur ad mobile, secernit rationem mobilis ab omnibus alijs rationibus in eodem mobili existentibus: Alia namque est ratio, quod aliquid sit mobile, alia quod sit ens, aut corpus, *& non est idem æri esse, & potentia quadam mobile*, ait Aristot. in tex. 9. V.G. aqua est ens, corpus, elementum, &c. calefactio, siue motus calefactionis haud est actus eius quatenus illa est ens, aut corpus, aut elementum; alioquin omne elementum, & omne corpus, atque adeo omne ens caleficret: Quod est falsum; sed est actus aquæ, quatenus illa est calefactibilis. Quam significationem exposuit Aristot. in tex. 9. Cum autem vox *Quatenus* refertur ad motum, excludit rationem præteriti, & futuri, in quibus mobile non est in actuali motu; & coarctat ad præsentem motum, & actualem tendentiam ad vlteriora: Atque hunc potissimùm sensum exponit Aristot. in hoc tex. quamuis cum hoc explicet etiam priorem. II.

Quod vt adhuc introspicias, perpende, quod mobile iuxta triplicem statum potest spectari. Primus status est, cum aliqua res est apta, & si vis, etiam præparata vt fiat aliquod opus, veluti ligna, ac lapides ad ædificationem domus, sed tamen nondum est ædificatio. Secundus status est, cum iam opus peractum est, veluti cum domus est absoluta: Nam licet ædificabile respectu huius domus non sit amplius ædificabile, vt etiam ait Aristot. in hoc tex. absolutè tamen est ædificabile. Quid enim vetat, ex iisdem lignis, ac lapidibus aliam atque aliam erigi domum? Tertius demum status est intermedius, in quo mobile versatur in actuali motu. Motus non est actus mobilis in primo, aut in secundo statu, sed tantum in tertio: & propterea est actus mobilis, quatenus mobile, siue quatenus in potentia. III.

Hæc omnia perpende in tex. Motus nō *est prius*, quando nimirum mobile solummodo est aptum, aut etiam præparatum, &, vt nos distinximus, quando est in primo statu: quoniam tunc res quiescit. *Neque est posterius*, quia tunc non amplius est mobile respectu huius motus, *nam cum domus est, non amplius ædificabile est*. Relinquitur ergo vt motus sit tunc, cum mobile actu subijcitur actioni quatenus subijcitur, *vt ædificatio est ædificabile, quatenus ædificabile*, id est ædificatio est, quando ædificabile actu subijcitur actioni ædificationis quatenus subijcitur. Vel *ædificatio est actus ædificabilis, quatenus ædificabile*, vtrumque enim habet Arist. in IV.

in hoc tex: Addit in calce tex. quod *eadem conueniet ratio & in alijs motibus*, atque de ædificatione dictum est.

Adnotatio.

Ait in tex. ἕκαστον ὁτὲ μὲν ἐνεργεῖ, ὁτὲ δὲ μή: Latinè sonant, & ita sunt translata, *Vnumquodq; quandoq; quidem agit*, seu, *operatur, quandoq; autem non*. Verbũ ἐνεργεῖ, hoc loco accipio passiue, quẽadmodum tetigi ad tex etiam 9. vt idem polleat, atq; mouetur, siue subijcitur actioni: Quam quidem significationem luculenter euincit Auctoris exemplũ: subdit enim, *vt ædificabile, quatenus ædificabile*. Quem autem fugit, ædificabile non agere, sed pati, ac moueri, & actioni ædificatoris subijci?

Ait præterea, quod ἡ οἰκοδόμησις ἐστὶν ἡ τοῦ οἰκοδομητοῦ ἐνέργεια, ᾗ οἰκοδομητόν, latinè legitur, *ædificatio est ædificabilis actus, quatenus est ædificabile*. Non rectè ἐνέργεια vertitur *actus*. Tum quia ἐνέργεια significat operationem, siue actionem: actus autem simpliciter denotat aliquam formam, & actum primum: Tum quia Arist. dum in his contextibus efferi actum, quem in motus definitione collocauit, nunquam vtitur voce ἐνέργεια, sed ἐντελέχεια, quæ rectè vertitur actus, vt appatet cùm ex alijs Aristotelis locis, tum ex definitione animæ. Eodem pacto corrigenda sunt verba quæ sequuntur, ἀνάγκη ἄρα τὴν οἰκοδόμησιν τὴν ἐνέργειαν εἶναι. *Necesse igitur ædificationem actum esse*. dic, *necesse igitur, ædificationem actionem, seu operationem esse: ædificatio autem motus est*.

CAPVT II.

Definitionem motus rectè esse assignatam ostendit Arist. ex comparatione eorum, quæ alij de motu dixere.

TEXTVS XII.



QVOD *autem benè dictum sit, manifestum & ex ijs, quæ alij de ipso dicunt, & ex eo, quod non facile est definire aliter ipsum: neq; enim motum, & mutationem ponere in alio genere poterit vtique aliquis: neque qui aliter dixerunt de ipso, rectè faciunt. Manifestum autem est considerãtibus, quod ponunt nonnulli ipsum alteritatem, inæqualitatemque, & quod non est, dicentes esse motum, quorum nullum necessarium est moueri, siue altera sint, siue inæqualia, siue non existentia. Sed neque mutatio aut ad hoc, aut ex his magis est, quàm ex oppositis.*

Tradidit, & particulatim explicuit motus definitionem: pergit nunc patefacere eam rectè esse traditam. Quod facit, primò quidem ex confutatione eorum, quæ de motu alij protulerunt. Deinde ex eo, quòd ex definitione iã assignata depellantur omnes difficultates, quotquot circa motus essentiam ac conditionem emergunt. Et quidem in hoc contex. ita facit: Constituit suam propositionem: Refert tria quorundam Veterum dicta circa motum: Et illa pro parte euertit. I.

Ait itaque. Quod definitio motus benè a nobis confecta sit, potest ostendi, *& ex ijs quæ alij de ipso dixerunt*, quia videl. illa sunt falsa, & imaginaria. Quæ probandi ratio ab Arist. sæpe adhibetur. Ita in octauo huius operis lib. tex. 13. & 14. ex eo confirmat, motum, ac mundum extitisse æternos, quoniam quæ ab Anaxagora, Empedocle, cæterisq; antiquis Philosophis de ijs edita sunt, erant *figmento similia*: Ita in secundo de cælo cap. 2. ex eo comprobat, Vniuersum esse ingenitum ac immortale, quia qui aliter ipsum posuerunt, planè *dixere impossibilia*. Porrò absurditas contrariæ opinionis detecta est valida confirmatio nostræ. Sic in præsenti Veteres ea de motu sanxere, quæ apertè existunt a veritate aliena, vt mox audies.

Interea addit, ex eo etiã posse ostendi, quod motus rectè sit a nobis definitus, *quod non facile est definire aliter ipsum*. Probat. *Neque enim motum, & mutationem ponere in alio genere poterit vtiq; aliquis*. Qui alicuius rei essentiam ac definitionem explicare meditatur, is primò debet accommodatum eius genus deprehendere; quo deprehenso, haud erit difficile inuenire differentiam inter rem illam, & alias sub eodem genere contentas, vnde statim legitima emergit definitio. Sed non est facile, motum constituere in alio genere, quàm nos eum posuimus. quare *neque erit facile definire aliter ipsum*: ideò qui de ipso aliter dixerunt, non rectè philosophati sunt. II.

Deinde cum ait, *Manifestum autem*, &c. apponit tria quorundam Veterum dicta de motu, asserentium motum esse ἑτερότητα, καὶ ἀνισότητα, καὶ τὸ μὴ ὄν, *alteritatem*, siue, *diuersitatem*, *& inæqualitatem*, *& id quod non est*, seu *ipsum non ens*. Asseruerunt, motum esse *alteritatem* quidem, quia id quod mouetur, semper alio atq; alio modo se habet: *inæqualitatem* autem, quia quod mouetur, semper magis ac magis accedit ad terminum, ac proinde semper est inæquale. Demum dixerunt esse *non ens*, quoniam id quod mouetur, dum mouetur nõdum est id ad quod mouetur: Quod etenim ad calorem mouetur, nondum calidum est. III.

Quæquidem dicta illico Aristot. perstringit cum ait, *Quorum nullum necessarium est moueri, siue altera sint*, &c. In motu adsunt subiectum quod mouetur, & termini, inter quos fit motus, a quo, & ad quem. Tunc accipit argumentum ex tribus: ex subiecto, ex termino ad quem, & ex termino a quo. Et quidem ex parte subiecti hoc modo. Si motus esset alteritas, seu diuersitas, aut inæqualitas, IV.

tas,

tis, aut non ens, tunc omne alterum ac diuersum, & omne inæquale, & omne itidem non ens, semper ac necessario moueretur. Nam cuicunque inest motus, id semper ac necessario mouetur: si autem motus esset alteritas ac diuersitas, hæc inesset omni alteri ac diuerso: Ita si esset inæqualitas, hæc inesset omni inæquali; & si denique esset non ens, inesset omni non enti. Sed dantur complura altera ac diuersa, tum complura inæqualia, nec non multa non entia, quæ tamen non mouentur; quandoquidem aurum est alterum ac diuersum ab argento, lignum a lapide, homo ab equo: nec tamen propterea quia sunt altera ac diuersa, mouentur vnquam. Ita mons est inæqualis denui, elephas muscæ: nec tamen ob id mouentur. Ita negatio, aut priuatio est non ens, & non mouetur.

Quid vero? omne ens habet in se non ens; & est aliquod non ens, V. G. homo non est ens quod est equus: ac proinde est tale non ens: nec tamen propter hoc mouetur: alioquin cuncta entia perpetuo mouerentur. Quod & ratione, & sensui aduersatur, vt demonstratur a Philosopho cùm alibi, tum octauo lib. huius operis a tex. 22. Non igitur motus est aliquid illorum trium ex parte subiecti. Quod autem spectat ad terminos, ad quem, & a quo, probat cum ait.

Sed neque mutatio, aut ad hæc, aut ex his magis est, quàm ex oppositis. Sic construe. Si motus ac mutatio esset alteritas, aut inæqualitas, aut non ens, ex parte termini ad quem, sequeretur, omnem motum esse ad vnum aliquod istorum, tanquam in terminum ad quem: Hoc verò est falsum, quia *motus, ac mutatio non magis est ad hæc, quàm ad opposita*. Enimuero motus non magis est ad alterum, quàm ad simile, aut ad idem. Ita non magis est ad inæquale, quàm ad æquale. Nec magis est ad non ens, quàm ad ens. Quippe generatio est mutatio ad ens: corruptio ad non ens. Quocirca motus ac mutatio non magis est alteritas, quàm similitudo, & iddentitas; neque magis est inæqualitas, quàm æqualitas: neque magis non ens, quàm ens.

Similiter ex termino a quo, quam rationem indicat Auctor illis verbis, *neque ex his magis, quàm ex oppositis*. Si motus ac mutatio esset aliquid illorum trium, ergo omnis motus deberet esse aut ab alteritate, aut ab inæqualitate, aut a non ente. At non magis motus fit ex his, quàm ex oppositis: ergo; &c.



TEXTVS XIII.



Ausa autem cur in his ponant illi; est, quoniam indeterminatum quiddam videtur esse motus: alterius autem coordinationis principia, ex eo quia sunt priuatiua, indeterminata sunt. neque enim hoc, neque tale, vllum ipsorum est, quoniam neque aliorum quicquam prædicamentorum.

Apponit in hoc tex. fundamentum, quo præfati Veteres compulsi, censuerunt motum esse alteritatem, aut inæqualitatem, aut non ens: quia videl. motus est quiddam indeterminatum, ac indefinitum talia autem sunt illa tria. L

Pro cuius rei intelligentia scito ex Aristotele primo Metaph. cap 5 quod Pythagoræi, quorum præcipuè fuit illa opinio de motu, quemadmodum superius indicaui, principia rerum omnium fecerunt numeros. Et cum omnis denario numero concludi viderent, nam gentes omnes in numerando, cum ad denarium vsque peruenerint, reuertuntur rursus ad vnitatem, dixerunt numerum denarium esse principium, & causam rerum omnium. Hinc denarium numerum in duas συστοιχίας, series, ac coordinationes ita distribuerunt, vt vna denarij series esset bonorum, formarum, habituum, & omninò earum rerum, quæ suapte natura teferunt quandam determinatam naturam: Altera verò series esset malorum, priuationum, & eorum, quæ indeterminatam ac indefinitam naturam fortiuntur, hoc pacto.

Series, & distributio Pythagorica numeri denarij.

Bonorum.	Malorum.
Finitum.	*Infinitum*
impar	*par*
vnum	*multiplex.*
dextrum,	*sinistrum.*
Mas:	*fœmina*
Quies,	*Motus.*
Rectum,	*Curuum.*
Lumen,	*Tenebræ.*
Bonum,	*Malum.*
Quadratum,	*Longius altera parte.*

II Hinc vides, quomodo illi motum inter ea contruserint, quæ habent conditionem priuationis. Et quia forma determinat, priuatio erit aliquid indeterminatum: Neq; enim priuatio per se ac directè in aliqua specie collocatur, quemadmodum ostendi ad finem lib. primi in Disput. de principio secundum priuationem, ideò motus iudicatus est, esse quippiam indeterminatum. Hoc est quod hic dicit Aristot. *motus videtur esse quiddam indeterminatum*. Cuius rei rationem subnectit, *quia principia alterius coordinationis, ex eo quia sunt priuatiua, sunt indeterminata*. Vides quod causa cur sint indeterminata, est, quia sunt ex serie & coordinatione priuationum.

III. Addit Arist. *neque enim hoc, neque tale vllum ipsorum est, quoniam* (hoc, *quoniam* dele, quod etiam in græco codic. est, ὅτι) *neque aliorum quicquam Prædicamentorum*: Reddit rationem, cur principia alterius illius συνσιχίας, coordinationis sint priuatiua, & est, quia nullum illorum est aut substantia, aut qualitas, aut quicquam ex reliquis Categorijs:

TEXTVS XIV.

CVR autem videatur indeterminatus esse motus, causa est, quia neque in potentiam eorum quæ sunt, neque in actum, licet ponere ipsum simpliciter. Neque enim id, quod potest esse quantum, mouetur ex necessitate, neque id, quod actu quantum est.

I. Relatum in tex. præced. Pythagoræorum dogma duo asseuerabat. Vnum, quod motus sit quiddam indeterminatum. Alterum, quod ideò est huiusmodi, quia est ex coordinatione priuationum. Arist. vnum amplectitur, vtpote verum. Verum etenim est, motum esse quoddam ens indeterminatum, ac indefinitum. Alterum verò, videlicet illas Pythagoræorum coordinationes, existimat inanes. Propterea tenetur ipse rationem afferre, cur motus sit aliquid indeterminatum, si non est ob illud Veterum fundamentum. Et hoc facit in præsenti contex. Postea in tex. sequ. occurrit obiectioni, & ostendit, huic enti indeterminato, videlicet motui, optimè conuenire iam assignatam motus definitionem.

II. Ait itaque, causam indeterminationis motus esse, quia *neque in potentiam, eorum quæ sunt, neque in actum, licet ponere ipsum simpliciter*. Sic collige. Omnia entia determinata aut simpliciter sunt secundum potentiam, aut simpliciter sunt secundum actum, (in quo membro intelligo tum actum ipsum, tum composita ex actu, & potentia, quæ tamen simpliciter sunt actu) quia actus, & potentia sunt simpliciter partes entis, & distinguunt, ac determinant ipsum ens. Quare ex opposito, illud quod simpliciter non est in potentia, neque simpliciter est in actu, profectò erit ens indeterminatū ac indefinitum. Motus est huiusmodi. ergo, &c. Hoc probat, ὅτι οὔτε εἰς δύναμιν τῶν ὄντων, οὔτε εἰς ἐνέργειαν ἔστι θεῖναι αὐτὴν ἁπλῶς. quæ sonant, quia *neque ad potentiam, neque ad actum est ponere ipsam simpliciter*. Dic, Non possumus motum referre ad ea entia, quæ sunt sub potentia, neque ad ea, quæ sunt sub actu. Probat exemplo de motu ad quantitatem. Nam aliquid est in potentia ad quantitatem, veluti ad auctionem, nec tamen mouetur necessario ad eam: non enim alimenta. V. G. existentia in potentia, vt ex ijs augeatur puer, illico mouentur. At si motus esset aliquid eorum, quæ simpliciter sunt sub potentia, profectò omne quod est in potentia ad aliquid, necessario moueretur ad illud. Eodem pacto, dum aliquid est actu quantum, non amplius mouetur ad quantum. ergo motus non est eorum, quæ sunt sub actu. Deinde ait.

TEXTVS XV.

ET motus actus quidem aliquis esse videtur, imperfectus tamen: causa autem est, quoniam imperfectum est ipsum possibile, cuius est actus, motus. Et ob hoc iam difficile est accipere, quid ipsum sit. Aut enim in priuationem necesse est ponere, aut in potentiam, aut in actum simplicem: Horum autem nullum videtur esse posse. relinquitur igitur dictus modus, actum quidem quendam esse, talem autem actum, qualem diximus, difficilem quidem cognitu, sed qui esse possit.

Poterat quispiam obijcere. Dixisti in definitione motus, eum esse actum: qua igitur fronte hic negas, motum posse referri ad ea quæ sub actu sunt? I.

Occurrit Aristot. in principio tex. Vtrumque rectè cohærere, quoniam actus duplex est: alius quidem perfectus: alius autem imperfectus. Modo motus est vtique *aliquis actus*, sed *imperfectus*: atque hic actus medius inter actum perfectum, & potentiam latuit Veteres, & est *cognitu quidem difficilis*, nihilominus potest esse, & reque ipsa est.

Quod verò motus sit actus imperfectus, probat, cum ait, *causa autem est, quoniam imperfectum est ipsum possibile, cuius est actus, motus*. Talis est censendus actus, quale est subiectum, cuius est actus. cum inter ista omninò debeat intercedere proportio: Subiectum mobile, cuius actus est motus, est imperfectum, quare & motus erit actus imperfectus. Minor vel ex eo liquet, quia quod II.

mo-

mouetur, prout actu mouetur, tendit ad aliquã formam, ac proinde ad aliquam perfectionem, qua actu caret. Quo fit, vt mobile, quo actu mouetur, perpetuo degat in aliqua imperfectione. ergo etiam actus, quo mouetur, erit imperfectus. Atque id in caosa est, inquit Philosophus, *cur sit difficile*, αὐτὴν λαβεῖν τί ἐςί, *ipsum*, motum, *accipere quid sit*.

Hic nota, quod subiectum, cuius actus est motus, dicitur imperfectum, non absolutè, & in quantum est aliquod ens, sed in quantum est mobile. V. G. aqua, dum calefit, non est imperfecta in ratione aquæ, sed in genere calidi, quia hac ratione actu tendit ad perfectiorem calorem. Et hoc est, quod dicit Arist. Causa, cur motus sit actus imperfectus, est, quoniam imperfectum est, *ipsum possibile, cuius est actus, motus*.

III. Annectit aliam eius ipsius difficultatis rationem, *aut enim in potentiam, &c.* Omnia quæ in rerum natura existunt, aut sunt sub potentia, aut sub actu simplici, (addit) *aut sub priuatione*: *Horum autem nullum videtur esse posse*. Motus sub nullo istorum collocari posse videtur. Non sub potentia, & sub actu simplici, quemadmodum in tex. præced. dictum est. Neque sub priuatione, vt Pythagorici illi opinabantur, quandoquidem tantum abest, vt motus sit priuatio, vt potius e contra *quies sit priuatio motus*, sicut dicitur octauo Physic. tex. 7 Et certè quod est priuatum aliqua forma, non ob id necessario mouetur ad illam. Quæ cum ita se habeant, omninò fateamur necesse est, *motum esse actum quendam, sed talem actum, qualem diximus*, nimirum imperfectũ, & medium inter potentiam, & actum simplicem ac perfectum. & propterea *est cognitu difficilis*, Nil ergo mirum, si natura, & legitima definitio motus latuit antiquos. Hactenus Arist. ex comparatione eorum, quæ alij de motu protulerant, patefecit, definitionem motus a se confectam esse optimam.

TEXTVS XVI.



Ouetur autem & mouens, sicut dictum est, omne, cum sit potentia mobile, & cuius immobilitas quies est, cui enim motus est, huic immobilitas quies est; nam ad hoc agere, quatenus huiusmodi, id ipsum mouere est, ho autem facit tactu, quare simul & patitur: iccircò motus est actus mobilis, quatenus mobile existit.

Quid in hoc, & sequ. contex. Arist. moliatur, obscurum est, ob id etiam misere tex. isti dilacerantur. Equidem gemino modo expono. Ac primo, plerique omnes Græci, tum Auerr. S. Thom. deinde alij opinantur, Aristotelem hic tradere secundam motus definitionem, quæ clarius, expressiusque declaret naturam motus, quàm fecerat præcedens motus definitio: & quę definitio se habeat ad præcedentem, tanquam materialis ad formalem, & tanquam conclusio ad principium. Definitio autem sit hæc. quod *motus est actus mobilis, quatenus est mobile*, quę iacet in calce huius tex. 16. I.

Eam autem sic, aiunt, colligi ostendit, Aristotl. quod mouens, cum mouet, etiam ipsum mouetur: Tale autem mouens sit illud, quod prius est in potentia, postea transit ad motum: & cuius immobilitas est quies: & quod agit tangendo: ac proinde dum agit, simul etiam patitur. Quæ cum ita sint, ergo tale mouens est etiam mobile: & propterea motus non est actus mouentis, quatenus est mouens, sed *est actus mobilis, quatenus est mobile*. Hæc, aiunt isti, facit Arist. in tex. 16.

Deinde in tex. 17. cum ait, *accidit autem hoc tactu motiui, &c* explicet Aristot. quod hoc, quod mouens, cum mouet, etiam moueatur ipsum, & simul patiatur, non competit mouenti per se, quo est mouens, alioquin omne mouens mouendo, ipsum quoque moueretur: quod a veritate procul abest: sed accidit mouenti, quia agit per contactum mutuum. Quod autem moueri accidat mouenti, manifestat per id, quod supradictum est, Hoc enim, scilicet actus mobilis, qui est motus, accidit ex contactu mouentis; ex quo sequitur, vt dum agit, simul patitur: & sic moueri competit mouenti per accidens. Quod autem non competat ei per se, manifestat per hoc, quod semper aliqua forma videtur mouens esse, sicut forma quæ est in genere substantię, id est in transmutatione quæ est secundum substantiam: & forma quæ est in genere qualitatis, in alteratione, & forma quæ est in genere quantitatis, in augmento, & decremento. Hæ namq; formæ sunt causæ, & principia motuum, cum omne agens moueat secundum formam: omne enim agens agit in quantum est actu; sicut actu homo facit ex homine potentia, hominem actu. Vnde cum vnumquodque sit actu per formam, sequitur, quod forma sit principium motus: & sit mouere competit alicui, in quantum habet formam, per quam est in actu: vnde cum motus sic actus existentis in potentia, vt supra dictum est, sequitur quod motus non sit alicuius in quantum est mouens, sed in quantum est mobile. Hæc D. Thom. Quæ ego examinare nolo, Ex ijs tamen quæ pro secunda horum contex. explicatione subijciam, tute ipse diiudicabis. Hæc itaque est prima explicatio. II.

Qua quidẽ explicatione iacta, pergũt eius auctores duo III.

duo explicare. Vnum est, quomodo hæc motus definitio differat a priori definitione. Alterum, quæ vnquam fuit necessitas tradendi hanc secundam motus definitionem.

IV. De primo quæsito Alexander, relatu Simplicij opinatus est, hanc secundam motus definitionem discriminari a prima, quòd illa sit nimis ampla, & ipso motu communior, cum tradatur per actum, & potentiam, quæ in omnibus Prædicamentis reperiuntur; in quibus tamen omnibus non est motus. V. G. relatio, quando columna ex dextra fit mihi sinistra absq; vllo sui motu, sed ex eo duntaxat quod ego motus sim, est actus eius quod erat in potentia: nec tamen est motus, cum ad relationem minimè sit motus, ex quinto Phys. tex. 10. Excipe Alexandri verba. *Et videtur Arist. nunc apertius dicere quid sit motus, quàm cum dixit, esse actum eius, quod est potentia, quatenus potentia est. Etenim ipsa potentia in cunctis prædicamentis est: sed non omnis actus eius, quod est potentia, motus est. Proinde ea, quæ sunt potentia, sunt ad aliquid, quatenus potentia actu fiunt. vt potentia duplum fit actu: & nos necesse est ipsum moueri, sed id, cuius duplum est, et aduenire; & sic fit ex potentia actus, non tamen mouetur: tamen omne quod mouetur, ex potentia in actum procedit: & secundum hoc latius erit, scil. actus eius quod est in potentia, qua potentia est, ipso motu*. Cum itaque Stagirites animaduerteret, primam motus definitionem esse motu communiorem, necesse habuit, tradere aliam, quæ cuicunque motui foret æqualis, & quæ cum omni motu reciprocaretur, cuiusmodi est hæc secunda definitio, quod motus sit actus mobilis, quatenus mobile est.

V. Alij autem, veluti Zab. ex Themist. aiunt, Aristotelem mutasse illam definitionem in hanc secundam, non quia illa sit communior, sed quia videtur esse communior. & ideò illa obscurior est. hæc verò manifestior: nomen enim potentiæ, & possibilis conuenit omnibus Prædicamentis, non sic nomen, mobile.

Ast vtraque hæc responsio admittenda nullo pacto est, quia reddit primam motus definitionem vitiosam, cum asserat, eam latius extendi, vel saltem videri latius extendi, quàm definitum. Quod in Peripato ferendum non est. Neque ratio Alexandri euincit, nam relatio columnæ dextræ haud est actus entis, cuiusmodi est motus, sed est denominatio extrinseca.

VI. Auerr. autem in fine com. ait, *& induxit hanc differentiam ad hoc, quod definiat motum per istam aliam definitionem, quæ est notior prima, sed prima demonstrat magis substantiam motus: ista enim definitio est materialis, prima autem est secundum formam*. Ex quibus quidem verbis reddunt nonnulli etiam rationem; cur igitur Arist. non tradidit hanc tantum definitionem, omissa illa prima? Quippe si hæc clarius effert naturam & conditionem motus, quid inaniter in cudenda illa alia impendendus erat tantus labor? Occurrunt; quod prior definitio magis declarat essentiam motus: posterior autem est manifestior. Vnde etiam patet necessitas, quare hæc definitio tradatur, quæ erat secunda dubitatio. Hæc illi.

Cæterùm, posita illa textus interpretatione, quod hic adhibeatur secunda motus definitio, ego VII. dicerem, hanc diffidere a prima, quòd illa solum explicat quid motus sit, nempe sit actus entis in potentia, quatenus in potentia; hæc verò reddit a priori rationem, cur sit huiusmodi actus. id quod hoc pacto colliges. Illud quod est actus mobilis, quatenus est mobile, est actus entis in potentia, quatenus in potentia. Quid ita? quia mobile, qua huiusmodi, est ens in potentia. Motus est actus mobilis, quatenus mobile est, quare motus est actus entis, &c.

Rem a simili declaro: In secundo de Anim. tex. 7. colligit Arist. primam animæ definitionem, quod sit actus primus, corporis, physici, organici; Deinde in tex. 12. sancit, definitiuam ac scientificam rationem non modo debere ostendere quid res sit, sed afferre etiam rationem propter quam illa sit, *non enim*, inquit, *solum ipsum quod sit oportet definitiuam rationem ostendere, sed & causam inesse, & apparere*. iccircò exinde inuestigat, & in tex. 24. tradit secundam animæ definitionem, quod sit, *id quo viuimus, &c.* per quam prior definitio demonstratur a priori, cur scilicet anima sit actus primus, corporis, physici organici, vt abundè eo loci dilucidaui. Sic in præsenti dicerem, tradi ab Stagirita hanc secundā motus definitionem, per quam demonstretur a priori, cur motus sit *actus entis in potentia, &c.*

Sic contemplarer, si illam textus explicationem, quanquam communem, existimarem veram: sed ex animo censeo, Philosophi mentem in hoc contex. neutiquam esse, tradere secundam motus definitionem, sed esse longè aliam, vt mox audies. Primò, quoniam hanc, quam auctores illius interpretationis appellant secundam motus definitionem, iam Philosophus conceptis verbis extulerat in tex. 9. Quo igitur pacto hic est noua ac secunda motus definitio? Assumptum ostendo, quia ibi decernit Aristot. motum haud esse actum entis quatenus ipsum est, sed quatenus est mobile: sic motus non est actus æris, qua æs est, sed qua alterabile: & motus calefactionis in aqua, non est actus aquæ, qua aqua est, sed qua est calefactibilis. Quod profectò perinde est ac dicere, calefactionem esse actum mobilis, quatenus est mobile, vt dicitur in hoc tex. 16. VIII.

IX. Deinde in tex. 18. ait, *motum esse actum huius mobilis, ab ipso motiuo*. Et in tex. 23. quod *motus est eius, quod potentia actiui, & passiui, quatenus huiusmodi*. Quis autem credat, has omnes esse alias atq; alias motus definitiones? minimè gentium; sed

vna

Digitized by Google

vna atque eadem definitio alijs atque alijs verbis ac modis est elata: ex qua quidem voa definitione doceemur etiam definire haoc, aut illam speciem motus, quemadmodum ipsemet Stagirites iosiouat in tex. 23. his omninò notis. *Quid igitur sit motus & vniuersaliter, & secundum partem, dictum est. Non enim immanifestum est, quomodo definiatur speciorum vna quaque ipsius.* Sic etiam facit eùm alibi in definitionibus tradendis, tùm in secundo de Anim. vbi cum io tex. 6. dixisset, *animam esse actum primum corporis physici potentia vitam habentis*, mutat in tex. 7. hæc vltima verba, *potentia vitam habentis* io organici, inquiens *erit vtique anima actus primus corporis physici, organici*.

X. His itaque aduersus communem horum contex. interpretationem excussis, equidem alio modo expono. Excitauit Aristot. in tex. 8. dubitationem, quod cum omne mouens physicum, quando mouet, ipsum quoque moueatur, & vnumquodq; moueat, io quaotum est actu, necessario sequi videtur, motum esse actū entis in actu. non autem actum entis io potentia, sicut motus fuit definitus. Quam quidem dubitationem dum io eo tex. dilueret, aiebat, huiusmodi moueotia, quæ dum mouent, etiam moueotur, constare ex poteotia, & actu. Quo fit, vt secundum vnum, videl. actum, moueant, secundum alteram, id est potentiam, moueantur. Nunc consilium Aristotelis est, vberius declarare qualia sint isthæc moueotia quæ ita mouent.

Io hoc itaque tex. 16. primò describit per tres conditiones mouens de quo agitat sermonem: deinde colligit conclusionem solutionis. Prima con-

XI. ditio est, *mouetur autem & mouens omne, cum sit potentia mobile*. Vltima verba, *cum sit potentia mobile*, non rectè efferuntur, quia referunt causam, quæ io græcis verbis non est. πᾶν τὸ δυνάμει ὂν κινητόν. verte: *omne illud quod est potentia mobile*. Quorum præterea sensus non est ille, quem communiter interpretes, præsertim verò Auerr. S. Thom. & latini adhibent, quod videl. illud mouens, cum mouet, mouatur, quod ad hoc vt moueat, transit de potentia ad actum mouendi; Et hoc est ad differentiam formarum abstractarum, quæ suos orbes immotæ mouent, quia non traducuntur de potentia ad actum mouendi, sed actu mouent perpetuo. Non, ioquam, hic est eius effati intellectus, sed est, quod illud mouens mouetur dum mouet, quod ita mouet, vt simul etiam sit mobile, habeatque aptitudinem, vt moueatur. V. G. ignis mouet aquam ad calorem, est tamen ipse quoque ab ea mobilis, cum aqua in igoem reagat, atque vel totum, vel eius partes extinguat. E contra verò mouentia, quæ in mouendo ocuuquam mouentur, non sunt mobilia: non enim Intelligentiæ orbium cælestium mocrices vicissim ab orbibus repatiuntur, aut mouentur.

XII. Secunda conditio est, καὶ οὗ ἡ ἀκινησία ἠρεμία ἐστίν. *& cuius immobilitas quies est*. Haoc quoque conditionem refero ad mouens. Tum quia hoc loco assignantur conditiones mouentis, quod in mouendo mouetur. Tum quia particula copulatiua, *& cuius immobilitas*, expressè hanc conditionem nectit cum præcedente: Illa autem fuit de mouente; quare & hæc. Vnde vocem ἀκινησία potius vetterem actiuè, immotio, siue, vt etiam aliqui interpretes habent, cessatio a motu: & si ita loqui liceret, immouentia, quàm immobilitas, propterea quod hæc voa, immobilitas, videtur potius respicere mobile, quàm mouens. Hanc autem conditionem ex eo confirmat Arist. quia *cui motus inest, huic immotio*, seu *immobilitas quies est*. Quæ tamen probatio tam mouenti, quam mobili potest aptari. Cum etenim quies sit priuatio motus, quemadmodum io octauo huius operis lib. tex. 7. asseritur, tam illud dicetur quiescere, quod potest mouere, & a motu cessat, quàm illud quod est aptum moueri, & non mouetur: vtromque erit in priuatione motus; ac proinde vtromque quiescit. Hæc conditio in æternis motoribus non reperitur, non enim illi sunt apti à motu cessare: propterea io ijs quies non habet locum.

XIII Tertia conditio. Mouentia, quæ in mouendo vicissim mouentur, *hoc faciunt θίξει tactu*: id est mouent tactu mutuo. & propterea dum mouent, etiam simul patiuntur: ad differentiam motorum cælestium, qui non mouent suos orbes contactu mutuo. Quamuis enim illi tangant ea quæ mouent, ab ijs tamen non tanguntur, neque patiuntur, vt explicatur in oct. Phys. tex. 43. Vno verbo, mouentia, quæ cum mouent, ipsa quoq; mouentur sunt corporea: In hisce enim cernere licet omnes præfatas conditiones.

XIV. Ex his colligit, *ideircò motus est actus mobilis, quatenus mobile est*. propterea quia mouens, de quo loquimur, habet has tres conditiones, videl. est potentia mobile, & est aptum a motu cessare, ac quiescere, & mouet cum contactu mutuo, propterea, ioquam, motus non est entelechia, & actus eius mouentis, quatenus mouens, & actu est, sed est *actus mobilis, quatenus mobile est*.

TEXTVS XVII.



Ccidit autem hoc tactu motiui, quare simul & patitur. Formam autem semper afferet aliquam id, quod mouet, aut hanc, aut talem, aut tantam, quæ principium, atq; causa motus erit, cum moueatur; vt actu homo facit ex eo, quod potentia existit homo, hominem.

Occurrit in hoc tex. tacitæ cuidam petitioni: & I. adijcit quartam conditionem mouentium, de quibus

bus est sermo. Dixit in tertia conditione, mouentia, quæ dum mouent, mouentur etiam ipsa, mouere θίξει, tactu, quod nos exposuimus, tactu mutuo.

Posset aliquis quærere, hoc estne perpetuum, & per se cuicunq; mouenti, an non? Occurrit, Arist. negatiuè; & ait, istud quod est mouere θίξει τοῦ κινητοῦ tactu motiui, scil. quod motiuũ seu mouens tangat, & vicissim tangatur ab eo, quod mouet, non competit per se omni motiuo, sed accidit tali motiuo physico, & corporeo, quale est id de quo hactenus locuti sumus. Quapropter tale mouens in mouendo simul etiam patitur. Sic ergo secernuntur motores cælorum, qui neque mutuo ab Orbibus tanguntur, neque patiuntur dum eos mouent.

II. Subnectit deinde. εἶδος δὲ ἀεὶ οἴσεταί τι τὸ κινοῦν, ἤτοι τόδε, ἢ τοιόνδε, ἢ τοσόνδε. communiter in latinis versionibus legitur. *Formam autem semper afferet aliquam id, quod mouet, aut hanc, aut talem, aut tantam.* antiqua autem versio sic. *species autem semper existimabitur aliqua mouens, Aut enim hec, aut qualis, aut quanta.* Quibus in verbis duo adnoto. Vnum, quod illud οἴσεται, significat quidem in lingua græca feret; at hic non in ea significatione accipio, vt sensus sit, quod mouens semper ferat; seu afferat, id est, producat aliquam formam, vt perperam plerique interpretantur: Enimuerò motus localis quam vnquam formam afferet? sed accipio, vt οἴσεται, feret, idem polleat atque *habebit.* quo intellectu rite dixeris, fero vestem, id est, habeo vestem. Alterum quod noto est, quod ἤτοι τόδε. malè vertitur *aut hanc*, vel, vt antiq. versio legit, *aut enim hec.* τόδε significat substantiam, id est, hoc aliquid, sicut etiam vertit codex parisiensis.

Illis itaque verbis assignatur ab Arist. quarta conditio mouentis, quod in mouendo, ipsum quoque mouetur, & est, quod huiuscemodi mouens sem-
III. per habebit aliquam formam, secundum quam mouet, *& quæ erit principium, & causa motus, cum moueat.* (putidus irrepsit error in latina versione, cum loco *moueat*, legitur *moueatur*) Ratio huius conditionis in manu est, quia vnumquodque agit, ac mouet in quantum est actu: ast autem actu per suam formam. Quæ quidem forma aut est *hoc*, nempe substantia, vt in transmutatione substantiali, dum ignis V. G. agit per suam formam, & producit alium ignem: aut est qualitas, vt in alteratione calor ignis, aut est quantitas, vt in augmento, ac decremento: siquidem aliquid auget prout est quantũ, sicut decernit Philosophus in primo de ort. & inter. tex. 31. & in secundo de Anim. tex. 47. Aristot. hic ponit vnum exemplum, in quo forma substantialis mouentis est principium, & causa motus, *vt actu homo facit ex eo, quod potentia existit homo, hominem.* Quis nescit, quod homo per suam formam, quæ est principium, & causa vt quo, generat alium hominem?

Et per hanc etiam conditionem secernit Philosophus mouentia corporea, quæ dũ mouent, etiã ipsa
mouentur, ac patiuntur, a mouentibus incorpo- IV.
reis atque immotis; quòd illa semper habent aliquam formam, ac proinde necessario sunt composita; ista autem non habent formam, sed ipsa sunt formæ, atque ideò simplicissimæ. Ex quibus conspicuè cernis, quàm medullitus Arist. enucleauit, qualia sint mouentia, quæ dum mouent etiam mouentur, vt inde penitius appareat, motum esse entelechiam & actum non quidem mouentis, sed mobilis, qua mobile est.

CAPVT III.

Quod motus est in mobili: & quod actio, & passio sint vnus numero motus, ratione tamen diuersa.

TEXTVS XVIII.



T quod dubitatur, etiam manifestum est, quod motus est in ipso mobili; actus enim est huius, & ab ipso motiuo. Motiui autem actus non alius est; oportet enim esse actum vtriusque. Motiuum enim est eo quod potest; mouens autem eo quo agit; sed est actiuum ipsius mobilis: quare similiter vnus est amborum actus; sicut enim idem spatium est vnum ad duo, & duo ad vnum, & accliue, & decliue, hæc enim vnum quidem sunt, ratio tamen non vna est, similiter quoque & in mouente, & in moto,

Motum rectè ab se definitum esse, declarauit superius ex ijs, quæ Veteres circa motum dixere: nũc
ostendit, eandem definitionem esse optimè assigna- I.
tam, propterea quod ex illa ipsa tolluntur difficultates, quotquot circa motum solent emergere. Exploratum quippe est, tum demum doctrinam aliquam rectè esse constitutam, cum ex ea difficultates circa eam oriri solitæ diluuntur.

In hoc tex. innuit duas difficultates, quæ illa tempestate agitabantur, & diluit accuratè. Vna
erat. In quonam est motus? in mouente ne, an in II.
mobili? Hanc difficultatem, ait Arist. ex iam assignata motus definitione apparere solutam: Enimuerò

verò entelechia & actus cuiuslibet est in eo, cuius est actus: Atqui motus, vt in eius definitione innotuit, est actus mobilis, quare est in mobili, non verò in mouente; causatur tamen a mouente: Quocirca motus est, & efficitur *ab ipso motiuo*, tamen subiectatur in mobili, cum sit *actus huius*.

II Altera dubitatio agitabatur. Vtrum alius sit actus motiui, & alius mobilis; seu potius mouentis, & moti. Respondet, *motiui actus non est alius*. Actus mouentis, & moti est vnus atque idem secundum rem, ratione verò est diuersus. Quod sit vnus secundum rem, effert, & probat, dum, ait, *oportet esse actum vtriusque*, mouentis videli., & moti, quæ vtraque ad faciendum motum concurrunt. Est quidem actus mouentis, quia motiuum nuncupamus aliquid, quia potest mouere; mouens autem appellamus, quia actu mouet. Cum itaque motiuum in actuali motu transeat de potentia ad actum, profectò habet aliquem actum, qui est quatenus producit motum. Deinde, motum prius erat in potentia vt moueretur, postea traducitur ad actum secundum quem mouetur; ergo habet in se illum eundem actum: Nam traducitur ad actum non per aliquid aliud, sed per actum mouentis. Hoc significat Arist. illis verbis, *sed mouens est actiuum ipsius mobilis*. id est causat actum ipsius mobilis. *ergo*. vt ipsemet Auctior colligit, *oportet vnum esse actum vtriusque*, nempe secundum rem.

III Hoc ipsum duplici illustrat exemplo, ac simul aperit, quo vnquam pacto illi actus diffideant ratione. Quemadmodum vna atque eadem est distātia secundum rem, cum ab vno progredimur ad duo, & cum e contra, a duobus ad vnum: nihilominus progressus est diuersus secundum rationem; quandoquidem qua progredimur ab vno ad duo, dicitur duplū: qua verò pergimus a duob. ad vnum, vocatur dimidium. Et quemadmodum vnum atque idem secundum rem est spacium, seu via, quæ dicitur accliuis, & decliuis, est tamen ratione diuersa: siquidem qua respicit accliue, dicitur ascensus, qua verò fertur ad decliue, vocatur descensus: *Hæc enim vnum quidem sunt, ratio tamen non vna est*: ita de vno illo actu, videl. motu, philosophandum erit, quod secundum rem sit vnus, ratione verò diuersus: & qua respicit mouens, dicatur actio: qua verò spectat motum, appelletur passio.

TEXTVS XIX.



Abet autem dubitationem logicam. Necesse enim est fortassis esse quendam actū alium actiui, atque passiui. illud enim actio est, hoc verò passio: opus autem, & finis illius quidem factum, huius autem affectus. Cum igitur vtraque sint motus, si diuersi quidem, in quo sunt? Aut enim vtraque in patiente, ac moto sunt, aut actio quidem in agente, passio verò in patiente. Si autem oportet & hanc actionem vocare, æquiuoca vtique erit. At verò si hoc est, motus in mouente erit: eadem enim est ratio in mouente, & in moto: quare aut omne mouens mouebitur, aut habens motum non mouebitur. Si autem vtraque in moto sunt, & patiente, actio, inquā, & passio, & doctio, & disciplina, quæ duo sunt, in ipso sunt discente. Primùm quidem actus vniuscuiusque non in vnoquoque erit. Deinde inconueniens est duobus motibus simul moueri, quædam namque erunt alterationes duæ, vnius, & ad vnam formam. At impossibile est. Sed vnus erit actus? At irrationabile est, duorum specie diuersorum vnum, ac eundem esse actum. Atqui erit, siquidem disciplina, & doctio idem sunt, passioque & actio, & docere idem quod discere, & agere quod pati. quare omnem docentem discere necesse erit, & agentem pati. III

Aduersus id quod in tex proximè antegresso sanxit, videl. actum mouentis, & moti esse vnum, excitat in præsenti tex. complicatam dubitationem. Et in tex. multa complectitur; diuidatur tamen in tres præcipuas partes. In quarum prima indicat suam intentionem: In 2. probat non esse vnum actum mouentis, & moti. In 3. vlterius colligit aliam difficultatem.

Ait itaq; ἔχει δ' ἀπορίαν λογικὴν: *habet autem dubitationem logicam*, seu, *rationalem*. At confestim quæres, quid causæ est, quod Arist. dubitationem, quæ hic excitatur de motu, ac proinde re vera est naturalis, vocet logicam? An quia proficiscatur a rationibus topicis, ac probabilibus, & quæ ad vtramq; partē possit discutiri? An verò quia ἐν μόνῳ τῷ λόγῳ, in solo discursu ac ratiocinatione verisimile habeat, rebus autem ipsis neutiquam respondeat? sic rationes Zenonis, quibus, vt in sexto huius operis lib. legemus, tollitur motus, logicæ nuncupatæ sunt. An quia procedit ex principijs communibus, & non proprijs rei propositæ? sic in cap. 3. huius lib. & in cap. 7. lib. primi de cælo, nonnullas rationes, quibus suadebatur, non esse infinitum, appellat logicas, quòd non trahuntur ex proprijs eius rei principijs. An denique λογικὴν, rationalem, po- II

nit pro εὔλογον rationabilem ? idest, aduersus ea quæ nunc decreuimus, poterit quispiam rationabiliter hunc in modum dubitare.

Deinde cum ait, *Necesse autem est fortassis esse*
III. *quendam actum alium actiui, atque passiui.* probat duplici ratione actum mouentis, & actum moti non esse vnum atque eundem, sed alium atque alium. Primò: Actus agentis, quod est mouens, est actio: actus moti est passio; Actio autem & passio non sunt vnum, sed diuersa; imò totis Prædicamentis discriminata: quare actus mouentis, & actus moti non sunt vnus & idem, sed alius atque alius.

Præterea, illi actus sunt diuersi, quorum termini, & opera sunt diuersa, cum actus specificentur a suis terminis, & innotescant ab operibus. Manifestum autem est, terminum actus, qui est a mouente, & terminum actus, qui est in moto, esse diuersos, Et similiter opus vtriusque actus esse diuersum. quare & dicti actus erunt diuersi, & non vnus. Minor probatur in tex. *quia opus, & finis illius quidem est ποίημα, factum: huius verò πάθος, affectio, seu affectus.* Opus, & terminus eius actus, qui est a mouente, est esse factum, siue aliquid fecisse: opus autem & terminus eius actus, qui est in moto, non est aliquid fecisse, sed passum esse, & consecutum esse quandam affectionem. quare actus mouentis, & actus moti non sunt vnus actus, sed duo.

Pergit, *cum igitur vtraque sint motus, si diuersi*
IV. *quidem, in quonam sunt ?* & complicat huiusmodi difficultatem: Cum isti duo actus, qui sunt motus, sint duo ac diuersi, vt nunc ostendebamus, in quonam sunt ? Aut enim ambo insident in patiente ac moto: aut iste quidem actus, qui est actio, inerit in agente, ac mouente: ille autem actus, qui est passio, est in patiente, ac moto. (supponit enim tanquam conspicuum, haud posse vtrumque actum esse in mouente.) Quicquid dixeris, in magnas incides ambages.

Antequam minorem ostendat, occurrit tacitę cuidam difficultati illis verbis. *Si autem oportet &*
V. *hanc actionem vocare, æquiuoca namque erit.* Qui tueri vellet vtrumque actum, & qui est actio, & qui est passio, esse in patiente ac moto, sic iret obuiam. Mobile est subiectum patiens, & materia motus; subiectum autem & materia sunt causa materialis eorum, quæ in ijs insunt: omnis autem causa agit, proindeque habet actionem. quare mobile habet, & passionem & actionem. Occurrit Arist. si autem oportet, & hanc appellare actionem, ὁμώνυμος ἂν ἦν, *æquiuoca vtique erit.*

Iam verò probat minorem, ac primò vltimum membrum, quod videl. præfati actus nequeant ita distribui, vt actus qui est actio, sit in mouente, actus verò qui est passio, sit in moto; quod significat illis verbis. *At verò si hoc est, &c.* probat inquam, quia tunc *motus in mouente erit: eadem enim est ratio in mouente, & in moto.* Sequitur, omne mouens habere in se motum. Quid ita ? quia si ponis in eo actum, qui est motus, & actio, ponis motum: sicut quia ponis in moto actum qui est motus & passio, ponis motum, *cum eadem sit ratio in mouente, & in moto.* Si autē in mouente dederis motū, fateare necesse est, aut omne mouens omninò moueri, quod enim in se habet motum, mouetur: aut si vis constituere aliquod mouens quiescens, vel immobile, dicas necesse est, aliquid habere in se ipso motum, quod tamen non moueatur. Hoc verò vtrumque repugnat: quare hoc modo nequeunt actus illi ac motus distribui.

Deinde probat alterum membrum, quod ambo VI.
non sint, in moto. *Si autem vtraque in moto sunt & patiente,* actio, inquam, & passio, & *doctio, & disciplina, quæ duo sunt, in ipso sunt discente.* Sequitur primum inconueniens, quod actus determinatus vniuscuiusque non erit in eo, cuius est actus: Quod inter absurda collocatur, *cū vniuscuiusq; actus in eo, quod potentia existit, & in propria materia, aptus natura sit fieri*, ex secundo de Anim. tex. 26. Consecutio autem ex eo liquet, quia actio est actus agentis, & motio est actus mouentis; quod si hæc sunt in moto, non verò in mouente, iam actus proprius agentis nō erit in eo, cuius est actus. Hoc arg. magni ducitur in quæst. An actio sit subiectiuè in passo, qua de re suo loco:

Ad hæc cum ait, *deinde inconueniens est, duobus motibus simul moueri, quædam enim erunt alteratio-* VII.
nes duæ vnius, & ad vnam formam, mira breuitate duplex ingerit incommodum, si actus mouentis, & actus moti sint in ipso moto. Vnū est, quia actus qui est mouentis & est actio, & actus, qui est moti & est passio, sunt duo actus, & duo motus, (id nunc supponitur) & sunt contrarij, sicut accliue, & decliue: quemadmodum in tex. 18. fuit dictum: ergo si ambo sunt in vno moto, hoc porrò simul mouebitur secundum duos motus, atq; eos quidem cōtrarios. Nam in quocunque est motus, illud mouetur secundū illum motum. Alterū est, quod sequeretur vt duo motus, veluti duæ alterationes specie, ac toto prædicamento distincti, terminentur ad vnam numero formam, vt albefactio, & calefactio producerent eandem formam qualitatis (actio enim, & passio ita sunt distincta.) Quod tamē contradictionē inuoluit: quia cum motus sortiatur vnitatem, ac diuersitatem a termino, sicut inferius demonstratur, motus illi essent vnus, & non essent vnus. Nequeunt igitur illi actus esse in patiente ac moto.

Subdit Aristot. *Sed vnus erit actus ?* Opinaretur aliquis inducta incommoda declinare dicendo, VIII.
actum mouentis, & actum moti haud esse duos actus, & duos motus, sed vnum, quemadmodum ipse quoq; Stagirites in tex. præced. sanxit. Intercludit Arist. hoc effugium. Et quāuis initio huius contex. probauerit, eos actus esse duos ac diuersos, etiam nunc dupliciter probat: Primò, quia sequeretur *duorum specie diuersorum vnum ac eundem esse actum.* Actus hoc loco in græco est ἐνέργεια, idest operatio: vn

de sensus

Digitized by Google

Ipsius est apertus: Agens, & patiens, mouens, & motum sunt specie, quinimo supremo genere diuersa: qui igitur poterunt vnam & eandem elicere operationem? Quod si actum accipias non pro operatione, sed pro actu primo, idem consequitur. Nam actus constituit, & specificat rem, quo igitur pacto vnus idemque actus constituet res specie diuersas?

IX. Deinde, si actus agentis, & actus patientis, seu mouentis, ac moti est vnus atque idem, sequitur primò, actionem, & passionem esse vnum & idem; atque adeò doctio, quæ se tenet ex parte agentis, & disciplina, quæ se tenet ex parte patientis, erunt itidem vnum, & idem. Quod videtur absurdum. Sequitur secundò, vt agere sit idem quod pati: & docere idem quod discere. Quod est apertius absurdum. Sequitur tertiò, vt omnis docens, addiscat, & omnis agens patiatur. Quæ apertè repugnant. quia si docet, iam habet scientiam, si discit, non habet, sed accipit. Et si agit, est actu: si patitur, est potentia. Sic ergo ex vtraque disputationis parte suppetunt difficultates: ideoque fortasse initio tex. aiebat, Arist. adesse *dubitationem logicam*, deinde cum ait,

TEXTVS XX.



N neque alterius actum in altero esse inconueniens est. Est enim doctio actus docentis, in quodam tamen; & non decisus, sed huius in hoc. Neque enim vnum duobus quicquam prohibet eundem esse, non vt est idem, vt vestis, & indumentum, sed vt est id, quod potentia est, ad id, quod est actu:

X. Eam disputationis partem amplectitur Aristot, quod actus mouentis, & actus moti, siue actio, & passio non sint duo actus diuersi, sed vnus. Vnus, inquam, secundum rem, ratione autem sunt diuersi, quemadmodum in tex. 18. exemplo progressus ex vno ad duo, & e contra: Tum viæ accliuis, ac decliuis patefactum est. Ex qua quidem distinctione supponit etiam labefactatum argum: in principio tex. 19. confectum aduersus huiusmodi vnitatem. Etenim opus, ac finis, actus mouentis ac moti non sunt duo secundũ rem. Præterea, veluti manifestum supponit, dici non posse, quod actus agẽtis, siue actio, sit in agente, actus patientis ac moti sit in moto. Et ideò diluit solum ea argumẽta, quæ huic determinationi videntur officere.

II. Primum erat. Si actus mouentis, & actus moti ambo sunt in moto, ergo actus vnius erit in alio: Quod reputatur absurdum.

Negat Arist. in principio huius tex. id censeri absurdum. *An*, inquit, *neque alterius actum in altero esse, inconueniens est*. (in græco hoc loco non est ἐντελέχεια, quæ propriè vertitur *actus*, sed est ἐνέργεια, operatio) Vel potius distinguit Arist. quod *Actum*, siue operationem vnius esse in altero contingit gemino modo: Vno quidem, vt ab illo sit decisus, auulsus, & collocatus in alio: qua ratione fieri nequit, vt vnius cuiuspiam actus & operatio sit in alio. Enimuerò cum operatio illa sit quoddam accidens, qui vnquam in aliud immigrabit subiectum? Altero autem modo, quod ille actus & operatio oriatur quidem ab vno, & cum eo perseueret coniuncta, suscipiatur tamen in alio: sic illa *non est decisa, sed huius in hoc*, quemadmodum doctio est operatio præceptoris docentis, recipitur tamen in discipulo. Cuius rei ratio quoque in promptu suppetit, quia operatio agentis non terminatur ad ipsum agens, sed in passum. Quocirca ab illo profecta residet *in hoc*.

Erat alterum argum. si actus mouentis, & actus moti ambo essent in moto, ergo idem *actus*, siue III. eadem operatio esset duorum specie diuersorum. Hoc autem est absurdum.

Respondet Arist. in 2. part. tex. *Neque vnum duobus quicquam probibet eundem esse*. græcè οὔτε μίαν δυοῖν κωλύει οὐδὲν τὴν αὐτὴν εἶναι, id est, *Neque vnam* (intelligitur ἐνέργεια, operatio,) *duorum quicquam prohibet eãdem esse*. Nihil vetat, inquit Eximius præceptor, quominus vna atque eadem operatio sit duorum specie, & genere diuersorum, non quidem ea ratione, qua eadem met est significatio vestis, & indumenti; sed vnius quidem sit tanquam existentis in potentia, alterius verò tanquam existentis in actu. *& vt est id, quod potentia est, ad id, quod est actu*. pergit.

TEXTVS XXI.



Eque necesse est docentem discere, neque si pati, & agere idẽ est, non tamen vt ratio sit vna, quod quid erat esse dicens, sicut tunica, & indumento, sed vt via a Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas, quemadmodum dictum est & prius: Non enim eadem omnia iis insunt, quæ quolibet modo eadem sunt, sed solum quibus esse idem est. At verò neque si doctio, & disciplina sint idem, & discere, & docere idem erunt: Sicuti neque si spacium vnum distantium sit, & distare hinc, illuc, & illinc huc, vnum & idem est.

Diluit vltimum argum. in quo tria illa incom- I. moda colligebat: Diluit autem inuerso ordine, nã in præs. contex. depellit duo posteriora: in tex. autem sequ. explicat primum.

Erat argumentum. Si actus agentis, & actus patientis, siue actus mouentis, & actus moti est vnus

& idem actus, sequitur, vt omnis docens discat, & omnis agens patiatur. Hoc autem planè repugnat, quia si docet, iam habet scientiam; si discit, non habet, sed accipit.

Ad hoc respondet Aristot. in prima parte huius tex. & negat sequelam. *Neque*, inquit, *necesse est, docentem discere*. Subdit, οὐδ' εἰ τὸ πάσχειν, καὶ τὸ ποιεῖν τὸ αὐτό ἐστι. (sic habent codices græci omnes) quæ syncerè sonant, *Neque si ipsum pati, & ipsum agere idem est*: & ita latinæ versiones habent, *Neque si pati, & agere idem est, non tamen vt ratio sit vna, &c.*

II. Ego suspicor, textum sic esse legendum, οὐδ' ὁ τὸ πάσχειν, καὶ τὸ ποιεῖν τὸ αὐτό, quæ sunt, *Neque verò ipsum pati, & ipsum agere idem sunt*. ita vt sit propositio negatiua, non conditionalis. Et sensus erit. Non est necesse docentem discere: neque est necesse agentem pati, siue agere, & pati esse idem: Quæ sunt duo exempla posita in argumento facto in tex. 19. & a me nunc repetito. Moueor præterea ad hanc lectionem, quia Aristot. in tex. sequenti expressè negat, *esse idem docere, & discere*: Et res ipsa clamat sic esse. Quo igitur pacto dicet hic, vt habet communis lectio, *si pati, & agere idem est*? Hæc enim propositio affirmat agere, & pati esse idem.

Nihilominus si communem lectionem volumus retinere, tunc explico, quod Aristot. illis ac subsequentibus verbis adhibeat distinctionem pro declaratione omnium, quæ in hac materia agitantur: & dicat, si vis, pati, & agere esse idem; ita docere ac discere, & alia huius classis, quæ actionem, ac passionem significant, hæc duobus modis spectari possunt: Vno quidem, *quomodolibet*, siue formaliter, siue solum entitatiuè & subiecto: Altero, vt in ijs *ratio, quæ dicit ipsum quod quid erat esse, sit vna*, quod nimirum sint vnum formaliter, siue re & ratione. Agere, pati, docere ac discere, & similia, non sunt vnum atque idem formaliter: neque enim ratio huius existimanda est ratio illius, sed sunt vnum tantum entitatiuè, ac subiecto, videl. in motu. Adhibet exemplum de via, quæ Athenis Thebas ducit, & e regione Thebis Athenas: Illa etenim re ipsa ac subiecto vna existit, veruntamen alia est ratio, qua Athenis Thebas itur, & e contra. Ita superius quoque dictum est de spacio ab vno ad duo, & e contra: & de via accliui, & decliui, quæ quidem exempla etiam ipse Auctor innuit in hoc tex. Sic in præsenti de agere, & pati, siue de actione, & passione philosophatur.

Annectit quandam rationem, cur, si hæc, actio,
III. passio, &c. sunt vnum ac idem entitatiuè ac subiecto, non sequatur esse etiam vnum ac idem formaliter, *quia non eadem*, inquit, *omnia ijs insunt, quæ quolibet modo vnum sunt, sed solum quibus esse idem est*. Non est necesse, vt quando aliqua sunt vnum quomodolibet, quicquid conuenit vni, conueniat etiam alteri; sed tunc solummodo id euenit, cum illis est vna essentia, siue cum ea sunt vnum re & ratione. Cum itaque illa quæ nunc enarrauimus dissideant inter se ratione, quamuis subiecto conueniant, vnum non erit formaliter alterum.

Erat secundum incommodum in illo eodem argum. in tex. 19. confecto, quod si actus agentis, & IV.
actus patientis sunt vnus & idem actus, sequitur, vt agere sit idem quod pati, & docere idem quod discere. Quod est absurdum.

Negat Arist. in secunda parte præsentis contex. etiam hanc sequelam. Et ratio est euidens ex solutione nunc data; vnum enim istorum formaliter non est alterum. Nihilominus incompatibilis vic adhuc addit aliquid subtilius. Quod etiamsi concedamus, doctionē, & disciplinam esse idem, non tamen sequitur, esse idem ipsum docere, & discere: *At verò*, inquit, *neque si doctio, & disciplina sunt idem, & discere, & docere idem erunt*.

Cuius quidem negationis ratio ea communiter solet afferri, quòd doctio, & disciplina significantur in abstracto: docere autem, & discere applicantur in concreto. Quocirca cum dico, doctio, & disciplina, non connoto actu terminos docentis, & addiscentis: cū autem dico, docere, & discere, connoto actu terminos: & contraho illud quidem ad præceptorem docentem; hoc verò ad discipulum addiscentem: ratione cuius connotationis, & applicationis ad terminos exurgit quædam varietas: propterea non valet, si doctio, & disciplina sunt idē, ergo & docere, & discere sunt idē. Enucleat id idem Arist. exemplo spacij, ac viæ aliquorum inter se distantium, V.G. Athenarum, ac Thebarum: Quæ quidem via, vtpote significata in abstracto, est vna: cæterùm si applicemus ad eius terminos, non dicimus esse vnam: neque enim dixeris Athenas distantes, esse Thebas, aut distare illarum esse distare istarum.

TEXTVS XXII.



Mninò verò dicere est, quod neq; doctio cum disciplina, neq; actio cum passione idem propriè est, sed cui insunt hæc, motus. Nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse, ratione diuersum est.

Remouet demum primum inconueniens, quod
I. in tex. illo 19. colligebatur, & erat. Si actus agentis, & patientis, & motus mouentis, ac moti sunt vnus, & idem actus, ergo & actio, ac passio, doctio, & disciplina erunt idem. Occurrit. *omninò verò discere est*, græcè ὅλως δ' ἐ ἐν ποιεῖν. significat, *vt autem vniuersè dicam*, vel *vt autem simpliciter dicam*, neque doctio propriè, id est formaliter, est idem cum disciplina, neq; actio propriè est idem cū passione, sed sunt idem cum motu, cui & actio, & passio insunt, & cum quo identificantur.

Motus itaque agentis, & patientis, mouentis & II.
moti, est vnus atque idem re & ratione: actio

Digitized by Google

verò, & passio sunt vnum atque idem re cum motu, ac proinde etiam inter se realiter erunt idem; dissident verò λόγῳ ratione, seu definitione. Iam verò hasce isto modo inter se differre, probat, *nam huius in hoc. & huius ab hoc, actum esse, ratione diversum est*: Actio est actus *huius ab hoc*: passio est actus *huius in hoc*: sed esse ab aliquo, & esse in aliquo sunt λόγῳ ratione, ac definitione diuersa: quare actio, & passio sunt λόγῳ ratione, ac definitione diuersa.

TEXTVS XXIII.



*Q*V*id igitur motus sit, & vniuersaliter. & secundum partem dictum est. Non enim immanifestum est, quomodo definietur specierum vnaquæque ipsius. Alteratio enim alterabilis, quatenus est alterabile, actus est. Amplius autem notius est eius, quod potentia actiui, ac passiui, quatenus huiusmodi, & simpliciter, & rursum secundum vnumquodque, vt ædificatio, aut medicatio: eodem autem dicetur modo & de aliorum motuum vnoquoq;*

I. Colligit, se dixisse, quid motus sit: Tum occurrit tacitæ obiectioni: Et demum insinuat, quomodo motus apertiori quadam definitione possit efferri. Ait itaque, *Quid igitur motus sit, & vniuersaliter, & secundum partem dictum est.*

Ast illico diceret aliquis; falsò ab Stagirite affirmari, explicatum esse, quid sit motus, etiam secundum partes & species. Hucusque enim in hac tractatione de motu, nulla vnquam sius pars, siue species motus definita est. Occurrit: *Non enim immanifestum est*, &c. Ex his, quæ hactenus de motu in vniuersum edisseruimus, non est immanifestum, quomodo vnaquæque motus species definienda sit. Cum enim motus generatim a nobis definitus sit, esse entelechia, siue actus entis in potentia, quatenus in potentia, si vis definire. V.G. alterationem, dices, eam esse actum entis alterabilis, quatenus est alterabile. Et si vis definire augmentationem, dices, eam esse actum augmentabilis; ita de cæteris eius speciebus.

II. Addit, *amplius autem notius est eius*, &c. At verò, inquit, si volumus motum notiori, apertiorique descriptione efferre, dicendum erit, quod motus est, *entelechia*, actus, *actiui, & passiui, potentia, existentium, quatenus huiusmodi*. Idque ἁπλῶς τι, καὶ καθ' ἕκαστον. *tum vniuersè, tum in vnoquoque*, id est in vnaquaque specie motus. Iccircò autem hæc motus descriptio existimatur notior, clariorque, quia cum ad faciendum motum videamus concurrere & actiuum, nempe agens, seu mouens, & passiuum, videlicet subiectum, seu mobile, in hac definitione vtrunque clarius, expressiusq; cernis, quàm si solum dicas, οἰκοδόμησις, ἢ ἰάτρευσις. *ædificatio, aut medicatio*, eodem pacto de vnoquoque alio motu poteris philosophari: Hic ergo Eximius præceptor egregium imponit finem tractationi de quidditate, & essentia motus: inferius autem data itidem opera explicaturus est eius ipsius affectiones, diuisiones, idque genus alia. Sed nos iam cogimur ex instituto nostro hic tantisper immorari. Sit ergo.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum sit, & quid sit motus.

INTRODVCTIO.



*M*OTVS ita cum natura complicatus est, vt primogenius eius proles haud immerito possit appellari. Nihil illa in hac rerum vniuersitate edit, quod non edat per motum: Quocirca initio huius lib. legimus, quod eo *ignorato necesse sit naturam ipsam ignorari*: Et in principio itidem libr. octaui, motus existimatur esse. *veluti vita quædam, quæ inest natura subsistentibus omnibus*. Et in tex. 22. eius lib. asseritur, quod *omnes scientiæ & omnes opiniones motu vtuntur*: præcipuè autem eo vtitur scientia naturalis, quæ quandoque absolutè scientia de motu dicta est, Id in causa fuit, cur Philosophus in libris Phys. seduliori opera in contemplationem motus, quàm in cuiusuis alterius rei incubuerit: De eo nos quoq; celebriora, & vtiliora discutiemus.

SECTIO PRIMA:

Quid olim nonnulli dè existentia motus opinati sunt, & quid veritas ipsa euincit.



VSTVLERVNT olim motum Parmenides, & Melissus, cũ omnia vnum & immobile esse asseuerarent, vt videre est in primo Physic. cap. 2. & 3. & lib. octauo tex. 23. & in primo Metaph. cap 3. Quæquidem opinio ex eo videtur suaderi.

I. Primò, quia id quod fit, non est: quod enim fit scamnum, non est scamnum. Motus, cum sit quidam fluxus ac tendentia, continenter fit: quare motus non est. Secundò, Quæcunque sunt in mundo dimanant ceu ex perenni quodam fonte ex primo ente Deo: Motus ab eo dimanare non potest. Cur? quia Deus est vsquequaque immobilis: ab eo autem quod est omninò immobile, nequit oriri motus, cum vnum contrariorum non fiat ex altero, vt explicat Aristot. in primo Phys. tex. 51. *qualiter enim densitas raritatem facere apta est, aut hæc densitatem? similiter autem & alia quæcunque contrarietas?* ergo, &c.

Zeno etiam alterates negauit a rebus motum: cuius rationes adducit, ac diluit Aristot. in sexto Phys. tex. 19. & 77. præcipua verò accipitur a spacio, quod in motu deberet a mobili pertransiri, & sic formatur. Si est motus, necesse est infinitas continui partes actu tangi, & successiuè pertransiri in tempore finito. Hoc autem repugnat, quemadmodum etiam demonstrat Philosophus ipse octau. Phys. tex. 82. quoniam tempus, motus, & spacium debent inuicem proportionari, quare impossibile est, esse motum. Consecutio maioris prob. Continuum, supra quod deberet fieri motus, V. G. hæc mensa, habet partes infinitas, cum possit in infinitum diuidi: illæ partes omnes deberent singillatim tangi, ac successiuè vna post aliam pertransiri, si per illud spacium fieret motus. Quippe qui totum aliquod spacium tangit & transit, omnes quoque eius partes secundum lineam, in qua fit motus, tangat ac transeat necesse est. Si igitur partes infinitas singillatim tangi, ac successiuè pertransiri in tempore finito impossibile est, profectò motus impossibilis est in rebus.

II. Hæ tamen imaginationes tamdudum re potius, quàm verbis ex hominum etiam rudium consensione explosæ sunt. Quocirca quisquis motum a rebus negat, is porrò aduersatur sensui in ijs, quæ ad sensum spectant: aduersatur euidenti rationi; & profert sibi pugnantia.

Aduersatur sensui, quia oculis nostris cernimus, III.
& manibus palpamus, quamplurima entia re ipsa moueri. *Et de ipso ferri mirabile est, si latuit lapis, qui deorsum fertur, aut manet in terra*, ait Stagirites octau. Phys. tex. 24. Laudatur Diogenis factum, qui auditis Zenonis rationibus, quibus ille motum conabatur euertere, vt illas labefactaret, cœpit inter disputantes mascule inambulare: sensatè indicans, fatuum esse de eo ambigere, quod sensus ipse decernit. Hinc octau. Physic. auscult. tex. 22. legimus, *dicere omnia quiescere, & huius rationem quærere, dimittentes sensum, esse quandam intellectus infirmitatem.*

Deinde aduersatur euidenti rationi, Primùm, IV.
quia si in rerum natura est vnum contrarium, necesse est, alterum quoque adesse, vt docet Aristot. cùm alibi, tum in secundo de cælo tex. 18. Et ratio est, quia contrarium dicitur respectiuè: repugnat autem esse quippiam respectiuum, quin sit illud quod respicit. Atqui motus, & quies sunt contraria, quare si est quies, necessariò erit & motus; Deinde, Natura nihil aliud est, quàm principium & causa motus: qui igitur de medio tollit motum, naturam ipsam euertit.

Quod denique dicat sibi pugnantia, vel ex eo V.
fiet conspicuum, quòd quies ijs tantum rebus competit, quæ sunt aptæ moueri; est enim quies ex octauo Phys. tex. 7. priuatio motus, ac proinde est in subiecto natura apto ad motum. Hæc aptitudo inanis in perpetuum esse nec potest, nec debet: quocirca res quæ nunc quiescunt, aliquando mouebuntur: atq; adeo qui ponit quietem, ponit consequenter & motum. Hinc magnus præceptor lib. nunc indicato, tex. 23. ait, impensius peccare eos, qui negant motum, asserentes omnia semper quiescere, quàm qui negant quietem, contendentes cuncta assiduò moueri. *Vere autem*, inquit, *& omnia dicere moueri, falsum quidem est, minus autem hoc præter methodum: posita enim est Natura in Physicis principium sicut motus, ita & quietis: tamen physicum magis est motus.*

Fundamenta verò pro prima opinione inducta
nullo negotio depelluntur. Et quidem primum, VI.
quia enunciatio illa, (quod fit, non est) intelligi debet de rebus permanentibus, & quæ propriè fiunt: Ita quod fit homo, non est homo, & quod fit album, nondum est album: Non autem locum habet in ijs, quæ sunt veluti quædam via; & fiunt tanquam id per quod alia propriè eduntur. Sic generatio V. G. quando fit, etiam est: sic locutio mea dum actu fit, etiam actu est: sic motus dum fit, etiam est.

Depellitur secundum, quia sicut omnis multitudo proficiscitur ab vnitate, tanquam a principio, vnde etiam Arist. secundo de cælo tex. 22. *prius*, inquit,

inquit, *natura in vnoquoque genere est vnum multis, & simplex composito*. Ita omnis motus ortum trahit tanquam a principio ab aliquo immobili. *Deus diuinum omnium principium existit, per quod & sunt, & permanent vniuersa*, ait Theophrast. in sua Metaph. cap. 1. Ad probationem autem dico, quod immobilitas Dei non est contraria motui, sed est supra motum: & est excelsa quadam eminentia quæ motum æquè atque quietem & in se ipsa continet, & alijs elargitur. Sic ille stabilis *manens, dat cuncta moueri*.

VII. Fundamentũ Zenonis nullas habet vires; Quippe partes continui non sunt in eo actu distinctæ, sed tantum potentia: ac proinde totum spacium, supra quo fit motus, actu est finitum. Eodem pacto & motus, & tempus, vtpote continua, actu quidem sunt finita, sed possunt in infinitum diuidi. Ex his constat, quod motus sit. Proximum est vt videamus, quid ipse sit. Hoc autem accuratè præstabitur, si motus definitionem eius intellexerimus: est igitur.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum motus rectè sit ab Aristotele definitus.



OTVS definitur in tex. 6. quod sit *entelechia*, siue, *actus eius quod existit in potentia, quatenus huiusmodi*. Quamquidem definitionem ita deinde communiter efferunt Doctores. *Motus est actus entis in potentia, prout in potentia*, quæ porrò admirabili ingenio cussa est, nihilominus.

Contra eam oppono primò. Motus non potest definiri. Quod ostendo, omne quod definitur,
VIII. necessariò debet esse in aliqua determinata specie, cum definitio debeat ex genere, & differentia cõstare, vt vel ex primo Topic. cap. 7. quiuis nouit. Motus in nullo Prædicamento est, vnde etiam ab Arist. reiectus est in Postprædicam. ergo, &c.

Secundò, Motus essentialiter respicit terminos, tum quia est fluxus quidam, qui necessariò est à quodam in quoddam: Tum quia Motus, vt infra patebit, habet suam essentiam a termino ad quem. At præfata motus definitio non exprimit huiusmodi habitudinem ad terminos. ergo non ritè assignatur:

Tertiò expendo singillatim eius particulas. Ac primò motus malè dicitur *entelechia*, siue, *actus*. Definitio data per æquiuoca est vitiosa. Imò verò auctore eodem Philosopho in secundo Poster. cap. 15. *semper cauendum est, ne in definiendo subsit ambiguitas*. At entelechia, siue actus est vox æquiuoca. Nam aliquando designat formam substantialem informantem, sic anima in secundo lib. de Anim. tex. 7. definitur entelechia, & actus corporis. Aliquando significat actum substantialem assistentem, quo pacto in eodem lib. tex. 11. nauta *dictus est entelechia nauis*. quandoque entelechia ponitur pro forma accidentali: & quod maius est, in duodec Metaph. tex. 49. prima intelligentia, & prima omnium forma hac eadem voce appellata est. *ipsum verò quod erat esse primum, non habet materiam, cum sit entelechia*.

Quartò contra eandẽ particulam. Actus est perfectio eius, cuius est actus. Manifestum autem est, aliquem motum non esse perfectionem eius, cuius est motus. Quod sic ostendo: Corruptio est motus, & ei competit hæc definitio, quemadmodum inferius ostendam: Nihilominus corruptio non est perfectio eius, cuius est corruptio, cum tendat ad non esse eius, cuius est corruptio: ergo saltem non omnis motus erit actus. IX.

Quintò, Actus, & forma conuertuntur. Motus non est forma. Quod sic ostendo. Forma constituit subiectum in aliqua specie determinata: Forma enim elargitur rebus esse. Motus non constituit quicquam in specie determinata; alioquin motus esset in prædicamentis: quare motus non est forma, ac proinde neque actus.

Dices, Actus est duplex: Vnus perfectus: Alter imperfectus. Prior vtique constituit rem in specie: Posterior non item, & talis actus imperfectus est motus.

Contra, calor remissus est actus imperfectus, cũ sit in potentia ad perfectiorem caloris gradum: Nihilominus ille constituit subiectum in certa specie. Si igitur motus non constituit subiectum in aliqua specie, non erit actus, neque etiam imperfectus.

Sextò ostendo, motum malè dici actum *entis*. Forma & actus debent definiri per subiecta proportionata: Ita anima definita est in lib. 2. tex. 7. actus corporis physici, quoniam tale corpus est illi proportionatum. Ita lumen in eodem lib. tex 69. dicitur actus diaphani. Sed ens non est subiectum proportionatum motus, cum sint permulta entia, incapacia motus. quare malè dicitur actus *entis*. X.

Ad extremùm, malè dicitur actus *entis in potentia*: Nam motus est actus eius quod mouetur: sed omne quod mouetur, est ens actu, non autem ens potentia, quia nihil mouetur nisi sit, ergo motus est actus entis existentis in actu, non entis existentis in potentia.

Expli-

Explicatur definitio motus.

XI. 
Ihilominus dicta motus definitio est optima, & ingeniosissima; vt iure suo meruerit ab omni posteritate celebrari: & iam ab Aristotele, vt in textuum explicatione vidimus, luculenter est explicata. Præterea compendio sic habe. Motus primò dicitur ἐντελέχεια entelechia, siue actus, (qui stat loco generis,) quia id quo aliquid fit actu existens prius in potentia, est actus. Modo mobile, quod prius erat in potentia ad aliquam formam, fit actu per motum. iccircò motus est actus.

Porrò id quo aliquid existens in potentia fit actu, siue ipse actus est duplex, sicut in mobili est duplex potentia passiua. Vna quidem respicit fieri alicuius formæ in tali mobili: Altera verò respicit eandem formam in facto esse in eodem mobili. Sic ergo & id per quod dictum mobile constituitur in actu, est duplex. Vnum, per quod mobile constituitur in facto esse talis, aut talis formæ: & istud est actus perfectus, & forma. Alterum, per quod constituitur solum in fieri, in via, & in esse imperfecto. Motus est id, per quod mobile fit actu in fieri,& in via: Et hoc est motus: iccircò motus appellatur actus imperfectus. Hinc Philosophus in tex. 15. *motus*, inquit, *actus quidem aliquis esse videtur; imperfectus tamen: causa autem est, quoniam imperfectum est ipsum possibile, cuius actus motus est*. Motus itaque est actus imperfectus, quia per illum mobile fit in via ac fieri ad acquirendum actum perfectum. Atque hoc ipsum est quod nonnulli dicunt, motum esse quandam formam fluentem, & quandam formæ participationem, quæ forma continuò magis ac magis acquiritur secundum esse perfectum. Ita V. G. dealbatio nil aliud est, quàm continuata & intensior acquisitio albedinis: Ita quod calefit, paulatim participat calorem magis ac magis, & ipse actus imperfectus in calefactibili existens, est motus.

Secundò dicitur τοῦ ὄντος, *eius quod est*, siue en-
XII. *tis. in potentia*, videlicet motus est actus mobilis, quod est in potentia passiua ad recipiendum motũ, & formam per eum productam. Sic alterabile, quatenus alterabile, est in potentia tum ad alterationem, quæ est motus, tum ad calorem, aut figus.

Consulto dixi, mobile esse in potentia tum ad motum, tum ad formam per motum productam, quoniam in mobili constituo duplicem potentiam, quemadmodum superius innui: quarum vna est ad actum imperfectum, qui est motus: altera est ad actum perfectum, qui est forma per motum acquisita. Duas hasce potentias tradit Aristot. in tex. 57. huius lib. & nono Metaph. tex. 11. vbi hoc etiam discrimen inter eas constituit, quod vna tota simul reducitur ad actum: ita contingit, dum hoc lignum comburitur: Altera, quæ reducitur ad actum non simul, sed diminutè: adeo vt neque tota omninò pereat, neque omninò perseueret integra. Et talis potentia est in materia prima, & in diuisione continui, *& de hoc genere est potentia accepta in definitione motus: quoniam, si ista potentia exiret in actum, destrueretur motus*. ait Auerr. in tex. illo 11. lib. noni Metaph.

Vltimò apponitur reduplicatio, *prout in poten-* XIII.
tia, per quæquidem verba explicatur, qualisnam actus imperfectus sit motus. Non enim quiuis actus imperfectus motus est. V. G. calor vt quatuor in aqua existente in lebete, dum, subtracto igni, sistit in aqua, non est motus, sed tunc solummodo dicitur motus, quando calor consideratur in actuali tendentia ad vlteriores gradus caloris, ad quos continuò tendit.

Diluuntur argumenta in contrarium confecta.


D 1. respond. motum optimè posse definiri. Scire autem
oportet, alio modo definiri XIV.
cõpositum alio modo res, præsertim verò accidentia in abstracto. Illa definiuntur per genus, & differentiam, ex quibus intrinsecè componuntur, vt cum dico, homo est animal rationale: Accidentia verò in abstracto definiuntur per aliquod, quod stat loco generis, & per ipsum subiectum, siue per ordinem ad subiectum, quod habet locũ differentiæ, veluti cum dico, simitas est curuitas nasi; de qua re dixi in secundo de Anim. circa definitionem animæ. Nũc ad rem: Motus est accidẽs in abstracto: in eius itaque definitione genus collocatur in recto, & dicitur *actus*: ita in definitione animæ, quæ definitur ad modum accidentium abstractorum, genus ponitur in recto, quod sit, *actus primus*: Differentia autem adijcitur in obliquo, & propterea dicitur, *entis in potentia*, sicut in definitione animæ annectitur, *corporis physici*.

Ad 2. dicendum, quod quamuis in definitione motus explicitè non exprimantur termini motus, nihilominus indicantur implicitè. Enimuerò cum dicitur, motum conuenire subiecto, *prout est in potentia*, planè significatur & terminus a quo subiectum recessit, & terminus ad quem progreditur. Adde, quod in dicta definitione satis apertè indicatur, motum esse fluxum, viam, ac tendentiam quandam: Ista autẽ sunt a quodam in quoddam,

Ad 3.

Ad 3. fateor, entelechiam, & actum, si absolutè sumantur, esse quippiam æquiuocum: Est sanè nomen com mune & substantiæ, & accidenti, & actui primo, & actui secundo, quæ omnia vel in primo cap. lib. secundi de Anim. animaduertere potes, quorum omnium ratio & essentia est diuersa. Sed in præsenti entelechia, & actus non accipitur in tam ampla significatione, sed accipitur contractus pro actu imperfecto, per quem mobile reducitur ad hanc, aut ad illam formam, quemadmodum supra exposui. Sic autem vti voce communi in definitione non est vicium; alioquin esset etiam reprehendenda definitio animæ, quæ itidem dicitur *actus corporis*, &c.

Ad 4. occurrendum est, quod motus non est absolutè perfectio eius, cuius est motus, alioquin debe ret aliã in primo ente Deo reperiri, sed est perfectio facta solum comparatione ad potentiam mobilis, quatenus illa potentia fit actu mediante motu. Quo posito, ad argum. dico, quod actualis corruptio dupliciter potest considerari. Primò vt est id per quod potentia, quæ est in aliquo subiecto, reducatur ad actum: & quia actus de suo genere est melior quã potentia, ita motus corruptionis potest dici perfectio. Secundò potest considerari vt est aliquid tendens ad non esse subiecti, & ita nullo modo est perfectio, neque subiecti, neq; ipsius potentiæ.

Respond. 2. quod corruptio est semper coniuncta cum generatione, quatenus generatio huius est corruptio illius, ex primo de ort. & inter. tex. 17. Generatio autem dicit perfectionem, ob id etiam corruptio concomitanter dicit perfectionem.

XVI. Ad 5. respond. quod actus perfectus, & forma in facto esse vtique constituit rem in certa aliqua specie: Motus autem est actus imperfectus, & quædam forma in fieri: icircò motus neq; ipse collocatur in aliqua specie, neque quicquam constituit in specie, sed reducitur ad speciem sui termini. V.G. calefactio reducitur ad speciem caloris, qui per eam producitur: & ita alij motus.

Ad instantiam ibi factam, respond. calorem, remissum in subiecto, gemino modo posse spectari. Vno quidem, quatenus est in actuali tendentia ad vlteriores gradus: & ita calor ille re ipsa est motus, & calefactio: proinde nihil constituit directè in specie, sed solum reductiuè, vt dixi. Altero modo considerætur vt est forma quædam permanens; & hac ratione non amplius est motus, sed est qualitas absoluta; & ita constituit subiectum in specie calidi. Et secundum hanc rationem calor remissus est actus in suo gradu perfectus.

Ad 6. dico, Ens in definitione motus haud accipitur in tota sua latitudine pro quocunque ente; sed ponitur pro eo solum, quod est subiectum motus physici: Hoc autem re vera idem est ac corpus: ac proinde motui proportionatum. Arist. autem maluit potius per ens, quàm per corpus definire motũ, quia nondum ostendit, omne, quod physicè mouetur, debere esse corpus; ostẽdet autem in 6. lib.

Ad vlt. dico, mobile posse considerari vel ante motum, vel dum actu mouetur. Primò modo adhuc consideratur dupliciter, vel qua est aliquod ens absolutè: vel qua est aptum, vt per hunc, illumue motum fiat hæc aut illa res. V. G. æs primò cõsideratur quatenus est quoddam metallum: secundo quatenus est aptũ fieri statua: Sic aqua vel consideratur vt est quoddam corpus simplex: vel vt est apta calefieri. Atq; hoc secundo modo propriè dicitur mobile. Cum itaq; motus debeat definiri per mobile, & hoc sit tale, quatenus est in potentia, non quatenus est actu tale ens, summo artificio Arist. motum definit esse actum entis *in potentia*, non verò entis in actu. XVII.

Si autem mobile consideretur prout actu mouetur, adhuc potest referri ad duo: videl. ad partes anteriores motus, quas iam peregit: & ad partes posteriores. Mobile consideratum priori modo est actu, & hac ratione motus est actus illius: idem mobile spectatum posteriori modo respectu sequentiũ partium est in potentia. V. G. aqua, quando actu calefit, & est calida tam vt quatuor, si referatur ad gradus caloris vt vnum, vt duo, vt tria, est actu calida, & sic motus est actus eius: Si autem referatur ad subsequentes gradus, videl. vt quinque, vt sex, &c. est in potentia. Hæc duo Arist. mirabiliter cõiungens in definitione ait, motum esse *actum entis in potentia*.

SECTIO TERTIA.

An tradita motus definitio competat omni mutationi physicæ: Et an sit vniuoca.



Otus dupliciter accipitur. Vno modo communiter pro quacunq; transmutatione physica, sine illa sit successiua, siue instantanea: quo pacto motus comprehendit etiam generationem, & corruptionem, & ita Aristot. in Postprædic. & in hoc lib. tex. 4. distribuit motum in sex species motus, illis verbis. *non est autem motus præter res: mutatur enim semper id quod mutatur, aut secundum substantiam aut secundum quantum, aut secundum quale, aut secundum locum*. Altero modo motus accipitur strictè pro solis mutationibus per se successiuis, in qua acceptione sumit Arist. motum in lib. quinto, dum mutationem, quæ propriè est generatio, & corruptio, secernit à motu: Vnde in tex 8. concludit, quod *impossibile est, generationem, & corruptionem esse motus*. Disceptatio itaq; est inter auctores, vtrumue in supradicta motus definitione definiatur motus communiter sumptus, an verò strictè captus. XVIII

Sunt qui opinantur, in illa Stagiritæ motus definitione comprehendi solummodo motum propriè dictum; non autem mutationes instantaneas, generatio- XIX.

nerationem, & corruptionem. Ita Iandon. in hoc lib. qu. 2. Tolet. hic quæst. 1. Domin. Soto quæst. 1. Conimbr. ad cap. 1. huius itidem lib. quæst. 1. art. 2. Perer. lib. 13. Phys. cap. 5. dub. 9. cui adhærent nonnulli moderni.

Innituntur autem huic fundamento. Motus hoc loco definitus habet successionem, ita vt mobile partim sit in actu, partim sit in potentia, vt fiat actu, quæ successio exprimitur, cum motus dicitur esse, *actus entis in potentia, prout in potentia*. Sed in generatione, & corruptione formaliter acceptis, quatenus sunt a præuijs alterationibus distinctæ, nullam possumus assignare successionẽ. sunt enim mutationes instantaneę: In instantaneis autem idẽ est fieri, & factum esse: quare dictæ mutationes non habent locum in hac motus definitione.

Secundò, Motus hic definitus est actus imperfectus, quemadmodum sect. præced. constituimus ex Arist. in tex. 55. Atqui generatio, & corruptio non sunt actus imperfecti, quia in generatione, in eo instanti, in quo illa est, subito est in subiecto tota forma; & subito res ipsa est in actu perfecto: ita e contra in corruptione statim res desinit esse,
XX. ergo generatio, & corruptio non sunt in ea definitione comprehensæ.

Veritas nihilominus est, in definitione motus ab Stagirite tradita in tex. 6. & a nobis in sect. præced. explicata, definiri motum communiter acceptum, prout motus comprehendit omnes sex species physicæ mutationis: ac proinde dicta definitio complectitur etiam generationem, & corruptionem substantialem, quæ ipsæ sunt a præuijs alterationibus distinctæ.

Hæc est expressa Philosophi mens, quam ex duobus potissimùm colligo euidenter. Primò, quia Arist. inter suppositiones, quas a tex. 2. facit ad colligendam motus definitionẽ, vnam ponit in tex. 4. quod motus non est præter res, cum omne quod mutatur, mutetur secundum vnam sex specierum motus, quas ibi recenset verbis initio huius sect. a nobis inductis. Ex quo loco clarissimè apparet, institutum Philosophi esse hoc loco agere de motu in
XXI. communi, ergo in hac etiam communi acceptione eum definit.

Secundò, quia in tex. 6. traditam motus definitionem illustrat exemplis omnium sex specierum motus, sicut in his vides. *vt alterabilis quidem, quatenus alterabile, Alteratio: augmentabilis autem, & oppositi decrescibilis, augmentatio, & decrementum: generabilis autem, & corruptibilis, generatio, & corruptio. eius verò quod fertur, latio*. Fatuus autem esset, Arist. si definiret motum pro solis mutationib. per se successiuis, & poneret exempla etiã de mutationibus momentaneis. Ita in tex. 17. eundem motum expendens, addit exemplum de generatione hominis.

XXII. Occurrunt communiter auctores oppositæ sententiæ, Arist. posuisse exemplum de generatione, non prout generatio est mutatio substantialis & instantanea, sed de generatione laxiori quodam modo accepta, quatenus est idem quod alteratio. Quæ responsio falsissima est. Nam Philosophus posuerat prius exemplum de alteratione, deinde annectit exemplũ de generatione, & corruptione, ergo loquitur de generatione vt est distincta ab alteratione.

Occurrunt alij, Aristotelem posuisse exemplum de generatione, non quòd generatio formaliter sit motus, sed quia est terminus præcedentis alterationis, quæ alteratio est motus. Quæ responsio ferenda non est, quia reddit Aristotelem ineptum: cum enim hic definiret motum, afferre etiam debebat exemplum de motu, & non de termino motus. Præterea, cur alia quatuor exempla in eo ipso contex. copulatim adhibita, non sunt de terminis motus, sed de ipsis motibus, exemplum verò de generatione, & corruptione erit de termino, & non de ipsa generatione? Ex his itaque liquet, assertionem nostram esse synceram Philosophi mentem.

Ita etiam tuentur interpretes Græci hic: & S. XXIII. Thom. lect. 2. & 7. qui inter alia hæc scribit. *Accipit enim hic motum Arist. communiter pro mutatione, non autem strictè, secundum quod diuiditur contra generationem, & corruptionẽ*. Et lib. 5. ad tex. 7. ait, *Arist. lib. 3. Phys. vbi motum definiuit, accipit nomen motus secundum quod est cõmune omnib. mutationib.*

Ratione etiam id idem euincitur. Mutationes instantaneæ, generatio, & corruptio substantialis, procul dubio sunt physicæ considerationis; sunt etenim cum motu. quare si illæ in hac motus definitione non comprehenduntur, omninò tenebatur Arist. eas alia peculiari definitione explicare. Hoc non fecit, sed sine vlla huiuscemodi definitione, & sine vlla distinctione mutationis a motu progreditur vsque ad lib. quintum, vbi solum secernit mutationem a motu propriè dicto. Quocirca euidens est, eum hic loqui de motu communiter sumpto: ac proinde hunc definire. Accedit, quod Arist. in præsenti definit motum, qui est coniunctus cum actione, ac passione, vt constat ex cap. 3. Manifestum autem est, generationem, & corruptionem esse cõiunctas cum actione, ac passione: quare etiam generatio, & corruptio includuntur in dicta motus definitione.

Ad fundamentum verò oppositæ sententię distin-
guenda est minor: In generatione, & corruptione XXIV.
non possumus assignare successionem, & quod mobile sit partim in actu, & partim in potentia, secundum prioritatem temporis, fatemur: Nõ possumus assignare secundum prioritatem naturæ, negamus. Enimuero licet in instantaneis in omni instanti tẽporis idem sit fieri, & factum esse, nihilominus re vera in aliquo priori naturæ prius est fieri quàm factum esse, cum fieri sit veluti via; factum autem esse sit terminus. Atque hæc prioritas, & successio inde orta, sufficit, vt aliqua mutatio comprehendatur sub definitione motus ab Aristotele tradita.

Ad 2. dico, quod generatio formaliter est actus imperfectus, & ex sui natura ordinatur ad actum perfectum, nimirum ad formam. Ratio est in promptu, quia generatio formaliter est mutatio:

Mutatio

Digitized by Google

Mutatio verò est alicuius & ad aliquid. Adde ex secundo Phys. tex. 14. quod *generatio est via ad naturam*, videl. ad formam: Ita in lib. quinto tex. 5. legimus, quod *non est albedo motus, sed dealbatio.* Hinc itaque liquet, generationem formaliter esse actum imperfectum: ac proinde motum, si motus accipiatur communiter.

SECTIO QVARTA.

Utrum dicta motus definitio competat alijs motibus non naturalibus, cuiusmodi sunt artificiales, violenti, & actionibus intentionalibus.



XXV. QVOD ad motus artificiales, ac violentos attinet, videtur pars negatiua huc in modum suaderi. Primò, Ille motus in dicta definitione definitur, qui fuit positus in definitione Naturæ lib. præced. tex. 3. At motus positus in definitione Naturæ est solus motus naturalis, non autem artificialis, aut violentus, ergo motus hoc loco definitus non complectitur nisi motum naturalem.

Secundo, si motus hic definitus est actus entis in potentia, ergo quod mouetur, est in potentia ad eum motum, & ad terminum eius motus. Sed res non est in potentia ad motum violentum. Quod ostendo. tum quia id ad quod aliquid est in potentia, est illi naturale: quare si lapis V.G. esset in potentia ad motum sursum, motus sursum esset lapidi naturalis, & non violentus. Tum etiam, quia si lapis esset in potentia ad motum sursum, cum sit etiam in potentia ad motum deorsum, simul esset in potentia ad duos motus locales contrarios. Quod admittendum nullo pacto est, vt vel ex primo de cælo cap. 2. constat.

Veritas nihilominus est, definitionem motus
XXVI. absolutè competere tum motui artificiali, tum violento. Ratio est, quia motus isti verè sunt actus eius quod existit in potentia, prout huiusmodi.

Ast hic sedulò animaduerte, quod aliud est considerare motum quantum ad sui principium, & causam: aliud, considerare motum in se ipso. Quantum ad principium censetur naturalis, aut violentus, quia vel oritur a principio intrinseco, vel non: Quantum verò ad motum ipsum, vterque eodem modo se habet. Profectò tam descensus lapidis deorsum, qui est motus naturalis, quàm eius proiectio sursum, qui est motus violentus, æqualiter sunt actus recepti in lapide, qui existit in potentia ad vlteriorem motum. Sic motus, cum artifex mouet ex arte securim deorsum ad expoliendum lignum, & motus cum eadem securis naturaliter descendit, in ratione motus, vterque ex æquo est actus entis, &c. ergo in dicta motus definitione absolutè comprehenditur tam motus artificialis, quàm violentus.

Deinde Arist. in tex. 7. explicans definitionem motus iam in tex. 6. traditam, vtitur exemplis tam motus artificialis, quàm violenti, adhibetque exemplum ædificationis, & medicationis, qui procul dubio sunt motus artificiales: Tum subdit motum volutationis, & saltationis, qui sunt motus violenti. *Quod*, inquit, *hoc sit motus, manifestum. Cum enim ædificabile, quatenus tale ipsum dicimus esse, actu fuerit, ædificatur, & hoc est ædificatio: similiter autem & medicatio, & volutatio, & saltatio.* Quæ si vera sunt, haud rectè dicunt aliqui, dum aiunt, præfatos motus non comprehendi absolutè in dicta motus definitione, sed quod illa definitio possit secundum quid, & aliquo modo accommodari motui violento, & artificiali, vt loquitur Perer. lib. 13. citato cap. 5. & cum eo multi recentiorum.

Duæ autē illæ obiectiones in contrarium inductæ, nullius roboris sunt. Maior primæ obiectio- XXVII
nis, quod videl. hic definiatur ille motus, qui in definitione Naturæ fuit positus, falsa est, quamquam a multis recentioribus prunè admittitur, quemadmodum videre est apud Ruo. hic quæst. 2. Motus in definitione Naturæ collocatus, est solum motus naturalis, vt vel ex ipsa differentia inter entia naturalia, & ea quæ sunt ob alias caosas ab Aristotele posita in 1. & 2. contex. lib. secundi apparet: Motus verò, qui in hoc tertio lib. definitur amplectitur omnem omninò motum physicum, sicuti nunc a nobis euidenter ostensum est.

Ad 2. dico, Aliquid esse in potentia, multifariam contingit: Vel est in potentia naturali, sic lapis degit in potentia ad motum, & ad locum deorsum: & ignis ad motum, & ad locum sursum. Vel est in potentia obedientiali, quæ quidem potentia non est extra latitudinem potentiæ naturalis, cum respiciat agens naturale, a quo valeat ad actū reduci: Ita lapis est in potentia vt proijciatur sursū, vel vt fiat statua: Nam motus artificiales reducuntur ad motum violentum. Itaq; ad argum. neganda est minor: Et ad eius probationem occurrendum est, quod non inconuenit, vt in vna atque eadem re suppetat vna quidem potentia naturalis ad vnum actum; altera verò obedientialis ad actum oppositum, quemadmodum vides in exemplo de lapide: De qua quidem potentia obedientiali dixi in calce libri primi, in Disputat. de Principio formali sect. 11.

Quid de actionibus intentionalibus dicendum sit?

XXVIII Ctiones intentionales in triplici classe constituo. Quædam sunt a principio extrinseco non vitali, vt illuminatio, quæ auctore Philosopho in secundo de Anim. tex. 69. est præsentia lucidi in perspicuo. Quædam proficiscuntur a principio intrinseco vitali. Quarum aliæ quidem oriuntur a potentijs sensitiuis, veluti visio, auditio, imaginatio: aliæ verò efficiuntur ab intellectu, vt apprehensio, iudicium, discursus: de quibus singillatim sic habe.

Actiones intentionales primæ classis, vt illuminatio, non comprehenduntur sub dicta motus definitione. Ita expressè colligo ex Arist. in secundo de Anim. tex. 69. quo loci aduersus Empedoclem negat, lumen moueri, & per motum diffundi. Aiebat Empedocles lumen ferri, sed ferri celeriter, ita vt nos lateat: Stagirites id inficiatur, *quia in paruo spacio lateret nos: ab oriente autem in occidens latere, magna quidem multum petitio est*: Quod si lumen non mouetur, profectò illuminatio non est motus: neque ei definitio motus conueniet.

Ratio etiam in promptu est, quia lumen, vt in opere de Meteor. lect. 24. ostendi, non est qualitas physica materialis, sed est spiritalis ac intentionalis; nec habet contrarium vllum: propterea etiam momento explicatur vsquequaque.

Quod autem spectat ad sensus, sic diuide. Vel loquimur de actione, & motione, qua obiecta ex-
XXIX. citant & mouent sensus, V. G. visibile mouet visum immittendo sui speciem ac similitudinem in oculum: Sonus excitat auditum per sui itidem speciem, vt in libris de Anim. exposuimus. Vel loquimur de actione elicita ab ipso sensu.

Si verba facimus de actione ac motione obiectorum in sensus, Primò certissimum mihi est, actionem ac motionem obiecti visibilis in visum, siue emissionem speciei visibilis, nullo pacto sub definitione motus comprehendi. Ratio est euidens, quia ista speciei visibilis effusio est spiritalis, perinde atque illuminatio. ergo sicut illuminatio non continetur in ea definitione, ita neque istæ obiectorum actiones.

XXX. At vim mihi facit actio siue species soni, quam experimur deferri ab obiecto ad auditum per aliquod tempus, quemadmodum multis ostendi in lib. de Anim. & vides in tonitruo, vbi primò conspicimus fulgur, & post aliquam temporis morulam excipimus sonum: cum tamen a parte rei prius sit nubis distruptio, quàm erumpat fulgur. Species itaque audibilis mouetur successiuè: quare ibi est actus entis in potentia, prout in potentia. Et ita ex animo censeo, quod motus definitio possit aptari motui speciei audibilis: Sic quoq; existimo de specie odorabili. Nam etiam ista diffunditur in tempore. In gustu autem & tactu theorema locum non habet, quoniam istorum sensationes fiunt solum per medium intrinsecum: Hæc quantum ad obiecta:

Si verò sermo sit ex parte sensuum, adhuc duo considero. Vnum est, quod per actionem & motionem obiectorum sensibilium, præsertim verò vehementiorum, fit quædam spirituum, & organorum commotio in ipsis sensibus: Quocirca & sensus a vehementi sensibili læduntur. Alterum, quod considero, est ipsamet operatio & apprehensio sensuum de obiectis. Tunc ita constituo. Motio, & turbatio spirituum, & organorum facta in sensibus, re vera comprehenditur sub definitione motus. Ipsæ autem operationes sensuum non comprehenduntur. Vtraque pars huius asserti est aperta. Prior quidem, quia illa commotio, & turbatio re ipsa fiunt successiuè, & sunt mutationes physicæ. Posterior autem, quia operationes sensuum sunt simplices & instantaneæ apprehensiones. Eadem ratione philosophare de sensibus internis.

De intellectu denique dico, quod neque motio actiua obiecti intelligibilis in intellectum, neque vlla intellectus operatio clauditur in ea motus de- XXXI
finitione: quia omnia, quæ hic interueniunt, sunt spiritalia. Hinc Arist. in tertio de Anim. tex. 28. cum de reductione sensus ad actum, quæ fit a sensibili, ac proinde etiam de reductione intellectus ab intelligibili edissereret, ait, hanc esse aliam speciem motus. *Videtur*, inquit, *sensibile ex sensitiuo quod potentia est, sensitiuum actu facere: non enim patitur, neque alteratur. Vnde alia est hæc species motus: motus enim actus erat imperfecti: simpliciter autem actus qui perfecti est, alius est*. Sed adhuc sisto in eadem motus definitione, & quæro.

Motus definitio estne vniuoca respectu mutationum particularium, an analoga?

Ecentiores communiter in ea versantur opinione, quod motus secundum suam communem ratio- XXXII
nem sit vniuocum quippiam respectu mutationum particularium, vt inter alios refert Ruu. hic tract. 1. de motu, q. 3. pro qua sententia adducuntur multi, & videtur etiam in eadem stetisse D. Thom.

in 1. sent. dist. 15. quæst. 4. art. 1. ad 2. Et in 2. sent. dist. 2. quæst. 1. art. 1. ad 3.

Probatur. Essentia, siue communis conceptus motus explicatur per suam definitionem; sed definitio motus est eadem respectu omnium mutationum; & omnibus conuenit æqualiter, quare motus secundum communem sui conceptum est vniuocus ad particulares mutationes, id est ad generationem, corruptionem, augmentationem, decrementum, alterationem, & lationem. Maior est certa, quoniam definitio explicat absolutè essentiã rei. Minor verò iam a nobis ostensa est, quando probauimus, hic definiri motum communiter acceptum. Et præterea ex eo suadetur, quia esse actũ entis in potentia secundum quod in potentia, ex æquo conuenit omni motui; & non conuenit primò quidem vni motui, & postea ratione illius conueniat cæteris motibus, quæ est lex analogorum, consequentia denique est clara ex definitione vniuocorum. Illa etenim dicuntur vniuoca, quorum nomen commune est, & ratio essentiæ secundum illud nomen est eadem. Si itaque communis ratio motus est eadem in inferioribus, profectò ille erit vniuocus.

Secundò. Vbicumque sunt species, ibi necessario est vniuocatio: & quod de illis prædicatur, est vniuocum, atque adeo est genus: sed in motu sunt species: Tritæ namque sunt sex eius species: generatio, corruptio, augmentatio, decrementum, alteratio, & motus localis: ergo id quod illas respicit tanquam superius sua inferiora, profectò erit vniuocum, & genus.

XXXIII Nihilominus dicendum est, quod motus secundum communem suam rationem non est vniuocus, neque genus propriè dictum ad particulares mutationes, sed est analogus, & potest hoc modo dici genus analogum.

Ita interpretes Græci, Alex. apud Simplic. In hoc tertio lib. tex. 4. & in digress. ad eundem tex. & ita tuetur idem Simplic. ibidem. Ita Themist. & Philopon; secutus est Auerr. cùm alibi sæpe, tum ad tex. 4. huius libr vbi inter alia sic habet. *Et intendebat declarare, quia motus non dicitur vniuocè, sed secundum prius, & posterius, sed tamen tales definitiones intrant in artibus demonstratiuis.* Sic etiam tenuit Alb. magn. & inter recentiores defendit Peter. lib. 13. Phys. cap. 5. dub. 1.

Prob. Tales sunt motus, quales sunt termini ad quos terminantur, & e quib. sortiuntur & vnitatem, & speciem, *& sic se habet motus vt ea in quibus est, quia non est extra res*, vt Simplic. loquitur ex Arist. in tex. 4. Sed in terminis, ad quos motus terminantur, nihil reperitur vniuocum, cum alij sint substantia, vt in generatione, alij quantitas, vt in augmentatione, alij qualitas, vt in alteratione, ergo motus nequit esse aliquid vniuocum. Hinc Simplic. infert, quod *si esset aliquod commune genus illorum, in illo communi, & ipse esset genus motuum sub eo, & non amplius esset de numero eorum, quæ multipliciter dicuntur.*

Præterea, Nihil est vniuocum, nisi sit genus, XXXIV aut species: vt vel Logices candidati norunt: Atqui motus secundum communem sui rationem non est genus, aut species. Nam genera, & species sunt directè in aliquo Prædicamento: motus autem per se ac directè in nullo Prædicamento collocatur, sed solummodo reducitur ratione sui termini, ergo motus non est vniuocus.

Ad hæc, In vniuocis vnum vniuocatum non est prius alijs. V. G. respectu animalis, quod est vniuocum ad rationale, & irrationale, non est prius rationale quàm irrationale, quia ista vt opposita distinguunt illud: Sed in motu vnus motus est prior alio, vt constat ex octauo Physic. tex. 56. nam via originis generatio est prior quocunque alio motu in vna aliqua re: via verò perfectionis motus localis est reliquis prior. ergo, &c.

Argumenta verò primæ opinionis nullo negotio dissoluuntur. Soluitur primum, quia licet essentia XXXV. motus sit vna, & in se ipsa spectata sit eadẽ, nihilominus a suis inferioribus participatur diuerso modo, & secundum prius, ac posterius, quemadmodum in tertia ratione dixi: Quæ diuersa participatio euertit vniuocationem.

Soluitur secundum, quia quædam sunt species generis vniuoci, quædam sunt species generis analogi. Nemo nescit duas esse species demonstrationis, quæ sunt demonstratio Propter quid, & demonstratio Quia: tamen demonstratio in communi non est vniuoca ad eas, sed analoga. Ita de speciebus motus philosophare.

Ex his itaque quæ hucusque edisseruimus, perpende, quàm ingeniosè confecta sit, & quàm latè pateat tradita motus definitio; quæ competit omni motui physico, siue ille incipiat de nouo, vt in rebus caducis; siue sit æternus, cuiusmodi, ad autores Aristotelis, est motus cælestis: Nam etiam motus cælestis est actus entis in potentia ad nouum Vbi partium: Et præterea conuenit motui tum artificiali, tum violento; nec non aliqua ratione quibusdam actionibus intentionalibus. Sed iam vlterius pergamus.

SECTIO QVINTA.

Vtrum, & quomodo distinguatur motus a suo termino ad quem, & a subiecto.



MOTVS ad tria potest comparari. Ad terminum a quo incipit: XXXVI. Ad terminum ad quem tendit: Et ad subiectum in quo subiectatur. Motum distingui re ipsa a termino a quo, res est clara. Nam terminus a quo aut est priuatio, vt cum ex non homine fit homo, & ex non albo album; aut est aliquid

quid positiuum, vt cum ex nigro fit album. Vtroque modo euidens est, motum discriminari, & esse aliam rem a tali termino, Etenim si talis terminus sit priuatio, V. G. albedinis, accedente motu, id est dealbatione, quæ nihil aliud est quàm continua participatio vlterioris ac vlterioris albedinis, necessario præexistens priuatio cessat: alioqain in eodem subiecto simul esset priuatio, & eius habitus. Eodem modo si terminus a quo sit forma positiua, accedente motu, qui est participatio formæ contrariæ, illa prior corrumpitur. Sic ergo motus, & terminus a quo distinguuntur realiter tanquam duæ res. Propterea solam relinquitur dubium de termino ad quem, & de subiecto.

xxxvii. Et quod spectat ad terminum ad quem, tres diuersos inuenio dicendi modos. Sunt qui nullam inter motum, & terminum admittunt distinctionem realem, sed aiunt, distingui tantum per intellectum cum fundamento in re, quæ vocatur distinctio rationis ratiocinatæ. Alij e regione contendunt, motum, & terminum ad quem distingui inter se vera distinctione reali, quæ est rei a re; ita vt a parte rei alia entitas sit motus, alia terminus. Alij denique media incedunt via, asserentes distingui solum formaliter, siue distinctione reali formali, seu modali. Pro prima sententia militat Soncin. 5. Metaph. quæst 16. Domin. Sotus in hoc 3. lib. q. 1. Tolet. in hoc itidem lib. quæst 3. Peter. lib. 10. suæ Phys. cap. 10. In secunda opinione stetit Capreol. in 2. sent. dist. 1. quæst. 2. art. 2. & distin. 39. quæst. 1. art. 3. Paul. Venetus. In cap. 3. huius lib. Burlæus in hoc lib. ad tex. 11. Tertiam demum amplectuntur P. Suarez disput. 49 Metaph. sect. 2. Conimbr. in hoc lib. cap. 2. quæst. 3. Run. quæst. 3. tract. de motu, distinguitur, inquit, motus a termino distinctione, *qua distinguitur modus a re, vt subsistentia a natura, quam terminat.*

xxxviii. Et quod distinguatur realiter prob. 1. Illa, quorum vnum corrumpitur, & cessat esse: alterum autem non corrumpitur, sed manet, re vera distinguuntur realiter, vt docet Arist. septimo Topic. cap. 1. illis notis, *posito aliquo, siue quod falsum, siue quod verum sit, si alterum tollatur eorum, alterum non item, eadem illa non erunt.* Et de se constat, quia alias idem met corrumperetur, & simul non corrumperetur. Sed motus corrumpitur, siue cessat esse, terminus autem non corrumpitur, sed manet: cessante etenim calefactione, manet calor in subiecto. quare motus, & terminus ad quem distinguuntur realiter vt duæ entitates.

Secundò, Motus est aliquod successiuum: terminus est aliquod permanens: impossibile autem est, eandem realitatem esse successiuam, & permanentam. Deinde, Motus est ad terminum: sed motus non est ad motum ex quinto Phys. tex. 15. quare motus non est terminus. Item, Motus est via ad terminum, & producit terminum: terminus non est via ad terminum: neque producit terminum. Adhæc, Motus est velox, aut tardus: terminus nihil huiusmodi est. Vnde sic poteris rationem colligere. Vni & eidem realitati non possunt conuenire attributa contraria, & contradictoria: Motui, & termino conueniunt attributa contraria, & contradictoria, vt in attributis nunc recensitis apparet, ergo motus, & terminus non sunt vna & eadem realitas.

Tertio, Quæ differunt specie, ea inter se differunt realiter indiuidualiter, quia multiplicatis superioribus, multiplicantur inferiora, sicut multiplicatis speciebus hominis, & equi, multiplicantur indiuidua hominis, & equi. Sed motus, & eius terminus differunt specie. Quod patet, quia terminus motus, V. G. calefactionis per se est in specie Qualitatis: terminus augmentationis in specie quantitatis; terminus generationis est substantia: At motus per se ac directè in nulla est istarum specierum. ergo motus, & terminus differunt specie, ac proinde distinguuntur realiter indiuidualiter, id est sicut distinguitur Petrus, & equus.

Determinatio propositæ quæstionis.



Ro resolutione aduerto, terminum, ad quem tendit motus, esse duplicem: Vnus est intrinsecus: Alter extrinsecus. Quæ res facile potest ex similitudine lineæ comprehendi. Terminus intrinsecus lineæ est punctum illam intrinsecè terminans: terminus autem extrinsecus eiusdem lineæ erit quoduis aliud corpus, quod illam eandem lineam extrinsecè terminat. Vel, vt apparentiorem proportionem cum motu V. G calefactionis seruemus, sit linea septem cubitorum: qui quidem septẽ cubitus respõdeant septem gradibus caloris. Tunc terminus intrinsecus illius lineæ erit septimus cubitus: octauus verò cubitus, qui necessario est alterius corporis, quod dictæ lineæ est contiguum, erit terminus extrinsecus eiusdem lineæ. Qua distinctione iacta. xxxix.

Dico 1. Omnis motus distinguitur a suo termino extrinseco ad quem realiter, vt res a re. Hęc assertio est manifesta, quia omne extrinsecum alicui re ipsa distinguitur ab illo. Et vides in motu tuo ad parietem. Quippe hic paries est terminus extrinsecus tui motus: verè etenim terminat, ne vlterius progrediare: Sed paries est alia res a tuo motu: ergo terminus extrinsecus ad quem motus distinguitur a motu vt res a re. XL.

Ita in calefactione, quando lignum conuertitur in ignem: Vltimus gradus caloris tendentis vlterius, qui concipitur V. G. vt septem, in ligno, est terminus intrinsecus dictæ calefactionis: Calor verò & gradus caloris vt octo, qui non amplius subiectatur in ligno, sed in igne, est terminus extrinsecus eiusdem calefactionis. Et ista calor vt octo verè est alia res a præcedente calefactione.

Ratio

Digitized by Google

Ratio etiam est euidens, quia motus calefactionis recipiebatur in ligno: calor autem vt octo recipitur in igne. Modo quis nescit, quod distinctio subiectorum infert distinctionem accidentium?

Dico 2. Motus non distinguitur realiter tanquã res a re a suo termino intrinseco ad quem tendit,
XLI. neque distinguitur solum per intellectum, sed distinguitur diuersa definitione, siue distinctione reali modali: Quia scil. eademmet entitas alio ac diuerso modo re vera definitur vt est motus, & alio vt est terminus: & verè ac realiter alio modo est, quando est motus; alio autem quando est terminus.

Probo primam partem. Motus non est aliud quàm actus quidam imperfectus tendens ad perfectum, *Motus nihil aliud est quàm generatio partis post aliam illius perfectionis, ad quam intendit motus, donec perficiatur, & fit in actu*, inquit Auerr. in com. 4. huius lib.: sed imperfectum, quando perficitur & fit perfectum, non est alia ac distincta res a se ipsa quando erat imperfecta. ergo si motus est continua generatio partis post partem, & continua acquisitio termini, donec in illo perficiatur, profectò non erit alia res ab ipso termino.

Deinde, Motus est forma quædam in fieri; vt calefactio est calor quidam in fieri: Terminus autem est eademmet forma in facto esse, vt calor iam productus: Sed idem in fieri non distinguitur vt res a re a se ipso in facto esse, ergo &c. Adhæc, posita sola realitate motus, V. G. posita in ligno sola calefactione, & seclusa quacunq; alia realitate caloris ipsius termini, verè in ligno intelligitur terminus calefactionis. Cesset enim calefactio in ligno vbi vbi vis, semper ibi aderit terminus illius calefactionis: euidens ergo est, non esse aliam realitatem motus, & aliam termini.

Quod autem non distinguatur sola distinctione
XLII. intellectus, quæ erat secunda pars conclusionis, vel inde fit conspicua, quia nullo intellectu cogitante, verè ac propriè a parte rei aliud est motus, aliud terminus.

Restat igitur vera ac tenenda tertia pars nostræ conclus., quod motus, & terminus distinguũtur definitione, ac modo reali. Profectò calor V. G. verè habet aliam definitionem, & habet alium ac diuersum modum realiter essendi quatenus est in fieri, & est motus ac calefactio, quàm quando est in facto esse, & est terminus. Hæc de motu, & termino.

Si autem motus comparetur ad subiectum, (quod etiam in sect. propositi inuestigandum) omissis alijs opinionibus, dicendum est, quod omnis motus distinguitur realiter vt res a re a subiecto in quo est. Ratio est euidens, quia subiectum motus est substantia, veluti in calefactione est lignum, aut aqua: subiectum motus augmentationis, ac diminutionis est corpus augmentabile, & diminuibile: subiectũ motus localis est corpus, quod loco mouetur, subiectum generationis, & corruptionis, quatenus sunt mutationes substantiales, est materia prima. Sed omne accidens est alia ac diuersa res a substantia, ergo omnis motus re ipsa distinguitur a suo subiecto. Ex his facile etiam diluuntur argumenta quę pro distinctione reali & entitatiua motus a suo termino facta sunt.

Ad primum dicendum, quod sola distinctio diuersarum definitionum, quamuis sit vna tantum
entitas, satis abundè est, vt eademmet realitas se- XLIII.
cundum vnam rationem dicatur cessare esse, & corrumpi, secundum aliam autem permanere. Exempla passim occurrunt. Accipe duo. Materia prima, & priuatio sunt vna & eademmet entitas: discriminantur autem definitione: Nihilominus in generatione vna cessat esse, altera perseuerat. Totum hoc habes apud Aristotelem in primo Physic. tex. 60. his verbis, *Oportet semper aliquid subijci, quod fit: Et hoc, & si numero est vnum, at forma quidem non vnam: forma enim dico, & ratione idem: non enim idem est homini, & immusico esse: & illud quidem permanet: hoc verò non permanet*. Et in tex. 82. de hoc vno aggregato ex materia prima, & priuatione, aiebat, quod secundum vnam rationem corrumpitur: secundum aliam non corrumpitur. *Corrumpitur autem, fit, & est quidem vt fit: est autem vt non, &c.* Alterum exemplum suppetit in toto composito physico, & eius partibus. Nam totum & partes vnitæ sunt vnamet entitas, quemadmodum in lib. 1. ad tex. 17. in propria quæstione dixi. & distinguuntur definitione, seu modo: Nihilominus totum corrumpitur. partes autem in homine non corrumpuntur: de qua re vide, quæ in ea quæst. sect. 4. scripsi.

Neque propositio illa Philosophi, quod *si alterũ tollatur, alterum non item, eadem illa non erunt*, quicquam huic doctrinæ officit. Nam Arist. solum ait, ea quæ ita affecta sunt, non esse eadem, idest differunt aliquo modo. Hoc verum est: at non ait, quod ea differũt tanquã res a re. Ita nos fatemur, motum, & terminum inter se differre: at non vt duas res, sed eo modo quo exposuimus. Deniq; cũ in arg. obijcitur, terminus permanet: motus corrumpitur, seu cessat esse: distinguo hanc secundam partem. Motus cessat esse quo ad modum essendi, concedo: cessat esse quo ad entitatem, nego.

Ad 2. argum. dico, quod non inconuenit vni, & eidem entitati, secundum aliam atque aliam ratio-
nem spectatę tribui attributa contraria, & contradi- XLIV.
ctoria, quia tunc illa neque contraria, neque contradictoria sunt: Nam contraria, & contradictoria debent conuenire eidem secundum idem. De hac etiam doctrina multa dixi in sect. illa 4.

Addunt in proposito viri docti, quod sola distinctio rationis ratiocinatæ sufficit propter fundamentum in re, vt talem inducat diuersitatem. Adhibent exemplum: Nam verum, & bonum distinguuntur ab ente sola ratione ratiocinata: Nihilominus quatenus est verum, est obiectum intellectus: non autem quatenus est bonum. Potiori itaque ratione attributa in argumento illo recensita possumus motui, & eius termino attribuere, quod motus sit via; terminus non sit via & alia id genus.

Ad

XLV. Ad 3. dico, Non omnia quæ differunt specie, differunt etiam inter se realiter indiuidualiter, sed sat est, si differant formaliter, siue modo reali. Hoc vides in actione, & passione, quæ non modo specie, verum etiam genere primo inter se dissident: constituunt enim duo Prædicamenta: Nihilominus actio, & passio non distinguuntur realiter vt res à re, sed sunt vna atque eademmet entitas motus; sunt autem diuersæ formaliter.

Et quod sint hoc modo diuersæ, vel ex eo apparet, quia habent diuersas definitiones, & constituunt duo diuersa Prædicamenta. Quod verò sint eademmet entitas motus, sic deprehende. In motu V.G. calefactionis spectamus hæc tria. Primò concipimus simpliciter quendam fluxum emanantem ab igne in aquam; & sic est motus. Secundò perpendimus solum quatenus ille fluxus oritur ab igne, & respicit ignem vt sui causam: & hoc modo est actio. Tertiò spectamus eundem fluxum solum quatenus recipitur in aqua, in qua receptione aqua patitur, & sic est passio: Vnde motus respectu actionis, & passionis se habet tanquam materia quædam communis actioni, & passioni. Actio autem, & passio se habent ac si essent duæ formæ in eadem materia communi vtrique, id est & actioni, & passioni.

XLVI. Habes luculenta huius rei exempla apud Aristot. & quidem in tex. 18. de progressu ab vno ad duo, & à duobus ad vnum: Et de via accliui, & decliui. In tex. autem 21. iisdem de *via a Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas*. Vel Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Et in dicto tex. 18. *manifestum*, inquit, *est, quod motus est in ipso mobili: actus enim est huius, & ab hoc motiuo*. Et rursus. *quare similiter vnus est amborum actus: sicut enim idem spacium est vnum ad duo, & duo ad vnum; & accliue, & decliue: hæc enim vnum quidem sunt, ratio tamen non vna est; similiter quoque & in mouente, & in moto*.

SECTIO SEXTA.

Vtrum actio formaliter accepta sit subiectiuè in passo, an potius in agente?

XLVII. 
Væstio non procedit de actione immanente, quæ ex Aristot. nono Metaph. tex. 16. manet in eo ipso principio a quo elicitur, cuiusmodi sunt visio, auditio, intellectio. Huius namq; classis operationes cuncti Doctores fatentur, verè suscipi ac insidere in agente: sed disceptatio est de actione transeunte, qualis est sectio, aut combustio. At neque extendo vsque quæstionem ad creationem, vt plerique faciunt, sed arcto ad actionem physicam, quæ a nonnullis in præsenti materia appellatur actio *induſtiua*.

Quæ quidem actio transiens physica dupliciter consideratur. Vno modo formaliter: Altero concomitanter. Actio primo modo est quatenus formaliter ac præcisè spectata constituit quintum Prædicamentum, diuersum a Prædicamento Passionis: Actio autem secundo modo est ipsemet motus, & fluxus procedens ab agente in passum, communis actioni, ac passioni. Difficultas non est de actione concomitanter accepta, quia omnes conueniunt eam subiectari in passo; cum actio hac ratione spectata sit, vt dixi, ipsemet motus. Motus autem, vt docuit Philosophus in cap. 3. huius lib. subiectiuè est in mobili. Solum itaque agitatur de actione formaliter considerata.

Opinio, & argumenta, quod actio formaliter considerata, sit subiectiuè in agente.


Anc partem defendunt Scot. in 4. dist. 13. quæst. 1. & in Quodlib. 11. quibus in locis ait, actionem formaliter esse relationem ad effectum, siue ad subiectum; proinde subiectari in ipso agente. Ita sentiunt omnes eius discipuli, vt refert; & sequitur Mastr. in Phys. disp. 7. quæst. 5. art. 2. Inter asseclas etiam S. Thom. hæc opinio radices egit. Nam Caietan. in prim. part. quæst. 25. art. 1. Aquar. 9. Metaph. quæst. vltim. Zumel. & Nazar. in illa quæst. 25. art. 1. aiunt, actionem esse agentis accidens, per quod constituitur actu agens; ideoque esse in eo vt in proprio subiecto. Et quod maius est, ita expressè videtur sensisse S. Thom. cuius dicta mox audies. Hanc itaque opinionem probo primò ex Arist. deinde ex S. Thom. (plurimum etenim S. Doctoris auctoritas in quauis materia pollet.) demum rationibus. XLVIII.

Arist. in secundo de Anim. tex. 26. ait, actum esse in eo, cuius est actus: sed actio, iuxta eundem Philosophum in hoc lib. tex. 18. est actus agentis, ergo actio est in agente. XLIX.

Item, In illo est actus, in quo est potentia, siquidem, auctore eodem Phylosopho lib. de Somn. & vigil cap. 1. *cuius est potentia, eius est actus*. Sed potentia agendi est in agente, ergo & actus agendi, quæ est actio, erit in eodem agente.

Præterea, idem colligitur ex octauo Physic. a tex. 6. vsque ad 9. quo in loco contendit Aristot. quod

si Deus in tempore inciperet mouere, & in tempora faceret mundum, omninò mutaretur. Sed hęc mutatio in Deo non sequeretur, nisi quia actio in tēpore exercita susciperetur in Deo, & illi de nouo adueniret aliqua entitas. Sentit itaque Arist. actionem secundum rationem actionis esse in agente.

Hoc ipsum expresse docet. S. Thom. in 2. distin. 40. quæst. 1. art. 4. ad 1. his verbis. *Cum actio sit in agente, & passio in patiente, non potest esse idem numero accidens, quod est actio, & quod est passio, cum vnum accidens non possit esse in diuersis subiectis*. Et lib. 2. contr. Gent. cap. 9. *Actio*, inquit, *quæ non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subiecto, & ideò inter nouem genera computatur*. Idem habet quæst. 7. de Potent. art. 10 ad 1. Præterea in art. 9. eiusdem quæst. declarat, quomodo actio sit accidens agentis, licet secundum modum concipiendi videatur esse ab agente, non in agente, & ait, *Actio, ex hoc quod est actio, consideratur vt ab agente; in quantum verò est accidens, consideratur in subiecto agenti*. Et in quæst. 8. sequenti art. 2 hæc habet. *Nihil prohibet, aliquid esse inhærens, quod tamen non significetur vt inhærens; sicut etiam actio non significatur vt in agente, sed vt ab agente; & tamen constat, actionem esse in agente*. Quę cum ita sint, validam habet ansam Caietan. & præfati Thomistæ in hanc sententiam descendēdi.

L. Deinde prob. rationibus. Prima est. In illo est vt in subiecto aliqua forma, in quo inuenitur eius formæ denominatio, sicut in illo est veluti in subiecto albedo, quod denominatur album: Denominatio autem actionis, quæ actio procul dubio est quædam forma accidentalis, est in agente: agens enim, quod est quoddam concretum, nuncupatur tale ab actione formaliter accepta, sicut album ab albedine. ergo actio formaliter insidet vt in proprio subiecto in agente.

Confirm. ex opposito. Implicat, aliquam formam inexistere in aliquo subiecto, & non tribuere illi suum effectum formalem, & suam denominationem; quemadmodum implicat, esse in aliquo animam rationalem, & non constituere, ac denominare illud hominem, & rationalem: & implicat, albedinem esse in pariete, & non denominare illum album: Sed actio formaliter accepta est quædam forma, & hac ratione constituit quintum Prædicamentum, ergo si ita spectata est in passo, implicat, quin ipsum passum dicatur, & sit agens. Hoc autem est absurdum: alioquin passum ageret in se ipsum. quare necessario actio erit in agente.

LI. Quod si cita illa responsione occurras, quod duplex est denominatio, Altera quidem intrinseca, & hæc prouenit a forma inhærente illi subiecto, quod denominatur tale: Ita paries albus dicitur ab albedine actu illi inhærente. Altera est extrinseca, vt columna appellatur dextera a dexteritate mea, & paries dicitur visus a visione existente in oculo: Quare ad argum. dices, maiorem propositionem esse quidem veram in denominatione primo modo: hæc enim procul dubio in illo subiecto est, cui forma denominans inhæret; non autem esse veram in denominatione secundo modo. Et huiusmodi est appellatio agentis, quæ oritur ab actione intrinsecè inhærente in passo, extrinsecè autem denominat ipsum agens. Eodem modo ad confirmationem dicendum, quod vnum aliquod accidens inhærens vni subiecto potest denominare illud intrinsecè secundum vnam rationem, & denominare aliud extrinseca denominatione secundum aliam rationem, sicut superficies corporis ambientis denominat corpus, in quo inhæret, quantum: denominat verò extrinsecè locatum: sic in præsenti philosophare de actione.

Contra vrgetur. Quandocunque aliqua forma denominat aliquid denominatione extrinseca, necessario denominat aliud denominatione intrinseca, vt vel in exemplis inductis apparet. Nam dexteritas denominat quidem columnam dextram extrinsecè, sed prius denominat intrinsecè animalis partem dextram. Ita visio denominat parietem extrinsecè visum, denominat autem intrinsecè ipsum animal videns: vnde dexteritas, & visio sunt formaliter & intrinsecè in animali. At in præsenti nullum aliud suppetit subiectum, quod ab actione denominetur intrinsecè, quàm agens: Non enim actio potest intrinsecè denominare passum, secus ipsum passum formalissimè & intrinsecè esset agens, & ageret in seipsum. ergo actio non solum extrinsecè, sed verè & intrinsecè denominat agens tale: ac proinde erit subiectiuè in eo. LII.

Secunda principalis ratio est. Perfectio alicuius in illo est intrinsecè & inhæsiuè, cuius est perfectio. At actio formaliter est perfectio agentis: Tum quia magna est agentis perfectio se ipsum alijs communicare; quod facit media actione. Tum quia actio extrahit facultatem agentis, & ipsummet agens de potentia ad actum. Et idem colligitur ex Arist. secundo de cælo tex. 18. asserente, vnumquodque esse *propter suam operationem*: Sed vnumquodque est propter suam perfectionem: quare operatio est vniuscuiusque perfectio. ergo actio re vera est in agente. LIII.

Tertia ratio. Quando ignis calefacit tria ligna, est vna tantum actio, cum sit vnum tantum agens. Tunc peto. Illa actio estne subiectiuè in igne, an in lignis? Si in igne, ergo actio est inhæsiuè in agente: Si in lignis, ergo vnum numero accidens inexistit in tribus subiectis numero distinctis. Quod omninò repugnat.

Nihilominus syncera Stagiritæ mens est, actionē transeuntem formaliter & essentialiter acceptam, verè esse vt in proprio ac legitimo subiecto in passo. LIV.

Ita defendunt interpretes Græci, in hoc libro circa tex. 18. 20. & 23. & S. Thom. locis mox adducendis. Secuti sunt Capreol. in 2 dist. 1. qu. 2. art. 3. Soncin. 5. Metaph. qu. 37. Ferrar. in hoc 3. lib. qu. 4. & in lib. 2. contr. Gent. cap. 9. P. Suar. in Metaph. disp.

48. sect. 4. Perer. lib. 13. Phys. cap. 7. Complutén. in Phys. disput. 17 quæst. 4. & 5. Ruu. quæst. 4. hic. Auers. Quæst. 26. sect. 4. Ouiedo in Curs. Philos. contr. 12 in Phys. punct. 2. Arriag. itidem in Phys. disput 8 sect. 3. vbi multis exagitat, quod actio non distinguitur re a passione. *Et hæc sententia est vera, & tenenda.*

Et quidem hanc esse Stagiritæ mentem, vel ex paucis his quæ subijciam, palam dignosces. In hoc lib. a tex. 18. vsque ad 23. duo ostendit. Vnum, quod actio est eademmet entitas cum passione: Alterum, quod hæc entitas est vt in subiecto in mobili, siue in passo. ergo euidenter sentit, actionem esse subiectiuè in passo.

Respondent aliqui, Aristotelem hic non loqui de actione formaliter, sed loqui de actione concomitanter accepta, quæ est ipsemet motus: Quo pacto re vera est in mobili. Quæ responsio inanis est, quia Arist. expressè sermonem habet de actione, & passione vt sunt duo Prædicamenta, & propterea distinguit etiam rationes actionis, & passionis, vt vides in tex. 18. & 20. ergo non intelligit de actione solum concomitanter, sed de ea formaliter accepta.

Verùm hanc quæstionem in terminis, vt aiunt,
LV. inuenio apud Arist. propositam: tum vtraque ex parte sua fundamentis firmatam: & postea apertè decisam, quod actio non sit in agente. Proponit in tex. 19 huius lib. An actio, & passio sint vnus & idem actus, an verò sit alius atque alius? Et in quonam subiectasint?

Deinde argumentatur pro vna parte, quod scil. non sint vnus actus, sed alius atque alius. Primò, quia vna est actio: Altera est passio. Secundò, quia habent opera, & fines diuersos. Nam opus, & finis actionis est ποίημα, *factum*: opus autem, & finis passionis est πάθος *affectus*.

Postea progreditur pro altera parte, & quærit;
LVII. Si actio, & passio non sunt vnus actus, sed duo, in quo igitur sunt? *Aut enim vtraque, in patiente, & moto sunt: aut actio quidem in agente, passio autem in patiente?* Non potest dici, quod passio sit in passo, & actio in agente, quia si actio sit in agente, sequitur, primò, quod omne agens, & omne mouens moueatur: quæ consecutio patet, quia actio est motus: in quo autem est motus, illud necessario mouetur. Consequens autem est falsum, quia datur primum mouens, quod non mouetur. Sequitur secundò, quod in aliquo sit motus; & tamen illud non moueatur.

Præterea probat, actionem non esse in passo. Primùm, quia tunc actus vniuscuiusque non esset in vnoquoque. Deinde, quia si actio est in passo: ergo idem erit doctio, id est actio, & disciplina, id est passio: Et idem erit docere, & discere. Quæ sunt absurda. His ita exagitatis.

Respõdet Arist. in tex. seq. 20. & supponit actionem, & passionem esse vnum actum, & vnum motum, quemadmodum in tex. etiam 18. ostendit. Præterea, admittit actionem non esse in agente, & passionem in passo, propter rationes inductas: præsertim verò, quia si actio esset in agente, profectò omne agens, & omne mouens moueretur: & respondet ad argumenta pro vltima parte facta, quod scil. actio non sit in passo. Ad primum respondet, nõ esse inconueniens, actum vnius esse in alio, quia non est decisus, sed est huius actus, & est in hoc. *An verò neque alterius actum in altero esse, inconueniens est? est enim doctio actus docentis, in quodam tamen, & non decisus, sed huius in hoc. Neque enim vnum duobus quicquam prohibet eundem esse, non vt est idem, vt vestis, & indumentum, sed vt est id, quod potentia est, ad id quod est actu.*

Deinde in duobus sequentib. contex. 21. & 22. ostendit, quomodo licet actio sit in passo, non sequantur duo illa alia absurda, quod doctio sit disciplina, & docens sit discens. Ex his liquet, in sententia Philosophi nullam relinqui dubitandi locum, quin actio subiectiuè sit in passo.

Sed pergo ad alia Aristotelis loca. In secundo de Anim. tex. 139 hæc omninò scribit. *Motus, & actio, & passio est in eo, quod mouetur, & patitur. actiui enim & motiui* ἐνέργεια *actio in patiente est: vnde non necesse est mouens moueri.* Et in tex. sequenti, *Sicut*, inquit, *actio, & passio in patiente est, sed non*, audi, *in agente; sic & ipsius sensibilis actus in ipso sensitiuo existit.*

Hanc eandem quæstionẽ decisam inuènio lib. 9. Metaph. tex. 16. Quo loci distinguit Arist. actiones, quod quædam habent pro fine ac vltimo sui vsum, ita vt præter eas nullum aliud opus nec intendatur, nec edatur: Ita vltimum visionis est vsus eiusdem visionis, siue ipsamet visio: nec præter eam intendimus, aut producimus opus, sed videmus vt videamus. Quædam aliæ actiones habent pro fine aliquid aliud præter se ipsas, quia per eas intenditur, & producitur opus, vt ædificatio pro vltimo habet domum. Tunc statuit, actiones primi generis, (quæ sunt actiones immanentes) esse in agente: Actiones autem secundi generis, (quæ sunt actiones transeuntes) esse in passo. Excipe eius verba. *Quorumcumque itaque aliud quiddam præter vsum est id, quod fit, horum actus in eo quod fit est: vt ædificatio in eo quod ædificatur, & contexio, in eo quod contexitur; similiter & de alijs, & omninò motus in moto. Quorum verò non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsismet actio est, vt visio in vidente, & speculatio in speculante, & vita in anima.* Et ibidem, *ædificatio*, inquit, *& ædificatum simul, & fit, & est cum domo.*

In hac eadem sententia fuit D. Thom. qui circa LVIII. præfata Stagiritæ verba ita scribit. *Quando per actionem potentiæ constituitur aliquod operatum, illa actio perficit operatum, & non operantem. Vnde est in operato, sicut actio & perfectio eius, non autem in operante. Sed quando non est aliquod opus operatum præter actionem potentiæ, tunc actio existit in agente, & vt perfectio eius &c.* Idẽ habet in prim.

part.

part. quæst. 18. art. 3. ad 1. & in prim. secund. quæst. 3. art. 2. & quæst. 21. art. 5. & lib. prim. contr. Gent. cap. 100. & quæst. 14. de Verit. art. 3. & qu. 10. de Poten. art. 1. & alibi sæpe. Nam vt doctiss. Suarez. loquitur in disput. illa 48. sect. 4. num. 6. *D Thomas nunquam solet Aristotelem deserere in ijs, quæ purè Philosophica sunt, & fidei non contradicunt*. digna laus a laudato viro de Doctore sanctiss. & laudatiss.

Rationes pro hac sententia plurimæ afferuntur:
IX. ego duas depromo ex Aristotele. Vna iacet in tex. illo 16. *ædificatio in ædificato simul & fit, & est cum domo*, quam ita formo. Actio transiens formaliter accepta est idem re cum termino intrinseco ad quem tendit, & qui per eam fit; & solum differt modo reali, vt in sect. præced. ostendi. ergo hæc actio in eo est vt in subiecto, in quo reperitur terminus per eam productus: quippe modus comitatur rem cuius est modus: Sed terminus est in passo, & fit simul cum actione, ita *ædificatio simul & fit, & est cum domo*, ergo & actio formaliter considerata est in passo.

Alteram rationem accipio ex hoc lib. tex. 8. & 19 & secundo de Anim. tex. 139. claro, vbi cum dixisset, motum, & actionem, & passionem esse in eo quod mouetur, & patitur, subdit. *Vnde non necesse est mouens moueri*. Sic extende. Actio transiens est semper cum motu. ergo si actio transiens est in agente, & mouente in eo necessario etiam erit & motus. Hæc consecutio est euidens. Sed omne illud, in quo est motus, necessario mouetur: quare si actio est in agente, necessario omne agens, & omne mouens mouetur: Hoc autem est impossibile, quia tunc non daretur mouens immobile; propterea *non necesse est mouens moueri*.

Argumenta autem oppositæ sententiæ nullo negotio depelluntur. Ad loca Aristotelis, ad primū
LX. ex tex. 26. lib. secundi de Anim. dico, malè referri locum. Non ait Philosophus actum esse in eo, cuius est actus, *sed ait, vniuscuiusque actus in eo, quod potentia existit, & in propria materia. aptus natura est fieri*. Et locus hic potius fauet sententiæ nostræ. Loquitur autem Arist. eo loci, quod actus, & anima non fit indifferenter in quouis corpore, quemadmodum quidam antiqui in quoduis corpus eam indiscriminatim intrudebant, sed exigit corpus sibi proportionatum. De qua re multa dixi in opere de Tripliei statu Anim disput. 3. sect. 3. & disp. 5. sect. 9 in respons ad 9. argum. & in comment. nostris super eum tex.

Ad 2. auctoritatem respondeo, quod actio verè est actus agentis, cuius est & potentia agendi: & verè est ab agente; sed non est in agente, nisi denominatiuè: subiectiuè autem est in passo. Quocirca non est Philosophi mens in eo effato, quod in illo est vt in subiecto actus, in quo sunt & potentia, sed quod illud operatur, quod poterat operari.

Ad illud verò ex octau. Phys. dico, quod Deus, si in tempore inciperet mouere, & in tempore produceret mundum, non propterea; vt Arist. opinatus est, mutaretur, quia actio sit subiectiuè in eo, sed quia deberet vbi prius nolebat, postea velle; & vbi prius non erat proximè dispositus ad mouendum, postea fieret. Sic colligit in tex. 9. *Si igitur non semper mouebatur, manifestum est, quod non sic se habebant, vt posset hoc quidem mouere, illud autem moueri, sed oportebat mutari alterum ipsorum: necesse enim est in ijs quæ sunt ad aliquid, hoc accidere*. Quam tamen Aristotelis rationem suo loco expendemus. Nos probè scimus, quod Dominus ipse ait, *ego Deus, & non mutor*.

Ad loca autem S. Thomæ communis responsio est, quod intelligit actionem esse in agente non subiectiuè, sed denominatiuè. Patres autem Complutens. in disput. illa 17. quæst. 4. respondent ad ea omnia singillatim, & optimè: eos adi, si lubet.

Ad primam rationem, optimè ibi responsum est de duplici forma, & duplici denominatione. Ad LXI,
instantiam ibi factam, occurrendum, quod actio denominat extrinsecè agens: intrinsecè autem denominat passum At non denominat ipsum agens, sed actum. Hæc itaque. videlicet actum, siue esse actum, est intrinsecs denominatio, quæ oritur ab actione inhærente in subiecto.

Vnde apparet etiam solutio ad confirmationem illius primę rationis, in qua dicebatur, quod implicat, formam esse in aliquo, & non tribuere illi suū effectum formalem, & suam denominationem. Fateor: & sic actio tribuit passo denominationem, quæ est esse actum, vel actione affectum. Hoc argum. fuit ab Arist propositum in tex. 19 inter alia quæ ibi congessit, & fuit solutum in tex. 20. vt superius exposui.

Ad secundam rationem, omissis alijs responsionibus, dico, actionem transeuntem formaliter esse perfectionem passi, vt ex Arist. nono Metaph. tex. 16. & S. Thom. vidimus. Sic ædificatio est perfectio ædificati: Agentis autem esse perfectionem solum antecedenter. Id verò propterea est, quia ad hoc vt agens actu operetur, seq; alijs actu communicet, debet extrahi, & egredi de potentia ad actum: qui quidem egressus est quædam agentis perfectio, ad quem egressū quasi consequitur actio. Hinc fit. vt quando datur aliquod agens, quod non erat in potentia, sed semper extitit actu, tunc actio XLII.
trāsiens nullam omninò afferet illi perfectionē neq; etiam antecedenter. Ita si creatio est actio, contigit in Deo, cui temporanea Vniuersi productio (quā veritas nostra fatetur) nullam attulit perfectionem, sed tota perfectio ad creaturam delata est.

Ad tertiā rationem dicendum est, actionem ignis in casu proposito subiectari in tribus lignis. Et ad probationem respondeo, tria illa ligna materialiter & partialiter esse tria subiecta: formaliter verò & adæquatè esse vnum tantum subiectum. Re vera argumentum est friuolum: & tenentur omnes Philosophi illud soluere. Nam motus, iuxta omnium confessionem, est in mobili. Quando itaque ma-

neo simul tria ligna, quid dices? Sunt ne tres motus? Et etiam vna species, & vna forma numeri ternarij quomodo est in tribus subiectis? Verùm de quæstionibus satis: reuertamur ad Aristotelem est ergo.

CAPVT IV.

Partes Physici sunt agere de infinito: Et Veterum opiniones de eo.

TEXTVS XXIV.



Voniam autem de natura scientia est circa magnitudines, & motus, & tempus, quorum vnumquodq necesse est aut infinitũ aut finitũ esse, & si non omne est aut infinitum, aut finitum, vt passio, aut punctus (talium enim fortasse nullum necesse est in altero horum esse) conueniens vtique erit de natura pertractantem speculari de infinito, si est, aut non: & si est, quid est.

Absoluta tractatione de motu, aggreditur Arist. disserere de infinito. Summa autem cum ratione post contemplationem motus, potius agit de infinito, quàm de vllo alio motum consequente, quia infinitum immediatiùs consequitur naturam motus. Dictum etenim fuit in primo tex. huius libri, motum esse continuorum: in continuo autem illico apparet ratio finiti, & infiniti. Præterea, Philosophus negaturus quidem est infinitum in actu: concedet autem infinitum in potentia: infinitas verò in potentia videtur cum motu habere quandam conformitatem, siquidem motus, vt superius diximus, est actus coniunctus & consociatus potentiæ. Ob has igitur rationes Eximius præceptor post considerationem motus, potius de infinito, quàm de aliquo alio motum consequente instituit orationem, quam vsque ad finem huius tertij libri protrahit.

II. In hoc autem tex. tria facit. Primùm ostendit, spectare ad Philosophum Naturalem agere de infinito hac ratione. Qui edisserit de magnitudine, de motu, & de tempore, debet etiam de infinito differere: Quid ita? quia quicunque tractat de aliquo, debet de ijs quoque tractare, quæ in illius natura concernuntur: Infinitum verò ac finitum concernuntur in natura magnitudinis, motus, ac temporis, *Nam vnumquodque* istorum *necesse est, aut infinitum, aut finitum esse*. Sed Philosophus Naturalis agit de magnitudine, de motu, & de tempore, quare & de infinito.

Dixit magnitudinem, motum, & tempus, aut esse finita, aut infinita: Posset quispiam suspicari III. etiam reliqua omnia, quarũ sermonem agitat Physicus, esse aut finita, aut infinita. Occurrit Arist. in 2. part. tex. quod non omnia sunt aut finita, aut infinita. Nam passio, aut punctum neque finita, neque infinita sunt. & vt Auctor loquitur, *non est fortasse necesse sub altero horũ contineri*: id est vel sub finito, vel sub infinito. Punctum enim omni omninò caret parte: Passio autem, idest passibilis qualitas, veluti calor, aut albedo, per se neque magna, neque parua sunt, sed censentur talia solum ratione superficiei, in qua insunt, quemadmodum in Categ. de Quant. dicitur. Ex quibus colligit in 3. part. tex. conclusionem, quod munus Physici est, considerare de infinito, *si est, aut non: & si est, quid est?*

TEXTVS XXV.



Ignum autem est, quod huius scientiæ propria sit consideratio de ipso. nam omnes, qui videntur pro dignitate tetigisse talem philosophiam, fecerunt sermonem de infinito, atque omnes tanquam principium quoddam ponunt eorum, quæ sunt. Alij quidem, quemadmodum Pythagorei, atq; Plato, per se, non sicut accidens alicui alteri, sed vt substantiam ipsum esse infinitum. verùm Pythagorei quidem in sensibilibus: neque enim abstractum faciunt numerum: esseque quod extra cælum est, infinitum. Plato autem extra quidem nullum esse corpus, neque ideas, eo quod nusquam sunt ipsa. tamen infinitum, & in sensibilibus, & in illis esse. I.

Confirmat suam assertionem auctoritate Veterum: Tum refert opinionem Philosophorum de infinito non naturaliter loquentium: Et indicat inter eos discrimen.

Quod, inquit, tractatio de Infinito sit propria Philosophiæ Naturalis, argumentum est, quod quicunque ἀξιολόγως *cum dignitate, siue digno sermone*, quem videl. aliquis non ægrè audiat, contemplationem naturalem existimantur tetigisse, omnes de infinito egere. Oculatè addit, quicunque cum dignitate hanc scientiam tetigerunt, vt innuat, nos haud debere esse solicitos de alijs, qui in hac eadem naturali alea, vt vi balbutierunt. Sensatè enimuerò hic idem Philosophus in Top. præcepit, quod *quolibet proferente contrarias opiniones sapientum, de quolibet solicitum esse stultum est.*

Deinde,

Digitized by Google

Deinde, *at omnes quidem*, &c. accingitur mente suo recensere Veterum placita de infinito. Porrò Veterum Philosophorum quidam non naturaliter, quidam verò naturaliter fecere verba de infinito. Arist. exorditur ab auctoribus primæ classis, qui fuerunt Pythagoras, & Plato: postea e tex. 27. refert auctores secundæ classis.

Omnes, ait, priores Philosophi constituerunt infinitum esse *tanquam quoddam principium τῶν ὄντων, entium*, videl. rerum naturalium: Attamen alij atque alij vario ac diuerso modo ipsum constituerunt. Et quidem Pythagorei, & Plato opinati sunt, infinitum non esse aliquod accidens, quod alicui alteri naturæ adiaceret, sed esse per se existens, & omninò esse quamdam substantiam:

Hic subintellige alterum diuisionis membrum; nimirum alij verò Philosophi statuerunt infinitum, esse accidens alicuius alterius naturæ, quam illi sternebant pro principio eorum, quæ sunt: ita vt illa natura V. G. aqua, aut aer, esset prædita infinitate, quia infinitas esset accidens dictæ naturæ.

III. Addit deinde duplex discrimen inter Pythagoreos, & Platonem. Primum est, quod Pythagorei *infinitum ponunt in sensibilibus*. Constituebant enim infinitum in numeris: Numeros verò faciebant principia substantialia rerum omnium: at substantia rerum est in sensibilibus οὐ γὰρ χωριστὸν ποιοῦσι τὸν ἀριθμὸν, *non enim separatum faciunt numerum*. propterea infinitum, iuxta illos semper erit in sensibilibus. Secundum, quia asseruerunt infinitum esse etiam extra cœlum. Vnde illi Mundum in infinito collocabant; & vt Auctor loquitur, id quod est extra Cælum, infinitum esse dicebant.

Plato autem primùm quidem extra cœlum nequiquam ponit infinitum, quoniam censet extra cœlum nullum adesse corpus. Quin neque ideas ipsas voluit esse extra cœlum: quippe cum ideæ non sint corpora, nusquam sunt tanquam in loco, ac situ. Deinde, *infinitum tamen & in sensibilibus, & in illis esse dicebat*. Quibus in verbis video Platonem partim quidem cum Pythagoreis conuenire, partim verò ab ijs discrepare. Conuenit, quatenus ipse etiam dicit, infinitum esse in sensibilibus: discrepat, quatenus contendit infinitum etiam esse abstractum, scil. in Ideis: Ideas enim Plato constituebat separatas, ac præter sensibilia, vt videre licet apud Arist. tum in primo Metaph. cap. 4. tum lib. septimo cap. 5. & alibi sæpè.

TEXTVS XXVI.

ET hi quidem infinitum esse par: hoc enim comprehensum, & ab impari terminatum tribuit ijs, quæ sunt, infinitatem. Signum autem huius id esse quod contingit in numeris: circumpositis enim gnomonibus circa vnum, & seorsum, aliquando quidem aliam semper fieri speciem, aliquando autem vnam. Plato autem duo infinita, magnum, & paruum.

Duas induxit differentias in tex. præced inter Pythagoreos, & Platonem; annectit nunc tertiam, I. & est radix, in qua vtrique fundabant infinitum. Nam Pythagorei collocabant infinitum in vna radice, quæ esset numerus par: Plato verò infinitum constituit in magno, & paruo. Aiebant Pythagorei par esse infinitum: impar autem finitum: & infinitum tribui rebus ab ipso pari. Par autem esse infinitum, suadebant Pythagorei ratione, & signo ex natura numerorum accepto, quæ vtraque hic refert Arist. Verum quia haud penitus comprehendas, paulò altius explicanda est,

DIGRESSIO.

Prælibatio numerorum Pythagoreorum.

DE numeris Pythagoreorum multi tum ex Pythagoricis, tum ex Platonicis copiosè scripsere, ex quibus multa congessit Fran. Piccol. in lib. de Philosophorum placitis cap. 6. & longè plura Thom. Gian. in sua Physica libro 2. cap. 25. & deinceps: Equidem tangam solum quorum pro re, de qua agimus, necessarium duco.

Tritum est, Pythagoram, eiusque sectatores, cum nefas existimarent, preciosa Philosophiæ arcana in profanum vulgus proijcere, consueuisse per II. quædam symbola, ac ænigmata animi sui sensa alijs insinuare. Propterea primò enitar enucleare, quid illi in re, in qua versamur, per eiuscemodi numerorum paris, & imparis inuolucra sinceré intelligerent. Postea ipsa eorumdem dicta, vt iacent, explicabo. Pythagoras, qui non ab re πυθῶν ἀγορεύει Pythiæ loquela dictus est, simpliciter pronunciauit numeros esse principia rerum omnium: quæ tamen hoc pacto redegit in ordinem. Primùm constituit Vnitatem, quæ esset caput, atque fons omninò omnium, cuncta facultate, ac eminentia includens.

Par

Digitized by Google

Per quam quidem vnitatem procul dubio intelligebat ipsum primum ens, cunctorum opificem Deum. Ab hac Vnitate, ac supremo vno aiebat prodire ideas superæ Mentis, quas nuncupabat numeros Primos, & numerorũ originales formas. Sub illa vnitate statuebat decem contrarietates, siue oppositiones, quæ essent proxima principia rerum: Has contrarietates distribuebat in duas classes, quarum altera indicaret actum, formam, & perfectionem: Altera potentiam, materiam, & priuationem, Quam quidem seriem refert Arist. in primo Metaph. cap 6. & disposui supra in hoc lib. circa tex: 13. ideò hic non repono. Sed nomina solum indicabo. In serie actuum, formarum, ac perfectionum erant. Finitum, Impar, Vnum, Dextrum, Mas, Quies, Rectum, Lumen, Bonum, Quadratum. In serie autem potentiæ, materiæ, ac priuationum erant, Infinitum, Par, Multiplex, Sinistrum, fæmina, Motus, Curuum, Tenebræ, Malum, Longius altera parte,

III. In serie actuum, formarum, ac perfectionum vides esse impar; In serie verò potentiæ, materiæ, & priuationis par. Adhæc, vide, vt Pythagoras vnitaté, & supremum illud vnum, Deum, extulit supra omnem dictarum decem contrarietatum ambitum, quòd videl. ille solutus, liber, & segregatus ab omni concretione, & oppositione mortali beatissimè degat.

Quocirca per ipsum par Pythagoras syncerè intelligebat materiam primam: per impar intelligebat formam. Propterea aliquando absolutè pronunciabat, par, & impar esse principia rerum, id est materiam, & formam.

IV. Nec te hic turbet obiectio quorundam, inter quos est Thom. Gian. loco indicato, qui dicunt, quod Pythagoras nomine imparis nulla ratione potuerit intelligere formam, quoniam forma substantialis antiquis omnibus fuit ignota; vt constat ex cap. 1. lib. præced. & libro primo Metaph. cap. 6. & nos multis exposuimus ad calcem lib primi in disput. de Principio formali.

Facilè enim occurritur, quod licet clarè formã non assignauerint, nihilominus aliqui illorum eam ad ea quam partem tetigerunt, vt dicitur in libro præced. tex. 22. inter quos procul dubio fuit Pythagoras, à quo expressius postea extulit formam Timæus Locrensis, a quo deinde Plato, quemadmodum in disp. citat. sect. 2. exposui.

Deinde, sic antiquiores ignorauerint omnem formam substantialem, tamen posuerunt aliquid loco formæ. Quid verò? Nonne vidisti ex duabus illis classibus a Pythagora constitutis, alteram esse potentiæ, materiæ, & priuationis: alteram actuum, formarum, & perfectionum, vt ex Arist. & communi Doctorum consensione nuper retuli? rectè igitur Pythagoras per ipsum impar indicauit formam.

V. Cur autem materia prima per numerum parem denotaretur, forma verò per imparem, ratio afferebatur. Primò, quia omnis numerus par semper est in partes æquales diuisibilis: ex aduerso numerus impar nequit in partes æquas diuidi: Neq; enim vnitas, ratione cuius sit, impar diuidi potest vnquam. Ita materia prima est diuisibilis, & multiplicabilis in alias atque alias æquales partes: Forma verò est indiuisibilis.

Secundò, quia primus numerorum parium; qui est binarius, est origo, ac radix multitudinis, diuisionis, & varietatis: quandoquidem recedentes ab vno, illicò delabimur in multa, atque diuersa. Ita materia est radix, ac principium multitudinis; quia *quæcunq; sunt multa numero, materiam habent*, ex duodecimo Metaph. tex. 49 E contra verò impar, & forma est causa vnitatis, ac indiuisionis. Nam *forma, & species est, secundum quam iam dicitur hoc aliquid*, ex secundo de Anim. tex. 2.

VI. Quid si vlterius dicam? quod quemadmodum si progrediamur ab vno, statim ac primò oritur dualitas, ita ab vno illo ac supremo à Pythagora constituto, id est a Deo, statim, & ante quamcunq; aliam creaturam, orta sit materia prima, quæ deinde in conficiendis reliquis rebus eidẽ Deo deseruiret, veluti subiectum & stratum, ex quo deinceps fierent generationes, & corruptiones rerum? Nam ad omnem generationem cuncti Veteres supposuerunt aliquod subiectum.

Huic contemplationi mirificè fauet id, quod Diogenes Laert. in vita Pythagoræ refert ex Alex. in opere de successionibus Philosophorum. Dicit & Alexander, inquit Laertius, in successionibus Philosophorum, etiam hæc inuenisse in Pythagoreorum commentarijs. Principium omnium esse vnitatem, ex vnitate dualitatem indefinitam, veluti materiam, eidem ipsi vnitati subiectam esse: ex vnitate verò, & indefinita dualitate, numeros; ex numeris puncta, ex punctis lineas, ex his superficies, ex superficiebus solida, & ex his corpora sub sensum cadentia esse: ex quibus etiam esse quatuor elementa, ignem, terram, aquam, & aerẽ: ex his autem omni ex parte mutuis mundum ipsum animantem, intelligentem, rotundumq; effectum esse: qui & terram ipsam rotundam, in qua circum habitetur, complectatur: Esse autem & antipodas, & quæ nobis deorsum sunt, illis sunt sursum. Hæc Laert. Ob has igitur causas, vt vnde digressa est, oratio reuertatur, materia prima ab ijs comparata est primo parium numerorum, binario, & dualitati: Forma autem primo imparium, videl. ternario. Ex vtroque autem hoc numero, primo, inquam, pari, ac primo impari, consurgit quinarius, qui ab ijs appropriatur composito conflato ex materia, & forma.

VII. Nunc vetus etiam illud effatum intelliges (vt etiam hoc addam) quod *impari numero gaudet Deus*. Si enim forma, & actus est primus imparium numerorum, atque ipsummet impar: Et Deus est summus actus, & ex Ægyptiorum dictis, Deus est forma rerum omnium communissima,

vnde

Digitized by Google

vnde etiam Pythagoras ipse Deū definiuit esse animam per Vniuersi partes, omnesque naturas commeantem, ex qua cuncta quæ nascuntur animalia, vitam accipiunt. Rationabiliter Deus dicitur impari numero tanquam sibi consimili gaudere. Quò etiam tendit celebre illud Zoroastri dictum, quod *Trinitas fulget in toto Vniuerso*.

Adde, quod primus numerorum imparium habet principium, medium, & finem. Hinc Aristot. in primo de Cęlo tex. 2 de hoc numero ita scribit: *ipsa tria omnia sunt, & ipsum ter omniquaque. Quemadmodum enim aiunt & Pythagorei ipsum omne, & omnia tribus determinata sunt: Finis enim, & medium, ac principium numerum habent eum, qui ipsius omnis est: Hac autem eum, qui trinitatis est. Quapropter a natura accipientes, tanquam leges illius, & ad sacrificia Deorum hoc vtimur numero.* Sic Deus ter opt. Max. est principium, ex quo profecta sunt omnia: est medium, in quo continentur omnia: est finis, ad quem vltimatè tendunt omnia, Hinc Orpheus in Hymnis cecinit.

Iuppiter est caput, & medium; Iouis omnia plena.

Iuppiter est fundamen humi, & stellantis Olympi.

Verùm de his verbum haud amplius addam: sed iam.

Explicatio textus 26.

VIII. ACcedo ad litteram Aristotelis, qui vbi dixit, *Pythagorei par ipsum infinitum esse dicunt*, subiungit illorum rationem. *Hoc enim comprehensum* (Græcè ἐναπολαμβανόμενον, quod significat *intus acceptum*, nempe quod accipitur intus a composito, tanquam essentialis eius pars) *& ab impari terminatum, tribuit ijs, quæ sunt infinitatem*. Sic structe. Illud, quod ab alio intus accipitur, & ab alio terminatur, de se est indeterminatum atque infinitum: Par, videlicet materia prima, ab alio, id est a composito intus accipitur, & terminatur ab impari, nimirum a forma. Ergo par, materia prima, de se est indeterminata, ac infinita. Circa primam propositionem scito, quod etiam Arist. haud semel materiam vocat τὸ ἀόριστον *ipsum indefinitum, siue ipsum indeterminatum*, vt in quarto Physicorum. Secunda autem propositio est clara, quod scil. par terminatur ab impari, significat enim quod materia terminatur a forma. Porrò materiam cohiberi, ac finiri a forma, quiuis nouit. Vnde forma dicta est πέρας, *terminus*, in hoc libro tex. 67. & in libro quarto tex. 35. & in primo de ort. & inter. tex. 56. & in primo de Anim. tex. 90. & in octau Metaph. tex. 12. & alibi sæpe.

Subdit, *signum autem huius id esse, quod contingit in numeris, &c.* confirmatio est Pythagoreo-
IX. rum ex natura numerorum eruta: quod par sit infinitum: impar verò determinatum, ac finitum. De qua quidem probatione adi Simplic. & Philoponum, a quibus postea alij exscribunt, sed inanis labor. Præ cæteris vide, si lubet, Iosephum Blancanum, in libello, cui titulus, Aristotelis loca Mathematica explicata, qui porrò hunc Aristotelis locum solidè, & planè enucleat.

TEXTVS XXVII.



Vi autem de natura, omnes semper subijciunt alteram quandam naturam dictorum elementorum infinito, vt aquam, aut aerem, aut medium horum. Eorum verò, qui finita faciunt elementa, nullus infinita facit. Quicunque autem infinita faciunt elementa, quemadmodum Anaxagoras, & Democritus, ille quidem ex ijs, quæ sunt similium partium, hic autem ex omni seminario figurarum tactu continuum infinitum esse dicunt.

Post Pythagoreorum, & Platonis opinionem de infinito, subnectit alias eorum Philosophorum, *qui* I.
de natura disseruerunt, qui videl. naturaliter principia rerum tradidere, retinentes motum: Vnde etiā Physici, ac naturales nuncupati sunt, ad differentiam Pythagoreorum, & Platonis, qui non naturaliter de infinito loquebantur; Sic in primo quoque Physic. cap. 4. expenditur opinio naturalium Philosophorum ad differentiam Parmenidis, & Melissi, qui itidem de principijs non naturaliter verba faciebant.

Physicos autem hosce in tres veluti classes in præsenti contextu distribuit. Ac primo quidem communiter sancit, quod quicunque istorum posuerunt infinitum, omnes illud constituerunt, non esse aliquid per se subsistens, vt arebant Pythagorei, & Plato, sed dixerunt, esse accidens alicuius alterius naturæ, quam illi pro principio materiali sternebant.

Qui itaque vnum duntaxat constituunt principium materiale, idque mobile, illud aiunt esse mole infinitum. Sic Thales aquam, Anaximenes aerem, Anaximander quemdam vaporem intermedium asseruerunt esse infinita secundum quantitatem. Hæc est prima classis.

Eorum autem, qui pro eodem principio intulerunt plura elementa, ceu Empedocles quatuor II.
consueta, terram, aquam, aerem, & ignem, Parmenid. ignem, & terram, ex Arist. primo Phys. tex. 41. Boethus ignem, & aerem, ex primo Metaph. cap. 4. &c nemo censuit, elementa esse mole ac quantitate infinita. Tum quia *multa infinita esse impossibile est*, vt dicitur in tex. 37. huius libri. Tum etiam, quia distinctio inter illa elementa denotat

Digitized by Google

notat illorum principium: *Infiniti autem non est principiū: esset enim & finis* ex tex. 30. huius lib. Tum denique quia si vnum tantum illorum esset infinitum, illud porrò absorberet reliqua omnia. Hæc est secunda classis.

III *Qui verò elementa faciunt infinita, vt Anaxagoras, & Democritus, hi infinitum ipsum tactu continuum esse dicunt.* Per elementa hoc loco non intelligit terram, aquam, aerem, & ignem, sed intelligit principia rerum; Quo intellectu in primo libro tex. 48. aiebat, *omnes enim elementa, & ab ipsis vocata principia, quamuis sine ratione ponentes, tamen contraria dicunt*: ita etiam in tex. 7. In quæ quidem loca multa dixi. Anaxagoras itaque, & Democritus conueniunt inter se, quod vterque pro principijs induxit infinitum: dissident autem primò ab auctoribus primæ classis constituentibus itidem infinitum, quòd isti ponunt infinitum esse vnam rem magnitudine continuam; aqua enim, aut aer continua est: Anaxagoras autem, & Democrit. dicunt infinitum esse *tactu continuum*, infinita nimirum corpuscula se se tangentia.

Secundo dissident Anaxagoras, & Democr. inter se, quòd ille facit infinitum ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν, *ex partib. similaribus*, de quibus multa dixi ad tex. 33. libri primi: iste autem ἐκ τῆς πανσπερμίας τῶν σχημάτων, *ex omnisementia*, (Sic verto πανσπερμίαν, de qua alio loco dixi) *figurarum*. Codex Parisiens. vertit *ex farragine figurarum*. Alij, *ex omni seminario figurarum* Argyr. extendit. *ex indiuiduis illis corpusculis, quæ figuris differunt, fiuntque generandarum semina rerum*: Vno verbo, facit infinitum ex atomis, de quibus alibi sæpe, præsertim verò ad tex. 42. libri primi.

TEXTVS XXVIII, & XXIX.



Tque ille quidem quamlibet partem esse similiter miscellam toti, ex eo, quia videt quodlibet ex quolibet fieri. hinc enim dicere videtur & simul aliquando omnes res fuisse, vt hæc caro, & hoc os, & sic quodlibet: & omnia itaque, & simul igitur: principium enim disgregationis non solum in vnoquoque, sed & omnium est: cùm enim omne quod fit, ex tali fiat corpore: omnium autem sit generatio, verùm non simul: etiam quoddā principium esse oportet generationis. Hoc autem est vnum, quem ille vocat intellectum. intellectus autem a principio quodam operatur, cum intellexit. quare necesset est, simul omnia aliquando fuisse, & cœpisse aliquando moueri.

Democritus autem nullum aliud ex alio fieri primorum dicit, sed tamen ipsum commune corpus omnium esse principium, magnitudine secundum partes, figuraque differens. Quod igitur conueniens sit Physicis hæc speculatio, manifestum est ex his.

In his duobus contex. tria facit. Addit secundam differentiam inter Anaxagoram, & Democr. I.
Explicat, qua vnquam ratione cùm ille, tum hic cōstituit suum infinitum: Et colligit conclusionem iam positam in tex. 24.

Differentia est, quod Anaxagoras aiebat, *quamlibet partem* ex illis similaribus, *esse similiter miscellam ipsi toti*: Existimabat hic, quamcunque, etiam minimam particulam illarum similarium partium in Chao existentium, esse talis naturæ, qualis erat tota congeries in Chao itidem existens: Ita vt, quemadmodum in Chao inexistebant commixtæ omnes res, sic in qualibet particula inexistat quæuis alia res. *Omne enim erat in omni. Democrit. verò nullum aliud ex alio fieri primorum dicit.* Non ita suas atomos constituebat, vt in quauis illarum inesset quæuis alia: Quocirca neque vna atomus fieret ex alia: sed singulæ essent impermixtæ, & figuris etiam differentes. *Sed ipsum corpus commune*, tota videl. atomorum massa, magnitudine secundum partes, & figura differens, *esset principium omnium.*

At redit ad Anaxag. & subijcit rationem, qua ille compulsus, ita opinatus sit, *ex eo, quia videt* II.
quodlibet ex quolibet fieri, &c. obseruabat hic vir quamlibet rem posse ex qualibet gigni. V. G. ex alimento ab animali assumpto procreari sanguinem, carnem, cartilagines, musculos, neruos, ossa, pilos, excrementa. Deinde ratiocinabatur. Hæc facta sunt ex vno alimento, aut ergo facta sunt ex aliquo in illo præexistente, aut ex nihilo. Hoc secundum dici nequit, cum ex nihilo nihil fiat vnquam. ergo ex aliquo. Istud non est dissimile ei, quod fit, quia nihil fit e dissimili secundum speciem. ergo ex simili: ac proinde quæ ex vno illo alimento facta sunt, omnia præerant in illo: Quia verò eum absolutè omnia possint successiuè ex illo eodem alimento fieri, sequitur, absolutè omnia in illo insidere: & *omne existit in omni.*

Ex qua quidem obseruatione manuductus est
Anaxagoras, vt ideo iudicium de primo principio III.
omnium rerum faceret. *Hinc enim videtur dicere, & simul aliquando omnes res fuisse.* Enimuerò rationi maximè videtur consentaneum, vt quod de re particulari iudicium fertur, id idem de toto principio feratur. Hoc probabit Anaxagoras, *quia principium disgregationis non solum in vnoquoque, sed & omnium est.* Quæ verba dupliciter expono. Primo illud ἀρχὴ τῆς διακρίσεως *principium disgregationis* refero ad principium materiale; & sic sumo. Quando aliquid generatur, segregatur ab eo, in quo prius inerat. At non modo generatur in particulari hæc, aut illa res *ex tali corpore*, veluti ex aere ignis, aut ex alimento caro, sed absolutè generantur omnia, *quamuis non simul*, sed successiuè, quare absolutè omnia segregantur ab eo, in quo prius inerant. Hoc autem *est principium generationis.*

rationis. & est miscella similarium partium infinitarum in Chao existens, siue ipsum Chaos, in quo *πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ*, *res omnes erant simul*.

Cum postea Aristot. addit, quod oportet esse quoddam principium generationis, *hoc autem est vnum, quod ille vocat intellectum*. Isthuc vnum principium haud amplius refero ad principium materiale. Quippe Anaxag. intellectum illum suum non constituit principium materiale rerum, sed effectiuum: veruntamen ex vno intellectu efficiente colligebat, res omnes aliquando extitisse suo illo modo commixtas.

Propterea explico secundò, & verba illa *ἀρχὴ τῆς διακρίσεως*, *principium disgregationis*, intelligo non
IV. de materiali, sed de efficiente principio, atq; ita colligo: quod sicut videmus in effectibus singularibus efficiẽs particulare segregare ab hac, aut ab illa re, & efficere hunc, aut illum effectum, adeoque colligimus, in re illa extitisse omnia huius effectus simul; ita in vniuersali segregatione primũ efficiẽs, quod Anaxag. vocat intellectum, segregauit, & mouit omnia, & fabrefecit Mundum. *quia non solum in vnoquoque, sed & omnium est principium disgregationis*, ergo omnes res Mundi erant simul in aliquo vno, ex quo præfatus intellectus res illas seiunxit.

Deinde, *intellectus autem a principio quodam ope*
V. *ratur, cum intellexit*. est probatio concita: Tu sic extende. Intellectus operatur excitatus *ab aliquo principio*, id est ab aliquo fine, quem prius *intellexit*. Pro fine autem adipiscendo idem agens assumit materiam; veluti faberlignarius concipit animo scamnum faciendum: deinde eligit lignum. Sic primus ille Anaxagoræ intellectus concepit, quæ facturus erat: postea assumpsit pro materia illa, quæ erant simul, easque segregauit. icircò *necesse est, simul omnia aliquando fuisse, & cœpisse aliquando moueri*. Hæc Arist. de Anaxagora, & Democrito.

Tandem colligit conclusionem iam in tex. 24. propositam. *Quod igitur conueniens sit Physicis hæc speculatio manifestum est ex his*.

TEXTVS XXX.



Ationabiliter autem & principium, ipsum ponunt omnes, Neque enim frustra possibile ipsum esse, neque aliam ipsi inesse potentiam, nisi vt principium. omnia enim aut principium sunt, aut ex principio, infiniti autem non est principium: esset enim ipsius vtique & finis. Amplius autem & ingenitum, & incorruptibile, principium quoddam cùm sit, quod enim fit, necesse est accipere finem: & finis omnis est corruptionis. Quare sicuti dicimus, non huius principium, sed hoc aliorum videtur esse, & continere omnia, & omnia gubernare, vt affirmant quicunque non faciunt præter infinitum alias causas, vt intellectum, aut amicitiam, & hoc esse diuinum: immortale enim est, perireque non potest, vt affirmant Anaximander, & plurimi Physiologorum.

Admiranda vbique est Eximij viri Stagiritæ æquabilitas. Commendat in hoc tex. id, in quo I.
antiqui Philosophi infinitum constituentes cohærenter locuti sunt. Non commendat, quod constituerunt infinitum. sed quod, cum illud constituissent, de eo talia affirmauerunt, quæ de infinito, si vnquam daretur, re ipsa affirmari & possunt, & debent. Refert autem quatuor præcipuè eorum dicta. Et ait.

Primò, quod *rationabiliter omnes ipsum*, infinitum, *ponunt principium*, quia si infinitum est, non II.
debet esse frustra: *οὔτε ἄλλην αὐτῷ ὑπάρχειν δύναμιν πλὴν ὡς ἀρχήν*. sic verte; *neque illi aliam inesse vim, quàm vt principio*. Infinitum non potest habere aliã naturam ac vim, quàm vt sit principium. Probat, Omne, quod est, aut est principium, aut principiatum: Infinitum nequit esse principiatum, *quia si infiniti esset principium, esset vtique & finis*. Habere autem principium, & finem repugnat infinito. quare si est infinitum, non erit nisi principium: Et si non ponitur principium, frustra est. Quæ ratio non est antiquorum, vt nonnulli somniant, sed Aristotelis; & est syncera.

Secundò rationabiliter dicunt, *ipsum esse ingenitum, & incorruptibile*. Nam si generaretur, haberet principium: ostensum autem est, infi- III.
nitum esse principij expers, sed *ipsum esse quoddam principium*. Et præterea, si haberet principium, ergo & finem, *quod enim fit, necesse est accipere finem*: Et si infinitum corrumperetur, itidem haberet finem, cum corruptio sit desitio, & finis.

Tertiò dicunt, illud *continere omnia, & omnia gubernare*. Sic affirmant, inquit Ari-
stot. *quicunque non faciunt præter infinitum alias* IV.
causas. Anaxagoras enim continentiam, segregationem, & gubernationem omnium tribuit intellectui, nempe Deo; Quocirca à quecunque etiam mortali concretione constituerat seiunctum, *vt moueret omne*, quemadmodum testatur Philosophus cùm alibi sæpè, tùm octau. Phys. tex. 37. Empedocles autem continentiam, & gubernationem adscripsit Liti, & Amicitiæ. Aduerte, quod Aristot. hoc tertium antiquorum dictum non laudat, sed refert duntaxat: Quippe non est officium principij materialis, cuiusmodi illi ponebant infinitum, continere, ac gubernare, quin potius contineri, & gubernari.

Quartò dicunt, infinitum *esse diuinum; immorta-*

V. *le enim est, & perire non potest*. Hoc etiam recenset tantùm, non approbat. Quo namque pacto principium materiale est diuinum? Perire autem non posse, competit etiam materię primæ: Nec tamen ob id diuina nuncupanda est. Quocirca in hic duob. vls. attributis, quasi defecerunt antiqui, ideoque fortasse Arist. refert ea nomine, qui vnquàm ita senserint, inquiens, *vt affirmant Anaximander, & plurimi Phisiologorum*, quasi dicat, isti defecerunt. Hæc Arist. de opinionibus antiquorum circa infinitum.

TEXTVS XXXI.



Sse autem aliquid infinitum, fides ex quinque maximè contiget considerantibus. ex tempore. hoc enim infinitum: Et ex ea, quę est in magnitudinibus, diuisione, vtuntur enim & Mathematici infinito. Amplius ex eo, quia sic solum non deficit generatio, & corruptio, si infinitum sit vnde auferatur id, quod fit. Amplius ex eo, quia finitum semper ad aliquid finitur. quare necesse est, nullum esse terminum, si semper terminari sit necesse alterum ad alterum.

Relatis Veterum Philosophorum placitis de infinito, iam ad rem ipsam accingitur. Progreditur autem hoc pacto. Primùm inducit rationes existimantium in rerum natura re vera dari infinitum; Deinde, insinuat, quàm arduum sit hoc theorema dirimere, quoniam vtraque ex parte vrgent rationes. Post, recenset varias infiniti acceptiones, vt sciamus in quanam significatione de infinito hic verba facimus. Præterea, ostendit aduersus Pythagoreos, & Platonem nullam substantiam abiunctam ac per se existentem esse infinitam: neque vllum vnquam corpus sensibile. Inde declarat quale, & quotuplex infinitum detur. Tum ad quodnam causę genus reducatur. Et denique diluit argumenta, initio disputationis pro affirmatiua parte adducta: Et sic pulcherrimę, eaque tempestate agitatissimæ de infinito disputationi, pulcherrimum atq; optimum vnà cum tertio hoc libro imponit finem. In hoc itaq; tex. 31. ait, ea quinq; capitibus posse suaderi infinitum esse, & statim subiungit in eodem tex. quatuor argumenta.

I.

Primum, inquit, accipitur ex *tempore*, quod omnes, vt legimus octauo Phy. tex. 10. *dixerunt esse ingenitum: Plato verò ipsum solus generat.*

II.

Ratio hunc in modum struatur. Illud, quod neque gigni, neque interire potest, omninò infinitum est. Tempus est huiusmodi. Nam si tempus generaretur, ergo aliquando non erat. Aliquando autem dicit tempus, quare erat tempus, quando tempus non erat? Eodem pacto si vnquam corrumperetur, ergo aliquando non erit: Hoc autem importat tempus, quare erit tempus, quando tempus non est. Quæ est demonstratio eiusdem Philosophi, vt in tex. illo 10. libri octaui expendemus.

Secundum argumentum, *& ex magnitudinum diuisione: vtuntur enim & Mathematici infinito.* Sic III. struc. Continuum est diuisibile in infinitum, ergo est infinitum. Preterea, illud quo vtuntur certissimæ scientię, necessario dandum est, alioquin illę essent falsę. Infinito vtuntur Mathematicæ, quæ inter omnes scientias obtinent primum certitudinis gradum. quare infinitum omninò dandum est.

Tertium argumentum, *Amplius sic vtique solum non est deficere, etc.* potest accipi ex indeficientia generationis, & corruptionis, quam quidem indeficientiam Veteres existimarunt alio modo haud posse saluari vnquam, nisi principium, ex quo generatio fit, constituatur infinitum. Nam si principium esset finitum, cum genitum in generatione accipiat aliquid ex illo, tandem finiretur, quia *omne finitum per ablationem finiti tandem finitur*, vt asseritur in libro primo huius operis tex. 33. proindeque generatio deficeret, ergo & corruptio.

Quartum argum. *Amplius ex eo quod finitum semper ad aliquid*, desumitur ex apparenti conditione finiti, ad cuius rationem existimarunt IV. spectare, vt semper contineatur, ac terminetur ab alio. Quæ quidem existimatio hauritur ex ijs, quæ apud nos ipsi cernimus. Sic in terris omnia locata ambiuntur à loco. Sic terræ, & aquæ globus clauditur ab aere, hic ab elemento ignis, ista ab orbe Lunari, ita deinceps. Quocirca ratio sic conficitur. Aut in rerum natura est aliquod corpus actu infinitum, aut non. Si prius, habeo quod contendo. Si posterius, accipio vnum aliquod corpus finitum, atque ita progredior. Illud, cum sit finitum, debet tangi, ac terminari ab alio: Rursus illud, si itidem sit finitum, finietur ab alio, Aut itaq; deueniemus ad aliquod corpus infinitum, quod non ambiatur ab alio, aut in corporibus inclusis, & includentibus erit processus in infinitum: & hoc etiam pacto in corporibus est infinitum.

TEX.

TEXTVS XXXII.



Aximè autem, & propriissimum, quod communem facit dubitationem omnibus, ob id enim quòd illud, quod in cogitatione est, non deficit, & numerus videtur infinitus esse, & Mathematica magnitudines, & quod est extra Cœlum. Infinitum autem cum sit, quod extra est, & corpus infinitum esse videtur, & mundi. Cur enim magis vacui hic, quàm ibi (quare si vno in loco, & vbique) necesse est esse molem. Simul autem, si & vacuum est, & locus infinitus, & corpus infinitum necesse est esse. posse enim ab ipso esse nihil differt in perpetuis.

5 Adducit Arist. quintum, idque præcipuum argumentum. At porrò vehemens eius ingenium continere se haud potuit, quin interstruderet adhuc sextum argumentum præter quinque iam promissa.

Ait itaque, quod præcipua, ac propriissima dubitatio, quæ communiter mouet omnes ad ponendum infinitum, capitur ex natura cognitionis, *quia illud, quod in cogitatione est, non deficit*. Ita collige. Apprehensio intellectus est de rebus, quæ sunt: alioquin esset ficta: quod dicendum non est, tum quia euerterentur multæ scientiæ: tum quia intellectus per se non est de impossibili. At intellectus apprehendit numerum in infinitum multiplicabilem: Nullus etenim est numerus, quo intellectus non possit concipere maiorem. ergo tam in re ipsa est numerus infinitus. Eodem pacto apprehendit magnitudinem in infinitum, quoniam data qualibet magnitudine, valemus intelligere maiorem.

II. Deinde cum ait, *& quod est extra Cœlum: infinitum autem cum sit, &c.* Licet hoc argumentum possit reduci ad quintum, quod est ex natura cognitionis, vt plerique omnes interpretum reducunt, quod scil. nos possumus extra Cœlum imaginatione complecti infinitum spacium, & ita argumenta ab Aristotele in his duobus contex. relata erunt tantum quinque, quemadmodum ipsemet aiebat in tex. præced. quod fides de existentia infiniti, *ex quinque maximè contingit considerantibus*. Nihilominus melius existimo, si constituatur sextum, & separatum argumentum. Quod ex eo potest intelligi, quia Arist. non ait, nos cogitare extra Cœlum infinitum spacium, sed, *quod est extra cœlum*. Et etiam, *infinitum autem cum sit, quod extra est*. Quod etiam apertè indicant Philosophi probationes, vt nunc audies.

III. Sic ergo collige. Extra cœlum est spacium infinitum: si namque non esset infinitum, à quo vaquam terminaretur? Quod si est spacium infinitum, ergo necessarium videtur inibi adesse & corpus infinitum: quin verò adesse mundos quoque infinitos, quemadmodum Democritus, Leucippus, & Epicurus opinabantur. Hinc consequentiam probat Arist. duplici ratione. Prima est. τί γὰρ μᾶλλον τοῦ κενοῦ ἐνταῦθα, ἢ ἐνταῦθα, ὥστ᾽ εἴπερ μοναχοῦ, καὶ πανταχοῦ ἀνάγκη εἶναι τὸν ὄγκον. Quorum verborum sensum Latinæ versiones corrumpunt. Primò transferunt, *cur enim vacui hic, quàm ibi*. Deinde claudunt per parenthesim, (*quare si vno in loco, & vbique*) postea appendunt, *necesse est esse molem*. Malè vertunt, *vacui*. Nam Græcè est quidem τοῦ κενοῦ, casu genit. Sed est genitiu. quem vocamus absolutum, & hic subintelligitur ὄντος, qui fuit positus ab auctore ante duo verba, ἀπείρου δὲ ὄντος τοῦ ἔξω. Verte igitur. Cur enim potius est vacuum hic, quàm hic? apposita interrogatione. Deinde infert integram consequentiam, *quare si vno in loco, & vbique necesse est esse molem:* Græcè ὄγκον tumorem. Vnde non video ex cuiusnam cerebro fluxit illa parenthesis. Si, inquit Arist. in hac parte illius infiniti spacij, vbi noster existit Mundus, est corpus, & tumor, & istud spacium non est vacuum, ergo & in quacunque alia eius ipsius spacij parte erit corpus. Cur enim potius hic si vacuum, quàm alibi? Si itaque præfatum spacium est infinitum, omninò dicendum erit, adesse in eodem etiam corpus infinitum.

Secunda ratio pro eadem consequentia, *similiter autem, & si vacuum est, & locus infinitus, & corpus infinitum*. Illud infinitum spacium extra cælum protractum, aut est omni corpore destitutum, & planè vacuum, aut est aliquo corpore plenum. Si hoc secundum dederis, iam teneo propositum. Si verò dicas, esse vacuum, sic vrgeo: Vacuum nihil aliud est, quàm locus non repletus corpore, possibilis tamen atque aptus repleri. IV.

Si itaque extra Cœlum est infinitum vacuum, necessario inibi erit & infinitus locus, possibilis atque aptus corpore aliquo repleri. At in æternis idem est posse, & esse; *nam posse ab ipso esse nihil differt in perpetuis*. quare si infinitus ille locus est possibilis, atque idoneus corpore repleri, profectò re ipsa, & actu est repletus. & sic corpus nunc in eo existens est infinitum.

Digitized by Google

TEXTVS XXXIII.



Abet autem dubitationem ipsa de infinito consideratio. Etenim non esse ponentibus multa impossibilia accidunt, & esse. Amplius autem, vtro sit modo, vtrum vt substantia, an vt accidens per se alicui naturæ, an neutro modo, sed nihilominus sit infinitum, aut infinita multitudine. Maximè autem Physici est considerare, si est magnitudo sensibilis infinita.

Concludit in hoc tex. contemplationem de infinito esse apprimè arduæ resolutionis. I. *Habet autem,* (autem stat loco illationis, idest, igitur) *dubitationẽ ipsa de infinito consideratio.* Quid ita? *quia non esse ponentibus multa impossibilia accidunt, & esse.* Et qui asseuerant non dari infinitum, & qui ipsum constituunt, multis vrgentur incommodis. & vtraque ex parte validæ fatigant rationes. ideirco litem dirimere, multi laboris est.

II. Et eò magis, quia etiam si admittamus infinitum esse, adhuc remanet dubitatio, quo pacto illud constituendum sit? vtrum videl. sit aliquid per se existens, veluti quædam substantia, an verò veluti quoddam accidens adiunctum, atque adhærens alicui alteri naturæ? An verò neutro modo? videl. neque sit vt substantia, neque vt accidens alteri naturæ, sed sit aliquod infinitum magnitudine, aut sint aliqua infinita numero, & multitudine? Profectò *maximè Physici* munus est, *considerare si est magnitudo sensibilis infinita.*

TEXTVS XXXIV.



Rimum igitur determinandum est, quot modis dicitur infinitum. Vno igitur modo quod impossibile est transiri, ex eo quia non est aptum natura trãsiri, vt vox inuisibilis. Aliter autem transitum habens inconsummabilem. Aut quod vix, aut quod natura aptum est habere, non tamen habet transitum, aut finem. Amplius, infinitum omne aut est secundum appositionem, aut secundum diuisionem, aut vtroque modo.

I. Erat perpetuum Stagiritæ monitum, ea quæ multas habent significationes, prius esse diuidenda, dein explicanda: ideircò cum infinitum multiplex sit, summa cũ ratione in hoc tex. Arist. recenset quinque eius acceptiones, vt sciamus, in quanam significatione de infinito in præsenti instituitur sermo.

Primò infinitum dicitur, *quod impossibile est transiri, ex eo quod non est aptum transiri, vt est vox inuisibilis*; est impossibile transiri successiuè, quia II. non habet potentiam, vt hoc modo pertranseatur. Non habet autem potentiam, quia nullo modo habet spacium, siue extensionem, secundum quam tantum fit transitus successiuus. Sic punctum, cum parte, & extensione penitus careat, erit hac significatione infinitum. Sic forma, quæ secundum se itidem est indiuisibilis: sic vox dicitur inuisibilis, quia videl. omninò est extra visibilium genus. Hoc in scholis appellatur infinitum negatiuè.

Secundò infinitum dicitur, quod *transitum habet inconsummabilem*; Habet spacium, & extensionem, quæ tamen nunquam potest ita pertransiri, vt ad vltimum vsque deueniatur, quoniam existit expers extremi. Sic esset infinitum, si daretur quantitas actu infinita. Et hoc nuncupatur infinitum positiuè. Huc reuocant aliqui cum Simplicio etiam illud infinitum, cuius spacium, quamuis finitum, nihilominus ob illius figuram absolui, ac finiri nequit, vt contingit in circulo, in quo cum nullus adsit actualis terminus, nunquam finitur motus super eo factus. Quod quidem infinitum dicitur quidem positiuè, attamen minus propriè, quàm præcedens.

Tertiò, *aut vix*, appellatur *infinitum*, quod ex III. sua quidem natura est pertransibile, quia de se existit aliquod finitum; nihilominus summa cum difficultate, & vix potest transiri, absumique. Quæ difficultas obtingit, primò propter spacij immensitatem, quo pacto ambitum terræ infinitum dixeris, quia summa cum difficultate, & aperto discrimine vix potest circumiri. Secundò contingit propter rei figuram, qua ratione Labyrinthus vocabitur infinitus.

Quartò infinitum est, quod *natura sua aptum est habere, non tamen habet transitum, aut finem.* Non IV. obtinet, inquam, transitum, ac finem, propter impedimenta, quæ inter ipsum, & nos validè interponuntur. Hac appellatione profundum Oceani dixeris infinitum: Sic via ad aliquem montem penitus inaccessum, appellabitur infinita.

Quintò, *amplius infinitum omne aut est secundum appositionem, &c.* omne infinitum propriè dictum, est, cuius quantitas nunquam terminatur, siue *ap-* V. *positione*, vt contingit in numeris; siquidem addendo vnitatem nunquam finies numerum: siue *diuisione*, vt in continuo, quod potest semper diuidi: *siue vtroque modo*, vt in tempore, in quo & diuisionem continui licet accipere, cum tempus sit continuum: & appositionem, quia possumus in eo enumerare annos, menses, dies, horas vsq; in infinitum. De secunda, & quinta infiniti acceptione loquitur in præsenti disputatione Philosophus. Illud est infinitum in actu: Hoc infinitum potentia: Et illud tali voce dicitur infinitum Categorematicum: hoc autem infinitum syncategorematicum,

Adno-

Adnotationes circa textus capitis quarti.

I. ANte omnia difficultatem facit ipsamet proposita indagatio de infinito. Primò, frustra indagatur scientia de eo, quod non est, cum non entis nullæ sunt affectiones. Infinitum autem non est. Deinde, etiam si esset, de eo nequit haberi scientia. Cur? quia auctore eodem Philosopho in lib. primo huius operis tex. 35. *infinitum, secundum quod infinitum, ignotum est*. Frustra igitur quæritur. Præterea, etiam si esset infinitum, & de eo posset haberi, & cognitio, & scientia, adhuc haud essent partes Physici ipsum considerare. Nam infinitum non modò cōpetit quantitati, & rebus materialibus, de quibus edisserit Physicus, verum competit etiam ipsi enti in communi, cum ens prima sui partitione diuidatur in ens finitum, & infinitum: De ente autem in communi agit Primus Philosophus, vt constat ex primo Metaph cap. 2. quare agere de infinito est officium Metaphisici, non Physici, vt contendit Arist. in contex. 24. & 29.

II. Ad 1. occurrendum est, quod si vlla alia disceptatio, hæc profectò Philosopho Naturali est necessaria, ex cuius determinatione pendet accurata multorum theorematum determinatio; Licet autem infinitum re vera à parte rei non sit, nihilominus antiqui Philosophi ipsum esse mordicus tutati sunt, ideircò necesse fuit, falsa illorum placita euellere, & veritatem in apertum efferre. Pręterquamquod, licet non detur infinitum actu, attamen datur infinitum potentia. Nunne igitur omninò operæ precium erat, hoc, & attinentia ad ipsum scire?

Ad 2. de infinito non cognoscimus positiuè quid res sit, & tali cognitione infinitum, quà infinitum, est ignotum, vt dicitur in tex. illo 35. nihilominus cognoscimus per negationem; sicut etiam cognoscimus Vacuum. Præterea, possumus colligere vnam aliquam eius rationem in abstracto, & illam per negationem etiam congruè describere, dicendo infinitum est, quo non datur maius, vt explicat Arist. in primo de Cœlo tex. 130. & in hoc lib. inferius dicetur.

Ad 3. Infinitum multiplex est, quemadmodum infra latius apparebit. Sed Physicus per se agit de infinito, quod respicit quantitatem, vt idemmet Philosophus docet in primo Physicorum tex. 15. quod quidem *infinitum in quanto est: substantiam autem infinitam, aut qualitatem, aut passionem esse, non contingit, nisi secundum accidens*. Ex proportione itaque infiniti quanti tangit alia quoque infinita, vt si sit infinitum in separatis, quemadmodum ponebant Pythagorei, & Plato; sic facit in hoc tertio lib. à tex. 35. Aut si sit infinitum in vigore, sicut colligit in calce octaui Phys. quod si primum mouens *mouit tempore infinito, habet potentiam infinitam*.

Perpendo 2. quod in tex. 30. ait, si esset infinitū, illud non posset esse principiatum, sed necessariò foret, *vt principium: quia infiniti non est principiū*. III.
Hoc videtur falsum. Primò, quia si sit infinitum actu, illud porrò non erit primum ac summum ens, Deus. quare ab alio productum: ac proinde erit principiatum. Secundò, infinitum est in quantitate, vt nunc ex Aristotele dixi. Quantitas autem, cum sit accidens, nequit esse principium rerum naturalium. Quomodo enim ex non substantia fieret vnquam substantia? vt colligit idem Philosophus in primo Phys. tex. 52

Inducta propositio, videl. si esset infinitum, illud IV.
non esset principiatum, sed principium, ita nonnullos interpretum conturbauit, vt dederint manus, asseuerantes, quod si esset actu infinitum quantum, illud esset absolutè infinitum ens, siue infinitæ perfectionis. Vt autem ita opinatentur, hac ratione compulsi sunt. Illud quantum haberet infinitas partes, quarum vnaquæq; prædita esset aliqua perfectione: cum ergo in eo adesset infinitatum partium perfectio, profectò illud esset infinitè perfectum.

Veruntamen hi malè philosophantur. Nam infinitum ac summum ens continet in se, saltem V.
virtute perfectiones cunctarum rerum; alioquin posset ei fieri aliqua perfectionis accessio. Huiusmodi autem infinitum solus Deus est: Illud verò infinitum quantum non excederet perfectionem talis corporis quanti: Quid enim? si esset aqua V. G. actu infinita, numquid pertingeret ad perfectionē mixti, aut viuentis? Eiusmodi igitur infinitum haud esset vnquam infinitæ perfectionis, sed intensiuè esset perfectionis finitæ.

Ad argum. itaque dico, effatum illud Philosophi non esse de quocunque principio, & principia- VI.
to intelligendum, sed de solo materiali. Talè quippe principium antiqui constituebant suum illud infinitum, quemadmodum in tex. 24. & deinceps fuit expositum. Huiusmodi autem materiale principium non potest esse principiatum. Primò ob rationem Stagiritæ, quia si non esset principium, sed haberet principium, ergo haberet & finem: ac proinde simul esset, & non esset infinitum. Secundò, si infinitum esset principiatum, peto, principiū, à quo id proficisceretur, esset ne finitum, an infinitum? Primum vel cogitatu absurdum est. Quis credat, à principio finito rem infinitam oriri? Secundum etiam est impossibile, tum quia illo pacto iam essent plura infinita: tum quia de illo etiā infinito principio idem redit argumentum.

Cum autem in argum. in cuius solutione versamur, subijcitur, illud infinitum esset productum, ergo haberet principium. Facilè occurritur. Primùm, si illud esset actu infinitum, non esset productum

Digitized by Google

ductum. Actu etenim infinitum per quamcunque potentiam produci nequit, vt infra dicemus. Deinde, si vnquam esset productum, haberet principium effectiuum sui, at non materiale, cum principia materialia omnes antiqui posuerint ingenita ac improducta: ne cogerentur admittere aliquid fieri ex nihilo.

Ad 3. argument. dico, illud infinitum non esset
VII. mera ac sola quantitas. Quo enim pacto nudum accidens per se subsisteret? Sed esset aliqua materia, siue corpus quantitate, & infinitate affectum, vt ad tex. 25. dixi.

Perpendo 3. quod in tex. 33. ait, videndum esse
VIII. vtrum infinitum sit, *vt substantia*, *an vt accidens per se alicui naturæ*, *an neutro modo*. Quæ enunciatio videtur contra prima Philosophiæ rudimenta impingere. Nam omne quod est, aut est substantia, aut accidens, neque inter ista datur medium vllum: Si itaque patefactum fuerit, infinitum non esse substantiam, non accidens, quid opus est dicere, *aut neutro modo*?

Nego inductam propositionem in quoq iam deficere: Germanus eius intellectus a…, qu…d verba illa, *an verò neutro modo*, non sint distinct… m[embrum] a duobus præcedentibus, scil. substan…a, & accidente, sed sint negatio duorum præcedentium. Ait enim, difficile esse determinare, vtrumne infinitum sit *vt substantia*, sicut opinati sunt Pythagorei, & Plato, quemadmodum in tex. 25. & 26. dictum fuit; an verò vt *accidens alicui naturæ*, sicut innuere Physici, vt in tex 27. expositum est; an verò neutro, id est, neque illo, neque isto modo sit constituendum? vt existimamus nos.

Perpendo 4. quod in calce tex 30. ait, posse, *ab ipso esse nihil differt in perpetuis*. Quod quidem effatum
IX. multiplici oppositione vrgetur. Sol, & Luna, ad aures Aristotelis, sunt æterna: In ijs autem posse, & esse longè diuersa sunt. Nam vtrumque hoc sydus potest eclypsari: nec tamen actu patitur eclypsim. Item, cælum, quod itidem est perpetuum, potest moueri motione crastina: nec tamen sequitur, illud nunc moueri illa motione. Ad hæc, materia, quæ etiam in Peripato est æterna, potest habere formam aquæ, ignis, & alias infinitas successiuè. Fatuum autem esset asserere, materiam nunc actu præditam esse cunctis illis formis, quare in æternis non est idem potentia, & actus, siue posse, & esse.

Simplicius existimat, effatum istud nō esse ipsius
X. Aristotelis, sed ab eo relatum duntaxat: fuisse autem Architæ Tarentini, & Epicureorum. Quæ Simplicij opinio apertè falsa est, cum Philosophus eam ipsam propositionem ex mente sua apponat nono Metaph tex 17. Et subiungat etiam eius demonstrationem, quia æterna potentia contradictionis carent. *Æterna*, inquit, *priora corruptibilibus substantia sunt. Nihil verò potentia æternum est. Ratio autem hæc est. omnis potentia simul contradictionis est: quod enim non est possibile esse, non inerit alicui: omne verò possibile, contingit non agere: quod igitur est possibile esse, contingit esse, & non esse*. de qua quidem demonstratione adi S. Thom. eo loci.

Quidam nostri doctores dictum illud, *in æternis posse, & esse nō differunt*, contrahunt ad solum Deū; XI.
asserentes, illud esse verum de æterno strictè accepto, quod porrò & sine initio est & erit sine fine, quod est penitus incommutabile, & repugnat ipsum non esse; cuiusmodi existit solus Deus. Non autem verificari de quocunque æterno largè accepto. Ita Gregor. Arim. in 2. sent. distin. 1, qu. 3. Argent. in 1. sent. distin. 6. quæst. 1. art 3. & quidam alij.

Sed isti ex fide nostra, non in Peripato verba faciunt, in quo præter primum ens, sunt conplura alia vsquequaque æterna, vt constat ex octauo Physic. primo de cælo, & duodec. Metaphys. Præfata itaque enunciatio & tanquam germana Aristotelis, & cuicunque æterno explicanda, & applicanda est.

D. Thom. quæst. de potent. art. 1. ad 7. explicat hoc dictum, quod intelligitur de potentia passiua. XII.
Quod si intelligatur de Deo, & de potentia actiua, tunc dicendū, non differre realiter: benè tamen ratione differre posse. Sic essentia Dei differt ratione ab eius potentia. Idem explicat in quæst. 3. de creatione art. 14. ad 3 Intelligendum, inquit, est secundum potentiam passiuam, non autem secundū actiuam. Potentia enim actiua, actui non coniuncta, corruptionis principium est: ideò sempiternitati repugnat: Effectus verò actiuæ potentiæ, actu non existens, perfectioni causæ agentis præiudicium non affert, maximè in causis voluntarijs; effectus enim non est perfectio potentiæ actiuæ, sicut forma passiuæ.

Alij verò, inter quos est Iandun. in hoc tertio
lib. quæst. 9. dicunt, effatum illud esse verum de XIII.
potentia ad esse substantiale: in æternis enim idem est esse, & posse esse: Æterna tamen possunt esse in potentia ad formam accidentalē, vt Luna ad eclypsim. Alij autem aiunt, quod simpliciter, & per se in æternis idem est esse, & posse, intelligendo formaliter; in eo videl. in quo aliquid fuerit æternum, siue illud fuerit substantia, siue accidens. Quocirca quicquid sit æternum, si essentia, in ea esset simul esse, & posse esse: si accidentalis eius ratio esset æterna, simul esset, esse tale, & posse esse tale. Et hoc modo maxima illa vniuersaliter, ac per se est vera, formaliter eam intelligendo, inquit Tolet. in hoc lib. quæst. 4. Alij alio modo interpretantur, quorum cogitationes non subjiciam: multas colligit Nouarin. parte 2. Axiomat. Physiotheolog.

Equidem distinguendum existimo: Nam æter-
na apud Philosophum geminæ classis sunt. Alia XIV.
quidem sunt incorporea, vt substantiæ secundum esse a materia penitus abstractæ, quæ *nec in loco nata sunt esse, neque tempus ipsa facit senescere, neq; vlla transmutatio vllius eorum est*, vt loquitur idem Philosophus in primo de cælo tex. 100 Alia æterna sunt corporea, veluti corpora cælestia, quæ solum sunt transmutabilia *vnde quo*, vt dicitur nono Metaph.

Digitized by Google

taphi tex. 17. solo nimirum motu secundum locum. Hæc adhuc duplicem habent potentiam: Vnam substantialem: Alteram accidentariam, V.G. Lunam illuminari a Sole, aut lumine priuari, accidit Lunæ. In quorum quidem æternorum numero reponenda etiam ast materia prima: quandoquidem etiam illi accidit informeri hac, aut illa particulari forma.

XV. Quibus constitutis dico, quod si sermo fit de æternis primæ conditionis, profectò in ijs posse, & esse haud differunt. Ratio est, quoniam si in illis esse, ac posse differrent, iam in ijs ipsis esset potentia ad aliquid, quod prius non habuissent, & postea haberent. Hoc autem est contra Arist. eodem Metaph. citato, & lib. duodec. tex. 3 n. In æternis autem secundi generis, posse quod respicit esse substantiale, non differt ab ipso esse. sed sunt idem. Si enim Sol, aut Luna possunt esse substantiæ æternæ, ergo sunt substantiæ æternæ: Si verò posse respicit esse accidentale, tunc posse, & esse differunt. Et hoc tantum probant argumenta in oppositum inducta.

XVI. Quod si adhuc opponas: Intelligentia motrix cæli potis ast producere motionem crastinam: quã nunc non producit. Quocirca etiam in æternis penitus abstractis, posse, & esse discriminantur.

Occurrendum ast, Intelligentias cælorũ motrices perpetuo esse iunctas cum actuali motu, a quo quidem, si Stagiritem audias, tùm alibi sæpe, tùm nono Metaph. tex. 17. desistere non queunt. Motus verò necessario exposcit successionem: vnde motio hodierna, & crastina sunt tantummodo quo ad nos. Adde, quod Stagirites non ait, in æternis posse, & operari non differre, sed ait posse, & esse: nimirum existere. Quod porrò in omnibus æternis, quæ æterna sunt, omninò ast necessarium:

CAPVT V.

Expenduntur Veterum Philosophorum opiniones de infinito superius relata.

TEXTVS XXXV.



Eparabile igitur esse a sensibilibus infinitum, ipsum quid existens infinitum, non est possibile. Si enim neque magnitudo est, neq; multitudo, sed substantia ipsum est infinitum, & non accidens, indiuisibile erit, diuisibile enim aut magnitudo erit, aut multitudo: si autem indiuisibile, non infinitum, nisi sicut vox inuisibilis est. At neque sic dicunt esse affirmantes esse infinitum: neque nos quærimus, sed vt intransibile.

Antequam ex sua mente decernat quid de infinito sentiendum sit, expendit in hoc cap. candidè, & auertit neruosè iam recensita Veterum placita, quæ duo erant. Vnum Pythegoreorum, & Platonis: Alterum Physicorum. Illi constituerunt infinitum esse aliquid per se existens, nimirum substantiam quandam a sensibilibus seiunctam, ac per se subsistentem: Isti verò sanxerunt, esse accidens alicuius natiuæ infinitæ, seu potius esse corpus quoddem, ac magnitudinem infinitate affectam. I.

Io hoc itaq; tex. tria facit. Statuit conclusionem: Apponit pro ea primam rationem: Et occurrit iacitæ cuidam euasioni. Conclusio est. Non est possibile, infinitum esse substantiam separatam a sensibilibus, ac pár se existentem. Ratio sic colligitur, Infinitum, quod in præsens inuestigamus, debet esse diuisibile: Nulla substantia per se, & non affecta accidente, ast diuisibilis, quare nulla substantia per se, ac non affecta accidente, siue, (quod idem ast,) separata a sensibilibus, est infinita. Infinitum a Pythagoreis, & Platonicis inuectum, est substentia de se, ac nullo affecta accidente, alioquin esset sensibilis, non est igitur possibile illam esse infinitam. II.

Maior iacet in illis verbis, *si enim indiuisibile, non infinitum.* Minor verò prob. *si enim neq; magnitudo est, neque multitudo, sed substantia est ipsum infinitum, & non accidens, indiuisibile erit.* Quicquid *non est magnitudo*, nempe quantitas continua, *neque est multitudo*, quantitas discreta, & omninò non ast accidens, sed est substentia, id porrò est indiuisibile. Si igitur *ipsum infinitum*, iuxta eos auctores non ast magnitudo, neque multitudo, neque omninò quippiam aliquo accidente effectum, sed est sola substentia, profectò erit indiuisibile.

Occurraret aliquis. Quamuis substãtia ea ratione spectata sit indiuisibilis, potest tamẽ esse infinita, eo modo quo *vox dicitur inuisibilis*, videl. negatiuè, quoniam non est apta nata pertransiri, quemadmodum in tex. antegresso fuit dictum.

Reijcit Arist. hoc effugium. Primùm, quia infinitum a Pythegoreis, & Platonicis inductum non ast tale: *neque enim sic dicunt esse affirmantes esse infinitum*. Deinde, *neque nos* tale infinitum *quærimus*; ἀλλ' ὡς ἀδιέξοδον, *sed vt impertransibile*, quod transitum, axistumque minimè habuit.



TEXTVS XXXVI.



I verò secundum accidens est infinitum, non erit vtiq; elementum eorum, quæ sunt, quatenus infinitum; sicut neque inuisibile locutionis, quamuis vox sit inuisibilis. Amplius, quomodo contingit aliquid esse ipsum infinitum, si non est & secundum numerum, & secundum magnitudinem, quorum est per se passio quædam infinitum? adhuc enim minus esse necesse est, quàm numerum, aut magnitudinem.

Confutauit primam opinionem ratione, quam in tex. præced. excepisti: nunc confutat secundam,
I. quæ infinitum non constituebat substantiam per se existentem, &c. sed accidens vni cuipiam substantiæ adiectum, veluti aeri, aut aquæ. Et in tex. tria itidem facit. Ponit assertionem, & duas rationes: quarum tamen secunda est contra primam opinionem. Assertio est. Non datur infinitum secundum accidens. Probat, quia illi qui hoc pacto ponunt infinitum, aiunt illud esse principium, & cunctarum rerum elementum: Sed si infinitum ponatur esse accidens, eo modo quo ij ipsi asseuerant, principium rerum non est ipsum infinitum, quatenus infinitum est, sed est illud corpus, cui accidit infinitum. V. G. Anaximenes fecit principium rerum omnium aerem infinitum. Hic non est principium, vt infinitus, quia infinitum illi accidit, sed est ipsemet aer, qui est subiectum infiniti, siue infinitatis.

Id idem illustrat exemplo. Dicimus vocem esse inuisibilem. Et re vera est. Hanc affirmationem
II. indicat Auctor, cum ait καίτοι ἡ φωνὴ ἀόρατος, quæ malè translata sunt, *quamuis vox sit inuisibilis*. Dic. *& profectò vox est inuisibilis*. Etenim vox est obiectum auditus, non visus. Atque eadem vox est elementum, & principium locutionis. Et nihilominus non dicimus, ipsum inuisibile, qua inuisibile, esse elementum locutionis. Cur? quia inuisibile accidit voci, cum etiam conueniat alijs, veluti odoribus, aut saporibus, qui quidem eadem ratione sunt inuisibiles, cum sint extra obiectum visus. Sic ergo licet daretur aer infinitus, non propterea debet dici ipsum infinitum, qua infinitum, esse principium rerum; cum infinitum sit accidens respectu aeris, & posset conuenire etiam aquæ, aut alij substantiæ. Hoc itaque pacto isti inter se dicunt pugnantia.

Amplius quomodo, &c. reuertitur Arist. ad pri-
III. mam opinionem, quam tali argumento perstringit. Quando duo ita inter se sunt affecta, vt vnum quidem sit tanquam subiectum: alterum verò tanquam passio, si subiectum nequit de se subsistere, multo minus poterit de se subsistere, id quod est vt passio. Sed numerus, & magnitudo in proposito sunt vt subiectum; infinitum verò est vt passio: nam passio numeri est, posse in infinitum augeri, & passio magnitudinis est, posse in infinitum diuidi. At numerus, & magnitudo, vtpote accidentia, de se subsistere nequeunt, ergo multò minus ipsum infinitum poterit de se subsistere: ac proinde impossibile est, ipsum infinitum esse solam substantiam, & quippiam per se existens.

TEXTVS XXXVII.



Anifestum autem, & quod non contingit esse infinitum, vt actu existens, & vt substantiam, ac principium. erit enim quicquid ipsius accipiatur, infinitum, si partibile est. infinito enim esse, & infinitum idem est, si substantia infinitum sit, & non de subiecto. quare aut indiuisibile est, aut in infinita diuisibile: multa autem infinita esse, idem impossibile est. At verò vt aeris aer pars est, sic & infinitum infiniti, si quidem substantia est, & principium, Impartibile ergo, & indiuisibile est. At esse tale nequit quod actu est infinitum, quantum enim quid esse necesse est.

Vrget in hoc contex. alia ingeniosissima ratione illam eandem primam opinionem, quod non datur infinitum, quod sit substantia per se actu existens, I.
& sit principium. Et in tex. tria accipit, quæ ita varia profert complicata: at nos ea eruamus, & distinguamus, quo pulcherrimam rationem valeamus intelligere.

Accipit 1. quod illud infinitum, si est *substantia, & principium*, necesse est, esse aliquod simplex. Principia haud dubiè debent esse simplicia, cum ex ijs coalescant composita. Ita materia prima est natura quædam simplex, ita forma: sic in sententia Democriti atomi erant simplices, ita homogenea in opinione Anaxagoræ, &c.

Accipit 2. quod hæc est differentia inter simplicia, & composita, quod in illis idem est res, & II.
essentia, siue esse ipsius rei: in compositis verò aliud est res, aliud esse rei. Ita hic idem Philosophus ex instituto ostendit in tertio de Anim. tex. 8 & 9 Et octano Metaph. tex 8. scribit, quod *animæ, & animæ esse idem est, homini verò, & homo non idem*. Sic quoq; exposui de materia prima supra in quæst. de principio materiali, sect. 5. de qua distinctione abundè dixi in tertio de Anim. ad tex. 8. & 9. Hoc præceptum indicat Auctor cum ait, *infinito enim esse, & infinitum idem est, si substantia infinitum est, & non de subiecto*: nimirum id quod est substantia actu existens, & principium, & non est vt accidens in subiecto, est aliquid simplex: In simplicibus autem idem est rem esse, & rei esse, quare si infinitum est substantia, & principium, idem erit infinito esse, & infinitum.

Accipit

Accipit 3. quod *in simplicibus* qualibet pars suscipit denominationem totius, sicut qualibet aeris pars est aer. Hoc porrò est proprium in quacunq; homogenea ac simplici re. Sic neque si infinitum est natura simplex, vt nuper dicebamus, euidens est, quod qualibet eius pars erit infinita. Hoc praeceptum ponit Arist. ibi, *At verò, vt aeris aer pars est, sic & infinitum infiniti, si quidem substantia est, & principium.* His ita iactis.

III. Erigitur hunc in modum demonstratio. Si infinitum est substantia actu per se existens, illa aut est diuisibilis, aut indiuisibilis. Si est diuisibilis, quemadmodum auctores illius positionis opinabantur, vt in calce tex. sequ. indicatur, quod *Pythagorei simul substantiam faciunt ipsum infinitum, & diuidunt*, tunc sequitur, re vera esse multa infinita, imò infinities infinita. Quid ita? quia illud infinitum habet partes infinitas: At quælibet p[…] illius denominaretur, ac esset infinita, ergo essent infinities infinita. Hanc consequentiam intulit Auctor illis verbis, *aut in infinita diuisibile*. Sed *impossibile est, esse multa infinita*, nedum infinities infinita. ergo impossibile est, infinitum esse huiusmodi substantiam per se actu existentem. Si verò dicatur quod illa substantia sit indiuisibilis, iam non est infinita, quia nos quærimus infinitum aliquo modo extensum, quod *quantum quid esse necesse est*.

TEXTVS XXXVIII. & XXXIX



Ecundum ergo accidens est infinitum: Sed si sic, dictum est, quod non contingit ipsum principium dicere, sed illud, cui accidit, vt aerem, aut par. Quare absurdè enunciant, dicentes, sicut Pythagorei dicunt: simul enim substantiam faciunt infinitum, & partiuntur.

Sed fortassis hæc quidem est vniuersalis quæstio magis, si contingit infinitum & in Mathematicis esse, & in intelligibilibus, & in ijs, quæ nullam habent magnitudinem. Nos autem consideramus de sensibilibus, ac de ijs, quorum facimus scientiam, vtrum in illis est, an non est corpus infinitum in augmento.

Versat Arist. Antagonistas in omnem partem. Sic

I. colligit: Si est infinitũ, aut est substantia, aut secundum accidens: hæ namque erant opiniones. Patefactum est, infinitum non esse substantiam: *erit ergo secundum accidens*. Atqui hoc quoque modo infinitum esse impossibile est. Cur? quia tunc non infinitum esset principium rerum naturalium, cum nihil sit principium secundum illud, quod ei accidit; sed principium erit illud, cui infinitum, seu infinitas accidit, siue illud sit aliqua substantia sensibilis, V. G. *vt aer*; siue sit substantia a sensibili separata, *vt par*.

Deinde infert, absurdè eos loqui, (intelligit Platonem,) qui enunciant, sicut dicunt Pythagorei, quod infinitum sit substantia actu per se existens, a sensibilibus, & quantitate seiuncta: & simul infinitum diuidunt in partes, Quæ duo inter se e regione pugnant, quia omnis diuisio sequitur quantitatem, non substantiam:

Monet deinde in tex. 39. quod hæc quæstio, an *contingat infinitum & in Mathematicis esse, & in intelligibilibus, & in ijs, quæ nullam habent magnitudinem*. Hic non sunt tria membra, sed duo: videl Mathematica, Et intelligibilia. Illa autem verba, *& in ijs, quæ nullam habent magnitudinem*, respiciunt vtrumque prædictum membrum, redduntque hunc sensum, *& in Mathematicis*, quæ habẽt aliquam magnitudinem, id est materiam intelligibilem: *& in intelligibilibus*, quæ nullam habent magnitudinem: Hæc enim abstrahunt ab omni materia, tam sensibili, quàm intelligibili. Hæc, inquam, quæstio est magis vniuersalis: propterea in scientia vniuersaliori est discutienda: sicut idẽ auctor discutit in Metaphysicis: Quamquam, vt est multorum auctorum consensus, composuerit Arist. etiam libros particulares aduersus Pythagoreos, qui tamen temporum iniuria interciderunt. II.

At nunc, subdit, Arist. nos agimus de infinito circa sensibilia, de quibus est scientia naturalis: vtrum ne in istis sit aliquod corpus infinitum ἐπὶ τὴν αὔξησιν, *in augmentum*, videl quantis eius parte assignatis, illud semper augeatur, extendaturque? deinde cum ait. III.

TEXTVS XL. & XLI.



Ogicè igitur speculantibus ex huiusmodi videbitur vtique non esse. Si enim est corporis ratio planitie terminatum, non vtique erit corpus vllum aut intelligibile, aut sensibile infinitum.

At verò neque numerus sic, vt separatus, & infinitus. numerabile enim est numerus, aut habens numerum: Si ergo numerabile, potest numerari, & pertransire vtique possibile erit infinitum.

Probat non dari corpus infinitum: Ac primò quidẽ λογικῶς *logicè*, duplici ratione in his duobus contextibus: deinde φυσικῶς *physicè*. Quamuis autem in tex. proximè antegresso orationem suam arctauerit ad sola sensibilia, nihilominus hic conuoluit etiam corpus intelligibile, idest Mathematicũ. I.

Primum argumentum est. Ratio, ac definitio corporis est, quod sit terminatum *planitie*, superficie. Sed quod est huiusmodi, non est infinitum, nullum igitur corpus siue sensibile, siue intelligibile fuerit infinitum. Maior suadetur ea ratione trinæ dimensionis. Nam definitio lineæ est, quod terminetur punctis: definitio superficiei, quod terminetur lineis, ergo definitio corporis erit, quod sit terminatum superficie, vt corpus circulare, quod vnica superficie est conclusum, vel pluribus superficiebus, vt habent alia corpora.

Digitized by Google

Secundò probat, non dari infinitum in numero. Numerus aut capitur vt separatus, id est mente cõceptus, aut quatenus est rebus numerabilibus applicatus. Primo modo infinitus statui nequit, cum nullam obtineat realem existentiam: At neque secundo modo, quoniam numerus rebus applicatus sunt res ipsæ habentes numerum: omne autem ostens numerum potest numerari, ac numerando pertransiri: Quod autem numerari, ac pertransiri potest, id sanè infinitum non est. ergo impossibile est, dari numerum infinitum.

II. Aduerte, quod qui infinitum constituebant, negarent illam propositionem, quod de ratione corporis sit, ipsum esse superficie terminatum: Et etiam illam, quod omne præditum numero, possit numerari, ac pertransiri. Et quia probatio earum propositionum non spectat ad physicum, sed ad Mathematicum, aut ad Metaphysicum, ideircò dictæ rationes meritò ab Arist. appellatæ sunt logicæ. Quippe ex censentur rationes logicæ, quæ non eruuntur ex ipsa scientia, & materia de qua agitur, sed ex alia scientia accipiuntur. Ita in primo de ort. & inter. tex. 8. Plato dicitur λογικῶς *logicè* considerasse de generatione, quia sua principia ex scientia Mathematica mutuaretur. Democritus autem locutus est naturaliter. *Ex his*, inquit, ibi Arist. ***videbit quis, quantum differunt qui naturaliter, & qui logicè considerant.***

TEXTVS XLII.



Physicè autem magis speculantibus ex hisce manifestum erit. Neque enim compositum potest esse, neque simplex. Cõpositum igitur nõ erit infinitum corpus, si finita multitudine elementa sint: necesse enim est plura esse, & æquari semper contraria, & non esse vnum eorum infinitum. etsi enim quomodocunque superatur, quæ in vno corpore est potentia ab altero, (vt si ignis finitus sit, aer autem infinitus, sit autem æqualis ignis ad aerem æqualem, potentia quantumlibet multiplicatus, solum autem numerum aliquem habens) tamen manifestum est, quod infinitum excedet, & corrumpet finitum.

I. Pergit ad rationes physicas, nimirum ex proprijs naturalis Philosophicæ principijs depromptis, quas quidem ex triplici potissimùm fonte haurit. Primò ex qualitatibus actiuis, & passiuis corporum naturalium. Secundò ex proprijs eorundem corporum naturalium locis: Tertiò ex inclinatione eorundem corporum ad sua loca.

In hoc tex. statuit conclusionem. Erigit primam demonstrationem: Et refellit quandam solutionem, quæ posset adhiberi. Conclus. est. Si rem physicis rationibus expendamus, magis manifestum est, non dari actu corpus sensibile, siue naturale, infinitum. Probat. Si datur huiusmodi corpus infinitum, illud porrò aut est corpus simplex, aut mixtum: adæquatè enim corpora naturalia in hæc duo membra secantur. Neutrum possibile est dari, ergo &c.

Minorem probat: ac primò quod nõ possit dari corpus mixtum infinitum, quia tale mixtum aut cõponeretur ex elementis, ac principijs numero infinitis; & hoc dici nequit, cum iam in primo huius II. operis lib. a tex. 35. patefactum sit, aduersus Anaxagoram, & Democr. principia rerum haud esse numero infinita. Aut componeretur ex principijs numero finitis, quæ sunt quatuor consueta elemẽta, terra, aqua, aer, ignis: (cæli autem non est, quod hic fiat mentio, quoniam ij, cum quibus Arist. edisserit, cælum constituebant aut elementum, aut ex elementis: cuius oppositum probat Arist. in primo de cælo, vbi post distinctionem cæli ab elementis, rursus agit de infinito, ostendẽdo absolutè haud esse possibile vllum corpus infinitum) Atqui ex his elementis numero finitis impossibile est, mixtum infinitum componi.

Quod sic ostendit. Aut præfata elementa omnia sunt finita; & tunc repugnat ex ijs coalescere cor- III. pus infinitum: alioquin effectus infinita intercapedine vinceret suam causam: Aut omnia, vel aliqua eorum sunt infinita, & hoc fieri non posse demonstrat in tex. sequ. aut denique vnum est infinitũ, cæteris existentibus finitis. & hoc etiam esse impossibile, probat in hoc tex. Corpus mixtum est compositum ex simplicibus substantialiter in eo commixtis: Hoc autem tunc fit, quando miscibilia per suas contrarias qualitates alterantur, & aliquo modo æquantur. Sed huiusmodi mixtio, & æquatio fieri nequit, si constituatur vnũ miscibilium infinitum, reliquis existentibus finitis. Cur? quia illud vnum, vtpote infinitè excedens, obrueret omnia alia miscibilia, eaq; in sui naturam conuerteret.

Occurreret quispiam. Quamuis vnum miscibilium sit infinitum, reliqua verò finita, non sequi il- IV. latum incommodum, quia inter qualitates elementorum miscibilium, ratione quarum illæ agunt, & patiuntur inuicem, quædam existunt maximè actiuæ, veluti calor ignis: aliæ verò sunt debiliter ac obtusè actiuæ, vt humidum aeris. Ideircò valida ignis vis, quanquam finita, resistit infinitæ aeris actiuitati ac virtuti, si aer constituatur infinitus: & ita miscibile infinitum neutiquam conuertit in se reliqua miscibilia finita.

Respondet Arist. quod hoc potest quidem habere locum, quando est paruus, aut certè determinatus excessus vnius corporis supra aliud: cæterùm cum excessus protenditur infinitus, non valet. Sic explicat: Etsi potentia actiua vnius corporis, videl. infiniti, λείπεται, deficiat, siue superetur in aliqua portione a potentia actiua alterius corporis, id est finiti, in aliqua portione, quæ tamen portiones habeant inter se proportionem, ac numerum, nihilominus corpus infinitũ absolutè erit immensæ ac infinitæ virtutis respectu alterius finiti: ac proinde tandem aliquando illud destruet.

Rem ita declara. Sit V. G. aer corpus infinitum: ignis autem finitum: deinde accipiamus ex aere infinito portionem vt decem: & ex igne finito portionem itidem vt decem: actiuitas ignis

excedit

excedit actiuitatem aeris; fac excedat vt tria. Si verò addam ex aere aliam portionem vt centum, vel vt mille, efficiam totem illam aeris portionem æqualis actiuitatis, & fortaſſe maioris, quàm erat actiuitas ignis vt decem, quia conſtat, quod quanto magis augetur quantitas corporis agentis, tanto magis augeatur eius actiuitas. Profectò magis calefacit magnus ignis, quàm ſcintilla; Si itaque ex aere infinito adhuc multiplico aliam atque aliam portionem in infinitum ad portionem ignis finiti, (quā multiplicationem mirabili ſeptem ſyllabarum vocabulo ὁποσαπλασιονοῦν quaſi dicas, *quotquotuplici-ter multiplicatus* expreſſit) quis non videat, quod corpus infinitum tandem aliquando vincet ex toto corpus finitum, interimetque affatim?

V. Nec te turbet, quod elementa non agunt, neque patiuntur ſecundum ſe tota, ſed duntaxat ſecundum extrema, & partes ſeſe mutuo tangentes, cum mistio fiat per contactum phyſicum. Iſtæ autem partes extremæ, tam corporis infiniti, quàm finiti ſunt finitæ: Quocirca non videtur ſequi, vt corpus infinitum obruat alia finita.

Dicendum eſt, quod partes iunctæ toti maiori, longè validius agunt, quàm partes corporis minoris, quia agunt ſecundum virtutem totius, quemadmodum in exemplo de igne apparet.

TEXTVS XLIII.



Numquodque autem infinitum eſſe, eſt impoſſibile. Corpus enim eſt, quod omniquaque dimenſionem habet. Infinitum autem, quod infinitè extenſum eſt: Quare infinitum corpus vndequaque extenſum erit in infinitum.

I. Probat componentia illius mixti non poſſe eſſe aut aliqua, aut omnia infinita, huiuſmodi argumento. Corpus eſt τὸ πάντῃ ἔχον διάστασιν, quod omniquaq; ſiue ſecundum omnes partes habet extenſionem, nempe extenditur & ſurſum, & deorſum, & ante, & retro, &c. ſed infinitum eſt, quod infinitè extenditur, quare infinitum corpus infinitè extenditur in omnes partes. Quod autem ita extenditur, occupat totum & infinitum locum. ergo ſi ſint duo infinita componentia mixtum, atque alterum illorum occupat infinitè ſecundum omnes diſtantias omnem locum, profectò alterum aut debebit penetrare prius infinitum, aut erit infinitum corpus, & nunquam erit: quorum vtrumque eſt impoſſibile.

II. Adde, ſi ſit vnum corpus componens infinitum, vna quidem ex parte illi non poſſet aliquod corpus addi, cum infinito addi quicquam nequeat: Ex altera verò parte, cum mixtum neceſſariò debeat ex pluribus componi, priori infinito non modo adderetur aliud quale quale corpus, verum etiam adiungeretur aliud corpus infinitum. Quo fit vt vtraque eſſent infinita, & non eſſent infinita. Impoſſibile itaque eſt, dari corpus mixtum infinitum. Deinde cum ait.

TEXTVS XLIV.



T verò neque vnum, ac ſimplex eſſe contingit infinitum corpus, neque ſicut dicunt quidam, id quod præter elementa eſt, ex quo hæc generant, neque ſimpliciter. Sunt enim quidam, qui hoc faciunt infinitum, ſed non aerem, aut aquam, ne cætera corrumpantur ab infinito: habent enim ad ſe inuicem contrarietatem, vt aer quidem frigidus eſt, aqua verò humida, ignis autem calidus, quorum ſi vnum eſſet infinitum, corrupta iam fuiſſent alia: nunc autem dicunt aliud eſſe, ex quo hæc ſunt.

Pergit alteram confecti ſyllogiſmi partem demonſtrare, quod ſcil. non poſſit dari corpus ſimplex infinitum. Porrò corpus ſimplex infinitum gemino modo concipi poteſt. Aut quod ſit vnum quoddam ex quatuor conſuetis elementis, ceu aer, vel aqua: aut quod ſit aliquod aliud præter quatuor elementa, quemadmodum induxit Anaximander, qui quidem imaginatus eſt quoddam corpus ſimplex infinitum, medium inter aerem, & ignem, quod eſſet aere quidem ſubtilius, igne verò craſſius, & illud conſtituebat principium rerum naturalium: & ex eo etiam ipſa quatuor elementa generabat. Ariſt. vtrumque expendit. I.

Statuit itaque, neque ſimpliciter dari corpus ſimplex infinitum, neque dari tale corpus medium infinitum. Subnectit rationem, qua coactus Anaximander intruſit huiuſmodi infinitum, *ne cætera corrumpantur ab infinito, &c.* Quæ huiuſmodi eſt. Quatuor elementa exiſtunt inter ſe contraria, ſiquidem *ignis eſt calidus, aer autem frigidus*, (aerem appellat Author frigidum ex ſententia Anaximandri, cuius fuit hæc ratio: ad aures verò Ariſtotelis aer eſt humidus & remiſsè calidus, vt in ſecundo de ort. & inter. oſtenditur) *aqua autem humida*. Si itaque vnum iſtorum conſtituemus infinitum, id ſua actiuitate corrumpet reliqua omnia elementa ſibi contraria, cum contrarium natum ſit corrumpi a contrario: & ſic *corrupta iam fuiſſent alia*. Vt ergo Anaximander hoc incommodum deflecteret, inuexit ſuum illud infinitum, quod contrarietatum eſſet expers, ne alia abſumeret: eſſetque infinitum, ne in generatione deficeret: & eſſet *id ex quo hæc ſunt*. II.

V. *le enim est, & perire non potest*. Hoc etiam recenset tantùm, non approbat. Quo namque pacto principium materiale est diuinum? Perire autem non posse, competit etiam materię primæ: Nec tamen ob id diuina nuncupanda est. Quocirca in his duob. vlt. attributis, quasi defecerunt antiqui. ideoque fortasse Arist. refert ex nomine, qui vnquàm ita senserint, inquiens, *vt affirmant Anaximander, & plurimi Phisiologorum*, quasi dicat, isti defecerunt. Hæc Arist. de opinionibus antiquorum circa infinitum.

TEXTVS XXXI.



Esse autem aliquid infinitum, fides ex quinque maximè continget considerantibus. ex tempore. hoc enim infinitum: Et ex ea, quę est in magnitudinibus, diuisione, vtuntur enim & Mathematici infinito. Amplius ex eo, quod sic solum non deficit generatio, & corruptio, si infinitum sit vnde auferatur id, quod fit. Amplius ex eo, quia finitum semper ad aliquid finitur. quare necesse est, nullum esse terminum, si semper terminari sit necesse alterum ad alterum.

Relatis Veterum Philosophorum placitis de infinito, iam ad rem ipsam accingitur. Progreditur autem hoc pacto. Primùm inducit rationes

I. existimantium in rerum natura re vera dari infinitum; Deinde, insinuat, quàm arduum sit hoc theorema dirimere, quoniam vtraque ex parte vrgent rationes. Post, recenset varias infiniti acceptiones, vt sciamus in quanam significatione de infinito hic verba facimus. Præterea, ostendit aduersus Pythagoreos, & Platonem nullam substantiam abiunctam ac per se existentem esse infinitam: neque vllum vnquam corpus sensibile. Inde declarat quale, & quotuplex infinitum detur. Tum ad quodnam causę genus reducatur. Et denique diluit argumenta, initio disputationis pro affirmatiua parte inducta: Et sic pulcherrimę, eaque tempestate agitatissimæ de infinito disputationi, pulcherrimum atq; optimum vnà cum tertio hoc libro imponit finem. In hoc itaq; tex. 31. ait, ex quinq; capitibus posse suaderi infinitum esse, & statim subiungit in eodem tex. quatuor argumenta.

Primum, inquit, accipitur *ex tempore*, quod omnes, vt legimus octauo Phys. tex. 10. *dixe-*

II. *runt esse ingenitum: Plato verò ipsum solus generat.* Ratio hunc in modum struitur. Illud, quod neque gigni, neque interire potest, omninò infinitum est. Tempus est huiusmodi. Nam si tempus generaretur, ergo aliquando non erat. Aliquando autem dicit tempus, quare erat tempus, quando tempus non erat? Eodem pacto si vnquam corrumperetur, ergo aliquando non erit: Hoc autem importat tempus, quare erit tempus, quando tempus non est: Quæ est demonstratio eiusdem Philosophi, vt in tex. illo 10. libri octaui expendemus.

Secundum argumentum, *& ex magnitudinum diuisione: vtuntur enim & Mathematici infinito.* Sic III. strue. Continuum est diuisibile in infinitum, ergo est infinitum. Preterea, illud quo vtuntur certissimæ scientię, necessario dandum est, alioquin illę essent falsę. Infinito vtuntur Mathematicæ, quæ inter omnes scientias obtinent primum certitudinis gradum. quare infinitum omninò dandum est.

Tertium argumentum, *Amplius sic vtique solum non est deficere, etc.* potest accipi ex indeficientia generationis, & corruptionis, quam quidem indeficientiam Veteres existimarunt alio modo haud posse saluari vnquam, nisi principium, ex quo generatio fit, constituatur infinitum. Nam si principium esset finitum, cum genitum in generatione accipiat aliquid ex illo, tandem finiretur, quia *omne finitum per ablationem finiti tandem finitur*, vt asseritur in libro primo huius operis tex. 33. proindeque generatio deficeret, ergo & corruptio.

Quartum argum. *Amplius ex eo quod finitum semper ad aliquid*, desumitur ex apparenti con- IV. ditione finiti, ad cuius rationem existimatur spectare, vt semper contineatur, ac terminetur ab alio. Quæ quidem existimatio hauritur ex ijs, quæ apud nos ipsi cernimus. Sic in terris omnia locata ambiuntur à loco. Sic terræ, & aquæ globus clauditur ab aere, hic ab elemento ignis, iste ab orbe Lunari, ita deinceps.

Quocirca ratio sic conficitur. Aut in rerum natura est aliquod corpus actu infinitum, aut non. Si prius, habeo quod contendo. Si posterius, accipio vnum aliquod corpus finitum, atque ita progredior. Illud, cum sit finitum, debet tangi, ac terminari ab alio: Rursus illud, si itidem sit finitum, finietur ab alio; Aut itaq; deueniemus ad aliquod corpus infinitum, quod non ambiatur ab alio, aut in corporibus inclusis, & includentibus erit processus in infinitum: & hoc etiam pacto in corporibus est infinitum.

TEX.

Digitized by Google

TEXTVS XXXII.



Aximè autem, & propriissimum, quod communem facit dubitationem omnibus. ob id enim quòd illud, quod in cogitatione est, non deficit, & numerus videtur infinitus esse, & Mathematicæ magnitudines, & quod est extra Cælum. Infinitum autem cum sit, quod extra est, & corpus infinitum esse videtur, & mundi. Cur enim magis vacui hic, quàm ibi (quare si vno in loco, & vbique) necesse est esse molem. Simul autem, si & vacuum est, & locus infinitus, & corpus infinitum necesse est esse. posse enim ab ipso esse nihil differt in perpetuis.

I. Adducit Arist quintum, idque præcipuum argumentum. At porrò vehemens eius ingenium continere se haud potuit, quin intertruderet adhuc sextum argumentum præter quinque iam promissa,

Ait itaque, quod præcipua, ac propriissima dubitatio, quæ communiter mouet omnes ad ponendum infinitum, capitur ex natura cognitionis, *quia illud, quod in cogitatione est, non deficit*, Ita collige. Apprehensio intellectus est de rebus, quæ sunt: alioquin esset ficta: quod dicendum non est, tum quia euerterentur multæ scientiæ: tum quia intellectus per se non est de impossibili. At intellectus apprehendit numerum in infinitum multiplicabilem: Nullus etenim est numerus, quo intellectus non possit concipere maiorem. ergo iam in re ipsa est numerus infinitus Eodem pacto apprehendit magnitudinem in infinitum, quoniam data qualibet magnitudine, valemus intelligere maiorem.

II. Deinde cum ait, *& quod est extra Cælum: infinitum autem cum sit, &c.* Licet hoc argumentum possit reduci ad quintum, quod est ex natura cognitionis, vt plerique omnes interpretum reducunt, quod scil. nos possumus extra Cælum imaginatione complecti infinitum spacium, & ita argumenta ab Aristotele in his duobus contex. relata erunt tantum quinque, quemadmodum ipsemet aiebat in tex præced. quod fides de existentia infiniti, *ex quinque maximè contingit considerantibus*. Nihilominus melius existimo, si constituatur sextum, & separatum argumentum. Quod ex eo potest intelligi, quia Arist non ait, nos cogitare extra Cælum infinitum spacium, sed, *quod est extra cælum*. Et etiam, *infinitum autem cum sit, quod extra est*. Quod etiam apertè indicant Philosophi probationes, vt nunc audies.

III. Sic ergo collige. Extra cælum est spacium infinitum: si namque non esset infinitum, à quo vnquam terminaretur? Quod si est spacium infinitum, ergo necessarium videtur inibi adesse & corpus infinitum: quin verò adesse mundos quoque infinitos, quemadmodum Democritus, Leucippus, & Epicurus opinabantur. Hanc consequentiam probat Arist. duplici ratione. Prima est. τί γὰρ μᾶλλον τοῦ κενοῦ ἐνταῦθα, ἢ ἐνταῦθα, ὥστε εἴπερ μοναχοῦ, καὶ πανταχοῦ ἀνάγκη εἶναι τὸν ὄγκον. Quorum verborum sensum Latinæ versiones corrumpunt. Primò transferunt, *cur enim vacui hic, quàm ibi*. Deinde claudunt per parenthesim, (*quare si vno in loco, & vbique*) postea appendunt, *necesse est esse molem*. Malè vertunt, *vacui*. Nam Græcè est quidem τοῦ κενοῦ, casu genit. Sed est genitiu. quem vocamus absolutum, & hic subintelligitur ὄντος, qui fuit positus ab auctore ante duo verba, ἀπείρου δὲ ὄντος τοῦ ἔξω. Verte igitur. Cur enim potius est vacuum hic, quàm hic? apposita interrogatione. Deinde infert integrem consequentiam, *quare si vno in loco, & vbique necesse est esse molem:* Græcè ὄγκον tumorem. Vnde non video ex cuiusnam cerebro fluxit illa parenthesis. Si, inquit Arist. in hac parte illius infiniti spacij, vbi noster existit Mundus, est corpus, & tumor, & istud spacium non est vacuum, ergo & in quacunque alia eius ipsius spacij parte erit corpus. Cur enim potius hic sit vacuum, quàm alibi? Si itaque præfatum spacium est infinitum, omninò dicendum erit, adesse in eodem etiam corpus infinitum.

Secunda ratio pro eadem consequentia, *similiter autem, & si vacuum est, & locus infinitus, & corpus infinitum*. Illud infinitum spacium extra cælum protractum, aut est omni corpore destitutum, & planè vacuum, aut est aliquo corpore plenum. Si hoc secundum dederis, iam teneo propositum. Si verò dicas, esse vacuum, sic vrgeo: Vacuum nihil aliud est, quàm locus non repletus corpore, possibilis tamen atque aptus repleri. IV.

Si itaque extra Cælum est infinitum vacuum, necessario inibi erit & infinitus locus, possibilis atque aptus corpore aliquo repleri. At in æternis idem est posse, & esse; *nam posse ab ipso esse nihil differt in perpetuis*. quare si infinitus ille locus est possibilis, atque idoneus corpore repleri, profectò re ipsa, & actu est repletus. & sic corpus nunc in eo existens est infinitum.

TEXTVS XXXIII.



Abet autem dubitationem ipsa de infinito consideratio. Etenim non esse ponentibus multa impossibilia accidunt, & esse. Amplius autem, vtro sit modo. vtrum vt substantia, an vt accidens per se alicui naturæ, an neutro modo, sed nihilominus sit infinitum, aut infinita multitudine. Maximè autem Physici est considerare, si est magnitudo sensibilis infinita.

Concludit in hoc tex. contemplationem de infinito esse apprimè arduæ resolutionis. *Habet autem,*
I. (autem stat loco illationis, idest, igitur) *dubitationem ipsa de infinito consideratio*. Quid ita? *quia non esse ponentibus multa impossibilia accidunt, & esse*. Et qui asseuerant non dari infinitum, & qui ipsum constituunt, multis vrgentur incommodis. & vtraque ex parte validæ fatigant rationes. ideirco litem dirimere, multi laboris est.

II. Et eò magis, quia etiam si admittamus infinitum esse, adhuc remanet dubitatio, quo pacto illud constituendum sit? vtrum videl. sit aliquid per se existens, veluti quædam substantia, an verò veluti quoddam accidens adiunctum, atque adhærens alicui alteri naturæ? An verò neutro modo? videl. neque sit vt substantia, neque vt accidens alteri naturæ, sed sit aliquod infinitum magnitudine, aut sint aliqua infinita numero, & multitudine? Profectò *maximè Physici* munus est, *considerare si est magnitudo sensibilis infinita*.

TEXTVS XXXIV.



Rimum igitur determinandum est, quot modis dicitur infinitum. Vno igitur modo quod impossibile est transiri, ex eo quia non est aptum natura transiri, vt vox inuisibilis. Aliter autem transitum habens inconsummabilem. Aut quod vix, aut quod natura aptum est habere, non tamen habet transitum, aut finem. Amplius, infinitum omne aut est secundum appositionem, aut secundum diuisionem, aut vtraque modo.

I. Extat perpetuum Stagiritæ monitum, ea quæ multas habent significationes, prius esse diuidenda, dein explicanda: ideirco cum infinitum multiplex sit, summa cū ratione in hoc tex. Arist. recenset quinque eius acceptiones, vt sciemus, in quanam significatione de infinito in præsenti instituitur sermo.

Primò infinitum dicitur, *quod impossibile est transiri, ex eo quod non est aptum transiri, vt est vox inuisibilis*; est impossibile transiri successiuè, quia II.
non habet potentiam, vt hoc modo pertranseatur. Non habet autem potentiam, quia nullo modo habet spacium, siue extensionem, secundum quam tantum fit transitus successiuus. Sic punctum, cum parte, & extensione penitus careat, erit hac significatione infinitum. Sic forma, quæ secundum se ipsam est indiuisibilis: sic vox dicitur inuisibilis, quia videl. omninò est extra visibilium genus. Hoc in scholis appellitatur infinitum negatiuè.

Secundò infinitum dicitur, quod *transitum habet inconsummabilem*; Habet spacium, & extensionem, quæ tamen nunquam potest ita pertransiri, vt ad vltimum vsque deueniatur, quoniam extitit expers extremi. Sic esset infinitum, si daretur quantitas actu infinita. Et hoc nuncupatur infinitum positiuè. Huc reuocant aliqui cum Simplicio etiam illud infinitum, cuius spacium, quamuis finitum, nihilominus ob illius figuram absolui, ac finiri nequit, vt contingit in circulo, in quo cum nullus adsit actualis terminus, nunquam finitur motus super eo factus. Quod quidem infinitum dicitur quidem positiuè, attamen minus propriè, quàm præcedens.

Tertiò, *aut vix*, appellatur infinitum, quod ex sua quidem natura est pertransibile, quia de se existit aliquod finitum; nihilominus summa cum difficultate, & vix potest transiri, absumique. Quæ III.
difficultas obtingit, primò propter spacij immensitatem, quo pacto ambitum terræ infinitum dixeris, quia summa cum difficultate, & aperto discrimine vix potest circumiri. Secundò contingit propter rei figuram, qua ratione Labyrinthus vocabitur infinitus.

Quartò infinitum est, quod *natura sua aptum est habere, non tamen habet transitum, aut finem*. Non IV.
obtinet, inquam, transitum, ac finem, propter impedimenta, quæ inter ipsum, & nos validè interponuntur. Hac appellatione profundum Oceani dixeris infinitum: Sic via ad aliquem montem penitus inaccessum, appellabitur infinita.

Quintò, *amplius infinitum omne aut est secundum appositionem, &c.* omne infinitum propriè dictum, est, cuius quantitas nunquam terminatur, siue *ap-* V.
positione, vt contingit in numeris: siquidem addendo vnitatem nunquam finies numerum: siue *diuisione*, vt in continuo, quod potest semper diuidi: *siue vtroque modo*, vt in tempore, in quo & diuisionem continui licet accipere, cum tempus sit continuum: & appositionem, quia possumus in eo enumerare annos, menses, dies, horas vsque in infinitum. De secunda, & quinta infiniti acceptione loquitur in præsenti disputatione Philosophus. Illud est infinitum in actu: Hoc infinitum potentia: Et illud vtita voce dicitur infinitum Categorematicum: hoc autem infinitum syncategorematicum;

Adno-

Adnotationes circa textus capitis quarti.

I. ANte omnia difficultatem facit ipsamet proposita indagatio de infinito. Primò, frustra indagatur scientia de eo, quod non est, cum non entis nullæ sint affectiones. Infinitum autem non est. Deinde, etiam si esset, de eo nequit haberi scientia. Cur? quia auctore eodem Philosopho in lib. primo huius operis tex. 35. *infinitum, secundum quod infinitum, ignotum est*. Frustra igitur quæritur. Præterea, etiam si esset infinitum, & de eo posset haberi, & cognitio, & scientia, adhuc haud essent partes Physici ipsum considerare. Nam infinitum non modò cōpetit quantitati, & rebus materialibus, de quibus edisserit Physicus, verum competit etiam ipsi enti in communi, cum ea prima sui partitione diuidatur in ens finitum, & infinitum: De ente autem in communi agit Primus Philosophus, vt constat ex primo Metaph cap. 2. quare agere de infinito est officium Metaphisici, non Physici, vt contendit Arist. in contex. 24. & 29.

II. Ad 1. occurrendum est, quod si vlla alia disceptatio, hæc profectò Philosopho Naturali est necessaria, ex cuius determinatione pendet accurata multorum theorematum determinatio; Licet autem infinitum re vera à parte rei non sit, nihilominus antiqui Philosophi ipsum esse mordicus tutati sunt, ideircò necesse fuit, falsa illorum placita euellere, & veritatem in apertum efferre. Præterquamquod, licet non detur infinitum actu, attamen datur infinitum potentia. Nonne igitur omninò operæ precium erat, hoc, & attinentia ad ipsum scire?

Ad 2. de infinito non cognoscimus positiuè quid res sit, & tali cognitione infinitum, qua infinitum, est ignotum, vt dicitur in tex. illo 35. nihilominus cognoscimus per negationem; sicut etiam cognoscimus Vacuum. Præterea, possumus colligere vnam aliquam eius rationem in abstracto, & illam per negationem etiam congruè describere, dicendo infinitum est, quo non datur maius, vt explicat Arist. in primo de Cœlo tex. 130. & in hoc lib. inferius dicetur.

Ad 3. Infinitum multiplex est, quemadmodum infra latius apparebit. Sed Physicus per se agit de infinito, quod respicit quantitatem, vt idemmet Philosophus docet in primo Physicorum tex. 15. quod quidem *infinitum in quanto est: substantiam autem infinitam, aut qualitatem, aut passionem esse, non contingit, nisi secundum accidens*. Ex proportione itaque infiniti quanti tangit alia quoque infinita, vt si sit infinitum in separatis, quemadmodum ponebant Pythagorei, & Plato; sic facit in hoc tertio lib. 2 tex. 35. Aut si sit infinitum in vigore, sicut colligit in calce octaui Phys. quod si primum mouens *mouit tempore infinito, habet potentiam infinitam*.

Perpende 2. quod in tex. 30. ait, si esset infinitū, illud non posset esse principiatum, sed necessariò foret, *vt principium: quia infiniti non est principiū*. III.
Hoc videtur falsum. Primò, quia si sit infinitum actu, illud porrò non erit primum ac summum ens, Deus. quare ab alio productum: ac proinde erit principiatum. Secundò, infinitum est in quantitate, vt nunc ex Aristotele dixi. Quantitas autem, cum sit accidens, nequit esse principium rerum naturalium. Quomodo enim ex non substantia fieret vnquam substantia? vt colligit idem Philosophus in primo Phys. tex. 52

Inducta propositio, videl. si esset infinitum, illud non esset principiatum, sed principium, ita non- IV.
nullos interpretum conturbauit, vt dederint manus, asseuerantes, quod si esset actu infinitum quantum, illud esset absolutè infinitum ens, siue infinitæ perfectionis. Vt autem ita opinarentur, hac ratione compulsi sunt. Illud quantum haberet infinitas partes, quarum vnaquæq; prædita esset aliqua perfectione: cum ergo in eo adesset infinitarum partium perfectio, profectò illud esset infinitè perfectum,

Veruntamen hi malè philosophantur. Nam infinitum ac summum ens continet in se, saltem V.
virtute perfectiones cunctarum rerum; alioquin posset ei fieri aliqua perfectionis accessio. Huiusmodi autem infinitum solus Deus est: Illud verò infinitum quantum non excederet perfectionem talis corporis quanti: Quid enim? si esset aqua V. G. actu infinita, numquid pertingeret ad perfectionē mixti, aut viuentis? Eiusmodi igitur infinitum haud esset vnquam infinitæ perfectionis, sed intensiuè esset perfectionis finitæ.

Ad argum. itaque dico, effatum illud Philosophi non esse de quocunque principio, & principia- VI.
to intelligendum, sed de solo materiali. Talè quippe principium antiqui constituebant suum illud infinitum, quemadmodum in tex. 24. & deinceps fuit expositum. Huiusmodi autem materiale principium non potest esse principiatum. Primò ob rationem Stagiritæ, quia si non esset principium, sed haberet principium, ergo haberet & finem: ac proinde simul esset, & non esset infinitum. Secundò, si infinitum esset principiatum, peto, principiū, a quo id proficisceretur, esset ne finitum, an infinitum? Primum vel cogitatu absurdum est. Quis credat, a principio finito rem infinitam oriri? Secundum etiam est impossibile, tum quia illo pacto iam essent plura infinita: tum quia de illo etiā infinito principio idem redit argumentum.

Cum autem in argum. in cuius solutione versamur, subijcitur, illud infinitum esset productum, ergo haberet principium. Facilè occurritur. Primum, si illud esset actu infinitum, non esset pro-

ductum

Digitized by Google

ductum. Actu etenim infinitum per quamcunque potentiam produci nequit, vt infra dicemus. Deinde, si vnquam esset productum, haberet principium effectiuum sui, at non materiale, cum principia materialia omnes antiqui posuerint ingenita ac improducta: ne cogerentur admittere aliquid fieri ex nihilo.

Ad 3. argument. dico, illud infinitum non esset
VII. mera ac sola quantitas. Quo enim pacto nudum accidens per se subsisteret? Sed esset aliqua materia, siue corpus quantitate, & infinitate affectum, vt ad tex. 35. dixi.

Perpendo 3. quod in tex. 33. ait, videndum esse
VIII. vtrum infinitum sit, *vt substantia, an vt accidens per se alicui naturæ, an neutro modo*. Quæ enunciatio videtur contra prima Philosophiæ rudimenta impingere. Nam omne quod est, aut est substantia, aut accidens, neque inter ista datur medium vllum: Si itaque patefactum fuerit, infinitum non esse substantiam, non accidens, quid opus est dicere, *aut neutro modo*?

Nego inductam propositionem in quoquam deficere: Germanus eius intellectus est, quod verba illa, *an verò neutro modo*, non sint distinctum membrum a duobus præcedentibus, scil. substantia, & accidente, sed sint negatio duorum præcedentium. Ait enim, difficile esse determinare, vtrumne infinitum sit *vt substantia*, sicut opinati sunt Pythagorei, & Plato, quemadmodum in tex. 25. & 26. dictum fuit; an verò vt *accidens alicui naturæ*, sicut inuexere Physici, vt in tex. 27. expositum est; an verò neutro, id est, neque illo, neque isto modo sit constituendum? vt existimamus nos.

Perpendo 4. quod in calce tex. 30. ait, posse, *ab ipso*
IX. *esse nihil differt in perpetuis*. Quod quidem effatum multiplici oppositione vrgetur. Sol, & Luna, ad aures Aristotelis, sunt æterna: In ijs autem posse, & esse longè diuersa sunt. Nam vtrumque hoc sydus potest eclypsari: nec tamen actu patitur eclypsim. Item, cælum, quod itidem est perpetuum, potest moueri motione crastina: nec tamen sequitur, illud nunc moueri illa motione. Ad hæc, materia, quæ etiam in Peripato est æterna, potest habere formam aquæ, ignis, & alias infinitas successiuè. Fatuum autem esset asserere, materiam nunc actu præditam esse cunctis illis formis, quare in æternis non est idem potentia, & actus, siue posse, & esse.

Simplicius existimat, effatum istud nó esse ipsius
X. Aristotelis, sed ab eo relatum duntaxat: fuisse autem Architæ Tarentini, & Epicureorum. Quæ Simplicij opinio apertè falsa est, cum Philosophus eam ipsam propositionem ex mente sua apponat nono Metaph. tex 17. Et subiungat etiam eius demonstrationem, quia æterna potentia contradictionis carent. *Æterna*, inquit, *priora corruptibilibus substantia sunt. Nihil verò potentia æternum est. Ratio autem hæc est: omnis potentia simul contradictionis est: quod enim non est possibile esse, non inerit alicui: omne verò possibile, contingit non agere: quod igitur est possibile esse, contingit esse, & non esse*. de qua quidem demonstratione adi S. Thom. eo loci.

Quidam nostri doctores dictum illud, *in æternis*
posse, & esse nō differunt, contrahunt ad solum Deū; XI.
asserentes, illud esse verum de æterno strictè accepto, quod porrò & sine initio est & erit sine fine, quod est penitus incommutabile, & repugnat ipsum non esse; cuiusmodi existit solus Deus. Non autem verificari de quocunque æterno largè accepto. Ita Gregor. Arim. in 2. sent. distin. 1, qu. 3. Argent, in 1. sent, distin. 6. quæst. 1, art 3. & quidam alij.

Sed isti ex fide nostra, non in Peripato verba faciunt, in quo præter primum ens, sunt conplura alia vsquequaque æterna, vt constat ex octauo Physic. primo de cælo, & duodec. Metaphys. Præfata itaque enunciatio & tanquam germana Aristotelis, & cuicunque æterno explicanda, & applicanda est.

D. Thom. quæst. de potent. art 3. ad 7. explicat
hoc dictum, quod intelligitur de potentia passiua. XII.
Quod si intelligatur de Deo, & de potentia actiua, tunc dicendū, non differre realiter: benè tamen ratione differre posse. Sic essentia Dei differt ratione ab eius potentia. Idem explicat in quæst. 3. de creatione art. 14. ad 3. Intelligendum, inquit, est secundum potentiam passiuam, non autem secundū actiuam. Potentia enim actiua, actui non coniuncta, corruptionis principium est: ideò sempiternitati repugnat: Effectus verò actiuæ potentiæ, actu non existens, perfectioni causæ agentis præiudicium non affert, maximè in causis voluntarijs; effectus enim non est perfectio potentiæ actiuæ, sicut forma passiuæ.

Alij verò, inter quos est Iandun. in hoc tertio
lib. quæst. 9. dicunt, effatum illud esse verum de XIII.
potentia ad esse substantiale: in æternis enim idem est esse, & posse esse: Æterna tamen possunt esse in potentia ad formam accidentalē, vt Luna ad eclypsim. Alij autem aiunt, quod simpliciter, & per se in æternis idem est esse, & posse, intelligendo formaliter; in eo videl. in quo aliquid fuerit æternum, siue illud fuerit substantia, siue accidens. Quocirca quicquid sit æternum, si essentia, in ea esset simul esse, & posse esse: si accidentalis eius ratio esset æterna, simul esset, esse tale, & posse esse tale. Et hoc modo maxima illa vniuersaliter, ac per se est vera, formaliter eam intelligendo, inquit Tolet. in hoc lib. quæst. 4. Alij alio modo interpretantur, quorum cogitationes non subijciam: multas colligit Nouarin. parte 2. Axiomat Physiotheolog.

Equidem distinguendum existimo: Nam æter-
na apud Philosophum geminæ classis sunt. Alia XIV.
quidem sunt incorporea, vt substantiæ secundum esse a materia penitus abstractæ, quæ *nec in loco nata sunt esse, neque tempus ipsa facit senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est*, vt loquitur idem Philosophus in primo de cælo tex. 100 Alia æterna sunt corporea, veluti corpora cælestia, quæ solum sunt transmutabilia vnde quo, vt dicitur nono Metaph.

Digitized by Google

taphi tex. 17. solo nimirum motu secundum locum. Hæc adhuc duplicem habent potentiam: Vnam substantialem: Alteram accidentariam, V.G. Lunam illuminari a Sole, aut lumine priuari, accidit Lunæ. In quorum quidem æternorum numero reponenda etiam est materia prima: quandoquidem etiam illi accidit informari hac, aut illa particulari forma.

XV. Quibus constitutis dico, quod si sermo sit de æternis primæ conditionis, profectò in ijs posse, & esse haud differunt. Ratio est, quoniam si in illis esse, ac posse differrent, iam in ijs ipsis esset potentia ad aliquid, quod prius non habuissent, & postea haberent. Hoc autem est contra Arist. nono Metaph. citato, & lib. duodec. tex. 30. In æternis autem secundi generis, posse quod respicit esse substantiale, non differt ab ipso esse, sed sunt idem. Si enim Sol, aut Luna possunt esse substantię æternę, ergo sunt substantię æternę: Si verò posse respicit esse accidentale, tunc posse, & esse differunt. Et hoc tantum probant argumenta in oppositum inducta.

XVI. Quod si adhuc opponas. Intelligentia motrix cæli potis est producere motionem crastinam: quā nunc non producit. Quocirca etiam in æternis penitus abstractis, posse, & esse discriminantur.

Occurrendum est, Intelligentias cælorū motrices perpetuo esse iunctas cum actuali motu, a quo quidem, si Stagiritem audias, tùm alibi sæpe, tùm nono Metaph. tex. 17. desistere non queunt. Motus verò necessario exposcit successionem: vnde motio hodierna, & crastina sunt tantummodo quo ad nos. Adde, quod Stagirites non ait, in æternis posse, & operari non differre, sed ait posse, & esse: nimirum existere. Quod porrò in omnibus æternis, quæ æterna sunt, omninò est necessarium:

CAPVT V.

Expenduntur Veterum Philosophorum opiniones de infinito superius relata.

TEXTVS XXXV.



Eparabile igitur esse a sensibilibus infinitum, ipsum quid existens infinitum, non est possibile. Si enim neque magnitudo est, neq; multitudo, sed substantia ipsum est infinitum, & non accidens, indiuisibile erit, diuisibile enim aut magnitudo erit, aut multitudo: si autem indiuisibile, non infinitum, nisi sicut vox inuisibilis est. At neque sic dicunt esse affirmantes esse infinitum: neque nos quærimus, sed vt intransibile.

Antequam ex sua mente decernat quid de infinito sentiendum sit, expendit in hoc cap. candidè, & euertit neruosè iam recensita Veterum placita, quæ duo erant. Vnum Pythagoreorum, & Platonis: Alterum Physicorum. Illi constituerunt infinitum esse aliquid per se existens, nimirum substantiam quandam a sensibilibus seiunctam, ac per se subsistentem: Isti verò sanxerunt, esse accidens alicuius naturæ infinitæ, seu potius esse corpus quoddam, ac magnitudinem infinitate affectam. I.

In hoc itaq; tex. tria facit. Statuit conclusionem: Apponit pro ea primam rationem; Et occurrit tacitæ cuidam euasioni. Conclusio est. Non est possibile, infinitum esse substantiam separatam a sensibilibus, ac per se existentem. Ratio sic colligitur, Infinitum, quod in præsens inuestigamus, debet esse diuisibile: Nulla substantia per se, & non affecta accidente, est diuisibilis, quare nulla substantia per se, ac non affecta accidente, siue, (quod idem est,) separata a sensibilibus, est infinita. Infinitum a Pythagoreis, & Platonicis inuectum, est substantia de se, ac nullo affecta accidente, alioquin esset sensibilis, non est igitur possibile illam esse infinitam. II.

Maior iacet in illis verbis, *si enim indiuisibile, non infinitum.* Minor verò prob. *si enim neq; magnitudo est, neque multitudo, sed substantia est ipsum infinitum, & non accidens, indiuisibile erit.* Quicquid *non est magnitudo,* nempe quantitas continua, *neque est multitudo,* quantitas discreta, & omninò non est accidens, sed est substantia, id porrò est indiuisibile. Si igitur *ipsum infinitum,* iuxta eos auctores non est magnitudo, neque multitudo, neque omninò quippiam aliquo accidente affectum, sed est sola substantia, profectò erit indiuisibile.

Occurreret aliquis. Quamuis substātia ea ratione spectata sit indiuisibilis, potest tamē esse infinita, eo modo quo *vox dicitur inuisibilis,* videl. negatiuè, quoniam non est apta nata pertransiri, quemadmodum in tex. antegresso fuit dictum.

Raijcit Arist. hoc effugium. Primùm, quia infinitum a Pythagoreis, & Platonicis inductum non est tale: *neque enim sic dicunt esse affirmantes esse infinitum.* Deinde, *neque nos* tale infinitum *quærimus.* ἀλλ' ὡς ἀδιέξοδον, *sed vt impertransibile,* quod transitum, exitumque minimè habuit.



TEXTVS XXXVI.



I verò secundum accidens est infinitum, non erit vtiq; elementum eorum, quæ sunt, quatenus infinitum; sicut neque inuisibile locutionis, quamuis vox sit inuisibilis. Amplius, quomodo contingit aliquid esse ipsum infinitum, si non est & secundum numerum, & secundum magnitudinem, quorum est per se passio quadam infinitum? adhuc enim minus esse necesse est, quàm numerum, aut magnitudinem.

Confutauit primam opinionem ratione, quam in tex. præced. excepisti: nunc confutat secundam, quæ infinitum non constituebat substantiam per se
I existentem, &c. sed accidens vni cuipiam substantiæ adiectum, veluti aeri, aut aquæ. Et in tex. tria itidem facit. Ponit assertionem, & duas rationes: quarum tamen secunda est contra primam opinionem. Assertio est. Non datur infinitum secundum accidens. Probat, quia illi qui hoc pacto ponunt infinitum, aiunt illud esse principium, & cunctarum rerum elementum: Sed si infinitum ponatur esse accidens, eo modo quo ij ipsi asseuerant, principium rerum non est ipsum infinitum, quatenus infinitum est, sed est illud corpus, cui accidit infinitum. V. G. Anaximenes facit principium rerum vnum aerem infinitum. Hic non est principium, vt infinitus, quia infinitum illi accidit, sed est ipsemet aer, qui est subiectum infiniti, siue infinitus.

Id idem illustrat exemplo. Dicimus vocem esse inuisibilem. Et re vera est. Hanc affirmationem
II indicat Auctor, cum ait ἀόρατος ἡ φωνὴ ἀόρατος, quæ malè translata sunt, *quamuis vox sit inuisibilis*. Dic. *& profectò vox est inuisibilis*. Enim vox est obiectum auditus, non visus. Atque eadem vox est elementum, & principium locutionis. Et nihilominus non dicimus, ipsum inuisibile, quà inuisibile, esse elementum locutionis. Cur? quia inuisibile accidit voci, cum etiam conueniat alijs, veluti odoribus, aut saporibus, qui quidem eadem ratione sunt inuisibiles, cum sint extra obiectum visus. Sic ergo licet daretur aer infinitus, non propterea debet dici ipsum infinitum, quà infinitum, esse principium rerum; cum infinitum sit accidens respectu aeris, & posset conuenire etiam aquæ, aut alij substantiæ. Hoc itaque pacto isti inter se dicunt pugnantia.

III *Amplius quomodo, &c.* reuertitur Arist. ad primam opinionem, quam tali argumento perstringit. Quando duo ita inter se sunt affecta, vt vnum quidem sit tanquam subiectum: alterum verò tanquam passio, si subiectum nequit de se subsistere, multo minus poterit de se subsistere, id quod est vt passio. Sed numerus, & magnitudo in proposito sunt vt subiectum; infinitum verò est vt passio: nam passio numeri est, posse in infinitum augeri, & passio magnitudinis est, posse in infinitum diuidi. At numerus, & magnitudo, vtpote accidentia, de se subsistere nequeunt, ergo multò minus ipsum infinitum poterit de se subsistere: ac proinde impossibile est, ipsum infinitum esse solam substantiam, & quippiam per se existens.

TEXTVS XXXVII.



Anifestum autem, & quod non contingit esse infinitum, vt actu existens, & vt substantiam, ac principium. erit enim quicquid ipsius acciperetur, infinitum, si partibile est. infinito enim esse, & infinitum idem est, si substantia infinitum sit, & non de subiecto. quare aut indiuisibile est, aut in infinita diuisibile: multa autem infinita esse, idem impossibile est. At verò vt aeris aer pars est, sic & infinitum infiniti, si quidem substantia est, & principium. Impartibile ergo, & indiuisibile est. At esse tale nequit quod actu est infinitum, quantum enim quid esse necesse est.

Vrget in hoc contex. alia ingeniosissime ratione illam eandem primam opinionem, quod non datur infinitum, quod sit substantia per se actu existens, I
& sit principium. Et in tex. tria accipit, quæ re vera profert complicata: at nos ea eruamus, & distinguamus, quo pulcherrimam rationem valeamus intelligere.

Accipit 1. quod illud infinitum, si est *substantia, & principium*, necesse est, esse aliquod simplex. Principia haud dubiè debent esse simplicia, cum ex ijs coalescant composita. Ita materia prima est natura quædam simplex, ita forma: Ita in sententia Democriti atomi erant simplices, ita homogenea in opinione Anaxagoræ, &c.

Accipit 2. quod hæc est differentia inter simplicia, & composita, quod in illis idem est res, & II
essentia, siue esse ipsius rei: in compositis verò aliud est res, aliud esse rei. Ita hic idem Philosophus ex instituto ostendit in tertio de Anim. tex. 8 & 9 Et octauo Metaph. tex 8. scribit, quod *animæ & animæ esse idem est, homini verò, & homo non idem*. Sic quoq; exposui de materia prima supra in quæst. de principio materiali, sect. 5. de qua distinctione abundè dixi in tertio de Anim. ad tex. 8. & 9. Hoc præceptum indicat Auctor cum ait, *infinito enim esse. & infinitum idem est, si substantia infinitum est, & non de subiecto*: nimirum id quod est substantia actu existens, & principium, & non est vt accidens in subiecto, est aliquid simplex: In simplicibus autem idem est rem esse, & rei esse, quare si infinitum est substantia, & principium, idem erit *infinito esse, & infinitum*.

Accipit

Accipit 3. quod in simplicibus quælibet pars suscipit denominationem totius, sicut quælibet aeris pars est aer. Hoc porrò est proprium in quacunq; homogenea ac simplici re. Sic itaque si infinitum est natura simplex, vt nuper dicebamus, euidens est, quod quælibet eius pars erit infinita. Hoc præceptum ponit Arist. ibi, *At verò, vt aeris aer pars est, sic & infinitum infiniti, si quidem substantia est, & principium*. His ita iactis.

Erigitur hunc in modum demonstratio. Si in-
III. finitum est substantia actu per se existens, illa aut est diuisibilis, aut indiuisibilis. Si est diuisibilis, quemadmodum auctores illius positionis opinabantur, vt in calce tex. sequ. indicatur, quod *Pythagorei simul substantiam faciunt ipsum infinitum, & diuidunt*, tunc sequitur, re vera esse multa infinita; imò infinities infinita. Quid ita? quia illud infinitum habet partes infinitas: At quælibet p... illius denominaretur, ac esset infinita, ergo essent infinities infinita. Hanc consequentiam intulit Auctor illis verbis, *aut in infinita diuisibile*. Sed *impossibile est, esse multa infinita*, nedum infinities infinita. ergo impossibile est, infinitum esse huiusmodi substantiam per se actu existentem. Si verò dicatur quod illa substantia sit indiuisibilis, iam non est infinita, quia nos quærimus infinitum aliquo modo extensum, quod *quantum quid esse necesse est*.

TEXTVS XXXVIII. & XXXIX



Ecundum ergo accidens est infinitum: Sed si sic, dictum est, quod non contingit ipsum principium dicere, sed illud, cui accidit, vt aerem, aut par. Quare absurdè enunciant, dicentes, sicut Pythagorei dicunt: simul enim substantiam faciunt infinitum, & partiuntur.

Sed fortassis hæc quidem est vniuersalis quæstio magis, si contingit infinitum & in Mathematicis esse, & in intelligibilibus, & in ijs, quæ nullam habent magnitudinem. Nos autem consideramus de sensibilibus, ac de ijs, quorum facimus scientiam, verum in illis est, an non est corpus infinitum in augmento.

Versat Arist. Antagonistas in omnem partem. Sic colliga: Si est infinitũ, aut est substantia, aut secundum accidens: hæ namque erant opiniones. Pa-
I. tefactum est, infinitum non esse substantiam: *erit ergo secundum accidens*. Atqui hoc quoque modo infinitum esse, impossibile est. Cur? quia tunc non infinitum esset principium rerum naturalium, cum nihil sit principium secundum illud, quod ei accidit; sed principium erit illud, cui infinitum, seu infinitas accidit, siue illud sit aliqua substantia sensibilis, V. G. *vt aer*: siue sit substantia a sensibili separata, *vt par*.

Deinde infert, absurdè eos loqui, (intelligit Platonem,) qui enunciant, sicut dicunt Pythagorei, quod infinitum sit substantia actu per se existens, a sensibilibus, & quantitate seiuncta: & simul infinitum diuidunt in partes. Quæ duo inter se e regione pugnant, quia omnis diuisio sequitur quantitatem, non substantiam.

Monet deinde in tex. 39. quod hæc quæstio, an *contingat infinitum & in Mathematicis esse, & in intelligibilibus, & in ijs, quæ nullam habent magnitudinem*. Hic non sunt tria membra, sed duo: videl. Mathematica, Et intelligibilia. Illa autem verba, *& in ijs, quæ nullam habent magnitudinem*, respiciunt vtrumque prædictum membrum, redduntque hunc sensum, *& in Mathematicis*, quæ habẽt aliquam magnitudinem, id est materiam intelligibilem: *& in intelligibilibus*, quæ nullam habent magnitudinem: Hæc enim abstrahunt ab omni materia, tam sensibili, quàm intelligibili. Hæc, inquam, quæstio est magis vniuersalis: propterea in scientia vniuersaliori est discutienda: sicut idẽ auctor discutit in Metaphysicis: Quinquam, vt est multorum auctorum consensus, composuerit Arist. etiam libros particulares aduersus Pythagoreos, qui tamen temporum iniuria interciderunt. II.

At nunc, subdit, Arist. nos agimus de infinito circa sensibilia, de quibus est scientia naturalis: vtrum ne in istis sit aliquod corpus infinitum ἐπὶ τὴν αὔξησιν, *in augmentum*, videl. quauis eius parte assignata, illud semper augeatur, extendaturque? deinde cum ait. III.

TEXTVS XL. & XLI.



Ogicè igitur speculantibus ex huiusmodi videbitur vtique non esse. Si enim est corporis ratio planitie terminatum, non vtique erit corpus vllum, aut intelligibile, aut sensibile infinitum.

At verò neque numerus sic, vt separatus, & infinitus. numerabile enim est numerus, aut habens numerum: Si ergo numerabile, potest numerari, & pertransire vtique possibile erit infinitum.

Probat non dari corpus infinitum: Ac primò quidẽ λογικῶς *logicè*, duplici ratione in his duobus contextibus: deinde φυσικῶς *physicè*. Quamuis autem in tex. proximè antegresso orationem suam arctauerit ad sola sensibilia, nihilominus hic conuoluit etiam corpus intelligibile, idest Mathematicũ. I.

Primum argumentum est. Ratio, ac definitio corporis est, quod sit terminatum *planitie*, superficie. Sed quod est huiusmodi, non est infinitum, nullum igitur corpus siue sensibile, siue intelligibile fuerit infinitum. Maior suadetur ex ratione trinæ dimensionis. Nam definitio lineæ est, quod terminetur punctis: definitio superficiei, quod terminetur lineis, ergo definitio corporis erit, quod sit terminatum superficie, vt corpus circulare, quod vnica superficie est conclusum, vel pluribus superficiebus, vt habent alia corpora.

Digitized by Google

excedit actiuitatem aeris; fac excedat vt tria. Si verò addam ex aere aliam portionem vt centum, vel vt mille, efficiam totam illam aeris portionem æqualis actiuitatis, & fortasse maioris, quàm erat actiuitas ignis vt decem, quia constat, quod quanto magis augetur quantitas corporis agentis, tanto magis augeatur eius actiuitas. Profectò magis calefacit magnus ignis, quàm scintilla; Si itaque ex aere infinito adhuc multiplico aliam atque aliam portionem in infinitum ad portionem ignis finiti, (quã multiplicationem mirabili septem syllabarum vocabulo ὁσαπλασιονοῦν quasi dicas, *quotquotuplicíter multiplicatus*. expressit) quis non videat, quod corpus infinitum tandem aliquando vincet ex toto corpus finitum, interimetque affatim?

II. Nec te turbet, quod elementa non agunt, neque patiuntur secundum se tota, sed duntaxat secundum extrema, & partes sese mutuo tangentes, cum mixtio fiat per contactum physicum. Istæ autem partes extremæ, tam corporis infiniti, quàm finiti sunt finitæ: Quocirca non videtur sequi, vt corpus infinitum obruat alia finita.

Dicendum est, quod partes iunctæ toti maiori, longè validius agunt, quàm partes corporis minoris, quia agunt secundum virtutem totius, quemadmodum in exemplo de igne apparet;

TEXTVS XLIII.



Numquodque autem infinitum esse, est impossibile. Corpus enim est, quod omnaquaque dimensionem habet. Infinitum autem, quod infinitè extensum est: Quare infinitum corpus vndequaque extensum erit in infinitum.

I. Probat componentia illius mixti non posse esse aut aliqua, aut omnia infinita, huiusmodi argumento. Corpus est τὸ πάντῃ ἔχον διάστασιν, quod omniquaq; siue secundum omnes partes habet extensionem, nempe extenditur & sursum, & deorsum, & ante, & retro, &c. sed infinitum est, quod infinitè extenditur, quare infinitum corpus infinitè extenditur in omnes partes. Quod autem ita extenditur, occupat totum & infinitum locum. ergo si sint duo infinita componentia mixtum, atque alterum illorum occupat infinitè secundum omnes distantias omnem locum, profectò alterum aut debebit penetrare prius infinitum, aut erit infinitum corpus, & nunquam erit: quorum vtrumque est impossibilè.

II. Adde, si sit vnum corpus componens infinitum, vna quidem ex parte illi non posset aliquod corpus addi, cum infinito addi quicquam nequeat: Ex altera verò parte, cum mixtum necessariò debeat ex pluribus componi, priori infinito non modo adderetur aliud quale quale corpus, verum etiam adiungeretur aliud corpus infinitum. Quo fit, vt vtraque essent infinita, & non essent infinita. Impossibile itaque est, dari corpus mixtum infinitum. Deinde cum ait,

TEXTVS XLIV.



T verò neque vnum, ac simplex esse contingit infinitum corpus, neque sicut dicunt quidam, id quod præter elementa est, ex quo hæc generant, neque simpliciter. Sunt enim quidam, qui hoc faciunt infinitum, sed non aerem, aut aquam, ne cætera corrumpantur ab infinito: habent enim ad se inuicem contrarietatem, vt aer quidem frigidus est, aqua verò humida, ignis autem calidus, quorum si vnum esset infinitum, corrupta iam fuissent alia: nunc autem dicunt aliud esse, ex quo hæc sunt.

Pergit alteram confecti syllogismi partem demonstrare, quod scil. non possit dari corpus simplex infinitum. Porrò corpus simplex infinitum gemino modo concipi potest. Aut quod sit vnum quoddam ex quatuor consuetis elementis, seu aer, vel aqua: aut quod sit aliquod aliud præter quatuor elementa, quemadmodum induxit Anaximander, qui quidem imaginatus est quoddam corpus simplex infinitum, medium inter aerem, & ignem, quod esset aere quidem subtilius, igne verò crassius, & illud constituebat principium rerum naturalium: & ex eo etiam ipsa quatuor elementa generabat. Arist. vtrumque expendit. I.

Statuit itaque, neque simpliciter dari corpus simplex infinitum, neque dari tale corpus medium infinitum. Subnectit rationem, qua coactus Anaximander intrusit huiusmodi infinitum, *ne cætera corrumpantur ab infinito*, &c. Quæ huiusmodi est. Quatuor elementa existunt inter se contraria, siquidem *ignis est calidus, aer autem frigidus*, (aerem appellat Aristot. frigidum ex sententia Anaximandri, cuius fuit hæc ratio: ad aures verò Aristotelis aer est humidus & remissè calidus, vt in secundo de ort. & inter ostendit) *aqua autem humida*. Si itaque vnum istorum constituamus infinitum, id sua actiuitate corrumpet reliqua omnia elementa sibi contraria, cum contrarium natum sit corrumpi a contrario: & sic *corrupta iam fuissent alia*. Vt ergo Anaximander hoc incommodum deflecteret, induxit suum illud infinitum, quod contrarietatum esset expers, ne alia absumeret: essetque infinitum, ne in generatione deficeret: & esset *id ex quo hæc sunt*. II.

TEXTUS XLV.



IMpossibile autem est esse tale, non quia infinitum, (de hoc enim commune aliquid dicendum est, de omni similiter & aere, & aqua, & quolibet) sed quia non est tale sensibile corpus, præter vocata elementa. Omne namque ex quo est, etiam resoluitur in hoc. quare esset vtique hic præter aerem, & ignem, & terram, & aquam aliud quippiam: videtur autem nullum.

Reijcit in hoc tex. relatã Anaximandri opinionē
h Et quoniam illa duo asserit, Vnum, quod in natura sit huiuscemodi corpus medium: Alterum, quod sit infinitum. Arist. ait, eam, quantum ad infinitatem refelli ex communi confutatione, cum mox vniuersè ostendatur, nullum corpus simplex esse infinitum. Nunc tamen eandem ita funditus tollit de medio, dum statuit, huiusmodi corpus in natura dari haud posse, quia nullum datur corpus sensibile præter vocata quatuor elementa.

Hoc probat, *omne namque ex quo est, etiam resoluitur in hoc*. Quodcunq; mixtum in ea resoluitur, ex quibus genitum est. Sic cernimus domum resolui in ligna, lapides, cæmenta, ex quibus coagmentata fuit; sic mixta naturalia resolui in elemēta, Quocirca si in natura esset huiusmodi corpus sensibile medium, ex quo tum elementa, tum mixta orirentur, omnia deberent in illud ipsum resolui: Atque in eiusmodi resolutione deberet corpus illud aliquo sensu attingi: Irrationabile quippe est, intrudere in naturã corpus aliquod sensibile, quod tamen nullo vnquam sensu percipiatur. Cum itaque id nullo vnquam experiamur sensu, planè figmentum est illud Anaximandri corpus.

Dices. Omnia fiunt ex materia prima, & in eam
g. ipsam resoluuntur, vt vel ex primo Phys. tex. 82. constat. Nihilominus materia in resolutione rerum nullo attingitur sensu. ergo vel argumentum Philosophi non cõcludit contra Anaximandrum, videl. quia corpus illud non sentitur, ergo non datur: vel concludit, efficit vt neque materia prima admittenda sit in natura.

Occurrendum est, quod longè diuersa est ratio.
H. Nam materia prima est ens potentia tantum: & de se haud est sensibilis: idcircò in nullum per se cadit sensum: corpus autem illud erat ens actu existens, & suapte natura sensibile, sicuti sunt elementa, propterea quemadmodum in resolutione mixti substantialia sensu deprehendimus elementa, in quę illud mixtum abit, videmus enim ex cadauere putrescente effluere humorem, sursum tendere vaporem, terram manere; ita si corpus illud esset in natura, profectò deberemus aliquod illius experiri vestigium.

TEXTUS XLVI. & XLVII.



NEque igitur ignis, neque aliud elementorum quicquam infinitum quid esse potest. Omninò enim & præter id, quod infinitum sit aliquid ipsorum, impossibile est ipsum vniuersum, & si finitum sit, aut esse, aut fieri vnum quid ipsorum, sicuti Heraclitus dicit, omnia fieri aliquando ignem.

Eadem autem est ratio & in ipso vno, quod faciunt præter elementa Physici: omnia namque mutantur ex contrario in contrarium, vt ex calido in frigidum: Oportet autem de omni, & ex his considerare, si potest, aut non potest esse corpus infinitum sensibile.

Patefecit non dari in natura illud Anaximandri corpus sensibile præter quatuor elementa, quod I
esset principium, ex quo orirentur cuncta quæ sunt, & in quod deberent resolui: Addit nunc quod neque potest statui vnum ex quatuor elementis, veluti ignis, aut quicquam aliud, quod vnum sit huiusmodi principium, etiam si illud sit finitum. Vnde adhuc cõfutatur dictum Anaximandri corpus: tum quia, si pro principio rerum vnum elementum finitum statui nequit, ergo multò minus poterit statui illud Anaximandri infinitum; tum quia omnis mutatio debet fieri ex contrario in contrarium: In illo autem vno haud esset vlla contrarietas. Hæc est connexio, & sententia horum duorum contextuum.

Constituit, *neque igitur ignis &c.* quod neq; ignis
valet esse infinitus, neque aliquod aliud quatuor K
elementorum potest statui infinitum. Subdit, *omninò enim & præter id, quod infinitum sit aliquid ipsorum impossibile est, ipsum vniuersum, & si finitum sit*, (mendosè aliqui codic. latin. legunt *infinitum*) *aut esse, aut fieri vnum quid ipsorum*. Sensus est; præterquamquod impossibile est, aliquod elementorum esse infinitum, (vt scil. mox ostendemus) est etiam impossibile, τὸ πᾶν, ipsum totum, siue vniuersum, esse vnum elementorum, aut idem ipsum vniuersum fieri vnum elementorum. Dic clarè. Impossibile est, vt omnia entia, quæ sunt in mundo sint, idest componantur ex vno elemento: & rursus omnia fiant vnum, nempe resoluantur in vnum. Addit exemplum ex opinione Heracliti constituentis pro principio rerum omnium vnum ignem, ac proinde asserentis, omnia esse facta ex igne, & aliquando omnia conuersum iri in ignem.

Quod

Digitized by Google

III. Quod verò sit impossibile statui vnum aliquod elementum, ex quo tanquam ex principio omnia entia componantur, & in quod iterum dissoluantur, duplici ratione potest commonstrari. Vna ex eo colligitur, quia illud vnum, quamuis finitum, nihilominus ob suam præpotentem ac excellentem vim conuerteret omnia in se, vt etiam fatetur Heraclitus. Hinc infert: quid ergo si illud vnum sit infinitum, sicut posuit Anaximander? nonne cuncta in se properè conuerteret ac commutaret?

IV. Altera ratio innuitur in tex. 46. quando dicitur, non posse omnia entia ex vno fieri, & in illud idē redigi: Exprimitur autem in tex. 47. *quia omnia mutantur ex contrario in contrarium*. Sic struc, Mutatio ex sui natura est transitus de contrario in contrarium, veluti ex albo in nigrum, ex calido in frigidum, ex immusico in musicum, vt in primo Physic. a tex. 43. abundè ostensum est: Sed posito vno elemento pro principio, non esset huiusmodi transitus de contrario in contrarium, cum illud vnum haud posset in se huiusmodi contrarietatem continere, quare posito illo vno nulla esset mutatio: ac proinde non possent entia ex illo vno generari, neque in illud idem corrumpi. Nam generationes, & corruptiones sunt mutationes.

V. Hanc demonstrationem applicat in tex. 47. corpori illi ab Anaximandro constituto, inquiens, *eadem autem est ratio & in ipso vno, quod faciunt præter elementa Physici*.

Cum hæc in particulari de illo Anaximandri corpore, & de igne, & alio quouis elemento exagitasset deducit disputationem ad vniuersalius, & proponit ostendendum alia demonstratione vniuersaliter non posse vllo pacto dari corpus sensibile infinitum, siue illud sit simplex, siue mixtum. Et hoc proponit in tertia parte tex. 47. illis notis, *oportet autem de omni, & ex his considerare, si potest, aut non potest esse corpus infinitum sensibile*. Vnde illa verba, *& ex his*, non referuntur ad ea quæ dicta sunt, vt communiter perperam exponuntur, sed ad ea quæ sequuntur.

TEXTUS XLVIII.



Vod autem omninò impossibile sit, esse corpus infinitum sensibile, ex his manifestum est. Aptum est enim natura omne sensibile alicubi esse: atque locus est aliquis vniuscuiusque: & idem est partis, ac totius, vt totius terræ, & vnius glebæ, & ignis, atque scintillæ. Quare si sit eiusdem speciei, aut immobile erit, aut semper mouebitur. Atqui impossibile est. Cur enim magis deorsum, quàm sursum, aut quouis? dico autem, vt si gleba sit, quonam hæc mouebitur, aut vbi manebit? locus enim infinitus erit congeneris corporis. Vtrum igitur occupabit totum locum? & quomodo? Quæ igitur, & vbi quies, & motus ipsius? An vbique manebit? non igitur mouebitur. an vbique mouebitur? non ergo stabit.

I. Demonstrauit hucusque ex qualitatibus actiuis & passiuis non posse dari corpus vllum infinitum: Nunc alia demonstratione a proprijs corporum naturalium locis accepta id idem commonstrat.

Iacit autem prius tria fundamenta. Vnum est, quod *omne* corpus *sensibile alicubi est*. Ait corpus *sensibile*, quod perinde est ac naturale, ad differentiam corporis Mathematici, quod porrò vt sit, nullum exposcit realem locum, sed est solum ex abstractione. Alterum est, quod *est aliquis locus vniuscuiusque*. videl. omne corpus naturale habet locum aliquem sibi proprium ac naturalem, in quem naturaliter fertur, & in quo naturaliter itidem conquiescit. Tertium, quod *idem est locus partis, & totius*: veluti tota terra deorsum suapte natura manet, sic gleba, & quæuis terræ pars in eundem locū deorsum naturaliter fertur, & ibi conquiescit. Ita quò totus ignis fertur, eòdem tendit & scintilla.

II. His iactis, sic erigit demonstrationem. Si datur aliquod corpus sensibile actu infinitum, illud sanè aut erit corpus similare, aut dissimilare. Neutrum potest dari, ergo nullum. De similari, (quod vocat ὁμοειδές vniforme, siue eiusdem formæ, siue eiusdem speciei; iam partes corporis homogenea ac similaris sunt eiusdem naturæ ac speciei, cum toto) ostendit in hoc tex. de dissimilari autem, quod appellat ἀνόμοιον, dissimile, probat in tex. sequ. Si datur corpus naturale similare actu infinitum, sequitur, partem ab eo diuulsam, nec posse vllo pacto moueri, nec posse vllo pacto quiescere. Hoc est impossibile, quia prius tollit a rebus naturalibus motum; posterius autem tollit ab ijsdem quietam proindeque vtrumlibet funditus euertit naturam, quæ est principium motus, & quietis.

III. Consecutionem probat. Sit corpus sensibile similare actu infinitum, V.G. graue, veluti terra: illud procul dubio esset in loco, iuxta primum, & secundū fundamētum. Tunc accipio ex illo corpore glebam, & ostendo illam haud posse vllo vnquam pacto moueri. Nam si moueretur, deberet moueri ad locum sui totius, ex tertio fundamento: Sed locus totius congenei, ex æquo est & sursum, & deorsum, & ante, & retro, & omniquaque, quia illud corpus est actu infinitum, atque adeò occupat omnes omninò distantias loci, ergo illa gleba non magis inclinabitur ad locum sursum, quàm ad locum deorsum, aut ad latera. Cur enim potius ad vnum, quàm ad alium locum inclinabitur, aut mouebitur? & *cur magis deorsum, quàm sursum, aut quouis*? ad nullum igitur vllo modo mouebitur.

Quod verò neque posset quiescere, ostendit, quia locus naturalis dictæ glebæ est totum spacium

totius

Digitized by Google

partius corporis actu infiniti, si idem est locus partis, & totius: ergo cum illud spacium sit infinitum, dicta gleba non magis quiescet hic, quàm illic, aut alibi. nunquam igitur quiescet.

Deinde cum ait, *vtrum igitur* καθέξει τὸν ὅλον τόπον; *continebit totum locum*? quasi solutioni cuidam
IV. occurrens, noua ratione perstringit aduersarium. Fortasse, inquit, dices, quod gleba illa continebit totum locum, idest, occupabit successiuè totum illum locum. Reijcit. *& quomodo*? Quo vnquam pacto gleba pertransibit infinitas spacij partes? Infinitum enim impossibile est pertransiri: Natura verò nunquam tentat, quod impossibile est. *Quæ igitur & vbi quies, & motus ipsius*? An in quacunque illius spacij parte indifferenter quiescet? non itaque mouebitur vnquam. An in quacunque parte mouebitur? non ergo stabit.

TEXTVS XLIX.



SI verò dissimile sit ipsum totum, dissimilia & loca erunt. Et primùm quidem non vnum corpus vniuersi est, nisi tangenda. deinde, aut finita hæc erunt, aut infinita specie. Atque finita quidem non esse possunt; erunt enim alia quidem finita, alia verò non, si totum infinitum est, vt ignis, aut aqua: corruptio autem tale contrarijs esset, sicut dictum est prius. Et propter hoc nullus eorum, qui de natura dixerunt, vnum & infinitum ignem fecit, aut terram, sed aut aquam, aut aerem, aut eorum medium; quoniam locus vtriusque manifestus erat, determinatusque: hæc autem vtroque participant, & eo quod sursum, & eo quod deorsum. Si autem infinita, & simplicia sunt, & loca infinita, & infinita elementa erunt. Si verò hoc impossibile, & loca finita sunt, & totum finitum esse necesse est. Impossibile enim est non æquari locum, & corpus: neque enim locus omnis maior est, quàm quantum contingit corpus simul esse: Simul autem neque infinitum erit corpus, neq; corpus maius quàm locus; aut enim vacuum erit aliquid, aut corpus, quod nusquam aptum natura est esse.

Probat in hoc tex. alteram argumenti partem,
I. quod scil. dari nequeat corpus sensibile dissimilare actu infinitum. Et in tea, ita potissimùm facit. Ponit vnum fundamentum, & duas rationes. Ac primò quidem appellat corpus illud ἀνόμοιον, dissimile, quod videl. continet partes non eiusdem speciei, cuiusmodi erat in tex. præced. corpus similare: sed habet partes diuersas ac dissimiles secundum speciem.

Accipit itaque, quod si illud infinitum *totum est dissimile, erunt & loca dissimilia*. Ratio in promptu est, quia huiuscemodi corpus constat ex partibus specie diuersis: Atque istæ partes sunt simplices, vt hic in secunda ratione asseritur: quare exposcent loca specie dissita ac diuersa: Quippe manifestum est, corpora naturalia simplicia specie diuersa, efflagitare diuersa loca, vt alius est locus aquæ, alius terræ.

Tunc prima ratio sic eruitur. Vnum corpus habet vnum specie locum: Illud corpus dissimile non habebit vnum specie locum, sed diuersa, cum dissi- II.
miles illius partes exigant dissimilia ac diuersa loca, quare illud non erit vnum corpus, sed solummodo erit secundum contactum, videl. erit quædam multorum corporum coagmentatio. ergo malè illius opinionis auctores dicunt, quod ipsum totum, & infinitum est vnum corpus.

Imo verò sequitur, nullum eorum quæ præfatum corpus componunt, esse actu infinitum: quia ea quæ sunt loco terminata, minimè sunt infinita: Dicta componentia essent loco terminata, cum se tangerent. quare illa non essent actu infinita. *Et propter hoc nullus eorum, qui de natura dixerunt, ipsum vnum, & infinitum ignem fecit, aut terram, sed aut aquam, aut aerem, aut eorum medium.* (Sic annecto hæc verba, quæ vsqueadeo turbarunt interpretes, vt plerique suspicati sint, aut ea non esse germana Aristotelis, aut sanè esse transposita: sed immeritò ita suspicantur.) ecce ratio, quia quæ sunt loco determinata, non sunt infinita, vt de partibus corporis dissimilis dicebamus: *locus autem vtriusque* id est terræ, & ignis, *manifestus erat, determinatusque* propterea nihil istorum constituebatur esse ipsum vnum, & actu infinitum; Aer autem, & aqua, *vtroque participent, & eo quod sursum, & eo quod deorsum*. Sunt enim grauia, & leuia secundum quid, vt in lib. quarto de cælo explicatur, ideo &c.

Secunda ratio, *deinde aut finita hæc erunt*, &c.
Si illud corpus constat ex partibus specie dissimilibus, istæ partes aut sunt *specie finitæ*, V. G. quatuor, aut sex, aut decem diuersarum specierum, aut sunt *specie infinitæ*. Si finitæ, aut etiam omnes sunt mole finitæ, & hoc est impossibile, quia ex rebus numero, & quantitate finitis, nequit aliquod actu infinitum consurgere. Erit ergo necessarium, aliquam illarum partium accipi mole, & quantitate infinitam. Hoc autem posito, sequitur, vt illa pars infinita *fit corruptio contrarijs*, corrumpat ac destruat alias partes, ob infinitam actiuitatem, sicut in tex. 42. dictum est. Si autem dictæ partes constituantur infinitæ secundum speciem, id est, quæ sint diuersæ species actu numericè infinitæ, cum debeant esse simplices, (debent enim componere illud totum) necessariò sequitur, & loca earundem esse secundum speciem infinita, & esse elementa numero infinita. At impossibile est, reperiri loca specie infinita, cum impossibile sit inuenire infinitas locorum differentias: Et impossibile etiam sit, esse elementa numero infinita, quemadmodum in primo Phys. abundè patefactum est, quare impossibile erit

Digitized by Google

se erit dictas partes componentes esse *specie* infinitas. Adde, quod si illa componentia & elementa sunt numero infinita, iam præfati auctores sibi ipsis contradicunt. Hinc quippe iactitant, se constituere vnum, ac infinitum rerum principium. Hinc verò ponerent non vnum, sed infinita principia, quæ illud vnum constarent.

Quod verò si sint corpora infinita, loca quoque
IV. debeant esse infinita, probat, *impossibile enim est, non æquari locum, & corpus*. Fieri nequit, quin locus, & corpus locatum sibi inuicem adæquentur, adeo vt neque locus locatum excedat, neque ab eo excedatur: Quam quidem adæquationem ex eo confirmat, quia si locus sit maior quàm corpus, *erit aliquid vacuum*: erit vacuum in ea parte, in qua non esset corpus. Si verò corpus sit maius, sequitur, aliquam eius partem nullo esse in loco: ac proinde *dabitur corpus, quod natura aptum sit nusquam esse*. Vtrumque autem est impossibile, ergo &c.

TEXTVS L.

ANaxegoras autem inconuenienter dicit de infiniti mansione; firmare enim ipsum se ipsum dicit infinitum; hoc autem, quia in se ipso est, (aliud enim nihil continet) tanquam vbi vtique aliquid sit, ibi aptum natura sit esse. Hoc autem non est verum: erit enim vtique quicquam alicubi vt, & non vbi aptum natura est esse.

Dixit de loco infiniti in proximo tex., & in præced.
I. de motu, & quiete, siue de mansione partis in loco infinito: refert nunc opinionem Anaxagoræ circa quietem, siue mansionem infiniti: eamq; in hoc, & duobus sequentibus contra, redarguit.

Aiebat Anaxagoras dari actu infinitum, videl. infinitam corporum similarium miscellam; atq; eam esse immobilem, quia *ipsum infinitum se ipsum* στηρίζει *firmat*, seu *fulcit*. Hoc autem ideò fit, quoniam illud infinitum non erat in loco, cum extra illud nullum adsit aliud corpus, quod *ipsum contineat*. ed degat, aa maneat in se ipso. Nec aius immobilitatis aliam rationẽ Anaxagoras adducebat, nisi *quia vbi aliquid est, ibi aptum natura est esse*. Cum itaque infinitum sit in se ipso, seque in se ipso firmat, ibi est aptum esse, & non alibi, ideoque manet immobile.

Arist. ait, eum inconuenienter hanc infiniti man-
III. sionem sancire: & rationem sui asserti haud rectè assignare. Falsum quippe est, & quod vbi aliquid est, ibi aptum natura sit esse. Siquidem erit quippiam alicubi, vbi sua natura non est aptum esse, sed per vim ac violentiam detineatur.

TEXTVS LI.

SIigitur quammaximè non mouetur totum,) quod enim in se ipso firmatur, & in se ipso est, immobile esse necesse est) cur tamen non aptum natura sit moueri, dicendum erat. Non enim satis est sic dicentem euadere: erit enim vtiq; & quodlibet aliud non motum, sed aptum natura esse nihil prohibet, quoniam & terra non fertur, neque si infinita esset, coercita tamen a medio, sed non quia non est aliud quo feratur, manebit in medio, sed quia non est apta natura sit; Sed tamen licebit vtique dicere, quod firmat se ipsam. Si igitur neque in terra hæc causa est, existente infinita, sed quia grauitatem habet, (graue autem manet in medio: terra autem in medio est) similiter & infinitum manet vtique in se ipso propter aliam quandam causam.

Carpit eundem Anaxagoram, quod sui dicti, non attulerit rationem, quam tamen afferre tenebatur, I.
& ait: Quamuis quammaximè illud totum Anaxagoræ infinitum actu non moueatur; demus hoc: *quia se ipso firmatur, & in se ipso est immobile*: nihilominus afferenda illi erat causa, cur illud non sit natura aptũ moueri? Quippe non valet, ab actu ad aptitudinem. Neque satis est, οὕτως εἰπόντα ἀπαλλάχθαι, euadere, & aufugere, cum ita locutus sit. Et subnectit rationem, *erit enim vtique & quodlibet aliud &c*. Nihil, inquit, prohibet, quominus quoduis aliud ens naturale, actu quidem nõ moueatur, tamen sit natura aptum moueri. ergo similiter etiamsi illud Anaxagoræ infinitum actu non moueatur, potest tamen esse, vt sit sua natura aptum moueri; reddenda igitur Anaxagoræ erat ratio, cur non sit aptum moueri.

Rem exemplo illustrat. *Terra non fertur*, sed II.
in medio Vniuersi sistit firma atque immobilis: & si illa esset infinita, adhuc non ferretur εἰργαίνη μέντοι ἀπὸ τοῦ μέσου, cohibita vtique a medio. Tunc si a quoquam interrogaremur, cur terra est immobilis? non rectè responderemus, quod propterea *manet in medio*, immobilis, *quia non est aliud, quo feratur*, quia videl. est infinita, & non habet quo moueatur, sed dicemus, eam non moueri, *quia non est apta natura sit*, moueri. Atq; cuius rei verius rationẽ reddimus, quia terra est grauis: graue autem manet in medio: ob id *terra in medio est*. Si igitur in terra, data infinita, causa quietis, seu immobilitatis non est infinitas, sed alia, nempe eius grauitas; consimili ratione, & infinitum manet in se ipso immobile non propter infinitatem, sed *propter aliã quandam causam, & non quia infinitum est, & firmat ipsum se ipsum*, quod cum Anaxag. non reddiderit,

derit, iure carpendus est; Vrget eundem alia ratione cum ait.

TEXTVS LII.



Simul autem manifestum est, quod & quamlibet oportebit partem manere: vt enim infinitum in se ipso manet se ipsum firmans, sic & quæcumque accipiatur pars in se ipsa manebit: totius enim, & partis eiusdem sunt speciei loca, vt totius terræ, & glebæ deorsum, & totius ignis, & scintillæ sursum: quare, si infiniti locus in se ipso est, & partis idem erit: manebit igitur in se ipsa.

Compellit eundam Anaxagoram ad aliud absurdum, I. quod sicut contendit infinitũ illud suũ esse immobile, ita fateatur necesse sit, quamlibet illius infiniti partem esse immobilem. Quod ita probat. Ideo, iuxta Anaxag. infinitum est immobile, quia in se ipso manet, ipsum se ipsum firmans: At quælibet etiam eius pars in se ipsa manet, seque ipsam firmat. ergo quælibet eius pars erit immobilis.

Minorem ex eo ostendit, quia idem est locus secundum speciem totius, & partis, vt locus totius terræ, & glebæ est esse deorsum, & locus totius ignis, & scintillæ est esse sursum. Sed locus totius infiniti est esse in se ipso, quare & locus partis erit esse in se ipsa. *Hæc enim,* videl. esse, siue manere in se ipso, erit idem locus specie, quemadmodum manere sursum, est idem locus specie, & manere deorsum est itidem alius locus specie. ergo qualibet dicti infiniti pars *manebit in se ipsa*: & se ipsam firmabit.

Quod si dederis, quamlibet illius infiniti partem II. esse immobilem, statim euertis omnem motum; ac proinde naturam ipsam. Deinde eò delaberis, vt velis, nolis, concedas, causam immobilitatis in infinito haud esse infinitatem, & mansionem in se ipso, cum pars illius non sit infinita: & nihilominus abs te admittitur immobilis. Vbi hæc aduersus Anaxagoram interseruit, redit ad principalem quæstionem de infinito, & addit Arist. aliam demonstrationẽ depromptam ex locis simul, & inclinatione corporum naturalium ad eadem loca, id est, ex grauitate, & leuitate.

TEXTVS LIII.



Omninò autem manifestum est, quod impossibile est, simul infinitum dicere corpus; & locum quendam corporibus esse, si omne corpus sensibile, aut grauitatem habet, aut leuitatem: &, si graue quidem est, ad medium habet lationem natura, si verò leue, sursum: necesse est enim & infinitum corpus. Impossibile autem est, aut totum vtrumlibet, aut dimidiatum, vtrumque pati. Quomodo enim diuides, aut quomodo infiniti erit, hoc quidem sursum, illud verò deorsum, aut vltimum, aut medium?

Inculcat, omninò esse manifestum, quod nullo pacto corpus infinitum actu dari queat. Pro erigenda verò demonstratione, tria accipit, etiam a I. Vrteribus concessa, Vnum, quod *est quidam locus corporibus*. Profectò locus, & locatum adæquantur, & reciprocantur. Ita ostensum est supra tex. 49. & ostendetur etiam in quarto lib. huius operis. Alterũ, quod *omne corpus sensibile habet aut grauitatem, aut leuitatem*: ratione cuius inclinatur in suum locum, & in eo quiescit. In quo quidem asserto Arist. non respicit cælestis corpus, quod porrò nec graue, nec leue existit, quemadmodum in primo de cælo a cap. 2. demonstrat, quia nunc cum ijs edisserit, qui cælum ab elementis substantia non secreuerant: & ipse hucusq; nondum oppositum probauit. Tertium, *graue est, quod natura habet lationem ad medium: leue autem sursum*. hoc & Aristot. explicat lib. nunc inducto, & sensus ipse contestatur.

Tunc colligit demonstrationem, *necesse autem est & infinitum corpus esse tale*. Omne corpus sensibile II. habet aut grauitatem, aut leuitatem, ratione cuius in suum locum inclinatur, & in eo degit. ergo si daretur corpus actu infinitum, illud deberet habere aut grauitatem, aut leuitatem, ratione quarum profectò esset in aliquo loco. Sed impossibile est, eas habere. ergo impossibile est dari corpus sensibile actu infinitum.

Minorem probat: *impossibile autem est*, ἢ ἅπαν ὁποτερονοῦν, *aut omne*, siue, *totum vtrumlibet*. idest, impossibile est, vt illud corpus infinitum totum sit graue, aut totum sit leue. Pari pacto, impossibile est, ἢ τὸ ἥμισυ ἑκάτερον πεπονθέναι, *aut dimidium vtrumque pati*, quod nimirum dimidium illius infiniti sit graue, & dimidium leue. Cur? *quomodo enim diuides* illud infinitum? aut quomodo vna illius pars *erit sursum, alia deorsum*? aut quomodo erit in illo *vltimum, aut medium*?

Quæ quidem illationes conspicuæ sunt. *Ac primò* quidem si totum illud infinitum esset graue, III. quo rueret, aut quis esset eius locus? *Si verò leue*, quo tenderet? Vel sanè si esset graue, aut leue, & non moueretur, esset præter naturam detentum. Præterea, corpus graue tendit ad medium: medium est vna determinata loci differentia: determinatio autem repugnat infinito, cum infinitum sit vsquequaque indeterminatum. ergo &c.

Deinde, quomodo illud posset diuidi? Nam illa, in quæ diuideretur, aut essent finita, aut infinita. Si finita, ergo conflatum ex ijs non erat infinitum. Si infinita, ergo non vnum, sed plura infinita intruduntur pro principio.

Ad hæc, quomodo vnius atque eiusdem corporis vna quidem pars esset grauis, ac deorsum, alia verò leuis ac sursum? Et quod caput est, quomodo in illo infinito possemus assignare medium, aut vltimum?

mum : quandoquidem medium dicitur respectu primi, & vltimi: infinito autem hæc repugnant. Quæ omnia si absurda ac impossibilia sunt, summa cum ratione incomparabilis vir Stagirites ait, *omninò esse manifestum, quod impossibile est corpus infinitum actu*:

TEXTVS LIV.



Amplius omne corpus sensibile in loco est: loci verò species, & differentiæ sunt sursum, & deorsum, ante, & retro, dextrum, & sinistrum: atque hæc non solum ad nos, & positione, sed & in ipso toto determinata sunt: impossibile autem est, in infinito hæc esse.

Annectit aliam rationem desumptam ex princi-
I. pio in tex. præced. accepto, & ab antiquis etiam cõcesso, quod *omne corpus sensibile est in loco*; & ex differentijs loci, quæ ratio sic struitur. Omne corpus sensibile est in loco. Sed si daretur corpus sensibile actu infinitum, illud porrò non esset in loco. Quod probat; Loci species, & differentiæ sunt sex; sursum, & deorsum; ante, & retro; dextrum, & sinistrum: ac proinde omne quod est in loco, omninò debet esse in aliqua determinata ex his differentijs. Sed hasce loci species ac differentias *impossibile est in infinito esse*. Quid ita? quia omne quod est in aliqua determinata loci differentia, est finitum: si igitur daretur corpus actu infinitum, aut dicendum, quod illud non esset in loco; aut si esset in loco, non esset infinitum.

Diceret aliquis: Dari actu infinitum, nec sequi,
II. quod esset in aliqua determinata loci differentia, quoniam huiusmodi loci discrimina sunt tantum, πρὸς ἡμᾶς, καὶ θέσει, *ad nos, & positione*, perinde atq; columna dicitur dextra a dexteritate V. G. mea. iccircò haud esse exigendas etiam in infinito has differentias.

Occurrit Arist. quod præfatæ loci differentiæ, *non solum sunt quo ad nos, & positione, sed & in ipso Vniuerso determinatæ*. Ita ostenditur in lib. quarto: Vnde etiam in secundo de cælo a tex. 13: ex loci differentiæ collocantur in cælo, de qua re eo loci dixi.

TEXTVS LV.



Simpliciter autem, si impossibile est locum esse infinitum, in loco autem est omne corpus, impossibile est infinitũ esse corpus aliquod. At verò quod alicubi est, in loco est, & quod in loco, alicubi. Si igitur neque quantum possibile est ipsum infinitum esse, (quantum enim aliquod erit, vt bicubitum, aut tricubitum; hæc enim significat ipsum quantum) sic & in loco, quod alicubi. Hoc autem est aut sursum, aut deorsum, aut in aliqua alia distantia earum, quæ sex sunt: horum autem vnumquodque terminus aliquis est.

Apponit pro hac parte vltimam, eamque pulcherrimam rationem, quæ sic potest colligi. Si datur I.
corpus naturale actu infinitum, necessariò debet dari & locus infinitus, *cum omne corpus sit in loco*: & locus ac corpus locatum inter se se debeant æquari, alioquin aut daretur vacuum, aut daretur corpus sine vllo loco, vt in tex. 49. deducitur. Sed *impossibile est, locum esse infinitum*: quare impossibile quoque est, esse corpus actu infinitum.

Quod non sit locus infinitus, probat. Nihil est
in aliquo genere, quod non sit in vna aliqua de- II.
terminata specie illius generis: Sicuti nihil est in genere animalis, quod non sit in aliqua determinata illius specie; aut homo, aut equus, aut canis, &c. Ita nihil est in genere coloris, quin sit aut album, aut nigrum, aut cæruleum, aut id genus aliud. Imò verò nihil generis, & speciei in natura existit, nisi sit hoc aut illud indiuiduum sub illo genere, & sub illa specie collocatum. Cuius quidem asserti ratio in manu est, quia genera, ac species sunt vniuersalia: Vniuersalia verò per se nequaquam existunt, siquidem *animal vniuersale aut nihil est, aut posterius*, ex primo de Anim. tex. 8. Sed locus est quiddam cõmune, & genericum; hic autem, aut ille locus, nempe locus sursum, deorsum, ante, retro, &c. sunt species loci. quare impossibile est, esse locum, quin sit locus *aut sursum, aut deorsum, aut in alia aliqua distantia earum, quæ sex sunt*. Subsume vlterius; Sed omnis species est determinata, & finita, & vt Auctor loquitur in calce tex. *horum vnumquodque terminus aliquis est*. ergo omnis locus est determinatus & finitus.

Ita de corpore quoque locato potest confici. Omne corpus est alicubi, siue in aliquo loco: Omnis locus est contractus per aliquam speciem loci: species loci sunt determinatæ, quare omne corpus est in loco determinato: ac proinde nullum est corpus actu infinitum.

Primam præcipui argumenti propositionem, III.
quod scil: nihil est in genere, quod non sit in vna

aliquæ eius specie; primò Arist. indicat in ipso loco; deinde declarat exemplo Quanti; demum applicat. Indicat consueta sua dicendi angustia. ἀλλὰ μὴν τόγε ποῦ, ἐν τόπῳ, καὶ τὸ ἐν τόπῳ, ποῦ. Quæ verba latinè sic leguntur, *At verò quod alicubi est, in loco est, & quod in loco, alicubi*. Verbatim sic melius. *Atqui ipsum alicubi, in loco; & ipsum in loco, alicubi*. Sic accipio. τόγε εἶναι ποῦ, ipsum esse alicubi, siue ipsum quod est esse alicubi, (& hic intelligo locum communem, & genericum,) ἐστὶν εἶναι ἐν τόπῳ, est esse in loco, nempe in loco per speciem contracto, & determinato: Et vicissim καὶ τὸ εἶναι ἐν τόπῳ, & ipsum esse in loco alicuius speciei, & determinato, ἐστὶν εἶναι ποῦ, est esse alicubi. inferiora enim sunt in superioribus.

IV. Exemplum est. *Si igitur neque quantum possibilè est ipsum infinitum esse*. Nequit infinitum statui esse quantum, (hoc est aliquid commune & genericum.) quid ita? ποσὸν γάρ τι ἔσται, *quia quantum quid erit*, quoniam illud debebit esse *quid*, videl. particulare, contractum in aliqua specie quanti, & debet esse indiuiduum; siquidem indiuidua existunt. Quod adhuc explicat, *vt bicubitum, aut tricubitum: hæc enim significat ipsum quantum*.

Demum applicat. *Sic & in loco, quod alicubi*. Quibus ita peractis, imponit huic parti coronidem, *Quod igitur actu non sit corpus infinitum, manifestũ est ex his*. Vbi solicitè apponit *actu*, quam vocem inter disputandum in textibus præcedentibus sæpe omiserat.

CAPVT VI.

Dirimitur quæstio de infinito, explicando qua ratione datur, & qua non datur infinitum.



Bi Philosophus inter res arduas, ac maximè controuersas versatur, ad duas potissimùm distinctiones confugere consueuit, quarum Altera est, *per se, & per accidens*: Altera, *actu, & potentia*. Porrò vt necessitas adhibendæ distinctionis appareat, solet plerumque vtraque ex parte excitare difficultates, vt vel in primo lib. Phys. auscult. tex. 41. 51. & 53. videre licet. Sic in præsenti argumento, induxit in tex. 31. quinque rationes, quibus suaderi videbatur, esse quippiam infinitum: Deinde a tex. 35 vsque ad 55. demonstrauit, non dari actu infinitum: Nunc reuocatis adhuc nonnullis scrupulis pro priori parte, tandem adhibita distinctione de infinito actu, & infinito potentia, pugnantia conciliat, animos sedat, & vt cum Lucr. dicam,

Fluctibus e tantis verum, tantisque tenebris
In tam tranquilla, & tam clara luce reponit.

TEXTVS LVI.



Vod verò si non sit infinitum simpliciter, multa impossibilia accidunt, manifestum est. Temporis enim erit quoddam principium, atque finis. Et magnitudines non erunt diuisibiles in magnitudines. Et numerus non erit infinitus. Cum autem determinatis sic neutra ex parte videatur fieri posse, arbitrario iudice est opus: Atque manifestum est, quod quodammodo quidem est, quodammodo verò non est. Dicitur autem ipsum esse aliud quidem potentia, aliud verò actu. Et infinitum est quidem appositione, est etiam & ablatione: magnitudo autem quod secundum actum quidem non sit infinita, dictum est: diuisione autem est. non enim difficile est tollere indiuiduas lineas:

In tex. tria facit. Primùm ait, quod ex altera parte, si constituamus omninò non dari infinitum, multa obtingunt impossibilia: Recenset autem tria. I.
Vnum est, quod tempus habebit initium, & finem. Hoc verò aduersatur ijs, quæ in octauo huius operis lib. de æternitate motus ac temporis patefacta sunt, & est etiam contra omnes antiquos; *nam de ipso quidem tempore, præter vnum, concordes esse videntur omnes, ingenitum enim esse dicunt: Plato verò ipsum generat solus*, vt legimus in tex. 10. lib. nunc commemorati.

Alterum, si omninò non est infinitum, sequitur, magnitudines haud esse diuisibiles in alias atque alias vsque in infinitum; sed deueniendum esse ad magnitudines indiuisibiles Democriti, de quibus tum alibi, tum in primo de ort. & inter tex. 8. & 9. Ac proinde non posset linea in partes æquales secari, quod est contra fundamentum Geometriæ.

Tertiũ, accidet, vt numerus nequeat in infinitum augeri, Hoc autem apertè stat contra positiones Arithmeticas. Si itaque hæc incommoda vitari debent, non est negandum simpliciter infinitum.

Dein subdit, quod cum res propter rationes dictas vtrimque sic vigeat, διαιτητοῦ δεῖ. (Sic legunt II.
multi codices græci etiam antiqui) *arbitro*, siue, *moderatore opus est*. Argirop. verba fundens, vtrumque coniunxit, *arbitro moderatoreque opus est*. Alia lectio græca, quam etiam sequitur codex Parisien. & communiter alij, habet, διὰ τοῦτο δὴ *propterea sanè*. vt sensus sit, cum vtraque ex parte res vigeat, *propterea sanè* (& statim subdit diuisionem) *& manifestum est, quod quodammodo quidem est, quodammodo*-

Google

modo verò non est. Mihi intimius prior lectio arridet. Primò, quoniam est optima metaphora, nam inter partes litigantes erant διαιτηταὶ moderatores, qui litem dirimebant; sic Athenis litium compositores appellabantur. Deinde, posterior lectio reddit locutionem distortam, *propterea sanè & manifestum est*. Saltem dixisset, propterea manifestum est. Quid si dicam, vtramque lectionem esse mendosam; & legam, διαιρέτου δεῖ diuisore, siue distinguente opus est: ac si dicat Arist. propterea hic oportet distinguere: Idcircò statim subnectit diuisionem, *& manifestum est*, quod infinitum *quodammodo quidem est, quodammodo verò non est*, Quæ est eius conclusio, quam explicat sequentibus verbis. *Dicitur autem ipsum esse aliud* &c. Esse, inquit, aliquid, contingit dupliciter: vel actu, vel

III. potentia: Sic & de infinito cogitandum est, quod datur infinitum potentia: non datur infinitum actu. Priorem partem exprimit illis notis, infinitum est quidem προσθέσει, *additione*, siue *appositione*: & est etiã ἀφαιρέσει ablatione. Appositione quidem in numero, qui in infinitum crescere potis est: Ablatione verò in magnitudine, quæ itidem in infinitum diminui potis est: Posse autem augeri, & posse diminui, potentia sunt. Posteriorem verò partem, quod non sit infinitum actu, exprimit inquiens, *magnitudo autem, quod secundum actũ quidem non sit infinita, dictum est*.

At posset quispiam dicere, in diuisione magnitudinis haud est progressus in infinitum, sed deuenitur tandem ad aliqua indiuisibilia, veluti in diuisione lineæ deuenitur ad lineas insecabiles, quæ videl. vlterius secari ac diuidi nequeunt.

IV. Occurrit Arist. in calce tex. *Non enim difficile est tollere indiuiduas lineas*. Huiuscemodi lineæ indiuisibiles minimè dantur: neq; multi laboris est, eas euertere, vt re ipsa euertit in sexto huius operis lib. dum seorsũ patefacit, nullum continuum componi ex indiuisibilibus. Extat etiam inter Aristotelis opera libellus *de insecabilibus lineis*, qui portò, siue sit legitimus Stagiritæ, siue Theophrasti, vt multi credunt, huiusmodi lineas planè refellit atq; apertis incommodis, quæ eas consequuntur, demonstrat, lineam, & omnem omninò magnitudinem esse diuisibilem in semper diuisibilia. Demum Arist. repetit clarius. *relinquitur igitur potentia esse ipsum infinitum*.



TEXTVS LVII.



On oportet autem quod potentia est, accipere, quemadmodum, si potest hoc statua esse, quod & erit hoc statua, sic & infinitum aliquod, quod erit actu; sed quoniam multipliciter dicitur esse, quemadmodum dies est, & certamen ex eo, quia semper aliud, & aliud fit, sic & infinitum. etenim in hoc est & potentia, & actu esse. Olympia enim sunt ex eo, quia potest certamen fieri, & ex eo, quia fit. Aliter autem & in tempore manifestũ est ipsum infinitum, & in hominibus, & in diuisione magnitudinum; omninò enim sic est infinitum vt semper aliud atque aliud accipiatur, & acceptum quidem semper finitum sit, sed semper alterum, atque alterum.

Constituit dari infinitum potentia: At confestim I.
quispiam diceret. Illa potentia reducitur ad actũ: alioquin inanis est. ergo erit infinitum actu. Idcircò explicat Arist. in hoc tex. quænam sit illa potentia, in qua asserimus esse infinitum: Deinde incipit comparare inter se aliqua infinita.

Ait itaq; ea quæ sunt in potentia, *esse multipliciter*, & ponit duos modos. Quædam sunt, quorũ II.
potentia valet tota simul reduci ad actum, atque expleri: Ita semen V. G. hominis est potentia homo, & semen equi est potẽtia equus, & marmor *hoc potest statua esse, quod & erit hoc statua*. Quædã autem sunt in potentia, quæ tota simul reduci ad actũ non queunt, sed reducuntur solummodo successiuè, ita vt aliquid illius potẽtiæ fiat actu, nec tamen dicta potentia exhauriatur; sed remaneat ad alium atq; alium vlteriorem actum, & vt Auctor loquitur, *in hoc est & potentia, & actu esse*. Sicut in tẽpore est simul & potentia, & actus. Est quidem actus, nempe præsens dies; est potentia, quia potest alius atq; alius dies succedere: Et Olympia, scil. decantata illa certamina, dicuntur & quæ actu fiunt, & quæ possunt fieri. His ita constitutis, ait, infinitum esse in potentia non quidem primo modo, sed secundo: propterea nunquam erit infinitum actu.

Deinde cum subdit: *aliter autem & in tempore manifestum est ipsum infinitum* &c. Comparat in III.
finitum, quod est in tempore, & infinitum, quod est in perpetua hominum generatione, & infinitum, quod est in diuisione continuorum: quæ quidem infinita in aliquo conueniunt & in aliquo dissident. Conueniunt in duobus. Primò, quia pars quæ in omnibus hisce accipitur, finita est: siquidem & dies in tempore, & homo in infinita generatione, & pars decisa in cõtinuo finita sunt. Conue-

niunt secundò, quie ex his omnibus semper potest aliud atq; aliud accipi: semper etenim potest succedere alius ac alius dies, & samper gigni alius etqi alius homo, iacta mundi æternitate.

Dissident entem, quia pars actu accepte in tempore est successiua: nec vllo pacto actu perseuerat, sed transit: pars verò in hominum generatione, & in diuisione magnitudinis accepta, per se manet.

Conuenientiem quidē ponit in vltima parte tex. cum ait, *omninò enim sic est infinitum, vt semper aliud atque aliud accipiatur, & acceptum quidem semper finitum sit, sed semper alterum, atque alterum.* Differentiem autem explicat in tex. sequ. cum ait.

TEXTVS LVIII.



Mplius ipsum esse multipliciter dicitur, Quare infinitum non oportet accipere sicut hoc aliquid, vt hominem, aut domum; sed vt dies dicitur, & tertamen, quibus esse, non vt substantia quædam factum est, sed in generatione semper, aut corruptione finitum, sed semper elterum, atq; alterum. At in magnitudinibus quidem, permanente accepto, hoc accidit: in hominibus autem, & tempore, corruptis sic, vt non deficiant.

Addit, & explicat in hoc contex. aliam rerum
I. diuisionem: Illam applicat infinito: Et declarat differentiam inter infiniti partes acceptas permanentes, ac successiuas.

Diuisio est, quod rerum aliæ sunt permanentes, quæ quasi digito demonstrari queunt, *vt hoc aliquid*, V. G. *homo*, *aut domus*. Aliæ verò consistunt in actuali successione, *vt dies*, *ludus agonalis*, motus, & id genus alia. Neque enim dies hesternus nunc est, neque hodiernus existit totus, sed solum per instans, quod præteritum, ac futurum nectit. Hanc partitionem indicat Arist. primis verbis tex. *Amplius ipsum esse multipliciter dicitur*.

Quæ quidem verba lego in omnibus meis codicib. græcis: Aliqua tamen exemplaria, ex
II. relatione Simplicij, & adnotet etiem codex Perisien. in margine, dicta verba non habent. Quocirca etiam antiqua translatio latin. ea non habet, & Argirop: aa ipse omisit: deinde. continuo ter alij etiam omittunt, vt Vicomerc. Et tatio, que, vt opinor, illi enctores moti dicta verba expungunt, fuit, quia hæc ipsissima verba Arist. posuit in tex. proximè præced. inquiens, *sed quoniam multipliciter dicitur ipsum esse*. Non erat igitur cur post tria verba illa eadem iterum reculcaret.

At isti præter fidem optimorum exemplarium dicta verba expungunt. Deinde, quid vetat, eadem verba repeti, si per illa possunt, ac debent diuersæ rerum diuisiones afferri? Nam in tex. præced. diuidebantur res quæ sunt io potentia, quod aliæ possint totæ simul reduci ad actum: aliæ tantummodo successiuè. Hic autem diuiduntur res in permanentes, & successiuas. Præterea, falsum est, vtrobique esse eadem Aristotelis verba, quãuis io latinis versionibus sint eadem. In antecedtex. Aristot. eit, *ipsum esse dici* πολλαχῶς. Hic autem mutat vocem, & ait, *ipsum esse dici* πλεοναχῶς. Sed pergo.

Applicat distinctionem, *non oportet infinitum accipere sicut hoc aliquid, vt hominem, aut domum.* III.
Profectò infinitum haud est quippiam permanens, totumque simul existans, alioquin esset infinitum acto, sed *vt dies, & certamen*. quæ videl. in ipso actuali fieri, & veluti in quodam fluxu posita sunt.

Quod vlterius explicet, *quibus esse, non vt substantia quædam factum est, sed in generatione semper, aut corruptione finitum*: In vltima voce est error, nam græcè. εἰ καὶ πεπερασμένον, *quamuis finitum*. Sensus est, quorum successiuorum esse non est tanquam aliqua substantia, quę videl. per se tota actu subsistat eique permaneat, sed quamuis illud esse, siuè pars quę actualiter fit, sit finita, tamen semper est in generatione, aut io corruptione. V. G. dies, eut instans in tempore semper generatur, ac semper corrumpitur. At quia mirabila cuipiam videretur, quod esse alicuius semper consistat in generatione, aut in corruptione, iccircò addit, ea non esse idem numero, sed *semper alterum, atque alterum*, vt in exemplis nunc inductis vides clarissimè.

Tertiò, cum ait, *at in magnitudinibus quidem &c.*
Statuit differentiam, siue comparationem, & ait, IV.
quod res finita, quæ ex infinito alie, atque alia accipitur, diuerso modo est in permanentibus ac in successiuis. Nam pars in diuisione continui accepta, permanet; & non corrumpitur post actualem diuisionem: ita pars, quæ numero apponitur, itidem perseuerat vnà cum præcedentibus vnitatibus; Hoc significat Auctor illis notis, *permanente accepto*: In successiuis verò, vt in generationibus hominum, & in tempore, fit separatio partium finitarum ab infinito, *corruptis ijs*, quę separantur. Monet tamen quod ea ita debent corrumpi, *vt non deficiant*: non illa ipsa numero, si enim intereunt, quomodo non deficiens? sed alia atque alia ex illo infinito producenda.

Vide, quod homines successiuè nascentes, primò possunt opponi ad partes ex diuisione con- V.
tinui acceptas, quę sunt planè permanentes, & hac ratione continentur sub infinito successiuo: & sic Arist. in hoc tex. in vno membro coniungit homines, & tempus cum ait, *in hominibus autem, & tempore &c.* Secundò possunt opponi ad partes temporis & motus, quæ nullo modo post earum generationem remanant, & hoc modo distinguuntur ab eiusmodi partibus, quia homines ali-

que

quò pacto perseuerant per generationem : partes autem temporis, ne momento quidem.

TEXTVS LIX.



Vod autem est secundum appositionem idem quodammodo est, & quod est secundum diuisionem. Nam in eo, quod finitum est, secundum appositionem fit e diuerso: quatenus enim diuisum videtur in infinitum, eatenus appositum videbitur ad determinatum. in magnitudine enim finita, si, accipiens quis determinatam, assumat eadem ratione, non eandem aliquam totius magnitudinem ratione accipiens, non pertransibit finitam: sin verò sic augeat rationem, vt semper aliquam eandem accipiat magnitudinem, pertransibit, propterea quod omne finitum absumitur quouis finito. Aliter igitur non est, sed sic est infinitum: potentia enim, & in diuisione. Et actu etiam est, sicut diem esse dicimus, & certamen. Et potentia sic est, vt materia, & non per se, sicut finitum.

I. Tria hic præstat. Primò confert inter se infinitum secundum diuisionem, & infinitum secundum appositionem, quæ vtraque sunt infinita potentia, vt constituit in tex. 56. Secundò, explicat quonam pacto fiat diuisio continui in infinitum, & quo non. Tertiò, colligit conclusionem, & declarat exemplo materiæ primæ.

II. Ait itaque, quod hæc duo infinita, videl. secundum appositionem, & secundum diuisionem quodammodo idem sunt. Declarat: *nam in eo, quod finitum est, secundum appositionem fit* ἀντιστραμμένως, *e conuerso*, siue, *opposito modo*. Idest, infinitum secundum appositionem: fit opposito modo, ac fit infinitum secundum diuisionem, fit autem sic, quod in diuisione detrahendo vnum ab alio præexistente, progredimur in infinitum: in appositione autem adiungendo vnum alteri præexistenti augemus in infinitum. Hoc explicat cum inquit. *Nam quatenus diuisum videtur in infinitum, eatenus appositum videbitur ad determinatum*. Ante omnia nota duo illa verba, *videtur*, & *videbitur*, quæ præclatum Auctoris sensum inuoluunt. Nam prius est ὁρᾶται, quod significat *cernitur*: posterius autem φανεῖται, *apparebit*. Tunc sic extenda. Quatenus id quod diuiditur ὁρᾶται εἰς ἄπειρον *cernitur*, supple, abire, *in infinitum*, eatenus id quod apponitur ad determinatam præcontem magnitudinem, φανεῖται *apparebit*, iterum supple, abire in infinitum.

III. Declaret deinde, quomodo diuisio continui celebranda sit, si in infinitum debeat progredi: Et ait, eam esse faciendam τῷ αὐτῷ λόγῳ, *eadem ratione*, siue *eadem proportione*, μὴ τὸ αὐτό τι τοῦ λόγου μέρος, *non secundum aliquam partem eius proportionis*. Si quis in aliqua magnitudine finita accipiat vnam illius partem per diuisionem, & semper adaccipiet diuidendo illam partem *eadem proportione*, non pertransibit diuidendo dictam magnitudinem: idest nunquam perueniet ad finem illius diuisionis: Et hoc modo intelligitur, quod continuum est diuisibile in infinitum. Si autem in illa eadem magnitudine finita faciat diuisionem *secundum aliquam partem proportionis*, tunc diuidendo pertransibit dictam magnitudinem, & perueniet ad finem diuisionis, *propterea quod omne finitum absumitur quouis finito*.

IV. Res exemplo fiet manifesta. Sit linea decem digitorum: Auferatur ea ex per diuisionem vna pars vnius digiti: postea auferatur altera itidem pars alterius digiti, ita deinceps vsque ad decimum digitum: profectò illa linea in tali partitione pertransitur, ac finitur. Si verò illam eandem lineam diuidamus in duas medietates, postea accipiamus alteram illarum medietatum, & diuidamus itidem in alias duas medietates, & rursus alteram illarum in alias medietates, atque ita deinceps, hoc pacto diuisio illius lineæ nunquam pertransibitur, neque finietur vnquam. Hac itaque posteriori partitione continuum dicitur diuidi τῷ αὐτῷ λόγῳ *eadem ratione*, siue *secundum eandem proportionem*: priori autem partitione dicitur diuidi τὸ αὐτό τι τοῦ λόγου μέρος *secundum aliquam partem proportionis*. In scholis priores partes appellantur æquales: posteriores autem nuncupantur proportionales.

V. Demum colligit conclusionem, *aliter igitur &c.* Alio modo non datur infinitum, *sed sic est infinitum*. videl. est *potentia*, & *in diuisione*. Infinitum potentia consistit in diuisione, & appositione. Hic igitur concludit de eo infinito, quod est in diuisione: mox id idem concludet de eo quod est in appositione.

Quod tamen infinitum est innexum cum
aliquo suo actu, sicut de die, &
de certamine agonali dictum est.
Quocirca assimilatur ma-
teriæ primæ, quæ
semper quidem
est potentia
ad
aliam atq; aliam formam in infinitum:
& tamen semper est affecta ali-
qua forma: tota autem
illius potentia
nunquam
existet
actu.

TEX.

TEXTVS LX.

E*T secundum appositionem igitur sic infinitum potentia est, quod idem dicimus quodammodo esse cum eo, quod est secundum diuisionem, semper enim aliquid ipsius extra est accipere, non tamen excedit omnem determinatam magnitudinem, vt in diuisione excedit omnem determinatam, & erit minor. Vt autem omnem excedat secundum appositionem, neque potentia possibile est esse, siquidem non sit secundum accidens actu infinitum, vt dicunt, qui de natura disserunt, id corpus, quod extra mundum est, cuius substantia aer est, aut aliud quid tale infinitum. Sed si non possibile est esse infinitum actu corpus sensibile sic, manifestum est, quod nec potentia vtique erit secundum appositionem, nisi (vt dictum est) contrario diuisioni modo.*

I. Prima huius tex. pars conspicua est ex præcedenti contex. Quod enim in eo de infinito secundum diuisionẽ Arist. sanxit, id in præsenti colligit de infinito secundum appositionem, quod videlicet quemadmodum in diuisione infinitas consistit, vt continuum in alia atque alia vsque in infinitum secemus, ita infinitas in appositione est, vt determinatæ magnitudini semper aliã atque aliam in infinitum adijciemus: quia legitima vtriusque infiniti conditio est, *vt semper aliquid ipsius extra sit accipere*.

Diceret aliquis, Si res hoc pacto se se in appositione habet, accipio determinatam magnitudinem,
II. V. G. centum palmorum, illi superaddo aliam, atque aliam, vt eæquem, quin verò excedam vniuersam Mundi magnitudinem. Tunc ex quanam magnitudine illi superaddam? Quippe magnitudo Vniuersi finita est. Quod si vlterius addere nequeo, tollitur ergo progressus in infinitum:

Propterea incomparabilis præceptor declarat, in quanam partium appositione valeamus progredi in infinitum? Vt enim in tex. præced. declarauit, quomodo continuum diuidatur quidem secundum eandem proportionem in infinitum, non autem diuidatur secundum partem proportionis, siue, quod idem est, diuidatur in infinitum secundum partes proportionales, non verò secundum partes æquales, ita omninò necesse habuit explicare, quænam, & cuius conditionis debeant esse partes, in quarum additione in infinitum eatur. Et vult determinare huiusmodi progressum non consistere in appositione partium æqualium, sed partium proportionalium.

Sternit autem hanc differentiam, *non tamen excedit omnem determinatam magnitudinem, vt* III.
in diuisione excedit omnem determinatam, & erit minor. id est, appositio, siue progressus in appositione non excedit determinatam ac datam magnitudinem: diuisio verò, & progressus in ea excedit omnem determinatam magnitudinem, id est, quãcunque datam paruitatem: & magnitudo in diuisione fit minor. Declaro. Diuisio, & appositio differunt, quòd in illa nunquam deuenimus ad determinatam paruitatem, quam diuisio non possit excedere, & facere aliam quantitatem minorem priori, vt ipsemet Auctor explicat, *& erit minor*. Quis ambigit, quin quæcunque exigua magnitudo accepta possit vlterius diuidi, ac proinde effici minor? Appositio verò nequit omnem excedere determinatam magnitudinem, ita vt apponendo semper simus habituri maiorem ac maiorem, quia non suppetit magnitudo maior toto mundo. Quo fit, vt progredientes per appositionem in magnitudinibus, necessum sit ad maximam magnitudinem desinere, neque eam excedere.

Hinc infert ὥστε δὲ παντὸς ὑπερβάλλειν κατὰ τὴν πρόσθεσιν, οὐδὲ δυνάμει ἐστὶν ἄπειρον. Sic vertit. *Quare* IV.
omnem, magnitudinem excedere secundum appositionem, neque potentia possibile est esse. id est, Si actu non contingit, appositionem excedere omnem determinatam quantitatem, quemadmodum nunc dicebamus, ergo neq; possibile est, dari appositionẽ potentia, quæ possit excedere omnem magnitudinem. Quando igitur dicimus dari infinitum potentia secundum appositionem, non intelligimus, quod illud valeat superare quamcunque datam magnitudinem, o si constituamus (subdit Arist.) mundum non esse finitum, sed extra cælum esse corpus sensibile actu infinitum, cuius substantia sit aut aer, aut aliquid huiusmodi aliud, quemadmodum Physiologi dicunt. At huiusmodi corpus sensibile extra cælum actu infinitum impossibile est, quare neque possibile est infinitum *potentia secundum appositionem, nisi (vt dictum est) contrario diuisioni modo*. Non igitur datur infinitum potentia in appositione secundum partes æquales, quas apponentes accedamus quamcunque determinatam magnitudinem, sed solum datur contrario modo, ac fit in diuisione. Hic fit diuisio partium proportionalium, ibi fit appositio earundem partium proportionalium. Diuisio, & appositio sunt contraria, ideo infinitum in appositione fit *contrario diuisioni modo*.

TEX.

Digitized by Google

TEXTVS LXI.



Voniam & Plato ob hoc duo infinita fecit, quod et in auctione videtur excedere, atque in infinitum abire etiam in diuisione, cum tamen fecerit duo, non vtitur. Neque enim in numeris secundum diuisionem in infinitum existit, (vnitas enim minimũ est) neque in auctione: vsque enim ad denarium facit numerum.

Duo constituit potentia infinita: Alterum secundum diuisionem: Alterum secundum appositionem: ita vt qua ratione continuum potest in infinitum diuidi, ea possit in infinitum alteri apponi: Hoc confirmat in præsenti contex. ex eo quia etiam Plato ob id inuexit duo infinita; eaque appellauit magnum, & paruum. Enimuerò per magnum intelligebat infinitum *in auctione*, id est in appositione; per paruum verò denotabat infinitum secundum diuisionem.

II. Deinde eundem carpit, quod *cum fecerit duo, non vtitur*, id est, Plato neutro infinito vtitur tamquam principio. Quasi dicat Arist. Alij Philosophi cõstituebant infinitum, & illo eodem vtebantur tanquam principio, aiebat enim in tex. 30. de infinito, *rationabiliter, & principium ipsum dicunt omnes*. Plato verò duo constituit infinita, & neutro illorum vtitur pro principio. defecit ergo. Quod autem ille neutro vtetetur, veluti principio, probat Arist. quia principium Platoni erant numeri: Atqui in numeris non est infinitum secundum diuisionem, siquidem cum ad vnitatem deuentum est, vlterius progredi haud licet, *cum vnitas sit minimum*, siue indiuisibile. At neq; in *auctione*, & appositione datur in numeris infinitus progressus, *vsque enim ad denarium facit numerum*.

TEXTVS LXII.



Ccidit autem contra esse infinitum, quàm vt dicunt. Non enim cuius est nihil extra, sed cuius semper aliquid extra est, hoc infinitum est. Signum autem est, nam annulos infinitos dicunt, non habentes palam, quoniam semper aliquid extra est accipere, secundum similitudinem quidem quandam dicentes, non tamen propriè: oportet enim & hoc esse, & nunquam idem accipi: in circulo autem non fit sic, sed semper quod est consequenter solum alterum.

I. Si nullum aliud datur infinitum, quàm infinitum potentia, aut in diuisione, aut in appositione, vt hactenus patefactum est, & vtriusque ratio in eo est posita, vt in illo quidem, semper in alia atque alia diuidamus, in hoc verò semper alia atque alia adijciamus, sequitur, inquit Aristot. vt infinitum contra quàm nonnulli Veterum ipsum definiuerunt, sit difiniendum. Illi etenim dixerunt, infinitum id esse *cuius est nihil extra*: cum potius opposito modo dicendum sit, infinitum illud esse, *cuius semper est aliquid extra*, videl. cuius aliqua parte accepta, semper alia & alia restet accipienda.

II. Subdit deinde rationem, qua Veteres illi suam definitionem confirmabant. *Annulos infinitos dicunt*, qui *σφενδόνην palam non habent*. σφενδόνη, pala, est locus defiguatus, in quo gemma collocatur, (malè habent quędã latinę versiones, *namq; annulos dicunt infinitos vt habentes circulationem*) quia videl. tales annuli sunt vniformis circumferentiæ, ideòque sunt infiniti, eum motus circa illorum peripheriam possit protrahi in infinitum, & in ea *semper est aliquid accipere extra*.

Corrigit Arist. hoc Veterum ratiocinium, quia huiusmodi infinitum *est secundum quandam similitudinem, non tamen propriè*. Subdit rationem, quia in infinito propriè dicto, de quo nunc verba facimus, oportet quidem adesse hoc, quod scil. eius semper aliquid accipiatur, sed ita debet adesse, vt non eadem, sed sẽper alia atque alia pars accipiatur, quod in corpore globoso, siue in circulo annuli non contingit, in quo sæpius eædem partes attinguntur, & quod accipitur non est verè alterum, *sed est consequenter solum alterum*: ideò subdit.

TEXTVS LXIII.



Nfinitum igitur id est, cuius secundum quantitatem accipientibus, semper aliquid accipere extra est. Cuius autem nihil est extra, id est perfectum, & totum. Sic enim definimus totum, cuius nihil abest: vt hominem totum, aut arculam, vt autem definimus singulare, sic & quod propriè est, vt totum, cuius nihil est extra: cuius autem absentia est extra, non omne est, quicquid abest.

In

I In prima part. tex. colligit integrá infiniti definitionem: In secunda detegit errorem definitionis Veterum. Perfecta Infiniti definitio est, quod *infinitum est id, cuius secundum quantitatem accipientibus, semper aliquid accipere est extra*. Nempe cuius, si quis accipiat partem post partem, semper valeat aliam accipere extra illam, & rursus aliam extra illam, & ita in infinitum. Quod iam de diuisione, quàm de appositione intelligendum est. Merito autem addit *secundum quantitatem*, quia disputatio est de infinito quanto. Et præterea vbi est pars, & pars, necesse est quantum esse.

II Hinc constat, Veteres illos errasse, & cum vellent definire infinitum, definiuere finitum. Quod sic ostendit Arist. Definitio ab illis data, quod sit id, *cuius nihil est extra*, planè est definitio totius, & perfecti: sed totum & perfectum non sunt infinita, sed omninò finita: quare allata Veterum definitio non est infiniti, sed finiti. Maiorem probat in hoc tex. *quia sic definimus totum, cuius nihil abest*. Sic habent latinæ versiones; in quibus desunt aliqua verba. Græcè enim, οὗ πρὸς τὰ μέρη μηδὲν ἄπεστι. *cuius ad partes nihil abest*, cui videl. nulla ex partibus illi debitis deest. Eodem fermè modo in quinto Metaph. cap. 26. definit totum, quod sit illud, οὗ μηδὲν ἄπεστι μέρος, *cui nulla abest pars*. Hoc autē esse totum, probat inductione, siquidem hominem appellamus totum, cui nulla hominis pars deficiat; & arcam, aut domum dicimus totam, cum nihil arcæ, domusue desit. Illud est totum in natura; hoc in arte. Et sicut definimus singulare, ita & id quod propriè est, videl. totum, ὅλον τὸ ἂν ὅλον, *vt illud sit ens totum, cuius nihil est extra*. Quod etiam ex contrario possumus colligere, quia nihil dicitur totum, cui aliquid ex ijs quæ ipsi debentur, deest, quicquid sit id quod deest: & vt Auctor loquitur, *non est totum, siue, non est omne, cuius absentia est extra, quicquid abest*.

TEXTVS LXIV.

Totum autem, & perfectum, aut idem penitus, aut proxima natura sunt. Perfectum autem nihil non habens finem: finis autem terminus. Quapropter melius existimandum est, Parmenidem Melisso dixisse. Hic enim infinitum totum dicit: ille autem totum terminatum esse, ex æquo a medio distans: non enim vt linum lino est continuare vniuerso, ac toti infinitum.

I Duo in hoc tex. facit. Probat minorem syllogismi in tex. præced. confecti, quod totum, & perfectum non sint infinita, sed omninò finita. Et præfert Parmenidem Melisso in positione totius. Probatio conspicua est. Totum, & perfectum aut idem omninò sunt, aut suapte natura proxima atque affinia. Perfectum autem est, quod habet finem; Græca locutio apertiorem habet efficaciam: quia perfectum est τέλειον, & finis τέλος. Vnde ait Auctor τέλειον δὲ μηδὲν μὴ ἔχον τέλος, perfectum nihil est non habens finem; finis autem est terminus. Quod verò habet terminum ac finem, id omne finitum est: totum igitur, & perfectum finita sunt.

Aduerte, quod totum, & perfectum re idem sunt; ratione verò discriminantur. Quippe totum II dicitur respectu partium: & propterea Arist. in tex. præced. ait, totum esse, *cuius ad partes nihil abest*; perfectum verò nuncupatur ratione finis, quem res consecuta sit. Adhæc, duplici voce hic vtitur Arist. τὸ ὅλον *totum*: & τὸ πᾶν *omne*, siue, *vniuersum*. Quorum etsi vnum haud rarò pro altero vsurpetur, sic tamen præsse differunt, quod totum dicit partes cum quadam coniunctione, & copulatione. Omne autem, siue vniuersum importat plures duntaxat partes nulla deficiente. Quocirca totum est continuum; omne autem est quasi quoddam discretum.

Deinde, *quapropter melius &c.* infert ex dictis, III quod si infinito non competit, quin verò repugnat definitio totius, profectò melius opinatus est Parmenides, quàm Melissus in positione totius, ac infiniti: siquidem Melissus totum asseruit, esse infinitum; & conuersim infinitum esse totum: Parmenides verò ait, totū esse finitum ac terminatum, μεσόθεν ἰσοπαλὲς (sunt verba Parmenidis) a medio æqualiter distans. Errauit itaque Melissus, qui ea sibi iungit ac nectit, quæ inter se iungi connectique minimè possunt, vt sunt totum, & infinitum. Non enim potest ipsum infinitum copulari, & continuari cum toto, & vniuerso, sicut connectitur, & copulatur linum cum lino.

Adagium est, λίνον λίνῳ συνάπτειν, *linum lino connectere*, cuius duplex recensetur sensus. Vnus quidem est, infirmis infirma copulas, siue, frigida friuolis. Alter, Diuersa, & inter se pugnantia copulas. Vide adagiograph. in huius adagij explicatione.

TEXTVS LXV.

Quoniam hinc quidem hanc de infinito dignitatem accipiunt, omnia scil. continere, & totum ipsum in se ipso habere, propterea quod habet quandam similitudinem cum toto, est enim infinitum perfectionis magnitudinis materia, & potentia totum, actu verò non. Diuisibile autem est, & ad diuisionē, & ad oppositam appositionem. Totum autem, & finitum, non secundum se, sed secundum aliud, & non

continet,

continet, sed continetur, quatenus infinitum est: quocirca & ignotum est, quatenus est infinitum; formam enim non habet materia.

Detexit in tex. antegress. definitionem Veterum
I. de infinito, quod infinitũ sit id, *cuius nihil est extra*, non esse definitionem infiniti, sed omninò finiti: detegit nunc radicem, cur illi infinitum ita definierunt. Et ait, hinc illos inductos ita infinitum definiuisse, quia acciperent τὴν σεμνότητα hanc dignitatem, siue hanc cohonestationem de infinito, quod *omnia contineat, & ipsum omne*, siue vniuersum, *in se ipsa habeat*. Sic etiam in tex. 29. referebat ex antiqua opinione, *infinitum omnia continere, & omnia gubernare, vt affirmant &c.*

Hinc autem illi decepti sunt, quòd infinitum
II. *habet quandam similitudinem cum toto*. Vt enim totum includit omnia ad se attinentia, sic videtur & infinitum includere omnia. Ob hanc itaque similitudinem Veteres illi errarunt. Quippe similitudo est causa deceptionis; & nulla in re facilius, quàm in simili labimur, vt idem Philosophus scribit in lib. de somnijs cap. 2.

Aperit deinde totius erroris ansam, quæ fuit,
III. quod nesciuerunt distinguere totum actu, & totum potentia. Quocirca Arist. ponit hanc conclusionem, Infinitum est totum quoddam potentia, non autem est totum actu.

Probat. *est enim infinitum perfectionis magnitudinis materia*. Nomine *perfectionis* intelligit formam; nomine autem *magnitudinis* intelligit ipsum totum compositum. Sic itaq; struc. Id quod est materia formæ totius compositi, est potentia totum, non autem est actu totum, quia *materia secundum se non est hoc aliquid: sed secundum formam iam dicitur hoc aliquid*, ex secundo de Anim. tex. 2. Sed infinitum est materia formæ ac perfectionis totius: quare infinitum est potentia totum, non autem actu totum. Minorem probat, quia infinitum est quiddam potentiale, *diuisibile, & ad diuisionem, & ad oppositam appositionem*. Ita lanè infinitum consistit in potentia, vt diuidatur; & in potentia, vt ipsi apponatur, quæ appositio est contraria ipsi diuisioni, vt in calce tex. 60. exposui. Sed omne potentiale respectu eius, cuius est, est materia: infinitum igitur est materia formæ totius compositi.

Hinc colligit tria. Vnum, quod infinitum *est*
IV. *totum, & finitum non secundum se, sed secundum aliud*. nimirum est quoddam totum, & finitum actu per formam, quæ, vt in tex. præced. asserebatur, est finis ac terminus: ac proinde efficit vt totum potentia, sit totum ac finitum actu.

Alterum, *& non continet, sed continetur, quatenus infinitum est*. Ratio, quia materia non continet, sed continetur: quandoquidem continere est proprium formæ, ex primo de Anim. tex. 90. & in fine huius tex. dicitur, quod *materia non habet*, nimirum non continet, *formam*. Infinitum autem est materia totius formæ: ergo infinitum non continet, sed continetur.

Tertium, *quocirca & ignotum est, quatenus est in-* V.
finitum. Id idem asseuerauit in primo Physic. tex. 35. aduersus Anaxag. Cuius asserti hæc est ratio, quia, auctore eodem Philosopho nono Metaph. tex. 20 actus & forma est principium & causa cognitionis: vnde in eodem lib. primo Phys. tex. 69. materia dicta est scibilis per analogiam. Si igitur infinitum subit rationem materiæ, profectò qua infinitum est, ignotum est: de qua re dicam infra in sua quæstione.

TEXTVS LXVI.



Quare manifestum est, quod magis in partis ratione infinitum sit, quàm in totius: pars enim materia totius est, sicut æs æneæ statuæ, quoniam, si continet in sensibilibus, & in intelligibilibus: ipsum magnum, & paruum, oportebat continere intelligibilia: inconueniens autem, & impossibile est, ignotum, & indeterminatum continere, & determinare.

In prima part. tex. colligit conclusionem: In se-
cunda redarguit Platonem. Si, inquit, infinitum I.
est materia perfectionis magnitudinis, siue formæ totius compositi, vt nunc ostendebamus, manifestum est, quod *infinitum magis est in ratione partis, quàm totius*, id est potius est pars, quàm totum. Probat, *materia enim est pars totius, sicut æs est pars æneæ statuæ*, & materia mea est pars mei: si igitur infinitum subit rationem materiæ, profectò subit etiam rationem partis, non totius.

Deinde cum ait, *quoniam, si continet in sensi-*
bilibus &c. singillatim conuellit opinionem Plato- II.
nis, qui in sensibilibus inuexit infinitum. Quinimo, vt in tex. 61. dicitur, *duo infinita fecit*, & appellauit magnum, & paruum; ita *& in intelligibilibus*, id est in suis ideis constituit eadem duo infinita, quæ duo infinita appellauit dualitatem infinitam. Arist. sic eum perstringit. Si de ratione infiniti est continere, ergo contineret & in sensibilibus, & in intelligibilibus: Sed absurdum, & impossibile est, infinitum continere & terminare intelligibilia, quare absurdum, & impossibile est, infinitum continere. Minorem probat, quoniam intelligibilia sunt maximè entia, proinde determinata, & sua natura apprimè nota, vt constat ex secundo Metaph. tex. 2. sed infinitum est aliquid ignotum ac indeterminatum, quare absurdum ac impossibile est, infinitum continere, ac terminare intelligibilia. Quis vnquam dicet, *ignotum ac indeterminatum continere, & de-*

terminare? id quod ex se est notum, ac determinatum?

TEXTVS LXVII.



Ecundum rationem autem accidit, vt & quod est secundum appositionem, non esse videatur infinitum sic, vt omnem excedat magnitudinem, in diuisione autem esse. continetur enim sicut materia intus, & infinitum: continet autem forma.

Ex definitione, & doctrina hucusque de infini-
I. to tradita, resoluit Philosophus nonnulla theoremata, quæ circa ipsum infinitum valent oriri. Primum est in hoc tex. Quare in infinito per appositionem non licet excedere omnem datam magnitudinem in maius: In infinito autem per diuisionem possumus excedere quamcunque magnitudinem, & paruitatem in minus? vt etiam tactum fuit in tex. 60.

Solutio adæquatè eruitur ex dictis. Dictum
II. namque est, infinitum habere rationem materiæ, & contineri potius, quàm continere, formam verò, quod in calce etiam huius tex. repetit, Arist. continere, ac terminare: proindeq; infinitum habere rationem partis potius, quàm totius. Tunc sic progredere. Totum habet rationem formæ; Partes habent rationem materiæ, vt determinatum est in lib. præced. tex. 31. Sed in diuisione magnitudinis procedimus à toto ad partes: quare procedimus à forma ad materiam, & à continente ac terminante ad contentum ac terminatum: propterea in diuisione quanti nullus inuenitur terminus, qui non possit vlterius pertransiri vsque in infinitum. Quando autem apponimus, procedimus è contra, à partibus ad totum, & à materia ad formam, atque adeò ab interminato ad terminans, ideò necesse est, adesse aliquam determinatam magnitudinem, quæ vlterius in maius excedi haud queat.

Hinc optimè à Doctoribus dicitur, quod for-
III. ma est causa terminationis: materia autem est causa interminationis, ac infinitatis: Et quod forma est causa, cur accessio infinitè non fiat: materia verò est causa, cur aliquid possit diuidi in infinitum. Deinde cum ait,

TEXTVS LXVIII.



Ationabiliter autem & hoc in numero quidem esse versus minimum terminum, versus autem plura semper omnem excedere multitudinem: in magnitudinibus verò e contrario: versus enim minus, omnem excedere magnitudinem, sed versus maius, non esse magnitudinem infinitam. Causa autem est, quoniam vnum est indiuisibile, quodcunque vnum sit; vt homo, vnus homo, & non multi; numerus autem est vna plure, & quanta quædam: quare necesse est stare ad indiuisibile: duo namque, & tria denominatiua sunt nomina: similiter autem & aliorum numerorum vnusquisque: versus autem plus semper est intelligere: infinitæ enim sunt bipartitiones magnitudinis: quare potentia quidem est, actu autem non est, sed semper excedit acceptam omnem determinatam multitudinem. at non separabilis est numerus hic bipartitionis, neque manet infinitas, sed fit, sicut & tempus, & numerus temporis. I.

Dirimit in hoc tex. secundum theorema de infinito in numeris. Cur numerus potest infinitè quidem augeri, nequit autem infinitè diuidi ac diminui? Et in tex. tria facit. Proponit theorema: Affert eius causam: Et explicat, qualisnam sit numerorum infinitas.

Id etiam, inquit, rationabiliter in infinito euenit, vt in numero inueniamus terminum *ad minus*, quem minimè possimus vlterius transcendere diuidendo: non autem inueniamus aliquem terminum *versus plus*, quem non valeamus vlterius transgredi, & intelligere alium maiorem numerum apponendo vnitatem. Contra videl. quàm sit in magnitudinibus. Nam in his diuidendo possumus excedere omnem acceptam magnitudinem; non autem possumus excedere apponendo, vt in tex. 60. dictum est. Deinde assignat rationem. II.

Causa autem est, quoniam vnum est indiuisibile. sic collige. Numerus est quædam multitudo ex vnitatibus ordinatis conflata, quem quidem numerum describit hic Arist. sed in descriptione existimo esse mendum etiam in codicibus græcis. Quidem legunt. ἀριθμὸς δὲ ἐστὶν ἑνὸς πλείω, καὶ ποσὰ ἄττα. Hinc antiqua translatio habet, *Numerus autem est vno plura, & qualibet* (inepte ποσὰ vertit *qualibet*) *quadam*. Alij legunt diuisim; numerus est ἕν, πλείω. Alij iunctim ἓν πλείω, Vnde latinæ translationes communiter habent, *Numerus autem est vna plura, & quanta quadam*. Codex Parisien. in græco quidem legit ἓν πλείω, deinde insulsè vertit *vno plura*. III.

Quas quidem lectiones nullo modo existimo ex purgatis Stagiritæ calamo fluxisse. Nam pri-

ma ; quod numerus sit ἑνὸς πλείω vno plura , est obiecta. Nam fatui quoque norunt , quod numerus sit plura quàm vnum : Aliæ verò duæ , quod numerus sit ἕνα πλείω, vna , plura , apposito comate. aut ἕνα πλείω vna plura , apertè sunt falsę , quia ἕνα est casus accusatiuus ab εἷς, ἑνός ; nec vnquam pluraliter declinatur : quocirca nequit cum verbo , ἀριθμός ἐστὶ , *numerus est* , copulari, quia ἀριθμός est rectus. Propterea , lego non ἕνα, sed ἔνια , quod significat , *aliqua* , siue *quædam* , & sensus est : Numerus est aliqua plura, & quanta quædam. Vel , quod magis arridet , ἓν πλείω ; Pro quo adhuc scito , in lingua græca sæpissimo poni accusatiuum , & intelligi desoris præpositionem κατά , id est *secundum* ; qui quidem hellenismus etiam apud Latinos in vsu est;cuiusmodi extat illud Maronis , *os , humerosque Deo similis* , videl. secundum ora , & secundum humeros Deo est similis. Nunc in proposito , numerus est plura secundum vnum. Procul dubio numerus est quoddam ens per se constitum ex multis , non quouis modo congestis , sed ordinatum per vnum. Hinc in quinto Metaph. cap. 14. dicitur , quod substantia senarij est ,in ... , quod fit sexies vnum : & alibi definitur numerus esse multitudo mensurata per vnum. Sic in præsenti, numerus est plura secundum vnum. Et hoc probat Arist. *quia duo, & tria denominatiua sunt nomina* , denominantur videl. ab vno.

Sed iam venio ad rationem Aristotelis in hoc
IV. tex. quam sic colligo. Numerus est multa secundum vnum, siue est multitudo ex vnitatibus composita : Vnumquodque autem in ea resoluitur, ex quibus compositum est : quare in diuisione numeri resoluimus , ac deuenimus ad vnitates : istæ sunt indiuisibiles : *nam vnum indiuisibile est* , quodcunque vnum fit. Enimverò homo V. G. vnus, in quantum huiusmodi , *vnus homo , & non multi sunt* . Cum igitur in diuisione numeri deuenerimus ad vnum* *necesse est stare ad indiuisibile* : nec datur vlterius progredi.

Potest autem numerus infinitè excrescere , quia
V. quocunque dato numero , possumus maiorem intelligere. Cur verò is in infinitum excrescere queat , ea subnectitur ratio , *quia bipartitiones magnitudinis sunt infinita* : partitio ac diuisio magnitudinis in duas medietates , & rursus medietatis in alias , dic clarè : partitio , & diuisio continui in partes proportionales , potest protrahi in infinitum. Cum itaque diuisio continui causet multitudinem in numero , si illud potest infinitè diuidi , hic potest infinitè augeri.

Postremò colligit , qualisnam sit hæc numerorum infinitas , & complicat duas conditiones. Pri-
VI. ma est , quod numerus *potentia quidem est , actu autem non est* infinitus : & quemadmodum in magnitudine,quæcunque accepta portio excedit in minus , sic in numeris omne acceptum excedit in maius quancunque determinatam multitudinem.

Secunda conditio est , ἀλλ' οὐ χωριστὸς , &c. sic verè, *at non est separatus hic numerus a bipartitione* . Quod quidem oculatè adijcit,vt innuat, numerum haud esse quippiam a rebus numeratis separatum , & aliquid permanens , ac per se subsistens, quemadmodum Pythagoræi , & Platonici suos illos infinitos numeros ab omni sensibili materia segregatos intruserant , sed consistere circa numerata,& esse semper in fieri , sicut est *tempus , & numerus temporis* : Quippe numerus temporis crescit per additionem diei ad diem , vt mensis ad mensem ; neque enim dies , aut menses omnes simul existunt vnquam.

TEXTVS LXIX.



IN magnitudinibus autem contrarium est : etenim diuiditur in infinita continuum , versus autem maius non est infinitum : quantum enim contingit potentia esse , & actu contingit tantum esse . Quare , cum infinita nulla sit magnitudo sensibilis, non contingit excessum esse omnis determinatæ magnitudinis ; esset enim aliquid cælo maius .

Constituit in tex. præced. numerum posse in infinitum quidem excrescere , non autem ita minui : contra verò magnitudinem versus minus om- I.
nem excedere magnitudinem , versus autem maius non item. Hanc secundam partem reperit in hoc tex. & huius rationem subiungit : Ait itaque, quod in magnitudine , contra quàm in numero euenit. Ibi numerus potest infinitè quidem augeri , non verò infinitè imminui : hic autem *continuum diuiditur in infinita* , id est vsque in infinitum : ac proinde versus minus caret termino ; *versus autem maius non est infinitum* , non itaque continuum potest infinitè excrescere.

Hanc secundam partem probat. Si magnitudo posset infinitè augeri , posset etiam actu esse magnitudo sensibilis infinita : sed impossibile est, actu esse magnitudinem sensibilem infinitam : quare impossibile quoque est , posse magnitudinem infinitè augeri . Consecutionem probat , quia cum potentia ordinetur ad actum , quantum aliquid contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu . Minorem etiam probat , quia nulla datur magnitudo sensibilis actu infinita, vt supra ostensum est. Et confirmat , quia cælum , vt in primo de cælo demonstratur , est finitum : si igitur daretur magnitudo sensibilis actu infinita, illa esset infinita intercapedine maior cælo : Quod etiam est impossibile, cum extra cælum nihil sit, sicut in illo eodem lib. tex. 100. colligitur.

Digitized by Google

TEXTVS LXX.



Nfinitum autem non est idem in motu, & magnitudine, & tempore, tanquam & vna quædam natura, sed posterius dicitur secundum prius, vt motus quidem, quia prius est magnitudo, in qua mouetur, aut alteratur, aut augmentatur; tempus autem propter motum. Nunc igitur vtimur his, posterius autem tentabimus dicere & quid est vnumquodque, & propter quid omnis magnitudo sit in magnitudines diuisibilis.

Infinitum consequitur quantum: propterea aut
I. est in quanto discreto, vt in numero: aut in continuo, vt in magnitudine, motu, & tempore. Posset aliquis quærere, cum infinitum in omnibus his sit tantum potentia, estne aliqua natura vniuoca, ac veluti quoddam genus, an non? Et quidem de numero res videtur clara, quod infinitū in eo sit alio modo, ac est in continuo: iccircò quæterat solum de vltimis tribus. Et Aristot. respondet, quod non est idem infinitum in motu, in magnitudine, & in tempore, quasi sit vna quædam natura vniuoca, quæ de ijs prædicetur: ἀλλὰ τὸ ὕστερον *sed posterius* istorum, nempe tempus, λέγεται κατὰ τὸ πρότερον *dicitur secundum prius*: id est, dicitur infinitum secundum quod est infinitus motus, qui est prior: & motus etiam est infinitus prout magnitudo est infinita. Hoc declarat, quia primùm debet adesse magnitudo, in qua efficiatur motus, postea exerceretur motus: demum consequitur tempus, quod est numerus motus. Quare infinitum prius conuenit magnitudini, inde motui, demum tempori: non igitur infinitum est idem in his tribus.

II. Monet deinde Arist. quod in præsenti his tantum vtitur, inferius verò patefaciet. Et quidem de tempore agit in lib. quarto: Quomodo autem omnis magnitudo sit in magnitudines diuisibilis, ostendit in lib. sexto. Et demum quod motus existat infinitus, commonstrat in lib. octau. postea cum ait:

TEXTVS LXXI.



Qn remouet autem ratio Mathematicos a contemplatione, auferens sic esse infinitum, vt actu sit versus augmentum, vt intransibile; neque enim nunc indigent infinito, neque vtuntur, sed solum esse, quantamcunque velint, finitam: maxima autem magnitudini secundum eandem est secari rationem, quantamcumque magnitudinem alteram: quare ad demonstrandū quidem illo modo nihil differet, esse autem in existentibus erit magnitudinibus.

Monet tertium theorema. Constitutum est, non dari magnitudinem actu infinitam, neque posse I.
magnitudinem infinitè excrescere: Ast hæc constitutio videtur de medio tollere nōnulla Mathematicorum effata. Geometra namq; vtitur actu infinito, & asserit, datam lineam rectam posse protrahi in infinitum. Euertere autem Mathematica theoremata, est inconueniens, ergo &c.

Occurrit Arist. sed latina communis translatio est praua, *non remouet autem ratio Mathematicos* II.
a contemplatione, auferens esse sic infinitū, &c. Quin verò etiam Argirop. ostendit, dum vertit, *atque neque Mathematicorum contemplationem ea ratio aufert, quæ infinitum hoc pacto e medio tollit, vt &c.* Sic verte. ὁ λόγος *sermo*, quem videl. nos hucusque de infinito fecimus, οὐκ ἀφαιρεῖται τοὺς μαθηματικοὺς, non *remouet*, siue non *aufert Mathematicos*, subaudi sermones: τὴν θεωρίαν ἀναιρῶν, *destruens contemplationem*: quod ita sit infinitum, vt sit actu versus augmentum, vt impertransibile. Sermo, inquit Arist. a nobis habitus de infinito, & nostra de eo constitutio non aduersatur sermonibus Mathematicis, neque vllum eorum euertit theorema. Cur? *quia neque nunc indigent infinito, neque vtuntur*. Geometræ de facto non egent infinito actu, neque eo in vlla sua demonstratione vtuntur, sed solum accipiunt lineam finitam, quantamcunque voluerint, eamque addunt alij lineæ eidem finitæ, & ita successiuè vsque in infinitum: id autem merito faciunt, quia habent suppositionem, quod data quantacunque linea, possit alia maior accipi: Ex quo apparet, Geometras semper vti lineis finitis, neque in suis demonstrationibus actu infinita linea indigere.

Id idem confirmat, *maxima autem magnitudini, &c.* quia lineæ maximæ perinde possunt diuidi, III.
sicut possunt diuidi quæcunque minimæ. Sic etiam demonstrat Euclid. lib. 6. theor. 10. Si igitur demonstrationes Mathematicæ fiunt ex diuisione, & compositione linearum; ex quibus consurgunt variæ figuræ; & ista variatio æquè potest fieri in lineis minimis, ac in maximis, profectò ad conficiendas Mathematicas demonstrationes, *nihil differt* hoc, aut *illo modo* eas facere, id est, facere demonstrationes in lineis minimis, aut in maximis; vel in lineis finitis, aut infinitis.

Et quia Geometra nonnunquam lineis quoque fictis vtitur, & extensis vltra id quod in natura extendi possint, vt cum lineam extra cælum imaginatur; ideò monet Arist. quod illarum *esse erit in existentibus magnitudinibus*, id est Geometra illas accipit, & fingit ex alijs lineis, quæ quidem habent esse in magnitudine existentia. Enimuero si concipit lineam mille cubitorum extra cælum, nonne illam concipit quasi ab hac, illaue magnitudine abstractam?

TEX.

TEXTVS LXXII.



Voniam autem causæ diuisæ sūt quadrifariam, manifestum est, quod vt materia, infinitum causa est. & quod esse quidem ipsius priuatio est, per se autem subiectum, continuum ipsum, & sensibile est. Videntur autem & omnes alij tanquam materia, vtentes infinito; quocirca & inconueniens est, continens facere ipsum, & non contentum.

I Annectit quartum theorema, quod huiusmodi est. Infinitum debet obtinere rationem principij, Quocirca in tex. 25. & 30. asserebant, quod *rationabiliter principium ipsum, infinitum, ponunt omnes*. Principia verò, siue genera causarum sunt quatuor, ideircò quæritur, infinitum cuiusnam principij, siue cuiusnam causæ rationem habet?

Respondet Arist. Manifestum est, quod infinitum habet rationem causæ materialis, *& est causa vt materia*. En ratio, quia infinitum est in potentia: esse autem in potentia est proprium ac germanum materiæ. Item, inter causas forma, & finis terminant, & finiunt: efficiens autem est actu, & perficit compositum determinatum, quæ omnia e regione repugnant infinito: relinquitur itaque vt infinitum subeat solius materiæ rationem, quemadmodum etiam in tex. 63. fuit dictum.

II. Porrò materia consideratur tum qua est sub forma, tum pro vt est cum sola priuatione: Infinito minimè competit ratio materiæ, qua illa degit sub forma, sed qua concipitur cum sola priuatione: Ratio est, quia forma elargitur materiæ perfectionem, ac terminationem: Infinitum autem dicitur per negationem, siue remotionem perfectionis, ac terminationis. Enimuero *perfectum nihil est, non habens finem: finis autem est terminus*, vt Philosophus in tex. 64. loquitur: Hanc infiniti interminationem, & imperfectionem indicat Arist. dum ait, *esse quidem ipsius priuatio est*: Subiectum verò huius priuationis *est ipsum continuum, & sensibile*. Quod ideò dicit, ne quispiam crederet, infinitum esse ipsammet materiam primam, quæ suapte natura, & perfectionis, & terminationis est expers.

III. Et quod infinitum obtineat rationem materiæ, confirmat Arist. ex Veterū Philosophorum auctoritate, qui omnes vsi sunt infinito tanquam principio materiali. Quæ si vera sunt, profectò inconueniens est, ipsum infinitum facere aliquod *continens, & non contentum*: Quippe materia continetur, non continet; quemadmodum etiam in tex. 62. fuit dictum. Hic imponit finem suæ sententiæ de infinito.

CAPVT VIII.

Soluit rationes in capite quinto adductas, quibus videbatur probari infinitum actu.

TEXTVS LXXIII.



Eliquum est autem aggredi secundum quas rationes infinitum esse videtur, non solum potentia, sed vt determinatum. Alia enim ipsorum non necessaria sunt, alia autem habent alias quasdam veras obiectiones. Neque enim vt generatio non deficiat, necessarium est, actu infinitum esse corpus sensibile, contingit enim alterius corruptionem generationem alterius esse, cum omne finitum sit.

Diluit in præsenti capite rationes contrarias, in tex. 31. & 32. inductas ad probandum in natura I.
reperiri infinitum actu. Et in hoc tex. duo facit. Primùm indicat suam intentionem, & ait, patefacta iam veritate, reliquum esse, depellere rationes, secundum quas videbatur ostendi, quod non solum datur infinitum potentia, quemadmodum nos constituimus, ἀλλ' ὡς ἀφωρισμένον, sed datur etiam *vt separatum*, videl. vt actu, ac per se existens. Ac primò quidem vniuersè occurrens dicit, quod illarum rationum quædam non sunt necessariæ: aliæ verò habent quasdam alias instantias veras: Quasi dicat, rationes, pro nostra sententia illi opposita confectæ, sunt veræ.

Aggreditur deinde singillatim illarum rationum solutiones, in quibus adhibendis non eundem ordinem obseruat, qui fuit in ijs proponendis, sed primò diluit in hoc tex. tertiam rationem: In tex. verò sequenti diluit quartam: Postea in prima parte tex. vltimi soluit quintam: Postremò in altera parte eiusdem textus, indicat solutiones duarum priorum rationum; quas ex industria in vltimum locum reiecit, quia infinitum, quod illæ contendunt dari, est successiuum, ac solum in potentia, quale infinitum Arist. ipse non inficiatur.

Tertia itaque ratio erat, quod nisi concedatur corpus actu infinitum, ex quo veluti ex principio II.
fiant generationes, istæ nequaquam erunt sempiternæ, sed tandem aliquando deficient. Respondet Arist. non esse necessarium concedere corpus sensibile actu infinitum, vt generationes æternitur, sed constituto vniuerso finito, perpetuantur, quia

vnius

vnius corruptio est vlterius generatio: Quam quidem rationem fusius anulit in primo de ort. & iotér. tex. 16. & dissoluit in tex. 17. inquiens, *quocirca, propterea quod huius corruptio alterius est generatio, & huius generatio alterius est corruptio, incessabilem necesse est transmutationem esse*. deinde cum ait,

TEXTVS LXXIV.



Amplius, tangere, & finitum esse, alterum est: illud enim ad aliquid est, & alicuius, (tangit enim omne aliquid) & finitorum alicui accidit: finitum autem non ad aliquid est, neque tangere cuiusuis quoduis est.

I. Soluit quartam rationem, qua ex conditione corporis finiti, & ex natura contactus euerbatur infinitum corpus actu, quia omne corpus finitum tangit aliud corpus, a quo & terminatur: Quod si illud quoque supponamus finitum, illud etiam tangat aliud, & ita deinceps vsque in infinitum.

II. Occurrit, quod aliud est tangere, aliud finitum ac terminatum esse, Tangere est quippiam respectiuum: nam tangens est alicuius habentis extremum ad alterius extremum, a quo tangitur: propterea tactus semper *alicui finitorum accidit*. Esse autem finitum ac terminatum non est ad aliud, sed est aliquid absolutum. Quo fit, vt benè possit aliquid esse finitum ac terminatum termino suo intrinseco absque eo quod tangat aliud; sicut numerus V. G. denarius est quid finitum, nec tamen quicquam aliud tangit. Sic ergo deuenimus ad aliquod corpus, videl. ad primam sphæram, quæ quidem finita, suoque intrinseco termino existit conclusa, nec tamen aliud corpus supra se tangit. Ex quo etiam concluditur io lib. quarto huius operis, tex. 45. quod *calum totum non est alicubi, neque vllo in loco est*, quia non ambitur ab aliquo alio corpore. Et in primo de cælo tex. 100. legimus, quod *extra calum neque est, neque contingit esse corpus*.

TEXTVS LXXV.



Intellectione autem credere inconueniens est: non enim in re superabundantia, & defectus est, sed in intellectione: vnumquemq; enim nostrum intelliget vtiq; aliquis multo maiorem se ipso, augmentans in infinitum. Sed non propter id extra vrbem quispiam est, extraue tantillā magnitudinem, quàm habemus, quoniam intelligit aliquis, sed quoniam est: Hoc autem accidit. Tempus verò, & motus infinita sunt, & intellectio, non permanente accepto. Magnitudo autem neque diuisione, neque intelligibili augmentatione est infinita. Sed de infinitis quidem quomodo est, & quomodo non est, & quid est, dictum est.

Soluit quintam rationem; indicat leuiter etiam solutiones primæ ac secundæ rationis: & colligit epilogum. Quinta ratio erat ex nostra cognitione, qua possumus concipere lineam V. G. extra cælum infinitè protractam. illa igitur est infinita.

I. Respondet Aristot. illi apprehensioni haud esse credendum: neq; enim fas est concipere aliquid esse, vt illud iam sit. Subdit rationem, quia tunc *superabundantia, & defectus non est in re, sed in intellectione*. Cognitio dependet a rebus, non res a cognitione: Quocirca cognitio est vera, aut falsa, pro vt res sunt, aut non sunt. Ita in Categor. de substantia idem Philosophus aiebat, quod *quia res est, aut non est, icircò vera est, aut falsa oratio*. II.

Addit duplex exemplum. Potest quiuis concipere aliquem alium longè maiorem se ipso, eiusque magnitudinem in infinitum augere: nec propterea ille accipiet *tantillam magnitudinem* vltra eam, quam re ipsa habet. Ita possum cogitare Petrum esse extra vrbem, *sed non propter id est extra vrbem*. III.

Indicat demum breuiter solutionem primæ, & secundæ rationis: Et quidem prima accipiebatur ex tempore, & motu; quæ sunt quidem infinita, vt contendit Arist. in oct. Phys. & primò de cælo; sed hæc non sunt infinita actu, sed solum in potentia, quia sunt successiua, & quia pars ex ijs accepta semper est finita, & quia pars accepta non manet, vt explicatur in tex. 57. & 58. huius lib. Huiusmodi autem infinitum potentia Aristot. non negat: Ita magnitudo, ex qua accepta erat secunda ratio, neque diuisione est infinita, hoc est non ita diuiditur, vt illa in quę diuisa est, sint actu: neque etiam huiusmodi infinitum potest fieri appositione: Hæc verò ob id ita paucis tangit, quia ex hucusque habitis manent declarata.

Quibus hunc in modum peractis colligit, quod *de infinito quidem quomodo est, & quomodo non est, & quid est, dictum est*.

QVÆ-

QVÆSTIO VNICA DE INFINITO

SECTIO PRIMA

Quid, & quotuplex sit infinitum.



Infinitum spectat ad quantitatem, quemadmodum & finitum; *nam infinitum in quanto est*, inquit Arist. in primo Phys. tex. 15. Quantitas autem alia quidem est molis & extensionis, alia autem virtutis ac perfectionis. Sic *in illis quæ non mole magna sunt, illud est maius, quod est melius*: Hinc & infinitum aliud erit in magnitudine ac quantitate molis, aliud in magnitudine ac quantitate perfectionis.

In hac posteriori classe duplex considerari potest infinitum. Alterum secundum essentiam, siue in perfectione essentiæ. Alterum secundum intensionem. Quod adhuc subdiuido in infinitum secundum intensionem, siue vigorem virtutis in agendo: & infinitum secundum intensionem qualitatis. Quæ omnia explico. Infinitum secundum perfectionem essentiæ, quod etiam appellatur infinitum simpliciter, & in omni genere, est illud, quod habet aut formaliter, aut eminenter omnem omninò perfectionem, quæ nunc reperitur, & quæ quouis modo reperiri potis est; atque tale infinitum est solum primum omnium ens, Deus; qui actu quidem ac formaliter continet suas diuinas perfectiones, virtute verò ac eminenter continet omnes cæterarum rerum perfectiones, quia quæ sunt sparsa in inferioribus adunantur in superiori: & est illud, quo neque esse, neque concipi quicquam potest perfectius. Atque hoc infinitum actu dari, nemo, nisi insipiens, & vix in corde suo, ambiget.

II. Infinitum secundum vigorem virtutis in agendo iuxta veritatem nostram est potentia, & actio eiusdem Dei. Ita & credimus, & profitemur; In Peripato autem disputatur in calce octaui lib. Phys. vtrumne primum mouens immobile sit infiniti vigoris intensiuè, an verò solum extensiuè, quia videl. *perpetuo monet motu, & infinito tempore*. Qua de re etiam nos suo loco dicemus: Infinitum demum secundum intensionem qualitatis est, veluti si sit calor infinitè intensus, aut albedo infinitè intensa.

III. Infinitum autem primæ classis, nempe in magnitudine molis & extensionis dicitur infinitum in vno genere: limitatur enim tale infinitum ad quantitatem; quo fit vt huiusmodi infinitum non contineat perfectiones alterius Prædicamenti: Est autem triplex. Vnum est infinitum in extensione continua successiua, siue in duratione, quemadmodum Arist. opinatus est, motum, & tempus esse vtraque ex parte infinita, vt videre licet in oct. Phys. in primo de cælo, & duodec. Metaphys. De quo quidem infinito in duratione agemus in lib. oct.

Alterum infinitum est in extensione continui permanentis, veluti si sit linea actu in infinitum protracta, aut corpus: Ita pleriqne omnes Veteres Physici constituerunt pro principio rerum aliquod corpus actu infinitum, vt ex Arist. in expositione tex. vidimus.

Tertium infinitum est in quantitate ac extensione discreta, vt si sit multitudo aliquarum rerum actu infinita; sicut posuit Democritus atomos actu infinitas, & Anaxagoras corpuscula homogenea itidem actu infinita, vt habuimus circa tex. 27. huius lib. & ad tex. 33. & 42. libri primi.

IV. Præterea, quoduis ex his infinitis spectari potest aut actu, aut potentia, quemadmodum ipsemet Arist. in tex. 56. huius lib. diuidit infinitum. Infinitum in potentia est id, quod actu quidem est quoddam finitum, attamen si sit quantum continuum, potest diuidi successiuè in infinitum; si quantum discretum, potest successiuè augeri in infinitum; si denique sit vis, aut qualitas, potest itidem successiuè infinitè intendi. Infinitum autem actu est, in quo actu ac re ipsa esset aut magnitudo infinita, aut multitudo infinita, aut intensio infinita. Infinitum in potentia solet in scholis appellari infinitum syncategorematicum: Infinitum verò actu dicitur infinitum categorematicum. His ita prælibatis.

Inuestigabo primùm quid sit infinitum; Deinde, quale sit, siue quibus attributis sit prædítum; Postea, quodnam infinitum detur, & quod non; Ad hæc, an infinitum actu detur de facto, aut dari possit; idque aut secundum vires naturæ, aut per potentiam, vt aiunt, Dei absolutam. Consultò autem primò inquirendum proposui quid, & quale sit infinitum, non autem primò inquiro an sit, tum quia nisi cognouerimus quæ sit natura, & conditio infiniti, non possumus quærere an detur. Tum etiam, quia infinitum siue detur, siue non, eandem sanè debet habere naturam, & easdem conditiones.

Expli-

Explicatur definitio infiniti.



V. ARist. reiecta in tex. 62. definitione Veterum, quæ erat, quod *infinitum sit id, cuius est nihil extra*, definit ipse, in tex. 63. opposito modo, *infinitum esse id, cuius secundum quantitatem accipientibus semper aliquid accipere extra est*. Cuius sensus, quicquid nonnulli intricant, est clarus. Infinitum illud est, a quo si accipias partem quantitatiuam, deinde accipias aliam partem, & rursus aliam, & post illam aliam, poteris in infinitum accipere, ita vt quacunque parte ex eo accepta, semper in illo ita relinquatur alia atque alia extra, siue vlterius accipienda, vt nunquam possis ad vltimam ipsius deuenire. Finge lineam ex hoc loco versus Orientem infinitè protractam: deinde accipe ex ea centum cubitos; postea accipe mille, inde accipe bis mille, ita infinitè poteris ex illa accipere, vt semper vltra partem acceptam, supersit alia atque alia, quam possis accipere vsque in infinitum.

VI. Alio etiam modo definiuit Arist. infinitum: nam in tex. 43. huius istius lib. ait, *infinitum esse id, quod infinitè extensum est*. In primo autem de cælo tex. 130, *infinitum*, inquit, *est id, quo non est maius*: sed prima definitio est celebrior, & magis inter Doctores agitata.

De qua etiam inter se dissident, quod eum duplex sit infinitum, videl. actu, & potentia, cuinam infinito illa definitio competat? Quidam enim tendunt, eam competere vni ac soli infinito in potentia, siue syncategorematico, non autem infinito in actu: Alij e contra aiunt, illam competere vni ac soli infinito in actu, & categorematico, non autem infinito in potentia, & syncategorematico: Alij demum volunt eam communem esse, vtriusque infiniti.

VII. In prima opinione est Scot. in quodli. 5. & eius sectatores, vt refert Mastr. in Phys. disput. 10. quæst. 1. Probant, Nam Philosophus in hoc lib. docet, infinitum esse in fieri, & habere rationem partis, non totius; & esse quiddam incompletum, & imperfectum: At hęc attributa de infinito categorematico intelligi haud possunt. Quid ita? quia infinitum in actu & categorematicum est in facto esse, & habet rationem totius, non partis; ac proinde est aliquid completum, & perfectum, cum tale infinitum sit in actu secundum omnes sui partes, & ei nihil desit, quod ad gradum infinitatis ipsius spectat: quare dicta infiniti definitio datur solum de infinito syncategorematico.

In secunda opinione stat Valq. in prim. part. disput. 26. quæ potest hac ratione confirmari; quia illud infinitum Arist. intendit definire, quod definiebant, & ponebant Veteres: Illud autem erat infinitum actu, ergo &c.

Nihilominus tertia sententia est vera, quod videl. dicta definitio competat vtrique infinito, & quod est potentia, & quod esset actu. Ita Græci interpretes, deinde Auerr. & S.Thom. ad tex. 62. & 63. Et ratio quoq; est euidens, quia illud infinitum Arist. definiuit, quod ipse concessit, & quod probat non dari. Sed concedit infinitum in potentia; reprobat autem infinitum in actu, quare in sua illa definitione vtrumque infinitum complectitur. VIII.

Præterea, Infinitum in potentia, & infinitum in actu non differunt in extensione vsq; in infinitum, sed discriminantur inter se solum ratione potentialitatis, & actualitatis, quod illud quidem habet esse potentia, hoc autem actu. Id quod vel ex eo potes deprehendere, quia si per impossibile omnes omninò partes alicuius infiniti potentia simul ponerentur in actu, tunc illud procul dubio esset infinitum actu. Sed in dicta definitione attenditur hæc infinita partium extensio, Hæc enim est quasi differentia in ea definitione, quę exprimitur per illa verba, cuius accipientibus secundum quantitatem *semper est aliquid extra*, ergo si talis extensio in vtroque infinito, & categorematico, & syncategorematico adest, profectò vtrumque infinitum per eam definitionem definitur.

Ad fundamentum verò primæ sent. neganda est minor. Nam falsum, & contra Arist. in tex 63. 64: accipit ea opinio, quod infinitum actu sit quoddam totum, & perfectum: Primùm huiusmodi infinitum actu nunquam datur, vt infra dicemus. Deinde, quia Veteres aiebant, infinitum esse quoddam totum. Philosophus autem hoc reijcit in dictis contextib. statuitque in tex 66. *quod magis in partis ratione infinitum sit, quàm in totius*, de qua tamen re in sect. seq. IX.

Ad rationem verò pro secunda opinione confectam dico, quod licet infinitum ab antiquis inductum esset solum infinitum in actu, Nihilominus Arist. cum isthoc neget, & concedat aliud, nempe infinitum in potentia, omninò debuit tradere definitionem vtrique infinito communem. Alioquin quo pacto possemus cognoscere, quod infinitum vna quidem ratione detur, alia non detur, nisi prius sciremus, quid sit illud, de quo quærimus, datur ne, an non?



SE-

SECTIO SECVNDA

Quale est infinitum, siue quæ sunt eius attributa?



Quomodo infinitum est ignotum.



Eptem potissimùm proprietates, siue attributa solent infinito adscribi, quæ nobis sedula opera expendenda sunt,
X. eaquarū accurata perceptione natura ac conditio infiniti penitus innotescet. Primò infinitum dicitur ignotum, scribit enim Philosophus in primo Poster. tex. 39. & lib. primo Phys. tex. 35. & in tex. 66. huius lib., quod *infinitum, secundum quod infinitum, ignotum est*. Quod intelligitur; vt neque actu cognitum sit, neque possit cognosci: Et sic etiam ex instituto probat in secundo Metaph. cap. 2. tam de infinito secundum magnitudinem, quàm de infinito in multitudine.

Quod tamen assertum videtur pati difficultatē, Primò, quia si infinitum non cognoscitur, neq; est aptū cognosci, Physicus in cassum eius tractationē assumit, & inani opera laborat eius scientiam comparare. Secundò, Quod ex se est tale, ad quodcunque refertur, semper est tale: At infinitum relatum ad Deum non est ignotum, cognoscit etenim Deus infinita, quæ saltem successiuè potest producere. Quid verò? cum ipse sit vsquequaque infinitus, si non cognosceret infinitum, non cognosceret se ipsum.

Nihilominus Stagiritæ propositio verissima est.
XI. Primò, quia cognoscere est cognitione cognoscentis complecti, & finire obiectum cognitum, vnde Philosophus quinto Metaph. cap. 17. aiebat, quod *terminus*, siue *finis cognitionis est rei quoque finis*. Quo etiam spectat illud D. August. lib. 3. de Ciuit. Dei cap. 18. *Quicquid scientia comprehenditur, scientis cognitione finitur*. Sed repugnat infinito, qua infinitum est, comprehendi ac finiri, alioquin esset finitum, quare repugnat infinito, qua infinitum est, cognosci.

Secundò, Intellectus dum cognoscit, fit id quod cognoscit, vt dicitur tertio de Anim. tex. 37. At finitum nequit fieri infinitum, quoniam inter illa intercedit infinita distantia, ergo cum intellectus noster sit finitus, repugnat, vt per ipsum cognoscatur infinitum, qua infinitum est.

Tertiò, Cognoscentis ad cognitum debet esse aliqua ratio seu proportio: At *infiniti ad finitum nulla est ratio*, ex primo de cælo tex. 52. & 63.

Veruntamen hic scito, infinitum dupliciter posse considerari. Primò, in abstracto; vt est vna aliqua siue natura, siue ratio, quæ ita est propria ipsius infiniti, vt non sit alterius: Qua ratione aiebat XII.
Philosophus in primo de cælo tex. 130. quod *infinitum aliquo modo est determinatum*: & sic infinitū commodè & verè potest cognosci, & positiuè describi: Secundò consideratur infinitum reduplicatiuè, vt infinitum est: Quam quidem reduplicationem oculatè expressit Aristot. in sua enunciatione dum inquit, *infinitum, secundum quod infinitum, ignotum est*. & secundum hunc reduplicationis ac infinitatis modum non est aptum cognosci: Etenim cognoscere hoc modo est cognoscere accipiendo ex illo infinito aliud post aliud vsque in infinitum. Qui autem ita cognoscit, semper cognoscit aliquid finitum, id nimirum quod accipit. Hoc itaque secundo modo intelligit Arist. infinitum esse ignotū.

Hinc apparet etiam solutio ad argumenta in oppositum confecta. Physicus tenetur cognoscere na- XIII.
turam infiniti, vt in primo modo exposui, quatenus videl. est quædam ratio determinata, & respicit quantitatem, vt dictum est. Præterea, tenetur etiam cognoscere infinitum per negationem, & remotionem, tum a rebus, tum a cognitione ipsa, de qua re dixi etiam in adnotationib. ad cap. 4. huius lib.

Ad 2. argum. dico, Deum cognoscere infinitum non per modum infiniti, sed simul, & per modum finiti, quia *ratio infiniti congruit quantitati: de ratione autem quātitatis est ordo partium. Cognoscere ergo infinitum secundum modum infiniti, est cognoscere partem post partem: & sic nullo modo contingit cognosci infinitum, quia quantacunq; quantitas partium accipiatur, semper remanet aliquid extra accipientem. Deus autem non sic cognoscit infinitum, vel infinita, quasi innumerando partem post partem, cum cognoscat omnia simul, non successiuè. Vnde nihil prohibet ipsum cognoscere infinita: & sic non est contra rationem infiniti, quod comprehendatur ab infinito*, ait S. Thom. in prim. part. quæst. 14. art. 13. in respons. ad 1. & 2.

Infinitum habetne rationem partis, an potius sit quoddam totum?



Eteres Physici, cum vna quidem ex parte animaduerterent, totum XIV.
esse id, quod omnia ad se spectātia complectitur: ex altera verò parte haberēt pro dignitate, quod *infinitū omnia continet*, intulerūt, infinitum esse quoddam totum: propterea ipsum definiuere esse *id, cuius nihil est extra*, quemadmodum vidimus circa tex. 62 & 63. Veterum illorū sententiæ adhæsit Scot. in quodlib 5. Durand. in 1. distin. 44. quæst. 1. necnon alij, quos refert Mastr. in Phys. disp. 10. qu. 1. art. 1. & P. de Ouiedo, in Phys. controu. 14. punct. 1. & refert, & strenuè impugnat.

Arist. verò decernit, *infinitum non esse actu totum*; quia, vt in tex. 64. arguit, *totum, & perfectum, aut idem penitus, aut proxima natura sunt:*
XV. Perfectum autem illud meritò censetur, quod actu habet finem: Et sanè nihil est perfectum, quod finem non habet. Cum itaque infinitum fine careat, profectò haud erit actu totum. Præterea, Infinitum habet rationem potentialitatis ac materiæ: atque adeò est quippiam indeterminatum, cum forma sit quæ determinet, & faciat hoc aliquid, vt vel ex secundo de Anim. tex. 2. constat. Manifestum autem est, totum actu esse aliquid actu determinatum, quare infinitum non erit totum actu, sed vt ipse Philosophus ait in tex. 65 *infinitum est perfectionis magnitudinis materia, & potentia totum, actu verò non*. Et in tex. seq. colligit, *Quare manifestum est, quod magis in partis ratione infinitum sit, quàm in totius*. Et in tex. 58. aliam rationem innuit, quia totum est aliquid per se permanens, veluti homo, aut arca: infinitum autem consistit in actuali acceptione, aut additione partis post partem. *Infinitum*, inquit, *non oportet accipere sicut hoc aliquid, vt hominem, aut domum, sed vt dies dicitur, & certamen, quibus esse, non vt substantia quædam factum est, sed in generatione semper, aut corruptione finitum, sed semper alterum, atque alterum, &c.* Et in tex. 64. præfert Parmenidē Melisso, quod hic infinitum dicit esse *totum: ille verò totum ait, esse terminatum ex æquo a medio distans*. Consimilia habet vndec. Metaph. cap. 9.

Adde hanc rationem. Totum quantitatiuū actu
XVI. est illud, quod actu obtinet omnes sui partes, quæ aliquoties acceptæ illud constituunt, & exæquant; Et præterea est aliqua ratio, & ordo tum inter ipsas partes, tum inter partes, & ipsum totum. Hæc omnia tute ipse considera in quocunque toto quantitatiuo. Sed infinito omnia ista repugnant. Primò repugnat, quod partes infiniti aliquoties acceptæ illud constituant, aut exæquent, cum partes infiniti infinities acceptæ, nunquam illud exhauriant; Præterea, neque inter partes illius est aliqua ratio, aut ordo, vt docet Aristot. octau. Phys. tex. 15. & propterea in secundo Metaph. cap 2. dicitur, *quod omnes infiniti partes sunt mediæ similiter*. Insuper, neque est vlla ratio inter partes infiniti, & ipsum infinitum, quia quæcumque illius partes accipiuntur, semper sunt finitæ, *finiti autem ad infinitum nulla est ratio*, ex primo de cælo tex. 52. ergo repugnat infinitum esse totum actu.

At verò neq; potest infinitum propriè appellari pars: Ratio est euidens, quia pars, qua pars, respicit id, cuius est pars: Si itaq; infinitum esset propriè pars, cuius vnquam pars esset? Siquidem illud cuius esset pars, aut esset finitum, aut infinitum. Non finitum: quomodo enim infinitum poterit esse pars finiti? At neq; fuerit infinitum, quia & illud infinitum esset pars alterius infiniti. Et propterea Arist. in tex. 66. non ait, infinitum esse partem, sed oculatè ait, quod magis habet *rationem partis*, Quare infinitum potest dici solum totum in potentia, quia habet rationem materiæ, & potentialitatis; Et quia materia, & potentialitas subeunt rationem partis, ob id infinitum est materia perfectionis magnitudinis, *& potentia totum*, vt dicitur in tex. illo 65. & habet *rationem magis partis, quàm totius*.

At dices, Si esset corpus actu infinitum, aut multitudo, V. G. hominum actu infinita, illa verè ac XVII. propriè essent quædam tota, ac perfecta. Quod sic prob. Essent tota, quia nihil illis deesset ex ijs partibus, aut attributis, quæ ad illa spectarent. Essent etiam perfecta, quia continerēt quicquid in eo gradu inueniri potest. V. G. corpus actu infinitum contineret totam perfectionem corporis; & infinita illa hominum multitudo contineret omnem omninò perfectionem hominum: quare infinitum est quoddam totum, & perfectum, non verò habet rationem partis, neq; est quippiam incompletum, ac imperfectum.

Respond. primùm quidē hypothesim esse impossibilem: quippe per nullam potentiam potest effici actu infinitum, vt inferius dicemus. Deinde, illud corpus actu infinitū concipitur a nobis quasi in abstracto vt natura quædam, & vt quoddam totum: & hoc est concipi infinitum per modum finiti: Atq; hac ratione infinitum *habet quandam similitudinem cum toto*, vt etiam monuit Philosoph. in tex. 65. Cæterùm si accipiatur vt infinitum reduplicatiuè, nequit vllo modo concipi vt totum, cum hac ratione sit ignotum, quemadmodum nunc dicebamus. Et multo minus poterit dici totum, si consideretur quantum ad existentiam, quo pacto hic cum Arist. loquimur de infinito. Hem, nonne fatuus esset, qui diceret, omnes dies in infinitum futuros, esse & existere nunc actu quoddam totum? ita dic de infinito, quandoquidem *infinitum dicitur vt dies, & certamen, quibus esse, est in generatione semper, aut corruptione finitum*, vt legimus in tex. 58.

Quomodo infinitum sit immensurabile, & impertransibile: Et vtrum in eo sit aliquis ordo.



N tex. 61. libri sexti huius operis hæc scribit Arist. *Infiniti nulla pars est, quæ mensuraret: impossibile enim est, infinitum esse ex finitis, & æqualibus, & inæqualibus: propterea quod mensurabuntur quæ finita sunt multitudine, & magnitudine a quodam vno, siue æqualia sint, siue inæqualia*. Et XVIII. in tex. 35. huius lib. & Veteres, inquit, loquuntur, & nos quærimus de infinito, *vt est impertransibile*. Consimilia habet cùm alibi, tū vndec. Metaph. c. 9.

Rationes quoq; in promptu suppetunt: Et quod infinitum mensurari ac numerari non queat, hunc in modum demonstratur. Illud dicitur mensurari, quod determinatè cognoscitur esse tantum, &

non

non maius; & illud dicitur numerari, quod itidem limitatè cognoscitur esse tot, & non plura. Sic mensuramus lignum, & deprehendimus esse decem palmorum, & non maius: sic numeramus cætum hominum esse centum, & non plures. Atqui id de infinito haberi nequit, cum infinitum non sit tantum, quin sit maius, siue in magnitudine, siue in multitudine. ergo repugnat, infinitum posse mensurari, ac numerari.

Item, Mensurare propriè est deuenire in cognitionem alicuius quantitatis nobis ignotæ per aliam
XIX. quantitatem nobis notiorem; ita etiam numerare. Sed hoc de infinito habere non possumus. Quod sic ostendo, Illud, per quod tanquam per notius nobis, mensuraremus infinitum, aut esset finitum, aut infinitum. Nequit esse finitum, quia, vt loquitur Arist. in sexto Phys. tex. 64 *finitum pertransire infinitum impossibile est*: & ex primo de cælo tex. 63. *infinitum a finito aliquid pati impossibile est*. mensurari autem est aliquid pati. At neque potest esse infinitum, quandoquidē mensura debet esse nobis notior mensurato, vt declarat idē Arist. decim. Metaph. cap. 1. *nam id dicitur mensura, quo primo vnumquodque cognoscitur*. Vnum autem infinitum haud est nobis notius altero: quare nullo modo infinitum valet mensurari, aut numerari.

Quod verò infinitum sit ex toto, siue totum im-
XX permeabile, hinc liquet, quia illud totū pertransitur, ad cuius vltimum re ipsa peruenitur: Sed infinito repugnat vltimum, cum natura ipsius sit, vt ea eo accipienti, semper aliud atque aliud relinquatur accipiendum, vt vidimus in eius definitione, & in tex. 30. huius lib. legimus, quod *infiniti non est principium: esset enim ipsius vtique & finis*. Et lib. quinto tex. 13. necnon lib. octau. tex. 34. & lib. secundo Metaph. cap. 2. habes, quod *infinitorum non est primum*, ergo re vera repugnat, infinitum posse mensurari, numerari, & pertransiri. Hinc Arist. in tex. 41. huius lib. deducit, quod infinitum *neque est numerus, sic vt separatus, quia numerus, aut habens numerum est numerabile: si ergo numerabile, potest numerari, & pertransire vtique possibile erit infinitum*. Quæ relinquit tanquam impossibilia.

Quæ si vera sunt, profectò non rectè loquuntur quidam recentiores, inter quos est Arriag. in Phys. disp. 13. sect. 1. dum aiunt, posse vnum infinitum, in multitudine, aut in magnitudine claudi inter duas vnitates, vel duo puncta determinata. Iuxta quam sententiam infinitum haberet primum, haberet vltimum, essetque re vera permeabile.

XXI. Denique in infinito nulla interuenit ratio, nullus ordo. Ita expressè Philosophus oct. Phys. tex. 15. Et quidem ratio hoc modo definitur ab Euclid. lib. quinto element. definitione 3. *Ratio est duarum magnitudinum eiusdem generis mutua quadam, secundum quantitatem, habitudo*; hæc non reperitur nisi in rebus finitis; nō itaque in infinito est ratio vlla.

At neque est ordo, nam ordo nihil aliud est, quàm conueniens partium dispositio secundum prius, & posterius vsque ad vnum primum: & vt S. August. lib. 19. de Ciuit. cap. 15. loquitur, *ordo est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens, dispositio*. Rationem itaque sic strue: Vbi non est primum, non est vltimum, & non sunt partes secundum prius, & posterius, siue secundum diuersa loca dispositæ, repugnat ibi adesse ordinem: In infinito non est primū, non est vltimum, neque sunt partes ita dispositæ, sed vt Arist. ait secundo Metaph. cap. 2. *infinitorum quidem hoc modo simpliciter infiniti omnes partes mediæ sunt similiter hucusque. Quare si primum nihil est, &c.* ergo repugnat in infinito adesse ordinem.

At dices: Tempus, ad mentem Arist. est infinitum:
Nihilominus in eo præfulget partium dispositio: XXII.
aliud quippe est præteritum, aliud præsens, aliud futurum. quare in infinito est ordo. Præterea, motus, & circuitus orbium cælestium sunt infiniti: At in illis suppetit exquisitus ordo: sunt enim illi & regularissimi, & in sua varietate constantes. V. G. hyemem excipit ver, hoc promerit æstas, æstati succedit autumnus, inde rursus hyems: idque eodem modo ineuitabiliter in omne æuum. ergo in infinito adest ordo.

Occurrendum est, quod hæc infinita, tempus, & motus cælorum (loquor in Peripato) possunt gemino modo considerari. Primò prout sunt quædam infinita absolutè. Secundò quatenus aliquæ eorum partes referuntur ad nos, aut ad aliquid aliud determinatum. quod quidem determinatum sit primum, aut vltimum illarum partium: & sic illæ partes infiniti habent inter se ordinem. Ita præteritum dicitur, quod præterijt nos: futurum, quod debet ad nos aduenire: Ita hesterna cæli circulatio nobis est præterita: crastina est futura. Spectata autem dicta infinita primo modo, qua in se ipsis sunt infinita, nullum habent ordinem, & vt doctiss. Piccol. in lib. de communib. affectionibus corporis Physici, cap. 4 loquitur, hoc modo infinita, *sicut carent primo, & vltimo, ita careat conditione prioris, posterioris, antiquioris, & recentioris, adeo vt auus non sit prior nepote, dies præteritus die futuro. Nec plures præcesserint horæ, quàm anni, nec plures fuerint reuolutiones Lunæ reuolutionibus Saturni*. Et ita etiam explicat Auerr. in prim. disput. contra Algaz. in solutione quintæ difficul.

Vtrum infinito possit aliquid addi, aut adimi.



Cito, infinitum in magnitudine continua duplex posse concipi.
Vnum, quod vtraque ex parte sit XXIII.
infinitum, veluti si concipias lineam infinitè protractam tam versus Orientem, quàm versus Occidentem. Alterum, quod ea vna quidem parte verè sit infinitum: ea altera autem sit finitum. V. G. si hinc incipiat linea, & tendat versus Orientem in infinitum.

Aduerte 2. quod cum in dubium vocamus, an possit infinito quicquam addi, intelligimus, quod addatur aliquid eiusdem rationis ac est illud, cui debeat addi: siquidem additio debet esse ex rebus quæ sint eiusdem speciei, ac sunt illa quibus additio fit: vt si lineæ infinitæ possit aliquid addi, illud debeat esse linea: & si infinitæ aquæ possit aliquid addi, illud deberet esse aqua.

Aduerte 3. quod infinitum, aliud quidem est infinitum omnibus modis, aliud autem est infini-
XXIV. tum vno modo tantum. Infinitum primæ conditionis est, quod in se habet omnem omninò rationem infinitatis ac perfectionis, eo modo quo est infinitum. Dico, eo modo quo est infinitum, quia vnum est infinitum omnibus modis absolutè in omni genere, quale est solum primum ens Deus, de quo hic non loquor: Aliud est infinitum omnibus modis solum in genere rerum corporearum, vt si daretur corpus actu infinitum; Illud quippe corpus, cum esset infinitè longum, infinitè latum, infinitè profundum, contineret omnem dimensionem, & omnium corporum, qua corpora sunt, perfectionem. Infinitum verò secundæ conditionis, videl. vno modo tantum est, quod secundum vnam rationem est infinitum, secundum alias autem est finitum. V.G. linea actu infinita est infinita secundum longitudinem, finita verò secundum latitudinem, & profunditatem. Quibus positis.

Dico 1. Infinito actu in magnitudine omnibus modis, id est corpori actu infinito existenti,
XXV. neque potest aliquid addi, neque detrahi.

Prior pars prob. quia vbi illi corpori facienda esset additio, ibi necessario deberet esse illius corporis terminus ac finis. Cur? quoniam additio non posset fieri nisi per vnionem corporis addendi ad aliquam determinatam præexistentis corporis partem. Illa itaque pars esset vltima in dicto corpore infinito. Cum igitur illud corpus supponatur esse actu infinitum, cui repugnat vltimum, repugnat etiam additio. Præterea, tale corpus actu infinitum contineret, & absorberet omnia corpora, necnon occuparet omnem omninò locum. Quod igitur corpus deberet illi accedere, & ex quo loco? Hinc etiam patet posterior assertionis nostræ pars. Nam si ex illo infinito corpore, quod omnem penitus repleret locum, detraheretur aliqua pars, hæc in quo vnquam loco reciperetur?

Dico 2. Si sit infinitum vno modo tantum, ta-
XXVI. men sit infinitum vtraque ex parte, repugnat illi aliquid addi, non repugnat autem ex illo aliquid adimi.

Res est conspicua; Sit linea vtraque ex parte, id est, & versus Orientem, & versus Occidentem infinita; illi nihil lineæ poteris addere, cum ex vtraque parte continuè ac infinitè protendatur. Poteris autem ex illa auferre decem, aut centum, aut mille cubitos, V. G. ex ea parte, vbi nos sumus. Sed hic aduerte, quod tunc illa linea ita disrupta non esset vna, neque ex vtraque *parte infinita*, sed statim fierent duo infinita, quæ essent infinita solum ex vna parte.

Dico 3. Infinito ex altera duntaxat parte, benè XXVII.
potest, & addi, & detrahi.

Patet. Quid vetat lineæ hinc versus Orientem infinitè protractæ detrahere partem lineæ, qua parte illa finita est, aut addere aliam atque aliam partem lineæ, idque vsque in infinitum? Ita, facta mundi æternitate, transacti sunt anni, menses, dies infiniti; quibus tamen adijcitur & dies hodiernus, & crastinus, & menses, & anni vsque in infinitum. Iuxta hanc tertiam conclusionem debes philosophari, & de infinito in potentia. Cum enim illud actu sit quoddam finitum, veluti hæc mensa, qua parte finitum est, potest & augeri, & diminui. Hæc de infinito in continuo.

Maior extat difficultas de infinito in quantitate XXVIII.
discreta, quia multi asseuerant, infinitum in multitudine euidenter posse tum augeri, tum imminui. Probatur: Sint infiniti milites Galli, & infiniti Hispani; atque inter se prælientur: Accidat interfici decem millia Gallorum; tunc ex infinito Gallorum numero detractum est, & istorum numerus effectus est minor. Rursus veniant in auxilium iisdem Gallis alia decem millia Gallorum: ecce additum est illorum infinito, & numerus redditus est maior.

Ita creet nunc Deus actu infinitos Angelos: id quod fieri posse tuentur viri probatissimi, de qua re dicemus inferius. Deinde ex ijs annihilet centum millia: dubitasne quod illi infinito sit aliquid detractum? Rursus creet alia ducenta millia, & adiungat multitudini Angelorum præexistenti, dicesne illam non esse auctam? est igitur res clara, quod infinito in multitudine commodè possit tum addi, tum adimi; & quod huiusmodi infinitum possit esse & maius, & minus.

Dicendum nihilominus est, infinitum in multi-
tudine posse considerari vel in se ipso, vt formali- XXIX.
ter est infinitum, vel in aliqua sui parte determinata quo ad nos, vel quo ad aliquid aliud determinatum, sicut superius exposui de tempore. Infinita itaque multitudo, si per impossibile sit actu, dicetur augeri, aut imminui in aliqua determinata, ac finita sui parte quo ad nos, qui numeramus: in se autem ipsa ac formaliter, vt est infinita, neque augetur, neque diminuitur. Probatio hæc est, quia ratio infiniti formaliter vt infinitum est, consistit in indiuisibili; quæ est, vt non habeat nec primum, nec vltimum: & quod *infinitum sit, quo non est maius*, ex primo de cælo tex. 150.

Adde hanc rationem quæ planè conuincit, quod Arist. in 5. Metaph. cap. 13. ait, quod *multitudo finita est numerus*. Vnde deducitur, multitudinem infinitã non esse numerum: Et ita idem Philosophus ostendit secundo Metaph. cap. 2. & lib. vndec. cap. 9. & in hoc tertio lib. tex. 41. *quia numerus, aut habens numerum, est numerabile*. Numerabile autem

po.

potest numerando pertransiri, & habet vltimum.
Tunc ita collige: Si multitudo infinita non est numerus, ergo a numero addita, aut detracta illi,
non augetur, non diminuitur, non variatur. Hæc
conseq. est clara, quia ab additione, aut detractione numeri non potest aliud augeri, aut imminui,
nisi numerus.

Nec valet si dicas, quod aucta aliqua parte alicuius totius, augetur & totum; & detracta aliqua
XXX. eius parte, diminuitur & totum: Hæc propositio
videtur inductione manifesta. Sed in casu proposito augetur, & imminuitur notabiliter aliqua
pars infiniti; ergo etiam augetur, & imminuitur
ipsum totum infinitum.

Hæc, inquam, ratio non valet in infinito, sed
locum habet solum in rebus finitis. Cuius asserti
causa est euidens, quia pars, & totum in rebus finitis sunt proportionata, ita vt pars aliquoties replicata exhauriat totum: Pars autem infiniti,
quantacunque illa fuerit, semper distabit ab eo
infinitè, & infinities replicata haud exhauriet illud vnquam. Quocirca, sicuti si alicui continuo addas decem millia punctorum, non efficies illud
maius in ratione continui, quia puncta non habent
proportionem cum continuo, ita si infinito in se
ipso spectato addas centum milliones V. G. Gallorum, aut Angelorum, non efficies maius in ratione infiniti. Quæ vt adhuc melius intelligantur,
quæro,

Vtrum vnum infinitum possit esse maius altero, aut minus, aut æquale. Et vtrum possint esse simul multa infinita.

PRimum theorema complicatum est cum eo quod nunc
determinauimus: & multi
XXXI. tuentur partem affirmatiuam.
Et probant, nam posita mundi æternitate præterierunt infiniti anni, infiniti menses,
infiniti dies, infinitæ horæ.
Tunc infinitum horarum est maius quàm infinitum dierum, & istud maius quàm infinitum mensium, aut annorum, cum infinitum horarum
contineat plures vnitates quàm reliqua.

Ita si sint actu homines infiniti, profectò plures erunt illorum digiti, & multò plures illorum
capilli. Hinc ita conficiunt argumentum. Illud
quod continet quicquid continet aliud, & aliquid
præter illud, est maius illo. Quæ propositio est
certissima; siquidem hac demonstratione ostendimus, totum esse maius qualibet sua parte, quia
totum continet quicquid continet illa pars, & præter illud aliquid aliud. Sed numerus capillorum
continet tot vnitates, quot continet numerus digitorum, & præter illas vnitates continet adhuc multas alias. ergo infinitum capillorum est maius
quàm infinitum digitorum, & istud est maius
quàm infinitum hominum.

Ex altera parte videtur durum, quod infinitum
a quoquam excedatur: Vnde Philosophus in primo de cælo tex. t 30. iam inducto, modo non clamat, quod *infinitum est, quo non est maius*. Ratio XXXII.
etiam suffragatur, quia omne quod ab alio exceditur, eo ipso quod exceditur, finitur ac terminatur. Quippe vbi incipit ab alio excedi, ibi finitur,
ac terminatur? Repugnat autem infinito finiri ac
terminari: quare repugnat etiam excedi: ac proinde repugnat esse infinitum maius, aut minus altero infinito.

De hac etiam re varij extant dicendi modi, vt
videre est apud PP. Conimbr. in hoc lib. cap. 8.
quæst. 2. Compluten. disput. 18. quæst. 7. Ruu.
tract. 2. quæst. 4. Auers. quæst. 24. sect. 2. Mastr.
disp. 10. quæst. 1. Arriag. disput. 13. sect. 1 Oniedo contr. 14. punct. 6. Ego duos subijciam modos.
Vnus est S.Thom. in 3. part. quæst. 10. art. 3. ad
3. qui aduertit, quod infinitum aliud est infinitum
omnibus modis, aliud vno modo tantum. Et id
quod est infinitum omnibus modis, nequit nisi vnū
esse. Vnde & Philosophus dicit in 1. de cælo,
quod quia corpus est ad omnem partem dimensionatum, impossibile est, esse plura corpora infinita.
Si autem aliquid esset infinitum vno modo tantum,
nihil prohiberet esse plura talia infinita, sicut si intelligeremus plures lineas infinitas secundum longitudinem protractas in aliqua superficie finita
secundum latitudinem. Quo posito,

Si loquamur de infinito omnibus modis, cum id
non nisi vnum esse queat, cessat quæstio, an possit
dari aliud infinitum siue maius, siue minus eo. Si XXXIII.
autem sermo sit de infinito vno modo tantum, adhuc distinguit D. Thom. Nam si fiat comparatio
inter vnum infinitum, & aliud in eodem ordine,
siue in subiectis eiusdem ordinis, V. G inter vnam
lineam infinitam, & aliam lineam itidem infinitā,
tunc vnum infinitum non est maius, aut minus altero. Si autem fiat comparatio inter vnam lineam
infinitam ex vna parte, & alias duas ex altera parte, tunc plures sunt partes in duabus lineis infinitis, quàm in vna; ideòque istæ duæ lineæ dicentur
maius infinitum quàm illa vna. Eodem modo dicendum est, si fiat comparatio inter lineam infinitam, & superficiem infinitam, hæc etenim continet multas lineas infinitas.

Et hoc, inquit S. Thom. *etiam videmus in numeris accidere: nam species numerorum parium sunt* XXXIV.
*infinitæ, & similiter species numerorum imparium:
Et tamen numeri pares, & impares sunt plures,
quàm pares. Sic igitur dicendum est, quod infinito
simpliciter quo ad omnia, simpliciter nihil est maius.*

Infi-

Digitized by Google

Infinito autem secundum aliquid determinatum, non est maius in illo ordine, potest tamen accipi aliquid aliud maius extra illum ordinem. Hæc S. Thomas. Et fundamentum ipsius est, vt adnotat ibi Caietan. quia cum infinitum non sit substantia, sed accidens, sit, vt proprietates infiniti, in quocunq; subiecto ponatur infinitas, arctentur ad subiectum infinitatis, *est autem quædam proprietas infiniti, quod infinito non sit aliquid maius*, inquit ibi S. Thom. hæc ergo proprietas arctatur penes subiecta, in quibus est infinitas, & si illa sunt maiora, aut plura, proprietas quoq; erit maior. Quæ ratio si quicquam concludit, profectò concludet etiam, duos homines esse aliquid maius rationale, quàm sit vnus homo.

Propterea alio modo existimo esse distinguendum, quod infinitum duobus modis possumus considerare. Primò accipiendo totum ipsum infi-
XXXV. nitum secundum se, & vt formaliter est infinitum: secundò accipiendo partes ipsius, has videl. aut illas; quæ ita singillatim acceptæ, sunt determinatæ ac finitæ, cum possint & debeant accipi aliæ post alias, & sic etiam docuit Arist. in tex. 58. huius lib.

Tunc dico, quod si infinita, siue in magnitudine continua, siue in multitudine, comparentur inter se tota, & vt formaliter sunt infinita, repugnat, vnum esse maius, aut minus altero: Si autem comparentur inter se partes ipsorum infinitorum determinatæ, & in particulari, sic vnum infinitum videtur esse maius, aut minus altero V.G. sint tria infinita actu, vnum hominum, alterum equorum, tertium canum. Si comparetur totum infinitum hominum, quà formaliter infinitum est, cum alijs duobus infinitis equorum, & canum, ista duo non sunt maius infinitum quàm sit illud vnum infinitum hominum: si verò comparo partes istorum infinitorum determinatas, & in particulari, sic plures videntur esse partes, ac vnitates in duobus infinitis quàm in vno infinito.

XXXVI Priorem partem prob. in infinito discreto, in quo maior videtur difficultas. Accipio illud infinitum hominum, & peto, contineat ne omnes omninò vnitates possibiles, quotquot possunt animo concipi, an non? Quod non contineat, irrationabile est: quia tunc non esset infinitum, sed haberet vltimam vnitatem, cui possent addi vnitates quæ illi deessent, quia additio fit ad vltimum. Habet itaque omnes omninò possibiles vnitates, ergo illud hominum infinitum totum, & vt formaliter infinitum est, habet tot vnitates, quot sunt in illis duobus infinitis simul, videl. equorum, & canum. Hæc conseq. clarissime est, quoniam alias in hisce infinitis equorum, & canum essent aliquæ vnitates, quæ non sunt possibiles esse, cum in illo vno infinito hominum supponamus reperiri omnes omninò vnitates, quotquot sunt possibiles.

XXXVII. Præterea, In illo toto infinito hominum actu sunt infinitæ, & omnes omninò possibiles vnitates, alioquin non esset actu infinitum, ergo in illo vno infinito actu sunt omnes numeri, & omnes species numerorum possibiles. In quo igitur alia duo infinita illud excederent? profectò deberent excedere in aliquo numero. Quod verò in illo infinito actu sint omnes numeri, & omnes species numerorum, probo euidenter. Nam vbi actu sunt infinitæ vnitates, ibi actu sunt infiniti binarij, actu sunt infiniti ternarij, infiniti quaternarij, & ita quæuis aliæ possibilis numerorum species. Enimuerò vbi nunquam deficient vnitates, quid vetat, vt pro arbitratu tuo possis accipere, & componere aut binarios, aut quamuis aliam numerorum speciem? Si igitur in dicto infinito toto sunt actu infinitæ, & omnes possibiles vnitates, profectò erunt actu in illo omnes numeri, & omnes possibiles numerorum species. In quo igitur ab alijs duobus infinitis excedetur?

At in reclamabis. In duobus infinitis, equorum, & canum actu sunt plures vnitates quàm in vno infinito hominum. ergo &c.

Respond. quod hic est deceptio; Fit transitus a partibus determinatis ec finitis ad totum infinitum. XXXVIII. Nam vox illa, plures, aut pauciores, semper denotat partes determinatas ac finitas: & inter istas fit comparatio. Et hoc asserimus in secunda parte nostræ cóclusionis: Non autem fit comparatio inter ipsa infinita tota, quà formaliter infinita sunt.

Ita cum dicis, In infinito hominum plures sunt digiti quàm homines, & plures capilli quàm digiti, ergo maius est infinitum capillorum quàm digitorum, & maius estud infinitú quàm hominum.

Committis eundem transitum a partibus determinatis ad totum infinitum. Quod verò istiusmodi transitum, ac errorem a determinato ac finito ad infinitum committis, hinc vide. Nam digiti V. G. hominum sunt in decuplo plures quàm sint homines. Decuplum est quiddam determinatum: ergo facis comparationem inter determinata ac finita. Ita capilli vniuscuiusque illorum hominum sunt numero determinati, Fac sint milla. Ex hoc ergo determinato transis ad totum infinitum, cum deducis, ergo infinitum capillorum est maius quàm infinitum hominum. Adde id quod superius dixi, quod in infinitis non valet hæc consequentia: Augetur aliqua determinata pars, ergo augetur totum, sicut valet in rebus finitis.

Hinc itaque, ni me omnia fallunt, apertè cernis, quod repugnat, vt vnum infinitum totum, XXXIX. quà formaliter infinitum est, comparatum cum alio possit dici maius, aut minus illo, quamuis in partibus determinatis eorum fiat aliqua variatio. Sic quoque philosophandum erit de æqualitate, aut inæqualitate in infinitis.

Hoc, opinor, meditabatur Stagirites dum in primo de cælo tex. illo 130. tanquam ex alia quadam specula intonat, *infinitum id esse, quo non est maius*: & lib. 13. Metaph. cap. 8. *in infinito*, inquit, *neque par, neque impar est*. Hoc ipsum ante Aristotelem meditatus est Plato, qui in Philebo scribit, quod maius, & minus, æquale, & inæqua-
la

se non conueniunt quotilitati infinitæ, sed quantitas prima sui partitione diuiditur in finitam, & infinitā: Deinde, finita in maiorem, minorem, & æqualem secundum diuersum modum commensurationis cum alijs, & secundum excessum, & defectum. Nam inter infinita non reperitur excessus, aut defectus, neque vlla commensuratio; quia hæc omnia limitatam rationem dicunt: *primo*, inquit, *æqua le ipsum, atque æqualitatem, post æquale, & duplum, & singulas inde proportiones quascunque ad nume rum numerus, & ad mensuram mensura habet, hæc inquam, omnia in genus finiti meritò referemus*.

XL. Quod si ubi adhuc omninò prurit animus concedendi infinitum maius, aut minus, aut æquale, poteris dicere, quod vnum infinitum est tale negatiuè, videl. per negationem excessus, & defectus.

XLI. Denique de multiplicatione infiniti duo verba dicamus. Decernit Arist. in hoc lib. tex. 37. in secundo Metaph. cap. 2. & alibi sæpe, quod *infinita multa esse impossibile est*. Quæ quidem determinatio intelligenda est de infinito omnibus modis, cuiusmodi infinitum aut est infinitum absolutè omnibus modis, & hoc est solus Deus: aut est infinitum omnibus modis in grado rerum corporearū, & hoc est corpus, vt superius quoque expolui. Hęc porrò infinita repugnat esse multa. Infinita autem vno, vel altero modo tantum, commodè possent esse plura, facta hypothesi quod sint. Nam super infinitā superficie secundum longitudinem possunt trahi complures lineæ parallelæ infinitæ. Et si sit vna superficies infinita, & secundum longitudinem, & secundum latitudinem, potest sub illa esse alia superficies itidem secundum vtramque dimensionem infinita. quare infinita, quæ sunt vno, vel altero modo tantum infinita, possent esse plura simul. Atque hæc de natura, & proprietatibus infiniti. De hoc igitur, & tali infinito, quæro.

SECTIO TERTIA.

Vtrum infinitum actu siue in magnitudine, siue in multitudine, siue in intensione, possit naturaliter dari.



XLII. Itulus vnum supponit, & alterum vocat in dubium. Supponit, de facto dari in rerum natura infinitum potentia. Quippe huiusmodi infinitum, actu quidem est quoddam finitum; quod tamen potest aut diuidi & diminui in infinitum, vt sunt omnia continua, aut additionem suscipere & augeri in infinitum, vt sunt numeri. Et ita etiam explicauit Aristot. a tex. 56. & inde. Hoc igitur supposito, vocamus in quæstionem de solo infinito in actu.

Et quidem pro parte affirmatiua retulit Aristot. in tex. 31. & 32. quinque argumenta, quæ deinde a tex. 73. dissoluit, vt in text. expositione vidimus. Præterea arguitur primò. Datur infinitum in potentia, ergo datur etiam infinitum actu. Assumptum iam est clarum. conseq. autem prob. quoniam illa infiniti potentia potest reduci ad actum, alioquin esset inanis: Tritum e enim est per ora etiam vulgatiorum hominum, quod vana est illa potentia, quæ non reducitur ad actum; & *frustra est calceamentum, cuius nulla est calceatio*, vt dicitur in primo de cælo tex. 33. illa igitur infiniti potentia poterit reduci ad actum, & sic erit actu infinitum.

Secundò, Vbicunque datur subiectum aliquarum affectionum, necessariò dantur & illius affectiones, sicut si datur homo, datur & risibile, & admiratiuum, & discursiuum; cum affectiones naturali consecutione fluant a subiecto. Sed finitum, & infinitum sunt affectiones quantitatis, vt auctor est Philosophus in primo Phys. tex. 15. quare cum in rerum natura sit quantitas, erit etiam & finitum, & infinitum. Item data vna proprietate & affectione alicuius subiecti, altera etiam eiusdem subiecti proprietas detur necesse est. Sed datur proprietas quanti, quæ est finitum, ergo dari etiam debet altera, id est infinitum.

Tertiò, In omni continuo sunt actu partes proportionales: sed partes proportionales sunt infinitæ; etenim continuum in partes proportionales est diuisibile in infinitum, ergo in omni continuo est actu infinitum. Maior propositio, in qua est difficultas, prob. ex Arist lib. quinto Metaph cap. 13. quo loci de quanto continuo hæc scribit. *Quantum est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, aut singulum vnum quid, & quod quid aptum est esse*; Sed continuum est diuisibile in partes proportionales, quare istæ illi insunt: Insunt autem actu, quia quæ insunt alicui solum potentia, ea non dicuntur illi absolutè inesse, neque illud dicetur diuidi in ea. XLIV.

Quartò, Mundus, ad mentem Aristotelis, est tam a parte ante, quàm a parte post æternus, vt ab eo probatur in octau. Phys. in primo de cælo, & duodec. Metaph. ergo ad hanc vsque diem præteritæ infinitæ hominum generationes, atque adeo infiniti homines successiuè. Vnusquisque autem eorum habuit vnam, eamq; singularem animam rationalem: & illa, extincto corpore, manet superstes ac immortalis: & sic etiam ex animo tenuit Philosophus, vt in opere de Triplic. stat. Anim. disput. 5. & 6. ostendi, ergo omnes illorum hominum animæ nunc existunt actu ac simul. ergo sunt actu infinitæ.

Deter-

Digitized by Google

Determinatio Veritatis.

XLV. Era nihilominus veritas est, in nullo vnquam genere, neque in magnitudine, neque in multitudine, neque in intensione posse naturaliter dari aliquod actu, & categorematicè infinitum. Ratio vniuersalis est, quoniam Natura abhorret infinitum, propterea *solet infinitum vitare: quia infinitum fine caret: Natura autem semper finem quærit*, ait Stagirites in primo de Gener. animal. cap. primo. Quamquidem veritatem habes iam ab eodem Aristotele abundè demonstratam tum in hoc lib. vt in tex. expositione vidimus, tum vniuersalius in primo de cælo a tex. 34. & inde, quo ex loco adijciam hic vnam vel alteram rationem.

XLVI. Quod itaque non sit possibile in natura actu infinitum in magnitudine, prob. Sed prius scito, hanc assertionem esse vniuersalem de omni magnitudine, siue illa sit secundum vnam dumtaxat dimensionem, vt est linea, siue secundum duas, vt est superficies, siue secundum tres, vt corpus. Et quia linea, & superficies fundantur in corpore, iccircò si conclusio ostensa fuerit de corpore, manet ostensa de omni magnitudine. Prob. itaque non posse dari corpus naturale actu infinitum. Omne corpus naturale essentialiter est mobile, cum natura intimè definiatur esse principium motus: Sed corpus actu infinitum non est mobile. ergo &c.

Minor prob. primùm quia tale corpus actu reple ret omnem locum, non ergo haberet vnde, & quò moueretur. Deinde sic expatiare. Tale corpus actu infinitum aut esset mistum, aut simplex. Si mixtum, necessariò deberent, vel omnia miscibilia esse infinita, vel saltem vnum illorum: alioquin mixtum illud minimè esset infinitum. Porrò omnia illa miscibilia esse infinita, impossibile est, cum impossibile sit esse actu plura infinita corpora. Si autem dicas, vnum illorum miscibilium esse infinitum, tunc sic argno. Illud non posset moueri nec motu recto, nec motu circulari. ergo &c.

Quod non posset moueri motu recto, sic ostendo. Corpora simplicia, quæ mouentur motu recto, sunt grauia, aut leuia. Sunt autem talia aut simpliciter vt terra, & ignis, aut secundum quid, vt aqua, & aer. Si itaque illud corpus esset graue, aut leue simpliciter, necessariò esset finitum, quod probo. Illa corpora sunt finita, quorum loca necessario sunt determinata: Sed loca grauium, & leuium simpliciter, sunt determinata: quare eiusmodi corpora, quæ ad illa loca feruntur, sunt finita. Minor prob. Locus sursum, ad quem fertur leue simpliciter, & locus deorsum, ad quem fertur graue simpliciter, sunt loca contraria: Sed contrariorum ea est natura, vt si alterum est determinatum, etiam alterū sit determinatum: At vnus locus, ad quem fertur graue simpliciter, est determinatus, qui est medium Vniuersi, vnde & alter locus, in quem fertur leue simpliciter, erit determinatus, ergo si illud corpus simplex esset graue, aut leue simpliciter, simul esset actu infinitum, vt supponitur, & simul non esset infinitum, vt nunc est probatum.

Si verò præfatum corpus esset graue, aut leue secundum quid, euidentius sequitur, illud esse finitum. Nam si locus simpliciter sursum, & locus simpliciter deorsum, quæ sunt loca extrema, sunt determinata ac finita, palam est, etiam loca, siue spatia intermedia esse determinata & finita: ac proinde etiam corpora, quæ ad ea loca feruntur, vel in ijs degunt, erunt finita. Motu igitur recto corpus illud actu infinitum non posset moueri.

At neque posset moueri motu circulari, quod demonstrauit apertè. Primò quidem ex eo quòd distantia, quæ intercedit inter duas lineas sectas a centro illius infiniti corporis egredientes, esset infinita, ideòque vna linea minimè posset succedere alteri. Demonstratio sic erigitur. Ad hoc vt corpus circulo moueatur, necesse est, vnam lineam rectam ab illius centro deductam peruenire ad locum & situm alterius lineæ ab eodem centro eius ipsius corporis itidem deductæ. Sed hoc in corpore actu infinito fieri impossibile est. Quod sic ostendo. Lineæ rectæ ab illius corporis centro egredientes, essent infinitæ, protraherentur enim quamdiu duraret suppositi corporis magnitudo: ergo distantia inter dictas lineas planè esset infinita, cū lineæ rectæ a centro ductæ, quo magis protrahūtur, eò magis ab inuicem distent. Quod si inter vnam, & alteram lineam est distantia infinita, iam ea pertransiri nunquam poterit: & ita vna linea recta a centro illius infiniti corporis ducta, nunquam poterit peruenire ad locum & situm alterius lineæ ab eodem centro protractæ; & per consequens nunquam tale corpus posset circulariter moueri. Alias huius rei demonstrationes habebis in lib. de cælo. LXVII.

XLIX. Ex his liquido consequitur, quod si non datur infinitum actu in magnitudine, neque possit dari infinitum actu in multitudine. Quippe si possent dari V. G. actu infiniti homines, aut actu infinita ligna, hæc porrò possent iungi, & efficere vnum infinitum in magnitudine saltem contiguū.

Idem ostendo vniuersalius de omni infinito discreto, siue in rebus materiatis, siue in immaterialibus. Omnis multitudo actu existens, necessario est in aliqua certa specie, quia impossibile est, rem aliquam existere actu, & non esse alicuius certæ speciei. Hinc etiam cum Aristotele in tex. 55. huius lib. dicebamus, nihil esse in aliquo genere, quod non sit in aliqua specie illius generis. Si igitur esset aliqua multitudo infinita actu existens, illa porrò necessariò esset in aliqua certa specie. Nec sanè posset in alia esse, quàm in aliqua specie numeri. Manifestum autem est, omnem speciem numeri

numeri esse finitam; vt etiam cum Aristotele in tex. 41. & lib. vndec. Mataph. cap. 9. diximus: & ratio est, quia species numeri constituitur per vltimam vnitatem. Si itaque dicta multitudo haberet vltimum, simul esset infinita, vt accipitur, & simul esset finita, vt nunc est probatum.

Suppetit mihi alia haud minorum virium ratio

L. præsertim verò de rebus immaterialibus, pro qua accipio, intelligentias siue Angelos, cum sint materię expertes, non differre inter se solo numero, sed discriminari specie: Ita discimus ex Arist. duodec. Metaph. tex. 49. dicente, quod *quæcunque multa numero, materiam habent*, Et lib. septim. tex. 28. *tota verò iam talis forma in his carnibus, & ossibus. Callias, & Socrates. & diuersa quidem propter materiem. (diuersa etenim) idem autem specie: indiuisibilis namque forma est*. Et ita cum S. Thom. in prim. part. quæst. 50. art. 4. docet syncerior Doctorum pars. Accipio secundo ex octauo Metaph. tex. 10. quod species rerum sunt sicut numeri, quorum vnus essentialiter est perfectior altero. Ex quibus euidenter deduco, quod si darentur Angeli actu infiniti, quorum vnus esset essentialiter perfectior altero, & ille altero, omninò necessarium est, in tali progressu dari vnam speciem essentialiter infinitè perfectam. Hoc verò apertè repugnat, quia res essentialiter infinitè perfecta, profectò esset Deus. quare penitus impossibile est, esse aliquid actu infinitum.

Neque hoc argumentum dissolues, si neges, illam speciem esse ita perfectam: & dicas, illam adhuc esse limitatæ perfectionis: vt nonnulli dicunt, & in sui afferunt patrocinium voces. S. Thom. prim. part. quæst. 7. art. 3. & Quodlib. 9. art. 1. dicentem, quod benè posset intelligi infinitum in quantitate, quod non esset infinitum in essentia, sicut est Deus.

Non, inquam, dissolues, quia infinitum in quan-

LI. titate est accidens: Accidens autem nequit pertingere ad perfectionem substantiæ, ideò infinitum in quantitate haud esset infinitum in substantia, & perfectione: In casu autem nostro illa species esset substantia intellectualis, & hæc esset essentialiter infinitè perfecta: ergo esset Deus. Deinde, falsum est, quod illa esset limitatæ perfectionis; nam infinitum est illimitatum: Illa substantia esset infinitè perfecta, ergo illimitatè perfecta.

Denique ostendo infinitum esse impossibile etiã in intensione qualitatis. Si potest dari actu tale infinitum, sit in hoc subiecto calor actu infinitè intensus. Peto, estne ita in termino & in summo, vt amplius intendi non possit, an verò potest adhuc vlterius intendi? Si dicas primum, ergo hic calor actu est terminatus ac finitus. Ratio est euidens, quia in infinito semper potest accipi aliquid vlterius: In hoc autem calore non potest accipi vlterior gradus: quare hic calor re ipsa non est infinitus. Si verò dicas secundum, in eandem foueam incides, quia infinitum qua infinitum, non potest vlterius augeri. Hic calor potest vlterius augeri & intendi, hic ergo calor non est actu infinitus. Doctores nostri de hac qualitatis intensione in infinitum, plurima & subtiliter edisserunt, eleuantque argumentum ad qualitates supernaturales, præsertim verò ad gratiam Christi, qua in re immorari nolo.

Dilutio argumentorum, quæ in contrarium confecta sunt.



PRimum argumentum desumptum ex infinito in potentia depulsum est ab Arist. in tex.

57. Potentia alia quidem est, quæ tota simul potest reduci ad actum, veluti hoc lignum est in potentia vt fiat scamnum, & postea re ipsa fit scamnum: Alia est, quæ nequit tota simul reduci ad actum, sed reducitur solum successiuè, vt potentia materiæ primæ ad suscipiendas formas substantiales: de qua quidã potentię distinctione vide Arist. in 5. Mataph. cap. 12. Potentia eius quod appellatur infinitum in potentia, est huius secundæ classis: propterea non reducitur ad actum nisi successiuè, & sic non est frustra. Perinde ac tu nunc habes potentiam intelligendi omnia, imò intelligendi infinita successiuè: si enim infinito tempore inter viuos ageres, nonne infinita successiuè intelligeres? & ita faciet anima tua in alia vita, iuxta nostram catholicam veritatem. eliciet namque infinitos actus alios post alios. Nec tamen omnes simul. Sed accipe solutionem Arist. ad illud argum. *Non oportet autem quod potentia est, accipere quemadmodum, si potest hoc statua esse, quod & erit hoc statua, sic & infinitum aliquod, quod erit actu: Sed quoniam multipliciter dicitur esse, quemadmodum dies est, & certamen ex eo, quia semper aliud & aliud fit, sic & infinitum.* LII.

Ad 2. dico, non eodem modo esse quantitatis pas

siones finitum ac infinitũ. Nam finitum competit LIII. quantitati actu & positiuè: infinitum verò competit ei solum per non repugnantiam: quia nimirum si daretur infinitum, nonnisi in quantitate posset dari. Quantitatis namque proprium est, esse diuisibile: Hinc dixere nonnulli, quod si datetur actu infinitum, illud deberet poni in Prædicamento Quantitatis.

Respond. 2. quod vtrumque, id est & finitum, & infinitum sunt eodem modo positiuè proprietatas quantitatis. Sed tunc non est accipiendum infinitum actu, sed infinitum potentia. Isthæc itaque est passio quantitatis, nimirum posse diuidi in infinitum: & tale infinitum re vera datur, sicut datur & finitum.

Digitized by Google

Ad 3. Multi ex modernis enixè tuentur, partes proportionales esse in continuo actu infinitas, ita
LIV. etiam puncta; Quocirca ad argum. dicant, quod partes illæ non sunt realiter inter se discretæ, sed solum vt includens & inclusum, atque adeo sunt quædam entitates incompletæ. Quare non inconuenit, in his admittere actu infinitum. De qua re vide Sonc. 5. Metaph. quæst. 20. Perer. in Phys. lib. 10. cap. 12. & 13. Conimb. 6. Phys. cap. 2. quæst. 1. art. 2. & 3. & Ruu. in 6. Phys. tract. de composit. contin. num. 14. Sed melius dicendum est, partes proportionales actu esse vnum tantum continuum, & solum potentia esse partes, & plures, quia possunt ex illo continuo in infinitum diuidi: vnde non sequitur, eas esse actu infinitas.

Pro solutione quarti argum. variæ afferuntur re-
LV. sponsiones, de quibus in opere de Triplic. Statu Anim. disput. sexta sect. 9. complura attuli, quæ hic repetenda neutiquam sunt. Inter alias autem duæ videntur commodiores. Vna colligitur ex S. Thom. lib. 2. contr. Gent. cap. 81. & in tract. contra Auerroistas, quod nobis non constat, quidnam præcisè dicturus fuisset Arist. ad illud argum. Idq; propterea, quia temporum iniuria nobis sublata est ea Metaphysicæ pars, in qua Arist. de formis a materia abstractis agebat. Quippe considerare etiam formas, quæ sunt quidem in materia, ab ea tamen possunt secerni, est opus primæ Philosophiæ. Nihilominus eius fundamentis innixi, possumus ad argum. dicere, quod Arist. tum in hoc tertio Phys. tum in primo de cælo, & in Metaphysicis loquitur solum de infinito siue continuo, siue discreto, in rebus corporeis ac materialibus: ob id negat, in his posse dari aliquam magnitudinem, aut multitudinem actu infinitam; quæ locum, & situm exposcunt: non autem inficiatur infinitum earum rerum, quæ materiæ ac molis expertes, neque situm exposcunt, neque vllum occupant locum. Quoniam ergo humanæ animæ nexu corporis absolutæ, sunt immateriales, ac nullum exposcunt locũ vt sint, ideò Arist. haud reputauit inconueniens, dari in iis actu huiusmodi infinitum.

Quod si alicubi videatur idem Arist. reijcere infinitum etiam a rebus a materia segregatis, vt facit & alibi, & præsertim in vndec. Metaphys. cap. 9. ibi loquitur de formis numerorum, & de ideis positis a Pythagoreis, & Platone: de qua re fusè dixi in opere de Triplic. Stat. Anim. loco nunc indicato.

Altera solutio ad illud idem argum. quam magis existimo ad mentem Stagiritæ esse, quod hic tenuerit opinionem sui præceptoris Platonis de animæ
LVI. immortalitate, & de eius regressu in alia atq; alia corpora humana tantum. Ita vt, ad animum Aristotelis, sit certa quædam animarum intellectiuarũ multitudo æterna, quæ statis ac determinatis temporibus, per circulum ad alia atque alia corpora humana demissæ, perpetuent speciem humanam. De qua etiam re dixi in dicto opere disput. 3. sect. 3. & dixi etiam in comment. ad 3. lib. de Anim.

SECTIO QVARTA.

Vtrum infinitum actu secundum magnitudinem, vel secundum multitudinem, vel secundum intensionem possit dari saltem per potentiam Dei absolutam.



Qvidam non extremæ notæ Doctores, quamuis de facto nullum admittãt infinitum actu, LVII.
subiungunt nihilominus posse per omnipotentiam Dei effici actu infinitum. Sic olim Ocham in 1. dist. 13. quæst. vnic. Gregor. in eodem libr. distin. 43. quæst. 4. & multi alij, quos referunt Conimb. in hoc lib. cap. 8. quæst. 2. & Auers. quæst. 24. sect. 5. qui pro vtraque parte propositi theorematis recensat permultos auctores. Eidem opinioni adhæsit postea Hieronym. Fasolus in 1. part. quæst. 7. art. 4. & nonnulli alij, vt Arriag. in disput. illa 13. sect. 4. Ouiedo contr. 14. punct. 5.

Opposita sententia absolutè asseuerat, infinitum actu implicare contradictionem; ideoq; neque per omnipotentiam Dei posse effici. Quæ quidem sanctio est verissima. Eam docet S. Thom. in prim. part. quæst. 7. art. 3. & vniuersa eius schola: tum Scot. in 2. dist. 1. quæst. 3. & P. Suar. in Metaph. disput. 30. sect. 17. & alij quamplurimi, quos ex nomine percensere, inanis est labor. Addunt alii qui, idque ex iudicio, hanc esse etiam sententiam Aristotelis, qui licet non attigerit potentiam Dei absolutam, nihilominus infinitum refellit tanquam rem penitus impossibilem.

Ante omnia verò scito, quod repugnantia huius rei non prouenit ex parte omnipotentiæ Dei, quippe ex parte eius nihil non potest effici; sed prouenit ex parte effectus, quia hic sustinere nequit, quod V.G. homo simul sit, & nõ sit rationalis, quod ignis calefaciat, & simul non calefaciat: ita quod actu sit, & non sit infinitum. Hinc nonnulli expressius loquentes dicunt. Hoc non potest fieri a Deo: & nolunt dicere, Deus non potest facere hoc: vt nimirum indicent, repugnantiam referendam esse non ad Deum, sed ad effectum.

Porrò plurimæ afferuntur rationes, cur infinitũ actu repugnet, quas deinde aliqui hinc inde col- LVIII.
lectas censoriè expendunt, ne dicam vellicant, omniq; ope contorquentur eneruare; vt videl. suam deinde magnificè asportent: quem laborem illis lubens remitto. Me hæc ratio satis conuincit. Repugnat apertè vt aliquod totum essentialiter successiuum sit totum actu simul ac permanens.

Sed

Sed infinitum est aliquid essentialiter successiuum, quare apertè repugnat, infinitum esse totum actu simul, & permanens. At si daretur actu infinitum, illud iam esset totum actu simul, & permanens: ergo apertè repugnat, illud actu dari.

Omnes propositiones in aperto sunt. Prima patet in tempore, nam manifestè repugnat, vt præteritum, præsens, & futurum sint actu simul, ac permanentia; quia tempus essentialiter est successiuum quippiam. Ita similiter repugnat, vt motus qui præteriit, sit simul cum motu qui nunc fit, & cum eo qui postea est futurus.

Secunda propositio, quod scil. infinitum essentialiter sit aliquid successiuum, etiam est conspicua. Nam essentia infiniti est, vt eius accipiatur pars post partem, & post hanc rursus alia, & post illam iterum alia, & sic semper ac indeficienter vsque in infinitum. Hoc autem si non est aliquid essentialiter successiuum, Sol non lucet.

Et propterea Eximius præceptor Arist. in tex. 58. modo non clamat, quod infinitum non est aliquid
LIX. vt totus homo, aut tota area, quæ tota actu simul subsistunt, & permanent, sed est sicut dies, & certamen, quorum esse consistit in successione, & actuali generatione. *Infinitum*, inquit, *non oportet accipere sicut hoc aliquid, vt hominem, aut domũ, sed vt dies dicitur, & certamen. quibus esse, non vt substantia quædam factum est, sed in generatione semper, aut corruptione finitum, sed semper alterum, atq; alterum.* Et in tex. præced. expendens potentiã, qua dicitur infinitum, ait, infinitum haud ita esse in potentia, quemadmodum est æs, vt fiat statua, quæ deinde sit, sed esse, *sicuti est dies, & certamen, ex eo, quia semper aliud, & aliud fit: sic & infinitum: etenim in hoc est & potentia, & actu esse. Olympia enim sunt ex eo quia potest certamen fieri, & ex eo quia fit.* Porrò, vt alia sileam, si daretur actu infinitum, nonne de illo verè posses affirmare, quod esset hoc aliquid, sicuti est hoc aliquid homo, & domus? planè: At hoc negat Arist.

Sicut ergo affatim irrationabile est dicere, quod
LX. omnes dies possint esse actu simul, & quod omnia certamina, siue ludi Olympici, qui quinto quoque anno incredibili totius penè Europæ concursu ac celebritate agebantur in Græcia, possint omnes esse actu simul, ita penitus irrationabile erit dicere, quod infinitum, V. G. infiniti homines, aut Angeli, possint esse omnes actu simul, & omnes permanere simul coexistentes.

Et in hoc est deceptio oppositæ sententiæ, quia aliud est apprehendere infinitum per simplicem imaginationem, & quasi in abstracto, vt quoddam totum: & hoc adhuc apprehendere per modum finiti: aliud verò, quod illud totum actu existat a parte rei. Item, potes per simplicem imaginationem apprehendere quasi in abstracto totum tempus, scil. naturam temporis: at implicat, illud esse totum actu simul a parte rei: Ita præfati auctores apprehendunt per vehementiam imaginationis ipsum infinitum veluti quoddam totum: & in hoc non errant; sed vehementer deinde errant, quando illud totum ponunt actu ac simul a parte rei.

Tertia demum propositio, quod videl. si daretur actu infinitum, illud iam esset totum actu simul, & aliquid permanens, est etiam indubitata. Nam producat, iuxta oppositam sententiam, Deus actu nunc in hac aula infinitos Angelos; (quippe cum illi non occupent locum, possunt vel in vno vngue creari infiniti, data hypothesi, quod possint infiniti creari) illi sanè omnes essent actu simul in hac eadẽ aula, & omnes in hac eadem aula coexisterent. Vides ergo, aut ego fallor, apertam huius rei repugnantiam.

Atque eò liberius in hanc sententiam eo, quòd argumenta aduersæ opinionis aut fallacia, aut planè infirma sunt. Quanquam nonnulli moderni
nulla ratione suam assertionem confirment, sed LXI.
anxiè tantum coronatur rationes oppositæ sententiæ infirmare: Qui mos mihi non probatur: neque id est rem scire. Non enim, quia sublata est a me ista particularis ratio huius conclusionis, propterea ego scio tuam conclusionem huic oppositam. Quid vetat, quod euersa ac labefactata illa particulari ratione, nihilominus dicta conclusio maneat firma propter aliam rationem, quam in nescis? Ideo non *oportet affirmare solũ, sed & causam ipsius dicere, & non ponere, neque censere vllam sententiam irrationabilem, sed aut inductionem aut demonstrationem afferre*, ait Philosophus octau. Phys. tex. 15.
Arguunt itaq; primo. Deus actu cognoscit infinita, ergo potest, si vult, illa omnia actu producere: conseq. prob. quia non est maior cognitio Dei, quã eius omnipotentia.

Neganda est conseq. Ad probationem dicendũ, quod ex parte Dei non est maior eius cognitio, quàm eius ipsius omnipotentia: Ex parte autem effectus aliquid repugnans includit omnipotentia Dei, quod non includit eius cognitio. Et ratio est; quia cum Deus cognoscit, nihil immutatur in re, sed ea manet in suo esse cognito: Quocirca possũt infinita sic esse simul: Cum autem actu res producuntur, iam in se ipsis immutantur: & sic repugnat aliquid ex parte ipsarum rerum, ne fiant omnes actu ac simul.

Arguunt 2. In vna hora sunt infinita Instantia:
At in quolibet instanti illius horę potest Deus creare vnum corpus, aut vnam animam, aut vnum LXII.
Angelum, siquidem in quolibet instanti est in Deo virtus infinita, ergo res in illa hora creatæ sunt actu infinitæ.

Respond. Deum optimè posse in quolibet instanti vnius horæ procreare vnum corpus, vel animam, vel Angelum diuisiuè, verum est: nempe vel in hoc instanti, vel in illo, vel in quouis alio, ita vt nullum sit in illa hora instans, in quo Deus nequeat producere. Collectiuè autem, id est simul in omnibus, ita vt producat in hoc instanti, postea in alio immediatè subsequenti, & ita deinceps, est

 fallum.

falsum. Et ratio in promptu est, quia vnum instans non sequitur immediatè post aliud instans, sed semper medias tempus, vt Arist. demonstrat in lib. 4. & 6.

LXIII. Arguunt 3. In quanto continuo sunt infinitæ partes proportionales, quas Deus re ipsa conseruat vnitas, ergo potest illas separare, & separatas conseruare: maximè quia vnio non est essentia partium vnitarum. Eodem pacto poterit separare, & separata conseruare puncta alicuius continui.

Neganda est conseq. quia hoc repugnat ex parte facti. Cuius rei multæ afferuntur rationes, inter quas hæc est clara, quia si partes alicuius continui essent actu diuisæ, tunc sequerentur istæ duæ contradictoriæ veræ, quod partes illæ essent indiuisibiles, (supponit enim argumentum, omnem illarum diuisionem iam esse exhaustam:) & simul essent diuisibiles: Quippe partes continui non minus essentialiter sunt diuisibiles in alias, quàm ipsum continuum, quod essentialiter est diuisibile in semper diuisibilia. Puncta verò cum essentialiter sint terminationes, & diuisiones, vt loquitur Arist. si separarentur, cuius vnquam essent, aut terminationes, aut diuisiones?

LVIV. Arguunt 4. Potentia specificatur per actum, & obiectum, vt docet Philosophus secundo de Anim. tex. 2 a. Sed potentia Dei est simpliciter infinita, quare potentia Dei habet actum, & obiectum, id est effectum, infinitum: ergo si vult, potest hunc infinitum effectum simul, & actu producere.

Respondeo potentiam Dei esse simpliciter infinitam, non quia possit ab ea effici effectus actu infinitus, cum hoc ex parte rei repugnet, sed est infinita, quia potest semper maius ac maius absque vllo vnquam termino producere. Enimuerò si illa esset finita, profectò haud posset nisi vsque ad certum aliquem terminum operari.

Falsa enim est illa opinio, quod Deus possit producere vnam aliquam creaturam ita perfectam, vt aliam ea perfectiorem producere minimè possit. Et quod pari ratione possit producere aliquam creaturam ita imperfectam, vt aliam ea imperfectiorem non possit producere. Quam sententiam tutatus olim est Aureol. in 1. dist. 44 quæst. vnic. & Durand in eadem dist. quæst. 2. quibus nuperrimè se sociauit Arriag. in Phys. disp. 13. sect. 3. Verum a nem opposita sententia, quod scil. Deus, producta quacunque creatura, possit aliam atque aliam perfectiorem producere vsque in infinitum, & ita etiam de creatura imperfecta, hæc, inquam, sententia est verissima, quia præcedens opinio videtur limitare potentiam Dei: hæc autem exaltat.

Et ita expressè docet S. Thom. cùm alibi sæpe, tum quæst. 1. de potentia art. 2. in respons. ad 9. Pro qua strenuè contra Arriag. dimicat P. de Quiedo contr. 14. sect. 7. & adducit etiam testimonium D. Dionys. ex lib. de diuin. nominib. cap. 8. Sed ego vnū adhuc argum. aduco pro infinito in actu.

Arguunt 5. Deus potest facere in hoc instanti quicquid potest facere in hoc instanti: Quæ propositio est identica; nec videtur posse vllo pacto negari. Alioquin Deus in hoc instanti non posset facere aliquid ex iis, quæ in hoc ipso instanti posset facere, quæ est aperta contradictio. Sed Deus in hoc instanti potest facere infinita; Vel clarius: Deus in hoc instanti habet potentiam faciendi infinita; hæc propositio iam concessa est: Faciat ergo in hoc instanti illa omnia: illa porrò erunt infinita acta. LXV.

Argum. est fallax, & illa propositio, Deus potest facere in hoc instanti, quicquid potest facere in hoc instanti, non modo non est identica, sed est aperta fallacia a potentia distributiuè ad actum collectiuè. Vide vim argumenti. Tu potes facere in hoc instanti, quicquid potes facere in hoc instanti. Sed in hoc instanti potes sedere, potes stare, ambulare, comedere, ergo potes in hoc instanti producere hæc omnia actu ac simul. Quod vel cogitare ridiculum est. Ita Deus potest vtique in hoc instanti facere diem hodiernum, & crastinum, & millesimum ab hoc die: faciat ergo in hoc instanti diem crastinum, & illum millesimum. Nego sane.

Arguunt vlt. Infinitum est ens reale: ergo potest produci a Deo. consequ. prob. quia omne ens reale potest produci a Deo. LXIV.

Communiter auctores secundæ sent. negant antecedens, & assignant rationem, quia ens reale dicitur per ordinem ad existentiam realem possibilem: infinitum verò non est possibile existere.

Clarius sic distingue, quod antecedens aut intelligunt sic, scil. infinitum actu est ens reale: & tunc petunt principium. Quippe supponunt esse actu infinitum, quod est id de quo disceptatur: & de illo affirmant, quod sit ens reale. Aut antecedens intelligunt hoc modo, quod infinitum absolutè loquendo est ens reale: & hoc intellectu concedo infinitum esse ens reale, quia existit in aliquibus sui partibus productis, & aliis successiuè producendis vsque in infinitum. Et tale infinitum procul dubio potest a Deo produci: potest namque Deus facere infinitos homines, infinitos Angelos, infinitos mundos successiuè & syncategorematicè, si voluerit. Qui pro sua infinita misericordia velit etiam nos in suo regno infinito æuo gaudere. Atque hæc sint satis de hac quæst. & de toto tertio lib.

Finis Comment. & Quæst. libri tertij Physicorum.

COM.

COMPREHENSIO
LIBRI QVARTI PHYSICORVM.
FACTA A
IOANNE COTTVNIO
VERIENSE.

Connexio, & ratio dicendorum.



VNC, & sequentes tres libros compendio colligam, vt ad octauum faciam gradum, in quo impensius erit immorandũ, si itqu in hac editione, certè cum librum illum seorsum emittam. I. Connexio itaque huius libri in aperto est. Proposuit Arist in primo tex. libri proximè antegressi edisserendum esse *de motu, & de ijs, quæ consequenter sunt*, videl. de infinito, loco, vacuo, & tempore: Statimque in eodem tertio lib. declarauit motum, & infinitum: declarat nunc in hoc quarto lib. reliqua tria, locum, vacuum, tempus.

Quocirca hic liber, qui quatuor supra decem capita complectitur, in tres scinditur partes. In primis quinque capitibus agit Aristot. de loco. in quatuor subsequentibus de vacuo. In reliquis quinque de tempore.

Optimo autem ordine prius edisserit de loco, (vacuum verò debet necti cum loco) quàm de tempore. II. Primò, quoniam locus habet quandam affinitatem cum infinito: vt enim est corpus actu finitum, vel infinitum, ita debet esse & locus; cum corpus locatum, & locus sibi respondeant. Iccircò tractationem infiniti sequi debuit tractatio loci, vt ex coniuncta vtriusque declaratione vtrumque clarius innotescat.

Secundò, quia locus ordine naturæ antecedit tempus: immò verò antecedit etiam motum, & ipsummet corpus locandum. Prius etenim ordine naturæ debet esse locus, deinde corpus in eo recipi, postea moueri. Vnde iuxta hunc ordinem prius esset explicandus locus, quàm motus, nisi illa ratio obstaret, quod ea affectio est primò explicanda, quæ maiorem nexum habet cum natura: Hæc autem est motus, per quem natura ipsa definitur.

Tertiò, quia locus est quidem explicatu difficilis, tamen tempus est longè difficilius. Iuuat autem à minus difficilibus progredi. est igitur.

CAPVT PRIMVM.

Textus 1. vsque ad 14.

Ostenditur, tractationem de loco spectare ad Philosophum naturalem: tum locum esse: & apponuntur sex rationes circa quæstionem, quid locus sit.



Onstituit Arist in ipso limine libri conclusionem, quod sicut Physici fuit considerare de infinito, ita eiusdem est, expendere locum, II. & cognoscere, *an locus sit, necne. quid sit: & quomodo sit.* Probat primò quia locus est communis corporum naturalium affectio, siquidem ea quæ sunt, omnes alicubi, siue in aliquo loco esse existimant, quemadmodum e contra, ea quæ non sunt, nusquam dicuntur esse, vt Sphinx, aut chimera. Secundò, quia quoniam motuum maximè communis, (qui omnium competit omnibus corporibus, etiam ipsis cœlis, qui alio motu physico non mouentur, & qui motus est omnium motuũ primus, adeò vt sine illo nullus alius motus exerceri valeat) est motus localis: Hunc autem sine loco fieri impossibile est. Si igitur Physicus ex officio considerat motum, tenetur locum quoque ex officio considerare.

Perdifficile autem est deprehendere quid locus sit.

II. sit. Primùm, quia nos ex proprietatibus, quæ alicui insunt, venamur quid illud sit. At loci proprietates variæ supponuntur: adeò vt nonnullæ videantur indicare, quod locus sit materia: quædam aliæ, quod sit forma. Deinde, quia nil de eo ab antiquis Philosophis habemus tritè traditum: quin verò neque quicquam ab ijs habemus de ipso dubitatum. Quia videl. ille qui dubitare incipit, incipit in id de quo dubitat, insinuati. His ita prælibatis.

III. Aggreditur in tex. 3. explicare primam quæstionem, an locus sit: & ostendit quatuor validissimis rationibus locum re vera esse in natura, & esse aliquid distinctum a corporibus in eo contentis. Primam accipit ex mutua corporum successione in eundem locum: Illud, quod modo recipit vnum corpus, modo, illo abiecto, recipit aliud, est in rerum natura, & est aliquid distinctum ab ijs, quæ recipit. Videmus autem vbi nunc est aer, postea illo recedente, recipi aquam. Quocirca a parte rei re vera est id quod dicta corpora suscipit, & id est aliquid ab ijs distinctum. Hoc verò est locus. Consimili argumento colligit in primo huius operis lib. necessitatem materiæ distinctæ a formis, quia vbi nunc est vna forma, ibi postea, abeunte illa, suscipitur alia tamquam in subiecto.

IV. Secundum argumentum depromit ex motu naturali corporum grauium, & leuium ad sua loca, quod huiusmodi est. Illud, in quod corpora simplicia grauia, ac leuia naturaliter feruntur, est a parte rei re ipsa existens, & est distinctum quippiam a corporibus, quæ in illud feruntur: Sed corpora simplicia, grauia quidem naturaliter feruntur ad locum deorsum, leuia verò ad locum sursum: quare locus sursum, & locus deorsum re vera sunt a parte rei aliquid reale, ac distinctum. Imò verò locus ita est, vt habeat etiam quandam naturalem vim attrahendi ad se præfata corpora. Ex quo vlterius loci constitutio mirificè confirmatur: Nam quod habet naturalem vim attrahendi aliud ad se, id profectò est in rerum natura, & est distinctum quippiam ab eo quod attrahit.

V. Tertia ratio potest hunc in modum colligi: Illud, cuius differentiæ sunt in natura, ipsum quoque est. Loci differentiæ sunt in natura. Quod vel hinc fit palam, quia nos attribuimus quibusdam rebus differentias loci, & dicimus, hanc rem esse nobis dextram, illam sinistram, aliam sursum, aut deorsum, quæ tamen differentiæ ita sunt, vt possint variari: Id quod tum in alijs rebus, tum in Mathematicis animaduertere possumus, quæ quidē res Mathematicæ de se non habent locum, nihilominus concipiuntur a nobis vt supra nos, aut infra. Differentiæ autem corporum naturalium sunt inuariabiles, quandoquidem ignis perpetuo habet idem sursum, & terra semper idem deorsum: quare istæ differentiæ loci de se sunt in rerum natura, ac proinde etiam est locus.

Quarta ratio est ab auctoritate. Ac primò quidem, qui in natura constituunt vacuum, necessariò fatentur locū esse, cum vacuum nihil aliud sit, quā locus priuatus corpore. Deinde, rectè hæc in parte videtur enunciasse Hesiodus, in sua theogonia, quod primò fuit chaos, deinde facta est terra, & reliqua mundi entia: quasi chaos esset quidam locus, & quoddam receptaculum rerum in eo recipiendarum. Quod si res ita se habet, mirabilis sanè est natura & conditio loci, tanquā locus existat cunctis reliquis entibus prior. Quod hunc etiam in modum potest suaderi, quoniam illud est prius alijs, sine quo alia esse non possunt, ipsum verò sine illis esse potest. Atqui alia sine loco esse non possunt, locus verò sine alijs esse potest: locus enim non corrumpitur, si constituta in loco corrumpantur. Ex his itaque liquet, locum re ipsa esse in natura, & esse aliquid a locatis distinctum. VI.

Sex rationes circa quæstionem quid locus sit.



Ost hæc Arist. dirigit orationem ad secundam quæstionem, & inquirit, quid locus sit. E longinquo autem complicat hic sex argumenta, quibus ostendit, quid locus non sit: quæ etiam videntur probare, quod locus non sit. Primò itaque probat, locum non esse aliquod corpus. Omne corpus est præditum trina dimensione, longitudine, latitudine, profunditate. Locus hasce dimensiones non habet; Quippe si eas haberet, cum locus debeat adæquari corpori locato, debebit illud penetrare. At corporum penetratio est impossibilis, quare locum quoque esse corpus, erit impossibile. VII.

Secundò probat, locum non esse receptaculum corporum in eo mutuo succedentium. Si locus esset huiusmodi corporum receptaculum, esset etiam receptaculum puncti, lineæ, superficiei. Cur? quia etiam ista mutuo sibi in loco succedunt: vt enim abit aqua, & succedit aer, sic abeunt puncta, lineæ, superficies aquæ, & succeduut puncta, lineæ, superficies aeris. Tunc sic collige. Puncti non est locus, qui sit ab ipso puncto aliquid distinctum, quia cum locus debeat æquari cum locato, locus puncti erit quippiam indiuisibile, quemadmodum punctum ipsum est indiuisibile. Sed duo indiuisibilia, id est punctum, & locus indiuisibilis non possunt se inuicem tangere, cum non habeant vltima: locus autem omninò debet tangere locatum, si est aliquid, quare puncti nullus potest assignari locus à puncto distinctus, qui sit veluti quoddam receptaculum eius: Eodem itaque VIII.

quæ pacto neque locus lineæ, aut superficiei, aut corporis fuerit aliquid præter ista.

IX. Tertiò, Si locus esset aliquid, aut esset vnum ele mentorū, aut aliquid ex elementis compositum. Et rursus, si esset ex elementis, vel esset ex elementis corporeis, vel ex incorporeis siue intelligibilibus. At nihil istorum est. Non est elementum, aut ex elementis corporeis, quia tunc esset corpus: Patefactū autem est, locum non esse corpus, alioquin corpus penetraret corpus. At neque est ex elementis incorporeis ac intelligibilibus, quia ista sunt cuiuscunque materiæ, & magnitudinis experus: Locus verò prædictus est magnitudine.

Quartò, Si locus est aliquid, id porrò aut est causa, aut causatum. Hoc posterius vel ex his quæ nunc dicebamus, apparet falsum. At neque est prius, quia locus non est causa intrinseca alicuius, id est materia, aut forma. Quippe ex materia, & forma coalescunt res: ex loco autem non componitur locatum. Neque est causa extrinseca, videl. efficiens, aut finis. Nam locus non efficit res: neq; res sunt propter locum.

X. Quinto, & est argomentum Zenonis. Quicquid est aliquid, necessario est in loco. Si itaque locus est aliquid, omninò erit in aliquo loco. Rursus de illo repeto idem argum. atque adeò aut erit processus in infinitum in locis, aut fatendum est, locum penitus nil esse.

Sextò S. locus est aliquid in natura, debet crescere, & imminui, quando res in eo constitutæ crescunt, & imminuuntur: locum autem hæc pati, impossibile est. Vnde namque, aut quomodo cresceret, aut diminueretur? Consecutio verò prob. quia omnis locus est æqualis locato, eoq; repletur: quando itaque augentur, aut diminuuntur locata, locus quoque augeatur, aut diminuatur necesse est.

Ex hucusque dictis, inquit Arist. in fine capitis necesse est *dubitare non solum quid locus sit*, quod, vt dixi suscepit declarare, *sed etiam si sit*.

CAPVT II.

Textus 14. vsq. ad 23.

Distinctius agitat quæstionem quid locus sit.

I. 

Ropius agitat quæstionem quid locus sit: & quia natura & quid dictus rei non dabet indefinitè & in confuso quæri, icircò primò distinguit locum, vt sciamos, de quonam loco inuestigamus quid sit. Locus alius est communis, alius vniuscuiusq; rei proprius. Locus communis est, qui continet aliquod locatum, & alia plura: Sic cælum, aut hæc aula est locus communis mei. Quo fit, vt in loco communi res sit ratione loci proprij, *vt tu nunc in cælo es, quia in aere: hic autem in cælo, & in aere, quia est in terra; similiter autem est in hac, quia in hoc loco*, inquit Philosophus 10 tex. 14. Locus verò proprius ac particularis est, qui vnam aliquam rem adæquatè continet, & qui, vt idem Philosophus loquitur, *nihil plus quam te continet*. Hinc vides, locum communem continere locatum per aliud, videl. per locum particularem: locum autem proprium continere suum locatum per se ac primò. Disceptatio itaque in præsenti est, quid sit locus per se ac proprius. Hactenus tactis.

II. Adijcit rationem pro ea opinione, quod locus sit forma. De ratione loci est continere ac terminare: sed quod in natura continet ac terminat, est forma: terram enim est per formam cōtineri rem, ne diffluat, & terminari tum materiam primam, tum quantitatem, & omnia rei accidentia.

Quæ tamen ratio dupliciter peccat. Primò peccat in materia: procedit enim ab æquiuoco: quia alio modo continet ac terminat forma, ac facit locus. Illa terminat intrinsecè, hic extrinsecè. Secundò peccat in forma, quia est in secunda figura ex puris affirmatiuis.

III. Ex altera parte ponit Arist. rationem, quod locus sit materia. Illud quod habet rationem indefiniti, ac indeterminati, & terminatur ab alio, est materia: Locus habet rationem cuiusdam indefiniti ac indeterminati, & terminatur ab alio, quare locus est materia. Maiorem probat, quia si a sphera V.G. remoueatur terminus, id est forma, & passiones siue accidentia, quod remanet, est sola materia; Minorem etiam probat, quia locus nihil aliud est, quàm distantia, siue interuallum magnitudinis, distantia, inquam; ipsius rei locatæ, quæ est secundum trinam dimensionem. quæ porrò continetur, & terminatur.

IV. Id idem confirmat ex Platone, qui in ea opinione videtur extitisse, vsus huiusmodi ratione. Id quod abijcit vnum, & recipit aliud, est materia; Hæc quippe abijcit vnam formā, & suscipit aliam. Locus abijcit vnum locatum, & recipit aliud: locus igitur est materia. Et ideò *Plato in Timæo materiam, & receptaculum*, nempe locum, *idem esse ait*. Quamuis idē Plato alio modo explicet hanc rē in Timæo, & in ijs tractationibus, *quæ vocantur nō scripta dogmata*. Erāt hæc ἄγραφα, quæ docebat quidem ille, sed non edidit. Quæ etiam ratio laborat, vt vides, æquiuocatione. Deinde æquiū. vir Arist. in eo commendat Platonem, quod reliqui omnes Veteres fatebantur quidem locum esse aliquid, at nemo illorum tetigit, quid locus sit. *Solus autem Plato aggressus est hoc dicere*.

In tex. 17. constituit, locum, neque materiam, neque formam esse. Probat, Primò, Materia, & forma non separantur a re cuius sunt, integra illa manente. Planè contradictionem inuoluit, constituua

rutiua alicuius feparati, manenta integro illo constituto. At locus feparatur a re cuius eft locus, integra re illa manente. Quod liquido earnis, quia in quo loco erat aer, in eo fuccedit aqua, non quidem corrupto aere, fed alio translato. Quocirca locus eft veluti quoddam vas, præter quam quod eft immobilis, Non igitur locus aft aut materia, aut forma.

Secundò, Materia eft pars, forma eft habitus, aiiam iuxta Veteres, quemadmodum in fecundo
V. Phyf. tex 9. indicatur: proinde quod non eft pars, aut habitus, id fanè neque materia, nequa forma eft. Locus non eft pars, neque habitus rei locatæ: non igitur erit aut materia, aut forma. Probatio minoris ex eo conftat, quia pars, & habitus non feparantur a re, cuius funt pars, & habitus: Locus verò, vt nunc dicebamus, commodè feparatur.

Tertiò. Quando dicimus aliquid effe alicubi, duo indicamus: Vnum, quod ipfum in fe fit aliquid: Alterum, quod fit in aliquo, quod quidem fit extra ipfum: vt cum dico vinum effe in dolio, ipfum vinum in fe eft aliquid, & eft in dolio, quod aft extra fubftantiam, & magnitudinem vini. Sed hæc duo neque in materiam, neque in formam cadere poffunt: non itaque locus erit aut materia, aut forma. Minor aperta eft, quia materia, & forma neutiquam funt in aliquo, quod fit extra ipfas.

IV. Hinc per digreffionem carpit Platonam, quòd fibi in doctrina haud conftet: quippe ax vna parte pofuit, ideas, & numeros non effe in loco, vt in lib. præced. tex. 25. & 26. fuit dictum: ax altara verò conftituit locum effa materiam, ficut in tex. 15. habetur, quæ duo fibi cohærere non queunt, Sed ex fecundo fequitur neceffario, ideas, ac numaros effe in loco. Quod fic colliges. Omne participatum eft in eo, quod illud participat: Ideæ, & numeri, in fententia Platonis, funt participata a materia, fiue a magno, & paruo. ergo ideæ ac numeri funt in materia: Sed locus, ad aures eiufdem Platonis, eft materia, quare ideæ ac numeri funt in loco. Ad hæc, tenebatur Plato declarare, *cur formæ, & numeri non fint in loco*. Vide, quod *formæ*, fiue ideæ propriè referuntur ad Platonem, *numeri* autem referuntur ad Pythagoreos, vtrofque autem Ariftot. hic intelligit nomine Platonis. Hæc per digreffionam: pergit deinda, & probat fuum intentum.

Quartò. Si locus effet materia, aut forma, grauia,
VII. & leuia non mouerentur ad fua loca deorfum, ac furfum. Quod tamen aduerfatur fenfui. Confecutio probatur. Nihil mouetur ad id, quod re ipfa in fe habet: Sed fi locus effet materia, aut forma, eam iam grauia, & leuia re vera in fa haberent. Quocirca non effet, cur ad vllum mouerentur locum. Adde, quod locus habet differentias furfum, deorfum, &c. Materia autem, & forma huiufmodi differentias minimè habent.

Quintò. Si locus eft materia, aut forma, fequitur, loci effe locum, fiua locum effa in loco: & locum moueri ad locum: Quæ porrò funt nugatoria. Confeq. prob. Materia, & forma conftituunt rem: vbi igitur eft res conftituta, ibi funt, faltem per accidens, & materia, & forma. Sed res conftituta eft in loco. quare & materia, & forma erunt in loco faltem ax accidente. Ac proinde fi locus eft materia, aut forma, locus erit in loco. Item, quando res conftituta mouetur ad aliquem locum, mouentur ad eundem locum omnia, quæ infunt in ea re: atq; adeò mouantur ad locum & materia, & forma rei motæ. Si itaque iftæ funt locus, locus mouetur ad locum.

Sexta ratio poteft colligi & de fola forma, & de
fola materia, fed diuerfo modo. Et quidem de for- VIII.
ma hoc pacto. Si locus eft forma, ergo in tranfmutatione fubftantiali vnius corporis in aliud, veluti cum corrumpitur aer, & fit aqua, corrumperetur ipfe locus, cum in tali tranfmutatione corrumpatur, forma corporis mutati. Atqui locus non corrumpitur. *quæ enim effet loci corruptio?* ergo locus non aft forma.

Si autem ratio intelligatur de fola materia, hoc modo dabet ftrui. Quando ax aara facta eft aqua, materia non corrumpitur, fed manet eadem in aqua, quæ fuit in aere. At tunc non remanet idem locus. Tum quia longè minor eft locus aquæ, quàm fuit aeris: Hoc indicat Arift., quia *quando ex aere aqua facta eft, perijt locus: non enim in eodem loco eft, quod factum eft corpus*. Tum quia, alius eft locus naturalis corporis geniti, idaft aquæ, ac erat aeris. ergo locus non eft materia.

Tandem in fine tex. 22. colligit duo per epilogum: quorum alterum eft, quod ex hucufque habitis conftat, neceffario locum effe aliquid. Alterum, quod adductæ funt rationes, quibus dubitari poteft circa quidditatem loci. *Ex quibus*, inquit, *neceffarium eft: effe aliquid locum, & rurfus ex quibus dubitabit vtique aliquis de fubftantia ipfius, dictum eft*.

C A P V T III.

Textus 23. vfque ad 30.

Recenfentur octo modi, quibus contingit aliquid effe in aliquo: Et an poffit quippiam effe in fe ipfo.



Is ita difputatis, pergit Arift. ex propria fententia aperire, quid fit locus. Sternit autem in hoc, &
fequenti capita nonnulla, ex qui- L
bus veluti a notioribus nobis colligit in calce capitis fequentis germanam loci definitionem. Et in hoc cap. tria facit.

facit. Recenset, quot modis contingat aliquid esse in alio. Dubitat, num possit quippiam esse in se ipso: Et diluit quasdam dubitationes.

Modi essendi in alio sunt octo. Vnus est, quo pars est in suo toto, vt digitus est in manu, & manus in toto corpore, & anima in animato.

Alter est huic oppositus, quo totum dicitur esse in suis partibus. Hoc probat Arist. *quia totum non est præter partes*. Sic collige. Quod non est præter partes, est in partibus. Totum non est præter partes: totum igitur est in partibus.

II. Tertius est, quo species dicitur esse in suo genere, & particulare in suo vniuersali, vt homo, aut bos sunt in animali, & Petrus, aut Paulus sunt in homine. Ratio huius modi est, quia species continetur sub genera, & particulara sub suo vniuersali; Illud autem quod continetur sub aliquo, verè dicitur esse in illo.

Quartus est iisdem huic oppositus, quo videl. genus est in specie: aut pars definitionis est in ipsa definitione. Exemplum prioris est, vt animal in homine, aut in boue. Et ratio etiam est, quia genus conseruatur in specie: Exemplum verò posterioris, est idem animal in definitione hominis.

Quintus est, quo forma est in materia. Ita sanitas est in symetria ac temperamento, quod ex calidis, frigidis, humidis, ac siccis consurgit: Quippe temperamentum subit rationem materiæ respectu huius symetriæ, quæ sanitas appellatur. Ita quævis forma substantialis re ipsa est in materia. Quo etiam reducitur modus, quo accidens est in subiecto.

III. Sextus est, quo quippiam est in alio vt in causa effectrice: Sic res Græcorum, aliorumue populorum dicimus esse in Regis eorundem, quoniam Rex pro arbitratu suo potest res illas disponere, ac mouere. Vel quia res virtute continentur in sua causa, quo pacto filij antequam procreentur, sunt in patre: Huc etiam reducto modum, quo res dicuntur esse in tempore, quia tempus concernitur in causa efficiente: Hæc enim sine tempora nil facit.

Septimus est, quo aliquid est in fine, & appetibili. Sic amans est in re amata: Quo spectat tritum illud, quod anima magis est vbi amat, quàm vbi animat. Sic diuitiæ dicuntur esse in bono viro, quoniam hic est legitimus illarum finis, Oraculum reputa illud Flacci, quod *nullus argento color est auaris abdito terris, nisi temperato splendeat vsu*.

Octauus ac vlt. modus est, quando locatum est in loco, vel aliquid est in vase, quæ dum in eo discriminantur, quod vas da sua natura est mobile: locus autem est immobilis. Atque hic modus essendi in alio est maximè proprius: & cæteri dicuntur per quandam similitudinem ad istum;

An, & quomodo aliquid possit esse in se ipso.



His ita enucleatis, excitat Arist. in tex. 24 quæstionem, an aliquid possit dici *esse in se ipso, an nihil; sed omnia aut nusquam, aut in alio*? Quamquidem quæstionem expendit per quatuor contex. Necesse autem habuit, eam mouere, ac depellere, Primò, quia si contingit aliquid esse in se ipso, iam octo illi modi essendi in alio enarrati, haud sunt sufficientes. Secundò, excitat propter dubitationem Zenonis, quod si locus est aliquid, cum omne quod est, sit in loco, locus erit in se ipso. Tertiò, quia Anaxagoras, vt in lib. præced. ad tex. 50. vidimus, constituens actu infinitū, aiebat, illud esse in se ipso, seque firmare se ipso. Quartò, & præcipuè, quia Plato in Parmenide asseuerat, totum esse in se ipso. IV.

Primò itaque Arist. indicat distinctionem, quod tripliciter aliquid dicitur tale. Vno modo secundū se, siue primò, videl. secundum se totum: Altero dicitur aliquid tale per aliud, id est secundum partem. Tertiò, dicitur per accidens. Exemplum primi modi est, vt superficies parietis est alba: t hæc quippe dealbata est secundum se totam. Exemplum secundi, vt homo dicitur sciens, quia eius pars, intellectus est sciens: Et si vis, paries est albus, quia eius pars, superficies, est alba: non enim paries secundum se totum, suique profunditatem dealbatur. Exemplum denique tertij est, vt anima per accidens est in loco, in quo corpus est per se: Tunc constituit tres assertiones.

Prima est, Totum, constitutum ex duabus partibus, quarum vna sit in altera, potest dici esse in se ipso per aliud; id est ratione partis. Prob. Duæ conditiones requiruntur, ac sufficiunt, vt aliquid dicatur esse in aliquo. Vna est, vt sit id quod inest: Altera, vt sit id in quo inest; sicut colligitur ex tex. 45. Sed in toto ex duplici parte conflato quarū vna sit in altera, suppetunt istæ duæ conditiones, suppetit etenim pars, quæ inest: & pars in qua inest: tale igitur totum potest dici esse in se ipso per aliud. V.

Hoc ipsum declarat exēplo. Amphora plena vino, quæ cum sit quoddam totum aggregatum ex amphora, & vino, habet id quod inest, videl. vinum: & habet id in quo inest, nempe vas: quare dicta amphora potest dici esse in se ipsa per aliud; Ita haud incommodè diceris, hominem esse in se ipso per aliud, quia in eo est pars continens, anima: & pars contenta, corpus.

Secunda conclusio. Nihil potest secundum se ac primò esse in se ipso. Primò, quia discurrendo per omnes illos octo modos essēdi in aliquo, quos quidē per inductionē supra collegimus, non inuenimus aliquid esse in se ipso. Secundò, quia recipere et re- VI.

cipi'; continere, & contineri sunt duæ differentiæ oppositæ, quæ nullo pacto valent conuenire vni & eidem per se ac primò: Sed si aliquid esset per se ac primò in se ipso, tunc dictæ differentiæ conuenirent vni & eidem per se ac primò. Tertiò, Si potest aliquid esse in se ipso per se ac primò, sequitur, *ambo esse vtrumque*, vt amphora, in exemplo nunc inducto, sit vinum: & vicissim vinum sit amphora. Hoc autem vel eoguatu est absurdum. ergo &c. Consecutio prob. Sit amphora vini illud totum, quod dicitur per se ac primò esse in se ipso, Tunc idem per se continet, & continetur. Sed continere est amphoræ, contineri est vini, ergo amphora prout continetur, habet rationem vini: & vicissim vinum prout continet, habet rationem amphoræ. atque adeò amphora erit vinum, & e contra vinum erit amphora.

Tertia conclusio. Neque est possibile, aliquid
VII. secundum accidens esse in se ipso. Prob Tunc aliquid dicitur esse in aliquo per accidens, quando est, aut inhæret in altero, quod est in illo per se. V. G. anima, & albedo dicuntur esse per accidens in loco, quia homo, in quo est anima, & inhæret albedo, est in loco per se. ergo ad hoc vt aliquid sit in se ipso per accidens, necesse est, supponi aliud, quod sit in se ipso per se: At ostensum est, nihil secundum se esse in se ipso, ergo neque erit per accidens.

Tandem in tex. 28. depellit dubitationem Zenonis, quæ erat, quod si locus est aliquid, locus erit in loco; ac proinde processus in infinitum. Occurrit Arist. locum esse quidem in alio, sed non vt in loco, sed sicut accidens in subiecto. Locus enim, vt inferius audies, est vltima superficies corporis continentis.

Ita ex hoc quod locus continet, & est veluti vas, manifestum quoque erit, locum neque materiam, neque formam esse. Nam vas nihil est eius quod in ipso est, sic & locus: Materia autem, & forma sunt aliquid eius, cuius sunt.

CAPVT IV.

Textus 30. vsque ad 43.

Afferuntur proprietates loci: tum quædam alia necessaria: Et ipsa definitio loci.



Ccingitur tandem explicare quid sit locus: & in hoc cap. tria facit:
I. Recenset sex loci proprietates: Accipit quædam alia ad hanc eandem rem necessaria: Et tandem ea bis colligit definitionem. Legitima etenim methodus deprehendendi quid res sit, est per proprietates, & accidentia ipsius, *quia cum possumus reddere, rationem secundum imaginationem de accidentibus, aut omnibus, aut pluribus, tunc & de substantia possumus aliquid dicere quamoptimè*, inquit Philosophus in primo de Anim. tex. 11.

Prima loci proprietas est, vt locus sit *pri-*
mum quod continet illud cuius est locus, Ait *pri-* II.
mum, vt indicet, se loqui de loco proximo ac proprio, non de communi: & de illo intelliguntur omnes, quæ hic apponuntur proprietates.

Secunda est, quod locus *nihil sit ipsius rei*. nimirum non sit materia, non forma locati, aut pars, vel accidens illi inhærens.

Tertia, quod locus *primus neque maior sit, neque minor*, sed æqualis locato. Non est minor, quia tunc locatum, vel eius pars, quæ locum excederet, nusquam esset. Non est maior, quia excessus loci super locatum aut esset plenus alio corpore, & tunc ille non esset locus primus ac proprius, sed communis: aut nullo corpore esset plenus, & hoc pacto daretur in natura vacuum.

Quarta proprietas dupliciter legitur etiam in codicibus græcis. In antiquissimo meo codic.
lego affirmatiuè, ὅτι ἀπολείπεσθαι ἑκάστου, καὶ III.
χωριστὸν, *Amplius deseri a singulo, & separabilem* esse. In alijs verò græcis codic. lego negatiuè, ὅτι μήτε ἀπολείπεσθαι, &c. Amplius *neque deseri ab vnoquoque, & separabilem* esse, & sic habent communiter latinæ versiones. Antiqua autem translatio sic legit. *Adhuc autem neque deficere vnicuique, & separabilem esse*. Prima lectio mihi videtur syncera; & sensus est planus, quod locus potest deseri, & relinqui a singulo locato: & hoc vlterius declarauit per subsequens verbum copulatiuè, *& separabilem esse*. Iuxta secundam verò lectionem sensus est, quod locus non potest deseri, relinqui, ac separari a quocunque locato, quamuis separetur ab hoc, aut ab illo, quia tunc daretur vacuum. Hoc autem communiter dicitur, locum posse separari a quolibet locato distributiuè, non tamen ab omni collectiuè.

Quinta est, quod *omnis locus habet sursum, & deorsum*. Quam quidem proprietatem non modo intelligo de loco naturali corporum grauium, ac leuium; verùm etiam de quocunque alio loco. Quiuis etenim locus aut distat a medio Vniuersi, & est locus sursum, aut accedit ad medium, & est locus deorsum; quæ duæ censentur præcipuæ loci differentiæ, ad quas postea consequuntur reliquæ quatuor, ante, retro, dextrum, sinistrum. Nemo etenim nescit, sex esse loci differentias, quas Arist. cùm alibi sæpe, tum in secundo de cælo cap. 2. fusè expendit. Quocirca hic per illas duas, sursum, & deorsum, vult nos intelligere omnes sex loci differentias.

Sexta

Sexta denique est, quod vnumquodque corpus naturaliter fertur in suum locum, & postea in illo naturaliter conquiescit. *& fertur natura, & manet in proprijs locis vnumquodque corporum*. His ita excursis, subnectit, tentandum esse disputationem de loco ita peragere, vt per eam quatuor innotescat. Primò, vt reddatur quid sit locus, siue legitima eius definitio: Secundò, vt per definitionem appareat, quod loco insint omnes proprietates, & accidentia, quæ illi videntur inesse: Tertiò, vt per eam ipsam definitionem tollantur difficultates circa locum iam excitatæ: Quartò, denique vt appareat causa eorum quæ circa eundem locum dubitata sunt. *Sic enim pulcherrimè demonstratur vnumquodque*.

Explicantur alia quatuor præcepta pro indaganda loci definitione.



V. Ost hæc a tex. 32. interserit alia quatuor, quæ porrò tum inuentionem loci respiciunt, tum sunt apprimè necessaria ad tradendam eiusdem loci definitionem. Ait primò, quod occasio & via, qua locus est cognitus, & deprehensus, fuit motus secundum locum. Enimuerò si omnia entia eodem modo semper manerent, haud esset, quod excitaremur ad inquirendum, quod locus sit aliquid præter locata: Nunc verò cum videamus in eodem plane locum degere duo, aut plura corpora successiuè, & vicissim vnum atque idem corpus esse modo in hoc, modo in alio loco, euidenter cognoscimus, locum, qui hæc corpora in semet accipit, omninò esse aliquid præter illa. Quocirca quemadmodum transmutatio formarum substantialium circa materiam, duxit nos in cognitionem materiæ: Et successio accidentium ducit in cognitionem subiecti, ita vicissitudo & motus corporum circa eundem locum manuduxit homines in cognitionem loci. Qui motus alius quidem est, quo mobile totum mutat locum, vt dum lapis descendit. Alius, quo mobile non mutat locum secundum se totum, sed solummodo secundum partes, vt contingit in augmentatione, per quam acquiritur maior locus, & in diminutione, per quam fit minor locus.

VI. Ait 2. quod dupliciter aliquid est in loco; idest per se, & ex accidēte. Nam sicut aliquid mouetur, sic est in loco: Modo alia mouentur per se, vt cum homo ambulat: Alia mouentur solum per accidens. Et istorum, quædam ita mouentur per accidens, vt nonnunquam possint etiam per se moueri, *veluti partes corporis integrales*, quæ suo toti iunctæ, mouentur per accidens ad motum totius: eædem verò separatæ mouentur per se; tunc enim sunt quædam tota. Ita *in naui clauus*. Quædam verò alia ita mouentur per accidens, vt per se nullo vnquam pacto possint moueri, vt albedo, scientia, anima equi. Locus inuentus est ex ijs quæ mouentur per se.

VII. Pergit 3. explicare vberius conditionem locati: Intendit autem ostendere, locatum haud esse in loco perinde ac pars est in toto, sed esse velut in quodam extremo contingente, & continente ipsum locatum. Debet igitur explicari differentia inter esse in loco, & esse in toto. Et quia huiusmodi differentia quærenda est solum de loco proximo ac proprio, non autem de loco communi, iccircò Aristot. excludit locum communissimum, & communem. Et ait, multipliciter aliquid esse in loco. Primò in loco communissimo, quo pacto homines dicuntur esse in cælo, idest in mundo, quia sunt in aere. Secundò, aliquid est in loco communi, sic quippiam dicitur esse in aere, quia est in hac aeris parte: atque de vtroque hoc loco non est sermo, sed est de loco primo ac proximo, qui solus est æqualis locato. Tertiò præmittit, quod locatum non est in loco, sicut pars est in toto.

Quartò, huius asserti subnectit quadruplicem differentiam. Prima est, quod pars est *non diuisa*, idest continua ipsi toti: locus verò non est continuus, sed contiguus cum locato. QIII.

Ex qua sequitur secunda. Quando aliquid est continuum cum illo in quo dicitur esse, tunc est in eo tanquam pars in toto. Quando autem non est continuum cum eo in quo dicitur esse, sed est contiguum & vltimo tangens, tunc dicitur esse in loco. Declarat: Portio aeris, cuius hac aula est plena, nunquam dicetur esse in reliquo aere huius ipsius aulæ vt in loco; sed veluti pars in suo toto; quia dicta portio est continua cum reliquo aere, ita *in oculo est acies, & in corpore manus*: Ego autem sum in hac aeris parte immediatè ambiente me, vt in loco, & ita *in cado est aqua, aut in fictili vinum*. IV.

Tertia, id quod est in alio vt pars, non est in spacio æquali cum toto: Id verò quod est vt in loco, est in spacio æquali. Locus etenim proximus, & locatum adæquantur.

Quarta deniq; differentia est, quando aliquid est vt continuū, siue vt pars in toto, *non in illo mouetur, sed cum illo*, quando autē est vt in loco, *mouetur in illo*. Profectò pars, qua pars, non habet per se motum vllum, sed ad motum totius, siue cum toto mouetur: quod autem est in loco, habet per se motum, manente ipso loco immobili; *manus*, inquit, Aristot. in tex. 32. *cum corpore mouetur: aqua autem in cado*.

Colligit, & explicat Arist. loci definitionem.



IX. X proprietatibus, hucusq; enucleatis, & iis quæ de loco præaccepta sunt, manifestum est, inquit Arist. in tex. 35 quid sit locus: nihilominus ita adhuc faciet. Primò, colligit particulas in definitione collocandas: Secundò, apponit in tex. 41 integram loci definitionem: Tertiò, ostendit in tex. 42 eam rectè esse assignatam. Primò colligit loci genus, quod sit terminus, siue extremitas, siue superficies corporis continentis; & sic argumentatur. Locus aut est forma, aut est materia, aut est spacium ac interuallum ter dimensum, quod inter latera corporis continentis interiacet, quale V. G. est in vase inter extremitates internas ipsius vasis, quod occupatur ab aqua, qua vas illud sit plenum, aut denique est terminus, siue extremitas, ac superficies ipsius corporis continentis. Profectò præter hæc quatuor nihil aliud potest de loco excogitari. At locus non est forma, non materia, non dictum interuallum: erit itaque terminus, extremitas, ac superficies interna corporis ambientis: Minorem probat quo ad singulas partes: & quidem de forma, ac materia superius edisseruit; iccircò in præsens parcius agit; vberius autem agit de interuallo.

X. Locum non esse formam patefacit, diluendo rationem, qua videri posset esse forma, quia vid. locus continet: continere autem est proprium formæ. Occurrit Arist. quod sunt quidem *vtraque*, nimirum & forma, & locus, *termini*, *sed non eiusdem*. Quippe forma *est terminus rei*: terminat intrinsecè id cuius est forma: locus autem est terminus *continentis corporis*, terminat tantum extrinsecè. Siquidem locus, in quo ego nunc sum, haud est aliquid intrinsecum mei.

Patefacit deinde locum haud esse spacium, siue interuallum. Pro cuius rei intelligentia scito, complures Veteres existimasse, inter latera superficiei concauæ corporis continentis adesse quoddam medium spacium reale interceptum, quod quidem nihil aliud esset, quàm dimensiones quædam, & corporis de Prædicamento Quantitatis, absque vlla etiam substantia. Et hoc interuallum, siue dimensiones asseruerunt esse locum, ita quod porrò spacium corporis locati vnà interiret, & hoc abeunte, totidem recuperetur aliud: Spacium autem illud & dictæ dimensiones semper remanerent eædem, & peruaderent ac penetrarent corpus ibi locatum. Ratio autem, cur ita existimauerint, indicatur a Philosopho in tex. 36. quia videmus, manente eodem corpore continente, mutari corpus contentum, sicut manente vase, sæpenumero mutari aquam, aut aerem ab illo. Tunc ita collige. Locus non est ipsum corpus continens, cum locus sit accidens: corpus autem continens sit substantia. Neque est corpus ipsum contentum. erit igitur dictum interuallum.

Hanc imaginationem illico reijcit Arist. ostendique, inter latera, siue superficiem concauam corporis continentis nullum intercedere spacium reale nisi molem corporis contenti; ita vt spaciũ V.G. infra extremitates concauas amphoræ vino plenæ nil aliud sit, quàm ipsa vini moles: & extracto vino, receptoque in eam ipsam amphoram aere, nullum ibi supersit interuallum reale, præter molem ac magnitudinem aeris de quo spacio latius in quæst. XI.

Arguit autem primò: Si locus esset spacium recens innatum, & manens, sequitur in eodem esse infinita loca; Hæc est impossibile, quoniam natura infinitum non patitur. Consequentia autem prob. Pro qua tamen accipe 1 quod illud interuallum, & dimensiones infra extremitates corporis continentis, vt auctores illius opinionis contendebant, esset aliquid reale (locus enim reale quippiam est) præter corpus continens, & corpus contentum. Accipe 2. quod illud reale ter dimensum permearet totam quantitatem ac substantiam corporis locati. V. G quando vinum erat in amphora, spacium illud reale ter dimensum peruaderet totam molem ac substantiam vini: educto autem vino, & recepto aere, aut aqua, illud idem spacium permanens, penetraret totam, an aeris, an aquæ magnitudinem, & substantiam. Accipe 3, quod quando ex vno loco egreditur vnum corpus, & accedit alterum, abeunt omnes partes corporis prioris, & succedunt omnes partes corporis denuo recepti: vt enim totum mutat locum, ita & omnes eius partes. Accipe 4. quod illæ partes omnes essent in loco per se, & ita vnaquæque pars esset in loco partiali, sicut totum est in loco totali. Et hoc valdè est adnotandum. Nam in sententia nostra partes non sunt per se in loco: Cuius ratio in promptu est, quia pars, vtpote toti continua, nequit a corpore ambiente ex omni parte circumscribi. Quod requiritur, vt quippiam sit in loco per se. In sententia verò illorum Veterum, cum dictum reale spacium, ac dimẽsiones penetrarent totum locatum; ac proinde peruaderent omnes eius partes: profectò vnamquamque partem per se ambirent: Et per consequens illæ partes omnes essent per se in loco. Quibus adnotatis, consecutio Stagiritæ est euidens. Nam partes vini, aut aeris receptis in amphora, sunt infinitæ, quia sunt partes continui: & vnaquæque illarum est in suo loco per se, ergo in amphora sunt loca infinita.

Vrget 2 eandem opinionem deducens illam ad alia tria aperta incommoda. Si locus est præfatum interuallum, sequuntur hæc tria absurda, quod videl. locus mutetur ad locum; & quod lo- XII.

ci sit

Digitized by Google

e' fi al os locus ; & quod simul sint multa loca. Quæ porrò, vel cogitatu absurda sunt. Consecutio verò sic deducitur. Sit amphora plena vino, & transferatur de vno in alium locum, veluti a dextro ad sinistrum; Locus vini est interuallum dictæ amphoræ; euidens ergo est, quod transfertur etiã interuallum intra amphoræ extremitates inclusum. Atqui istud interuallum, iuxta illam opinionem est locus, ergo locus mutatur ad locum.

Rursus, Cum amphora est translata in alium locum, locus eius amphoræ est interuallum ac dimensiones eius aeris, qui illam tunc ambit: Hoc interuallum, & illæ dimensiones, quæ sunt locus amphoræ, penetrant, & permeant, iuxta illam opinionem, totam molem amphoræ; & per consequens penetrant totum etiam interuallum intra dictæ amphoræ latera receptum, quod erat locus vini contenti in amphora, ergo locus vini est in loco amphoræ, & sic locus est in loco. Et simul etiam sunt multa loca, videl. locus amphoræ, & locus vini: & si in vinum inijcias lapillum, locus eius erit vinum, & ita adhuc multiplicantur loca.

XIII. Posset quispiam suspicari, quod eadem incommoda videantur consequi, si cum Aristotele constituas, locum esse extremitatem, siue superficiem corporis continentis. Nam sicut mota amphora, mouebatur ipsius interuallum, quod erat locus; vnde Arist. colligit, locum moueri ad locum; ita mota ea ipsa amphora, mouetur eius superficies, quæ est locus vini in ea contenti: ergo locus mouetur ad locum. Item, dicta superficies est locus vini: Hęc, quando amphora transfertur, fit in alio loco, quare locus fit in loco: & sic etiam simul sunt multa loca.

XIV. Triplex est discrimen. Primò, illud Veterum interuallum, *erat aliquid diuersum a magnitudinibus, quæ mouentur*, vt loquitur Arist. in tex. 40. quocirca & per se mouebatur, & per se erat in loco. In sententia verò Stagiritæ superficies corporis continentis haud est diuersum quippiam a corpore continente, sed est eius pars & terminus: quamobrem neque per se mouetur, neque per se est in loco. *Non est alius locus partis in quo mouetur, cum totum vas transmutatur, sed idem*. Propterea in sententia illorum locus mutatur ad locum, non autem in opinione Aristotelis.

Secundò, iuxta Veteres quando amphora transfertur de vno in alium locum, locus nouus amphoræ, id est interuallum ac dimensiones aeris, permeabant totam amphoram, atque adeò ipsum illius interuallum, vnde locus erat in loco: Ad aures autem Aristotelis superficies noui loci amphoram ambientis, non penetrat totam amphoram, neque tangit superficiem eius concauam, secundum quam, dicta amphora est locus vini, sed tangit illius duntaxat superficiem conuexam: quo fit vt loci non sit locus; neque multa loca sint simul.

XV. Tertiò, quando aliquod corpus continens aliud mouetur, veluti dum amphora vini plena transfertur, ac proinde defert secum etiam vinum contentum, vel quando pars aquæ fluuij defert nauim, tunc non mutatur locus dictæ amphoræ, sed illa mutatur de loco in locum: locus verò manet idem atque immobilis, quia identitas loci accipitur ex determinato situ in mundo, vt in quæst. de loco explicabimus, & docet Arist. in tex. 37 illis notis, *sed non in quo sunt, loco, qui pars est eius loci, qui est locus totius cæli*. Ex his itaque constat, locum haud esse interuallum infra extremitates corporis continentis interiectum.

Pergit, & in tex. 38. probat, locum non esse materiam. Primò autem ponit rationem dubitandi, siue similitudinem loci cum materia, deinde eam depellit, inducendo triplex discrimen. Si, inquit, locus spectetur vt quiescens, atque immobilis, videtur esse materia: Quemadmodum enim materia manet eadem, & continuò suscipit aliam atque aliam formam, ita vt quod olim erat album, nunc sit nigrum: & nunquam est sine omni forma, ita locus manet idem, & continuò suscipit aliud atque aliud corpus, & nunquam est sine vllo corpore: alioquin esset vacuum: locus igitur videtur esse materia: vel potiò maximam cum materia tenet affinitatem.

Subnectit tamen triplicem differentiam. Prima est, quod in transmutatione materiæ dicimus, id XVI. quod erat aer, nũc factum esse aquam: in successione autem corporum in loco, non dicimus, quod erat aer, id factum esse aquam, sed vbi erat aer, nunc esse aquam. Secunda, materia est pars intrinseca rei, & non est separabilis a re cuius est, integra ea manente: locus autem neque est pars intrinseca, & est separabilis ab eo cuius est, integro eo manente. Tertia, materia continetur, & determinatur: locus verò continet, & determinat.

Hinc in tex. 39 colligit demonstrationem. Si locus, vt hucusque ostendimus, non est aliquid illorum trium, videl. non forma, non interuallum, non materia, necessariò fateamur necesse est, esse quartum, videl. *terminum corporis continentis*.

Deprehensum hactenus est loci genus: Inuestigat nunc a tex. 40. eius differentiam: Nam esse extremitatem, ac terminum corporis continentis, est aliquid commune, cum & vas, & locus contineat. Differentia itaque est, quod vas continet, & est mobile: locus itidem continet, sed est immobilis. Quare in fine tex. 41 colligit integram loci definitionem, quæ talis est. *Locus est continentis terminus immobilis, primus*. E communiter sic effertur. Locus est superficies vltima corporis ambientis, immobilis, primò, per se, & non secundum accidens.

Tandem probat definitionem rectè esse assignatam, ostendendo in tex. 42. locum esse immobilem, & esse extremum, siue superficiem continentis. XVII. Probatio prioris est duplex. Altera quidem desumitur ex communi Philosophorum consensu: Altera ex natura rei. Ait itaque. Locum esse immobilem,

mobilem, ex eo suaderi potest, quia omnibus videtur, quod medium Vniuersi, nempe centrum terræ, & vltimum circularis lationis, idest vltima superficies quoad nos, scil. concaua superficies Orbis Lunaris, maximè ac propriè sunt loca, quia ista sunt maximè ac euidenter immobilia. Enimuerò centrum terræ *semper manet*, & omni ratione existit immobile: Vltima autem Lunæ superficies etiam est immobilis, quia licet assiduo circumrotetur, nihilominus semper est in eadem distantia *& similiter se habens manet*. ergo euidens est, locum esse immobilem.

Altera ratio sic colligitur. Motus corporum naturalium est semper idem atque inuariabilis: ergo habet terminum perpetuò eundem atque inuariabilem. Hi termini sunt loca sursum, ac deorsum. quare ista loca sunt perpetuo eadem, inuariabilia, ac immobilia. Sic igitur etiam sunt reliqua loca immobilia per ordinem ad dicta loca. Quod verò locus sit extremum, ac superficies continentis, ostendit, quia locus *est veluti vas, & continens*. Et quia locus, & locatum *sunt simul*.

CAPVT V.

Textus 43. vsque ad 50.

Explicat quomodo res sunt in loco: Et soluit rationes superius in contrarium inductas.



I. Ria theoremata proposuit Aristot. initio huius lib. discutiendo de loco. An locus sit? Quid sit? & Quomodo sit. Executus hucusque est duo priora: aggreditur nunc tertium: & in hoc capite tria potissimùm præstat. Primò colligit, quomodo corpora sint in loco, siue quæ corpora sint in loco, quæ non: & quæ sint in loco actu, quæ potentia: & quæ per se, quæ secundum accidens. Secundò, diluit rationes superius in contrarium allatas. Tertiò, declarat, quomodo intelligenda sit illa loci proprietas, quod omnia corpora habeant naturalem propensionem ad propria loca.

II. Ait itaque. Si locus est vltima superficies corporis continentis, quemadmodum nuper in eius definitione dictum est, ergo illa corpora sunt in loco, quæ extra se habent aliud corpus, a quo ambiuntur: Illa verò non erunt in loco, quæ extra se non habent aliud corpus, a quo contineantur. Rem exemplo illustrat. Si supponamus, sicut Thales opinatus est, omnia esse ex aqua: at proinde ipsum Vniuersum esse aquam, tunc illa aqua secundum se totam haud esset in loco; cum extra illam nullum superesset aliud corpus: esset autem in loco secundum partes, quoniam homo, equus, & singula quæq. entia essent partes illius: & ista entia verè sunt in loco. Ita nunc res se se habet de toto mundo. Totus etenim mundus secundum se totum, non est in loco, cum extra se nullum habeat corpus continens: secundum partes autem est in loco. Hoc verò est esse in loco per aliud.

Quam quidem rem vt penitus intelligamus, apponit Eximius præceptor quatuor modos, quibus aliquid potest dici esse in loco. Quædam dicuntur esse in loco actu: quædam potentia. Actu sunt in loco omnia corpora, quæ actu habent extra se aliud corpus, a cuius superficie ambiuntur. Potentia dicuntur esse in loco partes continui, veluti partes aquæ, aut ligni, quando sunt toti coniunctæ, quia huiusmodi partes tunc non ambiuntur vndequaq; a superficie corporis continentis, cum ex illa parte, qua sunt toti coniunctæ, minimè ambiantur. Quando verò sunt ab illo toto seiūctę, tunc sunt actu in loco, quia tunc ex omni parte tanguntur ab alio corpore. Sic etiam existunt grana frumenti in cumulo, quod est exemplum Aristotelis. Si itaque esse actu in loco, est contineri ab alio corpore extra se posito: & totus mundus nullum habet extra se corpus, profectò totus mundus actu haud erit in loco. Et hoc infert Philosophus post dictam diuisionem, dum ait, *cælum autem, sicut dictum est, non est alicubi totum, neque vllo in loco est: siquidem nullum corpus ipsum continet*. Sed partes mundi aliæ inter se sunt continuæ: aliæ inter se sunt distinctæ. Illę sunt in loco solum potentia, sit V. G. est in loco pars terræ designata, & toti terræ iuncta: Partes autem inter se separatæ sunt actu in loco. Sic terra actu est vt in loco in aqua, hæc in aere, hic in elemento ignis, hic in concauo Lunæ, hęc in orbe Mercurij vsque ad vltimam sphæram, quæ actu in loco non est: de qua re in quæst. III.

Rursus, Alia sunt in loco per se: alia per accidens. Sunt in loco per se, omnia corpora, quæ per se possunt moueri secundum locum, relinquēdo vnum, & acquirendo alium locum, veluti homo, aut lignum: Vnumquodque enim vt mouetur, sic & in loco est. Secundum accidens sunt in loco ea, quæ sunt in loco ratione alterius. Et ista sunt in duplici differentia. Quædam sunt in loco per accidens, quia sunt in eo, quod est in loco per se; ita albedo, & anima sunt in loco. Quædam sunt in loco per accidens, id est per aliud, siue ratione partium. Atque hæc de prima parte huius capitis. IV.

Deinde in secunda capitis parte a tex. 47. diluit rationes superius a tex. 8. & deinceps in contrarium confectas, circa quiditatem loci. Et quoniam V.

ex ijs, quæ hucusque habita sunt, manifesta est gen maoa loci oatura: ideò branitet, nec eo ordine quo rationes illæ propositæ sunt, eas dissoluit. Imò verò solum indicat solutiones quatuor rationum; duas verò quasi minimè solutionis indigas prætermittit. Erat vna ratio. Si locus est aliquid, sequitur, eum augeri, aucto locato; & imminui, eo diminuto. Negat Arist. hanc consecutionē: & ait, id haud esse necessarium, quia quod augetur, debet esse corpus, cum auctio fiat secundum omnes partes aucti; ac proinde secundum trinam dimensionem. Patefactum autem est, locum non esse corpus, sed corporis extremitatem, ac superficiem, propterea locus non augetur.

VI. Erat 2. argum. quia sequeretur, puncti, & lineç esse locum. Etiam hoc negat Arist. nam locus est superficies corporis ambientis: sola autem corpora possunt ambiri, non verò puncta, aut lineæ. Præterea, termini aaituut non ratione sui, sed ratione eius, cuius sunt termini; cum itaque puncta, & lineæ sint termini, non sunt in loco ratione sui, sed ratione eorum, quorum sunt termini.

Erat 3. argum. quia alias duo corpora se penetratent. Negat etiam id sequi. Etenim superficies corporis continentis non penetrat corpus contentum: Si verò locus esset illud Veterum intervallum ter dimensum, tunc penetraret locatum. Huiusmodi autem intervallum iam superius reiectum est.

Erat 4. ratio Zenonis, quod locus esset in loco: Occurrit Aristot. locum vtique esse in aliquo, non quidem vt in loco, sed vt terminum in terminato, & accidens in suo subiecto.

VII. In tertia denique capitis parte in tex. 48. & 49. reddit rationem eius affectionis, quam supra in recensendis loci proprietatibus repoluit, quod scil. omnia corpora naturalia innato pondere ad sua loca ferantur: & in iis naturaliter quiescant. Consultò Arist. hic, non autem prius hanc rationem reddit, quia hic est locus diluendi dubitationes, vt vidimus. Ait itaque primò, rationabiliter vnumquodque ferri ad suum ipsius locum, veluti ignis sua natura fertur ad locum sursum, & terra deorsum. Annectit geminam rationem; Prima est ex naturali proportione inter locum, & locatū. Quippe corpora locata, & loca in Vniuerso, secundum naturam, & non vi disposita, debent esse συγγενῆ, congenea, vt videl. nobilitas loci respondeat in nobilitate locato: At corpora in Vniuerso naturaliter sunt disposita consequenter, id est vnum post aliud secundum suam perfectionem, & nobilitatem, ita vt corpus cæleste, vtpote nobilissimum, obtineat locum sibi congeneum ac nobilissimum: Inter subcælestia autem, primò quidem resideat ignis, inde aer, & consequenter reliqua. Quocirca ratio sic colligitur. Vnumquodque naturaliter tandit ad suum congeneum, quod sibi in perfectione respondet: Locus vniuscuiusque est congeneus corpori, quod illi in perfectione respondet, ergo vnumquod que naturaliter tendit ad suum locum.

Secundò reddit rationem, cur etiam *rationabiliter vnumquodque manet natura in proprio loco*, quæ ratio probat etiam vnumquodque natura ferri ad suum locum. Vnaquæque, inquit, pars a suo toto diuisa, & non impedita, naturaliter fertur ad suum totum, cum in eo obtineat suam perfectionem: ac proinde in eo ipso naturaliter quiescit: Atqui totum elementum. V. G. ignis, est in loco sursum, totum elementum terræ est deorsum, quare rationabile est, partem ignis, qui apud nos reperitur, naturaliter ferri ad locum sursum, & in eo naturaliter manere. Adde, quod locus habet rationem formæ, locatum autem habet rationem materiæ: locus enim continet ac terminat: locatum autem continetur, ac terminatur, ergo etiam ex hoc capite singula tendunt ad sua genuina loca. Hæc ex Arist. qui concludit in tex. 49. *& de loco quidem & quod est, & quid est, dictum est*. Verùm, vt quæ Arist. de loco tradidit, penitius introspiciantur, lubeat paulisper in quæst. immorari. VIII.

QVAESTIO VNICA
DE LOCO.
SECTIO PRIMA.

Vtrum rectè definitus sit ab Aristotele locus, quod sit terminus, siue superficies corporis continentis, immobilis, primus.



ANTA est nostri intellectus miseria, vt in rebus etiam manifestissimis sæpenumero mitis implicetur difficultatibus. Nemo est, qui non animaduertat se esse in loco: quid autem locus sit, maxima in omni ætate exstitit altercatio. Opiniones varias vidimus cum Arist. in textuum expositione: Propterea circa ea hic vet sabimur, quæ post Arist. in scholis agitantur. Ac primò quidem, quod ad loci definitionem attinet. I.

Arguitur pro parte negatiua, & primò contra primam ipsius particulam, quod *locus sit superficies*. Vna species alicuius generis nō prædicatur de aliat,

Neque

Neque vnquam dixeris, canem esse leonem, aut bouem esse equum: Sed locus est vna species Quantitatis continuæ distincta a superficie, vt constat ex Arist. in Categ. de Quantit. constituente species Quantitatis continuæ esse *lineam*, *superficiem*, *corpus*, *locum*, & *tempus*. ergo locus nequit dici superficies.

II. Secundò, Locus pertinet ad Prædicamentum Vbi: superficies autem ad Prædicamentum Quãtitatis, ergo locus non est superficies. Conseq. est clara, quia Prædicamenta sunt inter se primò diuersa. Assumptum autem prob. Illud, cuius differentiæ sunt in Prædicamento Vbi, etiam ipsum est in eodem Prædicamento: quippe differentiæ sunt in eodem genere cum eo, cuius sunt differentiæ, quemadmodum discimus ex secundo Poster. tex. 41. & septimo Metaph. tex. 4. Sed differentiæ loci sunt in Prædicamento Vbi: nam locus diuiditur per sursum, & deorsum, ante, & retro, &c. vt videre est vel in hoc quarto lib. tex. 44. & lib. primo de cælo cap. 2. Sursum autem, & deorsum, &c. sunt differentiæ ipsius Vbi, vt vel ex ipso Gilber. Porretano, auctore sex Principiorum quisque nouit, ergo locus non est superficies.

Tertiò, Vnumquodque corpus naturaliter fertur in suum locum, & in eo naturaliter conquiescit, sicut docuit Philosophus in hoc lib. tex. 48. & lib. secundo de cælo tex. 23. Sed terra non fertur ad superficiem aquæ, & aeris, a quibus immediatè ambitur, Sed ad centrum: quare locus terræ non est superficies corporis continentis. Adde, quod idem medium Vniuersi est locus grauium: At medium Vniuersi non habet rationem corporis continentis, quin potius contenti, ergo locus malè dicitur esse superficies *corporis continentis*.

III. Quartò arguitur contra aliam particulam, *immobilis*. Locus meus est vltima superficies huius aeris ambientis me. Atqui hæc est mobilis, quare locus nõ est immobilis. Minor constat ad sensum, dum perflat ventus: Ita in turri, circa quam assiduè alius atque alius aer succedit: Ita in equi in flumine stat.

Quod si respondeas, superficiem corporis ambientis, gemino modo posse spectari. Vno quidem materialiter, quo pacto re vera est mobilis, vt argumentum conuincit: Altero verò formaliter, pro certa distantia ad partes Vniuersi, & sic est immobilis.

IV. Contra insurgit triplex difficultas. Prima est: Illa distantia, cum sit accidens, necessario subiectatur in superficiebus materialibus. ergo motis illis, omninò mouetur etiam illa distantia, Quippe moto subiecto, mouentur omnia, quæ in illo sunt, accidentia. Secunda, Superficies materialis est subiectum præfatæ distantiæ, & si vis, relationis distantiæ, quando itaque mutatur hæc superficies, & aduenit alia, aut manet eadem numero distantia, quæ erat prius, aut non. Primum est impossibile, quia cum ibi non sit idem numero subiectum, qui vnquam erit idem numero accidens? non enim accidens migrat de subiecto in subiectum. Si verò non remanat eadem numero distantia, ergo neque est idem numero locus, quia hic numero locus fit ab hac numero distantia. Tertia difficultas est, quia Arist. nullam vnquam mentionem fecit huiusmodi distantiæ, ergo fictitia est: ac proinde dicta loci definitio est vitiosa: Nihilominus dicendum est, quod.

Locus physicus & propriè dictus, de quo hic loquimur, aptissimè ab Aristotele definitus est, quod sit terminus, siue superficies corporis continentis, immobilis, primus.



Sic amplectantur boni quiq; auctores: & ab Aristotele, vt in textuũ expositione vidimus, planè ostensum est. Præterea strictim sic prob. Dicta definitio explicat genus, & differentiam loci, ac proinde eius essentiam. ergo est optime. V.

Et quod spectat ad genus, omninò quatuor sunt, in quorum aliquo locus, sine eius genus consistat necesse est. Aut est materia: aut formæ: aut spacium, sine interuallum inter latera corporis continentis interiectum: aut sanè extremitas, ac superficies corporis contentis. Quod enim nonnulli recentiores addunt de relatione distantiæ ad partes Vniuersi, id non constituit nouum diuisionis membrum, sed est explicatio superficiei immobilis positæ in definitione loci, quemadmodum inferius audies.

Atqui tria priora iam ab Stagirite in cap. 5. penitus labefactata sunt. Quippe locus neque materia, neque forma statui potest, quia forma est terminus intrinsecus eius, cuius est forma: locus verò non est huiusmodi terminus eius, cuius est locus. Et quia materia est ens potentia: locus verò est ens actu: alioquin actu non contineret.

De interuallo maiores olim extitere difficultates, Nam vt Simplic. in sua illa satis prolixa Digress. de loco loquitur, *sententia, quod locus sit interuallum, clarissimis etiam post Aristotelem Philosophis grata est*. Quin & hodie nõnulli de ea adhuc consultant. Antiqui Philosophi opinati sunt, interuallum quod esset locus, esse ens quoddam reale: Qui tamen in eo explicando diuisi sunt. Quidam constituerunt esse corpus de genere substantiæ, & ita tu- VI.

tatus

tuus postea est Proclus, teste Simplicio. Quidam alij, esse corpus de genere Quantitatis, id est solas dimensiones quantitatiuas: ita Chrysippus, Epicurus, & nonnulli Academici, vt auctor est Themist. ad tex. 36. Et in hac opinione est etiam Philopon. in hoc lib. in digressione de loco.

Dixerunt alij, illud interuallum haud esse aliquod ens reale, sed solum esse aliquid priuatiuum,
VII. videl. vacuitatem illam, quæ concipitur intra latera corporis continentis, in qua modo re vera est aliquod corpus reale; veluti si a vase auferas omne corpus, remaneret intra vasis latera illud interuallum, quod dicitur locus. Vlterius hanc vacuitatem dixerunt aliqui aliquando destitui ab omni corpore: ita Democr. Alij verò asseruerunt, eam nunquam ab omni corpore destitui, ita Strato, & Syrian. Qui dicendi modus etiam modernis quibusdam non displicet, vt videre est apud Vallesf. contr. 23. Hurtad. disput. 14. Phys. Amic. tract. 20. quæst. 3. dub. 2. Hinc Tolet. in cap. 5. quæst. 3. conclus. 3. *meo*, inquit, *iudicio, probabilis est opinio, asserens illud spacium vacuum secundum se locum esse*. Vnde nonnulli recentiores, ne videantur omninò deserere Aristotelé, addunt, quod ipse impugnauit tantummodo interuallū in primo illo sensu, quod non sit corpus, sine dimensiones, non autem impugnat in hoc sensu, quod locus sit ea vacuitas.

Alij denique distinguunt duplicem locum, Vnum appellant locum intrinsecum: & hunc aiunt esse dictum spacium, quod re vera occupatur, & impletur a re locata: Hunc locum intrinsecum aliqui appellant præsentiā localem, per quam corpus dicitur esse præsens spacio diuisibili: & ideo vocetur intrinsecus, quia corpori locato intrinsecè inhæret. Alterum dicunt locum extrinsecum, a quo locatū superficietenus tantum ambiatur, & contineatur: & iste locus est superficies, & terminus corporis continentis: & Arist. (subdunt) definiuit hunc locum.

At verò nihil istorum posse subsistere, vel ex paucis his, quæ subijcio, facile dignosces. Et quod locus, siue illud interuallum non sit corpus de genere
VIII. substantiæ, euidenter euincitur, quia tunc duo corpora se se inuicem penetrarent. Siquidem vbi esset corpus illud, quod dicitur locus, esset etiam & corpus locatum. Penetratio autem corporum repugnat Naturæ constitutioni. Explicatur hoc magis. Corpus illud de genere substantiæ, haud esset sola forma, vel sola materia, ergo est substantia cōposita ex materia & forma. Isthuc compositum ex materia & forma, existit actu in rerum natura: locus etenim actu in natura est. ergo illud corpus necessario est præditum etiam quantitate, & alijs accidentibus; quia repugnat, actu existere aliquā substantiam corpoream, & compositum substantiale, quod nihilominus sit omni accidente expoliatū. Si itaque illud interuallum est corpus substantiale, ex materia & forma conflatum, & quantum, quomodo poterit in se aliud corpus recipere sine penetratione?

Quod verò illud interuallum non sint solæ dimensiones quantitatiuæ, etiam apertè conuincitur quoniam dimensiones sunt quædam accidentia: & illis dimensionib. nulla assignatur substantia, cui illæ inhæreant, vnde sequeretur, accidentia existere per se. Quod in natura non reperitur.

Quod demum illud interuallum non sit de se pura priuatio, mera, inquam, & priuatiua illa vacuitas inter latera corporis continentis, vel ex eo IX.
conuinces, quia locus, & locatum sunt æqualia: Vacuitas verò illa, cum nihil reale sit, & corpus locatum minimè sunt æqualia, cum æqualitas existat inter corpora & quanta. Præterea, aut ista vacuitas est actu aliquid, aut nihil. Si nihil, ergo locus actu erit nihil: quod vel cogitare est absurdum. Si est aliquid, ergo vel est substantia, vel accidens: Si substantia, ergo est corpus, ex materia & forma compositum: & sic redeunt argumenta contra primum dicendi modum confecta. Si accidens, redeunt alia argumenta contra secundum dicendi modum constructa. Adde, si locus esset mera vacuitas, quomodo posset continere locata? quomodo conseruare? quomodo ad se res naturales allicere? quæ porrò sunt legitima & indubitata munia loci? vel quo tandē pacto locus esset immobilis?

Ex his labefactata quoque apparet vltima sententia, quæ duplicem illum locum, intrinsecum, & extrinsecum comminiscebātur. Hæc loci distinctio a nonnullis modernis inuenta est, vt adnotat P. Ruu. in tract. de loco quæst. 3. Sed planè inanis est, & expressè contra Arist. Et quidem inanis, quoniam ponere interuallum pro loco, iam ostendimus esse vanum. Est verò expressè contra Arist. quia hic semper asseuerauit, locum esse extrinsecum locato. Si X.
itaque locus, (vt tandem colligam,) non est materia, non forma, non interuallū vllo modo, relinquitur, vt sit extremitas, & superficies corporis continentis.

His ita reiectis, vt iam Stagiritæ definitio, atque ipsa loci natura intimè innotescat, duo præstare opus est. Primùm explicare singulas illius particulas. Deinde, diluere contraria argumenta. Circa primum dissident auctores: Equidem paucis subijciam, vt mihi dictæ particulæ videntur explicandæ. XI.

Cōstat ea definitio ex genere, & differētia. Genus est *extremitas*, siue superficies *corporis continentis*: differentia est, *prima*, &, *immobilis*. Vide, quod superficies est quasi genus remotum: quandoquidē multæ sunt superficies, quæ non continent, vt superficies connexa huius atramētarij: ideircò istud genus remotum contrahitur per subsequentia verba, *corporis continentis*, & sit genus proximum collocandum in definitione loci. Nemo non nouit, definitiones debere tradi per proximum ac proprium genus. Verùm hæc talis superficies corporis continentis competit etiam alij a loco. Si namque est genus loci, profectò debet alijs quoque, competere præter locum, qui hic definitur. Competit itaque loco communi: nam etiam locus communis V.G. Cælum, aut hæc aula, est superficies corporis continentis: est propter contrahitur ad locum proprium per illam vocem *prima*; idest quæ immediatè & adæquatè tangit locatum. Verùm etiam hoc adhuc remanet commune

ipsi loco, & alicui alteri: Nam etiam vas est superficies corporis continentis prima. Quippe vas vino plenum, primò, immediatè, & adæquatè tangit, & continet vinum secundum suam superficiem: ideò additur pro vltima, & specifica differentia loci, particula *immobilis*.

XII. Vnde sic poteris Stagiritæ more per diuisionem colligere loci definitionem. Superficies aut est corporis continentis, aut non: locus non est superficies corporis non continentis, quare est corporis continentis. Rursus, superficies corporis continentis, aut est prima, & adæquata, aut non: locus non est superficies non prima: erit igitur superficies corporis continentis prima: Adhæc, superficies corporis continentis prima, aut est mobilis, aut immobilis: locus non est mobilis, erit ergo locus superficies corporis continentis, prima, immobilis. Quomodo autem locus sit immobilis, dicam in solutione ad vltimum argumentum.

Hac diuisionis methodo venatur ipsemet Arist. definitionem V. G Naturæ in principio libri secundi huius operis, & definitionem motus in lib. tertio cap. 1. & definitionem Animæ lib. secundo de Anim. cap. 1. & docet in secundo Poster. cap. 10. sic nos debere inuestigare rerum definitiones. Quæ omnia ita mihi plana & sensate videntur, vt nihil magis. Quamuis sciam, complures, præsertim verò nostræ ætatis scriptores, nimium hic altercari, an ea definitio tradatur per superficiem tanquam per genus, an verò tanquam per subiectum. Item, an locus primò significet superficiem, secundario verò continentiam, & immobilitatem, ita vt formale, & principale significatum loci sit superficies, connotatum autem & materiale sit continentia, & immobilitas, an verò e contra? & hinc inde stent auctores: de qua re vide, si lubet, Dominic. Soto in hoc lib. quæst. 1. conclus. 4. Conimbr. quæst. 1. art. 2. Complutens. disp. 19. quæst. 4. Rnu. tract. de loco, qu. 2. Mastr. disput. 11. quæst. 2. ego vlterius pergo.

Diluuntur argumenta contra definitionem loci superius à nobis inducta.



XIII. Hinc facili negotio dilues etiam argumenta, quæ contra eam definitionem confecimus. Dilues primum, quia superficies secundum se est quiddam commune, ac veluti materiale, supra quo fundantur duæ species, siue duæ formalitates, quarum altera quidem est illa superficies, quæ constituit vnam speciem Quantitatis continuæ, & proprio nomine nuncupatur superficies: Altera verò est locus, quæ est alia species eiusdē Quantitatis continuæ. Quare sicut motus est veluti quiddam materiale, supra quo fundantur actio, & passio, & ille in recto de vtraque prædicatur; dicimus enim actio est motus, & passio est motus; ita superficies secundum se accepta prædicatur de loco, & de superficie, quæ sunt duæ species Quantitatis continuæ: Et sicut hæc vox, species, secundum se est quid materiale, supra quo fundantur duæ species logicales, quæ sunt species prædicabilis, & species subiicibilis, ita de superficie secundum se accepta philosophare respectu superficiei, & respectu loci.

Ad 2. negandum est, locum formaliter pertinere ad Prædicamentum Vbi: Quippe locus, & Vbi longè diuersa sunt. Vbi consequitur locum tanquam forma quædam denominans: quæ resultat a loco in locato; Et a plerisq; ipsum Vbi dicitur proportio locati ad locum, & definitur ab auctore sex Prædicamentorum, quod *sit circumscriptio corporis a circumscriptione loci*, Vnde oritur alia quoq; differentia, quod Vbi importat præsentiam locati quasi passiuam: locus verò importat extrinsecam, & quasi actiuam circumscriptionem in locato: Et præterea, Vbi est per se terminus motus localis, vt docet Philosophus lib. quinto huius operis cap. 2. locus autem non est per se talis terminus. Hinc S. Thom. in hoc 4. lib. lect. 3. *superficies*, inquit, *corporis locantis, vt prædicatur de ipso, pertinet ad Prædicamentum Quantitatis, tanquam eius species: vt verò denominatiuè prædicatur de corpore locato, constituit Prædicamentum Vbi*. Ex his liquidò conspicis, quod sursum, deorsum, &c. alio modo sunt differentiæ loci, alio differentiæ Vbi: ac proinde falsa est illa minor in argumento accepta, quod differentiæ loci sunt in Prædicamento Vbi.

Ad 3. dicendum, quod loca propria corporum simpliciū, ad quæ naturaliter feruntur, & in quibus conquiescunt, non sunt absolutè superficies corporū ipse continentium, sed sunt quatenus hæc corpora sunt disposita secundum ordinem, & situm Vniuersi, iuxta maiorem, aut minorem propinquitatem ad primum cōtinens, idest ad Cælum. Propterea terræ naturaliter debetur locus a Cælo vsquequaq; remotissimus: qui est propinquissimus medio Vniuersi: e contra igni naturaliter debetur locus propinquissimus primo continenti. Quando igitur dicimus, quod terra fertur ad cētrum, intelligimus, eam ferri ad locum a primo continente summè distantem inter elementa, qualis est vltima superficies aquæ. Siquidem naturalis terræ locus est, esse sub aere, & sub aqua, vt scribit Philosophus in primo Meteor. cap. 3. iccircò terra semper descendit, quousq; sub his elementis subsistet. XV.

Cum itaq; in argumento dicitur, quod terra non fertur ad superficiem aquæ, sed ad centrum, distinguendum est, quod quando terra mouetur, est extra suum locum: & mouetur ad superficiē aquæ, in tali distantia a Cælo, in qua distātia est naturalis eius locus. Quando autē ea ipsa terra est in suo loco, etiā tunc sub eadem superficie quiescit, & conseruatur.

Eodem pacto cum dicimus, grauia ferri ad centrum, nomine centri non intelligimus punctum illud indiuisibile, quod æquè a quacunq; parte Cælestis circumferentiæ distet, sed intelligimus superficiem concauam corporis ipsa continentis in summa distantia a Cælo. XVI.

Quomodo

Quomodo locus sit immobilis?



XVII. Væstum argum. petit explicari, qua ratione locus sit immobilis, quod videl. neque actu moueatur, neque localiter moueri possit. Supponit verò locum apud omnes esse immobilem: Hinc antiqui, etsi in alijs dissentirent, in eo tamen consenserunt, quod locus esset immobilis: Et ratio est euidens. Primò, quia si locus esset mobilis, tunc aliquod corpus moueretur localiter, quando in eodem omninò loco quiesceret. Hoc autem est absurdum. Consecutio verò est clara, quia quod mutat locum, mouetur localiter: Sed si stante ac quiescente me in hoc loco, iste moueretur, ego hic quiescens mutarem locum; quare ego quiescens mouerer localiter. Secundò, quia corpora naturalia feruntur, vt suum locum naturalem cõsequantur, in quo quiescant: At si locus esset mobilis, talis motus posset frustrari. Nam quando corpus naturale diuenisset eò, vbi erat eius locus, iste posset inde moueri: ac proinde illud corpus non quiesceret. Hinc Arist. in tex. 41. ait, locum esse sicuti vas, atque in hoc discriminari, quod *vas est locus mobilis: locus autem est vas immobile*. Supposita itaque loci immobilitate.

Et supposita Philosophi sententia, quod locus sit vltima superficies corporis continentis, vrget
XVIII. difficultas in quarto illo argum. inducta, quod cum huiuscemodi superficies existat variabilis, vndenam loci immobilitas haurienda sit? Qua quidem in re quid non ab alijs atque alijs excogitatũ est? Quidam statim succubuere, asserentes, definitionem loci ab Stagirite traditam, non competere vniuersaliter omni loco, sed solum locis naturalibus elementorum. Hæc quippe loca re vera existunt immobilia, quia ordo quo illa in Vniuerso disposita sunt, immutari non potest. Sic concaua Lunæ superficies est locus immobilis ignis: Sic infima superficies ignis est locus immobilis aeris: sic deinceps. Ita P. Peter. lib. 11. suæ Physic. cap. 3.

Quæ sententia apertè est contra Arist. qui porro intendit definire locum vniuersaliter acce-
XIX. ptum, & proprium vniuscuiusque corporis, quemadmodum etiam antiqui loquebantur vniuersè de loco: vt vel ex ipso eiusdem Stagiritæ exemplo de naui in fluuio in tex. 41. possumus intelligere. Deinde, si dicta definitio esset de locis duntaxat elementorum, tenebatur profectò Arist. aliam loci definitionem assignare, quæ conueniret omni loco. Quod nusquam fecit.

Alij tria dicunt. Primò, quod locus non est mobilis per se: quia per se mouentur sola corpora: locus autem non est corpus. Secundò, quod locus est mobilis per accidens: nam locus est vt quoddam accidens in corpore naturali: Nemo autẽ nescit, quod moto corpore, mouentur per accidens omnia eius accidentia. Tertiò subiungunt duos modos, quibus locus dicitur immobilis.

Primò, locus proprius vniuscuiusque corporis non mouetur necessario nec per se, nec per accidens ad motum corporis locati. Nil enim prohibet moueri locatum, & tali motu non moueri locum in quo illud erat, veluti dum quis egreditur ex hoc cubiculo, haud est necesse egredi etiam superficiem illam, in qua vt in loco erat. Secundò, dicitur immobilis, quia quando aliquid mouetur ad aliquem locum tanquam in terminum ad quẽ, in quo deinde naturaliter debet quiescere, ille locus non est mobilis illo motu, quo dictum mobile mouetur. Nam si ille locus moueretur illo motu, quo mobile mouetur ad ipsum vt in eo quiescat, sequitur, mobile frustra moueri ad talem locum. Cur? quia vt superius dicebam, quando peruenisset, vbi primò erat locus, non inueniret ibi suum locum; sed esset tendendum vlterius, quò locus ille motus est. Ita Jandun. in hoc lib. quæst. 6. & adducit in suum patrocinium Auerr. qui in tex. 41. hæc scribit *vas est continens, & mobile essentialiter: locus verò est continens immobile, nisi per accidens*.

Quæquidem opinio expressè contra Aristotelem constituit, locum esse mobilem per accidens: Et XX.
insufficienter explicat eius immobilitatem. Primum sic prob. Arist. immobilitatem, vt superius vidimus, posuit tanquam vltimam & specificam loci differentiam: Et Auerr. in tex. illo 41. asserit; *locum esse immobilem essentialiter*. At repugnat, vt id quod est oppositum differentiæ specificæ, & essentiali, possit conuenire alicui, etiam per accidens; sicut, quia differentia specifica hominis est rationale, repugnat, hominem esse, etiam per accidens irrationalem. ergo repugnat, locum esse mobilem, etiam per accidens. Secundum etiam probo, quia ea immobilitate, quam dicti auctores comminiscuntur, etiam scamnum V. G. in quo sederem, & ex quo discedo, diceretur immobile. Nam illud non mouetur ad meum motum.

Tertia opinio asserit, locum non esse simplici- XXI.
ter, & formaliter immobilem, sed dici immobilem per æquiualentiam: quia licet mutetur hæc, aut illa superficies corporis continentis, vt in turri apparet, dum perflat ventus, nihilominus succedit alia loco illius: & succedit in eodem situ, ac erat illa prior, quæ præterijt, ambitq; turrim eodem planè modo; propterea reputatur idẽ locus, ac immobilis: & turris dicitur esse in eodem loco. Ita recentiores colligunt ex Scot. in 2. dist. 2. quæst. 6. vt videre est apud Ruu. in hoc lib. tract. de loco quæst. 3.

Veruntamen hæc immobilitas nimium impropria est. Hinc aliqui Scoti asseclæ addunt, quod

superficies succedentes faciunt eundem locum per æquiualentiam, non vtcunq; acceptæ, sed quatenus succedant in locum priorum superficierum, cum eodem respectu, siue cum eadem relatione ad polos, & centrum Mundi, sicuti erant priores superficies. Sed qui hoc addunt, iam delabuntur ad aliam sententiam, de qua mox audies.

Multi recentiores aiunt, immobilitatem loci de-
XXII. sumi ex præsentia ipsiusmet loci. Quæ quidem præsentia attenditur penes duo. Vnum ac principale est spacium imaginarium, quod porrò firmum fixumque semper permanet: sic ergo & præsentia huius aut illius loci respectu illius spacij imaginarij est semper firma atque inuariabilis. Deinde, in illo spacio imaginario inuenimus aliquam superficiem realem, idest superficiem extimam Mundi: & in illa apprehendimus, & assignamus duos polos immobiles: ab his itaque, & a centro eiusdem Mundi accipitur immobilitas loci: Et per hæc explicatur tanquam per notiora nobis: primario autem, per se, & absolutè loquendo, reuera immobilitas loci debet attendi a punctis conceptis in spacio imaginario. Ita Barth. Amic. in hoc lib. tract. 20. quæst. 1. dub 9. vbi pro hac eadem sent. recenset nonnullos alios.

Coguntur autem ad istiusmodi immobilitatem spacij imaginarij confugere, quia si Deus, inquiunt, moueret totum Mundum versus vnam partem, tunc ego V. G. stans immotus atque quiescens in hoc loco, vbi nunc sum, in eadem præsentia ad polos mundi, & ad centrum terræ, nihilominus mutarem locum. ergo absolutè loquendo immobilitas loci nequit desumi ex polis, & centro Mundi.

Hinc alij addunt, loci immobilitatem desumi
XXIII. ex superficie includente duplicem respectum. Vnum, qui est præsentiæ ad spacium verum, aut imaginarium. Alterum, qui est respectus distantiæ ad partes Mundi fixas, quæ sunt centrum, & poli. Itaque indiuiduatio huius aut illius loci ex his tribus, aiunt, desumitur: nempe ex hac numero superficie: ex hac numero præsentia ad spacium: & ex hac numero distantia ad polos. Sic Ruu. quæst. illa 3. citata.

Quæ sententiæ, in eo quod confugiunt ad spacium imaginarium, habent pro fundamento ipsum
XXIV. nihil. Vnde sic arguo. Locus, & eius præsentia sunt aliquid reale ac positiuum: Repugnat autem realem ac positiuam præsentiam hauriri ab eo, quod est omninò nihil. At spacium imaginarium est omninò nihil. ergo repugnat, locum, & eius præsentiam hauriri absolutè & principaliter a spacio imaginario. Quod autem Ruu. ait, loci immobilitatem desumi etiam ab hac numero superficie, omninò eget distinctione. Nam a superficie formaliter accepta, verum est: sed a materiali, est falsum, vt inferius dicam: Superficies autem formalis includit & præsentiam loci, & distantiam ad partes Mundi.

Hinc alij altius eleuentur videl. ad ipsam, diuinā
substantiam, & dicunt, quod licet Arist. loci immo- XXV.
bilitatem, vnitatem, & diuersitatem desumpserit ex determinato ordine, quem dicit superficies ad partes Vniuersi, quæ modo existunt fixæ, & immobiles, nihilominus per se, & absolutè loquendo, hæc omnia desumi debent ex determinato ordine, quē dicit superficies ad partes virtuales diuinæ substantiæ. Cum enim hæc ob suam immensitatem sit vbique difusa etiam extra Vniuersum; non potest dari vlla superficies, quæ non sit illi intimè præsens, & cum superficies ob suam limitationem nequeat diuinæ substantiæ coexistere vbicunque, intelligitur coexistere alicui parti ipsius, non quidem formali, quia formaliter ea est indiuisibilis, sed virtuali. Ita Mastr. disput. 11. quæst. 6. art. 2.

Sed mirum est, quò ij isti auctores recipiunt, vt XXVI.
diuinam ipsam substantiam, saltem virtute faciant diuisibilem, adeò vt vna ipsius pars constituenda sit in ortu, altera in occasu, alia alibi: secus enim non posset ex ea desumi diuisio, & mensuratio diuersorum ac diuisorum locorum.

Verùm communis tantæ dissensionis radix est, quòd plerique omnes nolunt considerare, quod Arist. loquitur in natura, & vt res ipsa se habet: isti verò miscent absolutas Dei potentias, quarum Arist. erat maximè ignarus. Quocirca quemadmodum ipse nono Metaph. tex. 17. modo non clamat, *non esse timendum ne cælum aliquando stet*, ita nunquam concederet, totum Mundum posse a suo loco dimoueri. Ac proinde casum illum, scil. si Deus moueret totum Vniuersum versus vnam partem &c. propter quem supradicti auctores coguntur ad spacia imaginaria, & ad diuinam substantiam confugere, Arist. non admitteret: Et diceret, se syncerè definiuisse locum esse immobilem per ordinem ad partes Vniuersi fixas atque immobiles, vt nunc res est, quemadmodum explicat ipse in tex. 37. &c.

Cæterum nos ex fide pleno ore fatemur, Deum Opt. Max. vtique posse hæc omnia facere: sed tunc ad casum illum duo essero. Vnum est, quod improprijssimè tunc totus Mundus diceretur mutare locum. Nam nunc non est in loco: quare tunc non esset in alio loco. Alterum est, quod tunc locus V. G. meus esset immobilis tum per se, tum per accidens, respectu huius totius mundi: esset autem mobilis solum per accidens respectu illius motus, quo tunc Deus moueret totum Mundum. Sed nimium fortasse diuagati sumus. Quocirca conuerto me ad Aristotelem.

Cuius sententia, quomodo locus sit immobilis,
meo quidem iudicio, clare est in tex. 37. & 41. XXVII
& 42. Locus dicitur immobilis, quia V. G. hic numero locus, est hæc talis ac determinata pars totius continentis Mundi: Quæ talis pars nequit melius & apertius explicari, quàm e partibus eiusdem Mundi, siue a distantia ad tales partes (sicut mox etiam dicam de parte determinata hominis.) Hæ

Mundi

Mundi partes necessario debent esse quinque. Vna est centrum ipsius Vniuersi, quod est centrum terræ. Tum duo poli, Arcticus, & eius oppositus. Isthæc tria ponuntur a S. Thom. & communiter ab alijs, vt ab eorundem sententijs excepisti; sed hæc sola tria haud sunt satis ad constituendam loci immobilitatem.

Ratio est euidens, quoniam qui sub circulo æquinoctiali, vel sub aliquo alio circulo illi parallelo ambulat super terram ab ortu in occasum, seruat eandem distantiam ad polos, cum poli æqualiter distent a circulo æquinoctiali, & æqualiter etiam distent a quauis eius circuli parte; ac per consequens æqualiterque distent a quauis parte alterius circuli paralleli ad æquinoctialem. Ita ille idem homo, dum ab ortu in occasum incedit, semper distat physicè eodem modo a centro terræ, cum terra, vt in opere de Meteor. lect. 14. dixi, sit physice rotunda. Itaque ille homo ita ab oriente ad occidentem incedens, semper esset in æquali distantia ad polos, & ad centrum Mundi: Et nihilominus assiduo mutaret locum. ergo illa sola tria, quæ communiter ponuntur, id est duo poli, & centrum terræ, non sufficiunt pro omnimoda loci immobilitate; sed necessario addenda sunt alia duo puncta, quæ apud Astrologos etiam appellantur immobilia; quorum alterum sit in Oriente in principio Libræ; Alterum in Occidente in principio Arietis.

XXVIII Ex his itaque quinque desumitur omnimoda loci immobilitas; adeò vt si vel tantillum varietur distantia, & mensura ab vno aliquo istorum, non amplius sit idem numero locus; Et si hæc seruetur eadem, semper maneat idem numero locus, etiamsi sexcenties in die mutetur superficies materialis. Audi iam Stagiritæ verba ex tex. 37. *Non est autem alius locus partis, in quo mouetur, cum totum vas transfertur, sed idem: in quo enim sunt, vicissim transferuntur aer, & aqua, aut partes aquæ; sed non, in quo sunt, loco, qui* (audi) *pars est eius loci, qui est locus totius cæli*; Id idem declarat in tex. 41. exemplo nauis in fluuio delatæ. Et in tex. 42. probat loci immobilitatem, quia loca motuum sursum, & deorsum, quæ omnibus videntur esse propriè loca, sunt immobilia. Ista autem sunt *medium cæli*, idest centrum Mundi; *& vltimum ad nos circularis lationis*. nempe vltimum cælum quo ad nos; *quia illud quidem semper manet; circuli autem vltimum, similiter se habens manet*.

Ego tria subijcio exempla, quæ rem hanc reddent apertam. Primum accipio ex Arist. octau.

XXIX. Phys. tex. 17. & secundo de cælo cap. 2. cælum, siue Mundum esse tanquam vnum aliquem hominem, cuius caput quidem est polus Antarcticus, pedes verò polus Arcticus &c. vt ergo in homine, sic etiam in toto Mundo designamus partes. Cogita itaque hominem firmum ac immobilem; deinde in eo designa vnam determinatam partem V. G. vmbilicum. Postea, super eam partem permuta quotquot volueris superficies: perfunde eam aqua, alioue liquore, aut quauis alia re; ibi mutantur superficies materiales; conseruatur verò eadem formalis, & eadem mensura ad alias illius hominis partes: & sic idem numero locus; Sic philosophare de loco, & de Vniuerso.

Alterum exemplum est: Quando inspicis in fluuio tuam effigiem: illa vtiq; suscipitur in superficie aquæ. Aqua assiduo defluit; proinde assiduo mutatur, & succedit alia atque alia aquæ superficies. Nihilominus manet eademmet numero tua effigies. Quia nimirum, quamuis mutentur superficies aquæ in esse entis: manet nihilominus eadem superficies formaliter, & in ratione mensuræ.

Tertium exemplum est de specie visibili, quæ materialiter est multiplex: formaliter verò est vna numero. Quando ego V.G. video parietem, ibi alia species materialiter est in pariete, alia numero est in medio aere, alia in meo oculo, cum hæc sint tria subiecta diuersa; formaliter autem in ratione repræsentatiui est vna species, vt in lib. de Anim. dixi. Sic in præsenti, licet materialiter variæ succedant superficies; tamen formaliter est vna. Vide aliud huius istius rei explicum apud S. Thom. in hoc lib. ad tex. 41. quod est de igne, qui idem numero perseuerat, quamuis ligna varientur.

Ex his patet etiam solutio ad quartum illud argum. & ad instantias ibi confectas. Cum enim dicitur, quod hæc superficies formalis subiectatur in superficie materiali, ergo mota hac, mouetur & illa. semper distinguo; mouetur & illa, adhuc materialiter & in esse entis. fateor; Mouetur formaliter, & in esse mensuræ, nego. Neque hoc modo spectata, id est in ratione mensuræ, migrat de subiectum in subiecto. Numquid dices, effigiem tuam migrare de vna superficie aquæ in aliam? XXX.
Tandem cum tertio loco obijciebatur, quod Arist. nullam fecit mentionem huiusmodi distantiæ, siue mensuræ ad partes Mundi immobiles, id iam apparuit falsum ex tex. 37. 41. & 42. Verùm qui de Arist. ita loquuntur, hoc faciunt aut ex mera relatione, aut prout erga ipsum affecti sunt, quemadmodum etiam quidam modernus disputans de loci immobilitate, præter æquum scribit; quod *res est parui momenti, & in qua diuinatur potius circa mentem Aristotelis, quàm aliquid certum dicatur*.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum omnia quæ sunt, sint in loco: & quomodo.



XXXI. Octores nostri quatuor percensent modos, quibus aliquid dicitur esse in loco per se. Primò circumscriptiuè: Ita sunt omnia corpora, quæ circumscribuntur a loco. Secundò definitiuè; id autem est, aliquid ita esse alicubi adæquatè, vt non sit alibi: hoc modo existunt in loco Angeli, & animæ separatæ. Tertiò, sacramentaliter, vt corpus Christi in hostia. Neque enim circumscribitur a loco vllo, neque est ibi definitiuè, cum ita sit in vna hostia, vt simul quoque sit in alijs. Quartò repletiuè: Ita solus Deus dicitur esse in loco, qui ob immensitatem suam est vbique, & vt ipsemet ait, *cælum & terrem ego impleo*.

Nos tres posteriores modos eisdem in loco missos facimus, & de solo primò circumscriptiuo vnà cum Aristotele in præsenti verba facimus. Itaque apud
XXXII omnes exploratum est, omnia corpora mixta, omnia elementa, omnes Orbes cælestes, (vno excepto supremo sphæra, de qua nunc audies) esse in loco circumscriptiuè per se, cum re vera vnum ambiatur, & circumscribatur ab alio. Hinc Philosophus in tex. 43. determinat, *cui igitur corpori est aliquod corpus extra, continens ipsum, hoc in loco est*. Et in tex. 46. *Terra*, inquit, *in aqua est, hæc verò in aere; hic autem in æthere, & æther in cælo*. Certum itidem est, omnes formas substantiales, & accidentia omnium corporum haud esse in loco per se, sed tantum per accidens, scil. ratione subiecti. Cæterùm ingens altercatio extat inter Philosophos, an prima sphæra Mundi actu sit in loco, & quomodo.

Primam sphæram voco vltimum omninò cælum in quacunque opinione. Quippe tempore Aristo-
XXXIII telis existimabantur esse solummodo octo cæli, id est septem Planetæ, & octaua sphæra, quæ & sphæra stellata, & primũ mobile esset: proinde omniũ Orbium cælestium foret vltima. Subsecutis deinde temporibus deprehensi sunt ab alijs Astronomis supra octauam sphæram alij duo cæli, videl. cælum trepidationis, & primum mobile. Nostri demum Doctores supra hosce cælos constituunt Cælum Crystallinum, & Cælum Empyreum, quod quidem est immobile, & est sedes beatarum mentium, neque naturaliter potest deprehendi, cum sit immobile. Quæstio itaque procedit de vltima sphæra in quacunque sententia.

Quamquidem quæstionem apprimè difficilem reddiderunt variæ ac discrepãtes auctorum opiniones. Nam octo circumferuntur, quas referre, ne dum expendere, inanis labor est: videri possunt XXXIV vel apud Tolet. hic quæst. 7 ego quid hac in re dicendum existimem, breuiter subijciam.

Accipio itaque primò, quod aliquod corpus esse alicubi, &, si vis, esse in loco, dupliciter dici potest. Vno modo propriè, & est quando illud corpus verè ac propriè ambitur, & circumscribitur ab vltima superficie alterius corporis. Secundò dicitur esse alicubi impropriè, ex eo quod illud corpus verè occupat aliquod spacium determinatum, ita vt re ipsa sit in hoc, & non in alio spacio.

Accipio 2. ex Aristotele in primo de cælo tex. 96. hoc nomen *cælum*, apud Veteres in triplici vsu fuisse vsurpatum. Primò cælum significat solam XXXV vltimam, siue supremam sphæram cælestem, in qua, vt ibi Stagirites loquitur, *diuinum omne collocatum esse dicimus*. Secundò significat totam regionem cælestem ab Orbe Lunæ ad totum vsque supremum cælum extensam, in qua sunt Sol, Luna, & reliqua sydera fixa, atque errantia, *Hæc enim omnia in cælo esse dicimus*, subdit Philosophus. Tertiò, cælũ significat totam cunctarũ rerum collectionem, quæ constat ex omnibus cælis, omnibus elementis, & reliquis rebus omnibus, quæ propriè & genuino nomine nuncupatur Mundus, & *Totum, & Vniuersum: Nam totum, & vniuersum consueuimus dicere cælum*, inquit ibidem Arist. quas significationes etiam ipse amplexatus est: Quibus positis.

Dico 1. Cælum in prima significatione, ' ultimum vltima sphæra cælestis secundum se totam verè est alicubi, siue in loco, secundo modo a nobis XXXVI. superius exposito, idest impropriè. Ita etiam cælum in tertia significatione, nempe totus Mundus verè est hoc modo alicubi, & in loco itidem impropriè, quatenus occupat certum ac determinatum interuallum.

Assertio est clara, quia cum Mundus sit vnus, ac magnitudine finitus, quemadmodum demonstrat Aristot. in primo de cælo, ita est in hoc spacio, quod re vera nunc occupat, vt non sit alibi. Sic etiam est vltima sphæra, extra quam neque actu quicquam est, & si Aristotelem audias in hb nunc indicato, neque esse potest vnquam.

Dico 2. Cælum in ijsdem significationibus, id est vltima sphæra cælestis, & totus Mundus secundum se totum non est alicubi, siue in loco propriè XXXVII & circumscriptiuè.

Hæc assertio est expressa Aristotelis, qui in tex. 43. vniuersè sancit, illud corpus *esse in loco, cui est aliquod corpus extra, continens ipsum: cui verò non, minimè*. Et in tex. 45. omne, inquit, corpus aut secundum lationem, aut secundum augmentationem mobile, per se alicubi existit: *cælum autem*, idest prima sphæra, *vt dictum est, non est alicubi totum, neque vllo in loco est*. Annectit rationem, *siquidem nullum corpus ipsum continet*. In eodem contex.

contex. *Totum*, idest totus Mundus, *non alicubi est*. Audi etiam rationem, quia vt quippiam sit in loco, duo requiruntur. Primò, vt ipsum sit aliquid: Secundò, vt præter ipsum adhuc sit aliquid aliud, in quo illud sit, & a quo contineatur. Præter totum autem Mundum nihil est. *Quod enim alicubi est, & ipsum aliquid est, & adhuc aliquid aliud esse oportet præter hoc, in quo sit, quod continet: Præter autem Vniuersum, & totum nihil extra est*. Vide diligentiam Auctoris: Primò posuit quomodo *cælum*, idest prima Sphæra non sit in loco: Deinde ponit quomodo non sit in loco *totum*, Vniuersum: Quæ duo distingue: Alioquin Arist. idem de eadem re bis in eodem contex. reculcaret. Idem habet in tex. 46. *cælum autem non amplius in alio est*.

Et ratio est euidens, quia locus definitur vltima
XXXVIII. superficies corporis continentis: ergo repugnat, aliquid esse actu & propriè in loco, nisi actu contineatur ab vltima superficie alterius corporis: At supremum cælum, & totus Mundus neutiquam habent aliud corpus supra se, ergo &c. Propterea summa cum ratione scribit idem Philosophus in primo de cælo tex. 100. quod *extra cælum neque est, neque contingit esse corpus*: Et, *neque locus, neque vacuum, neque tempus est extrinsecus*.

Secunda *cæli* acceptio, quatenus nimirum cælum significat compaginem, & constitutionem Orbium, & corporum cælestium a Luna ad supremum vsque cælum, accuratiori eget explicatione: Quocirca sic constituo. Cælum in ea secunda significatione acceptum, secundum vnam rationem est in loco per se: secundum verò aliam est in loco solum per accidens. Explico, & probo.

Cælum in hac acceptione significat Lunam, Mercurium, Venerem, & reliquos cælestes globos. Ista
XXXIX. gemino modo considerantur. Aut vnum in particulari respectu alterius in particulari. Aut vnum, vel hæc omnia respectu totius Vniuersi. Si spectetur vnum in particulari respectu alterius, hoc pacto potest vnum verè contineri ab alio: Et sic verè & propriè est in illo tanquam in loco per se. Ita Orbis Lunæ secũdum suam conuexam superficiem est in concaua superficie Mercurij tanquam in vero ac proprio loco. Hoc est certum, quia in sententia Aristotelis, ita Orbis Lunæ continetur a superficie Mercurij, sicut terra V.G. ab aqua, hæc ab aere, hic ab æthere, vt scribit Arist. in tex. 46. Eodem modo Orbis Mercurij secundum conuexam sui superficiem est in concaua superficie Veneris, vt in vero loco per se: Ita Venus in Orbe Solis: hic in Orbe Martis. Hic in Orbe Iouis: qui deinde ambitur ab Orbe Saturni: Saturnus a concaua superficie Cæli Stellati: hoc a Cælo trepidationis: & deniq; istud continetur a concaua superficie primi mobilis. Quod postea in sententia Theolog. continetur a superficie concaua Cæli crystallini, & Empyrei.

XL. Quod autem cuncta hæc recensita corpora sint
verè ac per se in loco, ea ratio manifestè euincit, quòd omnia hæc mouentur per se motu proprio ab occasu in ortum, quamuis rapiantur a primo mobili in contrariũ ab ortu in occasum, vt explicat Arist. secundo de Cælo cap. 3. & lib. secundo de gener. & corrupt. cap. vlt. Quod autem per se mouetur, & habet supra se aliud corpus, a quo continetur, id porrò per se est in loco: ergo cælum in secunda illa acceptione, si consideretur vnum corpus in particulari respectu alterius, a quo actu continetur, sic est actu, & per se in loco.

Si verò hoc ipsum cælum, tota, inquam, cælestis regio, & compago consideretur quatenus est vna quædam pars totius Mundi, & vt Philosophus loquitur in principio lib. tertij de Cælo, est *primum elementorum*, quod videl. cum reliquis quatuor elementis constituit Mundum, sic non est in loco nisi per accidens, siue per aliud. Ratio est, quia omnis pars, qua pars, est in loco per accidens.

Perpende nunc, quæso, si hæc quæ dixi congruunt
litteræ Aristotelis, qui in tex. 45. cum dixisset, quod XLI.
Cælum, vt dictum est, non est alicubi totum, (totum importat aliquid secundum extremam superficiem: & ita hic *cælum* accipitur in prima significatione, pro prima Sphæra) *neque vllo in loco est*. Et cum ibidem dixisset, *Totum autem*, siue, *Vniuersum non alicubi est*, (quod erat cælum in tertia significatione) atque attulisset rationes huius vtriusque asserti, quia nullum est aliud corpus extra, quod ipsa contineat; subdit in eodem contex. de cælo in secunda significatione, & vt est pars Vniuersi, *alia autem, sunt in loco, secundum accidens, vt anima, & cælum*. Subdit rationem: *partes enim in loco quodammodo omnes sunt: in circulum enim continet alia aliam*. Vbi duas habes rationes: Altera est, quod vna pars regionis cælestis continet aliam, sic ergo vna est verè ac per se in alia tanquam in loco. Altera ratio est, quod ista cælestis regio est pars: partes autem sunt in loco quodammodo, & per accidens, & ita *cælum* est in loco *secundum accidens*.

Hæc verba extitere ansa deceptionis viris clarissimis. Propter hæc deceptus est Auerr. vt diceret, XLII.
supremum cælum esse in loco per accidens, ratione sui centri. Propter hęc eadem Psellus, Themist. & S. Thom., vt assererent, vltimam Sphæram esse in loco per partes suas: Propter hæc Auempace, & Alpharab. vt tuerentur, vltimum Cælum esse in loco per superficiem infra se positam: Propter hæc ipsa alij in alias absonas iuere imaginationes: Quia nimirum viderũt Aristotelem conceptissimis verbis dicere, quod *secundum accidens* sunt in loco *anima, & cælum*. At non distinxerunt cælum in triplici illa significatione, quemadmodum nos ex ipsomet Philosopho fecimus. Tu hoc vnum accuratè perpende: Nonne stultus esset Aristot. si in vno atque eodem contex. primò asseruisset, cælum in nullo esse loco: Et Vniuersum in nullo esse loco: & ibidem intruderet, Cælum esse secundum accidens in loco? Præterea, quæ vnquam affinitas est animæ, & Cælo, vt diceret, quod secundum accidens

sunt

sunt anima, & Cælum? Sed rectè dicit, quia hic accipit cælum in ea significatione, & eo modo, quo nos exposuimus.

Sed obijcies. Id quod actu mouetur localiter,
XLIII. actu ac verè est in loco: nam motus localis dicitur a loco in quo fit: Et præterea locus est deprehensus propter motum localem, vt testatur Aristot. in tex. 32. Sed vltima Sphæra secundum extimam sui superficiem, & secundum se totam actu mouetur localiter: agitur quippe in Orbem. ergo hæc est actu ac verè in loco.

Deinde, corporeitas est ratio essendi in loco circumscriptiuè. ideircò Arist. in tex. 1. huius lib. aiebat, quod *ea quæ sunt,* id est entia, siuè corpora naturalia, *omnes existimant alicubi esse: quod verò non est, nusquam esse*: Sed vltima Sphæra secundum se totam est corpus, quare secundum se totam actu ac verè est alicubi, & in loco.

Ad 1. distinguenda est maior: Omne id quod
XLIV. actu mouetur localiter, actu debet esse in loco proprio ac reali, nego: debet esse vel in loco reali, vel in aliquo interuallo determinato, concedo. In tali autem interuallo determinato actu est prima Sphæra secundum se totam, vt in prima conclus. dixi, & in eo spacio voluitur in Orbem. Motus autem localis vtique dictus est a loco in quo fit, sed in his inferioribus, in quibus etiam locus inuentus est per motum: localem non autem absolutè.

Secundò distinguo eandem maiorem: Id quod actu mouetur localiter motu recto, vtique actu debet esse in loco, quia id relinquit vnum locum, & acquirit alium. Quod verò actu mouetur motu circulari, non omne exigit locum in quo moueatur, sed benè mouetur circa locum.

Ad 2. dicendum est, quod illa propositio, corporeitas est ratio essendi in loco circumscriptiuè, si reddat hunc sensum, quod id quod est circumscriptiuè in loco, est corpus, vera est. Si verò edat hunc alium sensum, quod vbicunque est corporeitas, siue corpus, illud est circumscriptiuè in loco, est falsa. Et in proposito illa propositio peteret principium. Cum autem Aristot. ait, ea quæ sunt, alicubi esse, loquitur iuxta communem illius tempestatis opinionem: ideoque signanter dicit, *omnes existimant*, vt eximat sa: qui in progressu ostendit, non omne quod est, esse in loco: vnde in tex. 47. ait, *non enim omne quod est, in loco est.*

SECTIO TERTIA.

Vtrum duo corpora possint esse simul in eodem loco adæquato: Et e contra, vnum & idem corpus possit actu esse in duobus locis adæquatis per diuinam potentiam.



Vtrumque propositum theorema extra naturam est. De primo sensus ipse commonstrat, XLV.
ad actualem alicuius corporis, in aliquem locum accessum, omninò inde expelli aliud corpus, quod erat illo in loco. Vnde etiam possumus hoc pacto ratiocinari: Sicut videmus, ad introductionem vnius formæ substantialis in materiam, necessario abijci & expelli aliam formam substantialem præexistentem in eadem materia, ideoque rectè concludimus, duas formas substantiales neutiquam posse simul in eadem materia insidere, ita cum videamus corpora mutuo se se a loco expellere, euidenter colligimus, duo corpora simul in eodem loco minimè posse consistere. Demum, duo corpora in eodem loco adæquato esse non possunt, nisi se se penetrent: Penetratio autem corporum in natura impossibilis est. Secundum autem theorema apertam infert contradictionem, vt inferius ostendetur. Tota igitur disceptatio respicit diuinam omnipotentiam: & a Doctoribus nostris fusè exagitatur: Equidem mentem meam paucis indicabo, dico itaque.

Duo corpora benè possunt simul esse in eodem loco adæquato per virtutem diuinam.



Patet: nam de facto vnum corpus penetrauit aliud virtute diuina. ergo duo illa corpora XLVI.
re ipsa fuerunt in eodem loco simul. Conseq. tenet: Assumptum verò habetur expressè in sacris paginis. Nam Christus Dominus resurrexit de sepulcro clauso: Intrauit

ttauit

Digitized by Google

trauit ad discipulos ianuis clausis: Et ascendit su-
per omnes cælos sine vlla illorum *fractione*.

Varùm quia posset quispiá dicere, hæc omnia fuissa
facta, dum corpus Christi erat gloriosum. Inter do-
tes autem corporis gloriosi est etiam penetrabilitas:
ob id nil mirú, si tunc corpus Christi penetrarit alia.

Propterea suppetit aliud irrefragabile argumen-
tum desumptum ex perpetua Deiparæ Mariæ Vir-
ginitate. Nam corpus Seruatoris nostri in natiui-
tate non erat gloriosum, alioquin minimè potuisset
pati. Nihilominus exiuit ex vtero Beatissimæ Vir-
ginis, illibato eius virginitatis flore: quare tunc cor-
pus Christi penetrauit corpus, siue membranu-
lam illam, quibusdam caruncilis stipatam, quam
HYMENEM Anatomici appellarunt, *qui in deflo-
ratis, partuque defunctis fœminis aboletur*, inquit
doctiss. Vasling. in suo syntagm. Anatom. cap. 7.

Habe etiam pro hac eadem assertione hoc funda-
mentum, quod nos possumus in quantitate consi-
XLVII. derare duos partium ordines. Vnus est ordo & ex-
tensio partium erga se: & in hoc sita ac reposita est
essentia quantitatis. Alter est ordo & extensio par-
tium in respectu ad locum: & hæc est proprietas
quantitatis. Ex hac secunda extensione oritur, quod
vna quantitas expellat aliam e loco, simulque cum
ea in eodem loco stare non possit. Cum itaque præ-
potens Deus optimè valeat hanc secundam exten-
sionem separare e quantitate, vt de facto facit in
corpore Christi in Sacraméto Eucharistiæ, vbi haud
est vlla extensio quantitatis in ordine ad locum, vt
alias exposuimus, potest efficere, vt vna quantitas
non expellat aliam ab eodem loco, sed simul cum
ea commoretur, seque inuicem penetrent.

Sed contra hanc determinationem objicies. Par-
tes eiusdem corporis V.G. caput, & pes hominis non
XLVIII possunt esse simul in eodem loco adæquato etiam
per Dei potentiam. ergo neque absolutè duo cor-
pora poterunt esse simul in eodem loco adæquato.
Conseq. est clara: Antecedens verò prob. Primò,
Istæ partes ab intrinseco exigunt, vt vna sit extra
aliam; tum vt inter se situ & positione discrimi-
nentur, vt videl. caput sit sursum, pes deorsum:
Sed ista non habebunt, si constituantur in eodem
planè loco simul: ergo &c.

Secundò, prob. idem antecedens, si caput posset
penetrare pedem, & esse in eodem omninò loco cú
pede, ergo posset etiam totum corpus hominis re-
digi ad eundem locum pedis. Enimuerò non est
maior ratio, cur duæ quantitates possint se penetra-
re, simulque consistere, & non centum. Ac proin-
de fieri posset, vt mons ingens, & totum Cælum va-
leat coarctari in loco milij, vt etiam arguit Arist. in
hoc lib. tex. 52. Hoc videtur impossibile. ergo &c.

Tertiò, Duæ partes quantitatis successiuæ, veluti
duæ partes temporis, nequeunt esse simul: impossi-
bile namque est, vt prius, & posterius, præteritum,
& futurum sint simul, ergo etiam impossibile est,
duas partes quantitatis permanentis, veluti caput
& pedem posse esse simul. Conseq. videtur clare
ex paritate rationis.

Respond. negando antecedens: ad primam il-
lius probationem dico, quod partes illæ in eo casu
vna esset extra aliam in ordine ad se: & hoc est de
essentia illarum: Non essent autem vna extra aliã XLIX.
in ordine ad locum: Quippe hoc non est, vt dixi,
de essentia quantitatis; ideircò hæc extensio com-
modè potest a Deo seiungi a quantitate. Quo fit,
vt hæc propositio tunc esset vera; In eodem loco est
caput, pes, oculus, &c. Attamen etiam ista esset ve-
ra, quod caput est extra pedem, & pes non est ocu-
lus, &c. Sic de facto contingit in corpore Christi
Domini in Sacramento Eucharistiæ. Non enim pos-
sumus ibi assignare, hic est caput, & hic est pes, aut
oculus Christi; Nihilominus re vera caput eius est
extra pedem, & pes extra oculum.

Hinc patet solutio etiam ad secundam probatio-
nem eiusdem antecedentis. Concedimus quippe
absq; vlla hæsitatione totum hominis corpus virtute
diuina posse redigi in locum digiti: & montē ma-
gnum, quinimo totum Mundum posse ad quantita-
tem vnius grani milij coarctari. Neque hoc est dif-
ficile illi, apud quem non est impossibile omne ver-
bum. Hinc Ecclesia nostra canit ὅπου γὰρ βούλεται,
Θεὸς, νικᾶται φύσεως τάξις. *Vbi enim vult Deus, vin-
citur Naturæ ordo*.

Ad tertiam probationem, admisso antecedente,
negatur conseq. Non est eadem ratio de quãtitate
successiua, ac de permanente, Cur? quia prius, &
posterius, præteritum, & futurum sunt differentiæ
essentiales quantitatis successiuæ: Cæterùm esse in
vno, vel in alio loco partes quantitatis permanentis,
non est essentia eius, sed proprietas: Hæc de pri-
mo theoremate: de secundo autem sic constituo.

Omninò fieri nequit per quancum- que potentiam, etiam absolutam Dei, idem numero corpus simul esse, & circumscribi in pluribus locis adæquatis.

MVlti grauissimi viri tuentur, id
posse per diuinam potentiam fie-
ri. Sic inter alios P. Suarez disp. L.
48. Metaph. sect. 4. Conimbric.
hic quæst. 2. art. 2. quibus dein-
de cõmuniter adhærent alij eius-
dem Societatis scriptores. Alij verò ex opposito as-
seuerant, id omninò cõtradictionem inuoluere. Ita
D. Thom. in 3. part. quæst. 75. art. 1. ad 3. & in 4.
dist. 10. quæst. 1. art. 1. Sic tuetur vniuersa S. Docto-
ris familia. & sic etiam defendunt alij quampluri-
mi. Tandem nonnulli, inter quos est etiam Ruu.
hic quæst. 7. vtramque quæstionis partem probabi-
lem existimant.

Nostra tamen conclusio euidenter prob. Corpora
sunt in loco circumscriptiuè: esse autem circumscri-
ptiuè in loco adæquato est, circumdari, ac circum-
scribi ab vltima superficie corporis continentis, atq;

Digitized by Google

ite intra eius superficiei cancellos claudi, vt totum corpus intra dictam superficiem cohibeatur, & nihil eius corporis extra illam sit. Profectò quisquis vocem ipsam (loci adæquati) audit, hoc, & non aliud intelligit: Nam alias si vel locus, vel locatum excederet, non esset circumscriptio adæquata. ergo apertè repugnat, vt totum locatum sit in hoc loco adæquato, & simul sit alibi: tunc etenim esset hic adæquatè, & non esset.

LI. Secundò, Si vnum & idem numero corpus posset simul in duobus locis adæquatis esse, ergo posset etiam simul esse in omnibus omninò locis: atque adeo vbique. Quod autem est vbique, hoc porrò immensum est: ergo si vnum, & idem numero corpus possit esse in diuersis locis, illud posset esse immensum. Hoc implicat, quia immensitas ita est proprium Dei attributum, vt in nullam valeat cadere creaturam, quemadmodum ostendit S. Thom. in prim. part. quæst. 8. & ante eum S. August. lib. 6. contr. Maxim. cap. 22.

Prima consecutio est manifesta, quia non est maior ratio, cur illud possit constitui in duobus locis, & non in tribus, aut in decem, & ita deinceps. Sic etiam argumentatur Arist. in tex. 5a. de corporum penetratione, quod si duo corpora possent se se in eodẽ loco penetrare, ergo & omnia: Altera propositio, videl. quod id quod in omnibus omninò locis, & vbique existit, sit immensum, est etiam manifesta, quia quod ita existit, procul dubio est illimitatum. Si itaque possit idem corpus simul existere in duobus locis, simul esset immensum, propter rationẽ dictam, & non esset immensum, cum esset creatura.

LII. Tertiò, Si idem corpus potest esse in plurib. locis adæquatis simul, ergo illud simul erit indiuisum, & diuisum a se ipso: Atqui hoc implicat. Consecutio prob. quia illud esset vnum, ergo indiuisum a se: Rursus, illud distaret a se ipso, esset namq; in alio atque alio loco, ergo esset diuisum a se ipso, ac proinde esset diuisum, & non esset diuisum.

LIII. Quartò, quia sequeretur, vt naturaliter vnum & idem numero corpus posset esse simul in pluribus locis adæquatis, quamuis illa essent inter se remotissima. Sed hoc omnes fatentur penitus repugnare. ergo &c. Consecutionem sic ostendo. Constituat Deus idem numero corpus nunc Patauij, & simul Romæ. Tunc qui tangeret proprijs manibus corpus isthuc, quatenus est Patauij, cum sit idem omninò numero cum corpore Romæ constituto, necessario etiam tangeret illud corpus Romæ positum: Est enim omninò vnum atque idem corpus Patauij ac Romæ: Et est aperta repugnantia, quod simul ab alicuius manibus tangatur, & simul idem non tangatur. ergo sequitur, vt ille qui tangeret tale corpus, simul esset Patauij, & simul quoque esset Romæ naturaliter. Hæc conseq. vel ex eo est conspicua, quia nullum agens potest tangere contactu physico & quantitatiuo aliquod corpus, nisi sit tanquam in loco iuxta illud corpus.

Item, sequeretur, quod vnum atq; idem omninò corpus posset calefieri, quatenus existit Patauij, & simul frigefieri, vt existit Romæ. Item vulnerari, & non vulnerari, loqui, & non loqui, mori, & non mori: & agere, ac pati innumera id genus alia impossibilia.

LIV. Vetus excogitauit opposita sententia responsiones, vt quoquo pacto hæc argumẽta deflecteret. Sed deinde ex auctoribus eius ipsius opinionis alij aliæ illarũ responsionum tanquam insufficientes conuellunt. Tu, si lubet, vide PP. Complutens. disp. 19. q. 8.

Cuius quidam opinionis improbabilitas ea ac quoq; coarguitur, quia argumenta, quibus illa fulcitur, facilè dissoluuntur. Arguit 1. Corpus Christi est in Cælo localiter: & simul est etiam actu ac realiter in Sacra Eucharistia: Et hic est etiam actu in multis speciebus consecratis. ergo idem potest virtute diuina de quouis alio corpore effici.

Occurritur: Corpus Christi in Cælo vtiq; est localiter: & commensuratur a loco: Verùm in Sacra Hostia non ita est: neque circumscribitur, neque commensuratur vllo pacto a loco, sed est solum sacramentaliter, videl. λόγῳ ἀρρήτῳ, ratione ineffabili.

LV. Instabis 2. Christus Dominus nonnunquam apparuit in terris sanctis corporaliter, vt Beatis Petro, & Paulo. Atqui tunc erat etiam corporaliter in Cælo: Non enim eo tempore deseruit Cælum. Hoc ostenditur tum ex illo Act. 3. *Quem*, id est Christũ, *oportet Cælum suscipere vsq; ad tempus Resurrectionis hominum*. Tum etiam ex illo S. August. *Donec finiatur sæculum, sursum est Dominus*. ergo tunc Christus erat in duobus locis corporaliter, & modo quãtitatiuo, ac circũscriptiuè. Maior autem argumenti refertur a varijs sacris historijs, & de D. Paulo refertur Act. 9. quo loci dicitur, quod Dominus illi apparuit. Et ipsemet Apostolus postea 1. ad Corinth. 15. enarret dictam apparitionem ad confirmandam resurrectionis fidem. *nouissimè omnium tanquam abortiuo visus est, & mihi*. Quæ quidem visio veritatem resurrectionis non probaret, nisi verum Christi corpus visum fuisset ab eo, vt etiam colligit S. Thom. in 3 part. quæst. 57. art. 6. ad 3.

LVI. Respondetur ex eodẽ S. Thom. loco nunc inducto, quod quando Christus corporaliter apparuit in terris, relinquebat tunc esse in Cælo per illud paruum temporis, in quo corporaliter alijs apparuit, *non enim derogat, vt ex aliqua dispensatione Christus quandoq; corporaliter ad terram descendat, vel vt ostendat se omnibus, sicut in iudicio, vel vt ostendat se alicui specialiter, sicut Paulo, vt habetur Act. 9.* inquit S. Doct.

Dices 3. Possunt duo corpora esse simul in eodem loco adæquato, vt nunc dicebamus, ergo etiam idem corpus poterit esse in duobus locis. Conseq. prob. quia eadẽ est proportio duorum ad vnum, & vnius ad duo. Itaq; si duo corpora possunt esse in vno loco, etiam vnum corpus poterit esse in duobus locis.

Neganda est conseq. & ratio est, quia constituere idem corpus in diuersis locis est constituere idem corpus diuersum ac distinctum à se ipso, vt probauimus. Quod omninò repugnat. Constituere autem diuersa corpora in vno loco, non est constituere diuersa esse idẽ, sed est constituere diuersa esse simul: quod nullam infert repugnantiam. Et hæc de loco.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VI.

Textus 50. vsque ad 57.

Ad Philosophum Naturalem spectat agere de vacuo: Et recensentur rationes Veterum Philosophorum vtraque ex parte de ipso.



I. Post tractationem de loco, merito optimoque iure instituit Arist. disputationem de vacuo, quoniam vacuum, vt mox audies, magnam cum loco obtinet similitudinem. Statim verò constituit, quod ad Physicum attineat de vacuo determinare, atque de eo considerare illa ipsa theoremata, quæ superius de loco examinata sunt, videl. *Si vacuum est, cur non: & quomodo est, & quid est:* Hoc tamen discrimine, quod præfata quæsita de loco quidem considerata sunt secundum rei naturam, quia locus re ipsa est aliquid in natura: De vacuo autem considerantur solum secundum existimationem, quæ de eo habetur, quandoquidem vacuum in natura nihil est.

II. Cur verò Philosophus Naturalis post loci tractationem debeat determinare de vacuo, ratio ea suppetit, quia locus, & vacuum per easdemmet rationes videntur & approbari, & reijci: Vacuum enim inuectum est ab antiquis, vt esset veluti quidam locus, & quoddam receptaculum, *nam vacuum locum faciunt, qui esse dicunt*, vt scribitur in tex. 65. qui quidem locus, & quod receptaculum videtur esse plenum, cum actu habet intra se molem alicuius corporis: quando verò intra se nullum habet corpus, dicatur vacuum. Quo fit, vt locus, & vacuum subiecto sint idem, sola autem discriminentur ratione.

III. Iam verò aggreditur Arist. quæstionem, an vacuum sit. Et quia ex priscis illis Physicis quidam asseruerunt dari in natura vacuum, alij id inficiati fuere, Arist. operæ pretium duxit, vtrorumq; rationes expendere: Primùm autem expendit fundamenta eorum, qui vacuum de medio tollere nisi sunt. Ait itaque, eos in ipso quæstionis vestibulo oberrasse, & vt prouerbio dicitur, *non ad ostium occurrisse*, quia cum vellent redarguere, & euertere vacuum, non destruebant illud vacuum, quod Philosophi, vacuū constituentes intelligebant, sed redarguebant tale vacuum, quod oritur ex alio illorum Philosophorum errore. Error verò fuit hic, quod illi existimerent, id quod non est corpus sensibile, esse nihil. Quocirca in aliquo loco, siue in vase, in quo non nisi aer esset, aiebant esse vacuum. Vt ergo isti huiuscemodi vacuum excluderent, conabantur ostendere, aerem esse corpus. Atq; hoc pacto arbitrabantur se demonstrasse, quod in rerum natura non sit vacuum. Ita molitus est Anaxagoras, qui duplici experimento confirmabat aerem esse corpus. Primum erat, quia vtres aere pleni, ligato ore, resistunt comprimentibus, quod neutiquam facerent, si aer non esset corpus. Secundum, quia si superius Clepsidræ orificium validè obturetur, aqua non effluit ex inferiori, licet istbuc sit apertum: ergo signum est, aerem esse corpus, ac proinde non datur vacuum in natura.

Quæ quidem rationes, inquit Aristot. deficiunt, quoniam licet tollant vacuum, quale plebs existimet dari, non tamen impugnant illud vacuum, IV.
quod a Philosophis, existimantibus dari vacuum, constituebatur, quod nimirum esset vel quoddam spacium separatum in quo nullum penitus insideret corpus, & per quod diuiderentur inter se corpora, ne essent sibi continua; Vel quod vacuum essent inter corporum poros quædam vacuitates: Vel denique quod esset extra Mundum; de qua re in progressu.

Referuntur quinque argumenta Philosophorum constituentium in natura vacuum.



Post hæc, ait Arist. eos qui vacuum inducere, firmius esse philosophatos, quorum quinq; rationes recenset. Prima deducitur ex motu locali. V.
Quando vnum aliquod corpus loco mouetur, aut recipitur in vacuo, aut recipitur in pleno. Si in vacuo, habeo quod contendo: Si in pleno, ergo corpus quod recipitur, recipitur in alio corpore penetrando illud; ac proinde duo corpora erunt in eodem omninò loco. Hoc verò repugnat, quia tunc sequitur, vt locus minimus, V. G. locus grani milij, possit in se recipere corpus quammaximum, veluti totum Mare, aut etiam totum Mundum. Quod sic ostendo. Si duo corpora possunt simul esse in eodem omninò loco, ita vt posterius penetret prius, ergo poterunt in eodem ipso loco esse simul tria, ita vt tertium corpus penetrat duo priora. Accipio itaque tantam maris

Digitized by Google

partem, quantum est granum milij, & colloco hic: quæquidem aqua penetret corpus hoc loco præexistens: Rursus accipio aliam maris portionem primi æqualem, & colloco in hoc eodem loco, quæ rursus penetret partes priores: ita deinceps vsque dum absumam totum mare. Consequentia est clara, quia si in vno atque eodem loco possunt simul recipi duo corpora, nulla porrò assignari poterit ratio, cur tria, aut quatuor, aut centum recipi nequeant.

Id idem confirmat Arist. ex Mellisso, qui, vt in primo Physic. cap. 3. ostensum est, constituebat ens esse immobile: sic autem ratiocinabatur. Si ens deberet moueri, necesse est, esse vacuum: At qui vacuum non est: quare ens est immobile.

VI. Secunda ratio accipitur ex corporum condensatione, quæ quidem condensatio non alia ratione fieri posse videtur, nisi intra corpora, quæ condensantur, insint spacia quædam vacua, in quæ partes densandi corporis constringantur, ac veluti subintrent, & ita corpus reddatur minus quàm erat antea. Pari pacto in rarefactione partes eius, quod rarescit, extrahuntur, & relinquunt intra dictum corpus spacia vacua.

Apponit Arist. experimentum, quod ea tempestate inter auctores illius opinionis communiter, vt opinor, agitabatur. Sit vas V. G. dolium, vini plenum: Deinde ex vino extracto, impleatur quatuor vtres: & ore ligato constringantur validè, ita vt vinum intra vtres comprimatur: Postea si dicti vtres vino illo pleni reponantur in eodem dolio, istud capiet totum vinum vnà cum vtribus. Signum itaque euidens est, illud vinum esse valdè condensatum, & effectum minoris molis. Hæc porrò tam magna condensatio fieri nequit, nisi intra substantiam vini adsint vacua quædam spacia, in quæ partes vini recedant: ergo re ipsa in natura datur vacuum.

VII. Tertia ratio est à nutritione, & augmentatione. Vnumquodq; nutritur, & augetur per assumptionem alimenti in se ipso: Alimentum est corpus: at ergo alimentum assumitur & recipitur in corpore eius quod nutritur, & augetur; aut assumitur & recipitur in non corpore, siue in vacuo. Non prius, quoniam tunc corpus penetraret corpus: ergo posterius: atque adeò in corpore augendo re vera est vacuum.

VIII. Quarta ratio suppetit ex ipsa sensata experientia. Si accipias vas cineribus plenum, atque in illud infundas aquam: illud tantum aquæ capiet, quantum caperet si esset absque cineribus. Hoc verò qui vnquam effici potest, nisi intra vtraq; corpora, aquæ, inquam, ac cinerum insideant quædam vacuitates, quæ in illa mixtione mutuò replentur?

Quinta denique ratio affertur ex auctoritate Pythagoreorum asserentium res haud posse inter se se distingui, nisi suppetat vacuum, per quod illæ quasi disterminentur. Quocirca, subiungebant, extra vniuersum Mundum adesse infinitum vacuum, quod deinde eo modo inspiretur, & attrahatur à toto Vniuerso, quo animal inspirat, attrahitq; aerem, vt viuat: atq; adeo per attractum & inspiratum illud vacuum cuncta huius Mundi entia inter se se discriminari. Quin verò hæc vacui necessitas tam altè in eorumdem animis insederat, vt in ipsis etiam numeris, quos principia rerum constituebant, assererent esse quoddam vacuum, per quod illi sinnt discreti, & inter se separati. Concludit Stagirites in tex. 57. *ex quibus igitur alij quidem dicunt esse vacuum, alij verò non dicunt, tot ferè, & talia sunt.* IX.

CAPVT VII.

Textus 57. vsque ad 64.

Quid significet vacuum: & solutio rationum nunc inductarum.



Vando nomen rei, quæ inquirenda proponitur, varia subit significata, secta ratio expolcit, prius aperiri, in quo vnquam significatu illud nomen debeamus vsurpare, postea inuestigare, an res illa reperiatur. Nemo nescit, quæstioné quid nominis, debere quæstioni quid rei anteire. Iccircò Philosophus, relatis vtraque ex parte opinionibus circa existantiam vacui, antequam ex sua mente inuestiget, an re vera in natura detur vacuum, nec ne, aapendit varia eius significata, & ait, *vt sciamus vtre se modo habeat, oportet accipere, quid ipsum nomen significet.* I.

Hoc autem vt assequamur, scire prius oportet, quid per vacuum Veteres illud constituentes intellexerint. Quidam asseruerunt, *vacuum esse locum, in quo nihil est.* Quidam alij, *vacuum esse, in quo non est graue quicquam, aut leue.* Declarat deinde æquissimus vir Arist. ax parte istorum Veterum, cur ita vacuum delcripserint. Ac primò explicat, cur prioris descriptionis auctores dixerint, *in quo nihil est.* Postea explicat, cur posterioris definitionis patentes asseruerint, in quo non est *graue quicquam, aut leue*: Demum explicat, cur fanxerint, *esse locum.* Illi igitur ita locuti sunt, quia in ea versabantur opinione, quod ipsum ens, siue omné II.

quod

Digitized by Google

quod est in hac mundana vniuersitate, sit corpus: & per consequens, quod non est corpus, id sit nihil: Omne autem corpus est in loco: quare si vacuum est, vbi non est corpus, sequitur vacuum esse locum, in quo *nihil est*. quia idem est dicere, vbi nihil est, ac dicere, vbi non est corpus. Posterioris verò significationis auctores conueniebant in hoc, Omne quod est, esse corpus: at præterea adiungebant, omne corpus esse tangibile: Quod autem est tangibile, id habere grauitatem, aut leuitatem: Ex quo ratiocinio concludebant, illud esse *vacuum*, in quo non est aliquid *graue*, *aut leue*. Tandem declarat, cur dixerint, vacuum esse *locum*, quia alias punctum esset vacuum, siquidem in puncto non est graue quicquam, aut leue, neque omninò corpus vllum.

III. Quibus deinde hoc tantum obijcit Aristot. Demus, vacuum esse id quod non est plenum corpore sensibili secundum tactum: Demus itidem, corpus sensibile secundum tactum esse, id quod habet grauitatem, aut leuitatem: quid illi auctores dicent, si illis opponet aliquis; quod si spacium habeat χρῶμα *colorem*, & ψόφον *Sonum*, (per colorem intellige lucem: qua voce vtitur idem auctor secundo de Anim tex 68 per sonum autem intellige harmoniam, quam Pythagorei constituerunt in cęlis: de qua re in secundo de cælo cap 2. Vno verbo, his notis describit Arist corpus Cæleste) perinde itaque est ac si dicat, si vacuum est, in quo non est corpus sensibile secundum tactum, & in quo non est corpus graue, aut leue; spacium, in quo deget corpus quod non sit tangibile, & quod non sit graue, aut leue, cuiusmodi est corpus cæleste, estne dicendum vacuum, an non? Vide, vt Arist. hæc ex industria conuoluit, quia nondum probauit, corpus cæleste non esse tangibile: alioquin constaret ex elementis, neque esse graue, aut leue, quæ omnia præstat in primo de cælo.

IV. Addit in tex 59. tertiam vacui significationem, quod alij dixerunt, vacuum esse id, *in quo non est hoc aliquid, neque substantia aliqua corporea*. Quæ descriptio vniuersalior est quàm duæ præcedentes, quia non limitat corpus siue ad sensibile secundum tactum, siue ad grauitatem, aut leuitatem. Hinc nonnulli opinantur, vacuum esse ipsam corporum materiam, & sunt illi, qui locum quoque dixere materiam. Qui porrò non rectè dicunt, quia materia non est separabilis ab eo cuius est: *vacuū autem quærunt vt separabile*.

His ita recensitis, accipit Arist. aliquid ex præfatis opinionibus, & addit ipse aliquid, & sic conficit cōgruam vacui definitionem. Sic autem colligit; Cum vacuum, & locus propter easdem rationes, videl. propter motum localem deprehensa sint, *&* *causam motus putant esse vacuum*, *vt in quo mouentur*, Si locus non est spacium præter incidentia corpora, sed est superficies corporis continentis, quemadmodum retro a nobis patefactum est, ita vacuum non erit spacium a corporibus separatum, sed *si sit, erit locus priuatus corpore*. Et propterea, quemadmodum locus est aliquid reale, ita *& vacuum videtur aliquid esse*: videl. vacuum pro materiali est aliquid reale.

Soluit Arist. rationes pro vacuo confectas.



Diluit deinde e tex. 61. quinq; illas rationes pro existentia vacui in capite proximè antegresso inductas, quarum prima erat: Si motus est, ergo & vacuum: alioquin in motu corpus penetret corpus. & locus exiguus complectetur quemmaximum corpus. Negat Arist. conseq. Nam aut loquimur de motu communiter accepto, prout complectitur quamcunque speciem motus, & hoc modo non est necesse, si est motus, esse & vacuum; quoniam benè potest aliquid existens in pleno alterari: En ergo motus absque eo quod mobile moueatur siue ad vacuum, siue ad plenum. Et hoc, subdit Stagirites, latuit Melissum, qui propterea opinatus est, quod si non est vacuum, necessario ipsum ens existit immobile: quod porrò haud rectè censuit, quia commodè euenit, vt non existente vacuo, possit aliquid motu alterationis moueri. Si verò loquamur de motu strictè accepto, vt de solo motu locali, adhuc non est necessarium vacuum, vt huiusmodi motus exerceatur. Quid ita? quia quando aliquid huiusmodi motu mouetur, non recipitur in vacuo; at neque penetrat corpus in loco præexistens, sed vnum corpus cedit, vt aliud succedat in loco. Anoectit Philosophus duo exempla: vnum in reuolutionibus τῶν συνεχῶν continuorum, id est corporum cælestium, in quibus pars succedit parti in loco absque vacuo vllo. Alterum est ex ijs quæ in aquis mouentur, siquidem pisces natando, neque ipsi aquas penetrant, neque vicissim ab aquis penetrantur, sed aquæ cedunt, & illi diuidendo aquas permeant.

VI. Erat 2. argum. Nisi sit vacuum, non erit condensatio, Hanc etiam consecutionem negat. Fit condensatio, non quia partes corporis condensendi in spacia quæpiam vacua contrudantur, sed quia corpora condensanda habent intra se poros quosdam aere plenos, qui quidem aer in condensatione effluit, dum partes solidæ densandi corporis comprimuntur, quemadmodum in spongijs compressis vsuuenire animaduertimus. Verùm de condensatione, & rarefactione suo loco.

Ad exemplum verò de vino ex dolio pleno in vtribus excepto, quod in eodem argumento adiectū est, vberius respōdet idem Philosophus in Problem. sect. 25. quæst. 8. his omninò verbis. *Quam ob*

causam

Digitized by Google

causam humor pleno contentus in dolio, diffusus in vtres, non solum cum vtribus recipi ab eodem dolio possit, sed etiam locum relinquere, quo etiam plus humoris sapiatur? An quoniam aer in humore inest; qui dum in dolio est, excerni propter dolij magnitudinem non potest: fit enim vt exprimi de maiori vel humor, vel spiritus difficilius possit, quemadmodum etiam de spongijs amplioribus minus exprimitur. At cum in parua digeritur, extrudi iam de vtribus expeditius potest. Itaque dolium, & vtres, & humorem etiam alium capit; magisque in vino id accidit, quia plus in vino aeris inest, quàm in aqua.

VII. Ad 3. argum. quod erat ex augmentatione, Occurrit Arist. Ac primò carpit argumentum tãquam insufficiens, quia supponit augmentationem vniuersè non posse fieri nisi per assumptionem corporis, & *ingrediente alimento*, quod falsum est, Nam si augmentatio accipiatur, vt a Veteribus quoque vsurpata est, absolutè pro acquisitione maioris magnitudinis, hoc pacto poterit quippiam augeri absque vlla alimenti assumptione, sed vel per solam alterationem, vt cum aer V. G calfactus fit maior, vel per substantialem generationem, veluti cum aqua fit aer. Sin autem loquamur de auctione propriè dicta, quæ non nisi viuentium est, procul dubio celebratur illa quidem accedente aliquo corpore, quemadmodum in primo de Ort. & inter. explicatur, sed tunc supradicta ratio *ipsa se ipsam impedit*, se ipsam destruit. Hinc Arist. incredibili ingenio præfatam rationem ita retorquet aduersus illius met auctores, qui propter augmentationem inuexerunt vacuum, vt eos in vnum ex his quattuor incommodis omninò compellat. Aut quod non qualibet pars viuentis augeatur, Aut quod alimentum non sit corpus: Aut quod in auctione duo corpora se se inuicem penetrent: Aut denique quod totum viuentis corpus sit vacuum: Quæ porrò omnia absurda, & impossibilia sunt.

Hæc autem sequi, sic fiet conspicuum. *Si ad hoc vt fiat auctio per alimentum, necessarium est vacuum*; aut alimentum recipitur in quamlibet partem viuentis, etiam minimam, aut non. Si non recipitur, ergo non qualibet eius pars augetur, quod est primum absurdum. Si verò recipitur, aut illud est corpus, aut non: Si non est corpus, incides in secundum absurdum: Si est corpus, & recipitur in quamcunq; partem viuentis, etiam minimã, ergo aut illa pars est vacua, aut non: si non est vacua, ergo alimentum penetrat corpus viuentis, quod erat tertium absurdum. Si denique qualibet pars viuentis est vacua, ergo & ipsum totum viuens erit vacuum. Totum enim nihil aliud est, quàm partes.

VIII. Sic etiam, subdit Arist. philosophandum est de quarto argumento deprompto ex aqua in cineres infusa. Cum enim cinis in dicto casu aquam recipit, totus madefit. Quocirca si necessarium est vacuum ad hoc vt cinis recipiat aquam, omninò pari gradu dicendum erit, aut non totum cinerem aquam recipere, aut aquam non esse corpus, aut si est, corpus penetrare corpus, aut denique totum cinerem esse vacuum. Verùm efficere nequeo, quin hic verba eiusdem Stagiritæ, quamquam pluscula, exscribam ex sect. 25. Problem. quæst. 8. vbi postquam causam vini vtribus excepti, & in dolio restituti attulit, de quo vino nunc in solutione primi argumenti dicebã, ita subnectit. *Huic sanè proximum cineris, & aqua tantundem simul vas idem capere posse, quantum plurimum vtriusque seorsum infusi capiat. Cineris enim complura sona, & inania esse videntur, quibus aqua se se insinuat, vt quæ tenuior sit, & constipat verò, spissatque arctissimè, quoniam particulatim constipatio agitur. Densantur enim adducanturque omnia plenius, cum paulatim constipantur, quàm cum vniuersa: Quod cum ita fiat, cinis collabitur, & subsidet, simulque humorem in se per cauorum suorum opportunitatem admittit. At si cinis, qui in aquam immittitur calidus est, aquam diriuit, vertitque in aerem. Idem illud agetur etiam, si primum aqua infundatur, post cinis inijciatur: vnde aquam etiam ipsam caua quædam, & hiantia in se continere putaueris: An non aqua cinerem sibi admittat, sed cinis aquam. Quod enim tenuius est, subire id posse congruum est. Constat inter experimenta, cum enim cinis inspergitur, eodem reliqua aqua confluit, quo loco inspersum est: cuius contrarium certè fieri debuit, si aqua cineris esset capitus.* An verò &c.

Quintum argum. hauriebatur ex auctoritate Pythagoreorum, cuius argumenti solutionem Philosophus silentio prætermittit, quoniam imaginatio illa de vacuo extra Vniuersum, in infinitum effuso, & de eius inspiratione a Mundo ad mutuam rerum distinctionem, planè inanis ac fictitia est, vt mox ostendetur. Hinc concludit Stagirites in tex. 64. *Quod igitur ea, ex quibus demonstrant vacuum esse, soluere facile sit, manifestum est.* IX.

CAPVT VIII.

Textus 64. vsque ad 75.

Demonstratur, non esse in rerum natura vacuum a corporibus separatum. Ac primò quidem ex motu.



Etulit hucusq; Arist. quid inter Veteres vtraq; ex parte de vacuo agitabatur, & expendit rationes tum eorum, qui vacuum inficiabantur, tum eorum, qui illud ipsum adstruebant: Nunc autem illi est ex sua sententia demonstrare in natura I.

nullo

Digitized by Google

nullo vnquam pacto reperiri vacuum. Quoniam verò vacuum duobus potissimùm modis ab antiquis inuectum est, Altero quidem, vt esset per se separatum. Altero autem, vt esset corporibus inspersum atq; commixtum, in præsenti capite excludit Arist. vacuum per se separatum: in capite autem sequenti excludit vacuum corporibus commixtum, Quod ad primum attinet est,

Prima demonstratio: Si in natura est vacuum per se separatum, maximè est, vt fiat motus localis, Etenim propter hunc motũ illius opinionis auctores præcipuè inuexerunt vacuum: At propter hunc motum non est necessarium: Quod ostendit; Nam aut vacuum esset necessarium ex parte eius, a quo tanquam a causa productiua fit motus, aut ex parte eius, ad quod tanquam ad finem fit motus, & in quo quiescit, aut ex parte eius, per quod tanquam per medium fit motus: Nihil autem istorum est, ergo &c.

II. Minorem quo ad primam partem probat Arist. in tex. 64. in motibus corporum simplicium, grauium, ac leuium, Nam si vacuum vllo modo esset causa effectiua motus, ea porrò appareret in his motibus, quia dicta corpora per huiusmodi motus concurrunt ad constituendum Vniuersum, sicut in lib. de Cælo docetur. Hoc autem dici nequit, quia causa productiua horum motuum, proxima quidem est grauitas, & leuitas: radicalis verò est natura eorundem corporum, a quibus causis præfata elementa mouentur naturaliter ac determinatè, vt ignis quidem sursum, terra autem deorsum: non igitur vacuum est necessarium, vt sit causa eorum motuum.

Eandem minorem quo ad reliquas partes osten-
III. dit in tex. 65. Scito autem, quod vacuum in hac significatione erat quoddam spacium actu quidem corporis expers, susceptiuum verò corporis, nam *vacum est vt locus priuatus corpore*: vnde vacuum importat duo. Vnũ, quod sit quoddam interuallum omninò vniforme: Alterum, quod de se sit infinitum ac interminatum: sic illud eius fautores constituebant: Et ex eo etiam potest suaderi, quia non habet a quo vnquam finiatur ac terminetur: Tunc sic perga: Dato vacuo, si in eo ponatur corpus mobile, mouebitur ne ad vnam aliquam determinatam partem, an ad omnem? *Non mouebitur in omnem partem*. Cur? quia sic illud mobile distraheretur, & diuideretur in infinitum. Non ad vnam aliquam partem, primò, quia in infinito non est accipere partem & partem: Secundò, quia in infinito non est *sursum, aut deorsum*. Eodem modo in spacio omninò vniformi neque pars, neque vlla loci differentia valet assignari. ergo corpus in vacuo positum non moueretur. Cur etenim huc potius, quàm illuc?

At verò neque posset in eo manere. Cur enim hic maneret potius, quàm alibi? Vnde sic collige. Illud est vt finis motus corporum, ad quod illa naturaliter feruntur, & in quo naturaliter conquiescunt. Et illud est medium, per quod eadem corpora feruntur: Sed in vacuo nihil suppetit huiusmodi, vt ex dictis apparet, quare vacuum neque est vt id ad quod veluti ad finem fit motus, & in quo mobile quiescit, neque est vt id per quod tanquam per medium fit motus.

Secunda ostensio arigitur in tex. 66. contra hoc idẽ Veterum fundamentum, quod si motus est, ergo IV.
vacuum est. Ait Philosophus, quinimo totum oppositum colligitur, videl. Si motus est, vacuum non est. Quod probat, ex opinione quorundam, inter quos est Plato in Timæo asserentium, propterea terram in medio Vniuersi consistere immobilem, quia vndique similiter & indifferenter se habet ad circunferentiam: Quo fit, vt non sit maior ratio, cur ex vna potius, quàm ex alia parte moueatur ad circumferentiam: Sed in vacuo vtpote penitus vniformi, est omnimoda indifferentia, *nam quatenus vacuum est, non habet differentiam*. quare corpus positum in vacuo nõ mouebitur, sed *necesse est quiescere*.

Deinde extendit in tex. 67. probationẽ, & conficit demonstrationem quæ complectatur motum tam naturalem, quàm violentũ, & sic colligitur. Si in va V.
cuo neq; potest esse motus naturalis, neq; violentus, palá fit, si est motus, non esse vacuũ. Sed in vacuo neque motus naturalis, neque violentus esse potest, ergo si motus est, vacuum non est. Minorem ostendit & quidem de motu naturali, sic. Motus naturalis necessariò præsupponit loci differẽtias; quippe quæ naturaliter mouentur, non feruntur quoquo versum, sed ad locum determinatum, veluti ignis sursum, terra deorsum. In vacuo autem ab antiquis inducto nulla suppetit loci differentia. ergo &c.

Quam quidem minorem vt probet, recenset duplicem illam vacui conditionem, quod potest considerari & vt infinitum, & vt spacium quoddam. VI.
Et quidem *quatenus infinitum est, nihil erit sursum, aut deorsum, aut medium*. Sic collige. Loci differentiæ accipiuntur a medio. Dicimus enim deorsum, quod est ad medium: sursum verò quod est a medio: Atqui in vacuo vt pote infinito, nullum est medium: Nam medium dicitur respectu extremorum: extrema autem infinito repugnant. Deinde, vacuum, qua spacium quoddam corpore priuatum, est omninò vniforme, ac penitus indifferens: In eo autem quod existit omninò vniforme, penitusque indifferens, nihil sursum, aut deorsum est: quare in vacuo, *quatenus vacuum est, nihil differens erit deorsum a sursum*. Demum, ipsius nihil, & non entis nullæ sunt differentiæ: *Vacuum autem non ens quippiam, & priuatio videtur esse*. Ex his itaque liquet, in vacuo nullum posse fieri motum naturalem.

Quod verò neque motus violentus ac præter naturam in vacuo possit inuenire, facile colligit, quia vbicunque non est prius, ibi neque est posterius: Motus secundum naturam est prior, *motus autem violentus, præter naturam est: qui verò præter naturam est, posterior est*

eo,

Digitized by Google

eo, *qui est secundum naturam*: cur? quia præter naturam nihil aliud est, quàm recessus qui-
VII. dam ab eo quod est secundum naturam: impossibile verò est, esse id quod recedit, nisi sit id a quo recedit. Ex his concludit, quod aut nihil mouetur, aut si aliqua mouentur, vt re ipsa mouentur, vacuum non est.

Meminit motus violenti: accipit deinde vnam eius speciem, videl. motum proiectorum, ex quo eruit quartam demonstrationem, quod posito vacuo, non possit in eo fieri proiectio. Motus proiectionis fit, quando quis pellit aliud, deinde eo non tangente, istud adhuc mouetur; siue id fiat propter antiperistasim medij, vt nonnulli opinati sunt, siue quòd aer medius a proij-
VIII. ciente pulsus pellit ipsum proiectum; de qua re accuratè in octauo Physic. Sed in vacuo nullum esset medium corpus: quare neque vlla proiectio. Excipit Arist. ea quæ vehuntur, dum in fine tex. 68. ait, *neque enim in vacuo ferri erit, nisi vt quod vehitur*, de qua propositione dicam in quæst.

Ex his ipsis proiectis depromit quintam rationem, quia huiusmodi proiecta, si moueantur per vacuum, tandem aliquando deberent cessare & quiescere: At in vacuo cum nulla sit loci differentia, sursum, aut deorsum; vbi consistent? nusquam: Cur etenim potius hic, quàm ibi? quare aut nunquam mouentur, aut in infinitum mouebuntur, & nunquam quiescent, *nisi*
IX. *aliquid potentius impedierit*: Quod tamen in vacuo nullum est.

Sextò vrget aduersarios ex concessis ab ijs ipsis; aiebant enim faciliorem esse motum alicuius corporis V. G. grauis per aerem quàm per aquam, quia in aere intercedunt maiora vacua, in aqua verò minora: Quo fit vt aer facilius cedat corpori moto, quàm aqua: Subdit Arist. sed va-
X. cuum est omni ex parte vniforme, quare omnis eius pars similiter cedit: ac proinde non est, cur mobile in vacuo hac potius quàm illac moueatur, vel hic magis quàm illic quiescat.



Demonstratur non esse vacuum separatum ex conditione motus.



Exclusit hucusque vacuum ex motu: excludit nunc ex conditione motus, videl. ex eius velocitate, ac tarditate: Et in
tex. 71. erigit pulcherrimam ac ingeniosissimam demonstrationem; quæ breuiter huc tendit. Si motus esset in vacuo, esset in non tempore, siue in instanti: Hoc verò est impossibile, quare si motus est, vacuum non est, contra quàm aiebant Veteres, qui colligebant. Si est motus, ergo est vacuum. XI.

Aristot. autem sic progreditur. Primùm sternit sensatum fundamentum, quod ex duplici causa oritur, vt vnus motus sit velocior, aut tardior altero. Vna est diuersitas medij: Altera diuersitas mobilium. Ex parte quidem mobilium, si vnum sit grauius altero; vel si sit diuersæ figuræ: Nam citius descendit plumbum quàm palea, & rotundum quàm planum. Ex parte autem medij vna causa est diuersitas secundum raritatem, & densitatem: Quippe cum mobile in motu debeat diuidere medium, profectò quod est rarius ac subtilius, id facilius diuiditur, & mobili minorem infert resistentiam, quàm quod est densius & crassius. Altera causa est status, vel obnitentia eiusdem medij. Sic idem mobile citius fertur per idemmet medium, V. G. per aerem quiescentem ac tranquillum, quàm feratur per eundem ipsum agitatum. Et longè tardius feretur, si aer in contrarium obluctetur, quàm si sistat placidus: *Corpus*, inquit Arist. *velocius fertur propter duas causas: Aut quia id differt, per quod, vt per aquam, aut terram, aut aerem; Aut quia id differt, quod fertur, si alia sint eadem, propter excessum grauitatis, aut leuitatis. Hoc igitur per quod fertur causa est, quoniam impedit, maximè quidem quod contra fertur, deinde autem & manens, magis autem id quod non facile diuiditur; tale autem est, quod crassius est*:

Ex his elicitur hæc propositio. Qualis est proportio medij ad medium secundum raritatem ac
densitatem, siue secundum resistentiam, talis est proportio motus secundum tempus, in quo fit per idem, aut per æquale spacium: Ita vt, quò medium est rarius, & minus resistit, eò motus fiat in tempore breuiori. Quæ quidem propositio constat ad sensum, & declaratur ab Arist. per literas. Sit A. mobile, quod mouetur per spacium B. quod spacium sit densius, veluti aqua, in tempore C. quod sit V.G. XII.

vna

Digitized by Google

vna hora: Atque idem mobile, aut aliud omninò illi consimile moueatur per spacium D. quod sit aqualis magnitudinis ac est spacium B.) quod spacium sit aer, rarior quàm aqua, in tempore E. Tunc quanto rarior est aer quàm aqua, tanto minus erit tempus E. quàm tempus C. Ita vt si aer V. G. sit duplo rarior quàm aqua, etiam tempus E sit duplo minus quàm tempus C. ita vt si istud sit vna hora, illud sit semihora: & ita deinceps. Hinc carnis, tantam esse proportionem in temporibus motuum, quanta est proportio raritatis, ac densitatis, siue resistentiæ in medijs.

Subnectit Arist. minorem: Sed vacuum nullam habet proportionem cum spacio pleno: ergo nec tempus, in quo fieret motus in vacuo, habebit vllam proportionem cum tempore, quo motus fit in pleno: ac proinde motus in vacuo fieret in non tempore, siue in instanti.

Quod verò vacuum nullam obtineat proportionē
XIII. cum pleno, demonstrat Arist. incredibili ingenio; Si vacuum haberet vllam proportionem cum spacio pleno, ea porrò nulla alia esse posset quàm excedentis, & excessi; sicut V. G. dicimus, quod aqua excedit aerem crassitie, & aer exceditur in hac eadem conditione ab aqua: Et numerus quaternarius excedit ternarium vnitate. At huiusmodi proportio excedentiæ in vacuo respectu pleni est omninò impossibilis, quare impossibile quoque est, vllam esse proportionem vacui ad plenum. Minorem probat: Omne quod excedit aliud, est compositum ex eo quod excedit, & ex ipso excessu, quē supra illud habet: & cum vnumquodq; in ea resoluatur, ex quibus constat, ipsum excedens necessario resoluitur in illud quod excedit, & in ipsummet excessum. V. G. numerus quaternarius excedit ternarium vnitate, ergo componitur ex ternario, & vnitate; & in hæc eadem itidem resoluitur.

Hinc, inquit Aristot. *non dicimus lineam excedere punctum, nisi componatur ex punctis*. ergo si inter vacuum, & plenum V. G. aerem, esset aliqua proportio, necessario aut vacuum componeretur ex tali pleno, & excessu; aut aer componeretur ex vacuo, & excessu. Hoc autem vel cogitare absurdum est. ergo vacuum nullam habet proportionem ad plenum: ac proinde neque tempus in quo motus fieret in vacuo, habebit vllam proportionem cum tempore, in quo nunc fit motus in pleno, ergo fit in non tempore: Nam omne tempus habet proportionem ad aliud tempus.

Quod autem motus localis fieri nequeat in non tempore, siue in instanti, non modo ex eo constat,
XIV. quoniam eius natura est successiua, verùm etiam quia *motus quidem omnis ad motum est proportio; in tempore enim est: temporis autem omnis est ad tempus, finitis vtrisque*, vt loquitur Philosophus in tex. 73.

Negaret fortassè quispiam, quod nulla sit proportio inter motum factum in vacuo, & motum factum in pleno: ac diceret, etiam in vacuo motum fieri in aliquo tempore, quamuis exiguo: vnde confecta ratio videretur eneruari. Propterea Aristot. intercludit hanc fugam, deducitque antagonistam ad hoc absurdum, quod motus qui fit in vacuo, & motus qui fit in aliquo pleno, sint æqualis velocitatis: Et cum velocitas, & tarditas motus arguat conditionem medij, consequenter erit dicendum, quod vacuum, & plenum sint eiusdem conditionis ac naturæ. Quod sanè nihil aliud est, quàm asserere, vacuum non esse vacuum, & plenum non esse plenum.

Deducit autem hoc pacto. *Si motus factus*
in vacuo habet proportionem cum motu facto XV.
in pleno, & fit non in instanti, sed in tempore, accipio illum motum fieri per spacium vacuum in aliquo tempore determinato V. G. in vno quadrante horæ. Deinde accipio duo spacia plena æqualis magnitudinis ac est spacium illud vacuum, quorum vnum sit plenum corpore denso vt aqua; alterum sit plenum corpore raro ac subtili vt aer. Tunc mobile pertranseat spacium plenum corpore denso vt aqua, tempore duarum horarum: idem autem mobile, aut aliud omninò simile pertransibit spacium plenum subtili illo corpore vt aer, tempore vnius horæ. Tunc illud corpus subtile vt aer, efficiam adhuc subtilius. ergo mobile pertransibit illud citius, V. G. in tribus quadrantibus horæ. Rursus illud ipsum corpus medium attenuabo, & quia secundum proportionem attenuationis diminuitur tempus in quo fit motus, deueniam, vt motus fiat in tanto tempore, quantum a nobis fuit præsuppositum, motum fieri in vacuo, id est in vno quadrante. quare mobile æquè velociter mouebitur in vacuo atque in pleno. Quod erat inuentum absurdum.

Duæ fuere causæ, cur vnus aliquis motus sit velocior, aut tardior altero; diuersitas me-
dij, & diuersitas mobilis. Patefecit Arist. ea pri- XVI.
ma causa haud posse in vacuo celebrari motum: Patefacit deinde in tex. 74. neq; ea secunda, id est ex parte mobilis posse vllum in vacuo effici motum: & demonstratio sic colligitur.

Cernimus ex rei natura, ea quæ in motu maiorem faciunt impetum, & habent validiorem impetus vim, modo *quo ad alia similiter se habeant figuris*, ea celerius ferri per æquale spacium, Profectò maiori ac validiori causæ validior ac celerior effectus, id est motus, debet correspondere. Sed hæc motus differentia in vacuo nulla esset: quare in vacuo nullus etiam esset motus. Minor prob. quia pondus V. G. grauius non alia ratione descendit celerius, nisi quia maiori sua grauitate ac impetu celerius ac vehementius scindit medium, quàm faciat aliud pondus minus graue. Atqui in vacuo mobile non habet quod scindat, ergo in eo æquè celeri-

Digitized by Google

ter moueretur grauissimum pondus, ac aliud quamminimè graue. Quod dictu ridiculum est.

Concludit Arist. ex his esse manifestum, quod de vacuo res opposito modo se habet, quàm Veteres asseuerabant. Illi enim aiebant: Si est motus localis, necessariò esse vacuum per se separatum: Nos demonstrauimus, quod si est motus localis, necessariò vacuum non est: Et si est vacuum, omninò nullus motus localis est.

Ostenditur ex parte vacui non dari vacuum per se separatum.

XVII. Ertio loco à tex. 76. ostendit Arist. ex parte ipsiusmet vacui non dari huiuscemodi vacuum separatum. Ac primò quidem ex nomine. Nam si, inquit, spectemus vacuum per se, absq; mom, apparebit dictum a Veteribus vacuum esse *ἀληθῶς κενὸν, verè vacuum*: esse nimirum id quod re vera nomen ipsum sonat: Sonat autem id quod inane, & nihil penitus rei est.

Annectit deinde rationem, quam quidem aduersus alterum eorundem Veterum assertum intendit, qui quidem opinabantur, quod nisi sit vacuum, corpus omninò penetrabit corpus: Arist. verò e contra patefacit, quod si est vacuum, omninò corpus penetrabit corpus: & ratio sic colligitur. Quandocunque sunt simul multæ dimensiones, ita vt aliæ non cedant alijs, corpus penetrat corpus. At admisso vacuo, & posito in eo corpore, sunt simul multæ dimensiones, quarum aliæ non cedunt alijs, quare dato vacuo, & constituto in eo corpore, omninò est corporum penetratio.

Maiorem illustrat euidenti exemplo. Videmus, quod cum in aliqua aqua ponitur corpus, veluti cubus ligneus, tanta aqua cedit, quanta est moles ipsius cubi: & propterea cubus non penetrat aquam, aut e contra aqua cubum. Consimili ratione si ponamus corpus in aere, aer id idem patitur: cedit enim; quamuis hæc cessio non ita ad sensum appareat, vt illa aquæ, quia aer propemodum est insensibilis. Et vniuersè hoc ipsum euenit, dum corpus fertur de loco ad locum: Semper id per quod mouetur, cedit secundum proportionem magnitudinis corporis moti, siue id moueatur sursum, vt ignis, siue deorsum, vt terra; siue ad latera, vt cum aliquid huc atque illuc propellitur, *siue quodcunque aliud sit impositum*. Hinc liquet, quod dimensiones debent cedere dimensionibus, si non debet corpus penetrare corpus.

Quod verò in vacuo dimensiones non cedant dimensionibus, accipit Aristot. ab antiquis, asserentibus, vacuum esse spacium ter dimensionatum: ergo cum ponitur corpus in vacuo, XVIII. huius dimensiones non recedunt, at neque cedunt: sunt ergo simul cum dimensionib. corporis ibi constituti. Et hoc significat Auctor cum ait, *per vacuum autem æquale spacium transiuisse videtur, quod quidem erat & prius in vacuo, tanquam si neque aqua cederet ligneo cubo, neque aer, sed omnia transirent per ipsum*.

Poterat aliquis dicere. Cubus est corpus physicum, V. G. ligneum, aut æneum, proinde XIX. est indutus varijs qualitatibus, est nimirum calidus, aut frigidus, grauis, leuis, &c. Pariter aqua est frigida, humida; ita de reliquis: ratione quarum passionum debent præfata corpora sibi cedere: Dimensiones autem vacui, haud sunt quales, sed solum est quoddam spacium dimensum, quemadmodum dicebamus etiam de loco: iccirco haud est necesse, eas cedere corpori in vacuo recipiendo.

Occurrit Aristot. quod aqua non cedit cubo ratione qualitatum, ac passionum, sed ratione XX. molis ac dimensionum. Nam licet magnitudo, & passiones siue qualitates cubi lignei a parte rei non sint separatæ, nihilominus *differunt ipso esse* & differunt essentialiter. Quocirca si seiungamus per intellectum a cubo omnes eius qualitates, ita vt neque calidus, neq; frigidus, *neque leuis, neque grauis sit*, & retineamus solum ipsius magnitudinem, siue dimensiones, *dico lignei cubi molem*, vt Aristot. loquitur, cubus non compatitur secum aliam magnitudinem, & alias dimensiones, & *occupabit aquale spacium, & in eadem erit & loci, & vacui parte æquali sibi*.

Quod si semel dederis, posse duas magnitudines, siue dimensiones non se cedere, sed esse simul, seq. inuicem penetrare, iam poterunt in eodemmet spacio vacui, quamuis exiguo, mille corpora se se penetrare. *Nam si duo talia, propter quid & non quælibet in eodem erunt? Et hoc*, colligit Arist. *est vnum inconueniens*.

Altera ratio huc tendit, quòd Veteres sic censuerunt de vacuo, quemadmodum & de XXI. loco: Locus etenim penes illos erat spacium ter dimensionatum corpore plenum: Vacuum autem erat spacium itidem ter dimensum corpore priuatum. Quocirca quantum ad spacium, & ad dimensiones, vacuum *a loco nihil differt*. Tunc ita perstringit. Aut in vacuo accedente corpore, recedunt vacui dimensiones, aut cedunt corpori ingredienti, aut neque cedunt, neque recedunt, sed permanent. Si permanent simul cum dimensionib. corporis ingressi, ecce dimensionū, & corporū penetratio. Si non permanent, sed recedunt aut cedunt: ergo malè dicunt Veteres, Vacuum esse spacium

spacium ac dimensiones. Et idem argum. euincit locum non esse spacium dimensum. Nam si dimensiones loci recederent, aut cederent corpori locato, *quid oportet facere locum corporibus præter vniuscuiusque magnitudinem?*

XXII. Tandem est tex. 78. qui in quibusdam græcis codicibus non habetur, in alijs verò est parenthesi conclusus: Iccircò a plerisque interpretum non agnoscitur vt Aristotelicus: nec exponitur: Ego existimo esse synceram Stagiritæ; ita mihi phrasis persuadet. Et puto Aristotelem hoc argumentum immediatè intendere aduersus Pythagoreos constituentes extra vniuersum, vt retro retulimus, infinitum vacuum. Ait Arist. Si extra Vniuersum esset vacuum, deberet existere aliquod vestigium illius in hoc motiali mundo, quandoquidem nos haud possumus de ijs rebus philosophari, ad quarum cognitionem nullus manuducit sensus. Nullum autem vestigium vacui in hoc mũdo percipimus: quippe aer, qui aliquibus visus est vacuus, quamuis non videatur, cum non sit colloratus, attamen sentitur tactu. *tactu namque iudicatur tangibile*. Enimuerò si velociter moueas manum, aut virgam per aeram, nonne sentis resistentiam? Hinc concludit, Arist. *quod igitur non sit separatum vacuum, ex his manifestum est.*

CAPVT IX.

Textus 79. vsque ad 86.

Ostendit non esse vacuum corporibus permixtum.



I. Emino modo prisci illi Philosophi constituerunt vacuum. Vno quidem, per se separatum. Altero autem, corporibus inspersum ac permixtum. Prius vacuum hucusque Arist. euidentissimè sustulit: Pergit nunc in hoc cap. posterius vacuum eliminare. Ac primò quidem, indicata ea opinione, affert rationes, quibus nonnulli Philosophi mouebantur ad constituendum huiuscemodi vacuum: Deinde commonstrat, neque tale vacuum posse vnquam in natura dari: Demum diluit illorum rationes.

II. Ait itaque esse aliquos, qui ex raro, & denso existimant esse manifestum, quod datur vacuum. Nam si non est densum, id est condensatio, corpora haud poterunt συνιέναι, καὶ πιλεῖσθαι, *coire, & calcari*: Fit enimuerò condensatio, cum partes corporis simul coeunt, comprimuntur, & sibi subintrant. Ex opposito autem in rarefactione, partes extenduntur, ac estrahuntur. Vnde huiuscemodi argumentum potest colligi. Quando partes corporis densandi coeunt, & sibi subintrant, aut recedunt in aliqua vacua inspersa ac disseminata per illud corpus, & in illis recipiuntur, aut recedunt in alias partes, & in illis recipiuntur. Si primum, habetur intentũ, quod in corpore illo sunt quædam vacua, in quibus illæ partes recipiuntur. Si secundũ, ergo corpus penetrat corpus. Similiter in rarefactione partes extensæ atq; extractæ non continebantur, nec latitabant in alijs partibus eiusdem corporis, ob eam ipsam corporum penetrationem, ergo erant in quibusdam an locis, an vacuis, quæ partes postea extractæ reliquerunt vacua illa in dicto corpore.

III. Cæterùm illi sic progrediebantur, vt etiam refert Arist. in tex. 79 Si est condensatio, ergo & coitio ac compressio partium. (tunc insurgit argumentum, quod nunc faciebam.) Si verò non est coitio, & compressio corporum, necessariò sequitur alterum ex his duobus absurdis. Aut quod nihil in Mundo moueatur: Aut quod, cũ aliquod corpus mouetur, debeat moueri & fluctuaret totus Mũdi aer, & omninò omnia corpora in eo existẽtia. Primum consequens sic illi deducunt. Si corpus, per quod mobile debet transire, non densatur, & partes eius non subintrant in vacua, non dat mobili transitum, sed suum ipsius statum ac dimensionem firmam ac immotam tuebitur. Quo fit, vt nisi corpus mobile penetret corpus, per quod debet moueri, nunquam mouebitur. Secundum verò consequens ostendunt, quia si corpus medium debet dare locum huic mobili, & non constringitur, ergo debet pellere aliud corpus, quod prope illud existit: Et illud rursus debet pellere aliud: & sic vsque ad extremum: Et illud adhuc debet pelli extra Mundum, sicut in mari vnda vndam pellit vsque ad littus, & etiam extra littus. Et cum in Mundo innumeri, & contrarij exerceantur motus, totus Mundi aer, per quem motus fiunt, & omninò omnia Mũdi corpora assiduo huc atque illuc fluctuabunt. Quæ duo consequ. ponit Arist. inquiens, *aut omninò motus non erit, aut totum fluctuabit, vt dixit Zuthus.*

IV. Annectit aliud inconueniens, quod itidem consequi videtur, nisi sit coitio, & receptio partium in vacua in ipsis corporibus inexistentia, sequitur, inquam, vt quando vnum aliquod corpus transmutatur, siue accidentaliter, veluti cum aer calefit; siue substantialiter, vt cum ex aqua fit aer, conseruetur semper eadem moles alterati, & genti, ac fuit moles corrupti. Hoc autem aduersatur sensui. Vel sequitur, vt quando alicubi cyathus aquæ fit aer, necessario alibi debeat tantus aer fieri aqua, ne in aliqua Mundi parte relinquatur vacuum, aut corpus penetret corpus. His illi ratiocinibus arbitrabantur, se se clarum ac manifestum reddere, quod intra corpora sint indita quædam ac dispersa vacua.

Digitized by Google

Quam quidem existimationem Stagirites actutum reijcit: Primò autem indicat duos modos, quibus Veteres illi huiusmodi vacuum constituerent. Quidam, vt Democritus, Lucipp & Epic. imaginati sunt vacuum commune ac separatum infinitum, per quod quidem atomi, corpuscula indiuisibilia assiduo mouerentur, quæ quidem atomi, cum congreganiur, vt aliquam rem constituant, intercipiunt intra se ex illo vacuo: Quod vacuum in re constituta esset veluti quoddam collectum. Vnde apud illos principia rerum erant *solidum, & inane*, vt dicitur in primo Phys. tex. 41.

Reijcit hoc Arist. quia hoc pacto ponere vacuum in corporibus nihil aliud est, quàm constituere vacuum separatum. At vacuum separatum iam superius reprobatum est. Quocirca de vacuo hoc modo accepto nihil superest dicendum: præsertim verò quia tale vacuum non potest deseruire ad condensationem, ex qua nunc indicata difficultas haurιebatur.

VI. Alij verò ponunt vacuum in corporibus esse minutas quasdam vacuitates, ac veluti quosdam poros per corpora intus disseminatos, qui nullo penitus corpora sint pleni: atque sic inuectum vacuum *minus quidem impossibile est*, inquit Arist. in tex 81.

VII. Nihilominus hæc quoque positio a veritate procul abest: Aduersus quam Arist. quatuor opponit incommoda. Primum est, quia huiusmodi vacuũ corporibus insertum atque inexistens non erit causa omnis motus, sed motus solummodo sursum. Cur? quoniam corpus habens intra se tale vacuum erit ratum: Rarum autem est leue: *quapropter ignem rarum esse dicunt*. Leue autem fertur sursum duntaxat. Si igitur vacuum non est causa motus nisi ob leuitatem, profectò non erit causa nisi motus sursum.

Secundo, quia vacuum hac ratione acceptum non est causa motus, siue non spectat ad motum, *vt in quo*, tanquam medium, per quod mobile feratur, sed erit causa effectrix motus, eo modo quo aer in vtribus inclusus efficit, vt vtres supernatent. Hoc autem est contra intentionem auctorum vacuum constituentium, qui eo animo induerunt vacuum, vt mobilia possint per illud transire. Præterea, si vacuum est non ens, quo pacto poterit esse causa effectiua motus?

VIII. Tertium. Etiamsi illis gratis demus, vacuum esse causam motus sursum, quam vnquam causam assignabunt in graui ipsius motus deorsum? Siquidem graue est densum, proindeq; intra se non habet vacuum. Si itaque causa motus deorsum non est vacuum, sed aliqua alia natura, nempe grauitas, cur non etiam in leui assignetur aliqua alia causa motus sursum, non verò vacuum?

Quartum deniq; inconueniens est, quia si leuitas inest corporibus propter vacuum, ita vt quo corpus intra se se habuerit plus vacui, eò sit leuius, & velocius feratur sursum, fatendum omninò erit, quod ipsum vacuum, secundum se spectatum, sit leuissimum, & feratur sursum quamuelocissimè. Quis autem dicet, vacuum esse leue, aut moueri? Quid verò? si vacuum moueatur, sequuntur, inquit Arist. in fine tex. 82. impossibilia superius a nobis inducta: Ostensum quippe est, in vacuo nihil posse moueri: ergo multo minus poterit ipsum vacuum moueri. Deinde, vacuum haberet propositionem cum pleno. Ex his itaque liquido constat, positionem illam de vacuo esse falsam.

Soluit Arist. rationem oppositam, explicando quomodo fit condensatio, & rarefactio absq; eo quod concedatur vacuum.



Diluit deinde rationem initio capitis pro vacuo corporibus inspersο confectam. IX. Et quia tota eius vis in eo sita & collocata erat, quod rarefactio, & condensatio fiunt per vacuum, idcircò Eximius præceptor in illud incumbit, vt ostendat modum, secundum quem possint istæ affectiones celebrari sine vacuo.

Primò autem in tex. 83. repetit, & declarat clarius illam eandem rationem, quod nisi sit rarefactio, & condensatio, quæ deberent fieri per vacua intra corpora disseminata, aut motus non erit, aut Vniuersum fluctuabit, aut in transmutatione corporum seruatur perpetuo eadem moles, aut si vno in loco conuertitur aqua in aerem, in alio necessario debeat conuerti aer in tantam aquam, *vt tota moles Vniuersi æqualis sit*.

Posset quispiam occurrere, quod hæc ratio deficit. Nam datur aliquis motus, videl. circularis, qui X. fit absq; rarefactione, aut condensatione eius per quod fit, quoniam corpus, quod per huiusmodi motum mouetur, reuoluitur in se ipso: ac proinde non eget, vt aliud corpus propellat. Subdit Philosophus, hoc non tollere difficultatem, propterea quod præter motum circularem sunt alij motus recti, in quibus adhuc viget, & diluenda est allata instantia.

Idcircò accingitur Arist. ex sua sententia aperire, quomodo, vt dixi, celebretur condensatio, & rarefactio sine vacuo. Primùm autem sternit quatuor fundamenta; Deinde apponit modum, quo XI. condensatio, & rarefactio fiunt. Fundamenta sunt ab eo demonstrata in primo Phys. & in lib. de ort. & inter. ideò ait, *sibi esse dicendum ex suppositis*. Primum est, quod vna est materia contrariorum, calidi, frigidi, *& aliarum naturalium contrarietatum*. Aduerte, quod per materiam intelligit commune

mune subiectum, prout complectitur & materiam primam, quæ est subiectum primum transmutationis substantialis, & ipsa composita, quæ sunt subiecta immediata transmutationum accidentalium. In omnibus enim vnum est subiectum cuiuscunq; contrarietatis.

Secundum est, quod omne quod fit actu, fit ex eo quod prius erat in potentia. Quocirca facere aliquid actu nihil aliud est, quàm extrahere ac trãsferre ad actum, id quod erat in potentia. Transfertur autem ab agente proportionato. Ita fit actu aer ex eo, quod erat potentia aer: & fit actu calidum ex eo, quod erat potentia calidum: Et omninò *ex eo, quod potentia est, id quod est actu, fit*.

Tertium, Materia non est separabilis a contrarijs, ita vt a parte rei consistat absque ijs, sed necessario degit cum hac, aut illa contrarietatis forma: nihilominus τῷ εἶναι ἐστὶν ἕτερον, *ipso esse est diuersa*, ipsa materia essentia ac definitione est alia ac diuersa a qualibet contrarietatis parte, siue a qualibet forma.

Quartum fundamentum est, quod materia vna
XII. est numero εἰ ἔτυχε χροιᾶς, καὶ θερμοῦ, καὶ ψυχροῦ. Sic verte: Materia *est vna numero si forte habeat colorem, & calidum, & frigidum*. Sensus est, quod subiectum ita est vnum numero respectu secundarum qualitatum, ac est respectu primarum: Omnes enim sunt accidentia. Atque adeò ita se habet subiectum respectu coloris, aut saporis, vt dum fit album ex nigro, aut dulce ex amaro, ac quando fit calidum ex frigido, aut humidum ex sicco. Hanc conditionem paulatim contrahit ad suum propositum de rarefactione, & condensatione, quod scil. eadem est materia, & idem subiectum vtriusque eius contrarietatis, quæ est magnum, & paruum. *Est*, subdit, *& corporis materia, & magni, & parui eadem*. Accipit autem *magnum, & paruum*, pro maiori, aut minori, qui sunt termini rarefactionis, & condensationis: Vel accipit pro maiori, & minori extensione.

His ita iactis, aperit modum condensationis, &
XIII. rarefactionis, qui est. Materia est eadem contrariorum, ergo quemadmodum enim ex aqua V. G. fit aer, non fit, quia illi ex quo fit, aduenit aliquid ab extrinseco, sed quia quod erat in potẽtia fit actu: Sic quando ex raro fit densum, non fit, quia ipsi raro aduenit aliquid ab extrinseco, sed quia id quod erat potentia densum, fit actu densum. Et quemadmodum enim ex frigido fit calidum, non fit quia illi materiæ adijcitur ab extrinseco calor, quomodo enim calor de subiecto in subiectum migrabit? Sed quod erat potentia calidum, euadit actu calidum: Et quemadmodum quod ex minus calido fit magis calidum, fit eodem modo per reductionem de potentia ad actum, (quæ sunt exempla Philosophi) ita philosophare, quando ex raro fit densum, aut e contra.

XIV. Hinc introspice fundamentalem differentiam inter modum Aristotelis de rarefactione, & condensatione, & modum Veterum constituentium vacuum. Primò, quia iuxta Veteres condensatio fit accedente aliquo ab extrinseco: partes enim corporis densandi extra vacua eiusdem corporis existentes, subintrant, & accedunt ad dicta vacua, & sic celebratur condensatio: e contra verò in rarefactione partes corporis rarefaciendi recedunt a vacuis, & accedunt ad superficiem eiusdem corporis. Ad autes autem Stagiritæ nullus fit accessus, aut secessus, sed solum quod erat potentia tale, fit actu tale ab agente proportionato, vt dixi.

Secundo, In sententia Aristotelis in condensa- XV.
tione, & rarefactione non mutatur subiectum secundum aliquas partes sic, secundum alias autem non, sed ex æquo mutatur totum, & mutatur omninò secundum omnes sui partes vniformiter: In sententia verò Veterum non mutatur totum subiectum, & omnes eius partes vniformiter. Ratio est euidens, quia ad Stagiritæ mentem huiusmodi mutationes fiunt ex eo, quia subiectum transfertur de potentia ad actum: Modo totum subiectum vniformiter est in potentia, & non pars quidem sic, pars autem non: ergo totum etiam debet vniformiter habere actum. Iuxta opinionem autem Veterum subiectum in condensatione, & rarefactione non est vniforme, sed habet partes plenas, & partes vacuas. quare non mutatur totum, & omnes eius partes vniformiter.

Præterea, quod totum subiectum, & omnes eius
partes mutantur vniformiter in his mutationibus, XVI.
vides in exemplo nunc indicato de calido. quando fit vel ex frigido, vel ex minus calido. Non enim aqua calida V. G. vt tria, est in vna parte ita calida, in alia verò est magis, aut minus calida, sed tota vsquequaque est in tali gradu calida; deinde fit calida vt quatuor, vel vt sex. Hoc vlterius explicat Arist. ingeniosissimo exemplo figuræ circularis, quæ ex maiori arctatur in minorem, aut e contra, ex minori laxatur in maiorem, vt videmus facere artifices, cum orbibus ligneis cingunt dolia, & modo laxant, modo constringunt: Vbi non vna quidem pars curuatur, alia verò non; sed totus circulus, quando ex maiori fit minor, magis curuatur vniformiter; & quando ex minori fit maior, itidem vniformiter curuatur minus. Circumferentia etenim orbis maioris est minus curua, quàm orbis minoris. Neq; hæc maior, aut minor curuatio fit accedente, aut deperdito aliquo ab extrinseco, sed fit, quia ille orbis est in potentia tum ad maiorem, tum ad minorem curuitatem. Sic de raro, & denso philosophare, quod ista tota vniformiter rarefiunt, & condensantur.

Quod quidem exemplum repetit Arist. in tex.
85. propter quam quidem repetitionem, sunt qui XVII.
opinantur textum illum esse suppositium. Et re vera in quibusdam exemplaribus græcis hic tex. non habetur, quocirca a multis etiam interpretum prætermissus est. In quo quidem contex. subiungitur aliud exemplum de flamma, quæ tota est calida,

Digitized by Google

lida,& alba,seu flaua: nec pars quidem est calida, pars non item. Et tota vniformiter mutatur in aliud.

Addit Arist. duas proprietates rarorum corporũ, quæ sunt leuitas, & mollities: & alias duas densorum, quæ sunt grauitas, & durities: Quæ tamen aliquando discordant, vt in plumbo, & ferro licet animaduertere: plumbum etenim grauius ferro est, & tamen eo est mollius. Tandem in tex. 86. imponit grauissimæ huic disputationi finem, colligens per epilogum, *& de vacuo quidem, quomodo est, & quomodo non est, determinatum sit hoc modo.*

QVÆSTIO VNICA

DE VACVO.



Væ Arist. de vacuo docuit, hucusque audiuisti: audi deinceps ea, quæ in schola inter Doctores nostros discutiuntur. qui præter illa, quæ hac in re viribus naturæ effici possunt, inquirunt etiam, quid per superiores potentias, diuinam, & angelicam fieri queat: Deinde progrediuntur ad quæstiones conditionales de motu in vacuo. Vt ergo ex ordine progrediamur sit.

SECTIO PRIMA.

Vtrum vacuum propriè dictum de facto detur: vel virtute naturali dari possit.



Onsultò dixi, vacuum *propriè dictum*, quia vacuum gemino modo potest accipi. Vno quidem impropriè, ac purè negatiuè, quod scil. neq; corpus vllum continens, neque contentum dicit. Et hoc est, quod alij dicunt, vacuum sic acceptum, neque pro formali, neque pro materiali dicere aliquid positiuum. Huiusmodi vacuum potest dici inane illud & imaginarium spacium, quod extra Vniuersum expanditur. Ita in hoc interuallo, vbi nunc est mundus, ante eius creationem, (vt ex fide profitemur) erat vacuũ in hac significatione dictum, vt vel ipse Auerr. adnotauit in hoc lib. tex. 6. & in primo de Cælo tex. 91. in fine com. his omnino. *Existimant loquentes nostræ legis vacuum esse intellectum primum. & est necessarium hoc, dicenti quod Mundus fuit, postquam non fuit, id est vacuum scilicet dicere esse.*

Alio modo vacuum accipitur propriè, & priuatiuè, & est interuallum illud, inter latera corporis II. continentis, si nullum actu contineat corpus. V.G. si imaginatione concipias in hac aula nullum omninò adesse corpus, neque aerem, neque quicquam aliud corporeum ac dimensiuum. Si autem in hac eadem aula ita vacua constituatur aliqua substantia spiritualis, veluti angelus, aut anima, aut etiam substantia materialis, exuta tamen quantitate, adhuc aula dicetur vacua, quia non implet nisi quantum.

De hoc vacuo propriè sumpto procedit difficultas, & definitur ab Arist. in tex. 65. vt vidimus, quod sit *locus priuatus corpore*. Locus ponitur vice III. generis, & pro materiali: reliquæ particulæ tenent locum differentiæ, & sunt veluti formale: Locus stat vice generis, quoniam locus est superius quippiam ad vacuum: siquidem si in vacuo constituatur corpus, illico fit locus plenus. Item, cum dicitur *priuatus*, duo in vacuo indicantur: Alterum materiale, & est locus, superficies nimirum corporis continentis: Alterum formale, & est omnimoda absentia corporis contenti. Materiale in vacuo est aliquid reale, actu quidem non repletum: aptum tamen repleri. In hoc sensu ait Arist. in tex. 61. *Quapropter & vacuum videtur aliquid esse, quia & locus.* Formaliter verò est sola carentia corporis, quo pacto Stagirites vacuum sæpenumero vocat non ens. His adnotatis.

Dico, Vacuum propriè dictum, nec de facto da- IV. tur in rerum natura: nec virtute naturali dari potest.

Pro hac assertione, præter rationes Philosophi iam a nobis expositas, suppetunt & aliæ, & experimenta etiam clarissima. Primò, Si aer inclusus in fistula, cuius extremitas immergatur in aqua, ore attrahatur, aqua ascendit, ne fistula remaneat vacua.

Item, extat instrumentum, quo vtuntur vectores vini, gemina canula ærea confectum in modum duorum laterum trianguli, cuius altera parte per foramen in doliũ immersa, ex altera autem parter aere attracto, vinum ex dolio per illam partem ascendit, & per hanc defluit: idque facit continuò vsque dum illa pars tangat vinum: cum verò tantum vini haustum fuerit, vt pars immersa non amplius tangat vinum, sed intret in fistulam aer, illico cessat ascensus vini per illam partẽ, & descensus per istam. Quod porrò ea ratione fit, quia si vinum non ascenderet, cum non possit aer illuc ingredi, (non enim potest ingredi in partem immersam, cum vinum impediat: at neque potest ingredi

Digitized by Google

gredi ex altera parte; quia vinum defluens etiam impedit) daretur vacuum.

Præterea, Si phiala vitrea calefiat, deinde eius
V. inuersæ os immergatur in aquam: aqua ascendit intra phialam. Quod quidem contingit, quia aer intra phialam conclusus, a calore fuit rarefactus, & dum est tali conditione aer affectus, os phialæ immergitur in aquam: deinde a frigore idem aer condensatus occupat minorem locum: quocirca ne vllum vacuum intra phialam relinquatur, ascendit aqua.

Ita in cucurbitulis applicatis eleuatur caro, quoniam aer prius in illis a stupa accensa rarefactus, occupabat maiorem locum: deinde ob frigiditatẽ circunstantis aeris addensatus arctatur in minorem locum. Cum itaque alius aer in cucurbitulam ingredi nequeat, attollitur caro, ne ibi detur vacuũ.

Adhæc, Si superius orificium Clepsidræ aqua plenæ validè obturetur, non effluit aqua per foramen inferius, etiamsi sit apertum, ne intra Clepsidram relinquat vacuum, dum illuc nequeat alius aer subintrare. Si verò superius orificium tantillum laxaueris, vt possit aer insinuari, statim aqua effluit ex inferiori.

Eodem pacto, si latera follium sint inter se constricta, & foramen, per quod aer ingreditur, pressè
VI. sit occlusum, nunquam eos aperies. Et si cyathus totus immergeatur in aquam, deinde per basim trahatur sursum, attollet intra se aquam, eamque supra superficiem eius aquæ eleuat, & cum in cyathum intrat aer, illico aqua defluit præceps: Ita sexcenta alia passim occurrent, quibus liquidò deprehendimus, omnia corpora naturalia ad impediendum vacuum enixè conspirare; & plerunque contra propriam particularem inclinationem operari, vt quacunque possunt ope impleant locum.

At quæso, Quæ vnquam est ratio a priori, cur Natura tantopere vacuum abhorreat?

Variæ solent asportari huius rei rationes, sed duæ videntur magis genuinæ. Vna est dependentia huius inferioris Mundi a superiori: Quippe Mun-
VII. dus hic inferior *est quodammodo continuus lationibus superioribus, vt omnis huius vis & virtus inde gubernetur*, ex primo de Meteor. cap. 2. de qua re multa dixi in opere de Meteor. sect. 4. & inde. Si autem esset vacuum, hæc dependentia affatim euerteretur: Haud enim possent cælestis vis, atque influxus per vacuum deferri. Hinc Arist. in secundo de Anim. tex. 74. iure merito carpit Democritum asserentem, quod si medium inter oculum, & rem visam esset vacuum, nos videremus illam quantumcunque esset minima, & in quacunque distantia: *vt si formica esset in Cælo*, & totum hoc spacium intermedium esset vacuum, nos exquisitè illam videremus. Hoc, inquit Arist. est impossibile, quoniam visio, & omninò omne sentire fit per quandam passionem: Si autem esset vacuum, nulla passio posset euariari in sensu. Cur? quia huiusmodi passio fit in visu V. G per actioné coloris, siue per speciem visibilem ab obiecto ad aspectum delatam: Per vacuum autem nihil posset ad sensum deferri. Et propterea *vacuo facto, nedum exquisitè, sed omninò nihil videbitur*. Si igitur per vacuum neque passio perfectiua, quę minima est, esse potest, neque species visibilis deferri, multo minus poterit vis, & influxus cæli difundi in hæc inferiora, si sit vacuum. Scio nonnullos, rationem depromptam ex dependentia & influxu cælesti in hęc inferiora vellicare, inter quos est Arriag. disput. 14. sect. 11. cuius deinde obiectiones P. de Ouiedo contr. 15 punct. 12. appellat *inermes*. & meritò: nam supradicta ratio est optima.

Altera ratio est ipsa perfectio Vniuersi, quam quidem cuncta omninò entia veluti Vniuersi germanæ partes naturaliter satagunt. Porrò perfectio VIII.
Vniuersi est, vt sit totum, integrum, perque suas partes vnitum atque connexum: Quocirca magna esset eius imperfectio, si vnquam reperiretur disiunctum, & quasi discissum ac distruptum. Quæ quidem disiunctio interueniret necessario in Vniuerso, si sit vacuum. Cum itaque omnia entia naturalia intimè ordinentur ad perfectam Vniuersi structuram, & ad ipsius complementum, quoniam hoc est bonum commune: *commune autem bonum est maius, pulcherius, & diuinius*, ex primo Ethic. cap. 2. rationi apprimè consentaneum est, vniuersam Naturam, omniaque corpora naturalia vnicè conspirare ad euitandum a natura vacuum. Hinc habes, nec de facto in rerum natura esse vacuum: neque virtute naturali esse possibile. Enimuerò si Natura posset vnquam vacuum efficere, non ita illud abhorreret.

Ast hic duo suboriuntur quæsita. Quando corpora naturalia grauia ascendunt, aut leuia descen- IX.
dunt, ne interueniat vacuum, huiusmodi actiones nimirum ascensus, & descensus, sunt ne iis corporibus naturales, an violentæ? Non videntur naturales, quoniam vnius corporis simplicis vnus duntaxat motus est naturalis, vt demonstrat Philosophus in primo de cælo. Grauium autem naturalis motus est descensus: & leuium ascensus: non ergo illæ actiones sunt naturales. At neque sunt violentæ, quia dicta corpora non ascendunt a principio extrinseco, sed a se ipsis, vt cernis in aqua ascendente.

Dicendum est: corpora naturalia gemino modo considerari. Primò, quatenus sunt quædam entia particularia, prædita tali natura, ac tali particulari inclinatione. V. G. quod aqua sit tale ens graue: ignis autem tale. Secundò considerantur, qua sunt genuinæ Vniuersi partes, naturaliter ordinatæ ad perfectionem, & complementum ipsius. Primo modo ascensus in aqua est violentus, cum fiat pręter particularem eius propensionem. Secundo autem modo est naturalis, quia vnicuique parti naturale est, ferri ad conseruationem, & perfectionem sui totius. Perfectio verò Vniuersi exigit, ne admittatur vacuum.

Alterum

X. Alterum quæsitum est, quænam est causa efficiens dictarum actionum, quando corpora agunt vt partes Vniuersi, V. G. quando aqua ascendit ad impediendum vacuum?

De hac re plurimi extant dicendi modi, vt videre est apud PP Compluten. disput. 20. quæst. 1. Ruu. in tract. de natura vacui quæst.1. Raph. Auers. quæst 27. sect. 8. Barth. Amic. tract 21. quæst. 3. Mastr. & Bellut. disput. 12. quæst. 2. Arriag. disp. 14. sect. 2. Ouiedo controu. 15 punct. 12. qui adhuc in assignanda propositi theorematis causa multi, & inter se contrarij sunt. Ego existimo, quod causa effectiua horum effectuum vna est ipsum agens, quod diuellit corpus a statu suo naturali, in quo, nisi aliud corpus succedat, illicò consequitur vacuum; veluti ille qui a fistula ore attrahit aerem, & facit ascendere aquam. Altera causa est, quoniam corpora naturalia, quamuis ipsa sint diuersæ ac discrepantis naturæ, nihilominus in vno Mundo omnia quodammodo censentur continua. Sic etiam loquitur Arist. in primo Meteor. cap. 2. inquiens Mundum hunc inferiorem esse *quodammodo continuum lationibus superioribus*. Quocirca sicut in homine V. G. existente continuo, qui trahit vnam eius partem, concomitanter trahit & vicinam, & alias eiusdem partes, ita qui trahit per fistulam aerem, consequenter attrahit & aquam illi proximam, &, vt dixi, continuam.

Tertia causa est naturalis quidam, & occultus partium inter se consensus, quatenus vna naturaliter compatitur alteri; & quasi accurrit ad ferendum illi opem.

Quarta est naturalis inclinatio omnium partium respectu totius Vniuersi, quatenus omnes naturaliter concurrunt ad illius perfectionem, quæ tum in alijs, tum in hoc consistit, vt sit totum, integrum, & sine vacuo, quemadmodum superius dixi.

Adducta, & depulsa nonnulla argumenta pro vacuo.

XI. Pparentiora argumenta pro vacuo in natura concedendo adduxit, & dissoluit Arist. vt in textuum expositione vidimus, quæ hic repetere, omninò foret ab re. Argumentum enim de cineribus in vasa aquæ plenum iniectis, diluit in tex. 63. Aliud autem, quod quando aliquid corpus mouetur, aut recipitur in pleno, aut in vacuo, Si in vacuo, ergo vacuum iam datur; Si in pleno, ergo corpus penetrat corpus, soluit in tex. 62. Aliud, quod si non est vacuum, non erit rarefactio, & condensatio: His autem non existentibus, necessatio aut motus non erit, aut corpus penetrabit corpus, aut totum Vniuersum fluctuabit, explicauit in tex. 83. ex quorum solutionibus alia quoque complura argumenta, quę ab alijs in proposito adduci solent, facile reijciuntur: Lubeat tamen aliqua alia expresse subijcere, & dissoluere.

Arguitur itaque primò. Si accipias vas aqua calida plenum, atque accuratè obtures, & ad locum congelationis exponas, illa aqua congelabitur: ac proinde constringetur: ergo inter aquam congelatam, & concauam vasis superficiem remanet vacuum. XII.

Ad hoc dixerunt aliqui, aquam in illo casu haud posse congelari, ne detur vacuum: Quæ quidem responsio non est vera, quia exponi potest ad locum frigidissimum. Aiunt alij, quod tunc frangeretur vas. Quæ etiam assertio est falsa, quia potest fieri vas ex metallo firmissimo.

Respond. igitur, quod aqua vtique congelaretur, ac proinde condensaretur, sed ne ibi interueniat vacuum, emitteret tenues quosdam vapores, qui loco aeris flatent, & intercederent inter aquam congelatam, & superficiem vasis, quemadmodum interuenire cernimus in ouis, quorum ablumen arctatur: & nihilominus tenuissima quædam euaporatio intercedit inter ablumen, & corticem.

Secundò arguitur. Sit lucerna ad modum turtis efformata, cui ad latus ponticulus adiacet, quæ flexa impleatur oleo: deinde erecta (non enim effluit oleum, ne detur vacuum) accendatur: Flammula paulatim absumit oleum existens intus: nec potest illuc ingredi vllus aer: vnde enim ingredietur? ergo intra dictam lucernam actu erit vacuum. XIII.

Respond. Primùm aerem, qui intra eam lucernam erat relictus, attenuari: & sic implere illud spacium. Deinde, ex illo eodem oleo caloris vi resoluuntur, ac eleuantur tenuissimi quidam vapores, qui itidem implent. Addo, quod illuc etiam subintrat modicus quidam aer per illud ipsum foramen, per quod oleum egreditur; quod tunc præsertim fit, cum oleum in ponticulo existens a flammula absumptum deuenit ad extremam foraminis oram. Quem quidem aeris ingressum sensatè animaduertes, si tunc inclines lucernam ad ponticulum, vt oleum effluat: Quippe videbis tunc commoueri oleum ab aere ingrediente.

Tertiò arg. Sint duæ tabulæ alicuius amplę molis, exactissimè complanatæ ac leuigatæ, quæ quidem ita se contingant, vt intra eas nihil omninò aeris intercedat. Quod euidentius fiet, si vna tantum illarum apponatur superficiei aquæ. Tunc potiò nihil penitus aeris inter superficiem aquæ, & superficiem tabulæ inerit. Attollatur deinde celeriter altera ab altera, aut ab aqua æqualiter secundum omnes partes. Tunc in medijs illarum tabularum partibus, saltem per aliquod exiguum tempus erit vacuum. Quid ita? quia aer nequit illuc XIV.

deuenire

deuenire nisi per motum localem: Hic autem fit in tempore.

Et si dicas, dictas tabulas haud posse simul & æqualiter secundum omnes partes attolli, sed eleuari primò vnam extremitatem, per quam actutum influit irruitque aer, non euades difficultatem. Enimuero cum attollitur vna tabulæ extremitas, profectò eleuatur reliqua tota tabula, cum sit continua: Vt autem aer pertransiat ab vna extremitate vsque ad aliam, requiritur pluseulum temporis: vnde in vltima extremitate erit vacuum in aliquo tempore. Idem argumentum conficitur, si lapis valido securis ictu planè in duas partes subito discindatur: illuc enim nequit aer statim subintrare.

XV. Respond. ac primò quidem vix, aut nullo pacto credo posse tabulas alicuius magnitudinis adeò affabrè læuigari, & complanari, vt inter eas sa se contingentes nullus omninò interueniat aer, sed semper aliquis intermediat. Veruntamen demus casum, qui certè apparet in secundo exemplo de tabula aquæ applicata. Tunc dico, vnam tabulam minimè posse ab altera, siue a superficie aquæ æqualiter secundum omnes sui partes statim seiungi, sed necessariò tabula aleuabitur ab vna parte, & eleuatio fit successiuè, & in tanto tempore, quanto sufficiat, vt circunstans & affusus aer subiottet. Et si volueris dictam tabulam Mathematico aliquo instrumento secundum omnes eius partes æqualiter subitoque ab aqua eleuare, videbis aquam fixè adhærescere tabulæ, & aliquo vsque attolli, atque restringi: & quando incipit subingredi aer, tunc aqua præceps deorsum ruit, quemadmodum superius dicebam de cyatho.

Eadem ratione lapis, quod erat alterum exemplum in eodem argumento, nunquam potest in duas medietates in instanti discindi, sed scinditur successiuè, & in tempore. Quo fit vt successiuè etiam subintret circunstans aer inter partes scissas. Dic age, si lapis ille scinditur per motum localem, & partea eius debent separari per motum itidem localem, ac proinde successiuè, cur non potest aer subingredi successiuè?

XVI. Quartò arg. Sit hic ignis tripalmaris, & conuertatur immediatè in terram: Detur nunc huiusmodi immediatus transitus inter elementa non symbola, de qua re in secundo de Ort. & interdicetur. Ignis ille occupet locum vt centum: Terra autem ex illo igne facta occupet locum vt vnū: maximè si supponas tritam illam inter elementa proportionem, quod gotta terræ facit decem guttas aquæ, & gutta aquæ decem guttas aeris, & ita deinceps, de qua dixi in opere de Meteor: ad cap. 3. Tunc ita perstringo. Illa mutatio ignis in terram, cum sit corruptio substantialis vnius, & generatio alterius, fit in instanti. ergo in instanti locus vt centum fit locus vt vnū. ergo ibi in spacio illo intermedio a centum ad vnum necessario est vacuum per aliquod tempus, saltem exiguum. Hæc conseq. deducitur euidanter, quia ibi non est terra: hæc enim occupat locum vt vnum. Non est ignis, quia hic iam est corruptus. Non est aer, quoniam hic debet ingredi per motū localem, qui fit in tempore, ergo in aliquo exiguo tempore ibi est vacuum.

Respond. quod Elementa in Mutua sui transmutatione miram in modum afficiuntur a dispositionibus eorum, in quæ transmutantur: & id XVII. quod debet in aliud conuerti, quodammodo accōmodatur naturæ illius, in quod debet conuerti. Ratio est, quia licet generatio fiat inter contraria, tamen contrarium rei generandæ vincit. Propterea quando ignis debet conuerti in terram, condensatur quantum eius natura ferri potest. Ita etiam terra, in quam conuertitur, in illo primò producitur ea raritate affecta, quam eius natura ferre valet. Vnde in generationa terræ ex igne, hæc elementa ita mutuo accommodantur, vt nullum relinquatur spacium vacuum.

Ad extremùm. Datur in natura plenum: quare & vacuum. Conseq. prob. quia, auctore Philosopho cum alibi sæpe, tum in secundo de Cælo tex. 18. *contrarium si alterum natura est, necesse est & alterum esse natura*. Item, a propositione de tertio XVIII. adiacente benè infertur propositio de secundo adiacente. V G. homo est albus, ergo homo est. At vacuum est locus priuatus corpore, hæc est propositio de tertio adiacente. ergo benè potest inferri propositio de secundo adiacente, vacuum est.

Ad 1. nego conseq. ad probationem dico, Stagiritæ effatum habere locum in contrarijs, quorum virumque dicit perfectionem: non autem in contrarijs priuatiuis. Sicut non valet, datur finitum, quare & infinitum. & datur summum bonum, quare & summum malum.

Ad 2. responsio est, quod tunc propositio de secundo adiacente infertur ab ea de tertio adiacenta, quando est in materia contingenti: non verò quando est in materia necessaria: vt non valet, Adam est homo, ergo Adam est. Quod verò vacuum sit locus priuatus corpore, est in materia necessaria, cum sit vacui definitio.



SECTIO SECVNDA.

Vtrum virtute diuina, tum virtute Angelorum, vel Dæmonum possit in natura causari vacuum,



XIX. Vidam auctores vsqueadeo abhorrent vacuum, vt asseuerent, neque virtute diuina id posse dari; sed si Deus auferret aerem V. G. ab hoc cubiculo, necessario aut illicò deberet aliud corpus hue succedere, aut statim latera huius cubiculi in vnum ruent, penitusque constringentur, ne intra se intercipiant vacuum. Quia, inquiunt, corpus medium facit latera corporis continentis distare formaliter: Implicat autem dari effectum formalem sine sua causa formali.

Nihilominus in opposito stat communis Doctorum mens, quæ ita sancit, quod loquendo de potentia Dei ordinaria, non potest dari in Mundo vacuum: loquendo autem de eius potentia absoluta, absque vlla hæsitatione potest dari.

Et quod secundum potestatem Dei ordinatam nequeat vacuum in rebus induci, ex eo constat, quia per hanc potentiam Deus ea solummodo facit, quæ conueniunt Vniuerso, & rebus in eo existentibus secundum communem earundem cursum, & ordinem præfixum a diuina sapientia. Atqui ordo Vniuersi, & cursus rerum ita a Deo constitutus, respuit vacuum, vt in sect. præced. ostensum est. quare secundum ordinariam Dei potentiam nequit in natura induci vacuum.

Quod verò, si Deus voluerit, siue secundum absolutam suam vim, possit id efficere, manifestum

XX. est, Tum quia potest Deus annihilare cuncta elementa, & omninò omnia corpora sublunaria, conseruando Sphæras Cælestes: Tunc isthuc spacium esset propriè vacuum. Tum etiam, quia potest Deus annihilare elementum ignis, quod supra omnem aerem sub concauo Lunæ degit; & quoniam tunc reliqua elementa concurrerent ad implendum illud vacuum, potest Deus suum concursum denegare, ne illuc confluant: quare locus ignis verè remanebit vacuus.

Fundamentum autem, & assumptum illud præcedentis opinionis, quod videl. corpus medium facit latera corporis continentis distare formaliter, est falsum, quia destruit ipsam vacui definitionem, quæ asseuerat, vacuum debere esse locum, siue latera corporis continentis, intra quæ quidem latera nihil sit. Hæc de Deo.

Maior agitatur difficultas, an virtute Angelica valeat in Mundo aliquo pacto causari vacuum. Vna quidem ex parte multi affirmant; XXI. qui tamen ita distinguunt. Vniuersum duobus modis considerari potest: Vno quidem ex parte ipsorum entium, naturalium quę constituunt Vniuersum, & suis viribus concurrunt ad euitandum vacuum. Altero autem modo considerari idem Vniuersum ex parte ordinis decreti a Deo, & constituti in eo ipso Vniuerso, vt nimirum tali & tali modo sit, & conseruetur. Tunc subdunt, quod si res spectetur priori modo, potest Angelus causare vacuum impediendo motum alicuius corporis concurrentis implere vacuum: ita etiam potest Dęmoo. Si autem spectetur posteriori modo, non potest. Ita cum Scot. in 4. distin. 43. quæst. 5. docent multi, & copiosè Mastr. in disput. illa 12. quæst. 1. conclus. 2.

Alij absolutè negant, posse vlla virtute creata effici in rebus naturalibus vacuum. Hæc sententia est communis Doctorum, & tenenda. Ac primò quidem colligitur ea S. Thom. XXII. quæst. 16. de malo art. 10. ad vlt. quo loci edisserens de virtute naturali Dæmonum, hæc scribit. *Licet dæmones possint mouere aliquam partem terræ, non sequitur, quod possint mouere totam terram, quia hoc non est proportionatum naturæ ipsorum, vt mutent ordinem elementorum Mundi.* Vbi perpende primò, quod si Dæmones non possunt virtute sua naturali ordinem elementorum mutare, ergo neque Angeli possunt: quia certum est, haud esse minorem Dæmonum, quàm Angelorum vim, cum naturalia illorum post peccatum remanserint integra, vt est communis Theologorum consensus, & docet S. Thom. in prim. part. quæst. 64. art. 1. Perpende secundò, quod S. Doctor non ait, Dæmones non posse vniuersam terram mouere, ob ipsius magnitudinem, aut grauitatem, sed quia excedit naturam illorum *mutare ordinem elementorum Mundi.* Atqui causare vacuum est mutare ordinem elementorum, & rerum quæ in Mundo sunt, quare Angeli, & Dæmones virtute sua nequeunt inducere vacuum. Huic assertioni mirificè consonat illud D. Paul. ad Hæbreos 2. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ.*

Præterea, Ille solus potis est Naturæ ordinem immutare, qui est Naturæ auctor. Manifestum XXIII. autem est, quod solus Deus Opt. Max. est opifex, parens, & auctor Naturæ, nulla verò creatura fuit Deo consors in condenda Natura: Hinc Iob exclamat. *Quem constituit Deus alium super terram, aut quem posuit super Orbem, quem fabricatus est?* Solus igitur Deus potest, nulla autem creatura immutare Naturæ ordinem, & inuehere vacuum in Natura.

Sed

Sed obijcies. Ad causandum vacuum sufficit vis finita. Quod sic ostendo. Conetus, qué corpus naturale addit, ne fiat vacuum, V. G. quando aqua ascendit per fistulam, attracto ex ea aere, est finitus, procedit enim a re finita & exigua: Sed ad impediendum conatum finitum sufficit finita virtus agentis: ergo Angelus potest impedire hunc conatum, & ascensum aquæ, & ita tunc causabit vacuum.

Negandum est assumptum. Ad probationem dico, quod licet ille conatus aquæ in se spectatus sit finitus, nihilominus dicit habitudinem ad ordiné, & dispositionem Vniuersi: propterea nequit impediri nisi ab ipso Domino Vniuersi.

XXV. Obijcies 2. Nam licet *materia corporalis non obediat Angelis ad nutum*, vt docet S. Thom. in prim. part. quæst. 110. art. 2. attamen corpora naturalia obediunt illis quantum ad motum localem, vt tradit idem S. Doctor in art. 3. eiusdem quæst. ergo Angelus poterit pro arbitratu suo & mouere corpora naturalia, & hæc ipsa e suis motibus præpedire: poterit igitur impedire motum aquæ per fistulam ascendentis, & sic causabit vacuum.

Responsio est, quod Angeli vtique possunt mouere localiter corpora naturalia, & ex ipsa a suis motibus præpedire, quando motus eorum ordinantur ad commodum, vel incommodum particulare alicuius corporis: cæterùm non possunt in motibus, qui spectant bonum, aut malum commune, videl. perfectionem, vel mutilationem totius Vniuersi, quoniam id spectat ad agens ordinis superioris.

SECTIO TERTIA.

Vtrum si esset vacuum, posset in eo fieri aliquis motus: Et si fieret, fieretne in tempore, an in instanti.



XXVI. Lia quæstio est, vtrum, posito vacuo, possit in eo fieri motus: Alia, vtrum admisso vacuo, & concesso quod in eo fieret motus, ille fieret ne in tempore, an in instanti: Quocirca non rectè aliqui hasce duas quæstiones in vnam confundunt. Nos primò dirimemus priorem, de que variæ extant opiniones. Negant Simplic. in hoc lib. tex. 71. & 75. Auers. tex. 72. Albet. itidem in hoc lib. tract. 2. cap. 7. Iandun. quæst. 18. Perer. lib. 11. suæ Phys. cap. 12. Thom. Gian. lib. 7. Phys. cap. 24. Valles. contr. 26. & alij. Quamuis deinde inter se dissideant. Nam aliqui absolutè negant omnem omninò motum: alij negant motus naturales grauium & leuium: alij solum motum localem, alij alio modo philosophantur.

Alij e regione tuentur, quod si esset vacuum, minimè repugnaret in eo fieri motum. Ita Philopon. in hoc lib. tex. 75. & in digress. de loco. Auempace, referente Auerr. in tex. 71 S. Thom. tex. 72. & in 4. sent. distin. 44. quæst. 2. art. 3. Scot. in 2. distin. 2. quæst. 9. & est communis sententia inter expositores Arist. PP. Conimbr. hic cap. 9. quæst. 4. art. 5. Complouten. dispot. 20. quæst. 3. Auers. quæst. 27. sect. 9. Ruu. tract. de vacuo, quæst. 3. Mestr. disput. 12. quæst. 3. Arriag. in Phys. disput. 14. sect. 11. Ouiedo itidem in Phys. contr. 15. Punct. 12. XXVII

Ostenditur, quod in vacuo fieret motus: & quisnam?



I tem, alioquin inter Doctores implicatam, penitus intelligere volumus, omnes motus species singillatim expendamus necesse est. Dico itaque primò. Si daretur vacuum, & poneretur ibi aliquans, & illi debitè & immediatè applicaretur combustibile, posset in illo vacuo fieri alteratio, & generatio, & corruptio. XXVIII

Probo. Si in vacuo constitueretur, & conseruetur ignis, & illi immediatè applicetur lignum, ille ignis combureret tale lignum. ergo ibi esset alteratio, calefactio; & esset corruptio ligni, & generatio noui ignis. Assumptum ostendo, quoniam Natura in vacuo euidè amplecteretur omnem omninò modum, quo melius ac facilius posset illud vacuum implere. Sed per illam combustionem suppeditatur modus aptus ac facilis replendi aliquo pacto illud vacuum, quare tunc ignis combureret. Minor prob. quia illud combustibile ex eo quod combureretur, & conuerteretur in ignem, occuparet longè maiorem locum, quàm occupabat prius: quandoquidem lignum factum ignis plurimum rarescit, ergo magis repleret: proinde omninò fieret talis combustio.

Consultò dixi, *si igni debitè & immediatè applicetur* combustibile, nam si ignis aliquantum a ligno distaret, nulla ratione posset illud calefacere, quia calor ignis, vipote accidens, haud posset deferri per vacuum, cum ibi nullum suppetat subiectum, in quo inhæreat queat.

Dico 2. Dato quod homo viueret in vacuo, & comederet, ac biberet, posset naturaliter moueri motu augmenti, siue augeri, non posset autem decrescere, ac diminui.

XXIX. Prior pars prob. Omne corpus in vacuo constitutum naturaliter dilataretur quantum eius natura, & quantitas sufferre valet, vt magis, ac magis vacuum illud impleret. Sed augmentatio, vt explicat Aristot. in primo de Ort. & inter. a tex. 32. est quædam dilatatio quantitatis secundum omnes partes corporis viuentis; *videtur enim eius, quod augetur, quæcunque pars aucta esse.* ergo talis motus augmentationis naturaliter fieret in vacuo.

Posterior verò assertionis pars est etiam manifesta, quoniam restrictio repugnat rationi vacui, cum per illam fiat maius vacuum: sed decrementum est quędam restrictio quantitatis secundũ omnes partes viuentis, ergo repugnat in vacuo fieri decrementũ.

Quod si obijcias. Influxus cælorum sunt omninò necessarij ad quemcunque motum corporum sublunarium, vt colligitur ex lib. octau. huius operis tex. 56. & primo Meteor. cap. 2. At influxus

XXX. Cælorum non possent per illud vacuum transmitti, & peruenire ad illa corpora, in vacuo constituta, quare in illo vacuo neque motus alterationis, neq; generationis, neque nutritionis, neque alius vllus motus posset fieri. Minor prob. quia influxus non possent per vacuum deferri, cum sint quædam accidentia, & ibi nullũ sit corpus, in quo recipi queant.

Occurrendum est, quod necessitas Vniuersi, & conatus ipsiusmet Naturę implendi vacuum, includit vices influxus cælestis, atque exuperat necessitatem talis influxus. Vbi enim ingruit maior necessitas, cedit minor. Sic ergo in casu proposito absque actuali influxu cælesti possent præfati motus celebrari.

De motu autem locali sic existimo. Primò gra-

XXXI. uia, & leuia secundum se tota, posita in medio vacuo nullo modo mouerentur motibus suis naturalibus. Ita docuit Arist. in tex. 64. Et ratio est euidens, quoniam ista suis motibus naturalibus feruntur ad proprias differentias loci, videl. grauia quidem deorsum, leuia autem sursum. Atqui in vacuo nulla vnquam supperit loci differentia. Siquidem *nulla est differentia secundum vacuum, & infinitum. Quatenus enim infinitum est, nihil erit sursum, aut deorsum, aut medium: quatenus verò vacuum, nihil differens erit sursum a deorsum.* inquit Stagirites in tex. 67. Deinde, Natura nihil aggreditur agere, quod non possit peragere: in vacuo autem non posset quicquam quiescere, cur etenim in hac potius, quàm in illa vacui parte quiesceret? neque igitur inciperet moueri.

Hæc intelligo de vacuo interminato ac infinito,

XXXII eiusmodi erat quod a plerisque Veterum ponebatur: de quo procedit ratio nunc confecta: & ita eam intelligit Arist. Si autẽ sermo sit de vacuo terminato, V. G. si Deus annihilet elementum ignis, aeris, & aquæ: conseruet autem sphæras cælestes, & terram, quod quidem spacium inter cælum, & terram esset vacuum, tunc in Vniuerso absolutè essent differentiæ loci. Varè quippe terra esset medium Vniuersi, & motus ad eam tendens esset ad medium: & Sphæræ Cælestes essent extremum, & motus ad eas esset a medio. Si, inquam, de hoc vacuo sermo sit, adhuc dico, quod grauia, & leuia constituta ab aliquo agente in vna quapiam parte illius vacui, non mouerentur, neque deorsum, neque sursum: Hoc autem facerent, non propter rationem nunc ex differentijs loci adductam, sed ne de nouo causarent vacuum.

Existimo 2. quod nullum corpus, siue graue, siue leue, positum in medio vacuo, siue terminato, siue interminato, posset moueri localiter secundum se totum, relinquendo post se vnam partem vacui, & acquirendo aliam.

Ratio huius est, quia si ita mouerentur, causaret de nouo vacuum. Quippe corpus existens in me- XXXIII dio vacuo replet aliquam eius partem: ergo si ex illa moueretur secundum se totum localiter, partem, quæ ab illo implebatur, relinquit vacuam: & ita de nouo causabit vacuum. Hoc autem repugnat: ergo &c.

Hinc deduco, quod homines, & cætera animantia, si esset vacuum vbi nunc est aer, neutiquam possent progredi, nec de loco in locum super terram incedere.

Deduco præterea, quod in vacuo non posset fieri vlla proiectio. Si namque existens in vacuo non possat moueri, quomodo proijceret? proinde cessat motus proiectorum in ipso vacuo. Quod si quispiam existens extra vacuum immitteret sagittam in ipsum vacuum, aut veheret aliquid in ipsum vacuum, illa sagitta, & res vecta deferretur vsque ad vacuum, & vbi tota ingrederetur in vacuum, sisteret; quamuis in ea adhuc vigeret impulsus proijcientis: quia maior est necessitas ne causetur vacuum, quàm sit impetus proijcientis. Ita intelligo Aristotelis locum in tex. 68. huius lib. qui cum dixisset, quod in vacuo proiecta non mouerentur, quia nunc ea mouentur, eo quod impulit, non tangente, aut propter contrarij circumobsistentiam, vt aliqui dicunt, aut ex eo, quod pellit pulsus aer motu velaciori, quàm sit pulsi latio, qua fertur in proprium locum, subdit, *in vacuo autem nihil horum potest esse: neque enim ferri est, nisi ī (audi) vt quod vehitur.*

Consultò itaque in conclus. dixi, quod mobile XXXIV. minimè posset moueri relinquendo vnam partem vacui post se: Nam si non relinquat, sed totum concurrat ad implendum vacuum, profectò potest naturaliter moueri, & de facto ac necessario mouetetur. V.G. si hæc aula sola esset vacua, eleuarentur sua sponte grauia circumiacentia; & descenderent leuia, atque omnia illuc irruerent, ad implendum hanc aulam. Ita si Deus, quod est cõmune Doctorũ exemplum, faceret foramen in superficie terræ vsq; in centrum illius; & illud conseruaret vacuum,

aqua

aqua ex aliquo fluuio successiuè deflueret vsque ad centrum terræ propter duplicem inclinationem, tum quia est grauis; tum quia concurreret ad implendum vacuum. Hæc de motu physico ac mate-
XXXV riali.

Demum de actionibus immanentibus in vacuo sic censeo. Homo positus, & per impossibile, (nam sine inspirato aere quomodo posset viuere?) conseruatus, posset intelligere, velle, ratiocinari, phantasiari, meminisse; quoniam istæ actiones non dependent a loco, neque a pleno, aut a vacuo.

Præterea posset exercere sensationes tactus, & gustus, cum sibi applicaret tangibile, & gustabile. Ratio est, quia isti sensus non exigunt medium externum, per quod recipiant species sensibiles, vt cum Arist. diximus in secundo de Anim.

XXXVI Non posset autem videre, vt ita expresse docet Philosophus in secundo de Anim. tex. 74 contra Democritum. Et ratio in promptu est, quia visio fit per medium externum, per quod deferuntur species visibiles ab obiecto productæ, & in medio perspicuo tanquam in subiecto receptæ. In vacuo autem nullum adesset medium, siue subiectum.

Ob hanc eandem rationem non posset audire, quoniam species audibiles nullæ pertingerent ad auditum. Neque posset olfacere, siquidem etiam olfactus exposcit aliquo pacto medium separatum. Si autem odoroso illi corpori naribus admoto applicaretur aliquod agens, quod illud resolueret in vapores, & fumidam quandam exhalationem, quæ quidem ingrederetur nares, & ad caruncolas illas mamillares, seu papillares, quæ est sedes olfactus, perueniret, tunc fieret olfactio.

SECTIO QVARTA.

Si motus fieret in vacuo, fieret ne in tempore, an in instanti?

XXXVII. 

Vctores in sect. præced. pro prima opinione relati, consequenter in eo suo sententia, quod si in vacuo fieret motus, ille esset in non tempore, siue in instanti: Congerunt autem multa argumenta, sed præcipua sunt hæc.

Argumenta, quod motus in vacuo fiat in instanti.



Rimò. Tota successio, & differentia velocitatis, ac tarditatis motus localis prouenit ex diuersitate medij, quia minus, aut magis resistit. Siquidem per medium rarius ac subtilius mobile velocius fertur; per medium autem densius ac crassius fertur tardius, vt vides in lapide qui longè citius per aerem, quàm per aquam descendit. Quin verò, quod corpus grauius descendat citius, quàm aliud corpus minus graue, & quod mobile leuius ascendat celerius, quàm aliud minus leue, id quoque ex eodem medio oritur, quia videl. corpus grauius facilius ac velocius scindit medium, quàm faciat corpus minus leue, ergo vbi nullum penitus est medium, ac proinde nulla omninò resistentia, vt contingit in vacuo, ibi motus fiet in instanti.

Confirmant præfati auctores adnotando, quod resistentia alia quidem est intrinseca ipsi mobili, alia est extrinseca: at in vacuo mobile nullam haberet resistentiam, neque intrinsecam, neq. extrinsecam: quare non moueretur successiuè, sed in instanti. Maiorem declarant. Resistentia intrinseca adhuc est duplex: Vna quidem oritur ex eo quod mobile habet inclinationem naturalem ad motum contrarium, aut diuersum illi motui, secundum quem mouetur, & in quo dicitur resistere. V. G. quando animal mouet corpus per saltum sursum, aut in transuersum; in eo motu corpus dicitur resistere, quia naturaliter inclinatur ad motum deorsum. Altera resistentia intrinseca eidem mobili non oritur ex inclinatione contraria mobilis, sed ex eo quod mobile habet naturalem potentiam, vt tanta, & non maiori, aut minori celeritate moueatur, id quod ei competit propter determinatam perfectionem, aut magnitudinem, quam habet: ita mouetur hoc aut illud Cælum, tali vel tali velocitate. Resistentia verò extrinseca proficiscitur ex eo, quod est extra ipsum mobile. Hoc autem est medium, quod cum sit plenum aliquo corpore, resistit ipsi mobili, quod per illud fertur; & resistit magis, aut minus pro sui diuersitate. XXXVIII.

Minor etiam prob. In vacuo non est resistentia interna: Nam accipio corpus simplex, veluti terram, hæc non habet resistentiam intrinsecam ne in pleno quidem, ne dum in vacuo. Probant, quia si corpus simplex vllam haberet resistentiam intrinsecam, ea sanè vel oriretur ab eius materia, & hoc esse nequit, cum materia sit indifferens ad quemlibet motum: vel oriretur à forma, & hoc etiam

statui

stasui nequit, quia cum forma sit principiũ motus, resisteret ipsa sibi in eo moto, quem facit. Tota itaque resistentia in motu corporum simplicium est ab extrinseco. Sed in vacuo nulla esset resistentia extrinseca, cum ibi nullum sit medium, sed sit purum nihil, ergo nulla etiam esset successio motus.

XXXIX. Secundò arguitur. Arist. cum vellet ostendere, vacuum non modo non esse necessarium ad exercendum motum, quemadmodum Veteres illi opinabantur, sed si sit vacuum, in eo non posse fieri motum, id probat, quia motus in vacuo esset in non tempore. Quod hac quoque ratione confirmat. Proportio motus ad motum in velocitate, ac tarditate respondet proportioni medij ad medium in subtilitate, ac crassitia: Sed vacui, per quod fieret motus, ad plenum, nulla est proportio, quandoquidem non entis, cuiusmodi est vacuum, ad ens nulla est proportio, ergo neque est vlla proportio motus facti in vacuo ad motum factum in pleno. Tunc subdit: Sed si motus factus in vacuo, fieret in aliquo tempore, & non in instanti, tunc ille haberet aliquam proportionem cum motu facto in pleno. Cur? quia omnis motus successiuus habet aliquam proportionem cum alio motu successiuo, sicut omne tempus, in quo fit, habet proportionem cum quolibet alio tempore. ergò motus in vacuo non fieret in tempore, sed in instanti.

XL. Tertiò. Si motus in vacuo fieret in tempore, ergo posset aliquod mobile, æquali tempore, imò etiam in minori tempore pertransire aliquod spacium plenum, ac pertransit spacium vacuum. Hoc verò inopinabile est: quare impossibile est, motum in vacuo esse in tempore. Consecutio prob. Si lapis per spacium vacuum centum stadiorum descendit in tempore V. G. in vno quadrante horæ: & per aliud spacium itidem centum stadiorum aere plenũ descendit idem lapis in spacio vnius horæ: Si aer huius medij efficiatur quadruplo subtilior, lapis per illud spacium aere plenum descendet in vno quadrante: Et si aer ille adhuc reddatur aliquanto subtilior, lapis in minori mora descendet per plenum, quàm per vacuum. Quæ cum impossibilia sint, omninò fatendum erit, motum in vacuo non fieri in tempore.

Declaratur veritas: & obuiam itur nunc confectis argumentis.



XLI. Ommunia nihilominus, & vera sententia est, quod motus ille, qui supponitur fieri in vacuo, re vera esset successiuus, & in tempore. Quæ quidem assertio vel hac vna sensata ratione euincitur. Sit vacuum a concauo Lunæ ad terrã vsque: si motus per illud spacium foret in instanti, sequitur, palmarem lapidem per illud spaciũ dimissum, simul occupare totum isthuc spacium a Cælo vsq; ad terram porrectum. Hoc autem vel captu est impossibile. Consecutio verò prob. Si totus hic motus a concauo Lunæ ad terram vsque est in instanti, ergo lapis in eodem instanti erit in suprema vacui parte, & simul in sequenti, & insimul in media, & ita deinceps vsque ad terram: alioquin motus ille haud esset totus simul, & in instanti, sed prius esset in vna parte, postea in alia, ergo &c.

Explicatur magis. Erigatur, aut saltem imaginatione concipiatur in dicto vacuo columna: & dimittatur iuxta illam præfatus lapis. Tunc si motus illius est in instãti, necessario lapis ille palmaris corespondebit, & adæquabitur toti columnæ, totique eius magnitudini. Quod apertam dicit repugnantiam. Quis vnquam animo concipere potest, exiguum lapidem adæquari in magnitudine columnæ longitudinis immensæ? Quod si non adæquatur, ergo lapis ille in suo motu prius erit iuxta vnam columnæ partem, deinde iuxta aliam, ac proinde re vera descendit successiuè. Quæ veritas conspicatius innotescet, si argumenta in contrarium confecta dissoluamus; quare,

Ad 1. respond. quod successio, & differentia velocitatis ac tarditatis in motu vtiq; hauritur ex medio, & eius conditione, veruntamen non tota: sed hauritur etiam ex distantia & intercapedine medij, nec non ex incompossibilitate terminorum. XLII.

Pro cuius rei intelligentia scito, quod radix successionis motus, & si cum auctoribus præcedentis opinionis loqui volueris, resistentia externa in motu, non est vna, vt illi accipiunt, sed est duplex. Altera quidem accipitur ex medio, sed ista est veluti accidentalis: accidit enim quod medium sit densius, & ita faciat maiorem resistentiam, ac maiorem moram in motu: vel sit rarius, & faciat minorem resistentiam, & minorem moram in motu. Altera verò successionis radix est intima & essentialis cuicumque motui propriè dicto: Quæ adhuc desumitur ex duplici capite: Primò ex ipsa natura motus: Secundò ex conditione mobilis. Et quidem ex motu, quia cum motus essentialiter sit quidam fluxus ac tendentia a quodam, per quoddam, in quoddam, essentialiter exposcit successionem: alioquin non esset fluxus ac tendentia. Hæc autem ratio motus esset etiam in vacuo: lapis etenim in vacuo a Cælo vsque in terram dimissus, procul dubio esset a quodam, nimirum a Cælo, esset per quoddam, videl. per spacium vacuum: esset denique in quoddam, scil. in terram. Hinc cernis liquidò, quod ex hac radice in illo motu necessario est successio.

Ex conditione verò mobilis etiam oritur successio, quia cum istud debeat moueri a quodam, per quoddam, in quoddam, necessario in motu adsunt terminus a quo, & terminus ad quem: hi porrò debent esse oppositi. Et præterea est medium, quod neque est terminus a quo, neque terminus XLIII.

ad

ad quem. Implicat autem mobile esse præsens simul termino a quo, & medio, & termino ad quem: secus esset præsens, & non esset præsens: necessario igitur in alio quidem instanti mobile erit in vno, in alio verò erit in altero: Et cum inter instans & instans omninò intercedat tempus, omninò illud mobile mouebitur in tempore ac successiuè.

Hoc sibi volunt nonnulli viri docti, cum aiunt, quod præter resistentiam medij datur quædam resistentia *vnius præsentiæ cum alia præsentia*; quia scil. mobile, dum habet præsentiam in termino a quo, nequit simul acquirere præsentiam in toto medio, & præsentiam in altero extremo, quoniam vna præsentia est omninò incompossibilis cum alia. Et S. Thom. tum in hoc lib. tum in 4. sent. distin. 44. quæst. 2. art. 3. ad consimile argum. quod soluimus, *dicendum*, inquit, est, *quod quamuis in vacuo nihil sit impediens motum, non tamen potest esse motus in instanti, quia causa velocitatis, vel tarditatis motus, non est sola resistentia ex parte medij, sed etiam illa, quæ oritur ex incontingentia terminorum, qui simul esse non possunt; & ex hoc quod corpus quod mouetur, habet determinatum situm, vt contingit in corporibus cælestibus, quorum motus a nullo impeditur; & tamen eorum est determinata velocitas secundum determinatum tempus.*

Ex qua quidem doctrina conspicis, quomodo tria illa argumenta, quæ re vera sunt Aristotelis, diluan-
XLIV. tur, si de re ipsa absolutè loquamur. Arist. autem per illa demonstratiuè conuincit Veteres, quoniam illi totam motus successionem, & velocitatem, aut tarditatem opinabantur proficisci ex vna ac sola medij resistentia: aliam verò successionis, & tarditatis, ac velocitatis causam quamcunq; ignorarunt: iccircò Philosophus accipit hoc illorum fundamentum, atque infert, ergo motus in vacuo, cum nullam offendat medij resistentiam, erit in instanti: Motum autem fieri in instanti impossibile est, ergo impossibile quoque est, motum esse in vacuo. Minor, & conclusio sunt ipsius Philosophi. Vnde ex concessis a Veteribus euidenter concludit contra quàm illi asserebant; quod si non esset vacuũ, nullos esset motus: concludit, inquam, contrarium, Quocirca in tex. 66. ait, *accidit autem dicentibus vacuum esse vt necessarium ad motum, contrarium magis, si quis consideret non posse moueri quicquam si sit vacuum: non enim est quo magis, aut minus mouebitur &c.* Sic etiam patet solutio ad confirmationem ibi factam.

Ad 2. argumentum dico, quod in motibus factis in pleno, & in vacuo debet considerari successio,
XLV. quæ oritur ratione spacij, siue distantiæ: & successio quæ oritur ratione medij resistentis. Si dicti motus spectentur ratione solius medij resistentis, procul dubio nullam habent proportionem, cum media distent vt ens, & non ens: Si verò spectetur ratione spacij, ac distantiæ, necnon ratione incompossibilitatis terminorum, habent proportionem, quia vterque fit per idem, aut per aliud tantundem spacium, & vterque est essentialiter fluxus per tale spacium: accidit deinde quod illud spacium sit plenum, aut vacuum. Vnde si lapis V. G. vnius libræ debet a Cælo in terram in spacio pleno descendere in tempore centum horarum, per illud idem spacium si sit vacuum, descenderet in tempore vnius quadrantis, aut alterius similis temporis.

Ita ad 3. argum. dicendum: Nam successio orta ex spacio & incontingentia terminorum semper XLVI.
manet eadem in omni motu inuariabilis, dum idé spacium seruatur: Si autem mutetur spacium, variatur etiam successio. Quippe notabiliter breuiori tempore decurret lapis hanc aulam si sit vacua, quàm decurreret spacium a Cælo in terram vacuũ. Deinde, cum aliqua etiam successio motus oriatur ex medio; & nullum corpus possit ita extenuari, vt sit simile vacuo, secus ex toto deperderetur, manifestum est, nihil posse æquè celeriter moueri in pleno, ac facit in vacuo. Et de vacuo quidem hoc modo determinatum sit: reuertor ad Aristotelem, quare est.

C.A P V T X:

DE TEMPORE.

Textus 87. vsq; ad 97.

Dubitationes circa quæstionem an tempus sit: Et Veterum opiniones quid ipsum sit.



Emporis quoq; tractatio procul dubio ad Physicum spectat, tum quia tempus recensetur inter communes entium naturalium affectiones, L.
vtpote quod omnia mensurat: Tum quia tempus est cum motu intimè complicatum: adeò vt nonnulli Veterum non omninò a veritate remoti dixerint, tempus nihil aliud esse quàm motum. Propterea Stagirites in tex. 87. ait, *consequens esse ad ea quæ dicta sunt*, quæ videl. de loco, & de vacuo hactenus explicata sunt, *aggredi de tempore*. Hæc enim tria indicabat in tex. 2. lib. tertij, post motum, & infinitum esse pertractanda.

Proponit autem de tempore duo theoremata discutienda: An tempus sit: Et quid sit, siue quæ

sit eius

Digitized by Google

ſit eius natura. Quam quidem accipere vſq; adeò difficile eſt, vt ob eius difficultatem videantur etiam dubitari, an tempus ſit. Quocirca res rectè ſe habebit, ſi prius dubitauerimus de eo *per rationes exteras*. Nomine rationum exterarum intelligit rationes dialecticas, quæ videl. non pariunt ſcientiam, ſed ſuaſionem: & adhibentur non ad demonſtrandum, ſed ad tentandum, quemadmodum ait idem Philoſophus in quarto Metaph. tex. 6.

Prima ratio ſic formatur. Id quod componitur ex ijs quæ non ſunt, ipſum quoque totum non eſt,
II. cum vnumquodque compoſitum ſequatur naturam ſuorum componentium. Tempus componitur ex ijs quæ non ſunt. Quod ex eo prob. quia tempus componitur ex præterito, & futuro: Præteritum non eſt, ſed tranſijt: Futurum etiam non eſt, nondum enim aduenit: quare tempus componitur ex ijs quæ non ſunt: ac proinde tempus ipſum nõ eſt.

Secunda ratio, quæ etiam eſt maior declaratio præcedentis, ſic habet. Quando exiſtit aliquod diuiſibile, id eſt habens partes, dupliciter poteſt dici exiſtere. Vno quidem modo, quatenus omnes eius partes iunctim ac ſimul exiſtunt: Ita exiſtit homo, equus, domus. Altero verò, quia licet non exiſtant omnes illius partes ſimul, nihilominus exiſtit vna aliqua, ratione cuius illud totum dicitur exiſtere. V. G. concio non exiſtit tota ſimul, ſed eius tantummodo portio, deinde alia, & ita quouſque finiatur. Tunc ſubde minorem: ſed tempus eſt aliquod diuiſibile, eſt enim continuum, & non exiſtit, neque ſecundum omnes ſui partes ſimul, neque ſecundum vnam aliquam ſui partem, quia partes temporis ſunt præteritum, & futurum; & iſtæ non exiſtunt: ergo re vera tempus non exiſtit.

Occurreret fortaſſe quiſpiam, quod tempus exiſtit per ipſum Nunc: ideoque tempus perpetuo habet aliquam ſui partem præſentem, per quam etiam
III. dicitur exiſtere.

Intercludit Ariſt. hanc fugam in ſecunda parte tex. 89. *quia ipſum nunc non eſt pars*. Primò, pars repetita ac replicata menſurat totum: At Nunc, vtpote indiuiſibile, millies atque millies repetitum non menſurat tempus. Secundò, pars eſt illa, ex qua ac cæteris compartibus componitur totum: Tempus, vt in lib. ſexto demonſtratur, non componitur ex ipſo nunc, ſiue ex inſtanti. quare tempus non dicetur exiſtere per ipſum Nunc.

Vrget vlterius ingenioſiſſimè per tres contextus;
IV. & quaſi dicat: Præterea oſtendo, ipſum nunc, ſiue inſtans, quod in tempore videtur diſcriminare præteritum, ac futurum, nullo pacto exiſtere; quinimò oſtendo, ipſum non eſſe aliquid: vnde adhuc euidentius apparet, confectum argumentum manere in ſua vi, quod tempus non exiſtit. Probat autem hoc modo. Si inſtans eſt aliquid, aut eſt ſemper vnum atque idem per totum tempus, aut eſt ſemper aliud atque aliud; ita vt vno deſtructo, ſuccedat aliud: Neutrum dici poteſt: ergo inſtans non eſt aliquid, ac proinde non exiſtit.

Minorem probat: ac primò in tex. 90. quod non ſit aliud & aliud. Si in tempore eſt aliud atque aliud inſtans, aut adueniente poſteriori inſtante, corrumpitur prius inſtans, aut non corrumpitur, ſed permanet vtrumque. Si ambo permanent, ergo duo inſtantia, ac proinde duo tempora non ſubordinata erunt ſimul, veluti duæ horæ, aut duo dies: Quod omninò repugnat. Enimuerò poſſunt quidem duo tempora ſubordinata, quorum ſcil. vnum contineat, alterum contineatur, eſſe ſimul, vt modo eſt ſimul talis & hora, & dies, & menſis, & annus: Cæterum duas horas, aut duos dies ſimul exiſtere, repugnat penitus. ergo in tempore non queunt hoc modo eſſe aliud atque aliud inſtans.

Si verò adueniente poſteriori inſtante prius inſtans non permanet, ergo corrumpitur. Quod enim prius erat, & poſtea non eſt, id porrò corrumpitur. Quod ſi corrumpitur, ergo in aliquo inſtanti corrumpitur. Vel ergo corrumpitur in ſe ipſo, vel in alio inſtanti. Non in ſe ipſo, quia tunc ſimul eſſet, & corrumperetur: Si enim eſt id in quo, ergo tunc eſt. Sin autem corrumpitur, ergo tunc non eſt. Itaque dictum inſtans corrumpi in ſe ipſo, impoſſibile eſt. At verò neque poteſt corrumpi in alio inſtanti ſubſequenti, quod probat Ariſt. ſupponendo id quod in lib. ſexto demonſtrabit, videl. vnum inſtans non ſequi immediatè aliud, ita vt duo inſtantia ſint adinuicem contigua, ſed inter vnum & aliud inſtans ſemper mediat tempus, quemadmodum in linea vnum punctum non eſt contiguum alteri puncto. V.

Quo poſito, ita perſtringit. Si hoc inſtans corrumpitur in alio inſtanti ſubſequenti, ergo inter hoc inſtans corrumpendum, & illud in quo debet corrumpi, mediat tempus: ac proinde mediant infinita inſtantia. ergo in iſtis intermedijs inſtantibus, ante illud in quo debet corrumpi, erunt ſimul multa inſtantia, atque adeò multa tempora: Quod iam eſt reiectum. Præterea, ſi inter inſtans corrumpendum, & illud in quo debet corrumpi, intercedunt alia infinita inſtantia, cur potius in illo, quàm in alio atque antecedente inſtanti corrumpitur? Ex his itaque apparet; haud poſſe in tempore eſſe aliud atque aliud inſtans. VI.

Probat deinde in tex. 91. & 92. alteram eiuſdem minoris partem, quod non poſſit eſſe vnum atque idem inſtans, per totum tempus. Primò, VII.
Omne diuiſibile finitum, *ſiue ad vnum ſit continuũ, ſiue ad plura*, id eſt, ſiue ſit diuiſibile ſecundum vnam duntaxat dimenſionem, vt eſt linea, ſiue ſecundum plures dimenſiones, vt ſunt ſuperficies, & corpus, nequit eſſe terminatum vno ſolo termino, ſed neceſſario terminatur ad minus duobus terminis, vt linea duplici puncto. Sed tempus eſt aliquod diuiſibile, cum ſit continuum, & poteſt accipi aliquod tempus finitum, vt hora, dies, menſis, annus, ergo ad minus erit terminatum duobus

ter.

terminis, nimirum duobus instantibus. Non igitur potest esse per totum tempus vnum tantum atque idem Nunc.

Secundò, Si in toto tempore esset vnum duntaxat atque idem instans, sequitur, res factas mille abhinc annis, & res quæ fiunt hodie, esse in vno
VIII. atque eodem tempore. Nam quæ sunt in vno eodemque instanti, ea necessariò sunt in vno atque eodem tempore. Hoc verò quis vnquam fatuus dederit?

Præterea, si in toto tempore est vnum tantum atque idem Nunc, ergo in tempore non erit accipere prius, & posterius. Quod tamen est contra naturam ipsiusmet temporis. Ex his igitur liquet, ipsum Nunc siue instans non esse aliquid, ac proinde non existere. Hæc itaque, & tot circa quæstionem an tempus sit, *dubitata sint*.

De quiditate temporis tres Veterum Philosophorum opiniones.



His ita excursis, conuertit se Aristot. in tex. 93. ad quæstionem, quid tempus sit? Et ait, rem esse apprimè difficilē ac salebrosam deprehendere *quid tempus est, & quæ ipsius natura*. Difficultas autem est, tum
IX. propter diuersas ac discrepantes Veterum Philosophorum opiniones, quæ de eo agitabantur: tum propter eas ipsas rationes, quas nuper de existentia ipsius percurrimus. Recenset verò tres antiquorum opiniones: Non quod aliæ non extarent: plurimæ quippe aliæ circumferebantur, vt vel ex vno Plutarcho in lib. 1. de Placitis Philosophi cap. 21. licet intelligere, sed quoniam illæ iacebant obscuriores: Arist. autem haud est solitus de quouis dicterio cuiuscunque hominis, sed celebriora clarorum virorum placita expendit.

Quidam dixerunt, tempus nil esse aliud quàm *motum Vniuersi*. motum, tanquam circulatem, siue
X. circulationem octauæ sphæræ, quàm prisci omnes arbitrati sunt, esse omnium vltimam. In hac opinione fuit Plato, vt in Timæo animaduertere licet, & ita adnotant etiam Alex. & Themist. Alij autem asseruerunt, tempus esse *sphæram ipsam*. ipsum videl. vltimū cælum. Ita sensisse videtur Pythagoras.

Quas quidem opiniones Philosophus illicò reprobat. Et quidem primam, quia pars temporis est tempus; hora namque, & dies, quæ partes temporis sunt, re vera sunt tempus: Pars autem circulationis, quæ est motus octauæ sphæræ, non est circulatio, cum ea pars non sit super circulo claudente se ipsum, sed sit super partes secundum duos terminos acceptas: quare tēpus non erit dicta sphæræ circulatio. Deinde, si essent plures Cæli, vel plures Mundi, quemadmodum Democritus opinatus est, profectò essent plures circulationes: Nihilominus haud essent plura tempora, sed vnum tantum esset tempus commune rebus omnibus. Adde, quod superius etiam ostensum est, duo tempora nō posse consistere simul.

Adijcit deinde in tex. 94. rationem, qua auctores secundæ illius opinionis inducti asseruerunt, tempus esse vltimam sphæram: quoniam, inquiunt, tē- XI.
pus debet continere omnia: At vltimum Cælum continet omnia, hoc igitur Cælum erit tempus.

Aduersus quam rationem Arist. nil aliud obijcit, nisi quod ea est adeò irrationabilis, vt haud sit opus contra eam quicquam expendere. Et sanè in ea ratione est duplex error. Primus, quoniam alio modo res sunt in Cælo, & ab eo continentur: alio in tempore, & a tempore continentur. In illo sunt, veluti in loco omnium communissimo: in hoc autem sunt tanquam in mensura vniuersali omnium motuum, & actionum. Secundus error est, quòd ea ratio struitur in secunda figura ex puris affirmatiuis.

Tertia opinio, in qua fuerunt Stoici, asserit, tēpus esse ipsum motum, non huius aut illius corporis, sed motum simpliciter. Quæquidem existimatio quā- XII.
quam vt iacet, non sit vera, accedit tamen modo quodam ad veritatem: Ideircò Stagirites in tex. 95. ait, *Quoniam autem videtur maximè motus esse, ac mutatio quædam tempus, hoc considerandum erit*. Nihilominus hanc quoque opinionem gemino modo impugnat. Primò, Motus, & mutatio sunt in vno certo ac determinato subiecto, quod mutatur & in vno certo ac determinato loco: Atqui tempus non est in vno certo ac determinato subiecto, neq; in vno aliquo loco, sed est in rebus omnibus, & vbique: quare tempus non est motus. Maior declaratur, quia ambulatio, & calefactio, & generatio sunt in ea tantum re, quæ localiter mouetur, alteratur, & generatur: & in illo tantummodo loco, in quo res illa patitur. Minor autem est manifesta, quia cuncta sub Cælo constituta æqualiter subiacent tempori.

Secundò arguit ex differentijs motus: Omnis motus aut est velox, aut tardus. Nullum autem tempus est velox, aut tardum. quare nullum tēpus XIII.
est motus. Prima propositio est clara. Secūda probatur, quia velox, & tardum definiuntur tempore: dicimus enim, *velox esse, quod in pauco tempore multum mouetur: Tardum autem, quod in multo parum*: Sed tempus non definitur per tempus, nihil enim definitur per se ipsum. Quocirca tempus neque velox, neque tardum est. Quod si quandoque leges apud auctores tempus velox, aut pigrum, quemadmodum apud poetas non rarò, scito id dici per metaphoram.

Digitized by Google

CAPVT XI:

Textus 97. vsq; ad 108.

Explicat Arist. quiditatem temporis, assignando germanam eius definitionem. Et quomodo ipsa Nunc se se habent ad tempus.



Xplosis Veterum placitis de temporis quiditate, ac-
I cingitur Arist. eam ex propria mente aperire: & in hoc cap. tria præstat: Siernit duo fundamenta: Tradit, & declarat temporis definitionem: Et explicat, quomodo se habet instans ad ipsum tempus.

Primum fundamentum est in tex. 97. quod sic habet. Quamuis tempus non sit motus, vt nunc dicebamus, nihilominus est aliquid ipsius motus siue semper est cum motu, & mutatione. *nihil enim*, vt ipse auctor adnotat, *refert nobis dicere in præsentia motum, aut mutationem*: in lib. enim quinto hæc duo distinguet Arist.

II Huius quidem fundamenti ratio sic colligitur. Si non possumus tempus animaduertere, nisi cum animaduertimus motum, ac mutationem, euidens est, tempus aut esse motum, aut aliquid ipsius motus: At non animaduertimus tempus, nisi cum animaduertimus motum, ac mutationem, *& cum ipsi nihil mutamur secundum intelligentiam, aut latet nos mutari, non videtur nobis fuisse tempus*. ergo tempus aut motus est, aut aliquid motus, ac mutationis. Patefactum autem a nobis est, tempus non esse motum; erit igitur aliquid motus ac mutationis. Quod verò non animaduertamus, neque percipiamus tempus, non percepto vllo pacto motu, declarat Stagirites exemplo, & ratione. Exemplum est de dormientibus, qui porrò neutiquam percipiunt tempus, quod in somno absumunt, sed tantummodo instans, in quo dormire coeperunt, nectunt cum instante, in quo expergiscuntur, *& faciunt vnum*: tempus verò intermedium non cognoscunt, propterea quod in eo non apprehendunt motum, aut mutationem vllam, *& remouent propter insensibilitatem medium*.

III Sunt qui narrant, quod eam Sardi a Græcis essent capti, in quodam specu eius insulæ iouenti sint no uem Herculis filij mortui, qui tam splendidè erant aromate conditi, vt viderentur dormire: Atq; hos vocari ab Stagirite in hoc loco Heroas. Ad quos deinde permulti ægri ferebantur, qui statim profundo somno obruebantur, adeò vt experrecti nescirent, quantum temporis obdormiuerint. Trita etiā est historia ab Eudemo relata de ijs, qui post largas epulas noctem cum alia sequente in somno sunt traxerunt. Verùm non est quod remota expendamus: Suppetunt duæ, eæque frequentes experientiæ: Vna est in Epilepticis, qui actuali epilepsia perculsi nihil intermedij illius temporis recordantur, nec quid eo intermedio tempore passi sint, norunt, quia videl. tunc non percipiunt aliquem motum. Altera experientia est, quod dum validæ contemplationi fuimus intenti, elabitur nobis tempus cito, ita vt hora atque altera videatur euolasse.

Hoc ipsum probat Arist. ratione in eodem contex. quia si vnum tantum esset instans, non esset IV.
tempus, cum tempus essentialiter habeat prius, ac posterius: At quando non apprehendimus motum, ac mutationem, tunc intellectus videtur quasi fixus stare, *& in vno, ac indiuisibili videtur anima remanere*. propterea concludit Arist. *Quod igitur neque motus, neque sine motu tempus est, manifestum est*.

Idem cōfirmat in tex. 98. ex opposito: Enimuerò statim ac nos percipimus aliquem motum, percipimus tempus. Quod ex eo suadetur, quia dum quis- V.
piam degit in tenebris, & non videt quicquam moueri, neq; fit in corpore nostro motus vllus, tamen si fiat aliquis motus in anima, ita vt concipiamus aliquam successionem, illicò percipimus tēpus. Quocirca hæc duo, tempus, & motus, vsqueadeo sunt inter se connexa, vt neque tempus sine motu, neq; motus sine tempore possit comprehendi: Et nos determinamus tempus motu, & motum tempore. Rectè itaque asserimus, quod cum tempus *non sit motus, necesse est motus aliquid esse ipsum*.

Quærendum itaq; est, tempus *quidnam ipsius motus sit*. Vt hoc aperiat, accipit in tex. 99. secundum fundamentum, quod tria sunt, magnitudo, siue spa- VI.
cium, motus, & tempus: & omnia tria sunt continua, sed ordine quodam. Nam ex continuitate magnitudinis oritur continuitas motus: Et ex continuitate motus oritur continuitas temporis: Adeò vt quanta est magnitudo, in qua fit motus, tantus sit motus; & quantus est motus, *tantum & tempus semper videatur fuisse*.

Eodem pacto in omnibus his tribus est prius, & posterius: & quidem eodem ordine, quo est & cōtinuitas. Nam prius, & posterius primò inuenitur in magnitudine, siue in spacio: Et ex priori, ac posteriori a magnitudine consurgit prius, & posterius in motu proportionabiliter: Et denique ex priori, & posteriori motus fit prius, & posterius in tempore, *propterea quod alterum sequitur semper alterū ipsarum*.

Quibus ita constitutis, explicat Eximius præceptor a tex. 110. propositam quæstionē: Quidnam ipsius motus sit tempus: Et ait, motum gemino modo pos- VII.
se considerari. Vno quidem absolutè, quatenus est actus entis in potentia: Altero verò, quatenus in eo est prius, & posterius. Tempus non est aliquid motus iuxta primam rationem, sed iuxta secundam.

Quando

Quando nimirum definimus motum secundum prius & posterius, *& accipimus sensum prioris, & posterioris in motu*, determinantes aliud & aliud Nunc siue instans, & inter ipsa aliquid medium, ita vt anima numeret duo Nunc, & vnum medium: tunc illud medium est tempus. *Nam quod determinatum ab ipsis Nunc, tempus esse videtur*.

Quocirca, subdit in tex. 101. cum ipsa Nunc
VIII. non distinguimus, sed apprehendimus vt vnum, tunc tempus non percipimus. Pari pacto cũ vnum Nunc apprehendimus, & non referimus ipsum ad prius, & ad posterius, non apprehendimus tempus. Sed tunc solummodo tempus cognoscimus, quando anima concipit, &, vt dixi, numerat duo Nunc, & aliquid inter ipsa medium: & propterea tempus definitur, quod est *numerus motus secundum prius, & posterius*.

Probat in tex. 102. In vnoquoque plus, & minus discernitur numero: Sed in motu plus, & minus discernitur tempore: ergo tempus est numerus motus. Statim deinde adnotat, quod tempus non est numerus numerans, sed numeratus: est enim motus ipse, qui secundum prius, & posterius numeratur, quemadmodum superius exposuimus.

Quomodo ipsum Nunc se habet ad tempus.



IN tex. 103. assignat in quo conueniunt, & in quo discriminantur motus, & tem-
IX. pus: deinde accuratissimè vsque ad finem capitis expendit ipsum Nunc. Motus, & tempus in eo conueniunt, quod sicut motus habet esse in fluxu, & semper fit alius atque alius, sic tempus situm & collocatum est in fluxu, & semper fit aliud atque aliud: idque ad differentiam magnitudinis in qua fit motus, cuius partes perpetuo manent eædem.

Differunt autem, quod tempus omne simul acceptum est vnum atque idem: motus verò etiam simul in eodem tempore facti possunt esse diuersi. De motibus res est manifesta, nam motus V. G. alterationis, augmentationis, & lationis vno & eodem tempore facti, sunt diuersi, cum inter se toto Prædicamento dissideant. Quod autem tempus omne simul acceptum sit idem, ex eo ostendit Aristot. *quia ipsum Nunc idem est, secundum id quod est: esse autẽ ipsi alterum*: Ipsum Nũc potest considerari & secundum se, quatenus est aliquid præsens, & verè Nunc: & potest considerari quatenus est in alio & alio tempore: siue quatenus vnum est post aliud. Primo modo semper est vnum atq; idem: secundo autem modo est aliud, & aliud. Alij communiter distinguunt, quod ipsum Nunc re & subiecto est semper idem: ratione autem est diuersum.

Dicit 2. in tex. 104. quod ipsum Nunc mensu-
rat tempus secundum prius, & posterius: quod X.
videl. Nunc est terminus ab vno in aliud tempus: idque fit, quando accipimus duo Nunc, vt dixi: Vnũ prius, alterũ posterius: & illud quod intercedit inter illa est tempus: Quod porrò tantum est, quantus est intermedius fluxus, siue quanta est intermedia illa extensio inter vnum, & alterum Nunc.

Ratio verò cur Nunc siue instans mensuret tempus, subiungitur ab Aristot. in eodem tex. quia id quod maximè notum est in tempore, est ipsum Nunc. Vnumquodque autem mensuratur per id quod est maximè notum sui generis: vt ostendit Arist. decim. Metaph. tex. 2. Idem confirmat ex proportione motus ad mobile, quam etiam habet tempus ad Nunc. Motus cognoscitur per id quod mouetur, quia id quod mouetur, est notius ipso motu, cum sit res quædam particularis & per se stans: Sed ipsum Nunc se habet ad tempus vt id quod mouetur, ad motum, quare per ipsum Nunc cognoscitur, & mensuratur tempus.

Dicit 3. in eodem tex. 104 quod ipsum Nunc secundum vnam rationem est semper vnum atque
idem. secundum verò aliam est diuersum. Explı- XI.
cat: Nam quatenus est in alio atq; alio tempore, quod assiduo fluit, terminans hanc aut illam partem temporis, est diuersum: quatenus autem concipitur secundum se, vt nuper aiebam, semper est vnum atque idem. Declarat id idem etiam ex proportione mobilis ad motum: inter quæ magna intercedit affinitas: Nam sicut mobile fluens facit motum, & punctum fluens facit lineam, ita Nunc fluens facit tempus. Mobile itaque in motu secundum vnam rationem est idem: secundum aliam est diuersum. Est quidem diuersum, prout stat sub alio atque alio mutato esse: Est autem idem, quatenus vnum atque idem perseuerat in toto motu. Sic ipsum Nunc.

At porrò mirabilis est Arist. etiam ex errore aliorum colligit sui dogmatis confirmationem. Quidam Sophistæ cauillosè nitebantur probare, quod Coriscus sit diuersus a se ipso, hoc argumento. Esse in Lyceo, & esse in foro sunt diuersa, *quia esse alibi, & alibi est diuersum*. At Coriscus nunc quidem est in Lyceo, nunc verò est in foro: ergo Coriscus est diuersus, scil. a se ipso. Ex hoc argumento, siue sophismate accidentis, Arist. colligit, quod Coriscus vna ratione, videl. realiter siue subiecto, siue secundum se, est vnus & idem: ratione autem est diuersus. Ita & ipsum Nunc.

Dicit 4. in tex. 105. quod si tempus non sit,
Nunc non erit: & si Nunc non sit, tempus non erit. XII.
Probat, quoniam Nunc ita est in tempore, sicut mobile in motu: vt ergo si non est mobile, non erit motus, & si non est motus, non erit mobile sub ratione mobilis, ita si non est Nunc, non erit tempus, & e contra.

Digitized by Google

Dicit 5. in eodem contex. quod tempus est continuum ipso Nunc: & diuiditur etiam per ipsum Nunc. Et quod Nunc continuat tempus, ostendit ex eadem proportione, quia etiam motus est continuus, quia id quod fertur, est vnum in toto motu, adeò vt si vnitas ipsius mobilis deficiat, haud sit amplius continuus motus. Cum itaque ipsum Nunc ita sit in tempore quemadmodum mobile in motu, profectò tempus est continuum per ipsum Nunc. Rursus mobile secundum quod stat sub alia atque alia dispositione, & in alio atque alio mutato esse, distinguit motum in priorem, & posteriorem partem; Ita Nunc pro vt sub alia atque alia ratione concipitur, distinguit tempus, & terminat ipsum in priorem, & posteriorem partem.

XIII. Secundo idem probat in tex. 106. quia ita se habet Nunc in tempore, sicut punctum in linea: At punctum continuat lineam, & diuidit ipsam. Continuat quidem, dum linea accipitur vt vnum quoddam interuallum. Diuidit autem, dum nos lineam mensurantes, signamus vnum punctum tanquam finem prioris mensuræ, & iterum accipimus ab eodem puncto principium sequentis mensuræ: quare eodem pacto Nunc continuat, & diuidit tempus.

XIV. Subnectit deinde discrimen, quod punctum in linea habet positionem, & est quiddam permanens, quemadmodum est & ipsa linea, & est veluti quoddam stans: iccircò potest quispiam bis accipere idemmet punctum, & vti vno puncto, vt duobus; videl. vt fine, & vt principio, sicuti modo in designato puncto dicebamus: Hoc autem non possumus accipere in ipso Nunc, quia ipsum nec positionem habet vllam, & assiduo fluit. Id quod ex eadem etiam proportione ad mobile deprehendes, quia illud quod fertur, pro vt fertur, nequit bis in eodem mutato esse accipi; Ita &c.

XV. Dicit 6. in tex. 107. quod ipsum Nunc non est aliqua pars temporis. Probat, *punctum non est pars lineæ, neque diuisio* (idest mutatum esse) est pars *motus*. quare neque ipsum Nunc est pars temporis. Quocirca ipsum Nunc siue instans non est tempus, sed est terminus temporis, & accidit ei vt terminato.

Hinc in principio tex. 108. colligit per epilogum. *Quod igitur tempus numerus motus est, secundum prius, & posterius, & continuum; (nam continui est) manifestum est.*

CAPVT XII.

Textus 108. vsque ad 121.

Quæ sunt temporis attributa: Et quæ dicuntur esse in tempore.



Radita & explicata temporis definitione, recenset modo Arist. temporis proprietates: & hoc facit in prima parte huius capitis: In secunda verò expendit tempus ad extrinseca: ad ea nimirum quæ dicuntur esse in tempore. I.

Prima proprietas est, quod tempus est continuū: Probat: *continui enim* est: tempus est numerus motus, qui continuus vtique est: Et etiam, quia tempus ita consequitur motum, sicut motus magnitudinem, vt non semel dictum est.

Secunda proprietas. Tempus vna quidem ratione est quid discretum, altera verò est continuum: II. Proinde secundum vnam rationem habet minimū: secundum alteram non habet. Explicat. Ita de tempore philosophari debemus, quemadmodum de quouis alio continuo, V. G. de lineis. Modo lineæ possunt considerari & secundum multitudinem, & secundum magnitudinem. Considerantur secundum multitudinem, cum accipimus duas, aut tres lineas: quo pacto illæ sunt aliquid discretum, & habent minimum, quæ est dualitas, vel etiam vnitas, vltra quam haud est progredi: Eædem lineæ secundum magnitudinem spectatæ non habent minimum, cum possint infinitè diuidi. Sic possumus accipere tempus secundum multitudinem, vt cum accipio duas horas, aut duos dies, aut decem annos: qua ratione tempus est quiddam discretum, & habet minimum. Id idem tempus potest accipi secundum magnitudinem, sic est continuum, nec habet minimum, sed est diuisibile in infinitum.

Tertia proprietas est in tex. 109. Tempus dicitur multum, & paucum, longum, & breue: Velox autem, & tardum neutiquam dicitur. Quorum III. ratio plana est. Primùm, quia multum, & paucum est in numero: Tempus est numerus: quare tempus est multum, aut paucum. Deinde, longum, & breue est in continuo: Tempus est continuum. ergo est longum, aut breue. Tandem, velox, & tardum mensurantur tempore: Tempus non

non mensuratur tempore, ergo tempus haud dicitur velox, vel tardum.

IV. Quarta proprietas est in tex. 110. Tempus secundum se spectatum est vbique vnum atque idem: vt autem dicit prius, & posterius, siue præteritum, & futurum, & est motus mensuratos, cuius pars quidem præterijt, pars autem ventura est, non est vnum & idem vbique. Probat, ita res se habet de tempore, sicuti se habet de mutatione: At mutatio secundum se vbique ac semper est eadem: V. G. generatio, aut latio secundum se semper est eadem: secundum verò quod applicatur huic aut illi materiæ, & habet præteritum, aut futurum, est diuersa; ita & tempus. Idem declarat Aristot. in numero. Siquidem numerus V. G. centum in se ipso acceptus perpetuo & vbique est idem: Nihilominus his aut illis rebus applicatus, fit alius atque alius. Aliud quippe sunt centum homines, aliud centum equi.

V. Quinta proprietas est in tex. 118. Tempus redit idem, sicut redit eadem Cæli circulatio, & idem motus: Redit, inquam, non idem numero, sed idem specie. veluti redit ver, æstas, autumnus, hyems: sic redit eadem deambulatio, eadem cœna.

VI. Sexta denique Temporis proprietas est in tex. 112. Tempus mensurat motum, & vicissim motus mensurat tempus. Probat. Illa quæ se inuicem definiunt ac determinant, etiam se mutuo mensurant: Tempus, & motus se inuicem definiunt ac determinant; ergo se se mutuo mensurant. Mensurant autem diuerso modo: Nam tempus mensurat motum, quia tempus suapte natura est numerus motus: Motus autem mensurat tempus quo ad nos: quando videl. habemus certam motus quantitatem, & ex illa dicimus esse multum, aut paucum tempus. Quemadmodum contingit etiam in numeris: Nam numero cognoscimus multitudinem V. G. centum equorum: deinde ex illis ipsis equis per vnum enumeratis, deprehendimus numerum centum.

Idem probat Aristot. in tex. 113. quia ita se habet tempus ad motum, sicut motus ad magnitudinem: At motus mensurat magnitudinem, & vicissim magnitudo motum: *multam enim dicimus esse viam, si ambulatio multa est: & hanc multam, si via multa sit.* quare eodem modo tempus mensurat motum, & vicissim motus mensurat tempus.

Quid est esse in tempore: Et quomodo in tempore est motus, quomodo quies, quomodo reliqua, entia: tum etiam ipsa non entia.



Onsiderauit hucusque Arist. tempus secundum se: Considerat nunc in comparatione ad alia, explicando quid VII.
sit esse in tempore: vnde comprehendimus, quæ sunt in tempore, & quæ non.

Et quidem de motu constituit in tex. 114. hanc conclusionem. Motum esse in tempore, est mensurari a tempore & ipsum motum, & esse ipsius. Duo itaque in motu mensurantur. Vnum est, ipse motus: ipsius nimirum quantitas, siue extensio, quam habet a spacio: Alterum est ipsius esse. Explicans deinde quomodo tempus mensuret ipsum motum, ait, id facere mensurando vnam eius partem, quæ postea repetita mensurat totum motum, quemadmodum vsuuenit in alijs quoque continuis. Quippe accipimus vnam determinatam partem alicuius magnitudinis V. G. vnam vlnam, eamque repetendo mensuramus totam illam magnitudinem: Sic tempore mensuramus partem motus, V. G. diem, aut mensem, aut annum: dein eam multiplicando mensuramus totum motum. Vnde etiam vides, quomodo motus mensuratur ipso motu; & sic in præsenti seruatur regula tradita decim. Metaph. tex. 3. quod vnumquodque continuum mensuratur *aliquo sui generis*.

Colligit deinde in tex. 115. quod sicut motum esse in tempore est, ipsum mensurari a tempore, sic VIII.
vniuersè esse aliqua in tempore est, ea secundum esse mensurari a tempore, & habere successionem, & mutationem cum ipso tempore.

Verùm hæc propositio, videl. esse in tẽpore, multiplicem edit sensum. Primò, esse aliquid in tempore facit hunc sensum, esse tunc, quando tempus est. Secundò, significat esse in tempore sicut esse in numero. Duobus autem modis dicitur aliquid esse in numero. Primò, aut quia illud est pars numeri, ita binarius est in quaternario, aut quia est passio numeri, ita par, & impar sunt in numero, aut omninò quia est aliquid ipsius numeri. Secundò dicitur aliquid esse in numero, quia continetur a numero, & numeratur ab eo: quo pacto homines dicuntur esse in tali, aut tali numero. Quo fit, vt trifariam possit aliquid dici esse in tempore. Vno modo, vt existat tunc, cum tempus est. Altero, vt sit eius pars, aut passio, aut omninò aliquid ipsius.

sius. Tertiò, vt a tempore, quod est numerus motus, contineatur, numeretur, & mensuretur.

IX. Excludit deinde in tex. 116 primum modum essendi in tempore a præsenti tractatione, *manifestum*, inquit, *est, quod non est in tempore esse, esse quando tempus est*. Patet. nam sicut non est aliquid in motu, aut in loco, ea eo quia existit, quando motus, & locus sunt; alioquin sequeretur, quòd omnes res essent in quolibet loco: & ita Cælum V. G esset in grano milij: siquidem quando est milium, qui est locus, est & Cælum; Ita non est aliquid in tempore, pro vt in præsenti verba facimus, ex eo quod est nunc, quando tempus est.

X. Secundo autem modo sunt in tempore, vt partes quidē, sunt in tempore præteritum, & futurum: vt affectio autem, est prius, & posterius: vt omninò aliquid ipsius temporis, sunt in tempore ipsa instantia. Ista namque neque partes, neque passiones temporis sunt: tamen sunt aliquid temporis.

His ita prætermissis, explicat in tex. 117. per duas conditiones, quid sit esse in tempore. Quarum vna est, esse aliquid in tempore est, contineri ac mensurari a tempore; ita vt tempus semper excedat, ac superet esse illius, quod dicitur esse in tempore. Probat. Res sunt in tempore tanquam numerata in numero, cum tempus sit numerus motus. At numerus ita se habet, vt excedat, ac superet numeratum, potest namque accipi sempee maior ac maior numerus re, quæ numeratur. ergo sic & tempus.

XI. Altera conditio est, Omne quod est in tempore, patitur aliquid sub tempore, ac tandem deficit. & corrumpitur. Probat ex communi loquendi vsu, Nam consueuimus dicere, quòd tempus cuncta labefacit ac consumit: Et quod in tempore cuncta senescunt: Et quod propter tempus contingit rerum obliuio. Quæ porrò omnia passiones, defectus, & corruptiones sunt.

Posset quispiam obijcere: Nonne tempori attribuimus etiam nonnulla, quæ perfectionem denotant? Profectò in tempore res exoriuntur, Tempore itidem perficiuntur: Quippe nihil est statim ortum, & perfectum: Et denique, si tempus inducit quarundam rerum obliuionem, profert tamen in lucem aliarum rerum cognitionem, & scientiam: Nam in tempore addiscimus. *Quapropter quidam tempus sapientissimum dixerunt*, vt refert idemmet Arist. infr. tex. 128.

XII. Occurrit in eodem tex. 117. & ingeniosè opponit alia tria. Et quidem de vltimo ait, quod aliquis non addiscit propter tempus, sicut obliuiscitur propter tempus. Hem, quot hominum reperiuntur, qui diutissimè viuunt, aut sanè inter viuos sunt, nec tamen addiscunt quicquam? Deinde subdit, quod tempus, qua tempus, nihil perficit, neque quicquam noui facit, sed tempus per se est potius causa corruptionis: Id quod vel ex eo deprehendi potest, quia aliqua corrumpuntur, etiamsi non appareat aliquid quod illa manifestè corrumpat. Ad hæc, tempus est numerus motus: At motus id habet peculiare, vt faciat distare rem a statu, ac dispositione in qua prius erat: propterea tempus sua diuturnitate efficit, vt omnia remoueantur ac distent a proprio statu, ac dispositione in qua prius erant: sic ergo tempus est πανδαμάτωρ, cunctorum domitor, rerumque edax.

Ex his infert Arist. in eodem contex. quod si esse in tempore est contineri, & excedi ab eo secundum esse, necnon pati, corrumpique; profectò entia sempiterna, Deus, Intelligentiæ, ac cæli neutiquam sunt in tempore. XIII.

Perpendit deinde tempus respectu quietis: & statuit in tex. 118 hanc conclusionem. Tempus mensurat quietem per accidens, siue per aliud, videl. per motum: Ac proinde potest dici, quod quies est in tempore per accidens. Ratio indicatur ab Aristot. quia eadem facultas attingit habitum siue formam, & eius priuationem, sicuti eademmet vis videndi percipit lucem, ac tenebras; Et habitum quidem attingit per se, priuationem verò attingit per accidens: Quippe priuatio cognoscitur per habitum. ergo *cum tempus sit mensura motus, erit & quietis mensura secundum accidens*, quies enim priuatio motus est.

Diceret aliquis. Tempus est aliquid motus: ergo quod est in tempore, est in motu: Repugnat autem quietem, siue quiescens esse in motu. ergo repugnat quouis modo quietem esse in tempore. XIV.

Occurrit Stagirites, quod tempus non est motus, sed numerus motus; idcircò optimè potest quippiam esse in tempore veluti in numero, quod tamen non sit in motu. *in numero autem motus potest esse, & quiescens*.

Diceret præterea. Si tempus mensurat quietem, & quiescentia, ergo mensurat etiam substantias secundum esse a materia abstractas: Illæ namque cum non moueantur, videntur quiescere.

Occurrit, quod illæ substantiæ sunt immobiles, non quiescentes. Non enim habent vllam aptitudinem, vt moueantur.

Concludit in tex. 119. quod tempus mensurat ea, quæ mouentur, & quiescunt. Et quia mensuratio propriè debetur quantitati, subdit, quod non mensurat ea, secundū propriam illorum quantitatem, sed mensurat secundum quantitatem motuum, & quietum eorum: Et secundum motum quidem per se: secundum quietem autem, per accidens. *Quare quæcunque neque mouentur, neque quiescunt, non sunt in tempore*. XV.

Tandem in tex. 120. explicat, quænam non entia possunt dici esse in tempore, & quæ non. Distinguit itaque, quod quædam ita sunt non entia, vt impossibile sit, ipsa aliquando esse: Et sunt ea, quorum opposita existunt semper, & sunt necessaria: Addit exemplum, *vt diametrum esse lateri commensurabilem*. Huiusmodi non entia haud possunt dici esse in tempore. Alia verò sunt non entia, quæ licet actu non sint, nihilominus aliquando fue-

tunt,

tunt, vel aliquando erunt, vt Homerus aliquando erat, diluuium aliquando futurum est. Et ista non entia sunt in tempore, cum hæc contineantur ab aliqua temporis differentia, & excedantur a tempore.

C A P V T XIII.

Textus 121. vsque ad 129.

Explicantur sex temporis differentiæ, per quas res diuersimodè dicuntur esse in tempore.



I. Onsilium Philosophi in hoc capite est, enucleare, non grammaticorum more, voces, siue aduerbia, sed philosophicè, differentias temporis, pro vt in communi vsu per quasdã voces efferuntur. Sunt autem sex, videl. Nunc, Aliquando, Iam, Nuper, Quondam, & Repentè, vt inde intelligamus, quomodo istæ temporis differentiæ pensitentur penes ipsum præsens Nunc.

Propterea exorditur ab ipso Nunc, quod distinguit vt vnum quidem sit indiuisibile instans, cuius & mentio, & tractatio retro etiam habita est: & isthuc explicat in tex. 121. per duas conditiones, quarum vna est, quod *Nunc est continuatio temporis*; continugit quippe tempus præteritum, & futurum, sicut punctum in linea est continuatio partis, & partis. Altera est, quod *Nunc est terminus temporis*; est enim finis temporis præteriti, est autem principium temporis futuri.

II. Discriminatur verò ipsum Nunc a puncto, Tum quia punctum est quiddam permanens; ideoq; potest bis idemmet punctum accipi: Nunc autem est fluens, nec valet idem Nunc bis accipi vnquam. Tum quia punctum potest actu diuidere lineam: Nunc autem non potest actu diuidere tempus, sed solum diuidit potentia, id est per intellectum. Et hoc est Nunc propriè dictum, siue instans.

Aliud Nunc minus propriè explicat in tex. 122. quod significet tempus propinquum ipsi Nunc primo modo dicto, siue isthuc tempus sit præteritum, siue sit futurum, modo parum a præsenti Nunc distet. Sic dicimus, *quod veniet nunc, quia hodie veniet. Venit nunc, quia hodie venit*. Non autem dicimus, nunc Ilion est euersum: nunc fuit diluuium.

III. Declarat deinde in tex. 123. secundam temporis differentiam, *Aliquando*: & ait, Aliquando esse tempus a præsenti Nunc siue secundum præteritum, siue secundum futurum, distans, & determinatum alio Nunc; quod videl. a præsenti Nunc ita distat, vt *aliquando capta est Troia, aliquando erit diluuium*.

Huius occasione excitat in tex. 124. & depellit difficultatem, quæ huiusmodi est, Si Aliquando est tempus determinatum a præsenti Nunc, & alio Nunc ab ipso distante, ergo omne Aliquando significat tempus finitum: sed nullum est tempus, quod non sit aliquando, quare omne tempus erit finitum: ac proinde deficiet. Hoc verò est impossibile, cum motus, vt in oct. lib. ostenditur, sit infinitus.

Respondet, verum esse, quod omne Aliquando significat tempus determinatum ac finitum; cæterũ possunt accipi alia atque alia Aliquando, siue tempora finita vsque in infinitum: idcirrò tempus est infinitum, & nunquam deficiet. Hoc probat in tex. 125. quia Aliquando accipitur ab ipso Nunc: At Nunc, cum sit continuatio temporis præteriti, & futuri, & finis quidem illius, principium verò huius, nequit deficere: quare neque ipsum Aliquando deficiat vnquam: ac proinde neque deficiet tempus.

Verùm posset cuipiam videri difficile, quomodo Aliquando indiuisibile valeat esse finis vnius, & principium alterius? Illustrat id Philosophus exemplo lineæ circularis, quæ porrò secundum latitudinem est indiuisibilis: nihilominus dicta linea indiuisibilis, secundum vnam quidem rationem est conuexa, secundum verò aliam est concaua: Ita de ipso Nunc indiuisibili in tempore erit philosophandum: *& sic tempus semper in principio erit, & fine: & ob hoc videtur semper alterum: quia Nunc non est semper eiusdem temporis principium, & finis*. IV.

Explicat in tex. 126. tertiam temporis differentiam, quæ exprimitur per vocem, *Iam*, & ait, Iam significare tempus futurum, aut præteritum, parum distans a præsenti Nunc. V. G. iam veniam, iam ambulaui. Quando autem aliquid valdè procul a præsenti Nunc distat, haud vtimur hac voce. Neque enim rectè diceris, *Ilium iam captum est*. V.

Demum in tex. 127. declarat reliquas tres temporis differentias, & ait, *Nuper* significare tempus propinquum ipsi præsenti Nunc, quod tamen sit præteritum, V. G. quando venisti? nuper.

Quondam verò significat procul distans: quando nimirum tempus, in quo res indicatur facta, est a præsenti Nunc valde remotum, vt quondam Græcia fuit princeps cunctarum gentium.

Repente denique denotat, cum aliquid propter celeritatem ita sit proximum ipsi Nunc, vt videatur fieri in tempore insensibiliter distante ab ipso Nũc. Hinc vide, quomodo omnes reliquæ temporis differentiæ bantiuntur ac pensitantur ab ipso Nunc: proinde summa cum ratione ipsum Nunc dicitur regula reliquarum differentiarum temporis.

In

In tex. 128. & vlt. huius capitis probat id quod superius constituerat, videl. tempus a quibusdam nuncupatum esse *sapientissimum*: ab alijs verò *indoctissimum*: Ait Arist. hoc secundum rectius esse dictum, quia tempus est per se causa corruptionis: est autem per accidens causa generationis. Apponit rationem, quam nos in tex. 117. exposuimus. Tandem facit epilogum eorum quæ de tempore hucusque edisseruit. *Quod igitur tempus est, & quid est, & quot modis dicimus ipsum Nunc, & quid ipsum Aliquando, & Nuper, & Iam, & Quondam, & Repente, dictum est.*

VI.

CAPVT XIV.

Textus 129. vsque ad finem huius libri.

Explicat Arist. nonnulla dubia circa tempus.



T temporis naturam & conditionem intimius introspicias, discutit Eximius præceptor in hoc cap. nonnulla theoremata, quæ circa tempus solent excitari. Ac primùm quidem statuit in tex. 129 quod omnis mutatio, & omnis motus (pro eodem accipit mutationem, & motum) est in tempore. Cuius quidem asserti demonstrationem sic colligo. In quocunque est prius, & posterius, in eo est tempus, siue illud sit in tempore: In omni mutatione, & omni motu est prius, & posterius: quare omnis mutatio, ac motus sunt in tempore.

I.

II. Primò ostendit minorem. In quocunque est velocitas, & tarditas, in eo est prius, & posterius: nam velox, & tardum definiuntur priori, & posteriori. Quod vlterius explicat, quoniam velox est, quod prius pertingit ad terminum ad quem tendit: tardum autem est, quod posterius peruenit ad eundem terminum, si motus sit per idem met spacium, & regularis. Sed in omni mutatione, ac motu est velox, & tardum, cum ista sint differentiæ motus, ergo in omni mutatione ac motu est prius, & posterius.

Quod autem vbicunq; est prius, & posterius, ibi sit tempus, quæ erat maior eiusdem argum. ex eo comprobat, quia prius, & posterius accipiuntur secundum distantiam ab ipso Nunc: Ipsum autem Nunc est in tempore. ergo & id quod accipitur a distantia ipsius Nunc, est in tempore. Conseq. est clara, *quia in quo est ipsum Nunc, in eo est & ipsius distantia*, sicut in quo est punctum, in eo est & distantia, quæ penes ipsum punctum accipitur.

Declarat deinde, quod alio modo prius, & posterius sunt in tempore præterito, alio in futuro. Enimuero in præterito, quod a præsenti Nunc est remotius, id appellatur prius: quod verò est propinquius, id dicitur posterius. In futuro autem res e contra se habet. Quod enim remotius erit, hoc appellatur posterius: quod verò propinquius, id nuncupatur prius. III.

Pergit, & in tex. 130. excitat duas difficultates. Vna est, *quomodo se habet tempus ad animam*. idest, virumne tempus sit extra animam, ita vt si non sit anima intellectiua numerans, non sit etiam tempus: an verò, etiam non existente intellectu, nihilominus tempus sit? Altera est, *Cur tempus videatur esse in omnibus, & in terra, & in mari, & in cælo?* IV.

Diluit primo in eodem contex. secundam dubitationem, & ait, quod tempus est passio motus, & quędam forma; cum tempus sit numerus ipsius motus: Quocirca vbi est motus, ibi est & tempus: Manifestum autem est, in omnibus præfatis corporibus, terra, mari, &c. adesse motum: siue sit actu, vt dum ea actu mouentur, siue sit potentia, vt dum quiescunt: propterea in ijsdem omnibus est & tempus: quandoquidem tempus mensurat & quæ mouentur, & quæ quiescunt.

Repetit in tex. 131. primam dubitationem in forma quæstionis, *Vtrum non existente anima, erit tempus, an non?* Annectit dubitandi rationem, quoniam vbi non est numerans, non est numeratum: ac proinde neque numerus; quia numerans, numeratum, & numerus sunt relatiua; in quibus ablato vno, aufertur & alterum. Sed tempus est numerus, siue numeratum, Anima verò intellectiua, siue eius intellectus est numerans, bic enim solus est natura aptus numerare, ergo si non est intellectus, non erit tempus. V.

Soluit, quod tempus gemino modo potest considerari. Primò quantum ad entitatem, (& hoc solum distinctionis membrum ponit Arist. in tex.) secundò quantum ad actualem distinctioné. Priori modo *tempus est ὅ ποτέ ὄν, id quod aliquando est:* siue vt habet antiq. translatio, *tempus est hoc quod vtcunq; ens est*: vel vt vertit Argir. *id quod subiecto est tempus*. Atq; hac ratione potest consistere tépus etiamsi non existat intellectus numerans: sicut potest esse motus, quamuis non sit anima, & intellectus: Et cum in motu insit esse prius, & posterius, esset etiam tempus quantum ad entitatem. Quantum verò ad actualem distinctionem, vt sint boræ, dies, menses, anni, sæcula, tempus haud est, non existente intellectu. Id communiter in scholis dicitur, quod non existente intellectu, esset tempus materialiter: non formaliter.

Post

VI. Post hæc, mouet in tex. 132. alias duas dubitationes. Prima est: Constituimus, tempus esse numerum, & mensuram motus: Atqui motus sunt multi, est enim & generatio, & corruptio, & augmentum, & alteratio, & latio, qui omnes sunt in tempore: cuius ergo motus, siue *qualisnam* motus est numerus, & mensura ipsum tempus?

Respondet, quod tempus non est numerus alicuius motus determinati, *sed est ipsius motus simpliciter continui, sed non cuiusdam*: quippe tempus mensurat vnumquemq; motum absolutè quatenus motus est.

VII. Hinc oritur altera dubitatio: Nam si tempus mensurat absolutè vnumquemque motum: possunt autem simul esse multi motus, veluti si hic simul vnum generetur, aliud augeatur, aliud alteretur, aliud loco feratur, ergo erunt simul multa tempora, & ea quidem æqualia. *erit igitur alterum tempus* vnius motus, alterum alterius, *& simul duo æqualia tempora erunt*; vt simul duo dies, aut duæ horæ. Hoc verò est Impossibile, quia duo tempora inæqualia commodè stant simul, veluti annus, & mensis, & dies, & hora: complura autem tempora æqualia consistere simul, penitus repugnat.

Respondet per interrogationem, ἢ οὔ; *An non? omne enim tempus vnum similiter, & simul est*. Tempus, inquit, quod est simul, omne est vnum atque idem; vnde non sunt duo tempora æqualia simul. Tempora autem *quæ non sunt simul*, sunt vnum tantum *specie*, vt duo dies, duo menses, &c. Adhibet pulcherrimum exemplum de temporis vnitate. Si hic sint septem homines, & septem canes, non propterea sunt duo numeri, siue duæ species septenarij. Ita quamuis hic sint multi motus, non propterea sunt multa tempora.

VIII. Explicat vberius in tex. 133 quomodo licet sint multi motus, non propterea sint multa tempora simul æqualia, sed est vnum duntaxat idemque tempus. Statuit verò hanc conclusionem. Tempus est numerus, & mensura præcipuè ac maximè primi motus, qui est circulatio primi mobilis. Ac primò quidem sic pergit. Vnumquodque continuum numeratur ac mensuratur per aliquod proximum sui generis, & vt ipse loquitur, *Vnumquodque vno quodam cognato mensuratur*, sic decem vnitates mensurantur vna vnitate, sic decem equi vno equo, sic linea decem palmorum linea vnius palmi: Sed tempus est quoddam continuum, quo igitur mensuratur? Respondet, quod *sicut dictum est, mensuratur & tempus motu, & motus tempore*.

IX. Deinde probat suam assertionem hoc pacto. Mensura in vnoquoque genere est primum illius generis, *primum*, inquit, *est mensura omnium cognatorum*. At in genere motus primum est circulatio primi mobilis, quare hæc est mensura omnium aliorum motuum: Cum itaque tempus numeret ac mensuret omnia, quæ in motu sunt, profectò tempus erit mensura præcipuè ac maximè primæ circulationis.

Id idem ex eo confirmat, quia omnis mensura debet esse certa ac nota. Manifestum autem est, quod inter omnes motus certissimus est motus primi mobilis, cum sit maximè vniformis ac regularis, quemadmodum in secundo de Cælo ostenditur: Est etiam nobis notior, cum per vnam eius circulationem mensuremus diem naturalem: per hunc autem hebdomadas, menses, annos. Hinc ita collige. Tempus est numerus primæ circulationis: Prima circulatio est tantum vna: ergo tempus est tantum vnum.

Ex his trahit in bonum sensum opinionem illorum antiquorum, qui dicebant, tempus esse motum Sphæræ: Nam licet id simpliciter a veritate dissiet, vt sexto ostensum est, nihilominus præsefert quandam rationabilitatem, quatenus tempus præcipuè ac maximè consistit in mensuratione motus illius Sphæræ. X.

Tandem in tex. 134. & vlt. huius lib. declarat id quod superius dixit, videl. numerum V.G. septenarium esse vnum, quamuis res numeratæ differant, vt homines, aut canes; Sic & tempus est vnum, licet motus & res, quorum tempus est numerus ac mensura inter se se dissideant: & sic imponit finem dicens. *& de tempore quidem, & ipso & de ijs, quæ circa ipsum considerationi sunt propria, dictum est*.

QVAESTIO VNICA

De duratione, & tempore.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit duratio.



Vratio in communi nil aliud est, quàm quædam rei perseuerantia in existendo: Sic dicimus hæc diutius, illa breuius durare, quia I. magis aut minus existendo perseuerant. Vlterius hæc perseuerantia nihil aliud est, quàm quidam modus in rei existentia, siue in ipsa re existente imbibitus.

Duratio vario modo diuiditur. Primò adæquatè & essentialiter diuiditur in durationem per-

Digitized by Google

manentem, & successiuam; seu potius in durationem rerum permanentium, & successiuarum. Res, quæ dicuntur permanenter durare, sunt illæ, quæ secundum se totas existunt, & non per partes post partes; & adhuc coexistunt secundum se totas suæ durationi; siue ea duratio sit indiuisibilis, vt est æternitas, cui coexistit Deus: & æuum, cui coexistunt Angeli; siue sit variabilis, cuiusmodi est tempus. Nam res permanentes coexistunt secundum se totas tempori, & varijs eius partibus: Talesque res sunt vt homo, Cælum, lapis. E contra verò res, quæ dicuntur successiuè durare, sunt illæ, quæ non totæ simul existunt, sed solum per partes post partes, vt motus, & tempus.

Item, duratio alia partitione itidem essentiali di-
II. uiditur in tres species, quæ sunt, æternitas, æuum,
& tempus. Quæ partitio, quemadmodum vno
Doctorum voto approbatur, ita non vno modo
solet explicari. Sunt qui volunt durationem, quæ
& principio, & fine caret, esse æternitatem: & hanc
esse propriam Dei. Durationem autem, quæ habet
quidem principium, non habet autem finem, esse
æuum: & hoc esse propriam mensuram Angelorum,
ac cæterarum creaturarum incorruptibilium:
Durationem denique, quæ & principium, &
finem habet esse tempus: propriam mensuram
rerum caducarum. Quarta verò durationis combinatio,
quæ scil. initij quidem sit expers, tamen
sit habitura finem, non datur, cum nihil
sit, quod numquam incæperit esse, & nihilominus
sit desiturum. Sic inter alios P. Perer.
lib. 12. Phys. cap. 7.

Quam opinionem olim retulerat S. Thom. in
prim. part. quæst. 10. art. 4. & 5. qui etiam subdit,
quod hæc differentia in recensitis durationibus
non est essentialis: quàm nimirum in præsen-
III. ti inuestigamus, *sed est*, inquit, *differentia per
accidens, & non per se*: Quia si Angeli fuissent
ex omni æternitate a Deo conditi, adhuc eorum
duratio esset æuum: Et e contra, si ij ipsi essent
aliquando habituri finem, adhuc eorundem duratio
esset æuum. Præterea, si Mundus, & elementa
constituantur vtraq; ex parte æterna, quemadmodum
re ipsa opinatus est Arist. vt constat in
octau. Phys. & primo de Cælo, eorum duratio
nunquam habuisset principium, neque vnquam
haberet finem: Nihilominus illorum mensura re
vera esset tempus: Aliunde igitur petenda est essentialis
dictarum durationum differentia.

Dixerunt alij, has durationes secerni essentialiter
ex eo, quòd æternitas nullam penitus
ad mittit successionem, sed est vsquequaque indi-
IV. uisibilis: E contra verò tempus intimè concernit
successionem prioris & posterioris: Et insuper addit
innouationem, & inueterationem secundum esse
rebus, quæ per illud mensurantur: Æuum
autem medio modo se habet. Quippe admittit
quidem successionem prioris, ac posterioris, at non
infert innouationem, & inueterationem eius rei
quæ æuo mensuratur. Adhibent exemplum;
quod sicut lumen a Sole diffusum per diaphanum
continuo quidem & cum quadam successione a
Sole diffunditur: nihilominus eo tempore quo durat,
neque innouationem, neque inueterationem
vllam patitur: Sic Angeli, & alia æuiterna.

Hanc quoque opinionem retulit S. Thom. in
art. illo 5. Quæ porrò in eo quod de æternitate,
& tempore asserit, vera est, dum verò adijcit in V.
æuo successionem, & simul excludit varietatem,
siue, vt ipsi aiunt, innouationem, & inueterationem,
est falsa. Et si hæc duo, id est successio, &
negotio innouationis ac inueterationis referantur
ad ipsam mensuram, id est ad æuum, *ea positio*,
inquit, S. Thom. *implicat contradictoria*, quia si in
ea duratione æui est successio, & prius ac posterius
durationis, ergo ea duratio non est tota simul,
ergo recedente priori eius durationis parte, posterior
de nouo aduenit: & sic in æuo erit innouatio,
sicut est in tempore. Si autem illa duo referantur
ad mensurata, adhuc dicta positio est falsa, Nam
res temporalis ex eo inueteratur tempore, quia habet
esse transmutabile: & ex transmutabilitate
mensurati est prius & posterius in mensura, vt
ostendit Arist. in hoc lib tex. 120. De qua re adi
Magist. Bann. ad eum art. 5. & Compluten. disp.
21. quæst. 2.

His itaque reiectis, est tertia & vera sententia
D. Thomæ: Pro cuius intelligentia accipe, res VI.
permanentes in triplici gradu distribui. Est aliquod
ens, quod ita existit totum simul, vt nullam
penitus admittat variationem, siue mutabilitatem
tam secundum esse, quàm secundum operationem:
Et hoc est solus Deus benedic., qui nullam potest
variabilitatem in esse admittere, quia repugnat,
ipsum aliquando aut incæpisse; aut desinere esse.
At verò neque admittit vllam variationem in operando,
quandoquidem actiones, quæ aliquando sunt
in Deo, semper fuerunt, & semper erunt. Quocirca
ipsemet ait, *ego Deus, & non mutor*.

Quædam alia entia e regione existunt mutatio-
ni obnoxia, & quo ad esse, & quo ad operationem. VII.
Nam aliquando incæperunt esse, & aliquando desinent
esse. Præterea, modo operantur, modo ab operatione
desistunt: & nunc operantur vnum, nunc
aliud. Huiusmodi sunt omnia indiuidua corruptibilia,
tam in genere substantiæ, quàm in genere
accidentis.

Alia deniq; consistunt media inter hæc duo extrema:
Nam quantum ad esse sunt variationis & mutationis
expertia: nihilominus admittunt aliquam variationem
in operando. Huiusmodi sunt Angeli,
qui porrò habent esse totum simul inuariabile, &
a principijs intrinsecis incorruptibile: attamen in
operationibus mutantur, non enim semper eadem
intelligunt, nec semper eadem volunt: nec semper
idem operantur.

Cunctis itaque his entibus debet propria aliqua
duratio

VIII. duratio & mensura correspondere, cum mensuris, & mensuratum, vt docet Philosophus decim. Metaph. cap. 1. debeant esse proportionata. Enti igitur omninò inuariabili tam secundum esse, quàm secundum operationem, id est Deo Opt. Max. correspondet duratio vsquequaque inuariabilis, & semper eadem eodemque modo perseuerans, quæ est æternitas: & definitur, quod sit *interminabilis vita totu simul & perfecta possessio*. Quam definitionem optimè explicat D. Thom. in prim. part. quæst. illa 10. artic. 1.

Entibus verò quæ admittunt variationem & mutationem tam secundum esse, quàm secundum operationem, correspondet duratio, & mensura, quæ est tempus, quod, vt iam nosti, est numerus motus secundum prius, & posterius.

Denique entibus medij gradus, quæ videl. admittunt variationem secundum operationem, non autem in esse, correspondet duratio, & mensura, quæ est æuum. Hæc est essentialis harum durationum differentia penes Doctores nostros, qui præter tres hasce durationes, videl. æternitatem, æuum, & tempus, addunt æternitatem participatam, per quam mensuratur visio beatifica: Et tempus discretum, per quod mensurantur operationes Angelorum, de quibus nil addo; sed conuerto me ad tempus.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum tempus rectè definitum sit ab Aristotele.



IX. Tempus in omni ætate existimatum est explicatu difficile; ob id vario quoq; modo ab alijs atque alijs, & definitum, & explicatum venit. De qua re, præter ea Veterum placita, quæ cum Aristotele in expositione capitis 10. considerauimus, alia etiam retulit Plutarch. lib. 1. de Placitis Philosoph. cap. 21. Plotin. En 3. lib. 7. Piccolom. ad lib. 3. Phys. cap. 13. Thom. Gian. lib. 7. suæ Phys. 32. ego vnam Stagiritæ definitionem perpendam; quæ si ritè intellecta fuerit, intimè nobis naturam & conditionem temporis declarabit. Sic ergo statuo.

X. Definitio temporis tradita ab Aristotele, quod *tempus sit numerus motus secundum prius, & posterius*, est optima.

Dicitur *numerus*, pro cuius intelligentia reuoca in memoriam, numerũ esse triplicem. Vnus est numerus formalis, & est ipsa numeri siue forma, siue species, V. G. ternarius, aut quaternarius, vel aliqua alia numerorum species, quem quidam numerum definiuit Philosophus decim. Metaph. tex. 21. quod sit multitudo numerata per vnum; siue est *multitudo vno mensurabilis*: Deinde est alius duplex numerus: Vnus, quo actiuè numeramus: Alter qui passiuè numeratur. Ille communiter appellatur numerus numerans: hic numerus numeratus. Sic etiam docuit Stagirites in hoc lib. tex. 102. *Numerus*, inquit, *est duplex: Nam quod numeratur, & numerabile esse, numerum dicimus: & quo numeramus*. Quod etiam reperit in tex. 110. & 131. Numerus numeratus sunt res ipsæ, quæ numerantur, vel aptæ sunt numerari: Numerus autem numerans, proximè quidem est intellectus; radicaliter autem est ipsa anima intellectiua, vt etiam explicat idem Philosophus in tex. illo 131. illis notis, *Si nihil aliud aptum natura est quàm anima numerare, & animæ intellectus, impossibile est, tempus esse cum non sit anima*.

XI. Nunc ita perge. Quando tu ea definitione tempus dicitur numerus, profectò nequit intelligi quod sit numerus formalis, quoniam hic, vt in Categ. Quant. accepimus, est species Quantitatis discretæ: cuius species eo loco constituuntur numerus, & oratio: Tempus verò est species Quantitatis continuæ, vt ibidem inter Quantitatis continuæ species recensetur. Vna autem species non prædicetur de alia.

At neq; potest intelligi, quod tempus sit numerus numerans, cum hic sit anima siue intellectus. Relinquitur itaque vt sit numerus numeratus. Hoc quoque docuit Arist. quando in tex. 102. cum distinxisset duplicem illum numerum, subdit, *tempus autem quod numeratur*: Et in tex. 110. *tempus*, inquit, *numerus est, non quo numeramus, sed qui numeratur*. Et hoc est quod nonnulli dicunt, numerum hic ab Stagirite sumi passiuè: & sensum definitionis esse, quod tempus sit mensura motus, siue motus numeratus, ac mensuratus.

XII. Cur autem Aristot. tempus appellet numerum, ratio multiplex afferri solet. Prima est, quia tempus est mensura: Modo ratio mensuræ, cum sit id quo cognoscimus quanta, primò competit numero; competit autem numero ratione vnitatis, quæ est indiuisibilis. Et propterea numerus est certissima mensura; & ratione illius transfertur mensura ad alia. Ita docet Arist. decim. Metaph. tex. 2. & 3. *Mensura*, inquit, *est id quo quantum cognoscimus. omnis verò numerus cognoscitur vno; quare omne quantum, pro vt quantum, vno cognoscitur*. Cum itaque tempus sit mensura, & quidem prima, meritò dicitur numerus, cui primò competit ratio mensuræ. *Et cuius mensura est certissima, quia vnitatem ponunt, quæ omninò indiuisibilis est*, vt in eo tex. 3. subdit Arist.

Oooo 2 Secun-

Secunda ratio eſt , quia licet tempus ſit ali-
XIII. quod continuum , nihilominus videtur partici-
pare quiddam diſcreti , pro vt numeratur ſecun-
dum prius , & poſterius . Adde , quod in tem-
pora nos apprehendimus vnum inſtans prius, ap-
prehendimus alterum poſterius : & apprehendi-
mus aliquid medium, quod eſt tempus , vt cum
Ariſtotele in cap. 11. expoſuimus , ergo tunc
numeramus .

Tertia ratio , *quia numerus eſt quid notius apud nos naturaliter , & naturaliter numeratum eſt ignotius* , vt ait Auerr. in hoc lib. Com. 112. ergo rectè Ariſt. per numerum exponit motum, cuius tempus eſt menſura.

Additur in eadem definitione *motus* . Quod
procul dubio intelligitur de motu primi mobilis .
Hic enim eſt omnium motuum regulariſſimus, ve-
XIV. lociſſimuſque , ac proinde in genere motuum mi-
nimus , qualis debet eſſe menſura : Secundario
autem, & ratione illius primi motus accommodatur
etiam alijs motibus , vt V. G. deambulationi , aut
motui horologij . Audi etiam hic Ariſtotelem in
decimo illo Metaph. tex. 4. *Ac etiam motum menſurant , ſimplici, & velociſſimo motu : minimum enim tempus hic habet . Quapropter in Aſtrologia tale vnum principium , & menſura eſt : motum enim æqualem & velociſſimum Cæli ſupponunt , ad quem cæteros iudicant* .

Annectitur denique *ſecundum prius, et poſterius*,
per quæ quidem verba indicatur propria differentia
XV. motus, & temporis, quæ eſt actualis ſucceſſio ſecun-
dum priorem, & poſteriorem partem : Idcirò intel-
ligitur de ſucceſſione pro vt cauſatur in motu ab
ipſo ſpacio & magnitudine ſupra qua fit motus .

Pro cuius rei intelligẽtia ſcito, quod nos poſſumus conſiderare duas extenſiones , ſiue duo prius, & poſterius , quando mobile mouetur per aliquod ſpacium . Vna extenſio , ſiue prius , & poſterius eſt ſpacij , ſiue magnitudinis ſupra qua mouetur mobile : omne namque ſpacium habet partes priores & poſteriores . Altera extenſio , & prius, & poſterius eſt in motu , quæ quidem extenſio conſiſtit in quadam continua ſucceſſione , quæ fit ſuper tale ſpacium ; & iſta ſucceſſio, atque hoc prius, ac poſterius motus oritur tanquam a radice a ſpacio . Et hæc motus ſucceſſio cauſat quandã durationem variabilem , quatenus alia duratio eſt principij motus, alia medij , alia finis : Et hæc duratio , ſiue extenſio motus eſt tempus , quæ primò oritur a ſpacio , proximè autem a motu . Hinc liquet definitio .

Sed opponès primò , quod tempus malè dicatur
numerus . Vna ſpecies non prædicatur de alia : Nu-
XVI. merus eſt ſpecies Quantitatis diſcretæ : tempus eſt
ſpecies Quantitatis continuæ , vt in Categ. Quant.
determinatur : quare tempus non eſt numerus .

Reſpond. Numerus formalis eſt quantitas diſcreta : numerus verò numeratus eſt quantitas cõtinua : Tempus , vt iam expoſuimus , eſt numerus numeratus .

Sed contra : numerus in re continua eſt ens rationis , veluti tres palmi in hac menſa , cum tota ratio numerandi ac menſurandi hoc continuum ſit opus intellectus : ergo ſi tempus eſt numerus motus , qui eſt quiddam continuum , tempus erit ens rationis .

Diſſident de hac re auctores , nam Domin. So-
to in hoc lib quæſt 4. Iauell. quæſt. 24. Ferr. in XVII.
8. contr. Gent. cap. 85. Capreol. in 2. diſtin. et
quæſt. 2. docent , ſimpliciter tempus non eſſe ens
reale, ſed eſſe opus animæ . Alij ex aduerſo contendunt , tempus eſſe omninò ens reale ab omni operatione animæ independens . ita Tolet. in hoc lib. quæſt. 15. Ruu. tract. de tempore quæſt. 1. De qua re vide Complut. diſput. 21. quæſt. 1. & Auerſ. quæſt. 29. ſect. 6. Quæ tamen in re diſtinguendum eſt . Nam tempus ſecundum rationem ſui abſoluti, ſcil. durationis, & ſucceſſionis, eſt ſimpliciter ens reale : ſecundum rationem autem numeri, menſuræ, & complementi eſt opus intellectus . Ita expoſuimus cum Ariſt. tex. 131. aſſerente, quod *impoſſibile eſt , tempus eſſe, ſi non ſit anima* . Ita etiam docet D. Thom. tum ad eum locum , tum opuſc. 44. & videndus eſt P. Suarez in Metaph. diſput. 50. ſect. 8.

Oppones 2. oſtendendo abſolutè tempus non eſ- XVIII.
ſe . Illud , cuius partes non ſunt , etiam ipſum totum non eſt . Sed partes temporis non ſunt . quare , neque tempus ipſum totum eſt . Maior videtur clara , quoniam totum nil aliud eſt quàm ſuæ partes . Minor prob. partes temporis ſunt præteritum , & futurum : Iſta autem non ſunt .

Etiam hic diſſident auctores : nam multi tuentur , partes temporis ita eſſe præteritam , futuram , & præſentem , vt re vera detur aliqua realis temporis pars præſens , per quam tempus per ſe & actu exiſtat . Ita Durand. in 2. diſt. 2. quæſt. 4. Suarez in Metaph. diſput. nunc indicata, ſect. 9. Conimbr. & alij .

Oppoſita ſententia, quod videl. tempus non exiſtit per aliquam ſui partem, quæ re ipſa exiſtat præſens , ſed ſolum exiſtit per præſens Nunc , eſt ſyncera Ariſtotelis, quàm vel hinc comprehendes . Dubitauit Ariſt. in tex. 89. quod tempus non exiſtat per ſuas partes, quia iſtæ ſunt præteritum , & futurum : Nec exiſtit per inſtantia , quia nihil exiſtit niſi vel ipſum totum , vel ratione ſuarum partium : Inſtantia autem non ſunt partes temporis , quo fit, vt tempus nunquam ſit . Poſtea in tex. 105. ſoluit hoc argumentum , dicens , *Manifeſtum eſt , quod ſi tempus non ſit , ipſum Nunc non erit : & , ſi ipſum Nunc non ſit , tempus non erit* . Connecte per affirmationem , ſi tempus eſt , ipſum Nunc erit : & ſi ipſum Nunc eſt, tempus erit , quaſi dicat Ariſt. ſatis eſt ad hoc vt tempus ſit, & exiſtat , quod ſit, & exiſtat ipſum Nunc , quia , vt ibidem ſubiungit , *ipſum Nunc eſt vt quod fertur* .

Sic etiam docet S. Thom. non modo ad eum
tex. 105. vbi ait , *Aſſignat Ariſt. rationem eorum* , XIX

quæ

quæ dicuntur de nunc , & primò eius , quod dicitur , quod nihil est temporis nisi nunc , sed etiam in prim. part quast 46. art. 3. Et in opusc. 44. adducit fundamentalem huius rei rationē , his omninò verbis , *quia qualibet pars cuiuslibet successiui est diuisibilis in diuersas partes : si ergo aliquod successiuum existeret non solum secundum aliquod indiuisibile sui , sed secundum aliquam sui partem , sequitur , quod multæ partes alicuius successiui simul essent : quod est contra rationem successiuorum .*

Ad argumentum autem inductum occurrendum est , quod tempus existit eo modo quo eius naturæ exigit . Exigit autem vt , cum sit aliquod successiuum , non existat per aliquam sui partem præsentem , & actu existentem , sed solum per aliquod sui indiuisibile , quod est ipsum Nunc ; quod immediatè nectit temporis partes , idest præteritam & futuram . Ita etiam existit motus , videl. solum per aliquod sui indiuisibile , quod est mutatum esse . Atque hæc sint satis de tempore , & de toto quarto libro .

Finis comprehensionis , & quæstionum in librum quartum Phys.

COMPREHENSIO
LIBRI QVINTI PHYSICORVM
FACTA A
IOANNE COTTVNIO.

CAPVT I.

Textus 1. vsque ad 10.

Connexio libri , & diuisio motuum , nec non differentia inter motum , et mutationem .



I. Reposuit Arist. in tex. 1. libri tertij *agendum esse de motu , & de ijs quæ consequenter sunt ;* ac statim cōsiderauit motum in communi , deinde ea quæ ipsum etiam in communi cōsequuntur , quæ erant infinitum , locus , vacuum , & tempus : quibus hactenus absolutis , descendit nunc ad considerationem motus in particulari secundum suas partes . Porrò partes motus aliæ quidem sunt essentiales , aliæ autem integrantes : Priores expendit in hoc quinto lib. Posteriores verò consideret in lib. sequ. Partes essentiales motus sunt eius ipsius species : Quo fit , vt Stagiritæ intentio in hoc libro sit , explicare species motus , & consequenter explicare illa omnia , quæ dictas species comitantur .

Possumus librum hunc in tres præcipuas partes diuidere , in quarum prima traduntur species motus . In secunda explicatur varias , & distinctio earum specierum . In tertia declaratur contrarietas siue oppositio earundem . At quia species motus accipiuntur a motu per se ; iccircò Arist. statim diuidit motum , vt relictis alijs membris , sumas expendendum motum per se : Diuidit autem , quod motus aut est per accidens , aut secundum partem , aut per se . Quam quidem tripartitam diuisionem assignat primò ex parte mobilium vt facit in tex. 1. Secundo ex parte mouentium in tex. 2. Tertio ex parte terminorum , vt colligit in tex. 5. Quam motus partitionem , quoniam ad varias Philosophiæ partes apprimè conducit , sic distributam accipe . II.

Per accidens mouetur ille , quæ accidunt alteri quod mouet , vt musicus ædificat , album sanat , quia musicum , & album accidunt ei , qui ædificat , & qui sanat .

Digitized by Google

Ita per accidens mouentur ea, quæ mouentur ad motum eorum, quæ mouentur per se; Sic mouetur nauta, dum motu nauis defertur. sic accidentia ad motum sui subiecti, & omninò forma mouetur ad motum eius, cuius est forma. Quæ rursus sunt in duplici differentia. Alia namque ita mouentur per accidens, vt possint etiam moueri per se, vt nauta per nauim, & extra nauim: Alia per se nunquã possunt moueri, vt accidentia, & formæ.

Secundum partem dicuntur mouere, quando motum partis attribuimus toti. Sic homo dicitur percutere, quia eius manus percutit: Et cælum dicitur calefacére aerem, quia Sol, qui est pars Cæli calefacit.

Ita secundum partem dicuntur moueri, quando motum ac passionem partis attribuimus toti. Sic Plato dicitur sanari, quia sanatur eius oculus, aut pectus.

Denique per se mouent illa, quæ neque accidunt alijs quæ mouent, neque mouent vt pars, sed quæ mouent sua propria vi, & secundum se tota. Sic anima mouet corpus, medicus sanat, Sol illuminat.

Ita mouentur per se illa, quæ neque mouentur ad motum aliorum, neque mouentur vt pars, sed primò ac per se sunt subiecta motus, vt dum totus homo mouetur, aut lapis.

Rursus, quæ mouentur per se, alia mouentur a seipsis: alia ab alijs. Mouentur a seipsis, quæcunque habent in se principium sui motus, vt V.G. animalia: Quæ adhuc aut mouentur secundum naturam, & est, quando mouentur ab anima secundum propriam inclinationem sui corporis, vt cum homo incedit rectus, & quadrupeda eunt prona. Aut mouentur præter naturam: Idque aut secundum totum corpus, vt cum homo per saltum mouetur sursum: aut secundum partes, & varias illius corporis positiones præternaturales, vt dum homo ambulat manibus.

Quæ denique mouentur ab alijs, ea aut mouentur secundum naturam: Sic dicuntur moueri grauia & leuia a generante. aut mouentur præter naturam, vt terra sursum, & ignis deorsum.

III. Pergit Arist. a tex. 3. assignare eandem motus partitionem ex parte termini ad quem. Ac primò quidẽ in tex. 3. ait, quod cum *omnis motus sit a quodam, & in quiddam*, in omni motu reperiuntur hæc quinque. Mouens, a quo motus procedit: Mobile, in quo recipitur: Tempus, in quo fit: Et duo termini, a quo incipit, & in quem tendit. Hæc verò quinque necessario interuenire, ostendit. Et quidem de tempore res est clara, quemadmodum etiam de motore, quem tamen exprimit in principio tex. 4. reliqua autem probat: Primò, quia mobile est quid distinctũ a termino a quo, & ad quem: quippe mobile mouetur. termini autem non mouentur. Item, illud solum mutatur ab illo termino in hunc, vt lignum mutatur a frigore in calorem.

Præterea in tex. 4. patefacit terminum itidem a quo, & ad quem discriminari inter se, quia ille quidem est, a quo motus incipit: hic verò in quem tanquam in finem tendit: Quocirca & mutatio ab IV.
isto termino accipit denominationem, veluti calefactio non denominatur a frigore, a quo incipit, sed a calore ad quem tendit. Ita generatio vocatur mutatio ad esse: & corruptio ad non esse, a terminis nimirum ad quos tendunt.

In tex. 5. probat adhuc distinctionem mobilis
a dictis terminis. idq; ex definitione motus tradi- V.
ta in lib. 3. Nam mobile est ens in potentia ad vlteriorem motum: *Formæ autem, & passiones, & locus, ad quæ mouentur ea, quæ mouentur, immobilia sunt.*

Excitat deinde in eodem contex. dubitationem, quia passio, videl. passibilis qualitas, est terminus motus. At passio est motus, ergo motus est terminus motus; quod est impossibile. Negat minorem: siquidem passio siue passibilis qualitas nullatenus est motus, sed est id ad quod tendit motus, sicuti *non est albedo motus, sed dealbatio*. His ita habitis ait, etiam in termino ad quem reperiri tripartitam illam motus diuisionem, videl. per accidens, secundum partem, & per se. Tu id idem intellige etiam de termino a quo: Quam terminorum partitionem sic etiam accipe.

Terminus ad quem per accidens est ille, qui accidentaliter coniungitur termino per se, vt quia esse intellectum, siue perceptum, accidit albo, ideò si dicam de eo quod fit album, quod mutatur in id quod intelligitur, siue in intelligibile: istud est terminus ad quem per accidens. Similiter si dicam, quod dealbatio tendit, & terminatur ad id quod intelligitur, exprimo terminum per accidens dealbationis.

Terminus ad quem secundum partem dupliciter contingit. Vno modo quando pono totum pro parte; Altero e contra, quando pono partem pro toto. Exemplum primi est, vt si dicam de eo quod fit album, quod mutatur in coloratum; nam album est pars colorati. Exemplum secundi est, si dicam, vado Athenas, pro eo quod est, vado in Græciam, vel in Europam; quia Athenæ sunt pars Græciæ, & Europæ.

Terminus denique ad quem per se est ille, ad quem primò & per se tendit, ac terminatur mutatio, vt dealbatio ad album.

Ita de termino a quo philosophare. Terminus a quo per accidens est, vt si dicas, ex eo quod est intellectum, siue ex intelligibili fit album.

Terminus a quo secundum partem est, vt si dicam, discedo Athenis, pro eo quod est, discedo ex Græcia, aut Europa.

Terminus denique a quo per se est, vt ex immusico fit musicum, & ex albo nigrum.

His ita constitutis, ait in tex. 6. *mutationem, quæ est secundum accidens, dimittendam esse* (sub quo quidem partionis membro intelligit etiam mutationem, quæ est secundum partem) quippe quæ mi-

nimè

nimè parit scientiam, cum non expofcat res determinatas, sed possit in quocunque motore, in quocunque mobili, in quocunque tempore, & in quibuius terminis reperiri: quod enim per accidens iungitur, id porrò potest cuilibet iungi: Propterea assumitur considcranda sola mutatio per se, quæ est in contrarijs, & in medijs, pro vt media valent alterius contrarij rationem subita.

Quæ deinde mutatio per se quadruplex explicatur in tex. 7. Aut enim aliquid mutatur ab vno termino positiuo in alterum itidem positiuum, &
VII. dicitur mutatio de subiecto in subiectum, vt ex calido in frigidum, & ex albo in nigrum: Aut fit mutatio a termino a quo positiuo ad terminum ad quem negatiuum, & appellatur mutatio de subiecto in non subiectum, veluti ex albo in non album: Aut fit mutatio a termino negatiuo in terminum positiuum, & nuncupatur a non subiecto in subiectum, vt ex non homine in hominem: Aut denique fit inter duos terminos negatiuos, & dicitur a non subiecto in non subiectum, vt ex non albo in non album. Sumitur verò hoc loco subiectum non pro eo, cui inhærent accidentia, sed vniuersalius pro termino, qui habet esse verum ac positiuum, vt indicat ipsemet Arist. cum ait, *dico autem subiectum, quod affirmatione monstratur*.

Subdit Arist. quod ex his quatuor conbinationibus consurgunt solum tres mutationes: vltima verò
VIII. conbinatio, quæ est inter terminos negatiuos, siue a non subiecto in non subiectũ, non efficit mutationem, *propt rea quia non est secundum oppositionem, neque enim contraria, neque contradictoria est*. Quocirca omnis mutatio physica ad tres priores modos coarctatur hoc pacto, quod mutatio, quæ est de non subiecto in subiectum, & versatur inter contradictoria, est generatio: Quæ adhuc est duplex: Altera accidentalis, siue secundum quid, vt ex non albo fit album: Altera substantialis, ac simplex, vt ex non homine fit homo. Mutatio autem de subiecto in non subiectum est corruptio: quæ itidem est duplex: Altera simplex, vt quando corrumpitur homo, Altera secundum quid, vt dum corrumpitur album.

In tex. 8. constituit generationem, & corruptio-
IX. nem substantialem non esse propriè motus. De generatione probat, Primùm, quia quod mouetur, est quando est motus, cum moueri præsupponat esse: At quod generatur simpliciter, non est quando est generatio, fit enim per ipsam genegationem, ergo quod generatur simpliciter, non mouetur, ac proinde generatio non est motus. Deinde, Quod mouetur est in loco: Quod autem generatur non est in loco, alioquin esset in loco antequam simpliciter esset. De corruptione probat in tex. 9. quia motus est contrarius motui: sed corruptio est contraria generationi, ergo si generatio, vt nunc dicebamus, non est motus, neque corruptio erit motus.

Hinc in eodem têxt. concludit, quod ex tribus illis mutationibus ea sola est propriè motus, quæ est de subiecto in subiectum, & de contrario positiuo in contrarium positiuum. Huius autem tres tantum sunt species secundum tria Prædicamenta, quę solummodo sunt apta per se terminare motum, videl. secundum Quantitatem, Qualitatem, & Vbi.

CAPVT II.

Textus 10. vsque ad 20.

Ostendit, non esse motum per se nisi ad tria Prædicamenta, Quantitatem, Qualitatem, & Vbi.



Consilium Philosophi in hoc capite est, commonstrare, quod tres duntaxat sint species motus propriè dicti, & fiut per se ad tria tantum Prædicaméta, quę in exlra capitis indicata sunt, videl. Quãtitas, Qualitas, & Vbi. Id I.
autem vt assequatur, primò ostendit ad alia Prædicamenta neutiquam esse per se motum: postea colligit, esse solum ad hæc tria.

Primùm patefacit ad substantiam non esse motum. Motus est ad id quod habet contrarium positiuè, cum motus, vt in cap. præced. dictum est, versetur inter contraria positiuè. Sed substantia non habet contrarium positiuè. quare ad eam non est motus.

Deinde ostendit, neque ad Relationem esse per se motum. In quocunque Prædicamento est per se motus, nihil eius acquiritur de nouo in aliquo subiecto sine eius subiecti mutatione; sicut quia in II.
Prædicamento Qualitatis est per se motus, non potest in aliquo de nouo acquiri V. G. calor, aut albedo sine mutatione subiecti in quo acquiritur: Sed relatio acquiritur de nouo in aliquo absque vlla eius mutatione, vt patet: nam hic paries albus qui est Patauij, dũ dealbatur alius Venetijs, aut Romę, acquirit de nouo relationẽ similitudinis absq; vl la sui mutatione: ergo ad relationem non est per se motus, sed solum per accidens, in quantum videl. ad aliquam mutationem consequitur noua relatio, veluti ad dealbationem consequitur similitudo aut dissimilitudo.

Ad hæc, probat ad actionem, & passionem non III.
esse motum, quia actio, & passio sunt motus: ergo si ad

si ad actionem, & passionem esset motus, iam ad motũ esset motus, siue ipsius motus esset motus; & mutationis esset mutatio. Sed hoc est impossibile.

Hanc minorem probat a tex. 8 1. multis rationibus. Primò, nam quod ipsius motus sit motus, & mutationis sit mutatio, duobus modis potest intelligi. Vno quidem, vt vnus motus sit sicut subiectũ alterius motus: ita vt ipse motus sit, qui aut calefit, aut frigefit, aut locum mutat, aut augetur, aut diminuitur: sicut mutatur homo, aut lignum. Et hoc est impossibile, quia motus, & mutatio *non sunt aliquid* de genere *subiectorum*, cum non sint substantia per se subsistens.

Altero modo hæc propositio, quod ipsius motus sit motus, & mutationis sit mutatio, potest ita intelligi, quod vnus motus sit terminus alterius motus, & vna mutatio sit terminus alterius mutationis. Et hoc etiam esse impossibile, probat in tex. 12. Mutatio est ex vna forma, videl. ex vno termino, in aliam formam determinatè illi contrariã, veluti sanatio est ex ægritudine ad sanitatem: Si itaque mutatio; V.G. in sanatione est terminus mutationis, illa mutatio, quæ est terminus, aut est ipsamet sanatio, aut est aliqua alia mutatio. Non est ipsa sanatio, quoniam ea terminatur ad sanitatem: At neque est aliqua alia mutatio, quia tunc sequeretur, vt acquisita sanitate, tamen sanatio deberet adhuc progredi vlterius, id est, ad illam mutationem, quæ esset terminus ipsius sanationis. Quod est euidenter falsum: siquidem adepta sanitate cessat sanatio. Et etiam contingeret vt homo, cum iam esset factus sanus, adhuc deberet necessariò mutari ad aliam mutationem. Quod etiam est apertè falsum, cum præsentib. habitib. cesset motus. Præterea sequeretur, aliquid moueri simul motibus contrarijs.

IV. Eandem minorem confirmat per alios quinque cõtex. Tum quia si mutationis est mutatio, & generationis generatio, ergo in his erit progressus in infinitum. Quod de se est absurdum. Præterea, quia tunc sequeretur, nullum omninò in natura esse motum, neque generationem vllam. Cur? quia in infinitis non est primum: Non existente autem prima generatione, ac proinde non existente primo, nihil erit subsequentium. Tum quia, si motus sit motu, & generatio generatione, cum motui sit contrarius & oppositus motus, & quies: Et contraria nata sint fieri circa idem, sequitur, vt motus quiescat, & generatio corrumpatur. Quod vel cogitare absurdum est. Tum præterea, quia cum omne quod generatur generetur ex aliqua substrata materia, si generatio generatur, omninò debet generari ex aliqua sua propria materia. Quæ hic nulla potest assignari. Tum insuper, quia terminus motus debet esse aliquid, in quod motus terminetur, & in quo motus cesset, ita vt fiat quies; Ita etiam dic de termino mutationis: Sed motus, & mutatio non sunt huiusmodi, vt in ijs cesset motus, & mutatio: & fiat quies: alioquin motus, & mutatio simul cessarent esse, & simul essent: & simul essent motus, & quies.

V. Tum demum, si generationis est generatio, ergo, & generatio doctrinæ erit doctrina. Hoc autem est falsum, quia generatio doctrinæ est scientia, non doctrina. Ad extremum, si ipsius motus est motus, siue vt subiectum, siue vt terminus, cum tres sint species motus, scil. in Quantitate, Qualitate, & Vbi, poterit vna istarum specierum esse subiectum, & terminus alterius. V.G. loci mutatio poterit esse subiectum alterationis: ac proinde loci mutatio alterabitur, vel etiam feretur secundum locum. Quæ euidenter sunt absurda. Non ergo motus potest esse ipsius motus, neque mutatio mutationis siue vt subiectum, siue vt terminus. Vnde concludit in tex. 17 quod motus, & mutatio solum per accidens possint moueri, *vt si is, qui sanatur, currat, aut discat*.

VI. Vide, quod consultò Arist. non probat expressè non esse motum per se ad alia tria Prædicamenta, Quando, Situm, & Habitũ, quia cum hæc includant quosdam respectus, cum Arist. patefecerit, ad relationem non esse per se motum, censetur etiam id idem de his patefecisse.

Hinc colligit in tex. 18. quod si ad supradicta Prædicamenta non est per se motus, ergo solum erit ad tria, Quantitatem, Qualitatem, & Vbi, cum in his tantum sit sufficiens contrarietas. Explicat deinde nomina, quibus dicti motus appellantur: Et in tex. 20. declarat triplex immobile, vt inueniat quietem, quæ est priuatio motus.

CAPVT III.

Textus 21. vsque ad 31.

Explicantur septem voces, quæ mobilibus, ac motibus attribuuntur.



Hoc incipit secunda pars huius libri. Cum enim hucusque mutationem, & motum diuiserit in suas species, progreditur nunc earum vnitatem, & distinctionem assignare. Antequam verò id exequatur, necessè habuit declarare, quod in hoc capite præstat, nonnullos terminos, quibus in demonstrationibus circa vnitatem, & distin-

distinctionem dictarum specierum deinceps vsurus est. Termini sunt septem, *Simul, Separatim Tangere, Inter, Consequenter, Continuum, & Contiguum.*

Primum itaq; in tex. 22. explicat terminum *Simul*. Et ait, ea esse *simul secundum locum, quæcunque*
II. *in vno loco sunt primo*. Dicit, secundum locum, quia res possunt etiam esse simul secundum tempus. Dicit, quę sunt in vno loco *primo*, id est in vno loco proprio & adæquato. Nam quæ in vno communi loco existunt, ea non dicuntur propriè esse simul. Hinc colligunt Doctores, quod duo corpora naturaliter nequeunt esse propriè simul, quia non sunt in vno loco primo, cum non se penetrent: benè autem corpus, & anima sunt simul.

Separatim, siue Seorsum oppositam habet significationem. Nam illa dicuntur esse separatim, *quæ sunt in altero*, id est loco primo: quæ videl. secundum locum spectata sunt in diuersis locis.

Tangere la dicuntur illa, *quorum extrema sunt*
III. *simul*: nimirum inter quorum extrema neq; intercedit aliquid positiuum, vt corpus, neq; aliquid priuatiuum, vt vacuum.

Inter, siue medium, siue interiectum dicitur illud, in quod mobile, cum continuè mouetur, natura aptum est prius peruenire, quàm perueniat in vltimũ terminum motus, in quem tendit. Quo fit, vt vbi est Inter, siue medium, ibi ad minus debeant adesse tria, scil. duo extrema, & id quod inter ea est.

Posuit in hac definitione continuitatem motus, ob id statim in tex. 23. explicat vndenam motus continuitas hauriatur? Et assignat duas conditiones. Vna est, vt sit in tempore continuo, quæ continuitas est omninò necessarie: Altera est continuitas magnitudinis per quem fit motus, quæ quandoque deficit, vt patet dum quispiam ex vno lapide transilit in alium disiunctum. Arist. adhibet exẽplum. Si quispiem pulset primam alicuius instrumenti chordam, deinde immediatè pulset vltimam: sonus, se proinde motus est continuus; quia licet intermissæ sint aliæ chordæ, tempus tamen interruptum non est. In tex. 24 explicat vnde sumende sint contraria loca, quia etiam ista continentur in dicta definitione, & ait esse illa, quæ secundum rectam lineam distant plurimùm.

In tex. 25. declarat quintum terminum, videl. esse consequenter, siue deinceps, per duas conditio-
IV. nes. Altera est, vt quod est consequenter alteri, non sit primum, sed post primum ordine quodam. Ita secundus dies Lunæ consequenter se habet ad primum, & binarius ad vnitatem, & secundus miles in acie ad primum, & tertius ad secũdum: non autem e contra. Altera conditio est, vt inter id quod est consequenter, & id cui est, nihil mediet eiusdem generis, V. G. inter milites consequenter ordinatos non mediet alius miles, & inter binarium, & vnitatem non mediet alius numerus. Nihil autem vetat, si quippiam alterius conditionis mediet, vt si inter milites consequenter se habentes intercedat lapis, aut equus.

In tex. 26. definit contiguum esse id, *quod cum consequenter est, tangit*. Vnde etiam vides differentiã inter tangere, & contiguum. Tangere enim dicit simpliciter extrema esse simul. Contiguum autem dicit extrema esse simul cum quodam ordine, qui exprimitur per illa verba *cũ consequenter est*, tangit. In eodem contex. declarat, qualia sint extrema, inter quæ sit ipsum Inter, siue medium.

Ad hæc definit continuum, & ait esse, *quando vltimum vtriusque in quo tangunt se, fuerit idem*: vt partes lineæ quæ vno eodemq; puncto vtrique parti V.
communi copulantur. Quocirca illa omnia possunt fieri continua, quæ natura apta sunt fieri vnum secundum contactum, vt aqua & aqua, si se tangunt, fient vnum: ac proinde vnum continuum: Quę verò non sunt apta fieri vnum, non euadunt continua, vt lapis & aqua, vel lapis & ferrum. Fiunt autem aliqua multis modis vnum. Quædam clauo, quædam glutine, quædam insitione, vt explicat in tex. 27. quæ tamen non sunt ita exactè continua.

In tex. 28. comparat id quod est consequenter VI.
cum ipso tangere, & asserit, illud esse superius, siue communius: siquidẽ omne quod tangit, est consequenter, at non e contra, omne quod consequenter est, tangit: nam binarius se habet consequenter ad vnitatem, nec tamen eam tangit: Deinde comparat ipsum tangere cum continuo, & ait, tangere esse superius: nam omne continuum tangit: non tamen omne quod tangit, est continuũ. His ita dilucidatis,

CAPVT IV.

Textus 31. vsque ad 46.

Explicat vnitatem genericam, specificam, & numericam motus.



Nuestigat in hoc capite vnitatem & diuersitatem motuũ. Primùm autem accipit, quod I.
vnitas motus, quemadmodũ & aliarum rerum, triplex est: Generica, Specifica, Numerica. Illi igitur motus, qui sunt in vno Prædicamento, siue qui tendunt ad terminos vnius Prædicamenti, sunt vnius generis. V.G. omnes mutationes secundum locum, sunt vnius generis, quia omnes sunt in Prædicamento Vbi. Similiter omnes alterationes; quia omnes sunt ad qualitatem. Ex opposito autem illi motus, qui tendũt ad terminos diuersorum Prædicamentorũ, sunt diuersi genere, veluti alteratio, & augmentatio, aut latio.

Illi autem motus sont vnius speciei, qui tendunt ad terminos vnius speciei atomæ, vt omnes dealbationes sunt vnius & eiusdem speciei, quia omnes tendunt ad albedinem, quæ est vna specie: Ita sunt omnes calefactiones, quia tendunt ad calorem. Si verò termini ad quos tendunt motus, differunt specie subalterna, vt est V.G. color, qui est species subalterna, cum diuidatur in alias species colorum, veluti in albedinem, nigredinem &c. tunc motus non sunt *vnius speciei simpliciter, sed specie quodam*-

modo vnus ; ita sunt colorationes.

Statim in tex. 32. mouet dubitationem, quia si motus habentes eundem terminum ad quem, sunt vnus specie, ergo quando motus localis rectus tendit ad aliquod idem punctum, ad quod etiam tendat motus circularis, tunc motus rectus, & motus circularis erunt eiusdem speciei. Hoc autem est falsum. Occurrit in tex. 33. quod isti motus habent eundem terminum materialiter: non verò formaliter: propterea *circulare a recto alterum est specie.*

In alijs duobus contex. explicat numericam motus III. vnitatem: & ait, eum motum esse propriè ac simpliciter vnum, qui est *vnus substantia, & numero*. Cum autem in motu hæc tria spectentur, *Quod, & in Quo, & Quando*, videl. mobile quod mouetur: Terminus in quo, siue ad quem mouetur, Et tempus, in quo mensuratur, ille erit vnus numero motus, in quo vnitas horum triũ afferit: Quando videl. est idem numero mobile, & hoc debet esse vnum per se, vt ipsemet Arist. aduertit in tex. 35 Idem numero terminus ad quem; Et idem numero tempus, id est non interruptum. Atque vbi vnum ex his defecit, haud amplius est vnus numero motus. Ita defectu primæ conditionis, motus, quo mouentur Ioannes, & Antonius, quamuis moueantur ad eundem numero terminum, & in eodem planè tempore, est motus diuersus numero. Defectu secundæ, non est idem numero motus, quo idemmet Ioannes mouetur ad diuersa Vbi. Defectu vltimæ, motus, quo mouetur idem Ioannes ad eundem numero terminum, diuersis temporibus est diuersus numero.

Aristot. autem circa vnitatem subiecti monet in tex. 35. quod illud debet esse vnum per se, non secundum accidens, quia quando aliquid est vnũ solũ per accidens, contingere potest, vt illud eodem tẽpore moueatur diuersis motibus, vt Petrus albus, qui est vnum per accidens, potest simul ambulare, & nigrescere. Hanc verò subiecti vnitatem requiri, ea eo confirmat, quia alias cum duo homines correpti lipitudine eodem tempore mouentur ad sanitatem, sanatio vtriusq; esset vnus numero motus, cum fiat eodem tempore, & ad eundem terminum. Quod tamen est falsum, quia *non vnus hic* motus *est*, *sed specie vnus est*.

Vnitatem etiam temporis requiri, ostendit in tex. IV. 36 quia quãdo Socrates mouetur ad alterationem, V.G. ad calorem, & postquam ab ea cessauit, rursus post vnam, vel alteram horam mouetur itidẽ ad calorem, istæ alterationes haud sunt vnus numero motus, quamuis sit vnum subiectum, & vnus terminus ad quem, quia deest idem tempus. Vnde sicut impossibile est, vt quod corruptum fuit redeat, & fiat vnum numero cum eo quod prius fuit, ita impossibile est, has alterationes esse vnum atque eundem numero motum.

Hinc in tex. 37. ait, hic occurrere difficultatem, V. huic præcedenti similem, & est. Vtrumne sanitas quæ est V.G. in Petro, cum ille perseuerat in sanitate, sit vna atque eadem numero mane, & meridie, & vesperi, & deinceps: an verò sit alia atq; alia numero? Atq; eandem difficultatem ait esse & de habitibus, & de passionibus. Et quod non sit eadem numero sanitas, probat dupliciter. Primò, quia non est idem subiectum, cum (hoc dicit non ex propria mente, sed ex opinione Heracliti) *moueri quidem videantur habentia*. (id est corpora) *& fluere*. Secundò, quia si sanitas mane, & vesperi in Petro esset vna & eadem numero, ergo & sanitas amissa, & recuperata in eodem Petro esset vna & eadem numero, *quia eadem est ratio*.

Respondet in tex. 38. concisè admodum: vnde interpretes laborant: nihilominus legitimus sensus est, quod sanitas, quãdo non interrumpitur in Petro, sed continuatur, nõ est alia numero mane, alia nunc: sed est vna eadem numero. Probat, quia si sunt duæ sanitates numero discriminatæ, ergo eodem modo deberet etiam multiplicari habitus; cum sanitas sit vt quidam habitus: Habitus autem ita multiplicari, vt in me V.G. alius sit habitus Logices mane, alius nunc, est apertè falsũ, Ita de sanitate philosophare.

At posset quispiam dicere, Habitus multiplicantur per actus: Sunt alij actus mane, alij vesperi, qua- VI. re & alij habitus. Huic obiectioni it obuiam in eodem contex. quod si est vnus actus, benè colligimus esse etiam vnum habitum: At non è contra, si sunt plures actus, ergo erunt multi habitus. Quippe idem homo præditus eadem vt V.G. ambulandi, elicit varias ambulationes. Non est autem eadem ratio de sanitate deperdita, & recuperata: quoniam istæ re vera sunt duæ numero sanitates, quia verè interrumpitur tempus: & intercedit ægritudo. Et quia in tex. nominauit assiduum rerum fluxum, & reditum eiusdem rei corruptæ, quorum primũ considerat in oct. Phys. & in 4. Metaph. secundum verò expendit in secundo de ort. & inter. ideò hic subdit, *hæ igitur considerationes extra præsentem sunt considerationem*.

Patefecit hactenus quisnam motus sit vnus substantia siue numero, quem vt penitius comprehendas, subdit in tex. 39 quod huiusmodi motus vnus VII. numero necessariò est continuus: & è contra, omnis motus continuus est vnus numero. Motus autem continui sunt, *quorum vnum sunt vltima*. Motus verò contigui sunt, quorum vltima non sunt vnum, sed sunt diuersa, *vt postquam cucurrit aliquis, statim febricitet*. *Et lampas ex successione, latio est contigua, continua autem non* Notus est ludus de cursoribus facem accensam olim deferentibus. Quò facit illud Lucretij lib. 2. *In breui spacio mutantur secla animantum, & quasi cursores vitai lampada tradunt.*

Post hæc a tex. 42. tradit alios duos modos, quibus motus appellatur vnus. Alter est, vt motus qui est perfectus, dicatur vnus, siue sit in genere, siue in specie, siue in substãtia ac numero, quia quod est perfectum, est totum & vnum, sicut etiam est in alijs rebus: Hoc autẽ debes intelligere, quod motus perfectus in suo gradu, est magis vnus quã imperfectus: nam etiã hic est vnus, cũ sit cõtinuus: vnde *differũt sicut magis, & minus*, quemadmodũ asseritur in tex. 43.

tex. 43. Item, ille motus appellatur vnus, qui est regularis, & vniformis: nimirum talis motus est magis vnus quàm sit motus irregularis eiusdem gradus. Hæc de vnitate, & diuersitate motuum.

CAPVT V.

Textus 46. vsque ad 53.

De contrarietate motuum.



Hinc incipit tertia huius lib. pars in qua Philosophus edisserit de contrarietate, quæ reperitur inter motum, & motum: tum inter quietem, & quietem, vel inter quietem, & motum: Id verò præstat optima methodo, quia contrarietas, vt explicat idem Philosophus decim. Metaph. cap. 5. est quædam species diuersitatis. Cum itaque Arist. in cap. præced. enucleauerit motuum vnitatem, & diuersitatem, meritò a communiori descendit ad particularius, & declarat eorundem motuum contrarietatem. Et quidam in hoc quinto cap. expendit, qui motus, cui motui, & quæ mutatio, cui mutationi contrarietur. In cap. autem sequ. considerat. quæ quies, cui quieti, & quæ quies, cui motui itidem contraria censenda sit.

II. Statim in tex. 46. erigit rationē ab enumeratione contrarietatum motus. Si motus contrariatur alteri motui, id porrò aueuit, Aut primò, quod illi motus sunt contrarij, quando terminus a quo vnius motus est terminus ad quem alterius; vt motus a sanitate, & motus ad sanitatem: Aut secūdò, illi motus sunt contrarij, quorum termini a quibus extitunt contrarij, vt motus a sanitate, & motus ab ægritudine. Aut tertiò, quando termini ad quos sunt contrarij, vt motus in sanitatem, & motus in ægritudinem. Aut quartò, quando terminus a quo vnius motus est contrarius termino ad quem alterius motus, vt motus a sanitate, & motus in ægritudinem. Aut denique quintò, quando termini a quibus, & termini ad quos sunt contrarij, vt motus a sanitate in ægritudinem, & vicissim motus ab ægritudine in sanitatem. Hæ sunt contrarietatum combinationes ingeniosissimè ab Aristotele dispositæ: Nec præter hasce potest vlla alia contrarietas motus excogitari, vt ipse etiam concludit, quod si motus vllo pacto existit motui contrarius, *necesse est, aut vnum aliquem horum esse modorum, aut plures: non enim est aliter opponere.*

III. Excludit deinde falsa huius enumerationis membra, eos nimirum modos, penes quos contrarietas motus reperiri nequit: Et quidem in tex. 47. eijcit quartum, qui accipiebatur secundum contrarietatem termini a quo ad terminū ad quem: & inquit, quod motus, qui est ex vno contrario non potest dici contrarius ei, qui est in aliud contrarium. Ratio est, quia vnus & idem motus non est sibi ipsi contrarius: Sed motus a termino a quo contrario ad terminum ad quem contrarium, est vnus & idem motus, V. G. vnus est motus ab ægritudine in sanitatem, aut ab albo in nigrum, quare hic nulla est motus contrarietas. Nulla, inquam, est contrarietas secundum rem: est tamen rationis, & vt Arist. loquitur, *esse non idem est ipsis*. Quippe idemmet motus qua respicit terminum a quo, est recessus: qua autem refertur ad terminum ad quem, est accessus.

IV. Reijcit in tex. 48. secundum modum, quod contrarietas motuum non est accipienda ex contrarietate terminorum a quibus incipiunt motus. Hoc ostendit tripliciter. Primò, Motus qui sunt vnius speciei, non sunt contrarij. Sed motus progredientes a terminis diuersis, aut contrarijs, possunt esse eiusdem speciei, quia habent terminum ad quem vnum specie, V. G. motus ab albo in fuscum, & motus a nigro in fuscum, & motus a fusco remissoad intensum, ergo huiusmodi motus minimè sunt contrarij. Secundò, ex illo accipienda est motus contrarietas, quod magis facit motum esse contrarium: At contrarietas terminorum ad quos, magis videtur esse causa contrarietatis motuum, quàm contrarietas terminorum a quibus. Nam terminus a quo significat recessum a contrarietate: terminus autem ad quem denotat acceptionem contrarietatis; alioquin motus contrarij dum magis tēdunt, minus essent contrarij. Tertiò, ex eo accipienda est motus contrarietas, a quo capitur eius denominatio. At motus non accipit denominationem a termino a quo, sed a termino ad quem. Quippe sanatio est motus in sanitatem, & ægrotatio est motus in ægritudinem: Non itaque contrarietas motuum accipitur a terminis a quibus motus incipiūt.

V. His reiectis, concludit in eodem tex. 48. eos motus censendos esse contrarios, *qui sunt in contraria*, qui omnino tendunt in terminos ad quos contrarios: vt erat tertius modus: *Et qui sunt ex contrarijs in contraria*, qui sunt ex terminis contrarijs in terminos contrarios, vt erat quintus modus, vt motus a sanitate in ægritudinem, & motus ab ægritudine in sanitatem sunt propriè contrarij.

VI. Hinc in tex. 49. reducit expresse tertium modum in quintum, & ait, motus qui sunt ex contrarijs, necessariò esse etiā in contraria. Ratio est, quia cum omnis motus sit ex contrario positiuo in contrarium positiuum, necessario motus qui sunt ex cōtrarijs, erunt etiam in contraria. Id idem exemplis illustrat in tex. 50. Et quidem in alteratione corporali, nam ægrotare est motus contrarius ei, qui est sanari; Quoniam ille est a sanitate in ægritudinem, hic cōtra ab ægritudine in sanitatem. In alteratione verò animi, addiscere, & ab alio decipi sunt motus contrarij. Siquidem addiscere

est moueri ab alio ex ignorantia ad scientiam: decipi verò est iidem ab alio moueri a scientia ad ignorantiam & errorem. Aduertit Arist. quod sicut in scientia, aut aliquis acquirit scientiam ea se ipso, & tunc propriè dicitur inuenire scientiam: aut accipit scientiam ab alio, & tunc dicitur addiscere: Ita in deceptione, aut decipitur ab alio, & hæc deceptio est motus contrarius ei, qui est addiscere: aut decipitur a se ipso, & hic motus est contrarius ei, qui est inuenire. Addit exempla etiam in motu locali, vt motus sursum est contrarius ei, qui est deorsum: contraria enim hæc sunt *in longitudine*, & qui est ad dextram, ei qui est ad sinistram: contraria enim hæc sunt *in latitudine*. & qui in ante, ei qui est in retro: contraria enim hæc sunt *in profunditate*.

VIII. Deinde assignat contrarietatem in mutationibus, quæ sunt generatio, & corruptio, in quibus habet locum primus modus contrarietatis, & propterea Arist. de eo hactenus nihil dixit. In mutationibus itaque est contrarietas primi modi, vt patet in generatione, & corruptione V. G. hominis. Nam terminus a quo generationis est terminus ad quem corruptionis: vt enim generatio est de non esse ad esse, ita corruptio est de esse ad non esse: Quapropter generatio est contraria corruptioni.

Ex his liquidò cernis, ex quinque modis contrarietatis superius enarratis, duos, id est secundum, & quartum esse inutiles: tertium verò, & quintum, (qui tamen reducuntur ad vnum quintum) esse in motibus: primum verò reperiri in mutationibus. Et de contrarietate quidem motuum hæc: Pergit deinde Arist.

CAPVT VI.

Textus 53. vsq. in finem libri.

De contrarietate motuum cum quiete, & quietis cum quiete.

I. 

Assignata motuum inter se contrarietate, assignat nunc Arist. contrarietatē inter motum & quietem, & inter quietem & quietem. Statim verò aduertit, quod alio modo motus contrariatur motui, alio quies opponitur motui. Motus est contrarius motui *simpliciter*, nempe verè ac positiuè: Quies verò opponitur motui priuatiuè. Contraria enim sunt in vno genere: At quies per se non est in genere, *sed quies est priuatio*: opponitur itaq; motui & motus vt habitus, & quies vt priuatio.

Iacto itaque hoc fundamento, quod quies contrariatur motui, videndum incumbit, quænam quies, cui motui contrariatur? & vt ipse loquitur, *qualis autem quali*? Non enim rationabile est, indiscriminatim quamuis quietem cuiuis motui contrariari. Propterea determinat, quod quies, quæ reducitur ad illud genus in quo est illius motus, est illi motui contraria. V. G. quies in loco contraria existit motui in loco; quies in qualitate est contraria motui in qualitate: quies in quantitate motui in quantitate. Rectè: sed

Subdit, quod ita assignare contrarietatem quietis ad motum, adhuc est aliquid vniuersale: ideircò distinguit in tex. 54 quietem, quod alia est in termino a quo motus incipit: alia est in termino ad quē est motus. V. G homo sanos quiescit in sanitate: Quippe quiescere est, ab illo in quo aliquid est, ad aliud non moueri, & vt idem Philosophus lib. sexto tex. 74. loquitur, *quiescere dicimus, quando in alio & alio Nunc verum est dicere, quod in eodem & ipsum, & partes sunt*. Deinde, Idem homo ægrotando mouetur a sanitate ad morbum: Quandiu itaque in morbo detinetur, dicitur in eo quiescere. Quæ igitur ex his duabus quietibus dicenda sit contraria motui ægrotationis, qui scil. est a sanitate ad morbum? II.

Et ponit duas conclusiones. Prima est; Quies in termino a quo, contrariatur motui qui ab eo incipit; non verò quies in termino ad quem. Vt quies in sanitate contrariatur motui ægrotationis: nō autem quies in ægritudine. Ita cum aliquid mouetur ex albo in nigrum, quies quæ est sub albo, est contraria motui denigrationis, non autem quies quæ est sub nigro. Eodem pacto motui ex nigro in album, contrariatur quies, quæ est sub nigro. III.

Secunda conclusio est de contrarietate quietum. Quietes, quæ sunt in contrarijs terminis, sunt etiam inter se contrariæ. Vt quies quæ est in sanitate, est contraria quieti quæ est in ægritudine, *quia inconueniens*, inquit, *est, si motus quidem contrarij sunt, quietes autem opposita non sunt*. Sic collige. Quæcunque sunt contraria contrarijs, ea sibi inuicem etiam sunt contraria: Sed quietes in terminis a quibus, sunt contrariæ motibus contrarijs, quare & ipsæ quietes sunt sibi contrariæ.

Quod verò quies quæ est in termino ad quem, nequaquam sit contraria motui ad illum terminum tendenti, vt quies in ægritudine non sit contraria motui a sanitate in ægritudinem, probat Arist. quia via & factio nō sunt contraria termino, & rei factæ, quæ per illam viam, & illam factionem producuntur; nihil enim produciti sibi contrarium: Sed motus est quædam via, & ἠρέμησις *quietatio*, factio nimirum quietis existentis in termino ad quem: quare hæc quies existens in termino ad quem, non est IV.

est contraria motui tendenti ad eundem terminum ad quem.

In tex. 55. conuertit orationem ad mutationes.
V. At primò repetit id quod retro sanxit; & ait, *quibus autem non sunt contraria*, id est, in mutationibus autem substantialibus contrarietas ita reperitur; vt ea mutatio, quæ est ex non ente in ens, siue ex non esse ad esse, sit contraria ei mutationi, quæ est ex ente in non ens; siue ex esse ad non esse, vt generatio est contraria corruptioni. & *istæ non sunt motus*, non enim versantur inter contraria positiua.

Deinde subdit, quod in his non est propriè quies. *& quies quidem horum non est*, sed est ἀμεταβλησία,
VI. *immutabilitas*, siue, *immutatio*, seu *non mutatio*. De qua quidem immutatione perinde philosophari debemus, ac diximus de quiete. Cum enim mutatio non fiat ex non ente simpliciter, siue ex nihilo, sed ex tali non ente fiat tale ens; siue ex non ente actu fiat ens actu; ita hic inuenimus duplicem, ἀμεταβλησίαν immutationem, sicut ibi etsi duplex quies. Vna est in termino a quo, *nam his*, inquit Arist. *erit aliquod subiectum*: Altera est in termino ad quem.

Hinc colligimus primò, quod immutatio existens in termino a quo, est contraria mutationi quæ ex eo termino incipit; non autem ei mutationi est contraria immutatio, quæ est in termino ad quem. V. G. immutatio quæ dicitur non ignis, est contraria ipsi transmutationi ex non igne in ignem, quæ est generatio ignis: immutatio autem quæ est in igne, non est contraria illi transmutationi. Sic e contra, cum mutatur ignis in aerem, siue in non ignem, immutatio existens in igne, est contraria tali transmutationi, non autem immutatio quæ est in aere, siue, in non igne.

Colligimus secundò, quod immutatio existens in termino a quo, est contraria immutationi existenti in termino ad quem, sicut quies existens sub albo est contraria quieti existenti sub nigro. Et ratio est eadem, quæ de contrarietate quietum dicta est.

His ita peractis, accingitur Arist. a tex. 56. as-
VII. signare aliam contrarietatem motuum, & quietum, quæ desumitur penes motum naturalem, & violentum. Id verò exequitur proponendo dubitationem, quæ huiusmodi est. Cur in motibus quidem secundum locum inueniuntur alius quidem motus naturalis, alius autem præter naturam, siue violentus: & eodem modo quies alia quidem naturalis, alia autem præter naturam, (vt vides in lapide, qui secundum naturam mouetur deorsum, & ita etiam ibi quiescit: vi autem impellitur sursum, & vi ibi quiescit) in alijs verò motibus hæc duo non inueniuntur? Explicat discurrendo per omnia cæterorum motuum genera. Nam in alteratione non videtur alia quidem esse alteratio naturalis, alia præter naturam; veluti nõ magis sanatio est secundum naturam, quàm ægrotatio, cum vtraque procedat a principio intrinseco ac naturali. Sic augmentatio & diminutio pari gradu fiunt ab eodem principio naturali. Ita non est dicendum, generationem quidem esse secundum naturam, corruptionem verò præter naturam, cum hæc quoque censeatur secundum naturam: Probat, *quia senescere*, quod est via quædam ad corruptionem, *est secundum naturam*.

Diluit in tex. 57. & 58. negando in alijs etiam motibus non esse motum secundum naturam, & præter naturam. Enimuerò violentum est præ-
ter naturam. Modo datur corruptio naturalis: quę VIII.
nimirum contingit per resolutionem: datur & violenta. Ita generationes quædam sunt naturales, quæ iuxta naturæ leges eueniunt: quædam *sunt violentæ, & non fato determinatæ*, quæ videl. non procedunt secundum ordinem causarum naturalium, vt abortus, aut generationes quarundam rerum, quæ per artem fiunt, aut fiunt extra tempus, vt in hyeme rosa: aut extra conditionem naturæ, vt quando igne excluduntur oua. Eodem pacto auctio alia est naturalis, alia violenta, vt dum aliquis delicatioribus alimentis ocyus pinguescit: Sic in alteratione V. G in sanatione: secundum naturam quidem liberatur quispiam in die critico: præter naturam verò in die non critico.

Ex his colligit in tex. 59. quomodo reperiatur
contrarietas in motu, & in quiete penes id quod est IX.
secundum naturam, & præter naturam. Et ait, quod motus vniuersaliter quidem sic contrariantur, vt motus sursum sit contrarius motui deorsum: *istæ enim sunt contrarietates loci*. Ita ignis naturaliter fertur sursum; terra deorsum. ergo isti motus sunt contrarij. Rursus ignis fertur per violentiã deorsum: terra sursum. ergo motus ignis sursum, & motus eiusdem ignis deorsum sunt contrarij. Quo fit vt ignis habeat duos motus contrarios. Vnus est naturalis eius motus, & est contrarius naturali motui terrę. Alter est, quod naturalis ipsius ignis motus est contrarius motui violento eiusdem ignis. Similiter & quietes: Nam quies quæ est sursum, est contraria motui qui fit de sursum in deorsũ: & illa quies sursum est præter naturalis terræ: vt namque terra ibi detinetur: & motus a sursum in deorsum est naturalis eidem terræ. Adde, quod quies terræ sursum, quæ est violenta, & quies deorsum eiusdem terræ etiam sunt contrariæ.

Excitat deinde in tex. 61. aliud dubium, an quies X.
violenta producatur a motu ad eam. Et respondet negatiuè: Vel si producitur, non fit sicut fit quies naturalis a motu naturali, sed per defectum impetus eius qui mouit.

Demum in tex. 62. mouet aliud dub. contra id quod superius dixit, quod videl. quies quæ est in termino a quo, contrariatur motui qui est ex eo termino. Quando aliquid mouetur, non statim deserit ex toto terminum a quo, sed partim est in eo termino, & partim in termino ad quem. ergo si talis terminus est contrarius motui ex eo progredienti, iam in eodem simul erunt duo contraria. Quod

non

non videtur dicendum. Occurrit, haud esse inconueniens, duo contraria secundum quid esse simul.

Tandem in tex. 63. colligit per epilogum, se iam dixisse, quomodo in motu, & in quiete sit vnitas, & quomodo contrarietas dum ait, *& de motu quidem & quiete, quomodo vtrumque vnum est, & quæ quibus contraria sunt, dictum est*.

Verumtamen sciro, hic esse finem huius quinti
XI. libri in quibusdam codicibus græcis, duos verò sequentes contex. existimari adulterinos: Sic adnotatur in margine mei græci codicis, vbi lego, *τέλος τοῦ παρόντος βιβλίου ἔν τισιν ἀντιγράφοις*, idest, *finis præsentis libri in quibusdam exemplaribus*, Sic etiam adnotauit Alex. & Simplic. Quinimo Auerr. in com. 64. obseruat, textum 64 & 65. *non inueniri in quibusdam libris*, id est arabicis, vt notat S. Thom. Hinc Themist. in sua paraphrasi, & etiam codex Parisiensis textus eos 64. & 65. prætermiserunt, & finem huic quinto libro imposuere in tex. 63. Et sanè mihi quoque tex. 63. videtur esse finis præsentis libri. Tum quia Arist. in hoc tex. 63. suo more facit dictorum epilogum: Quod si adhuc annectendi essent duo textus, insulsè fieret ille epilogus. Tum quia in his duobus tex. 64. & 65. reponuntur eædem res, & præsertim in tex. 65. reculcatur eadem difficultas, & ijsdemmet verbis, quæ fuit in tex. 59. Non solet autem Aristot. repetere. Iccircò existimo hanc partem fuisse ab aliquo alio auctore additam libro Aristotelis, quem ille possidebat, & fuisse ab illo scriptam, siue in margine, siue ad finem illius libri: postea alterius scriptoris inscitia esse libro Aristotelis adiunctam.

Finis Comprehensionis libri quinti.

COMPREHENSIO
LIBRI SEXTI PHYSICORVM,
FACTA A IOANNE COTTVNIO.

CAPVT I.

Textus 1. vsque ad 11.

Demonstrat Arist. omne continuum componi ex partibus diuisibilibus.



Sextus hic liber, si quis alius, apprimè subtilis ac pulcher-
I. rimus est. Continuatur cum præced. hoc modo: Declarauit Philosophus in lib. proximè antegresso diuisionem, & vnitatem motus iuxta ipsius species: declarat nunc diuisionem, & vnitatem eiusdem motus secundum partes quantitatiuas, seu integrantes. Cuius instituti ratio aperta est. Quippe diuisio secundum species est essentialis in motu: diuisio verò integralis respectu eiusdem motus est veluti accidentalis: Essentialia autem debent præire: sequi verò accidentalia.

Consilium itaque Philosophi est determinare, motum non componi ex indiuisibilibus, sed ex partibus continuis, & semper in alias atque alias diuisibilibus. Vt autem id assequatur, ostendit id primò vniuersè de omni continuo. Quocirca statuit hanc conclusionem. Impossibile est, aliquod continuum componi ex indiuisibilibus, veluti lineam ex punctis, sed omne continuum componitur ex partibus continuis, & iterum atque iterum diuisibilibus.

Probat primò. Si vllum continuum componeretur ex indiuisibilibus, illa porrò aut essent inter II.
se continua, aut contigua, aut consequenter. Nullo quippe alio modo possunt aliqua concipi, ex quibus quippiam integretur. Atqui indiuisibilia nullo modo ex his valet se habere: quare continuum nullo modo valet ex ijs componi. Minorem probat ex definitionibus continui, contigui, & conse-

quentar

quenter iam superius patefactie. Nam continua illa sunt, quorum vltima sunt vnum: Contigua autem, quorum vltima sunt simul. Sed indiuisibilia non habent vltima, siquidem quod habet vltimum, habet & aliud quod non est vltimum, respectu cuius sic talatiue dicitur vltimum: *Etenim vltimum* inquit Arist. *est vltimum, & id cuius est vltimum*. ergo indiuisibilia neque continua, neque contigua esse queunt: proinde haud poterunt quicquam componere.

III. Secundò id idem in tex. 2. sic probat. Si indiuisibilia componerent ipsum continuum, aut essent inter se continua, aut contigua, seq. tangentia, vt nunc dicebamus. Non sunt continua, vt ratio modo confecta demonstrat. At neque esse contigua & se tangentia, ita probat. Quandocunque aliqua sunt contigua, & vnum tangit aliud, aut vnum totum tangit aliud totum; aut pars vnius tangit partem alterius: aut pars vnius tangit totum aliud. In indiuisibili, cum penitus partibus careat, affirmari nequit, quod pars vnius tangat partem alterius: aut quod pars vnius tangat totum aliud. Restat itaque vt si duo indiuisibilia, veluti duo puncta, se se tangunt, profectò ea se tengant tanquam vnum totum tanget aliud totum. At ex duobus, quorum vnum totum tangit aliud totum, neutiquam potest componi continuum. ergo &c.

Minorem probat. Continuum habet partem extra partem, *aliam atque aliam*. & habet *partes separatas etiam loco*. Conspicuum autem est, quod

IV. vbi vnum totum secundum se totum tangit aliud totum, ibi non est pars extra partem, neque vnum totum est loco seiunctum ab alio toto, sed vnum vsquequaque penetrat aliud: Quo fit, vt non occupet alium locum ab eo, quem illud aliud totum occupabat: Id quod in lapidibus V. G. ad ædificium congestis potes examinare. Enimuerò si vnus lapis super alium adiectus tangeret priorem lapidem secundum se totum, & ille alius tangeret hunc itidem totum, vnus sanè penitus intromitteretur in alium, ideòque neque vlla ibi interuenirer extensio, neque alius esset vnius lapidis locus alius altérius. Proinde nulla ibi exurgeret maior moles. Hinc fluxit commune dictum, quod *indiuisibile additum indiuisibili non facit maius*. Non igitur indiuisibilia possunt se tangere.

V. Quod denique ea ipsa indiuisibilia neque se consequenter habere possint, ita vt vnum punctum sit consequenter alteri puncto ad componendam lineam; & vnum instans sit itidem consequenter alteri instanti ad constandum tempus, & ita in aliis continuis, ostendit Arist. ex definitione eorum quæ sunt consequenter. Nam illa se habent consequenter, vt etiam superius fuit explicatum, inter quæ non mediat aliquid eiusdem generis: Modo inter duo puncta in linea perpetuo mediat aliquid eiusdem generis. Siquidem inter punctum, & punctum in linea semper mediat linea, in qua adhuc sunt innumera alia puncta; quæ porrò sunt eiusdem generis cum punctis prioribus. Simili ratione in tempore inter vnum Nunc, & aliud Nunc perpetuo mediat tempus: non enim punctum immediatè succedit puncto, neque instans instanti: quare puncta in linea, & instantia in tempore non se habent consequenter.

Perpende, quod huius rationis vis fundetur in rationibus nuper confectis. Enimuero inter punctum & punctum in linea, sicut ipsemet Stagirites vrget in tex. 3. aut mediat aliquid, aut nihil. Si nihil, ergo illa duo puncta erunt inter se aut continua, aut contigua: Quod iam reiectum est. Si verò mediat, id quod mediat, aut est indiuisibile, aut diuisibile. Non indiuisibile, quia redit idem argumentum. ergo est diuisibile: Id verò in linea ecquid aliud esse potest, quàm linea? & in tempore quid vnquam aliud erit quàm tempus? Hæc est prima Philosophi demonstratio.

Apponit in tex. 3. secundam principalem rationem ea definitione continui assignata in tex. 1. libri tertij, quod continuum sit, quod est in infinitum diuisibile: & sic formatur. Vnumquodque in ea diuiditur, ex quibus compositum est: & e contra, ex ijs componitur, in quæ diuiditur. Sed continuum nequit diuidi in indiuisibilia. Cur? quia si diuideretur in indiuisibilia, cum illa vlterius diuidi non possent, sisteretur illius diuisio: ac proinde continuum haud esset diuisibile in infinitum. Præterea, aut continuum est diuisibile in indiuisibilia, aut in alia semper diuisibilia. Non prius, quoniam tunc duo indiuisibilia se se tangerent, cum ea ex quibus continuum componitur, se tangant ergo diuiditur in alia *diuisibilia semper: & id continuum esse constat*. VI.

Colligit rationem de motu: Et ostendit per regressum ex compositione motus, & temporis, magnitudinem non componi ex indiuisibilibus.



Rationes, quibus hucusque ostendit continuum non componi ex indiuisibilibus, innuuntur contactui: Contactus autem apprimè apparet in magnitudine permanente, vt in linea: minus autem apparet in magnitudine successiua, videl. motu, & tempore: propterea in tex. 4 colligit, quod quantum ad compositionem ac diuisionem, eadem est ratio de magnitudine permanente, ac de motu, & tempore, ita vt si illa non componitur VII.

ex

ex indiuisibilibus, neque motus & tempus componantur ex indiuisibilibus: & si illa non diuiduntur in indiuisibilia, neque etiam motus & tempus.

Rursus ex alijs capitibus euidentius constat, motum & tempus nulla ratione posse ex indiuisibilibus constari: ob id peculiariter ostendit repugnare omninò motum, & tempus constari ex indiuisibilibus: Ex qua repugnantia colligit per regressum, neque magnitudinem componi ex indiuisibilibus.

VIII. Erigit autem huiusmodi argumentum. Si magnitudo est ex indiuisibilibus, etiam motus & ipsum moueri, (idem mox dicet de tempore) esset ex indiuisibilibus: At omninò impossibile est, motum & ipsum moueri esse ex indiuisibilibus, quare impossibile quoque erit, magnitudinem, videl. permanentem, esse ex indiuisibilibus. Ponit itaque in tex. 5. hanc propositionem. Si magnitudo est ex indiuisibilibus, necessario & motus, qui per eam transit, est ex indiuisibilibus æqualibus numero ijs, ex quibus componitur magnitudo. Et ita etiam erit asserendum de tempore. Etenim hæc tria, magnitudo, motus, & tempus ita se habent inter se, vt motus immediatè consequatur magnitudinem, & tempus immediatè consequatur motum.

IX. Declarat dictam propositionem. Totus motus respondet toti magnitudini supra qua fit, & partes motus respondent partibus magnitudinis. Accipiatur igitur magnitudo quæ ex tribus partibus indiuisibilibus constet A B. C. ergo & motus factus super illa magnitudine erit compositus ex totidem partibus, nimirum ex tribus partibus indiuisibilibus, quæ sint, D. E F. Quare necessario pars indiuisibilis motus D. respondet parti indiuisibili magnitudinis A. & subsequens pars indiuisibilis motus E. respondet parti indiuisibili magnitudinis B. & denique pars indiuisibilis motus F. respondet parti indiuisibili magnitudinis C. Et si hæc non ita sibi correspounderent, necessario aut motus excederet magnitudinem supra quam adæquatè fit, aut magnitudo excederet motum: quorum vtrumque repugnat. Ex quibus liquido cernis, quod si magnitudo constat ex indiuisibilibus, motus quoque ex indiuisibilibus, & totidem constet necesse est.

X. Infert in tex. 6 quod si motus constat ex indiuisibilibus, ergo & ipsum actu moueri (nimirum motus in concreto, & in actuali exercitio) constabit ex ijsdem. Probat, quia quando motus est præsens, tunc res mouetur, & e contra, quando res mouetur, tunc motus est præsens. ergo ipsum actu moueri correspondet motui, ac proinde sicut indicamus de motu, sic de ipso etiã actu moueri iudicare debemus: atq; adeò si motus est ex indiuisibilibus, eodem pacto fuerit & ipsum moueri. Assumptum est manifestum etiam in alijs formis, & in concretis illarum: Quippe in quo est calor præsens, illud actu est calidum, & quod actu est calidum, in eo est calor præsens. Ex his itaque manet conspicua illa Stagiritæ illatio, quod si magnitudo est ex indiuisibilibus, ergo & motus, & tempus.

Deinde in tex. 7. commonstrat esse impossibile, moueri, & motum fieri in indiuisibili. Primò autem statuit hoc fundamentum. Id quod mouetur XI. ab vno ad alium locum, non potest simul moueri, & esse in illo ad quod mouebatur. V. G. dum quispiam Athenis it Thebas, nequit simul ire Thebas, & esse Thebis. Quæ quidem suppositio conspicua est, tum ex ipsa motus successione, tum ex differentia spacij: quia vnum quidem, videl. moueri, est via: Alterum autem, videl. esse motum, est terminus.

Quo quidem fundamento iacto, ita progreditur. Accipit primam partem motus D. quæ ad aures aduersarij supponitur indiuisibilis, & respondet parti itidem indiuisibili magnitudinis A. Et moueatur per ipsum A. mobile G. Tunc sic vrget. Quando G. mouetur per A. aut simul est etiam motum, aut non. Primum dici nequit, quia repugnat, vt dixi, simul moueri, & esse motum: simul transire, & transijsse. ergo dicendum est secundum, quod scil. quando mouetur per A. non est adhuc motum, sed posterius erit motum. Tunc subdet: sed in quo est prius & posterius, illud non est indiuisibile, quare si in ipso moueri per A. & esse motum in eodem A. est prius & posterius, profectò neque ipsum moueri erit indiuisibile, neque ipsum magnitudinis A. erit indiuisibile.

Diceret aliquis, quod mobile G. mouetur qui- XII.
dem per totam magnitudinem A. B. C. cæterùm in singulis dictæ magnitudinis partibus indiuisibilibus non moueatur, sed est motum: ita in singulis partibus indiuisibilibus motus non est moueri, sed motum esse. Quocirca non sequitur, in dicta parte magnitudinis A. quæ est indiuisibilis, esse prius & posterius: & per consequens neque in singula parte motus, quæ etiam supponitur indiuisibilis, erit prius & posterius. Ita respondebant nonnulli Veterum, inter quos erat Epicurus, vt adnotat etiam Simplic.

Intercludit Arist. in tex. 8. hanc fugam, compellendo aduersarium ad triplex absurdum. Primum est. Si mobile non mouetur in singulis ma- XIII.
gnitudinis partibus, ergo in singulis illis partibus, id est in A. & in B. & in C. non est motus. Hæc consequentia patet ex suppositione nuper facta, quod in quo est motus præsens, illud mouetur, & e contra. Quod si concesseris, in singulis illis partibus haud esse motum, sequitur, vt totus motus factus per illam magnitudinem componatur ex non motibus, sed ex momentis: Quod porrò perinde repugnat, ac lineam non componi ex lineis, sed ex punctis. Adde, quod aliquod mobile esset per illam magnitudinem motum, quod tamen non fuit motum: Et quod transiret aliquod spacium, nunquam transiens. Quæ omnia planè absurda sunt.

In tex. 9. infert alia duo absurda. Vnum XIV.
est: Si mobile in singulis magnitudinis partibus

bus non mouetur, ergo in illis quiescit. Quippe quod aptum est moueri, dum non mouetur, id sanè quiescit. Mobile in singulis illis partibus aptum est moueri, & non mouetur. quare in illis quiescit. Quod si mobile in singulis magnitudinis partibus quiescit, profectò idemmet mobile simul quiescit, & simul continuè mouetur. Hæc conseq. patet, nam quiescit secundum quamlibet illius magnitudinis partem, ergo per totam magnitudinem quiescit, cum tota nihil aliud sit quàm partes: Rursus per totam mouetur, ergo simul quiescit, & continuè mouetur.

XV. Alterum inconueniens est, quia aut in illis indiuisibilibus partib. A. B. C. in quibus mobile, iuxta aduersarium non mouetur, est motus, aut non. Si est motus, ergo in illis mobile re vera mouetur: præsente namque motu, res moueatur omninò necesse est. Sin autem in illis partibus non est motus, profectò motus erit interruptus, & componetur ax non motibus. Hic absoluit demonstrationem de magnitudine, & motu.

XVI. Conuertit deinde orationem a tex. 10 ad tempus, & ait; Si magnitudo, & motus sunt indiuisibilia, sina ax indiuisibilibus, ergo eodem modo erit & tēpus. Monuit enim Arist. superius, quod motus immediatè consequitur extensionem magnitudinis, & tempus immediatè consequitur extensionem motus. Quocirca quemadmodum magnitudo, & motus sunt, siue ax indiuisibilibus, siue ex diuisibilibus, ita est & tempus.

Id idem confirmat Arist. tribus rationibus, quarum prima iacet in tex. 10. formata per mobile æquè velox. (reliquas duas expendemus in cap. sequenti.) Accipit autem primò, quod ratio mobilis æquè velocis est, vt minorem magnitudinem transeat in minori tempore. V. G. si centum passus vna hora conficit, quinquaginta conficiat semihora. Quo posito sic vrget. Sit magnitudo A.B.C. cuius partes omnes supponantur diuisibiles. Et mobile G. moueatur per partem A in tempore H. Tunc pars A. est diuisibilis, ergo mobile G. illam transiens, prius transibit eius partem quàm totam: quare partem illam transibit in parte temporis H. ergo pars ista temporis H. est ita diuisibilis, sicut est pars ipsius A. Ecce igitur, sicut magnitudo est diuisibilis, ita & tempus est diuisibile. Eadem proportione id idem poteris colligere de tempore & de motu: tempus etenim, vt retro monui, immediatè pensitatur penes motum. Pari proportione poteris e conuerso conficere, quod si tempus est diuisibile, ergo & motus, & magnitudo.

CAPVT II.

Textus 11. vsque ad 24.

Ostendit adhuc tempus neutiquam componi ex indiuisibilibus, nisi & magnitudo ita fuerit composita: Et comparat tempus, & magnitudinem in infinitate.



TRia facit in hoc cap. Primò prosequitur demonstrare tempus non coalescere ex indiuisibilibus, sed ex semper diuisibilibus. Secundò comparat tempus, & magnitudinem quantum ad finitatem, aut infinitatem. Tertiò diluit quoddam Zenonis dubium. I.

Quod spectat ad primum, cum in tex. proximè præced. confecerit primam rationem ad probandū reciprocationem magnitudinis, & temporis in compositione, subnectit nunc alias duas, quarum alteram struit per duo mobilia, quorum vnum sit velocius, alterum tardius: quam quidem rationem protrahit per sex cones. Alteram verò erigit in tex. 17. per idemmet mobile.

Pro priori ratione præscipit tria de mobili, quod velocius mouetur. Vnum est: Id quod est velocius, in tempore æquali maius spacium transit, II. quàm id quod est tardius. Alterum est, Id quod est velocius, potest in minori tempore transire æquale spacium ei, quod mobile tardius transit in maiori tempore. Tertium est: Id quod est velocius, potest in minori tempore transire maius spacium, quàm transeat tardius in maiori tempore. Quæ quidem dicta Arist. comprobat solidis demonstrationibus per elementa literaria. Et Auerr. ac S. Thom. adijciunt etiam figuras, quibus rem sistunt ob oculos: At mihi nunc consilium non est ita latè espatiari. Quæ tamen tria dicta, si supponas ex Aristotele lib. quarto huius operis tex. 96. quod ***velox est, quod in pauco multum mouetur: tardum autem quod in multo parum.***, tute ipse vides in comparatione V. G. leporis, & hominis, aut testudinis currentium in aliquo spacio.

Præterea accipit in tex. 15. alia duo dicta, ex

III. quibus adhuc colligit tertium. Primum est, quod omnis motus est in tempore: & in omni tempore possibile est aliquid moueri. Quod dictum abundè demonstratum est in lib. quarto.

Secundum dictum: Omne quod mouetur, potest & velocius, & tardius moueri. Cuius sensus est, quod dato quocunque mobili veloci, potest concipi aliud velocius; & dato quocunque mobili tardo, potest concipi aliud tardius. Porrò hoc dictum intelligit Arist. secundum communem rationem motus, non verò quatenus motus est a parte rei applicatus huic, aut illi mobili: quoniam a parte rei datur motus primi mobilis, quo non est alius motus in rerum natura velocior: Sed Arist. hic loquitur de motu, & mobili vt a nobis possunt concipi. Hæc est communis eius dicti expositio. Verumtamen ego existimo, demonstrationem Philosophi habere vim etiam si comparentur sola duo mobilia, quorum vnum sit velocius, alterum tardius, vt in ipsa demonstratione videbis.

Tertium dictum colligitur, quod in omni tempore dato, potest aliquid velocius, & tardius moueri quàm sit motus datus in tali tempore.

Quibus ita iactis, erigit admirabilem demon-
IV. strationem, qua probet, tempus esse continuum, *dico autem*, inquit ipse in tex. 15. *continuum id, quod est diuisibile in semper diuisibilia*. Ac proinde sic etiā esse magnitudinem: & hæc duo reciprocari. Si magnitudo est ex indiuisibilibus, ergo & tempus: & si tempus, ergo & magnitudo. Demonstratio struitur ab Stagirite per elementa, vt dixi, litterarta, tum causa breuitatis: tum quia hic est Mathematicorum mos: Mathematicæ autem ea tempestate apprimè erant in vsu.

Nos claritatis gratia ponamus res signatas. Sit equus mobile velocius: Homo autem sit mobile tardius. Et moueatur homo per magnitudinem centum passuum in vna hora. ergo equus, vtpote homine velocior, transibit illam eandem magnitudinem in minori tempore, quàm fecit homo. Hæc conseq. conspicua est ex fundamentis superius iactis. Tanto autem erit minus tempus in quo equus illam magnitudinem transit, quanto equus est velocior homine. Transeat igitur equus illam magnitudinem centum passuum in tempore trium quartarum vnius horæ. Ecce ergo tempus diuiditur. Nam vbi erat vna hora, diuisa est in duas partes, & remanserunt tres quartæ.

V. Rursus accipio tempus trium quartarum, & dico. Si equus in tribus quartis transiuit magnitudinem centum passuum, ergo homo, vtpote tardior, in tribus quartis transibit minorē magnitudinem. Transeat ergo magnitudinem octoginta passuum. Ecce igitur etiam magnitudo diuiditur: siquidem vbi prius erat centum passuum, remansit octoginta passuum.

Rursus progredior a magnitudine octoginta passuum decursa ab homine, & dico: Si homo transiuit magnitudinem octoginta passuum in tribus quartis, ergo equus transibit illam eandem magnitudinem in minori tēpore, id est in semihora. Ecce iterū diuiditur tempus. Rursus accipio tēpus semihoræ, & dico; Si equus in semihora transiuit magnitudinem octoginta passuum, ergo homo in semihora transibit minorem. Transeat ergo quadraginta passus. Ecce iterum diuido magnitudinem. Vnde vides, *quod id quod est velocius, diuidit tempus: id autem quod est tardius, diuidit magnitudinem*. Sic iterum atque iterum repeto commutationem a diuisione temporis, factam a mobili velociori, ad diuisionem magnitudinis: & e contra a diuisione magnitudinis, facta a mobili tardiori, ad diuisionem temporis semper ac semper progredior. Et cum in omni tempore possit fieri motus, sequitur, vt tempus, quousque manet tempus, semper possit diuidi: & diuidi in ea in quibus possit adhuc fieri motus.

Non posset autem ita diuidi, si componeretur ex indiuisibilibus. Cur? quia tunc diuisio eius finiretur in illis indiuisibilibus. Hinc Arist. in tex. 16. concludit; *si igitur semper quidem verum est cōuerti, conuersio autem semper est diuisio, manifestum est, quod omne tempus continuum est*. Ita etiam erit de magnitudine philosophandum. quia *ijsdem, & æqualibus diuisionibus & tempus, & magnitudo diuiditur*, vt dicitur in tex. 17.

Addit in eodem tex. 17. tertiam probationem, *ex consuetis rationibus*, quibus nimirum illi consue- VI.
uerant viri, qui hanc materiam tractarunt; quarum vna est hæc, quod idem mobile regulariter motum, si in tanto tempore transit tantam magnitudinem, in dimidio tempore transit dimidiam illam magnitudinem: & rursus in dimidio illius dimidij temporis transit dimidium illius dimidiæ magnitudinis, *& vniuersaliter in minori minus*. quare euidens est, magnitudinem & tempus in compositione ac diuisione reciprocari, &c.

Finitas, & infinitas in magnitudine, & in tempore reciprocantur.



Emonstrauit hucusque æqualiter inueniri compo- VII.
sitionem in magnitudine & in tempore: commonstrat nunc etiam finitum, & infinitum in ijs ipsis æqualiter inueniri. Ac primò quidem ipse hoc proponit. Secundò, diluit quoddam Zenonis dubium. Tertiò probat suum propositum.

Proponit in tex 18. quod si alterum istorum, videl.

videl. magnitudo & tempus, est infinitum, alterum quoque erit infinitum: Et quo modo vnum est infinitum, eo erit infinitum & alterum. Sic e conuerso, si vnum est finitum, alterum quoque finitum erit. & eo modo erit, quo & alterum.

Declarat inducendo duos infiniti modos. Vnum appellat *infinitum in vltimis*, quod omnium actu careat vltimis: & hoc in tex. 19. vocat *infinitum secundum quantitatem*. Alterum nuncupat *infinitum diuisione*, quia scil. in infinitum valet diuidi. Prius, vt in tertio lib. vidimus, est infinitum actu: Posterius, est infinitum potentia.

VIII. Dicit itaque, quod si magnitudo esset infinita in vltimis, ita etiam esset tempus infinitum in vltimis: & si magnitudo est infinita solum potentia, & diuisione; actu autem est finita, ita & tempus est infinitum tantummodo potentia, ac diuisione, actu autem est finitum: Et si magnitudo esset vtroque modo infinita, tempus quoque esset vtroq; modo infinitum.

IX. Ex hac infiniti distinctione depellit in tex. 19. Zenonis argumentationem, existimantis nihil in natura moueri vnquam. Argum. autem hoc erat. In magnitudine sunt partes infinitae: At partes infinitae in tempore finito, quale esset illud, in quo fieret motus, nequeunt transiri, & singillatim omnes tangi: Deberent autem transiri, & vnaquaeque singillatim tangi, si aliquid per illam magnitudinem moueretur: Cur? quia quod transit aliquod totum, profectò pertransit etiam omnes eius partes: ergo nihil mouetur.

Respondet Arist. hanc rationem peccare, propterea quod procedit ab infinito potentia ad infinitum actu. Infinita namque in magnitudine sunt tãtum potentia: vnde vt transeantur, haud exigunt tempus infinitum actu, sed exposcunt infinitum eo tantum modo, quo est infinitum illud magnitudinis, id est infinitum solum potentia. Tale autem infinitum est etiam tempus. Si verò magnitudo sit actu infinita, vtique tempore finito pertrãsiri nequit: sic e conuerso, si illa sit finita, non potest tempore infinito transiri.

Hoc autem secundum dictum intelligit Aristot. quando mobile motu recto, & semel facto transit per illam magnitudinem, non autem quando per magnitudinem finitam iterum atque iterum redit, quemadmodum contingit in conuersione caeli: vbi motus & tempus super magnitudine finita aeternantur, vt in oct. lib. huius operis, & lib. primo de caelo ostenditur. Itaq; *si tempus quidem infinitum sit, & magnitudo erit infinita: & si magnitudo, & tempus.*

Dein pergit a tex. 20. hoc demonstrare: & demonstratio facile sic potest perstringi. Primò accipit duo. Vnum est, quod quaeuis pars cuiuscunque magnitudinis, aut mensurat totam illam magnitudinem, aut eam excedit, aut ab ea deficit. Dicitur pars mensurans totam magnitudinem, quando illa aliquoties repetita adaequat totam magnitudinem, ita vt nihil illius magnitudinis neque exsuperet, neque deficiat. Pars autem excedens est, quando repetita exuperat dictam magnitudinem. Pars denique deficiens est, quando iterata non adaequat illam magnitudinem, sed aliquid magnitudinis superest.

X. Quae omnia licet in numeris animaduertere. Numerus dualis est pars numeri senarij: est autem pars mensurans, quia ter repetitus adaequat numerum senarium. Ita numerus ternarius est pars itidem mensurans eiusdem numeri senarij, quia bis acceptos facit sex. Idem autem ternarius respectu quinarij est pars excedens, cum repetitus faciat plura quàm quinque. Respectu verò numeri septenarij idem numerus ternarius est pars deficiens, cum repetitus deficiat a toto. In praesenti vtitur Arist. solis parte mensurante.

Alterum quod Aristot. accipit est, quod aequalis magnitudo ab eodem mobili regulariter moto in tempora aequali pertransitur. Quod quidem dictum de se in aperto est, & superius quoque fuit ostensum.

Quibus sic constitutis, demonstratio ita erigitur. Sit magnitudo finita V. G. mille passuum, (nil refert accipere magnitudinem mille passuum, aut quamuis aliam, modo sit finita) sit autẽ tempus infinitum. Ex sumo aliquam partem finitam ex tempore illo infinito, V. G. vnum diem. Quippe quid vetat ex illo infinito partem aliquam finitam accipere? Tunc sic arguo. In tempore isto finito, nempe in vno die, mobile transit aliquam partem illius magnitudinis mille passuum. Transeat ergo vnum passum. Rursus accipio alium diem, & in eo idem, aut consimile aliud mobile transeat alium passum eiusdem magnitudinis: ita fit, vt exacto millesimo die, dicta magnitudo finiatur: Siquidem vnus passus est pars mensurans dictae magnitudinis. Et nihilominus tempus post millesimum diem adhuc remanet infinitum. ergo impossibile est, tempore infinito transiri magnitudinem finitam. Transiri, inquam, adaequatè. XI.

Eadem demonstratio conuincit, quod non possit esse tempus quidem finitum, magnitudo verò infinita. Sumo etenim aliquam determinatam partem illius infinitae magnitudinis, quae debeat in aliqua parte temporis pertransiri: Tandem partes iam ponis, atque adeò tempus totum, vtpote finitum, absumentur: magnitudo verò remanebit infinita.

Ex his quae hucusque Arist. edisseruit, concludit in tex. 22. nullum omninò continuum, siue id sit magnitudo permanens, vt linea, superficies, corpus; siue successiua, vt motus, & tempus, componi ex indiuisibilibus, tanquam ex suis partibus, aut diuidi in indiuisibilia, sed continuum omne esse diuisibile in semper diuisibilia, *& propter id quod nunc dictum est, & quia accidet diuidi indiuisibile.* XII.

Hanc consecutionem, quod ex opposita sententia consequatur diuidi ipsum indiuisibile, probat in

in tex. 23. & demonstratio est hæc. Sit mobile tardum: sit & aliud duplo velocius. Certum est, hoc mobile duplici proportione velocius in tempore æquali transire duplum spacium, siue magnitudinem, quàm facit mobile tardum. Hæc suppositio ex se constat.

Præterea, accipiamus magnitudinem compositam V. G. ex tribus indiuisibilibus. Hæc suppositio accipitur ex opposita sententia constituente continuum esse ex indiuiduis. Tunc sic collige. Mobila velox pertransit totam magnitudinem trium indiuisibilium in tempore etiam trium indiuisibilium: tempus quippe & magnitudo sibi correspondent. ergo mobile duplo tardius in eodem tempore transibit dimidiam partem illius magnitudinis, quæ est vnum indiuisibile, & adhuc medium. Ecce igitur quod ipsum indiuisibile diuiditur tum in magnitudine, tum in tempore.

CAPVT III.

Textus 24. vsque ad 33.

Ostendit Arist., Nunc, siue instans esse indiuisibile: Et nihil in eo posse moueri, neque quiescere. Tum omne quod mutatur esse diuisibile.



Atefecit hactenus nullum continuum componi ex indiuisibilibus tanquam
I. ex sui partibus; sed ex alijs partibus continuis: Eodemque pacto nullum diuidi in indiuisibilia, sed in alia semper diuisibilia. Sic ergo erit & tempus, & motus: Sunt enim hæc veluti species continui: At diceret quispiam. Quomodo ergo, & quæ sunt illa, in quæ tempus, & motus diuiduntur? Hoc aggreditur deinceps explicare: Et in capite quidem præsenti sternit nonnulla, quæ suo instituto deseruiunt: In capite autem sequenti determinat motus diuisionem.

Statim verò diuidit ipsum Nunc, quod aliùd quidem dicitur per se ac primò: Aliud verò ratione alterius, siue *secundum alterum*. Hoc secundo modo hæc hora, & hic dies possunt dici Nunc, & præsentes, sicuti dicimus, nunc, id est in hac hora, vel in hoc die fit aliquid. Porrò ista non dicuntur nunc, & præsentia per se ac primò, sed ratione ipsius Nunc & instantis, quod includunt. Nunc autem primo modo est, inquit Arist. *indiuisibile, & inexistit in omni tempore.*

Primò explicat, quid sit istud Nunc, siue instans: deinde probat esse indiuisibile. Ait itaque, Nunc esse terminum immediatum temporis præteriti, II.
& futuri. *Esse vltimum quoddam præteriti, cuius versus hæc nihil futuri est: & rursus futuri, cuius versus illa nihil est præteriti.* Cuius dicti hæc est ratio, quod cuiuscunque continui finiti necessario datur aliquod vltimum, vltra quod nihil est eius, cuius est vltimum: sicut vltra punctum vltimum lineæ nihil est lineæ: Sed tempus præteritum collatum ad præsens est quoddam continuum finitum, quare datur eius vltimum, vltra quod nihil est temporis præteriti. Eadem ratione tempus futurum collatum ad præsens est quoddam finitum, ergo est eius aliquod vltimum, ante quod nihil est temporis futuri. Hoc itaque vtriusque temporis vltimum est ipsum Nunc, siue instans. Quo explicato subdit Aristot. quod si ostenderimus, esse vnum tantum & idem Nunc, quod secundum se terminat vtrumque tempus, videl. præteritum, & futurum, simul ostendemus, illud esse indiuisibile. Quippe scire instans esse vnum, & scire esse indiuisibile, est in eodem ordine vt loquitur Auctr.

Hinc in tex. 26. probat, quod *necesse est idem esse ipsum Nunc, quod vltimum vtrorumque temporum* III.
est. Ratio sic colligitur. Si non est vnum & idem Nunc temporis vtriusque, quod sit finis quidem præteriti, principium verò futuri, sed sunt duo, ita vt finis præteriti sit vnum instans, principium verò futuri sit aliud instans, tunc illa duo aut se inuicem tangerent, aut vnum esset seorsim ac distans ab altero. Neutrum istorum potest dici: ergo &c. Minorem probat, & quo ad primam partem, quia si illa duo instantia se se tangerent, ergo tempus componeretur ex ipsis instantibus & indiuisibilibus aggregatis, Hoc autem iam superius est reiectum. Probat eandem minorem quo ad secundam partem, quia si vnum Nunc esset seorsim ac distans ab altero, ergo inter illa duo Nunc esset tempus medium. Hæc enim est natura cuiuscunque continui, vt inter duo indiuisibilia semper intercedat continuum medium, quemadmodum in linea inter quælibet puncta mediat linea. Hoc significat Arist. cum ait, *omne enim continuum huiusmodi est, vt aliquid sit vniuocum inter fines.* Sed impossibile est inter duo illa Nunc mediare tempus, quare impossibile quoque erit, illa Nunc esse seorsim, & vnum esse distans ab altero.

Hanc minorem rursus probat, cum ait, *at* IV.
verò si tempus medium est, diuisibile erit: omne enim tempus, ostensum est, quod diuisibile sit.

quare

Digitized by Google

quare diuisibile erit ipsum Nunc. Sic ostende.
Quicquid est medium inter præteritum, & futurum, illud dicitur Nunc, & quidem Nunc per se
ac primò: Sed tempus quod mediaret inter duo
illa Nunc, quorum vnum esset finis præteriti, alterum esset principium futuri, est medium inter præteritum, & futurum, ergo illud tempus est dicendum Nunc. Subsume: Sed omne tempus est diuisibile, ergo illud medium tempus est diuisibile.
ergo si illud medium tempus est Nunc, profectò
ipsum Nunc est diuisibile, & sic indiuisibile est
diuisibile.

Diceret fortasse quispiam, illud intermedium
Nunc esse diuisibile. Contra hoc insurgit Arist.
V. quia si hoc daretur, sequitur aliquid præteriti esse in
futuro: & aliquid futuri esse in præterito. Quod
contradictionem inuoluit. Consecutionem probat
ingeniosissimè. Si illud Nunc & præsens est diuisibile, sit ergo diuisibile V. G. in partes quinquaginta. Tunc diuido illud in decima parte, ita vt
decem primæ partes sint cum præterito: reliquæ
quadraginta sint cum futuro. Rursus diuido illud idem Nunc diuisibile in parte quadragesima,
ita vt quadraginta priores partes sint cum præterito. & solæ decem sint cum futuro. Ecce igitur
pars vigesima, & trigesima, & quicquid inter illas partes est interiectum, in prima diuisione erat
futurum: In secunda verò fit præteritum. ergo
si Nunc ponatur diuisibile, aliquid præteriti erit in
futuro, & e contra.

Annectit in tex. 27. aliam rationem, quod si
concedatur, Nunc esse diuisibile, sequitur ipsum
VI. non esse per se ac primò Nunc, sed solum ratione alterius, videl. ratione illius duntaxat partis,
quæ per se est Nunc, & præsens, sicut hora, & dies
dicuntur Nunc, ratione ipsius Nunc siue instantis,
quod includit, vt sexto exposuimus. At nos in præsentia loquimur de ipso Nunc per se ac propriè dicto, quemadmodum in tex. 24. adnotabamus. ergo &c. consecutio autem prob. quia si illud Nunc
est diuisibile, ergo est tempus: Nam esse diuisibile non competit ei quod per se est Nunc, sed
tempori *diuisio*, inquit Arist. *non est ipsius, quod
per se est Nunc*. Sed tempus est Nunc solum ratione alterius, ergo si Nunc per se esset diuisibile,
profectò illud non esset Nunc per se.

Addit in eodem tex. 27. quod si illud interiectum Nunc est diuisibile, sequitur vt pars ipsius
sit præterita, & pars futura. Nequit enim il-
VII. lud in alia quàm in præteritum, & futurum
diuidi. Absurdum autem est, quod pars ipsius
Nunc, siue eius quod præsens est, sit præterita,
& pars futura. Sequitur præterea, non semper esse idem præteritum, nec semper esse idem futurum, cum illud Nunc interiectum, vtpote diuisibile, possit diuidi modo quidem propè præteritum, modo verò propriè futurum, quemadmodum nuper dicebamus, maximè quia, vt Arist. loquitur, *tempus multipliciter est diuisibile*.

Ex his concludit in tex. 28. quod si impossibile est, hæc conuenire ipsi Nunc, dicamus
necesse est, esse vnum atque idem Nunc in vtroque tempore, finem quidem præteriti, principium verò futuri. Si autem est vnum & idem
Nunc, *manifestum est, quod & indiuisibile
est. Si enim diuisibile est, rursus accident eadem, quæ & prius*.

Quod in ipso Nunc, siue in instanti indiuisibili neque moueri, neque quiescere quicquam potest.



Absoluta demonstratione,
quod Nunc, dictum per
se ac primò, sit indiuisibile, inuestigat deinceps
a tex. 29. vtrumne possit aliquid in eo moueri,
aut quiescere? Et ponit VIII.
hanc conclusionem. In
ipso Nunc dicto per se ac
primò, siue in instanti, nihil potest moueri, neque quiescere, sed quicquid mouetur, aut quiescit,
necesse est vt moueatur, aut quiescat in tempore.

Quod spectat ad motum probat. Si potest quippiam in instanti moueri, ergo potest & velocius,
& tardius in eo ipso moueri. Quo posito, sequitur,
vt indiuisibile sit diuisibile. Quæ consecutio deducitur clarè. Sit mobile tardum, & moueatur
(iuxta oppositam sententiam,) in instanti per aliquam magnitudinem. ergo aliud mobile duplo velocius, transibit illam eandem magnitudinem in dimidia duratione quàm fecit mobile tardum. Dimidia illa duratio est dimidium instantis: Ecce igitur si in instanti potest aliquid moueri, instans indiuisibile est diuisum.

Quod verò spectat ad quietem, probat tripliciter. Primò in tex. 30. Quæ priuatiuè opponuntur, IX.
debent esse eiusdem mensuræ. Motus, & quies
priuatiuè opponuntur, siquidem quies est priuatio
motus, Nam quiescere dicimus, id *quod aptum est
natura moueri, & non mouetur, quando aptum natura est, & vbi, & quo pacto*. ergo si motus non est
in instanti, neque quies.

Secundò probat in tex. 31. præaccipit verò duo.
Vnum est, quod idem est Nunc continuatiuum
temporis præteriti, & futuri: Quæ suppositio ostensa est superius. Alterum, quod aliquid possit
moueri in tota vna medietate alicuius temporis
determinati: & in altera medietate subsequente
quiescere. Tunc ita perstringit. Si potest aliquid in instanti indiuisibili quiescere, sequitur,

tur, in illo eodem indiuisibili simul esse motum, & quietem. Hoc verò repugnat, sicut repugnat esse simul lucem, & tenebras. Consecutio autem prob. Motus est in tota prima medietate: ergo est etiam in instanti continuatiuo illius medietatis: est enim illud instans terminus intrinsecus illius medietatis. Et quod transit aliquod totum, transit etiam terminum intrinsecum illius. ergo motus est in illo instanti: Rursus quies est in tota altera medietate sequente, ergo est etiam in illo eodem instanti, quia illud instans est etiam terminus intrinsecus illiusmet medietatis: & quod quiescit in aliquo toto, quiescit etiam in termino intrinseco illius: quare in vno illo instanti simul erunt & motus,& quies, si posset aliquid in instanti quiescere.

XI. Tertiò probat in eodem contex. Illud dicitur quiescere, quod eodem modo se habet nunc ac prius. Enimuerò sicut quod mouetur, aliter se habet nunc ac prius, ita quod quiescit, eodem modo se habet nunc ac prius. Sed in instanti indiuisibili non est nunc, & prius. ergo in eo nequit quicquam quiescere. Ex his liquidò conspicis, quomodo quicquid mouetur, & quicquid quiescit, in tempore moueatur, & in tempore quiescat.

Omne quod mutatur, debet esse diuisibile.



XII. Emum in tex. 32. commonstrat, omne quod mouetur, & mutatur debere esse diuisibile. Omnis motus, & omnis mutatio est a quodam in quoddam: ergo quãdo mobile est in termino, ad quem tendit, amplius non mutatur, sed iam mutatum est. Non enim aliquid simul mutatur, & mutatum est: quemadmodum neque simul it Thebas, & est Thebis, vt in tex. 7. fuit dictum. Eodem modo cum aliquid & secundum se totum, & secundum omnes suas partes est in termino a quo incæpit moueri, tunc nondum mutatur: Siquidem quod similiter se habet & ipsum, & omnes ipsius partes, non mutatur, sed quiescit. ergo tunc solummodo mutatur, cum partim est in termino a quo, & partim in termino ad quem. Manifestum autem est, omne quod partim est versus vnum, partim versus aliud, esse diuisibile, ergo omne quod mouetur, & mutatur, debet esse diuisibile.

XIII. Ast hic sedulò animaduerte, quod esse partim versus vnum, partim versus alterum, vario modo contingit. Primò, secundum partes quantitatiuas: Ita res se habet in motu locali. Quod enim localiter & per se mouetur, id omne profectò partim est versus terminum a quo, & partim versus terminum ad quem; vt vel oculis nostris cernimus: Sic etiam euenit in augmentatione, & decremento. Fiunt namque illę mutationes in quanto, & ex quanto, vt constat ex primo deort. & inter. a tex. 3 a. & secundo de Anim. tex. 47.

Secundò, esse partim versus vnum, & partim versus aliud, contingit in gradu: Sic res se habet in qualitate: quod enim calefit, secundum aliquid sui est versus vnum gradum, secundum aliud est versus alium gradum. Hæc euidenter vides, in ratione Philosophi includi has quatuor species motus.

Includitur in eadem ratione etiam generatio, & corruptio. Primò, quia quamuis istæ sint mutationes instantaneæ, & a parte rei sint totæ simul, nihilominus prioritate naturæ prius est in generatione fieri, quàm factum esse, sicut in disput. de motu exposui. Propterea XIV. etiam in generatione, & corruptione secundum prioritatem naturæ est partim versus terminum a quo, & partem versus terminum ad quem. Secundò, includitur generatio, & corruptio in illa Aristotelis ratione concomitanter: id est ratione eius quod generatur, & præuiè disponitur. Omne enim quod generatur, est compositum: ac proinde habet partes: & disponitur per qualitates, & successiuè. Quod autem sic afficitur, manifestum est, partim esse versus vnum, partim versus aliud: Ita lignum disponitur secundum partes, & per gradus: non enim statim lignum fit ignis. Hinc habes, demonstrationem Philosophi esse vniuersalem de omni mutatione physica, & esse optimam. Quocirca præter æquum plerique omnes interpretes circa eam torquentur, vt videre est apud Auerr. qui refert quatuor aliorum opiniones: illas confutat: & addit suam: deinde alij vnà cum S. Thom. conantur illas conciliare, alij impugnare: verùm ego ad Aristotelem pergo.

C A-

CAPVT IV.

Textus 33. vsque ad 40.

Motus diuiditur ad diuisionem subiecti, & temporis,



Ria facit in hoc capite. Primùm ostendit, motum esse diuisibilem ad diuisionem subiecti: Deinde probat, motum diuidi ad diuisionem temporis. Postremò refert quinque quæ ad inuicem diuiduntur.

I. Motus, inquit Arist. dupliciter est diuisibilis. Vno quidem modo ad diuisionem temporis: Patefactum etenim est, motum haud esse in instanti, ergo est in tempore: & quantum est tempus successiuè, tantus fuerit & motus. Altero modo est diuisibilis *secundum motus partium eius, quod mouetur*, id est secundum diuisionem subiecti mobilis, siue secundum eius partes quæ mouentur. Vt enim tote hæc albedo est in toto Petro, & diuiditur per accidens ad diuisionem partium Petri, siquidem alia pars albedinis est in capite, alia in thorace, alia in brachijs, ita de motu debes philosophari, quod totus hic motus est in toto Petro, qui mouetur, & pars eius motus est in capite, pars in brachijs, pars in pede. Ratio est aperta, quia etiam motus est quoddam accidens, & est quidam actus, qui totus inest toti, & partes insunt partibus.

Hæc via demonstrandi motum diuisione subiecti esse diuisibilem, plana est; & insinuatur ab

II. Arist. in tex. 33. Nihilominus ipse, vt hanc motus partitionem ostendat, longè artificiosius progreditur. Probat, motum totius quod mouetur, constari atque componi ex motibus partium eius. Hinc enim statim conspicuum redditur, motum diuidi *secundum motus partium eius quod mouetur*, quia videl vnumquodque in ea diuiditur, ex quibus componitur.

Ista verò totum motum conflari & coalescere ex motibus partium, probat tripliciter. Primò, ita se habent partes motus inexistentes in partibus mobilis ad totum motum, sicut se habent partes mobilis ad totum mobile. At partes mobilis componunt, & integrant totum mobile, quare & partes motus inexistentes in partibus mobilis componunt & integrant totum motum.

Secundò, omnis motus est alicuius mobilis: ergo quando vna eius pars, V. G. caput in homine mouetur, in ea parte est motus. Iste motus non est ille quo mouetur pes, ergo alia pars motus est III. in capite, alia in pede, & in reliquis partibus: Ex his ergo motibus partium integratur motus totus. Nam motus totius non est præter motum partium.

Tertiò, omne quod mouetur, habet in se motum: Partes singulæ mouentur, habent itaque in se ipsis motum. Totus motus totius mobilis nõ est aliquis alius præter motus partium, ergo ille cõflatur ex motibus partium: ac proinde totus motus alicuius mobilis diuiditur in motus partium. Vide, quod secunda ratio erat ex eo quia omnis motus est in aliquo: Hæc autem tertia est ex opposito, quia scil. omne quod mouetur, habet in se motum.

Post hæc in tex. 36. ostendit, motum esse etiam diuisibilem successiuè ad diuisionem temporis. IV. Ratio est manifesta, quia omnis motus est in tempore: Sed omne tempus est diuisibile, quare omnis motus est diuisibilis ad tẽporis diuisionem: ita vt *totus motus fiat in toto tempore, & dimidius in dimidio, & minor in minore.*

Demum in tex. 37. enumerat quinque, quæ inter se proportione quadam diuiduntur; & sunt Motus, Tempus, Moueri, id est motus in concreto, & in actuali exercitio, Mobile quod mouetur: Et id in quo motus est, nempe terminus ad quem tendit motus, & in quo finitur. *necesse*, inquit, *est, omnium horum easdem esse diuisiones*. Quæ asserttio ex his quæ nunc dicta sunt, conspicua est.

Adnotat Arist. quod non omniũ terminorum diuisiones sunt simili modo. Nã aliqui termini sunt per se diuisibiles, cuiusmodi sunt illi, qui spectant ad genus quantitatis, V. G. in motu locali, & augmento, & decremento: Alij autem sunt solum per accidens diuisibiles, vt in alterationibus.

CAPVT V.

Textus 40. vsque ad 50.

Explicantur partes motus, siue mutata esse in motu secundum principium, & finem ipsius.



Nucleauit hucusque motum esse partibilem partitione tum subiecti, tum temporis. Partitio motus secundum tempus est successiua, quod nimirum vna eius pars sit post aliam. Hæ successiuæ motus I. partes sunt in triplici differentia. Aut sunt principium motus, aut sunt finis eiusdem motus, aut sunt

sunt inter principium, & finem interiectæ. Has itaque motus partes, aggreditur diuini ingenij vir Aristot. explicare. Et in hoc cap. expendit principium, & finem motus: quibus ritè inspectis, facilius possunt innotescere partes motus intermediæ: & omninò innotescet ordo partium in quas motus diuiduntur. Hæc est connexio præsentis partis.

In hoc cap. duo facit. Primò sternit duo fundamenta: Secundò ostendit, quomodo se habet motus & quantum ad finem, & quantum ad principium. II. Primum fundamentum est in tex. 40. Cum omne quod mutatur, ex aliquo, & in aliquod mutetur, *necesse est, id quod mutatum est, cum primùm mutatum est, esse in quo mutatum est*. Cuius quidem effati sensum intelligimus ex proportione ipsius mutati. Enimuerò mutari est actu transire de vno in aliud: & deserere vnum, & acquirere aliud. ergo mutatum esse est transijsse de vno in aliud, ac deseruisse vnum, & acquisiuisse aliud. Recessus enim ab vno est accessus ad aliud. Quare cum primùm verum est dicere, hoc mutatum est in isto, verum etiam erit dicere, acquisiuit istud: ac proinde est in isto. V. G. mutetur lignum ex frigido in calidum: cum primùm verum est dicere, lignum mutatum est, verum quoque erit dicere, lignum est in calido, siue lignum est calidum. Consultò autem Arist. ait, *cum primùm mutatum est*, & non ait solum, cum mutatum est, quoniam contingere potest, vt aliquid postquam mutatum est, mutetur in tempore subsequenti adhuc in aliud, & desinat esse in priori termino. Sed quando primò mutatum est in aliquo, tunc est in illo.

Probat suum fundamentum, & quidem in tex. 41. in mutatione substantiali, quam appellat *mutationem secundum contradictionem*, quia cum primùm III. mutatum est aliquid per generationem, verè recessit a termino a quo, qui est non esse rei, ergo verè accessit ad terminum ad quem, qui est esse, & verè est in illo: siquidem esse, & non esse opponuntur contradictoriè, *omne etenim necesse est aut esse, aut non esse*.

Deinde in tex 42 ostendit in alijs mutationibus, quod omne quod mutatum est, cum primùm mutatum est, non amplius est in termino a quo: iam enim eum reliquit: ergo est alicubi alibi. videl. in alio loco, si est mutatio localis: vel in alio termino, siue gradu qualitatis, si est alteratio: aut quantitatis, si est augmentatio. Quare id quod mutatum est, aut est in illo in quo primùm mutatum est, aut est in alio. Non est in alio: quid enim illud esset? ergo verè est in illo, in quo primùm mutatum est.

Hinc in tex. 43. infert, quod si id quod mutatum est, cum primùm mutatum est, est in eo in quo mutatum est, sequitur, id quod factum est, cum primùm factum est, esse: Et id quod corruptum est, IV. cum primùm corruptum est, non esse. Et repetit suum fundamentum, *Quod igitur id quod mutatum est, cum mutatum est primùm, in illo est, manifestũ est*.

Ponit in tex. 44. secundum fundamentum: *Id in quo primò mutatum est, id quod mutatum est, necesse est indiuisibile esse*. V. Sensus est. Duratio, in qua primò verum est dicere, mobile mutatum est, necessario est indiuisibilis: videl. est instans, non tempus. Statim autem explicat, quid intelligat per illud mutatum esse *primò*: & inquit, se intelligere id in quo mutatum est per se, non verò ratione alicuius partis illius, sicut dicimus mutatum esse aliquid hodie. Quod enim dicitur mutari in hoc die, dicitur mutari ratione instantis inclusi in hoc die, vt supra in tex. 24. exposui.

Iam verò eam durationem esse indiuisibilem, ita confirmat. Si illa sit diuisibilis, diuidetur ergo VI. in duas partes A. C. Tunc, aut mobile in vtraque illa parte mutatum est, aut in vtraque mutatur, aut in vna mutatur, & in altera mutatum est. Si dicas, mutatum esse in vtraque parte, ergo non primò & per se mutatum est in tota magnitudine A.C. quia mutatum est in parte, & in parte. Sicut non dicitur aliquid mutari primò & per se in hora, quia mutatur in hoc, & in illo instanti illius horæ. & *aliquid dicitur mutari secundum alterum, vt in anno, quia in die mutatur*, vt loquitur Arist. in tex. 50. Si autẽ dicas, quod in vtraq; parte mutatur, ergo mutatur in tota magnitudine A. C. ac proinde, magnitudo, quæ supponitur diuisibilis, non est diuisibilis. Si denique in vtraque mutatum est, sequitur, *vt sit aliquid primò prius*. Quæ conseq. sic declaratur. Si mobile mutatum est in vtraq; parte A.C. ergo verum est dicere, in A. quæ est prima pars totius magnitudinis A. C. mutatum est. Sed omne mutatum esse, præsupponit mutari: & omne mutari est in aliquo: ergo istud in quo mobile mutabatur, est primo prius. Hinc itaque liquido apparet, id in quo mobile mutatum est, re vera esse indiuisibile. Vnde colligit vlterius in tex. 45. quod id quod corruptum est, & id quod genitum est, *in indiuisibili illud quidem corruptum, hoc autem genitum est*.

His ita iactis, distinguit in eodem tex. 45. duplex mutatum esse. Alterum quidem ex parte finis VII motus: & est illud in quo primò perfecta & absoluta est mutatio, & in quo *verum est dicere, quod mutatum est*. Alterum ex parte principij eiusdem motus; & est illud *in quo primò cœpit moueri*.

Duplex Aristotelis conclusio de mutatis esse.



STatuit deinde in tex. 46. duas conclusiones. Prima est. Ex parte finis datur primum VIII. mutatum esse motus, & mutationis, quod est terminus & extremum indiuisibile, id est instans ipsius motus ac mutationis, & primum non esse eiusdem motus

&

Digitized by Google

& mutationis: in quo verum est dicere, nunc primò mobile est in termino ad quem motus, & immediatè ante non erat in eo, sed ad eum mouebatur. V. G. si lapis ex alto dimissus pertingat in terram, tunc dicimus mutatum esse, quando iam peruenit in terra: ita vt sit verum dicere, nunc primò lapis est in terra, & immediatè ante non erat, sed mouebatur ad eam. Nota, quod hoc primum mutatum esse, non est motus, sed est ipsius motus terminus, quod Doctores nostri vocant, primum non esse motus.

Probat Arist. suam conclus. Omne continuum habet terminum indiuisibilem, vltra quem non progreditur extensio eius, sed in quo finitur, & in quo verum est dicere, hoc indiuisibile non est continuum, sed quod immediatè ante præcessit, illud est continuum; sicut in linea est punctum. Atqui motus est quoddam continuum, quare habet terminum indiuisibilem, vltra quem non proceditur, & in quo verum est dicere, nunc primò mobile est in termino, & immediatè ante non erat: & nunc primùm non est motus, & immediatè ante erat.

IX. Secunda conclusio est in eodem contex. 45 quæ est. Ex parte principij motus, & mutationis non datur primum mutatum esse, in quo incipiat motus.

Hanc assertionem ex triplici capite ostendit. Primò ex parte temporis: Secundò ex parte ipsius mobilis; Tertiò ex parte spacij siue magnitudinis in qua motus fit: & probationem protrahit vsque ad finem capitis. Et quidem ex parte temporis. *probat, quia si in motu daretur primum mutatum esse penes eius principium*, ergo daretur etiam aliquid temporis, in quo mobile primò esset mutatum, cum motus, & tempus sibi respondeant. Sed non datur aliquid temporis, in quo mobile primò mutatum sit, quare neque datur in motu primum mutatum esse penes principium.

X. Quod autem non detur aliquid temporis, in quo mobile primò mutatum sit, ita ostendit. Nam accipiat illam temporis partem, quæ sit A. D. & peto: estne diuisibilis, an indiuisibilis? Si est indiuisibilis, sequentur duo absurda, quorum primum est, *quia accidet contigua esse ipsa nunc*. Hoc verò iam setro reiectum est. Consecutio autem ex eo colligitur, quia hæc temporis pars, in qua mobile est mutatum, est indiuisibilis, ergo & pars immediatè sequens erit itidem indiuisibilis: eadē quippe est ratio de vna ac de alia. En ergo duo indiuisibilia contigua. Secundum absurdum est. Si pars temporis A. D. est indiuisibilis, accipio aliam temporis partem immediatè præcedentem, quæ sit C. A. quæ vsque eodem modo erit indiuisibilis. Et quiescat aliquid in tota illa parte C A. ergo quiescet etiam in A. Sed ponimus in A. D. esse motum, ergo in A simul quiescit, & simul est motum.

XI. At neque potest statui quod illud temporis A. D. sit diuisibile, quod sic ostendit in tex. 47. Si est diuisibile, diuidatur in duas partes. Tunc aut in neutra mutatur, aut in ambabus mutatur, aut in altera tantum parte mutatur. Non primum, quia si in neutra parte ipsius A D. mutatur, ergo neq; in toto A. D. mutatur. Non secundum, quia si in ambabus mutatur, ergo poterit dici, quod in toto mutatur. Quod si mutatur in toto A D & hoc totum est diuisibile, ergo mutatum esse, quod supponimus esse indiuisibile, non est in toto illo A. D. quia mutatum esse indiuisibile non correspondet parti temporis diuisibili. Non denique potest dici tertium, quia si in vna tantum parte mutatur, sequitur, quod non mutatur *in toto* A. D. *primò*, sed solum ratione partis. Cum itaque non detur aliquid temporis, in quo possit dici, quod primò mutatur, neque dabitur primùm mutatum esse in motu penes principium. Hæc ex parte temporis.

XII. Deinde in 48. idem ostendit ex parte mobilis, quod sicut in eo quòd mutatum est, nequit accipi prima pars, ita in motu ipsius non possit dari primum mutatum esse. Ratio sic formatur. Prima pars motus debet respondere primæ parti mobilis. Sed in mobili non potest accipi prima pars, quæ primò incipiat moueri. Hanc minorem sic probat. Mobile est diuisibile in infinitum: ergo in eo antequamcunq; partem acceptam est alia prior, idque vsque in infinitum, sic ergo etiam in motu eius mobilis erit philosophandum.

Denique in tex. 49. idem ostendit ex parte spacij supra quo fit motus, & complectat etiam terminos ad quos sunt motus: omnia enim illa sunt infinitè diuisibilia, & sunt diuisibilia per se, si sunt quanta; per accidens autem si sint qualia.

Ex his liquet, quomodo motus ex parte quidem finis habet indiuisibile, quod dicitur primum mutatum esse, quo motus terminatur, & in quo verum est dicere, nunc motus non est, & immediatè antè erat: ex parte verò principij nullum habet, a quo incipiat, id quod pergit vberius explicare, vt vide est.

CAPVT VI.

Textus 50. vsque ad 60.

Partes motus ita inter se ordinantur, vt ante quodlibet moueri, præcedat mutatum esse: & e contra, ante quodlibet mutatum esse, præcedat moueri.



VT melius comprehendamus, quomodo motus nō habeat primam partem, neque primum mutatum esse, a quo incipiat, sicut in cap. præced. ostendebatur, explicat nunc I. Arist. quomodo ordinentur partes motus, & mutata esse inter se in motu versus ipsius principiū. Hinc enim exacta motus diuisio innotescet.

potescet. Intendit igitur in hoc cap. duo declarare. Quorũ alterum est, quod ante quodlibet moueri, siue ante quamlibet partem motus, (moueri etenim est pars motus, & mutari est pars mutationis) præcedat mutatum esse, nempe indiuisibile eiusdem motus. Alterum est, quod e conuerso, ante quodlibet mutatum esse, præcedat moueri, siue aliqua pars motus. Vnde in hoc cap. Arist. tria facit. Accipit vnum fundamentum: Et explicat, ac probat duo illa quæ nunc dixi.

II. Fundamentum est in tex. 50. *omne quod mutatur, in tempore mutatur*. Quod ea eo euidenter colligitur, quia si nihil mutatur in Nunc, quemadmodum superius demonstratum est, profectò quicquid mutatur, in tempore mutetur necesse est.

Statim autem distinguit, quod duobus modis contingit, aliquid mutari in tempore; videl. aut *primò* & per se: aut *secundum alterum*, id est ratione partis. Hoc secundo modo dicimus aliquid mutari in hoc anno, quod mutatur in aliquo die huius anni. Primò autem modo mutatur, quando mutatio, siue effectus adæquat totum illud tempus, in quo dicitur mutari, vt locutio quæ fit per integram horam continenter, dicitur primò & adæquatè fieri in ea hora.

Qua distinctione iacta statuit, quod quando aliquid mutatur in aliquo tempore primò & adæquatè, mutatur etiam in qualibet parte illius temporis. Probat in eodem contex. quia illud dicitur mutari *primò* ex quinto Phys. tex. 1. quod *mutatur secundum se ipsum*: Hoc autem est, moueri secundum omnes partes illius in quo mutatur. Probat 2. in tex. 51. quia quod primò & adæquatè est in aliquo toto, est etiam in qualibet eius parte, cum totum nihil sit aliud quàm partes.

Ostendit ante quodlibet mutari præcedere mutatum esse.

III. 

HOc dictum, quod ponit in tex. 52. dum ait, *manifestum est, quod omne quod mouetur, necesse est motum esse prius*. Probat tribus rationibus protractis vsq; ad tex. 55. Prima, quæ desumitur ex magnitudine in qua fit motus, est hæc. Sit tempus X. R. in quo primò & adæquatè moueatur mobile per magnitudinem K. L. Mobile transit totam magnitudinem in toto tempore, ergo in dimidio tempore transiuit dimidiam magnitudinem. Quando ergo est in illo dimidio magnitudinis, (quamuis processerit vlterius, & confecerit totam magnitudinem,) verè ibi est mutatum. Ecce ergo ante motum alterius sequentis medietatis est mutatum. Rursus in dimidio temporis transiuit dimidium dimidiæ magnitudinis: ergo etiam ibi est mutatum: & cum magnitudo supra quã fit motus, possit vlterius ac vlterius diuidi vsque in infinitum, semper etiam vsque in infinitum erit verum dicere, quod ante motum præcessit mutatum esse.

Quod verò in illo dimidio magnitudinis K. L. a nobis designato præcessit mutatum esse, ostendit Arist. quia sit aliud mobile æquè velox, & incipiet moueri simul cum priori mobili, (quod transit totam magnitudinem) & quando peruenit ad dimidium magnitudinis K. L. sistat. Tunc verum est dicere, quod præcessit mutatum esse: alioquin mobile transijsset magnitudinem absque eo quod esset mutatum. ergo etiam in dimidio magnitudinis K. L. quando mobile vlterius pergit, mutatum esse præcessit ipsum moueri, siue motum. IV.

Quæ demonstratio potest clarius declarari ex similitudine lineæ. Sic enim sunt mutata esse in motu, sicut puncta in linea. Accipio itaque lineam palmarem, in cuius medietate designo punctum: profectò ante illud punctum est linea. Res est clara, quia si accipiam aliam lineam palmarem eiusdem longitudinis, & re vera diuidam in medio: ibi fit actu punctum, quod in linea continua erat solum potentia: certum enim est, ante illud punctum actu esse lineam. ergo ita etiam erat linea ante punctum in medio lineæ continuæ designato. Rursus in medio lineæ diuisæ designo punctum, ante quod certè est linea: idque in infinitum. Ita in motu, & mutatis esse philosophare.

Secunda demonstratio in tex. 53. accipitur ex tempore, & sic formatur. Quando mobile primò & adæquatè transit magnitudinẽ K. L. in tempore X. R. ideò dicimus in medietate illius magnitudinis, & in qualibet eius parte ante moueri præcessisse mutatum esse, quia in ea magnitudine designamus punctum indiuisibile, quod terminat magnitudinem. Cui respondet in motu mutatum esse: Sed etiam in tempore, & in qualibet eius parte designamus indiuisibile Nunc, quod itidem in tempore est eius terminus, & illi etiam respondet in motu mutatum esse, ergo sicut in tempore ante quamlibet eius partem est Nunc, & hoc in infinitum: ita in motu ante quodlibet moueri est mutatum esse. *Quare*, inquit Arist. *si omne quidem tempus diuisibile est: quod autem est inter ipsa Nunc tempus est, omne quod mutatur, infinities mutatum est*. V.

Tertia demonstratio est in tex. 54. Omne quod mutatur, quando non cessat a mutatione, sed est in actuali mutatione, necesse est in quolibet Nunc temporis, in quo mutatur, aut mutari, aut mutatum esse. Sed in Nunc temporis non mutatur, ostensum enim est supra nihil mutari in instanti: ergo in quolibet Nunc illius temporis est mutatum. At in tempore illo mensurante talem mutationem, sunt infinita Nunc: ergo *si ipsa Nunc infinita sunt, omne quod mutatur, infinitè fuerit mutatum*. Ex his itaq; constat, ante quodlibet moueri, siue ante quamlibet motus partem præcedere mutatum esse. VI.

Ostendit

Ostendit e contra, ante quodlibet mutatum esse, præcedere mutari seu moueri.



VII. P Ostea a tex. 55. demonstrat e conuerso, ante quodlibet mutatum esse, præcedere moueri, siue aliquam partem motus, id quod ipsemet in principio tex. proponit. *Non solum autem id, quod mutatum, necesse est mutatum esse, at etiam mutatum necesse est mutari prius.* Primò accipit vnum fundamentum: deinde probat suum intentum.

Fundamentum est. Omne quod a quodam in quoddam mutatum est, in tempore mutatum est. Probat, Si non est mutatum in tempore, sed in instanti, sequitur, aliquod mobile simul esse in termino a quo, & simul in termino ad quem mutationis. Hoc repugnat: Consecutio verò probatur, quia quando mutatum est ab A. in B. ab albo in nigrum, non est in eodem instanti sub albo, & in termino a quo, & simul sub nigro, & in termino ad quem: alioquin simul esset album, & nigrum: Sed inter vnum, & aliud Nunc mediat tempus, quare in tempore illo intermedio mutatum est.

VIII. Hinc colligit in tex. 56. demonstrationem. Si omne quod mutatum est, in tempore mutatum est, & omne quod in toto aliquo tempore mutatum est, necessario etiam mutatum est in qualibet eius temporis parte, profectò sicut iudicamus de tempore, ita & de motu iudicare debemus: At in tempore ita est, vt ante quodlibet eius Nunc sit tempus, quare & in motu ante quodlibet mutatum esse, est moueri, siue est motus.

IX. Addit ad id idem in tex. 57. secundam demonstrationem ex motu locali, in quo res clarius conspicitur, & vt ipse loquitur, *in magnitudine manifestius est, quod dictum est*, quia videl. magnitudo, supra qua fit motus, est continua, & est nobis magis nota quàm tempus. Demonstratio est. Sit aliquid localiter mutatum a C. in D. Tunc istud C. D. totum non est quippiam indiuisibile, quia in indiuisibili non fit motus. Et quia alias mobile simul esset in termino a quo, & in termino ad quem. Sunt itaque duo indiuisibilia. Tunc, aut vnum illorum est immediatè post aliud, aut intermediat aliquid. Non prius, quia indiuisibile non est contiguum indiuisibili, ergo mediat: Hoc autem nequit nisi magnitudo esse, in qua cũ ea possit diuidi in infinitum, ante quodlibet indiuisibile erit magnitudo, ergo & motus ac mutatum esse facta per illam magnitudinem eodem modo se habent, vt ante quodlibet mutatum esse sit moueri. Quæ quidem demonstratio potest etiam accommodari augmentationi, & diminutioni, quia etiam istæ sunt mutationes, circa magnitudinem siue quantitatem.

In tex. 58. ait, eandem demonstrationem posse formari in alijs quoque mutationibus, quæ non sunt in magnitudine & *in continuis*, cuiusmodi est alteratio, quæ inter contrarias qualitates versatur: X.
& generatio, ac corruptio, quæ sunt inter contradictoriè opposita. Nam licet in his mutationibus, id quod intendimus, non possit demonstrari ex parte rei in qua fit mutatio, accipimus tamen tempus, in quo fit mutatio, & ea proportione diuisionis inter tempus, & mutationem, colligimus omninò idem, quod ea magnitudine colligebamus.

Repetit Arist. in eodem contex. 58. suam conclusionem quo ad vtramque partem, quod necesse est, ante quodlibet mutari præcedere mutatum esse, & similiter ante quodlibet mutatum esse præcedere mutari. Et causa, inquit, omnium istorum est, quia vnum indiuisibile non est contiguum indiuisibili, & est diuisibile in semper diuisibilia.

Ex hoc quod diximus, subdit in tex. 59. apparet etiam in particularibus mutationibus, vt in generationibus, & corruptionibus. *Quare manifestum est, quod id quod factum est, necesse est fieri prius, & quod fit, factum esse. Omnis enim magnitudo, & omne tempus semper diuisibilia sunt* Hic imponit incomparabilis v.i finem abstrusæ huic materiæ de diuisione motus, & de coordinatione partium, & mutatorum esse in eo. XI.

CAPVT VII.

Textus 60. vsque ad 67.

Finitum, & infinitum eadem proportione sibi respondent in tempore, in magnitudine, in mobili, & in motu.



C Onnectio capitis hæc est. Aiebat Aristot. in fine capitis quarti tex. 37. *eosdem esse diuisiones* magnitudinis, temporis, mobilis, & motus; I.
ita vt quo modo vnum istorum est diuisibile, eo sint & reliqua: Et quemadmodum ista sunt diuisibilia, ita sint finita, aut infinita.

Deinde in capit. 5. & 6. ostendit diuisionem motus ad proportionem reliquorum trium: quare consequens est, vt de eorundem finitate, & infinitate

infinitate efficiat. Sic ipsemet pollicebatur in calce illius quarti capitis tex. 39. Vult itaque ostendere, quod *in hoc, quod ipsa finita esse, aut infinita, similiter se habeat in omnibus*, vt in eodem tex. 39. dicitur. Quocirca in hoc cap. tria facit. Primò, probat per tres contex. quod infinitum simili modo inueniatur in magnitudine, ac in tempore. Secundò, a tex. 63. expendit finitum & infinitum in mobili respectu magnitudinis, & temporis. Tertiò, a tex. 65. colligit eodem modo inueniri finitum, & infinitum etiam in motu.

In tex. 60 & 61. probat, quod si magnitudo est
II. finita, tempus, in quo illa pertransitur, nequit esse infinitum: Deinde in tex. 62. e conuerso probat, quod si tempus est finitum, nequit in eo magnitudo infinita pertransiri. Vt ostendat prius, repetit duo ex superius demonstratis. Vnum est, quod omne quod mouetur, in tempore mouetur: Alterum est, quod in maiori tempore pertransitur maior magnitudo. Deinde statuit hanc assertionem. Impossibile est, magnitudinem finitam tempore infinito pertransiri tam in motu regulari, quando videl. mobile mouetur vniformiter per totam magnitudinem, siue celeriter id faciat, siue tardè, quàm in motu irregulari, quando scil. motus non est in toto spacio vniformis, sed modo tardus, modo velox.

Probat, ac primò quidem in motu regulari. Sit magnitudo finita, & diuidatur in partes æquales,
III. quæ iterataç illam totam magnitudinem mensurent. Vnaquæque istarum partium est magnitudine finita, & omnes sunt numero itidem finitæ: Tunc si mobile æquè velociter moueatur per vnam illarum partium, profectò eā pertransibit in tanto tempore finito, quanta est illa pars finita. Rursus alia magnitudinis pars pertransitur in alio tanto tempore itidem finito: eodem modo de reliquis omnibus eius magnitudinis partibus; ita vt quot illæ sunt, tot accipiam tempora finita. En ergo partes omnes dictæ magnitudinis tandem finientur, reliquum autem tempus protenditur infinitum.

Probat in tex. 61. eandē conclusionē in motu irre-
IV. gulari. Accipit autem primò, quod in omni motu prius transitur vna magnitudinis pars quàm alia: & prior pars transitur in priori parte temporis, & subsequens magnitudinis pars transitur in subsequenti parte temporis, & ita deinceps. Quo fit, vt neque in vna parte temporis possibile sit, duas partes magnitudinis transiri, neque e contra in duabus partibus temporis possit vna magnitudinis pars pertransiri, sed necessariò vna spacij pars pertransitur in vna parte temporis, & prior in priori. Quæ regula ex æquo est vera in omni motu, etiam si motus in progressu intendatur, vt fit in motibus naturalibus: siue remittatur, vt contingit in motibus violentis. Quibus positis.

Sic exigitur demonstratio. Sit magnitudo fini-
V. ta A. B. Sit & tempus infinitum C. D. Accipio vnā magnitudinis partem mensurantē, vt dicebam in demonstratione nunc confecta, quæ sit V. G. centesima magnitudinis pars. Moueatur super ea mobile quocumque motu, siue regulari, siue irregulari, tandem aliquando pertransibit in aliquo tempore finito, quia hæc magnitudinis pars est minor tota magnitudine: Et minor magnitudo pertransitur in minori tempore: & illa pars debet transiri in priori parte temporis. Rursus accipio aliam magnitudinis partem æqualem priori, idque repetam vsque dum finiam omnes magnitudinis partes in tot temporibus finitis, quot sunt magnitudinis partes finitæ tum mole, tum numero: Tempus autem superest infinitum, cum *infinitum ex finitis, & æqualibus, & inæqualibus esse, impossibile sit*.

Deinde in tex. 62. ostendit, e contra, quod neque magnitudo, siue spacium infinitum, valet in tempore finito pertransiri, quia qua ratione in præ- VI.
cedenti demonstratione diuidebam magnitudinem, ea diuido tempus finitum, & tandem finietur, remanente magnitudine infinita.

Postea expendit finitum, & infinitum in mobili in proportione ad magnitudinem, & tempus: & statuit tres conclusiones. Prima est in tex. 63. Mobile finitum non transibit magnitudinem infinitam in tempore finito.

Secunda conclusio est in tex. 64. Mobile infinitum non transibit magnitudinem finitam in tempore finito.

Tertia conclusio est in tex. 65. Mobile infinitum in tēpore finito non pertransibit magnitudinem infinitam. Quæ quidem assertiones ea illa eadem proportione, quæ nuper in demonstratione fuit adhibita, facilè euincuntur.

Tandem in tex. 66. concludit, quod si hæc omnia vera sunt, *manifestum est, quod neque motus erit infinitus in finito tempore. Quid enim refert motum, aut magnitudinem infinitam facere? necesse enim est, si verumuis, & alterum esse infinitum.*

CAPVT VIII.

Textus 67. vsque ad 75.

De quietatione, & quiete.



TRia potissimùm hactenus demonstrauit Arist. de motu. Quod omnis motus fiat in
tempore: Quod in motu I.
non detur primum mutatum esse, neque primum moueri: Et quod motus est diuisibilis sicut sunt diuisibilia magnitudo, & tempus. Hæc eadem incredibili ingenio

Digitized by Google

ingenio in præsenti cap. inuestigat respectu quietis. Et quia in quiete duo possumus considerare. Vnum est ipsa generatio quietis, & proxima tendentia ad quietem, quæ ab Aristotele dicitur statio, & stare, vt ipsemet explicat in quinto huius operis lib. tex. 61. dum ait, *Habet autem dubitationem, si est omnis quietis, quæ non semper est, generatio, & hæc est ipsum stare.* Atq; hæc in scholis dicitur quietatio. Alterum est, ipsa quies in facto esse, quæ est priuatio motus. Arist. in hoc cap. primò considerat quietationem, secundò quietem.

De statione, siue quietatione ista determinat.
II. Primum est in tex. 67. quod omnis statio, & quietatio est motus, vel vt ipse loquitur, *omne quod stat, cum stat, mouetur.* Probat. Omne quod aptum natura est moueri, & quiescere, necesse est aut moueri, aut quiescere: Sed illud quod stat, (id est quod proximè tendit ad quietem,) est aptum natura moueri, & quiescere, & non quiescit: alioquin aliquid tendens ad quietem quiesceret, ergo omne quod stat, cum stat, mouetur: & sic omnis statio & quietatio est motus.

III. Determinat secundò in tex. 68 quod omnis statio, & quietatio est in tempore: & vt ipse ait, *in tempore necesse est stare.* Probat. Primò, Omne quod mouetur, mouetur in tempore: Sed omne quod stat, mouetur, vt nunc ostendebamus, ergo omne quod stat, stat in tempore.

Probat secundò in tex. 69. Velocitas, & tarditas sunt in tempore: *nam tardum, & velox tempore definiuntur*, vt dicitur in lib. quarto tex. 96. sed contingit aliquid velocius, aut tardius stare, id est lentius, aut vehementius in quietem ferri, & vt ainnt, quietari. quare omne quod stat, stat in tempore.

Determinat tertiò, quod sicut in motu non da-
IV. tur primum mutatum esse, neq; prima motus pars, vt supra fuit ostensum, ita in statione, & quietatione non datur eius primum. Pro quo quidem asserto accipit in tex. 70 fundamentum, quod quando in aliquo tempore dicitur aliquid stare primò & per se, & non ratione partis, necesse est, vt stet etiam in qualibet parte illius temporis. Annectitur ratio euidens, & est illa eadem, quæ fuit ostensum, quod cum aliquid mouetur in aliquo tempore, mouetur in quauis eius temporis parte.

Probat deinde, quod sicut in motu non datur primum a quo motus incipiat, ita neque datur primum in statione. Cuius dicti ratio hæc erit aperta, Statio est quædam tendentia, & quidam motus, vt nunc ostendimus: At motus non habet primum, quare neque & statio habebit primum a quo incipiat.

Sed Arist. colligit in tex. 71 probationem ex proportione ad tempus. Nam si potest assignari prima stationis pars, sit ea A. B. Hæc nequit statui indiuisibilis, alioquin in illa non esset stare, cum stare sit quoddam moueri: ergo pars illa assignata erit diuisibilis. Quod si est diuisibilis, ergo in qualibet eius parte statur, vt in fundamento nunc accepimus in tex. 70. At pars necessariò est prior toto: ergo non erat illud totum A. B prima pars in qua statur, sed aliquid eo prius: & cum illud in quo statur, sit tempus, & tempus sit diuisibile in infinitum, sequitur vt sicut non potest assignari prima pars in tempore, ita neque in ipso stare. Hæc Arist. de statione, siue quietatione.

Conuertit deinde orationem ad ipsam quietem: VI.
Ac primò quidem in tex. 72. determinat, quod sicut in motu, & in statione non est accipere primũ, ita non est accipere primum in quiete, siue in ipso quiescere. Probat primò, nam quies, siue quiescere fit in tempore: Sed eius quod fit in tempore, non est accipere primum, cum sit diuisibile, sicut est & tempus in quo fit, quare quietis non est accipere primum. Maiorem probat, quoniam illud dicitur quiescere, quod est aptum moueri, & quando, & quo modo est aptum moueri, & non mouetur: Atqui nihil est aptum moueri nisi in tempore, ergo neque est aptum quiescere nisi in tempore.

Probat secundo in tex. 73 ex descriptione eius VII.
quod est quiescere, Nam illud dicimus quiescere, quod eodem modo se habet nunc ac ante: Sed in indiuisibili non potest aliquid eodem modo se habere nũc ac ante: quare in indiuisibili nihil quiescit, sed in tempore. De qua re dictum etiam fuit supra tex. 30. Hinc concludit, *Quare nihil primum erit. Hæc autem causa est, quia quiescit quidem, & mouetur omne in tempore: tempus autem non est primum, neque magnitudo, neque omninò vllum continuum: omne enim in infinita partibile est.*

His ita iactis, conuertit Arist. animum ad refel-
lenda argumenta, quæ ea tempestate contra sua VIII.
sententia agitabantur, de quibus in cap. sequ. Nunc in tex. 78 statuit theorema, quod solutioni eorum argumentorum deseruit, & est huiusmodi. Quando aliquod mobile mouetur in aliquo tempore primò & per se, *ἀδύνατον τὸ τι κατά τι εἶναι πρῶτον τὸ κινούμενον*, *tunc impossibile est, secundum aliquid esse primum ipsum mobile*, id est, in eo tempore impossibile est, ipsum mobile, quando ita per se ac primò mouetur, *esse primum*, videl. esse totum, & omnes eius partes in aliquo eius temporis, Dic clarè. Quando aliquod mobile mouetur in aliquo tempore primò & adæquatè, tunc non potest ipsum mobile totum, & omnes eius partes esse in aliquo determinato eius temporis signo. Ratio est euidens. Primò quia si esset, tunc quiesceret in illo. *Nam quiescere est in eodem esse, tempore aliquo & ipsum, & partium vnamquamque*: ergo si id quod ita mouetur, in aliquo tempore esset, & ipsum, & omnes eius partes in aliquo signo illius temporis, tunc in illo signo quiesceret. ac proinde dum mouetur, quiesceret. Secundò, quia *tempus omne diuisibile est* ergo non potest assignari aliquod eius Nunc, in quo sit mobile & ipsum, & omnes eius partes.

Digitized by Google

CAPVT IX.

Textus 75. vſque ad 86.

Diluit Ariſt. argumenta, quibus tollitur motus.



I. Onſtituta exiſtentia, quiditate, & diuiſione motus, accingitur Ariſt. depellere oppoſitos errores: & in hoc cap diluit rationes Zenonis & aliorum, qui motum ac mutationem penitus ſubuertebant: In capite verò ſequ. agit cum Democrito, & Heraclito.

Zeno aleates Parmenidis diſcipulus omnem motum de medio ſuſtulit, cuius quatuor rationes recenſet, & confutat hoc loco Ariſt. Poſtea ſubiungit alias duas rationes, quæ re vera non erant Zenonis, ſed ab alijs Philoſophis proponebantur. Conceptis quippe verbis Stagirites ait, *quatuor eſſe Zenonis de motu rationes*.

II. Prima eſt in tex. 75. Si quippiam mouetur, maximè moueretur ſagitta contorta, quæ videtur precipitanter ferri: Sed hæc non mouetur. Quod ſic oſtendit. Omne quod eſt ſemper in ſibi æquali, non mouetur: quoniam quod mouetur, mutatur ſecundum aliud atque aliud. At ſagitta, dum dicitur moueri, ſemper eſt in ſibi æquali, videl. ſemper eſt in Nunc temporis: Ipſa autem Nunc omnia ſunt æqualia, quare in nullo temporis Nunc ſagitta mouetur. Quod ſi in nullo Nunc mouetur, ergo neque in toto tempore mouetur, ſiquidem quod in omnibus partibus alicuius non mouetur, neque in toto eo mouetur.

Occurrit Ariſt. ex doctrina in calce capitis præced. aſſignata, quod ſagitta dum fertur, non eſt & ipſa tota, & omnes eius partes in aliquo temporis ſigno, ſiue Nunc, ſed eſt in tempore, quod eſt diuiſibile, in ſemper diuiſibilia. Quo fit vt in nullo Nunc ſagitta quieſcat, ſed moueatur in tempore, *quia non componitur tempus ex ipſis Nunc indiuiſibilibus*, ſic Ariſt. in tex. 76

III. Secunda ratio refertur in tex. 77. Si eſt motus, profectò mobile debet prius tranſire dimidium ſpacij per quod mouetur, deinde totum. Nec poteſt tranſire illud dimidium, niſi prius tranſeat aliud dimidium illius dimidij, & ita deinceps: Sed in aliquo ſpacio ſunt infinita dimidia, cum ſpacium ſit diuiſibile in infinita, ergo ſi impoſſibile eſt infinita pertranſiri, impoſſibile quoque erit aliquid moueri.

Reſpondet Philoſ. ſe iam hoc argum. ſuperius diluiſſe: Diluit autem in tex. 19 huius lib. & ſolutio eſt, quod illa ſpacij dimidia, & partes non ſunt actu infinita, quæ tranſiri nequeant, ſed actu eſt vnum continuum finitum, & potentia duntaxat ſunt infinita, quo pacto etiam motus eſt infinitus.

Tertia Zenonis ratio ponitur in tex. 78. *quæ vocata eſt Achilles*. Sic autem dicta eſt, non quòd ea eſſet validiſſima, vt cum D. Thom. perperam pleriq; alij interpretantur, ſed quia accipitur a curſus velocitate, Quocirca ponitur Achilles pro curſore celerrimo, de quo Homerus ſæpe, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Ratio eſt. Si in rerum natura eſt motus, ſequitur, vt Achilles, qui maxima curſus pernicitate pollet, non valeat in aliquo ſpacio currens cõſequi, & apprehendere aliud mobile quamtardiſſimum, V. G. teſtudinem, quæ per illud idem ſpacium gradiatur. Hoc autem vel cogitatu abſurdum eſt. ergo nullus in natura eſt motus. IV.

Conſecutio ſic prob. Sit ſpacium (in quo exercendus ſit motus,) vnius miliare quod octo ſtadijs conſtat: Sit & Achilles, & teſtudo. Hæc ſuperetur in velocitate ab Achille decupla proportione. Tum Achilles irruat in curſum a principio primi ſtadij, teſtudo verò incipiat moueri a medio illius eiuſdem ſtadij. Tunc ita conficitur argum. Dum Achilles tranſit illud dimidium ſtadij, a quo teſtudo incæpit, teſtudo tranſiuit ſaltem decimam partem alterius dimidij: & ſic nondum eſt comprehenſa. Rurſus, dum Achilles tranſit illam decimam partem, teſtudo tranſiuit aliam decimam partem illius decimæ: Et dum Achilles tranſit hanc partem decimam decimæ, teſtudo tranſiuit aliam decimam: Et cum huiuſmodi diuiſiones in ſpacio ſint infinitæ, ſequitur, vt Achilles totis lacertis decurrens nunquam poſſit tardigradam teſtudinem in eodem ſpacio motam deprehendere.

Reſpondet Ariſtot. in tex. 79. hoc argum. non addere nouam difficultatem præter eam, quam præcedens argumentum faciebat de partibus infinitis, quæ videl pertranſiri non poſſent. Quocirca ad hoc argumentum eadem eſt ſolutio ac fuit ad illud. Quod nimirum cum diuiſiones illarum medietatum & partium in ſtadijs non ſint actu, ſed tantum potentia, actu autem illud ſpacium ſit re vera finitum, optimè fit, vt mobile tardum currens deprehendatur a velociſſimo. Quod autem Zeno, ſubdit Ariſt. hanc difficultatem exemplo Achillis exponat, id perinde facit ac Tragædi, qui ſpendida quædam nomina in ſcenam inducunt, vt admirationem, & terrorem incutiant. V.

Ponit in tex. 81. & 82. quartam Zenonis rationem, qua ille nitebatur colligere, quod ſi ſit motus, *æquale ſit tempus dimidium duplo*. V. G. vna hora ſit æqualis dimidiæ horæ. Ratio ſic ergitur. VI.

Accipit

Accipit primò hoc fundamentum. Quando duo mobilia æquè velocia percurrunt æqualem magnitudinem, tunc tempora vtriusq; motus sunt æqualia.

Deinde accipit tres magnitudines æquales, quæ omnes sint quatuor æqualium partium, V.G. vnaquæque sit quatuor palmorum. Quarum vna ponatur firma atque immobilis, & sit A. A. A. A. Altera constituatur iuxta primam, ita vt possit per diuersam lineam moueri non impedita a prima: & ista sit B. B. B. B. & incipiat a media parte primæ magnitudinis, ita vt primum bnius B. respondeat in priori magnitudine secundo A. Tertia magnitudo ponatur ex altera parte illius primæ magnitudinis fixæ, ita vt etiam ista mota neque impediat, neque impediatur a prima: & ista tertia magnitudo sit C. C. C. C. & incipiat a principio magnitudinis fixæ, ita vt primum C. respondeat primo A.

VII. Moueatur ergo tertia magnitudo, quæ dicitur C. per totam magnitudinem fixam ac immobilem A. per vnam horam, ita vt cum perueniat ad secundū A. vbi est medium magnitudinis fixæ, tunc incipiat magnitudo B. moueri versus A. a quo incepit moueri C. Tunc magnitudo B quia non habet nisi duo A. pertransfeunda, mouebitur per mediam horam; & in illa media hora magnitudo C. transibit reliqua duo A. Et tunc in fine mediæ horæ, vltima omnium istorum erunt simul, videl. primum C. cum vltimo B. & A. Et primum B. cum vltimo C. & A. Cuius figuram vide apud Auerr.

In hoc itaque casu tempus magnitudinis C. C. C. C. est duplum ad tempus magnitudinis B. B. B. B. quia illa transiuit quatuor A. Ista autem transiuit solum duo A.

Quod autem hæc duo tempora ex alia parte sint æqualia, probat, quia ipsum B. in media hora transiit per omnia quatuor C. Nam in principio mediæ horæ est cum primo C. in fine autem eiusdem semihoræ est cum vltimo C. Sed quatuor C. sunt æqualia quatuor A. ergo B. transit tantam magnitudinem, quantam transit ipsum C. ac proinde ex fundamento superius iacto, tempora ipsorum B. & C. sunt æqualia. Ingeniosissima machina.

VIII. Cuius tamen deceptioné detegit Arist. & deceptio est, quod illud fundamentum, quod videl. cum duo mobilia æquè velocia æqualem magnitudinem percurrunt, tempora vtriusque motus sunt æqualia, intelligitur quando illa mobilia transeunt æquales magnitudines fixas. Quando autem vna est fixa, altera verò mouetur contra, hæc citius transitur. & hoc ostendit Arist. in tex: 82. sic ergo errauit Zeno.

IX. Annectit in tex. 83. rationem quorundam aliorum Philosophorum, qui etiam motum ac mutationem auferebant. Ratio est. Si datur motus, moueatur aliquid a non albo in album: Profectò non mouetur, cum est in termino a quo: neque cum est in termino ad quem, sed in vtroque quiescit. ergo mouebitur, cum sub neutro est: sed præfati termini opponuntur contradictoriè, ergo dabitur aliquid, cui neutrum extremum ex contradictorijs aliquando conueniet. ita vt *neque album sit, neque non album*. Hoc autem est absurdum.

Respondet Aristot: quod mobile non mouetur, cum totum est in termino a quo: neq; cum totum est in termino ad quem, sed quando partim est sub vno, & partim sub altero. Et quando mobile ita se habet, tunc falsum est dicere, quod neutrum extremum contradictoriorum illi conueniat. Nam dum aliquid dealbatur, habet aliquam albedinem: siquidem dealbatio est continuata quædam & intensior participatio albedinis. Propterea tunc falsa est propositio negatiua, quod non est album.

X. Tandem in tex. 84. adijcit sextam & vltimam rationem, quæ est contra motum circularem; qui quidem si datur, sequitur, idemmet corpus simul moueri, & quiescere. Quod sic probant. Nam ex hypothesi quod sit motus, iam mouetur. At verò etiam quiescit. Nam illud dicitur quiescere, quod in eodem loco secundum se totum, & secundum omnes partes perseuerat: sed ita se habet corpus, quod dicitur motu circulari moueri. neque enim ipsum, neque aliqua eius pars egreditur vnquam extra eum locum, sed in eo perpetuo & totum, & partes rotantur.

Respondet Arist. ac primò negat partes corporis circulo moti non mutare locum. Sol, qui est pars Cæli circumacti, nunc est in ortu, nunc in meridie, aut occasu. Secundò ait, quod etiam totum mutat, non quidem locum, sed dispositionem loci.

CAPVT X.

Textus 86. vsque ad finem libri.

Ostendit, indiuisibile non moueri per se: & mutationem non esse infinitam.



Xagitat in præsenti cap. alios duos errores, qui circa motum illa itidem tempestate vigebant. Alter erat Democriti: Alter Heracliti. Ac primò quidem nosti vel ex primo huius operis lib. tex. 42. & lib. primo de ort. & I.
inter. cap. 2. quod Democritus opinatus est, res omnes fieri ex atomorum congregatione, & destrui per earundem disgregationem. Atomi itaque, corpuscula

pufcula indiuifibilia, fi iungi ac disiungi deberent, profectò localiter & per fe moueretur necesse erat. Hoc dogma quantum ad motum, intendit hic Aristot. confutare: quare.

II. Statuit in tex. 86. hanc conclusionem. Impossibile est, vt indiuisibile, quod est secundum quantitatem, moueatur per se, sed mouetur solum per accidens.

Explicat secundam conclusionis partem, nam puncta magnitudini inexistentia, dum illa magnitudo mouetur, ipsa quoque mouentur. Hoc autem est moueri per accidens, quemadmodum nauta quoque mouetur per accidens ad motum nauis, in qua existit: ita etiam mouentur omnia accidentia ad motum subiecti, vt in lib. quinto cap. 1. exposui.

III. Primam autem partem demonstrat tribus rationibus, quarum prima est in tex. 87. Si indiuisibile potest per se moueri, moueatur ergo ab vno in alium terminum, siue motu locali, siue quocunq; alio: tunc necesse est, esse etiam tempus in quo mouetur. In eo itaque tempore aut totum illud indiuisibile est in termino a quo, aut totum est in termino ad quem, aut partim est sub vno, partim sub alio. Si in eo tempore totum est in termino a quo, non mouetur: quia cum aliquid totum est in termino a quo, nondum mouetur, sed quiescit. Eodem pacto si totum est in termino ad quem, non mouetur, sed iam mutatum est, ac quiescit. Si verò partim est sub vno, partim sub altero termino, ergo indiuisibile est diuisibile. Enimuerò esse partim sub vno, & partim sub alio, est proprium rei diuisibilis.

Nec dici potest, quod illud indiuisibile est in aliquo indiuisibili temporis Nunc: & deinde in alio, & ita deinceps, Nam tunc illud tempus componeretur ex indiuisibilibus: Et motus non esset nisi multa mutata esse: sic in tex. 88.

IV. Secunda ratio est in tex. 89. & in specie struitur de motu locali. Quicquid mouetur per aliquod spacium, prius transit spacium minus se, aut æquale sibi, quàm transeat maius, & totum. Si itaque indiuisibile localiter mouetur, prius transit spacium minus se: Hoc autem repugnat: Quid enim minus indiuisibili valet concipi? ergo antequam pertranseat aliquam partem spacij, transit sibi æquale, hoc est punctum indiuisibile, deinde aliud: ergo impossibile est, illud indiuisibile moueri localiter: Tum quia puncta spacij sunt infinita: Tum quia tunc spacium, siue linea per quam moueretur, componeretur ex punctis, quæ mobile indiuisibile tangeret, & numeraret.

V. Tertia ratio in tex. 90. ducit ad inconueniens, & est huiusmodi. Accipit primò, omne quod mouetur, moueri in tempore, & nihil moueri in Nunc. Accipit secundò, tempus esse diuisibile in semper diuisibilia: Accipit tertiò, tempus, motum, & magnitudinem, in qua fit motus, esse æquè diuisibilia. Quæ omnia superius demonstrata sunt. Tunc moueatur punctum indiuisibile, debebit sanè prius transire spacium sibi æquale, nempe punctum. Tūc iste transitus factus ab indiuisibili per indiuisibile si est motus, ergo est in tempore. Tempus istud, in quo fit ille motus, est diuisibile, proinde potest accipi minor ac minor eius pars: ergo debet etiam dictus motus diuidi in minorem ac minorem partē: & ita etiam debet diuidi id in quo ille fit. Hoc autem repugnat, quia id per quod fit ille motus, est indiuisibile: & talis etiam esset motus: Et etiā quia sic daretur tempus minus eo tempore, in quo supponimus fieri talem motum. Siquidem vna pars eius temporis est minor toto tempore in quo ille motus fit. Quæ omnia cum sint absurda, planè fatendum est, indiuisibile secundum quantitatem, nullo pacto posse moueri per se.

Transit a tex. 91. ad refellendum alium errorem, videl. Heracliti, qui quidem in ea fuit imaginatione, quod omnia versentur in perpetuo quodam motu, ac proinde omnia essent in infinito quodam motu. Aristot. primùm ostendit in dicto tex. non esse vnam aliquam mutationem infinitam in quinque speciebus motus: postea a tex. 92. edisserit de motu locali. VI.

Ponit itaque hanc conclusionem. Non est vna infinita mutatio in mutationibus, quæ sunt siue inter contraria, siue inter contradictoria. Dicit; VII. non est, *vna*, infinita mutatio, quia posita Mundi æternitate, procul dubio est infinita mutatio, sed semper alia atque alia. Dicit, in mutatione, *quæ est in contradictione*, id est in generatione, & corruptione. Dicit, in mutatione, *quæ est in contrarijs*, videl. in alteratione, augmentatione, & decremento.

Ratio autē cōclusionis sic colligitur. Nihil, quod est a quodam in quoddam, potest vnum & idem esse infinitum; Sed omnis mutatio vna atque eadem est a quodam in quoddam: quare nulla mutatio vna atque eadem statui potest infinita. Minorem prob. *mutatio enim omnis erat ex quodam in quiddam*. Id idem illustrat singillatim, nam generatio est a non esse ad esse: corruptio ab esse ad non esse: quapropter habent terminos contradictorios, qui sunt affirmatio, & negatio. Similiter alteratio habet contraria, vt ex albo in nigrum: sic augmentatio est ab imperfecta ad perfectam magnitudinem secundum conditionem eius, quod augetur. e contra autem diminutio. ergo omnis mutatio tam in contrarijs, quàm in contradictorijs vna & eadem omninò est finita.

Subdit in tex. 93. Nos haud posse ratione ex contrarietate, & contradictione terminorum accepta ostendere vniuersè motum localem esse finitū, VIII. *quia non omnis loci mutatio est in contrarijs*. Licet enim motus naturales grauium, ac leuium celebrētur inter contraria, nihilominus motus violenti, ac voluntarij non determinantur simpliciter secundum certos aliquos terminos, sed secundum maiorem aut minorem violentiam; & secundum pro-

p. situm

positum mouentis, qui non valet, aut non vult remotius impellere. Et in motu etiam circulari absolutè contrarietas non est, vt in primo de cælo cap. 3. demonstratur.

IX. Propterea Arist. alia ratione commonstrat, neque etiam motum localem posse esse infinitum, videl. secundum distantiam. Ratio hæc est. Impossibile est aliquid fieri, quod repugnat aliquando esse factum: At si motus localis est infinitus secundum distantiam, repugnat quod mobile sit motum, siue sit mutatum, sed semper mouebitur; ergo repugnat esse talem motum infinitum. Maiorem probat inductione. Etenim si impossibile est, esse diuisum, impossibile est diuidi: & si impossibile est, esse genitum, impossibile est generari: & si impossibile est, esse mutatum, impossibile est mutari. Et ratio huius est, quia terminus ad quem, est finis, cuius gratia suscipitur motus: sublato autē fine, natura nil agit. Hoc ipsum effatum elegantissimè extulit in secundo Metaph. cap. 4. *γίνεσθαι οὐχ οἷόν τε τὸ ἀδύνατον γενέσθαι*, latina verba græcanicum candorem haud queunt vnquam consequi: sonant tamen: ***Fieri non est possibile, quod factum esse est impossibile***. Sic in motu secundum locum, si impossibile est transijsse, impossibile quoque est infinitè transire.

X. Demum in tex. vlt. exponit, quomodo possit in rebus reperiri motus ac mutatio successiuè infinita, & ait, quod nihil vetat, quominus possit ita mutatio æternari, vt motui locali succedat V. G. alteratio, alterationi succedat generatio, generationem sequatur augmentatio, hanc excipiat motus localis, huic rursus succedat alteratio: & ita per circulum infinities, posito tempore infinito. Veruntamen isti motus non sunt vnus numero motus, sed differant, ***quia non est vnum ex omnibus***. Vnum autem atque eundem numero motum esse infinitum, & durare sempiterno tempore, non contingit nisi in vno ac solo motu, qui circularis est; Hic solus potest esse, & ad aures Aristotelis, re ipsa est vsquequaque æternus. Laus Deo.

COMPREHENSIO

LIBRI SEPTIMI.



Septimus liber est veluti, præambulum ad octauum; quocirca quæ hic continentur, sat est acuminatim tetigisse. In primo cap. iacit, ac probat duo fundamenta, quorum vnum est; Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Alterum est; In mouentibus, & motis subordinatis non est abire in infinitum. Ex quibus colligit, deueniendum esse ad vnum primum motorem omninò immobilem: Quæ omnia fusè prosequitur idem Arist. in lib. octauo. I.

In cap. 2. statuit, mouens debere esse simul cum moto. Probat excurrendo per omne genus motus. Et sanè omne agens, & mouens agit, & mouet per contactum: Ea autem se tangunt, quorum vltima sunt simul. II.

In cap. 3. expendit, ad quasnam species Qualitatis sit per se motus alterationis. Et determinat, esse solum ad tertiam speciem Qualitatis, quæ est passio, & passibilis qualitas.

In cap. 4. docet, quinam motus possint inter se comparari secundum velocitatem, & tarditatem. Et determinat, propriè loquendo, solos motus eiusdem speciei posse inter se comparari, quia propria comparatio est in specie infima, non autem in genere, neque in analogis, aut æquiuocis. III.

In cap. 5. & vlt. ait, in quolibet motu quatuor requiri, & sunt, Virtus motiua, siue mouens: Resistentia, siue mobile: Tempus quod motum mensurat: Et spacium supra quod, vel intra quod fit motus. Deinde explicat modos particulares, quibus motus possunt, ac debent comparari. IIII.

Finis libri Sexti, & Septimi.



Digitized by Google

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

CAPVT I.

Ostendit Arist. Motus, & Mundi vtraque ex parte æternitatem.



CTAVVM Physicorum librum, ex veteri Antenoreæ Academiæ præscripto, solemus
I. vno integro anno publicè interpretari: Illum ea prolixitate, qua hisce commentarijs annectera, iustæ causæ noo patiuntur: Emittam eum, si ita res tulerit, commodiori tempore seorsim: Interea vna eius libri pars omittenda neutiquam est, in qua Arist. contra quàm veritas nostra Catholica profitetur, omni ope enititur ostendere Motus, & Mundi sempiternitatem. Audiendæ sunt eius rationes, quia neruosæ: at diluendæ etiam, quia cum a veritate nostra deuient, veræ demonstrationes non sunt, *verum enim vero non aduersatur*.

Proponit itaque in tex. 1. theorema disentiendum, vtrum motus, (se proinde etiam Mundus) sit vtraque ex parte æternus, an non? & vt ipsa loquitur, *Vtrum factus est aliquando motus, cum non esset prius, & corrumpitur rursus adeò vt moueatur*
II. *nihil. an neque factus est, neq; corrumpitur, sed semper erat, & semper erit?*

Confecto autem & absoluto exordio per tres contex. sternit in tex. 4. huiusmodi fundamentum. Omnis motus præsupponit mobile, & mouens. Probat: Actus præsupponit id cuius est actus; præsertim si sit actus accidentalis: Motus est actus mobilis, & quidem actus accidentalis, vt in lib 3. dictum est: quare motus præsupponit mobile. Rursus, motus est actio transiens, ergo præsupponit id a quo elicitur; Hoc autem est mouens, siue motiuum. Hoc idem fundamentum constat inductione. Nam prius debet esse combustibile, V. G. lignum, & combustiuum, videl. ignis quàm fiat combustio: Et prius oportet esse hominem qui possit ambulare, deinde sit ambulatio.

Textus 5. vsque ad 10, *Rationes Aristotelis pro æternitate motus, ac Mundi.*



X fundamento nunc iacto erigit Arist. in tribus contex. argumentum pro æ- III.
ternitate motus a parte principij, quo compellit aduersarium ad impossibile; & sic viget. Aut motus fuit semper, & æternus, aut non, sed aliquando incæpit cum non esset prius. Si semper fuit, ergo habeo intentum. Sin autem non fuit, tunc accipio illum motum, quem tu ponis esse primum, & sic arguo.

Ad omnem motum præsupponitur mobile, & mouens: ergo ad illum quoque motum, quem tu dares primum, debent hæc præsupponi. Tunc peto, illud mobile, & illud mouens, sunt ne facta, an non? sed præcesserunt in omni æternitate? ita vt in ipsa æternitatis immensitate. Mobile quidem iaceret immotum: Mouens autem iners quiesceret, deinde cæperunt hoc quidem mouere, illud verò moueri. At neutrum istorum affirmari potest: quare nullus vnquam motus potest assignari ita primus, ante quem non fuerit alius prior.

Minorem probat, & quidem quo ad primam IV.
partem in tex. 6. *Si igitur factum est mobilium, & motiuorum vnumquodque &c.* Si, inquit, mobile illud, & illud motiuum factum vnquam fuit, ergo factum fuit per aliam *mutationem, & motum*, (quippe generatio, per quam illa producerentur, est quædam mutatio: & præterea requirit, saltem præuiè motum propriè dictum) ergo ante illum motum, qui abs te acceptus est primus, iam fuit alia mutatio, & alius motus prior. Rursus de illo motu priore primo repeto idem argumentum. Nam ante illum debuit præsupponi mobile, & motiuum: quæ rursus per aliam mutationem, & alium motum adhuc priorem fuissent facta: Et ita repeto in infinitum. Ex hac itaq; parte motus non potuit incipere vnquam; sed semper & absolutè fuit ea omni æternitate.

Quo ad secundam partem probat eandem mino V.
rem in tex. 7. *Si autem ea quæ sunt, ante erant semper, motu non existente &c.* Si verò dicas, mobile, & motiuum haud fuisse vnquam facta, sed extitisse perpetuò, ac sempiterna, nihilominus non semper fuisse

Digitized by Google

fuisse motum; sed post aliqua secula incæpisse: Hoc, inquit Arist. ἄλογον φαίνεται καὶ αὐτόθεν ἰδεῖν. irrationabile apparet etiam ijs qui quasi è longinquo stantes supinè prospiciunt rem, quia nimirum etiam ij simplici ac rudi intuitu prospicientes, penitus præter rationem iudicabunt, quod in immensitate æternitatis extiterit res naturalis, apta moueri, & res itidem apta mouere, & nihilominus nullus in ijs fuerit motus, nullus actus, sed immota, ac quiescentia infinito quasi tempore torpuerint: postea cæperint hoc quidem mouere, illud verò moueri. Hem, cur tunc, & non antea, aut post? Cur potentia illa naturalis in tota æternitate torpuit ociosa?

Deinde cum ait, *At verò magis vltra progres-*
VI. *sis &c.* Nihilominus, inquit, si vlterius progrediamur, tamque accuratiori expendamus trutina, videbimus, necessariò idem omninò sequi, si ponatur quod mobile & motiuum fuerint sempiterna, & infinito tempore ante motum extiterint immota, & quiescentia, ac si ponantur esse facta. Sequitur, inquam, ante motum, qui ab aduersario dicitur primus, omninò esse aliam mutationem, & alium motum priorem.

Quod hunc in modum ostendit. Si erat mobile & motiuum, & non erat motus, sed postea incæpit hoc quidem mouere, illud autem moueri: ergo necesse est, quod fuit aliquod impedimentum, & aliqua causa illius quietis, aut ex parte mobilis, aut ex parte mouentis: ad cuius ablationem postea secutus sit motus. Sed illud impedimentum haud potuit vnquam auferri sine motu: ergo dato illo motu, quem Antagonista dicit primum, adhuc datur alius motus prior illo.

VII. Hoc denotat Aristot. dum ait, *erat enim aliquid causa quietis: quies enim priuatio motus est.* Cuius vis in eo sita est. Quies est priuatio motus: At priuatio non inest alicui susceptiuo habitus & formæ nisi ob aliquam causam. V. G. est priuatio visus in Petro: ergo est propter aliquam causam, quæ impedit, quominus visus in eo sit: Sic in materia mea nūc est priuatio formæ cadaueris, ergo est nūc in materia mea aliquid, id est mea anima, quæ impedit formam cadaueris. Sic in proposito, erat quies, quæ est priuatio motus: ergo erat aliqua causa illius quietis, vel ex parte mobilis, vel ex parte mouentis, cur illa quies esset. Quare aut semper illa causa perseuerat: & sic semper etiam perseuerat eadem quies: aut remouetur, vt sequatur motus: At remoueri nequit nisi per aliquam mutationem, & aliquem motum: quare ante illam mutationem, & illum motum, qui dicebatur esse primus, præfuit alia mutatio, & alius motus prior, per quem ablata fuit illa causa quietis.

Quod si quispiam occurrat inquiens, ablationem illius impedimenti, & remotionem dictæ causæ quietis esse primum motum.

Id actutum reijcitur. Tum quia, qui ita asserit, iam mutat suppositionem in assignando primo motu: Tum etiam, quia de illo primo motu, & ablatione illius impedimenti redit idem argumentum.

Vidit Arist. quod posset aliquis dicere, hanc consequentiam, videl. si mobile & motiuum erabant æterna, & non erat motus, & postea incæpit, er- VIII.
go aderat aliquod impedimentum, & aliqua causa illius quietis, esse quidem veram, quando mouens est naturale, & agit ex necessitate naturæ: minimè autem esse bonam, cum agens agit liberè. In huiusmodi agente non est quærenda alia causa, cur nunc non agat, postea agat, nisi innata eius ipsius voluntas. Sic aiebat Anaxagoras: Mentem supremam, idest Deum, infinito tempore quieuisse absque vllo impedimento, ne imaginatione concepto: postea (quantum ad hoc sic nostra quoque catholica veritas profitetur) cum sibi placuit, liberè mouisse: atque ex Chao (in hoc dissidet a nostra veritate, quæ omnia a præpotenti Deo ex nihilo ponit condita) in quo res omnes permistæ præstant, Mundum hunc formasse. Vnde idem ipse Anaxagoras suum opus his omninò nouis exorsus est, vt auctor est Laert. πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησεν, id est, *Omnia entia erant simul: deinde Mens accedens, illa perornauit.* Intendit igitur Arist. hoc fundamentum euertere, vt confecta illa ratio maneat in robore suo: Quocirca in tex. 8. ponit, ac probat fundamentum: ex quo in tex 9. erigit rationem.

Statim in tex. 8. diuidit agentia ac mouentia, IX.
quod alia quidem agunt ac mouent naturaliter: & sunt illa quæ per se agunt vnum duntaxat oppositorum, veluti ignis per se tantum calefacit, nunquam autem frigefacit: Alia verò agunt liberè, quę porrò per se possunt vtrunq; oppositorū producere: Sic medicus per se potest calefacere, aut frigefacere corpus: Sic quiuis homo potis est per se agere, & non agere; & agere hoc, aut huius oppositum.

Deinde statuit Arist. communem hanc conditionem omniū mobilium, & omnium mouentium tam videl. naturalium, quàm liberorum, quæ est: Quod non sufficit, vt mouentia & mobilia sint quomodocunq; apta mouere, & moueri, ad hoc vt consequatur actualis motus, sed omninò necesse est, vt sint conuenienter sibi inuicem appropinquata, ac proximè disposita, vt vnum moueat, alterum moueatur: Et quando ita affecta sunt, tunc statim sequitur effectus, nempe motus.

Ex quo quidem fundamento struit Arist. in tex.
9. hanc rationem. Ad hoc vt actu consequatur mo- X.
tus, non sufficit, vt mouens & mobile sint quomodocunq; apta ad mouendum, siue vt sint in potentia remota ad mouendum; sed necesse est, vt sint conuenienter appropinquata, ac proximè disposita vt vnum moueat, alterum moueatur: & quando ita affecta sunt, statim consequitur motus. Sed, iuxta oppositam sententiam, motus nō fuit semper: quare mouens & mobile non fuerunt semper conuenienter appropinquata, proximèque disposita: sed solum erant in potentia, & quidem remota ad mouendum:

ergo ad hoc vt postea fierent proximè disposita, vt videl. vnum actu moueret, alterum actu moueretur, omninò necesse est, aut vtrumque mutari, aut saltem alterum.

Hanc consequentiam probat Arist. & ratio eius est hæc. XI. Quandocunque aduenit aliquibus duobus aliqua relatio, quam illa prius non habebant, necessè omninò est, vt vel vtrumque illud mutetur, vel saltem alterum illorum: sicut ad hoc vt aliquid nunc sit duplum alicui, cui prius non erat duplum, profectò vel vtrumque illud mutetur necesse est, vel saltem alterum. Atqui inter mouens & mobile illius motus, quam aduersarius constituit primum, nunc est relatio, quæ prius non erat: ergo ante istum primum motum, iam mutatum est vel vtrumque, nempe mobile & mouens, vel saltem alterum. Ac proinde ante motum qui ponebatur primus, fuit alia mutatio, & alius motus prior.

Textus 10. vsque ad 14.

Probat eandem motus æternitatem ex natura & conditione temporis: Et accommodat rationem superius confectam æternitati a parte post.



XII. Robauit hucusque Arist. æternitatem motus a parte ante, rationibus acceptis ea natura motus, & conditione mouentis ac mobilis: pergit deinde a tex. 10. eandem conclusionem confirmare alia ratione ex proprietate motus, hoc est ex tempore, deprompta. Et ratio sic potest formari. Si tempus est æternum, motus quoque æternus est: Sed tempus est æternum: quare & motus.

Consecutio primæ propositionis clara est, & probatur ab Aristotele, quia tempus est numerus motus, aut est ipsemet motus, nimirum primi mobilis: quocirca impossibile est, esse tempus non existente motu, aut e conuerso.

Tempus autem esse æternum, probat primò in ipsis primis verbis tex. 10. cum ait, *prius autem,* XIII. *& posterius quomodo erunt, tempore non existente? aut tempus, non existente motu?* Quæ ratio sic struitur: Illud, cuius differentiæ sunt æternæ, etiam ipsum est æternum. Sed differentiæ temporis sunt æternæ: quare & tempus ipsum est æternum. Prima propositio est vsqueadeò perspicua, vt eam Arist. afferat per interrogationem: perinde ac si dicat, omninò impossibile est, vt sit prius & posterius, quæ sunt differentiæ temporis, non existente tempore: aut e contra. Minorem verò, quod videl. prius & posterius sint æterna, supponit Arist. tanquam ab aduersarijs concessam, qui potiò cum dicerent, motum aliquando incæpisse, per consequens asserebant, prius nõ fuisse motum: Ita cum assererent, motũ aliquando esse habiturum finem, consequenter asseuerabant, quod motus posterius non erit. Proinde prius & posterius semper erant, & semper erunt.

Secundò probat eandem minorem, videl. tempus esse æternum, ex communi Veterum Philosophorum consensione, *qui omnes, præter vnum Platonem, de ipso tempore concordes esse videntur. ingenitum enim esse dicunt: Plato verò ipsum generat solus.* XIV. Cui quidem Platoni ex industria opponit Aristot. Democritum. Quasi dicat, quod quamuis Plato existimarit tempus haud esse æternum, alij tamen Philosophi contra sensere, maximè verò Democritus, vir non minoris auctoritatis; qui quidem dixit, *quod impossibile est, omnia esse facta: tempus enim ingenitum esse.*

Tertiò eandem minorem ostendit in tex. 11. XV. Desumit autem argum. a natura ipsius Nunc siue instantis. Iacit autem hoc fundamentum, quod in quarto lib. huius operis multis patefecit, videl. Impossibile est, esse vel intelligi tẽpus sine ipso Nunc. Vnde ratio ita colligitur. Omne Nunc est mediũ inter duo tempora, cum sit continuatiuum duarum partium temporis: est enim ipsum instans finis quidem temporis præteriti, principium autem temporis futuri. At si tempus non esset æternum, sed aliquando inciperet, iam daretur aliquod instans, quod non esset medium duorum temporum: Neque esset continuatiuum duarum partium temporis: quare impossibile est, tempus aliquando incæpisse, sed semper fuit, ita vt quocunque instanti assignato, ante illud fuerit tempus. Quod si tempus æternum est, ergo & motus: & vt ipse Aristot. colligit in fine eius tex. *manifestum est, quod necesse est, & motum esse: Siquidem tempus affectio quædam motus est.*

In tex. 12. & 13. applicat Arist. primam illam rationem, qua motus æternitas a parte ante ostendebatur, XVI. æternitati eiusdem motus a parte post. Contendit autem, quod quemadmodum in illa compellebat aduersarium ad illud impossibile, quod si motus non esset æternus, necessariò concedendus foret motus prior quocunque motu primo assignato, ita e contra, si motus aliquando sit habiturus finem, necessariò dici debeat, quod detur motus posterior postremo. Quam quidem intentionem ipsemet indicat in tex. 13. inquiens, *eadem autem est ratio & de eo, quod est incorruptibilem esse motum. Vt enim in eo quod est factum esse motum, accidit quandam esse mutationem priorem prima; sic hic posteriorem vltima.*

Pro qua quidem accipit, quod post omnem motum actualem, præsertim verò localem, remanet XVII.

mo-

motiuum, & mobile: Quod quidem fundamentum ipse sensus euincit. Tunc ita pergit: Aut mouens, & mobile postquam cessauerint mouere, & moueri, remanent incorruptibilia, & æterna; sed tamen cum potentia ad motum denuo exercendum: aut remanent corruptioni obnoxia. Quicquid dixeris, sequitur post vltimum motum dari alium posteriorem.

Minorem, quo ad primam partem probat in tex. 12. quia non simul interit actus siue operatio in aliquo, & potentia illius: ergo si in illo mouente ac mobili corrumpatur seu desinat actualis motus, quæ est operatio, nihilominus remanet in ijs potentia ad motum denuo exercendum: Et sic post actualem motum, qui poneretur vltimus, remanet motus cum potentia mouendi, & mobile itidem cum potentia vt moueatur: & istæ potentiæ certè sunt naturales. Sed omnis potentia naturalis reducitur aliquando ad actum: reducitur autem per motum: ergo illa potentia reduceretur ad actum rursus mouendi per aliquem motum: Ecce igitur post vltimum motum iam suppositum, alius motus posterior, si dicas remanere mouens illud, & mobile incorruptibilia.

XVIII. Eandem minorem, quo ad secundam partem, si nimirum dixeris, illa remanere corruptibilia, probat in tex. 13 Et quia hoc posset solummodo affirmari de mobili, ob id de eo solo patefacit. Si mobile remanet caducum ac corruptibile, ergo aliquando ex seipsa corrumpetur. Omne namque corruptibile, tandem aliquando intereat necesse est: Sed corruptio est cum motu: ergo post illum qui ponebatur vltimus motus, ecce alius posterior.

Addit, *& huius corruptiuum rursus posterius*: Si illud mobile corrumpitur, ergo ab aliquo corrumpente illud. Ast hoc corrumpens iterum posterius corrumpetur: En ergo etiam alius posterior motus post illum qui fuit postremo posterior. Quicquid itaque dicas, impossibile est, vt motus aliquando quidem sit, aliquando autem non; sed semper fuit, & semper erit: Et huius oppositum, subdit ipse, *est figmento magis simile*.

Textus 14. & 15.

Eandem motus æternitatem comprobat detegendo aduersarum opinionum absurditates.



XIX. Opinio aliqua tribus modis potest probari. Primò, rationibus, quæ illam in se ipsa spectatam ac directè ostendant. Secundò, si aduersæ opinionis falsitatem aperiamus: Tertiò, dum eiusdem contrariæ opinionis fundamenta labefactamus. Hæc enim duo posteriora obliquè communiunt nostram positionem. Cunctis hisce vijs instituit Arist. ad comprobandam motus æternitatem. Hucusque primum caput executus est: Nunc in his duobus contextibus detegit aduersarum opinionum absurditates: Postea in cap. sequ. contraria argumenta euertet.

Porrò in his duobus contex. multa facit Aristot. Equidem maioris claritatis gratia eos in quatuor partes distribuo. XX. In quarum prima refert opinionem Empedoclis, & Anaxagoræ. In secunda confutat illam Anaxagoræ: In tertia præfert opinionem Empedoclis opinioni Anaxagoræ, nihilominus eam quoque reijcit. In quarta corrigit quoddam Democriti dictum.

Ait itaque, similiter figmento similem esse opinionem Empedoclis, asseuerantis, Mundum fieri & corrumpi successiuis vicibus ex quatuor elementis, dominante Lite, vel Amicitia: idque & factum esse, & futurum infinitis vicibus. Et cum interrogaretur, cur hoc ita fieret: nullam aliam asportabat rationem, nisi ὅτι πέφυκεν οὕτω, *quod aptum natura sic est*. Idque supponebat tanquam primum principium, quod nimirum id eueniret ea sola naturæ necessitate.

Deinde subiungit Arist. *fortassis autem & vnum principium facientes*: Indicat opinionem Anaxagoræ, vt pariter ostendat, eam quoque ratione carere, & esse figmento consimilem. XXI. Opinatus est Anaxagoras, infinito tempore omnia permansisse quietissime in Chao: postea supremam Mentem ea segregasse, & formasse Mundum. Nihilominus dum interrogabatur, cur isthæc ita, & tunc potius quàm antea, aut post euenerint: non respondebat adæquatè. Nam licet poneret intellectum siue Mentem causam illius segregationis, tamen illa omissa, redigebat causam inceptionis Mundi ad quandam Naturæ necessitatem: propterea hic ab Aristotele coniungitur cum Empedocle: Et in secundo Physic. tex. 75. circa necessitatem rerum de vtroq; sic legimus. *Hæc autem ex necessitate sunt, & fiunt; & apta natura sunt: etenim etiamsi aliam causam dicant, solum tangentes valere sinunt: hic quidem Litem, & Amicitiam: ille verò intellectum*.

Reijcit in 2. parte hanc Anaxagoræ opinionem duplici ratione, cum ait, *at verò nihil inordinatum est eorum quæ natura, & secundum naturam sunt*: XXII. Sed Mentem, & res in Chao existentes infinito tempore quieuisse, postea incæpisse motum, & infinito tempore mouere, & moueri; est aliquid inordinatum: ergo hoc non est opus naturæ secundum naturam: ac proinde malè Anasag. refert inceptionem rerum ad naturam. Maiorem probat, quia natura est causa ordinis in rebus naturalibus: Atqui vbi est causa, ibi est & effectus: quocirca vbi est natura, ibi & ordo: Atqui ex opposito, vbi non est ordo, ibi non est natura, neque naturæ opus. Minorem etiam probat, quia omnis ordo est ratio ordinatorum ad inuicem, ita vt sit vnum post aliud vtique

vsque ad vnum primum : Ast infiniti ad infinitum nulla est ratio : ergo nullus etiam ordo.

Secunda ratio contra eundem Anaxag. ita struitur. Id quod est naturæ opus, aut semper est eo-
XXIII. dem modo, aut si non est semper eodem modo, sed aliquando variatur, adest legitima ac naturalis causa eiusmodi variationis. Sed Mens, & res in Chao existentes non sunt semper eodem modo, sed infinito tempore quieuerunt, postea cæperunt moueri, & moueri, idque infinito tempore factura sunt; atque huius variationis nulla idonea affertur causa: quare inceptio & variatio ista non est opus naturæ: ac proinde falsum ait Anaxagoras, Mentem, & res in Chao existentes &c. & hoc malè reduci in naturæ necessitatem.

Prima propositio habet duas partes, & quidem primam Arist. illustrat exemplo ignis, qui potiò semper vno & eodem modo operatur. Quis nescit, idem manens idem, semper idem & eodem modo operari? Secundam verò partem eiusdem propositionis Aristot. non explicat: nihilominus de se conspicua est. Nam anni tempora, V. G. non semper eodem modo se habent. Quippe non semper sæuit hyems, aut semper viget æstas. Attamen huius variationis adest germana & naturalis causa, quæ est accessus, ac recessus Solis: quemadmodum in lib. secundo de gener. & corrupt. cap. vlt. explicatur. Secunda autem propositio in sententia Anaxagoræ est manifesta.

XXIV. In tertia parte, *propterea melius cum Empedocl. &c.* præfert opinionem Empedoclis opinioni Anaxagoræ quantum spectat ad hoc, quod Anaxagoræ positio nullum seruaret ordinem in inceptione, & desitione Mundi, & motus: Empedocles autem seruaret aliqualem ordinem: Idcircò hic proximius videbatur accedere ad opus naturæ, cuius conditio est seruare ordinem. Seruabat autem Empedocles aliqualem ordinem, dum aiebat, res finito tempore moueri: rursus alio finito, & æquali
XXV. quiescere: rursus moueri, & id vicibus infinitis.

Hanc tamen Empedoclis opinionem reijcit, quia quicumque profert aliquam opinionem, non modo debet illam proferre, verùm etiam eius rationem afferre, vel *inductione*, id est per ea, quæ per sensum deprehendimus: *vel ostensione*, videl. a priori, & per causam. At Empedocles nullam attulit rationem, cur tanto tempore duret ac dominetur Amicitia congregando res, & cur alio tanto eidem, & æquali tempore perseueret ac dominetur Lis disgregando easdem res, vt seruetur proportio & ordo. Neque hæc æqualis reciprocatio est ex natura rei necessaria: quare constitutio Empedoclis inuehitur sine ratione. Et quod Empedocl. nullam attulerit vel congruam eius rei causam, in confesso est, cum nulla memoretur. Quod autem hæc æqualis reciprocatio non sit ex natura rei necessaria, ostendit Aristot. ex ijs quæ apud nos viuuentibus animaduertimus. Nam videmus, officium amicitiæ esse solum coniungere, & congregare homines: e contra verò officium litis ac discordiæ esse, disiungere, & disgregare. Caterùm haud est necesse tanto tempore inter aliquos durare discordiam, quanto viguit amicitia: eodem ergo modo determinandum est de rebus respectu Vniuersi.

In quarta denique parte ibi, *omninò autem putare, &c.* Occurrit tacitæ cuidam responsioni. Poterat Empedocles ad rationem Aristotelis responde- XXVI.
re, & suam responsionem auctoritate etiam Democriti confirmare, quod rei æternæ non est quærenda causa. Cum itaque generatio, & corruptio Mundorum a Lite, & Amicitia sit æterna, infinitis enim vicibus sic euenit; non est quærendum, cur Mundus oriatur & occidat; & cur tanto tempore duret Lis, & tanto itidem Amicitia. Sic Democritus, cum poneret ex vario atomorum concursu generari Mundos, atque adeò res omnes, si interrogaretur, cur illæ atomi ita concurrerent, vt hanc, aut illam rem componerent, nihil aliud respondebat, nisi quod semper ita fuit factum, & vt Arist. refert, *quod sic & prius fiebat: ipsius autem semper non vult principium quærere*

Occurrit Arist. & corrigit hoc Democriti dictum, XXVII.
quod rei æternæ non sit quærenda causa. Nam duplex, inquit, est æternum. Alterum quod caret causa; cuiusmodi sunt essentiæ rerum. V. G. quod homo sit animal rationis compos, & hoc non habet causam. Alterum æternū est vt proprietas alicuius rei, & hoc habet causam, V. G. quod homo sit risibilis: Ideò namque est risibilis, quia rationalis: Ita quod triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis, habet causam. In summa, æterna sunt & principia prima, & conclusiones ex ijs deductæ. Principia non habent causam: benè autem conclusiones.

Cum itaque, iuxta Empedoclem generatio Mundi ex elementis a Lite, & destructio eiusdem ab Amicitia; Tum, iuxta Democritum generatio ex atomis non sit essentia Mundi, tenebantur illi reddere eius causam: Quam cum non reddiderint, absque ratione locuti sunt: propterea Arist. concludit in fine tex. 15. id quod in primo tex. inuestigandum proposuerat, inquiens, *Quod igitur nullum tempus aut erat, aut erit, quando motus non erat, aut non erit, tot dicta sint.*

CAPVT II.

Textus 16. vsque ad 21.

Refert, & soluit Arist. tria contraria argumenta.



T propositæ disputationi vltimam imponat manum, proponit Arist. in tex. 16. & 17 tria contraria argumenta, quibus probari posse videbatur, motum, & Mundum aliquando incæpisse: quæ deinde dissoluit.

I. Primum in tex. 16. contendit probare, nullum motum esse æternum, siue infinitum. Nulla mutatio potest esse æterna ac infinita: Omnis motus est quædam mutatio, quare nullus motus potest esse æternus ac infinitus. Maiorem ex eo munit, quia omnis mutatio est inter duos terminos contrarios; *quia mutatio omnis apta natura est esse ex quodam in quoddam*. Omne autem quod est inter duos terminos, profectò conclusum ac finitum est: ergo omnis mutatio est finita: ac proinde nulla æterna.

II. Pergit in tex. 17. probare, motum benè posse incipere cum antea nullus esset. Desumit autem duo argumenta ex ijs quæ sensu percipimus. Videmus aliqua moueri, quæ prius penitus quiescebant. Et quoniam hæc alia quidem sunt inanimata, alia anima prædita, ex vtrisque accipit argumentum: Cernimus V. G lapidem, cum prius nullo pacto moueretur, denuo incipere moueri: (alioquin aut lapis semper moueretur, aut nunquam moueretur) ergo idem indicium ferendum est de motu respectu Mundi, quia eadem est ratio motus ad partes alicuius totius, & ad ipsum totum.

III. Tertium argum. quod ipse eit esse difficilius, desumit ab animatis: ob id verò censetur difficilius, quòd experti animæ mouentur ab extrinseco: animata verò mouentur e semetipsis, & pro libito. Ratio ita colligitur. Sicut se habet animal, V. G. homo ad suum motum, ita Mundus ad suum. Sed homo cum prius non moueretur, incipit de nouo moueri a semetipso: etiamsi nullum fiat eius motus initium ab extrinseco, quare eadem ratione Mundus, cum prius non moueretur, potest incipere de nouo moueri a semetipso, etiamsi nullum fiat ab extrinseco initium eius motus. Maior ex eo suadetur, quia ita de magno Mundo philosophari debemus, quemadmodum vsuuenire cernimus in homine, paruo Mundo: *si enim in paruo Mundo fit, & in magno*.

IV. Hæc argum. statim depellit: Et quidē in tex. 18. depellit primū. Negat, nullam mutationem, & nullum motum esse infinitum. Deinde, cum obijcitur, quod omnis mutatio, & omnis motus clauditur inter duos terminos contrarios, ac proinde est finitus; Occurrit, id esse verum in motu recto: nihilominus dari alium motum, aideo primum ac circularem, qui neutiquam versatur inter contrarios terminos: Et hic benè potest esse infinitus atq; æternus. Porrò quoniam dixit, motum, qui est inter contrarios terminos, minimè posse perpetuari, cui quidem effato videbatur obstare motus reflexus, veluti motus chordæ si iterum atque iterum pulsetur, aut pilæ allisæ in parietem, ideò in eodem contex. respondet, talem motum non esse vnum, sed multos, & medijs quietibus interruptos.

V. Soluit in tex. 19. secundum argum. & negat eandem esse rationem de re particulari inanimata, quæ incipit moueri cum prius non moueretur, ac de ipso Vniuerso. Res quidem particularis inanimata mouetur ab extrinseco motore: iccircò quandoque mouetur, & quandoque quiescit, pro vt motor sit illi præsens, aut absens: Totus verò Mundus non ita se habet, cum non habeat extrinsecum Motorem; quandoquidem extra vniuersum Mundum nihil est: propterea Motor, nequit aliquando quidem fieri illi præsens, aliquando autem non; sed perpetuo se habet eodem modo: Quocirca aut semper mouebit, aut nunquam.

VI. Soluit deoique tertium argum. & negat, animal posse incipere moueri cum prius non moueretur, nullo adhibito Motore extrinseco, siue nulla facta prius in eo mutatione. Nam anima mouet animal non quidem secundum quemuis motum cum prius non moueretur, sed solo motu secundum locum. Mouet autem ad hunc motum per appetitum: Appetitus verò mouetur ab aliquo extrinseco, quod porrò aliter se debet habere nunc quā prius: Vnde ad motum ipsius animalis semper præsupponitur alius motus prior: Quæ quidem rem luculenter explicat idem auctor infra a tex. 51. Et in tertio de Anima tex. 48. Hæc Arist. de æternitate motus, & Mundi: In qua vox & sola re homo hic e nostra veritate Catholica exorbitauit: propterea quære.

QVÆ-

QVAESTIO PRIMA

Vtrum Mundus fuerit ab æterno : Vel saltem potuerit esse ab æterno.



Vas hic, easque grauissimas disceptationes contingimus. Et quod ad primam attinet, post Aristotelem, Proclus, Auerr. &
I. quidam alij æternitatem Mundi mordicus tueri, omnique ope confirmare enisi sunt: Pro qua quidem re quamplurima conglomerarunt argumenta. Equidem apparentiora subijciam, ex quorum solutione reliqua quoque nullo negotio depelluntur.

Arguitur itaque primò. Si Mundus non fuit ab æterno, sed de nouo esset factus, aut eius opifex ab æterno fuit causa efficiens actu erga talem productionem Mundi, aut aliquando fuit in potentia, & postea factus est actu. Si prius, ergo ab æterno etiam fuit Mundus: quia causa efficiens actu, infert etiam effectum actu, sicut actu secans infert actu secationem, & ignis actu, infert calefactionem actu. Si posterius, ergo Mundi opifex in productione Mundi transijt & mutatus est de potentia ad actum. Quod dictu absurdum est. ergo Mundus nunquam incæpit, sed fuit æternus.

Præterea, cum omne quod est in potentia reducatur ad actum, ab eo quod est actu, sequitur, vt primum illud efficiens, si esset in potentia, deberet redu-
II. ci ad actum ab aliquo alio priore: Quæ conditio apertè primo efficienti repugnat. Et præterea, de illo priore adhuc peto, aratne in potentia ad hoc vt reducarat istud aliud ad actum, an verò semper actu reduceret? Si actu, & semper reducebat, ergo hoc aliud actu, & semper erat reductum: ac proinde actu ac semper producebat Mundum. Sin autem illud etiam erat in potentia, repeto idem argumentum, quod deberet ab aliquo alio reduci ad actum: ita in infinitum: quare &c.

Confir. idem manane idem, semper idem, & eodē modo natum est operari: Primum efficiens, Deus est semper idem penitusq; immutabilis eodē modo perseuerat, quare vel semper Mundum fecit, vel nunquam fecit; & non variabili conditione aliquando quidem fecit, aliquando autem non.

III. Secundò arguitur. Bonum est sui ipsius diffusiuum; & de natura boni intimè est, sa ipsum cum alijs communicare, suamque bonitatem alijs, quantum illorum natura sufferre potest, impartiri. Deus est summum bonum, quare dedecet affirmare, eum æterno quasi tempore torpuisse in ocio, & suam bonitatem nulli alij rei communicasse.

Explicatur hoc magis. Quæritur: potuitne Deus ab æterno Mundum condere, an non? Si non potuit, sequitur primò, quod sit impotens. Sequitur secundò, quod neque postea posset eum condere. Si verò ab æterno potuit; aut etiam voluit eum procreare, aut non. Si potuit, & voluit, ergo iam eum fecit. Quid enim obstaret? Sin autem potuit, sed noluit, ergo non est summè bonus, de cuius natura, & conditione est, se ipsum communicare: Quin verò est inuidus, cum posset alijs facere benè, & noluit. Quæ omnia cum maximè absurda sint, fatendum erit, Mundum semper, & ab æterno fuisse.

Tertiò, Deus, & natura semper faciunt ex ijs quæ fieri possunt, id quod est melius: Sed longè IV.
melius est Mundum esse, & semper esse, quàm non semper esse: Et hoc fuit possibile: nam si de nouo factus est, profectò possibile erat, eum esse: ergo Mundus fuit semper, &c.

Confir. quia nihil est inordinatum eorum quæ fiunt secundum naturam, cum natura sit causa ordinis: Imò neque est quicquam inordinatum eorū quæ fiunt secundum sapientiam. Sed dicere, Deum infinito veluti tempore quieuisse, postea produxisse Mundum, & huius tam ingentis nouitatis nullam rationabilem afferre causam, est maxima inordinatio, ergo id dicendum non est, sed affirmandum, Mundum semper, & ex omni æternitate extitisse.

Quartò, Tempus fuit ab æterno, ergo & motus: Nam tempus aut ipsemet motus est, aut non est si V.
ne motu. Assumptum prob. quia si tempus incæpit esse, ergo illæ locutiones essent veræ, scil. aliquando non fuit tempus, & postea factum est: Item, nunc est tempus, & prius non erat. Sed aliquando, prius, & id genus aliæ dictiones sunt differentiæ temporis: ergo differentiæ temporis essent sine tempore; quod inuolui contradictionem, sicuti inuoluit contradictionem esse rationale sine homine.

Confir. Essentia temporis est, vt sit instans quoddam continuatiuum partis præteritæ, & futuræ: quare impossibile est dari aliquod tempus, ante quod non fuerit aliud tempus, & post quod non sit itidem aliud tempus: & sic tempus neque potuit vnquam incipere, neque potest vnquam cessare.

Quintò, Quicquid fit, necessario fit ex subiecto, & opposito determinato. Ita & ratio, & sensus ipse commonstrant: & huius oppositum est mera imagi VI.
natio. Sed dicere vniuersum Mundum esse factum, est asserere huius contrarium: siquidem in eiusmodi productione neque subiectum vllum præsupponeretur, neq; vllum oppositum determinatum, sed præcederet merum nihil: quare huiusmodi productio penitus impossibilis censenda est.

Quid

Quid verò? nonne videmus, omnem actionem necessariò esse iunctam cum motu? omnem autem motum esse in aliquo subiecto, cum subiectum cō-
XIII. tineatur in ipsa motus definitione? Qui igitur asserit, agens in tempore produxisse Vniuersum ex nihilo, apertè pugnantia asserit: Quomodo enim illud posset circa nihil versari? quomodo eius actio posset in nihilo recipi? aut quomodo posset esse agens sine patiente, quæ sunt correlatiua?

Determinatio Veritatis.



Veritas tamen catholica & infallibilis est, quod Mundus non fuit æternus, sed a præ-
VII. potente Deo initio temporis sit factus ex nihilo, siue sit creatus.

Sic expressè asseritur initio Genes. *In principio creauit Deus Cælum, & terram.* In quo quidem sacro eloquio spiritus S. quatuor insinuat. Primum est vniuersitas rerum factarum, expressa per *Cælum, & terram*: nimirum per circūferentiam, & centrū Mundi, quibus terminis virtute intelliguntur reliqua contenta omnia. Secundum est principium effectiuum earum rerum, qui est *Deus*. Tertium est modus producendi, siue peculiaris quædam productionis species, expressa per *creauit*, videl. fecit ex nihilo. Quartum deniq; est initium temporis determinatum, quod significatur cum dicitur, *in principio*: id est in principio durationis. Ita Regius quoque Psaltes psal. 101. *initio*, inquit, *tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*. Ipse Saluator noster Ioan. 17. sic alloquitur Patrem: *Clarifica me Pater claritate quam habui, antequam Mundus fieret*. ergo Mundus aliquando factus est.

Et ratio id idem congruè persuadet, conuenientissimum enim fuit, Mundum minime esse æter-
VIII. num, sed procreari de nouo. Primò, vt creaturæ non essent suo Creatori æquales in duratione: Secundò, vt ostendatur, Creatorem minimè illis egere, sed potius eas pendere ab ipso tum vt sint, tum vt conseruentur. Tertiò, vt vnà cum diuina libertate innotescat etiam diuina potentia, quæ cuncta condiderit ex mero ac puro nihilo. Porrò licet pro hac eadem assertione permultæ aliæ rationabiles cōfirmationes possint afferri, hoc tamen certò teneri debet, quod, vt docet S. Thom. in prim. part. quæst. 46. art. 2. ea quæ ex mera Dei voluntate dependēt, ratione naturali demonstrari nequaquam possunt. *Vnde Mundum incæpisse, est credibile, non autem demonstrabile, vel scibile. Et hoc vtile est vt consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere quæ fidei sunt.* inquit S. Doctor eo loci. Sed dices.

Potuitne Mundus saltem secundum potentiam absolutam Dei creari ab æterno, an non?



Variæ extant Doctorum opiniones. Philoponus in eo opere, quo satisfacit argumentis Procli pro æterni-
tate Mundi confectis, cap. IX.
3. Alber. Magn. in hoc octau. Phys. lib cap. 1. & in 2. sent. distin. 1. art 6. qu. 2. D. Bonauent. in eadem distin. 1. art. 1. quæst. 2. Ricard. ibidem art. 3. quæst. 4. tuentur, omninò repugnare Mundum potuisse esse ab æterno.

Alij distinguunt, quod res sua natura incorruptibiles cuiusmodi sunt cæli, & Angeli, potuerunt quidem ab æterno esse: res autem caducæ ac corruptibiles, quæ in vno indiuiduo conseruari non queunt, sed per successiuam indiuiduorum generationem conseruantur, nulla ratione possint esse æternę. Ita Durand. in 2. dist. 1. quæst. 2.

Sunt qui latiore vtuntur distinctione: aiunt etenim entia permanentia, siue ea sint corruptibilia, seu corruptionis expertia, potuisse ea omni æternitate condi: entia verò successiua, qualia sunt motus & tempus, non potuisse. In hac sententia est D. Thom. in 2. contr. Gent. cap. 28. & in prim. part. quæst. 46. art. 2 Sequuntur Ferr. ad illud cap. & Caietan. ac Bannes ad eum art. & alij multi, quos refert, & sequitur P. Suarez in Metaph. disput. 20. sect. 6. Scot. autem in 2. dist. 1. quæst. 3. opinatur, præsentem quæstionem problematicè posse deffendi. Alij demum asseuerant, æternitatem nec ratione rerum incorruptibilium, nec ratione rerum corruptibilium repugnare Mundo. Ita Gregor. Arim. in 2 dist. 1. Gabr. & Ocham. De qua re omninò videndus est P. Perer. lib. 15. Phys. c. 12.

Mihi dicendum videtur, quod Mundus & se- X.
cundum partes permanentes, siue illæ sint incorruptibiles, siue corruptibiles, & secundum successiuas, videl. secundum motum & tempus, potuit per absolutam Dei potentiam creari ab æterno.

Prob. Non implicat Mūdum ita produci: ergo potuit produci. Assumptum ostendit fusissimè P. Perer. loco nūnc indicato, quod non implicet neq; ex parte Dei creatoris, neque ex parte actionis creatiuæ, neque ex parte effectus: Cuius rationes parco hic subijcere: Hoc tantum infero; quod si hæc rerum productio non implicat: & maximè videtur potentiam Dei exaltare, ergo amplectenda est.

Equidem huic rationi innitor. Actio Dei creantis non determinatur ad aliquam differentiam temporis, sed adæquat vsquequaque totam æternitatem: ergo si in aliqua differentia temporis, quæ respondet æternitati, Deus potuit condere Mundum eo modo quo nunc est, vt re ipsa condidit, profectò potuit in quocunque puncto æternitatis: ac proinde potuit ab æterno eum producere.

Quod vlterius sic explico. Peto, potuitne Deus ante hoc punctum, in quo de facto Mundum creauit, eum creare, eo modo quo nunc est, an non? Hoc secundum affirmari nec potest, nec debet: ergo primum: Accipio itaq; in immensitate æternitatis aliud punctum longè ante hoc, in quo Deus de facto Mundum condidit: & peto iterum, potuitne etiam ante illud punctum eundem ipsum producere, an non? Certè potuit. Et idem peto vsque in infinitum: Semper enim fatendum est, Deum potuisse ante quodcunq; signatum punctum producere Mundum eo planè modo, quo nunc est: potuit ergo ante infinitam durationem, quod est ab æterno.

Sed dices. Prius est rem produci, ac esse actu
XII. in aliqua dispositione, postea incipere moueri. ergo repugnat, saltem motum esse æternum: ac proinde etiam tempus. Conseq. est clara, quia si motus incipit in instanti, quo est aliud prius, iam non est æternus.

Assumptum autem, si accipiatur de rebus particularibus, planè videtur manifestum. Nam prius est hunc hominem V. G. produci, & actu in aliqua dispositione existere, postea incipere moueri: Et prius est hunc lapidem esse actu, postea descendere. Si verò illud antecedens intelligatur de motu primo, id est cælorum, ex eo etiam videtur perspicuum, quia corpus cæleste (modo supponatur productum, vt nunc supponimus) accipit esse in instanti: impossibile autem est, in illo eodem instanti moueri. Tum quia motus incipit successiuè, & per vltimum sui non esse, ita vt sit verum dicere: nunc motus non est, & immediatè post erit. Tum quia in instanti productionis Mundi completur esse ipsius, ergo in alio instanti debet incipere moueri: Inter instans autem productionis, & instans inceptionis motus, omninò intercedit tempus, cum vni instanti non succedat immediatè aliud instans. ergo datur tempus in quo motus non erat: atque adeò repugnat eum esse æternum.

Respond. quod si loquimur de rebus caducis in
XIII. particulari, istæ re vera incipiunt esse in tempore, cum non essent prius: & sic incipit etiam earundẽ motus. Et in his locum habet, quod motus incipit successiuè. Et cum obijcis, quod istæ prius debent produci, & actu esse in aliqua dispositione, postea operari ac moueri, si intelligas de prioritate temporis, vniuersè est falsum. Non enim ignis prius existit, postea calefacit: Neq; prius est Sol, postea illuminat. In his itaq; rebus particularibus nõ potuit motus idem numero esse æternus: sed tamen ante hunc numero motum fuit alius prior; per quem producta est & causa & subiectum huius motus. & ante illum fuit alius motus prior: & sic vsque in infinitum, Ita Arist. ex sententia posuit motum in rebus corruptibilibus æternum: & ita contingeret ex suppositione, in qua nos loquimur.

Si autem sermo sit de primo motu Vniuersi, occurrendum est, quod non esset assignabile instans, in quo (facta æternitatis suppositione) Mundus inciperet esse, ita vt verè posset affirmari, nunc incipit, & prius non erat: Sic ergo neq; posset assignari instans, in quo inciperet eius motus: sed quemadmodum mobile fuisset ex omni æternitate, ita & motus ipsius.

Sed vrgebis. Si assignari nequit instans, in quo
possit dici: Nunc Mundus producitur, & nunc in- XIV.
cipit esse, & immediatè antea non erat: ergo nec potest dici, quod Mundus fuit productus: At nos in præsenti disputatione supponimus eum re vera esse a præpotente Deo productum, quatenus productio distincta est a conseruatione. ergo &c. Consecutio maioris ex eo prob. quia veritas propositionis de præterito pendet a veritate præsentis, vt explicatur in lib. de interpret. cap. 2. Sed non datur propositio præsens vera, quod nunc Mundus producitur: ergo neque datur propositio præterita vera, quod Mundus fuit productus.

Respond. Etiam si supponas Mundum æternum, adhuc ille esset a Deo productus: & a Deo tanquam verus illius effectus penderet. Effatum autem illud, quod veritas enunciationis præteritæ pendet a veritate præsentis, veritatem habet in rebus, quæ principium suæ durationis sortiuntur: non verò in ijs quæ nunquam esse inciperent, sed in omni essent æternitate: quia æternitas est aliquid infinitum: In infinito autem in se ipso spectato, sicut non est primum, & vltimum, ita neque præteritum, neque futurum.

Diluuntur argumenta initio quæstionis confecta pro motus, & Mundi æternitate.



Diluitur primum, quia Deus, (qui semper sit benedictus,) operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, (id quod in præsens
omninò est supponendum) ideò XV.
ab æterno decreuit producere Mundum: sed decreuit producere eum tantum pro tali tempore, in quo de facto eum creauit, & non antea. Itaque decretum creandi Mundum erat in Deo ab æterno, at non creandi eum ab æterno. Quo fit vlterius, vt quantum est ex parte Dei, hic semper fuerit causa in actu, & non in potentia, tamen effectus non erat semper; sed ex vi illius decreti prodijt solum tempore statuto. Et sic tota mutatio in productione Mundi tenet se solummodo ex parte effectus, qui re ipsa vera de

non

non esse transijt ad esse: & nulla ex parte Dei, sed illi solum accidit in tempore relatio rationis, videl. creatoris ad creaturam. Ex qua quidem doctrina diluuntur etiam omnes illæ instantiæ factæ in eodē argumento.

Et depellitur etiam confirmatio: Siquidem effatum illud, idem, manens idem &c. verè dicitur de agente, quod naturaliter ac necessariò agit: non autem de agente libero, cuiusmodi supponimus esse Deum. Enimuerò cum huiuscemodi agens minimè agat secundum suum esse, sed secundum præscriptionem sui intellectus, & determinationem suæ voluntatis, commodè potest ad arbitratum suū varios effectus varijs ac statis temporibus edere.

XVI. Ad 2. argum. dicitur, quod bonum est sui ipsius diffusiuum eo modo, quo ipsum est ens, & agens. Modo Deus Opt. Max. in se spectatus; & (vt Doctores nostri loquuntur) ad intra, est ens & agens necessarium: Siquidem sanctissima trias est necessaria, necessaria, inquam, nō coactione, sed quia sic beoē est: iccirco ad intra necessariò etiam se cōmunicat: & quidam summo ac infinito modo. Respectu autem creaturarum Deus est agens liberum: Quocirca abundè fat est, si se creaturis communicet quando, vbi, & quantum, suæ diuinæ dispositioni visum sit.

Itaque semper Deus potuit producere Mundum: & semper etiam voluit; at non voluit vt Mundus semper esset, propter rationes pro nostra conclusione adductas. Nec propterea est opus vllios inuidentiæ, (vt in eodem argum. subijcitur) si non semper communicauerit creaturæ esse; quemadmodum non est opus inuidiæ, si ego hodie non do centum scutos aureos mendico, sed largior illi quādo, vbi, & quantum iudico conuenire. Sic Deus agit respectu creaturæ.

XVII. Ad 3. concessa maiori, neganda est minor. Enimuerò quamuis Mundo melius fortasse esset, si ille fuisset ab æterno, quatenus melius est esse quàm non esse; nihilominus absolutè non erat melius, sed longè melius est, quod de nouo productus sit. Nam Mundus factus est ad demonstrandam sui opificis Dei gloriam: Cuius asserti ratio ea est, quia Deus procul dubio condidit Mundum propter aliquem finem. Hic finis nequit vllus alius statui, quàm Deus ipse, & manifestatio eius gloriæ: quare condidit Mundum propter semetipsum, & propter suam gloriam. Ita quoque nos erudiunt sacra eloquia, quod *omnia propter semetipsum operatus est altissimus*.

Sic etiam dicimus ad confir. Negamus vllam subesse inordinationem in productione Mundi. Germana autem est ratio cur tunc, & non antea Mundus productus sit, est sola Dei voluntas: nec alia vlla potest adæquata ratio reddi.

XVIII. Ad 4. negamus tempus fuisse semper: ad probationem dicendum, quod illæ dictiones, (aliquando, prius, &c.) in illis locutionibus non significant differentias temporis veri ac realis, sed denotant tempus imaginarium: Vel hoc solum significant, quod motus, & tempus non fuerunt semper. Est insuper, ita in his vocibus, (extra, vel supra,) cum dico, extra Mundū, vel supra extimū cælum nihil est, quæ non significant positionem & differentiam veri loci; siquidem supra extimum similiter neque locus, neque tempus est, auctore eodem Philosopho in primo de cælo tex. 99 Ita philosophare de illis, aliquando, prius, ante, &c.

Sic ad confir. negandum est, omne tempus essentialiter exigere instans continuatiuum partis præteritæ, & futuræ: Nam si tempus de nouo incæpit, iam habuit siue primum instans, siue primam sui partem.

XIX. Ad vlt. argum. respondeo, quod omnia illa quæ in eo dicuntur, verissima ac necessaria sunt, quando aliquid fit per generationem: Mundus autem non est factus per generationem, sed per creationem. Res ista nostram veritatem cathol. sic planè habet, sicut Regius Psaltes psal. 32 superno spiritu afflatus cecinit, quod *ipse Deus dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt*. Porrò vt creationis natura & conditio distinctius appareat sit.

QVAESTIO II.

Quid Arist. senserit de creatione, siue de factione ex nihilo.



De creatione multa ac doctè disseruerunt SS. Patres aduersus Hæreticos Gnosticos & Manichæos, vt videre est apud Epiphan. lib. de Hæresib. & S. August. passim. Deinde Scholastici cum Magist. in 2 statim a principio, & cum S. Thom. in prim. part. quæst. 44. & 45. & lib. 2. contr. Gent. a cap. 15. Ad quæquidem loca Caiet. Bann. & Ferr. complura, & ingeniosè pertractant: complura etiam congessere P. Suarez in Metaph. disput. 20 per totam, Molin. in prim. part. S. Thom. quæst. 45. Vasq. in eadem part. disput 173. Hurtad. disput. 12. sect 3. Perer. lib. 5 Phys. cap. 5. Franc. Picol. duos integros libros hac de re conscripsit: in quorum primo edisserit de creatione noua, in secundo de creatione æterna. P. Fetchius in suis Vestig. Peripat. vestig. 1 & demum PP. Arriag. & Ouiedo, vterque in Phys. Ille quidem in disput. 9. sect. 4. Hic autem controu. 13. per totam: Mihi non est animus de hoc argumento libros componere;

nera, sed quantum ad institutum meum satis est, patefacere: enitar tamen vt nihil, quod necessarium sit, prætereatur.

SECTIO PRIMA.

Quid in hac re firmissimè tenendum: Et quid creatio propriè dicta significet.



II. Vppono, constanterq; profiteor ea fide, *cui neque errorë vllum, neq; mendacium subesse, possibile est*, creationem, & factionem, siue productionem ex nihilo, non modo esse possibilem, verùm de facto quoque esse exercitam, nimirum in creatione Vniuersi ex nihilo, vt in quæst. præced. dixi.

Quam quidem veritatem docet præterea Regius Psaltes, qui psal. 32 *verbo*, inquit, *Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt*. Et psal. 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Et S. Paulus ad Hebræos. 11. *fide*, inquit, *intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*. Creationem itaque & possibilem, & re ipsa exercitam esse, ea fide suppono, & reuerenter habeo: At nunc versor in Peripato: & quid eius princeps Arist. hac de re senserit, inuestigo: Verùm vt ex ordine progrediar, primò nonnulla censeo prælibanda.

III. Creatio tum in sacris voluminibus, tum apud sanctos Patres in triplici potissimùm significatu inuenitur prolata. Primò accipitur pro alicuius rei productione ex alia re præsupposita, siue ex præiacente aliquo subiecto. Quæ productio propriè est generatio. Ita S. August. contra aduersarium Legis, & Prophetarum, relatus etiam à S. Thom. in prim. part. quæst. 45. art. 1. pro primo argumento, *facere*, inquit, *est, quod omninò non erat. creare autem est, ex eo quod iam erat, educendo aliquid constituere*. Educimus verò aliquid ex præiacente materia. Et in lib. de Fide, & Symbolo art. 4. ait, *creare apud Latinos idem est, quod generare*.

IV. Secunda acceptio est, vt creare idem polleat quod euehere aliquam rem præexistentem ad altiorem statum, & vt S. Thom. loquitur in quæst. illa 45. art. 1. in respons. ad 1. dum auctoritati S. Augustini satisfacit, *accipitur nomen creationis secundum quod creari dicuntur ea, quæ in melius reformantur, vt cum dicitur aliquis creari in Episcopum*. quæ quidem acceptio potest erui ex illo psal. 32. vnde confirmatur etiam præcedens creationis significatio, Ait enim Regius Vates de Deo, quod *ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt*. Quibus in verbis perpende, quod non in cassum a spiritu S. geminantur verba, *facta sunt*, & *creata sunt*: sed prius indicat, quod res factæ sint ex nihilo: posterius autem, quod eædemmet res iam factæ, redditæ sint meliores ac perfectiores. Ex quibus intelligimus, quod facere est promere aliquid in actum ex eo quod omninò non erat. creare autem est, rem iam factam efficere meliorem.

Quæ quidem significatio confirmari etiam potest ex illo Geneseos, cap. 1. vbi latina lectio habet, *creauit Deus*, Græca legit, ἐποίησεν ὁ θεὸς, quod syncerè pollet, *fecit Deus*. Nam creare Græcis est κτίζειν. De quibus creationis significationibus multa, & doctè colligit P. Fetchius in defensione suarum Vestigat. lib. 2. disput. *de vocabulis Factionis ex nihilo, & creationis*, cap. 2. Veruntamen istæ creationis acceptiones ceu minus propriæ, minus in scholis vsurpantur: Nec de creatione hoc intellecta in præsens nobis est sermo.

V. Quocirca est tertia acceptio inter Doctores familiaris, quod creatio sit productio alicuius ex nihilo, siue ex nullo præsupposito subiecto: Hanc sequor: & hanc appello creationem properè dictam: Nec est quod hanc creationem a factione ex nihilo anxiè curiar secernere. Quippe voces, etsi varia signi si ata sortiri queunt, in eo tamen accipiendæ sunt, in quo illas communis vsus, præsertim verò sacrorum Doctorum accipit, *quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi*.

Indicantur aliquæ definitiones creationis propriè dictæ: Tum legitima eius definitio explicatur.



VI. Anc itaque creationem propriè dictam non vno modo Doctores nostri definiuere. S. Thom. in 2. distin. 1. quæst. 1. art. 2. *creare*, inquit, *est producere rem in esse secundum totam suam substantiam*. Quam definitionem sunt qui vellicant, inter quos est Piccol. lib. 1. de creatione cap. 1. quòd ea, inquiunt, videtur competere productioni omnium formarum: siquidem omnis forma ita producitur tota in esse, vt nihil eius præfuerit. Nihilominus forma non creatur, vt etiam nos efficaciter ostendimus in calce primi lib. huius operis in Disput. de Principio formali sect. 9.

Verum

Digitized by Google

Verùm hi auctores præter æquum vellicant S. Doctorem, cuius definitio optima est: Loquitur enim de creatione rerum materialium ac corporearum, quas ait, produci secundum *totam suam substantiam*, quæ nimirum est & materia & forma, idque ad differentiam earum, quæ educuntur per generationem, in quibus non fit tota substantia, cum altera pars, id est materia, nō fiat. Præterea, S. Thom. ait, rem per creationem effici secundum totam suā substantiam: Modo non video, quomodo forma possit dici quod fiat secundum totam suam substantiam. Hem, quæ est formæ substantia? Ipsane? at aliud est res, aliud eius substantia. An formæ substantia est aliquid præter ipsam? at sic forma non erit aliquid simplex.

Adde, quod S. Thom. nunc vno, nunc alio
VII. modo describit creationem, pro vt commodius cadit in rem de qua agit. Hinc in prim. part. quæst. 45. art. 1. *creare*, inquit, *est ex nihilo facere*, & art. 5. eiusdem quæst. ait, *producere esse absolutè, non in quantum est hoc, vel tale, pertinet ad rationem creationis*. Hinc Doctores colligunt, quod creatio, siue creare *est producere ens, in quantum ens*. De qua quidem propositione adi Caietan. Bann. & Nazar. ad eum locum; & P. Suarez in disput. 20. commemorata sect. 2. dum rationem S. Thomæ expendit.

Ita subtilis Doctor in 2. distin. 1. quæst. 2. *creare*, inquit, *est aliquid ex nihilo facere in effectu*. In
VIII. quæst. autem. 5. eiusdem distin. alijs verbis ait, *quod creatio est productio totius creati in esse, non præsupposita aliqua parte eius*. Quæ etiam definitio, si verba spectentur, videtur pati eandem difficultatem de forma, vt etiam aduersus eandem definitionem arguit Piccol. loco nunc indicato: siquidem etiam forma fit tota in esse, neq; vlla præsupponitur eius pars. Nihilominus Scoti discipuli rectè eum interpretantur, quod intelligit de creatione eius, quod re vera habet partes. Vnde etiam adducunt eiusdem Scoti locum ex eodem 2. distin. 18. vbi ipse soluit difficultatem de forma, addendo in definitione creationis, præter negationem partis, etiam negationem subiecti. Sic alibi alio modo idem auctor definiuit creationem, adeò vt nonnulli palam ipsum inconstantiæ hac in parte reprehendant. Qua de re adeundus est P. Ferchius lib. 1. Defens. cap. 4. Varijs etiam alijs modis alij auctores definierunt creationem, vt videre est apud Piccol. loco nunc indicato, & Perer. lib. 5. Phys. cap. 5.

Attamen omninò manendum censeo in illa crea-
IX. tionis definitione accepta ex S. Thoma locis nuper commemoratis, & concordi Doctorum consensione firmata, quod *creatio est productio alicuius rei ex nihilo*, siue est *productio totius rei ex nihilo*. In qua quidem definitione *productio* stat loco generis: Siquidem productio absolutè competit & rei creatæ, & alijs per generationem editis. Voces autem *rei*, siue, *totius rei, ex nihilo* subeunt rationem differentiæ. Nam generatio non est talis productio: Si enim sermo sit de generatione totius compositi, ea sanè non est productio totius rei, cum in generatione non producatur altera eius pars, id est materia: Si verò sermo sit de forma substantiali, ea in generatione non fit ex nihilo. In illis itaque verbis, *totius rei ex nihilo*, indicatur tum terminus ad quem creationis, quæ est ipsa res creata, tum terminus a quo, qui est merum nihil.

Quæ quidem verba in varias adhuc distrahuntur explicationes. Equidem tres subijciam. Nonnulli, vt refert P. Vasquez in prim. part. disput. 172. cap. 2. dixerunt, *ex nihilo* in definitione creationis significare ex puro ac mero esse intelligibili, quod creaturæ habent in mente Dei. Ita vt creatio sit productio, siue emanatio ex puro esse intelligibili Dei ad esse existentiæ rei creatæ extra Deum.

Quæ quidem explicatio ab omni veritate aliena est, quia si *ex nihilo* significat ex puro esse intelli-
gibili, quod res creabilis habet in mente diuina, X.
sequitur, omnes omninò res creari. Hoc verò dici nequit. Consecutio autem est clara, quia omnes res quocunque modo producibiles, producuntur in esse & existere acta ex ipso esse intelligibili Dei, Nam *quod factum est, in ipso vita erat*.

Alij aiunt, fieri ex nihilo idem esse, quod ex nulla parte rei factæ præsupposita fieri. Vberius
autem sic explicant. Adnotant, quod aliud est con- XI.
siderare *non ens* in communi, aliud in specie. Et quidem quod attinet ad fieri, duplex est *non ens* in specie. Primò, sub *non ente* continetur negatio partis formalis, quæ est negatio formæ in subiecto naturæ apto. Talis enim negatio formæ est priuatio. Secundò, sub *non ente* continetur negatio omnis partis rei factæ; & hæc negatio, nimirum cuiuscumque partis rei factæ, est nihil facti. Quare *priuatio, & nihil* sunt duo disparata; & quasi duæ species sub genere communi, id est sub *non ente*.

Subdunt, quod ex hoc oritur duplex productio,
siue factio. Altera quidem factio est ex negatio- XII.
ne alicuius partis præexistentis, quæ negatio regulariter est *priuatio*. Ita compositum fit ex non præexistente parte formali. Altera factio est ex negatione omnium partium; ita vt negetur res, quæ debet fieri, tota ac totaliter. Hanc productionem siue factionem appellant *factionem ex nihilo*. Et istam extendunt ad tria: videl. ad formam substantialem: Ad materiam primam: Et ad substantias immateriales. Vno verbo, hanc factionem ex nihilo trahunt ad simplicia, quia ista fiunt ex nulla sui præsupposita parte. Forma itaque substantialis generalis & corruptibilis, iuxta hanc sententiā, fit ex nihilo: Materia prima facta est ex nihilo: Substantiæ immateriales factæ sunt ex nihilo. Et hoc totum contendūt debere intelligi iuxta Aristotelis mentē: De hac enim procedit inuestigatio. Quippe secundum veritatem nostram cathol. verè scimus, quod a Deo Opt. Max. initio temporis ex nihilo

Digitized by Google

nihilo creata sunt *visibilia omnia, & inuisibilia*. Hæc ergo est secunda sententia.

Quæ mihi non probantur: Et quod attinet
XIII. ad formam substantialem, iam in calce lib. primi huius operis in disput. de Principio formali, sect. 9. ostendi, quod forma non fit ex nihilo, sed verè educitur de potestate materiæ, quod profectò non est fieri ex nihilo, sed ex aliquo. Et nunc addo hoc argumentum ex concessis ab auctoribus eius opinionis. Non ens, quod est *priuatio*, & ipsu *nihil* sunt apud eos duo disparata: & quasi duæ species sub genere communi, id est sub non ente: Hoc ipsi accipiunt, vt in ea sententia vidimus, ceu fundamentum. Hinc ego deduco, ergo quod fit ex priuatione, non potest dici fieri ex nihilo. Hæc conseq. de se est manifesta, quia id quod fit ex vno aliquo disparato, non dicitur fieri ex alio disparato: & id quod fit ex vna specie, non dicitur fieri ex alia: alioquin posses dicere, quod homo fit ex equo. Sed iuxta illam opinionem, *priuatio, & nihil sunt duo disparata, & quasi duæ species*, ergo id quod fit ex priuatione, non potest dici fieri ex nihilo.

Subdo minorem: Sed forma substantialis, iuxta Aristotelem lib. primo Phys. tex. 43. & iuxta concessa ab iisdem auctoribus, fit ex priuatione, vt musicum ex immusico, ergo forma non fit ex nihilo. Hoc argumentum existimo ineuitabile.

De materia autem prima, & de substantiis abstractis inferius aliquid tangam.

Est itaque tertia, & vera eius particulæ explica-
XIV. tio, quod produci *ex nihilo* significet ex nullo præsupposito subiecto, ita vt quod creatur, re vera fit post ipsum nihil.

Lubeat hic exscribere verba P. Suarez ex disput. 20. Metaph: sect. 1. qui cum dixisset, creationem esse effectionem alicuius rei ex nihilo, subdit. Illa autem particula (ex nihilo) vt distinguat hanc actionem ab aliis, excludit omnem concursum causæ materialis, & dependentiam rei, quæ creatur, ab aliquo subiecto, vt rectè exponit Ansel. in Monol. cap. 8. ita vt idem sit dictum (ex nihilo) quod ex nullo subiecto: atque ita distinguitur hæc actio ab alia, quæ est per eductionem de potentia subiecti: Hæ namque duæ actiones adæquatè diuidunt omnem efficientiam. Hæc ille. Quare dictio (ex nihilo) in definitione creationis importat duas negationes: Vna est negatio subiecti: Altera est negatio partis. Et per hanc particulam sic explicatam discriminatur creatio a generatione.

Elicitur quintuplex differentia inter generationem, & creationem: Et prælibantur nonnulla ex Doctorib. nostris de creatione.



Rimò, In generatione omninò præsupponitur aliquod subiectum: neque enim generatio sine subiecto consistet vnquã, vt demonstrat Philosophus in prim. Phys. a tex. 53. In creatione autem nullum, vt dixi, XV.
præsternitur subiectum.

Secundò, In generatione terminus a quo est priuatio, nempe absentia formæ in subiecto nata apto, ex eodem primo Phys. tex. 43. & quinto Metaph. cap. 22. In creatione verò, cum nullum adsit subiectum, nulla itidem erit priuatio; sed terminus eius a quo erit merum nihil.

Tertiò, Generatio est quidam motus: Etenim definitio motus tradita in lib. 3. tex. 6. complectitur omnes sex species motus, atque adeò & generationem, & corruptionem, vt eo loci ostendi. Creatio autem non est motus, sed est simplex quædam emanatio, quemadmodum docet S. Thom. in prim. part. quæst. 45. art. 3. & nos dicemus inferius.

Quartò, Generatio semper fit a causa particulari, dependenter a causa vniuersali. Nam *homo hominem generat, singularis aliquem*, inquit Stagirites duodec. Metaph. tex. 17. Et *homo hominem generat, & Sol*, ex secundo Phys. tex. 26. Creatio verò fit a sola causa vniuersalissima; Deo, quia per eam producitur absolutè esse, quod cum sit effectus vniuersalissimus, erit germanus ac proprius effectus causæ vniuersalissimæ, id est Dei; vt ostendit S. Thom. in quæst. illa 45. art. 5.

Quintò, Generatio requirit tempus, & locum: Tempus quidem, quia est mutatio; & mensuratur tempore, saltem ratione præuiarum dispositionum, XVI.
vt constat ex Aristotele quarto Phys. cap. vlt. vbi ostendit, omnem motum, & mutationem fieri in tempore, & mensurari tempore. Locum autem, quia generatio semper fit ab aliquo corporeo; Omne autem corpus necessario alicubi est. Creatio verò, cum non sit motus, non requirit tempus: Porrò quod vnquam tempus erat, cum Deus creauit Cælum, & terram? At neque per se requirit locum, quia per creationem possunt produci res cuiuscunque materiæ expertes, quæ vt sint, nullum

exposcunt

exposcunt locum. Sic ergo creatio, & generatio inter se differunt.

Iam verò, vt naturam & conditionem creationis
XVII. propriè dictæ intimius comprehendas, lubeat pauca aliqua de ea ex Doctoribus nostris prælibare, id quod erat alterum, quod tibi explicandum proponebam. Multa ac subtiliter de creatione Doctores Scholastici cum Magist. sent. in 2. dist. 1. & cum S. Thom. in prim. part. quæst. 45. & lib. 3. contr. Gent. a cap. 33. Tu carptim hæc habe. Creatio distinguitur a S. Thom. in quæst. 45. cit. art. 3. in actiuam, & passiuam. Actiuam ait esse in Deo, & significare actionem diuinam, quæ est eius essentia cum relatione ad creaturam. Sic enim S. Doctor loquitur in respons. ad 1. *dicendum, quod creatio actiuè significata, significat actionem diuinam quæ est eius essentia, cum relatione ad creaturam sed relatio in Deo ad creaturam non est realis, sed secundum rationem tantum: relatio verò creaturæ ad Deum, est relatio realis.*

De qua vlterius sic habe, quod creatio actiua non est actio verè ac formaliter transiens, sed est actio immanens, quæ tamen habet modum actionis transeuntis, siue est solum virtute & eminenter actio transiens.

Ita docet S. Thom. lib. 3. contr. Gent. cap. 33.
XVIII. Et ratio pro prima parte est, quia actio transiens, vt in lib. tertio ostendimus, formaliter accepta, est subiectiuè in passo, non in agente: At creatio actiuè significata, est actio diuina, quæ est eius essentia, vt nunc dicebamus, quare creatio actiuè significata, cum non sit in passo, sed in ipso Deo, non erit formaliter actio transiens. Præterea, Actio transiens est quiddam medium reale inter agens, & passum, siue effectum: Non est autem tutum asserere, inter Deum, & creaturam mediare aliquid reale. Rectè enim S. Thom. quæst. 3. de poten. art. 3. & adnotat Magist. Bann. in prim. part. quæst. 45. art. 3. dub. 3. quod *ab antiquioribus Theologis erroneum fuit reputatum asserere, inter Deum, & creaturam esse aliquid medium reale.*

Secunda verò assertionis pars ex eo euidenter colligitur, quia actio adæquatè diuisa est in nono Metaph. tex. 16. in actionem immanentem, & transeuntem: si igitur creatio non est verè ac formaliter actio Dei transiens, erit immanens.

Quod verò habeat modum actionis transeuntis, & possit dici virtute & eminentia transiens, inde dignoscitur, quia infert effectum ad extra.

Habe præterea, quod creatio actiua est operatio practica intellectus diuini, & habet annexum imperium diuinæ Voluntatis. Hoc indicauit Regius Psaltes psal. 32. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Dicere in Deo spectat ad intellectum: mandare est Voluntatis. Hæc de creatione actiua.

De creatione verò passiua, primò conuenit inter
XIX. Doctores, eam esse in creatura: Hoc quippe vel ipsa vox (creatio passiua) indicat. Quid autem ea sit, maxima extat dissensio: Asserendum nihilominus est cum S. Thom. in prim. part. quæst. illa 45. art. 3. & lib. 2. contr. Gent. cap. 19. & quæst. 3. de potent. art. 3. quod creatio passiua significatiue quidem & concipitur a nobis per modū mutationis, & cuiusdam passionis, re vera tamen ipsa non est mutatio, neque passio, sed est sola relatio realis creaturæ ad creatorem.

Prior huius assertionis pars ex eo suadetur, quia nos videmus, quod semper per mutationem, & passionem prodit aliquid ab aliquo: Et quod res per mutationem, & passionem aliter se habent nunc ac erant prius. Cum itaque in creatione creatura prodeat secundum esse a creatore per creationem, & per eam ipsam creationem aliter se habeat nunc ac erat prius, concipimus creationem ac si sit aliqua mutatio, & aliqua passio.

Posterior autem pars inde ostenderetur, quia omnis mutatio præsupponit subiectum, & omnis pas- XX.
sio fit per motum: Creatio autem nullum supponit subiectum, neque fit per motum. Exscribam hic aurea D. Thomæ verba ex illo 3. art. in corpore, quæ sunt. Dicendum, quod creatio non ponit aliquid in creato, nisi secundum rationem solum, quia quod creatur, non fit per motum, vel per mutationem. Quod enim fit per motum, vel per mutationem, fit ex aliquo existenti. Quod quidem contingit in productionibus particularibus aliquorum entium. Non autem potest hoc contingere in productione totius esse a causa vniuersali omnium entium, quæ est Deus. Vnde Deus creando producit res sine motu. Subtracto autem motu ab actione & passione, nihil remanet nisi relatio, vt dictum est. Vnde relinquitur, quod creatio in creatura non sit, nisi relatio quædam ad creatorem, vt ad principium sui esse: sicut in passione quæ est cum motu, importatur relatio ad principium motus. Hæc S. Doctor. His itaque prælibatis, venio nunc ad Aristotelem, sit ergo.

SECTIO SECVNDA.

Creatio propriè dicta, per quam fit aliquid cum prius esset omninò nihil, non est ab Aristotele concessa vnquam: Quin verò eius principiys e regione repugnat.



Niuersam huius assertionis probationem in tres veluti classes diuidam. Primam accipio ex parte agentis siue ex causa efficiente: Secundam ex modo operandi, siue ex ipsa actione: Tertiam ex re facta.

Argu-

Digitized by Google

Argumenta Primæ classis.



XXI. ARISTOTELES causam efficientem vniuersè definit per motum, siue per principium motus, ac mutationis. Definit enim in secundo Phys. tex. 29. quod sit *vnde est principium mutationis primum, aut quietis*: Et in tex. 30. quod sit *principium motus*: & repetit in primo de generat. animal. cap. 1. Et ne quispiam possit obluctari, inquiens, quod Arist. in his locis non definit causam efficientem vniuersaliter, sed effert solum causam efficientem Physicam, quæ re vera est per motum, Ecce idem Auctor definit hanc candem causam in secundo Metaph. tex. 5. & lib quinto eiusdem operis cap. 2. eodem planè modo, quod *sit vnde transmutationis, & status principium*. Quocirca sic colligo.

Vbi non est causa efficiens creationis, & factionis ex nihilo, ibi repugnat esse creationem: In sententia Philosophi non datur causa efficiens creationis. Probatio minoris constat ex definitionibus nunc inductis, quia causa efficiens est principium motus, & mutationis: proinde ad aures Aristotelis omnis productio & effectio est per motum: Creatio autem non est per motum: & quod per eam fit, non fit per motum: repugnat igitur, quod Aristot. concesserit creationem, & factionem ex nihilo.

Occurrunt oppositum sustinentes, vt refert Piccolom. lib. 1. de creatione noua cap. 6. distinguen-
XXII. do causam efficientem, siue ipsum agens, & efficiens; quod Vnum est Physicum; Alterum est Metaphysicum. Primum est *principium vnde motus*: Secundum est *principium vnde opus*. Atq; vt nonnulli posteà loquuntur, hoc efficiens Metaphysicum est principium, vnde alijs communicatur esse, siue vnde pendet esse.

Probant ex primo de cælo tex. 100., vbi Arist. loquens de æuo, quod appellat immortale ac diui-
XXIII. num, sit, *vnde & alijs pendet*, (antiqua translatio, & quidam alij vertunt, *vnde* communicatum est,) *his quidem exactius, his autem obscurius esse, & viuere*. Et quod de æuo dixit, applicat ad primum & maximum diuinorum, id est ad Deum. Ex quibus ita colligunt. Particula, *vnde*, denotat causam efficientem, vt ex eius causæ definitionibus superius indicatis constat: Sed primum diuinorum, Deus, est vnde alijs communicatur esse, & viuere: & vnde pendet esse, ergo primum diuinorum Deus, est causa efficiens. Non efficit autem per motum, ergo est efficiens Metaphysicum.

Afferunt etiam talis ratio. Tale est principium effectionis, qualis est effectus ab eo productus: Sed esse est effectus communior quàm sit mouere: esse enim est supra motum, vnde etiam ipsum esse & eos constituitur obiectum Metaphysices. ergo principium, a quo communicatur, & pendet alijs esse, est efficiens Metaphysicum.

Hæc tamen distinctio causæ efficientis in Physicam, & Metaphysicam, Aristotelica non est. Primò, Si Aristot. huiusmodi causam efficien- XXIV.
tem Metaphysicam agnouisset, tenebatur profectò alicubi, saltem in libris Metaphysicis eam definire, vel aliquo pacto indicare. Nusquam autem inuenitur vel leuiter eam innuisse: quin imò in ijs ipsis libris causam effectricem eadem definitione expressit, qua & in physicis.

Secundò, etiamsi admittam agens & efficiens Metaphysicum, quod nimirum agat sine motu, & mutatione Physica, adhuc ita perstringo. Efficiens, & effectus debent proportionari: ergo agens, & efficiens Metaphysicum producit effectum Metaphysicum, & agens Physicum producit effectum Physicum. At effectus Metaphysicus est, qui abstrahit ab omni materia sensibili, & intelligibili, in tali enim abstractione sunt res Metaphysicæ, ergo illud efficiens Metaphysicum non poterit producere corpus, aut materiam. ac proinde non datur tale efficiens in sententia Aristotelis, quod creet corpora, atque adeo ipsum Vniuersum.

Textus autem ille 100. ex primo de Cælo inductus, ne e longinquo quidem tangit eiusmodi Metaphysicum efficiens, quod auctores illi comminiscuntur, sed solum indicat dependentiam mortalis huius Mundi a superioribus, quæ dependentia apud Aristotelem non vno in loco exprimitur.

Sed ante omnia scito, antiquam translationem, quam complura etiam alia latina exemplaria ha-
bent, & est, *vnde alijs communicatum est esse, &c.* XXV.
esse falsam. Nulla in græcis codicibus mentio communicationis; sed in omnibus lego. ὅθεν καὶ τοῖς ἄλλοις ἐξήρτηται, τοῖς μὲν &c. *vnde & alijs dependet, his quidem. &c.* Qua quidem voce effert etiam Arist. dependentiam Vniuersi expressè (quod maius est) a primo ente Deo, in duodec. Metaph tex. 38. dum ait, ἐκ τοιαύτης ἄρα ἀρχῆς ἤρτηται ὁ οὐρανὸς, καὶ ἡ φύσις. (nam si verbo ἤρτηται annectas præpositionem ἐξ fit ἐξήρτηται quod est in tex. 100.) ex tali *igitur principio pendet Cælum, & natura*. Modo dependentia alicuius ab aliquo non illico infert, quod illud sit causa efficiens istius. Nam in ijs quæ ordinata sunt, vt V.G. in Repub. subsequentia pendent a prioribus: nec tamen habent suum esse ab ijs, vt a causa efficiente.

Sed in re proposita, multi in Peripato, inter
quos videndus est Piccol. lib. 1. de creatione cap. XXVI.
8. tuentur, Vniuersum pendere a primo principio vt a conseruante. Dicunt alij, quod Cælum & natura vniuersa dicitur a tali principio pendere, quoniam illud est causa necessariæ permanentiæ, & perpetuitatis istius tanquam finis. Excipe verba

ipsius

Digitized by Google

ipsius S. Thomæ ad eum locum. *Ex hoc principio, quod est primum mouens sicut finis, dependet cælum, & quantum ad perpetuitatem substantiæ suæ, & quantum ad perpetuitatem sui motus: & per consequens dependet a tali principio tota natura, eo quod omnia naturalia dependent a cælo, & a tali motu eius.* Sic ergo in tex. illo 100. *dependet alijs esse & viuere* ab immortali ac diuino æuo: Et si vis, etiam dependet a primo & maximo diuinorum. Ex quibus nullum colligitur efficiens Metaphysicum.

At illa, inquis, particula, *vnde*, est nota causæ efficientis: quandoquidem per illam perpetuò Aristot. exprimit causam efficientem, vt constat in definitionibus superius inductis.

XXVIII. Infirma illatio: Scito, quod vos ὅθεν *vnde* habet plurima significata: Et inter alia denotat terminum a quo aliquid vt vi est. Accipe vnum Stagiritæ locum ex lib. quinto Metaph. cap. 1. quo loci de principio communissimè accepto sic loquitur. *Omnibus igitur principijs commune est, esse primum, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Dic age, omnia principia sunt ne causa efficiens? Negabis: At nihilominus Arist. ait, esse ea *vnde aut est &c.*

Sed præterea pergo: Etiamsi admittatur, quod in illo tex. 100. te ipsa habeatur, quod esse & viuere alijs dependet vt a causa effectrice, adhuc non eruitur illud efficiens Metaphysicum, quod dicti auctores commemorant. Primò, quia tex. ille vario modo a probatissimis interpretibus exponitur. Alex. Aphrodis. referente Simplicio ad eum locū, omnia quæ in eo contex. dicuntur, intelligit de corpore cælesti, a *cælesti autem æuo pendere ait, esse omnibus, quia illius motus est omnibus quæ in generatione sunt, causa essendi.* Modò corpora cælestia te vata sunt causa, non Metaphysica, sed physica efficiens vniuersalis: si verum est quod *Sol, & homo generant hominem* secundo Phys. tex. 26.

Subdit Simplic. quod posteriores interpretes *omnia quæ in eo tex. dicuntur, vt de immobilibus causis cælestia mouentibus dicta, volunt intelligere.* At neque iuxta hanc expositionem video in his verbis efficiens illud Metaphysicum, sed video *causas mouentes cælestia* corpora: nisi velis asserere, omnes intelligentias esse eiusmodi efficientia Metaphysica, & omnes create.

Annectit Simplic. se opinari, quod aliqua dicuntur *de cælesti corpore: aliqua de causis ipsis immobilibus.*

XXIX. Præterea strictius dico, quod in illo argumento accipitur vnum falsum, videl. illam propositionem, *vnde alijs pendet esse & viuere*, dictam de æuo, applicari ad primum ac maximum diuinorum. Nulla in eo cōtex. fit huiusmodi applicatio, sed immediatè subdit Arist. causam dum inquit, *etenim, quemadmodum in vulgaribus sentantus circa diuina sæpe declaratur rationibus, quod diuinum ipsum intransmutabile esse necesse est omne, primum, ac maximè summum, quod sic se habeat, attestatur ijs quæ dicta sunt.* Hæc est probatio eius quod in eo contex. dixit, quod *hoc nomen*, αἰών æuum, *diuinè enunciatum est ab antiquis.* Et quod sit *immortale, & diuinum.* Verùm de hoc tex. hic satis.

Ad rationem autem ab ijsdem auctoribus confectam, responsio est plana, nam esse & viuere, potest accipi vt abstractum ab omni motu, & ab omni materia, & sic pertinet ad Metaphysicum, qui contemplatur ens in quantum ens: potest etiam considerari vt est in rebus physicis, & a parte rei: & huic respondet causa efficiens Physica. Hæc de primo argumento: iam pergo: &

XXX. Argum 2. Arist. in quinto Metaph. cap. 12. & lib. nono tex. 2. definit vniuersè potentiam actiuam per potentiam passiuam, & omninò per aliud, in quod agit, in quantum est aliud. Ait enim, quod omissis potentijs quæ dicuntur æquiuocè *quoniam quadam similitudine quadam* dicuntur, potentia *actiua est principium transmutationis in alio, pro vt aliud est.* Potentia verò passiua *est in ipso patiente principium transmutationis passiuæ ab alio, pro vt aliud est.* ergo vbi non est potentia passiua, quæ actiuæ correspondeat, & vbi non est aliud pro vt est aliud, ibi repugnat esse potentiam actiuam: Vbi enim non est definitio, repugnat esse definitum, ac proinde repugnat esse agens. Sed in creatione, & in factione ex nihilo nulla supponitur potentia passiua, nec est aliquid aliud pro vt est aliud, in quod illa possit agere, sed ex hac parte est merum nihil: ergo etiam ex hoc capite repugnat creatio, & factio ex nihilo in Aristotelis opinione.

XXXI. Etiam hic præfati auctores iterulam inuenerūt. Distinguunt potentiam, quemadmodum in præcedēt argum. distinguebant efficiens, quod vna potentia, scil. actiua (de hac enim est sermo) est cum motu. Alia est sine motu: Hinc potentia, & actus in plus sunt quàm sint ea quæ dicuntur secundum motum solum. Adducunt Aristotelem, qui conceptis verbis id videtur tradere nono Metaph. tex. 1. his omninò verbis *Determinemus, de potentia, & actu. Et primò de potentia, eo quidem, quæ dicitur maximè propriè, non sunt est vtilis ad quod nunc volumus: potentia namque & actus (audis?) in plus est, quàm illa, quæ secundum motum solum dicuntur.* Eandem potentiæ distinctionem insinuat Arist. in tex. 1. & eiusdem lib. & lib. duodec. tex. 10. Datur ergo potentia sine motu: Et si datur talis potentia, datur & agens sine motu. Hoc agens est illud quod contendimus, vtrimum Metaphysicum, quod porrò sine motu creat, efficitque ex nihilo. Hæc illi.

XXXII. Ast hi (honorifica pace illorum dixerim) non rectè colligunt. Nam Aristot. non dicit, quod potentia actiua alia sit cum motu, alia sine motu: & quod hæc potentia actiua, & eius actus in plus sint, quàm ea quæ dicuntur secundum motum solum; sed loquitur de potentia & actu in vniuersa eorū latitudine: Dicti autē auctores accipiunt hæc dici de potentia actiua. Etenim cum in præsenti sit disputatio de productione, & factione ex nihilo,

consequenter est sermo de potentia productiua, siue actiua: & hæc debet assignari, quod in Aristotele sit sine motu, & quod ista & eius actus in plus sint, quàm quæ dicuntur secũdum motum: alioquin nihil affertur ad rem.

Quod autem Arist. non loquatur de potentia actiua, sed de potentia in vniuersa eius amplitudine, constat vel ex ipsa Philosophi propositione in eo contex. facta, *cum*, inquit, *ens dicatur, hoc quidem quid, aut quantum, aut qualitas, hoc verò secundum potentiam, & entelechiam ac actum. determinemus etiam de potentia, & entelechia*. Audis in quanam acceptione proponit agendum de potentia, & actu? secundum quod conuertuntur cum ente. At talis potentia non est sola actiua, sed in sua communissima ratione. Sequitur, *& primò determinemus de potentia, ea quidem quæ dicitur maximè propriè*. Tu deduc, ergo sunt aliæ potentiæ, quæ non sunt maximè propriè. At non est vlla deductione opus, quando ipsemet Philosophus in principio tex. 2. ita subiungit? *Quod igitur multipliciter potentia, & pati dicatur, determinatum est a nobis in alijs*. Determinatum autem est in libro quinto cap. 12.

In hac itaque amplitudine loquitur Arist. & ve-
XXXIII. rissimum est, potentiam, & actum ita spectata, ad plura se extendere, quàm ea quæ dicuntur solum secundum motum, quia præter potentiam actiuã, & passiuam, quæ apud Aristotelem perpetuò sunt cum motu, dantur etiam aliæ potentiæ.

Ita datur potentia in Mathematicis, & vt Arist. in eodem contex. ait, datur potentia in *Geometria*: Nam vt exponit S. Thom. *dicitur potentia alicuius lineæ esse quadratum eius, & dicitur quod linea potest in suum quadratum. Et simili modo potest dici in numeris, quod ternarius potest in nouenarium*. Item datur alia potentia in logicis, quæ potentia est in enunciationibus, pro vt dicimus hanc propositionem esse possibilem, vel impossibilem, & vt idem Philosophus ibidem subdit, *& possibilia, ac impossibilia dicimus, eo quod quodam modo sint, aut non sint*.

Istæ potentiæ sunt sine motu. Nemo nescit, quod Mathematica sunt supra motum: & logicalia, cum versentur circa operationes intellectus, sunt itidem citra motum. Et propterea Stagirita in eo tex. asseruit, *potentias dici æquiuocè*: quia *quædam* potentiæ *dicuntur similitudine quadam*: Ideòque a tractatione, quæ ibi instituta est, *prætermittuntur*. In illa itaque communissima potentiæ ratione *in plus sunt potentia, & actus, quàm ea quæ solum secundum motum dicuntur*.

Iam verò ab hac potentiæ, & actus amplitudine colligere vnam, (vt ita dicam) eius speciem, videl. potentiam actiuam esse sine motu, non valet: quia procedimus a superiori ad inferius affirmatiuè. Ex his vides clarissimè quomodo secundum argum: quod confecimus, stat in suo robore.

Argumenta secundæ classis. scil. ex modo operandi, siue ex ipsa actione.



Pponam hic alia duo argumenta. Primum est: Vbi non est mutatio, nõ est mutatum esse, sicut vbi non est via non est
terminus. Hoc Stagirites XXXIV.
in sexto Physic. valdè commonstrat, *omne transmutatum prius transmutari*. Sed omne productum est mutatum: Quod enim producitur, mutatur & transit de non esse ad esse. ergo omne productum supponit mutationem. At creatio, vt superius vidimus, non est mutatio, neque quod creatur, dicitur fieri per mutationem. ergo apud Aristotelem non est possibile produci aliquid per id quod non est mutatio.

Neque quicquam subleuat si dicas, quod etiam in creatione, & factione ex nihilo est via & terminus, pro vt inter ea intercedit quædam habitudo. Enimuerò in ea facta ex nihilo duplex est habitudo: Vna ad faciens: Altera ad ipsum nihil præcedens immediatè.

Non, inquam, subleuat, quia neque id quod est, potest dicere habitudinem ad nihil, neque vicissim ipsum nihil ad id quod est, nisi fingas tenui imaginatione. Vnde ita persterno. Via & terminus debent proportionari: ita habitudo viæ ad terminum, & habitudo termini ad viam: Sed ipsum nihil, quod est via in creatione ac factione ex nihilo, & res facta quæ est eius terminus, nullo pacto proportionantur. ergo &c. Ita dic de habitudine, nam omnis habitudo debet esse inter duo extrema. Sed ipsum nihil quod vnquam extremum potest esse?

Confirmo assertionem ex ratione eiusdem
Philosophi octauo Phys. tex. 5. 6. & 7. quo lo- XXXV
ci pro æternitate motus huiusmodi affigit rationem. Sternis in tex. 4. fundamentum, quod ad omnem motum necesse est præsupponi mobile, & mouens, sicut *prius oportet combustibile esse antequam comburatur, & combustiuum priusquàm comburat*. Tunc pergit. Si vnquam daretur primus motus, mobile & mouens, quæ deberent ad illum motum præsupponi, aut essent aliquando facta cum non essent prius, aut nunquam essent facta, sed extitissent æterna. Si dicas hoc secundum, apparet, inquit Aristot. irrationabile, etiam iis qui sudare aspiciunt tam. Si verò dicas primum, Arist. sic vrget: Si illa res est facta, ergo facta est per aliquam mutationem,

&

& motum, qui erat prior primo motu accepto. *Si igitur*, inquit in tex. 5 *factum est mobilium, & motiuorum vnumquodque, necessarium est prius, quàm accepta, aliam esse factam mutationem, & motum, secundum quem factum est id, quod potest esse motum, aut mouisse.* Hæc consequentia, atque adeò tota Aristotelis ratio actuum corruit, si admittat productionem alicuius rei sine mutatione ac motu; Quippe diceret aduersarius, quod res mouenda vtique facta est cum non esset prius: sed non est facta per mutationem & motum, sed per factionem ex nihilo. Si itaque Philosophi ratio constat, ipse concludit in tex. 13. quod aliter *dicere figmento magis assimilatur.*

xxxvI. Secundò sic arguo. Arist. nono Metaph. tex 16. constituit discrimen inter actiones immanentes, & actiones transeuntes, quod illæ sunt in agente, istæ in passo: Et quod actionum immanentium finis est solus vsus, & non est aliquod aliud, videl. aliquod opus per illas productum: actionum autem transeuntium finis est opus per illas ipsas actiones productum. *Cum autem*, inquit, *quorundam quidem vltimum sit vsus, vt visus visio, & nihil præter hanc aliud a visu fiat opus: a quibusdam autem fiat aliud, vt ab ædificatiua domus præter ædificationem, &c.* Et hoc euidenti etiam experientia apparet. Nam etiamsi in toto tuæ vitæ curriculo videas, aut intelligas, aut velis, vt festuca V.G. moueatur de terra, nihil omninò efficies circa illam. Itaq; agens per actionem immanentem nihil extrinsecus facit. Sed omnis actio primi agentis Dei est immanens. Hæc minor est conspicua vel ex duodec. Metaph. a tex 40. vbi in omni Intelligentia constituitur intellectus; quem necessario sequitur etiam voluntas. Actio autem intellectus est actio immanens, vt constat ex eodem contex. 16. libri noni Metaph. & sic etiam est actio voluntatis, quare iuxta doctrinā Aristotelis nequit absolutè quicquam fieri immediatè a primo agente, nedum fieri ex nihilo.

Vide, quod Doctores nostri dicunt, & quidē verè, quod quamuis creatio formaliter sit actio immanens, nihilominus virtute & eminenter est actio transiens, id quod etiam nos adnotauimus ex S Thom. 3. contr gent. cap 33 Tamen Arist. ista non nouit.

xxxvII. Eandem assertionem probo ex altera allata distinctionis parte, videl ex actione transeunte. Actio transiens, & per quam, præter eam producitur aliquod opus, debet recipi in passo, *vt ædificatio in eo quod ædificatur, & contexio in eo quod contexitur, similiter & in alijs*, vt in eo ipso contex. 16 loquitur Philosophus. Sed in creatione, & factione ex nihilo nequit assignari in quonam actio illa producti. ua suscipiatur: Nam in nihilo nihil potest recipi. Nec dici potest, quod recipiatur in ipsa re producta, quoniam ea est terminus, non est id in quo illa actio deberet recipi.

Confir Arist. in primo de ort, & inter. argumētatur in tex. 11. pro ea parte, quod non possit quicquam generari simpliciter: & cum in eodem contex. solutionem afferret dicens, quod id ex quo generatur, *potentia quidem est ens actu autem non ens*, vrget in tex. 12. quia illud ens potentia aut est potentia solum vnum aliquod Prædicamentum, aut est potentia omnia Prædicamenta, & nihil actu. *Si nihil est actu, sed omnia potentia & separatum, contingit, quod sit non ens*: ac proinde ex eo nihil potest generari: quia videl. illud ens potentia omnia non potest suscipere in se actionem agentis, & transmutationem. Ex quo sic infero, Si ens reale, quod est omnia potestate, id est materia prima, si esset separatum non posset suscipere actionem agentis, & transmutationem, vt ab eo aliquid fiat, quomodo ipsum merum nihil poterit actionem creatiuam in se suscipere, vt ex eo fiat aliquid?

Argumenta tertiæ classis, videl. ex parte rei producendæ.



Repugnat etiam in sententia Aristotelis creatio, & factio ex nihilo, ex parte rei quæ fit. Primò, est indubitatum & perpetuum eius dogma, quod omne quod fit, fit ex aliquo. Sic pluries in locis habet, ego duo subijciam. Vnum ex septimo Metaph. tex. 22. vbi vniuersè de omnibus, & quæ a natura, & quæ ab arte, & quæ alioquouis modo fiunt, determinat, quod *eorum quæ fiunt, quædam natura, quædam arte, quædam a casu fiunt. omnia verò quæ fiunt, & ab aliquo, & ex aliquo, & aliquid fiunt.* Hoccine decretum potest consistere & cohærere cum creatione & factione ex nihilo? xxxvIII

Et in primo de ort. & inter. tex. 11. dum solueret dubitationem ibi propositam, quæ erat, quod si non ens, id est materia prima, ex quo fit generatio simplex, dicit negationem omnium Prædicamentorum, *necesse est, id quod generatur, ex nihilo generari.* Respondet Arist. se iam alio loco de his determinasse amplius: determinauit autem vberimè in primo Phys a tex 72 Nihilominus subdit, breuiter & nunc dicendum est, quod aliquo quidem modo ex non ente simpliciter generatur, *modo autem alio ex ente semper: ipsum enim potentia ens, actu autem non ens, nec esse est præexistere.* Perpende, quod ipsum potentia ens, actu autem non ens, (hæc est materia prima,) *necesse est vt præexistat*: ideòq; id quod generatur, & fit, fit alio modo ex *ente semper.* Si itaq; necesse est tale ens præextitisse, ergo vbi nihil præextitit, quemadmodum in creatione contingit, nihil iuxta Stagiritæ mentem fit. Et, si quod fit, *fit ex ente semper*, ergo nunquam fit aliquid ex non ente omninò, siue ex nihilo.

Vuuu a Verùm

XXXIX. Verùm nil est vsque adeò arduum, quod non auida hominum ingenia tentent. Respondent aliqui, vt refert Piccol. lib. 5. de creatione cap. 6. hæc esse vera *de vera generatione compositorum: non de simplicium procreatione*. Sic etiam iuentur auctores a nobis in sect. 1. in recensendis opinionib. indicati. Aiunt quippe Aristotelem, dum asserit, omnia quæ fiunt, *fieri ex aliquo* &c. intelligere de compositis. Hæc enim procul dubio fiunt ex materia, vt ex parte sui præexistente, & ex forma de nouo condita, non autem intelligere de simplicibus: quæ porrò nihil sui præsupponunt, sed fiunt tota ac totaliter; adeoque ex nihilo. Hæc verò simplicia sunt materia prima, forma substantialis, & substantiæ immateriales.

Addunt, quod Arist. dicit quidem, quod fit, *fieri ex aliquo*, at non dicit *semper*: Nam in lib. de Xenophane, Zenone, & Gorg. negauit illam propositionem, *ex nihilo nihil fit*, ergo concessit contradictoriam, *ex nihilo aliquid fit*.

XL. Hæc sunt, (sic dicam) ingeniosa doctorum quorundam ingeniorum molimina: placeant quibus placent: Mihi semper animus fuit, veritatem quæ mihi videtur, candidè & simpliciter proferre, quam quidē *in honore anteponere, sanctum est*, ex præcepto Philosophi. Primùm igitur quod aiunt, Aristotelem non dixisse, quæ fiunt, ex fieri *semper* ex aliquo, sic le refellitur, primò ex propositione eiusdem Aristotelis vniuersali, in tex. illo 22. *omnia quæ fiunt & ab aliquo, & ex aliquo fiunt*: ergo huius contradictoria, videl. aliqua non fiunt ex aliquo, est falsa. Quod si hæc particularis est falsa, ergo quæcunque fiunt, semper fiunt ex aliquo.

Deinde, ea particula, *semper*, si addatur Stagiritæ propositioni reddet eam distortam ac falsam. Ratio est, quia quæ fiunt, & sunt permanentia, veluti homo, aut equus, non semper fiunt, sed semel. Præterea, Philosophus aliquando vtitur voce *semper* pro *omnis*. Quid ergo vetat, vt iuxta eorum auctorum desiderium, etiam vtatur voce *omnia*, pro *semper*? Assumptum autem habes in secundo Phys. tex 4. *subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper*. Sensus est, *omnis natura est quoddam subiectum, vel in subiecto*.

At subijciam etiam locum, vt ita dicam, decisiuum, ex lib. primo de ort. & inter. tex. illo 11. quo loci habes; quod generatur, generari *ex ente semper*. Et quod necesse est, potentia quidem ens, actu autem non ens, videl. materiam, *praexistere*. De propositione autem Aristotelis ex lib. de Xenophane dicam in sect. sequ.

XLI. Quod verò Arist. dum asserit, omne quod fit, *fieri, & ex aliquo, & ab aliquo, & aliquid*, non intelligat solum de compositis, quemadmodum præfati auctores autumant, sed intelligat vniuersè, euincitur euidenter ex illo eodem contex. 22. inducto; quia ipsemet Philosophus anxiè declarat illud *aliquid*, quod dixit fieri; & ait, se per illud *aliquid*, intelligere non modo substantiam, sed quod fit secundum vnumquodque Prædicamentum, siue illud sit quantum, siue sit quale, siue Vbi, siue quoduis aliud ex Prædicamentis. Manifestum autem est, hæc non esse composita. Quis enim dicet, vt reliqua sileam, quod Vbi est compositum? Excipe eius verba: cum dixisset, omnia quæ fiunt, fieri & ab aliquo & ex aliquo, & aliquid, subdit, *Aliquid verò dico, secundum quodque Prædicamentum, aut enim hoc*, videl substantia, *aut quantum, aut quale, aut Vbi*. Postea in eodem contex. explicat, quid etiam intelligat per illud *ex aliquo*, & ait, *ex quo autem fit ea est, quam materiam dicimus*. Sublatus itaque est omnis recursus ad composita.

Quod demum aiunt, simplicia, ad aures Aristotelis, procreari ex nihilo, statim vel ex eo labe factatur, quia materia prima est simplex: Quam tamen neque fieri, neque interire posse, ex instituto probat idem Philosophus in primo Phys. tex. 82. quoniam si materia fieret, necessariò deberet fieri ex materia; & si corrumperetur, abiret vltimatè in materiam: atque adeo ex esset antequam fieret, & remaneret superstes postquam esset corrupta: quia nimirum natura materiæ ea est, vt sit *primum subiectum vniuscuiusque. ex quo fiat aliquid* & quod corrumpitur, in eam *abeat vltimùm*. Propterea Arist. materiam re vera tenuit incorruptibilem, ingenerabilem siue improductam, & æternam. Sic quoq; de substantijs abstractis etiam infra primam opinatus est. XLII.

Tandem quod formæ substantiales caducæ ac materiales non fiant ex nihilo, sed euocentur de sinu gremioque materiæ, ostendi in calce lib. primi, in disput. de Principio formali sect 9 & 10.

Præterea, Cum præfati auctores dicunt, materiam primā, naturam simplicem, esse creatā & effectā ex nihilo, peto, intelliguntne quod sit creata & producta, ipsa de se sola ac nuda sine omni forma substantiali, an verò creata & producta est cum aliqua forma substantiali? Primum omninò implicat, quia quod actu & de se creatur, & actu producitur, actu & de se existit: sicut quod actu & de se generatur, actu & de se existit, cum in vtraque fiat transitus rei de non esse ad esse. Si itaque materia prima de se ac sine omni forma substantiali actu creata ac producta est, profectò de se ac sine omni forma actu existit. Hoc autem apertam infert contradictionem, cum implicet, vt materia prima actu existat denudata ab omni forma, quoniam tunc ens suapte natura potentiale esset actu sine actu: adeò vt complures, ijque grauissimi nostri doctores obnixè tueantur, materiam primam, nec de potentia Dei absoluta posse a parte rei existere de se ac sine omni forma. Quid ergo erit dicendum in natura, in cuius area nunc expatiamur? Hinc, vt hoc quoque addam, S Thom. in prim. part. quæst. 7. art. 2 ad 3. *Materia*, inquit, *prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantum: vnde magis est aliquid concreatum, quàm creatum*. XLIII.

Ex

Digitized by Google

Ex his sensatè cernis, quod materia, quæ est natura simplex, non potuit ita de se fieri ex nihilo.

Si verò præfati auctores intelligunt, quod materia prima non nuda ac sola, sed cum aliqua for-
XLIV. ma substantiali fuit creata, tunc non ipsa materia dicenda est creari, sed totum compositum substantiale. Quippe materia aliqua forma substantiali induta, est compositum substantiale. Quod si ita est, in cassum igitur se se recipiant ad simplicia, asserentes, quod simplicia solum creantur, fiuntque ex nihilo: sed deberent dicere, compositum, non materiam primam, & naturam simplicem, esse conditum ex nihilo. Quemadmodum nos de facto ex fide fatemur, quod initio temporis Deus Opt. Max. creauit composita, vt erudimur a sacra Gen. quod Deus *creauit Cælum, & terram*: & ostendit S. Thom. in prim. part. quæst. 45. art. 4 quod *creari est proprium compositorum & subsistentium*.

Ad extremùm, dicti auctores vna quidem ex
XLV. parte asseuerant, neque materiam, neque formam fieri, sed fieri totum compositum: id quod docuit etiam Philosophus in primo Phys. tex. 64 *quare omne quod fit, semper compositum est*. Et explicat in septimo Metaph. tex. 26. de ænea sphæra, & in tex. 27. concludit, *Manifestum igitur ex dictis est, quod illud quidem quod vt forma, aut substantia dicitur, non fit; copulatio verò quæ secundum hanc dicitur, fit: & quod in omni quod fit, materia inest: & est hoc quidem hoc, illud verò hoc*. Quod si neque forma, neque materia propriè fit, quomodo deinde hæ eædem fiunt ex nihilo? Quod enim absolutè non fit, id porrò dici nequit, quod fiat ex aliquo, aut ex nihilo, cum negata re, negetur quiuis eius modus. Qui alias huius rei rationes audire cupit, adeat Piccol. in lib. 1. de creatione cap. 6. & lib. 2. cap. 3. & Peret. lib. 5. suæ Physic. cap. 7. qui tamen multas ex his rationibus, quas ego hic confeci, non attigerunt: adducunt autem multas alias. Ego concludo cum Aristotele duodec. Primæ Philosophiæ tex. 34. qui vt absurdissimum deducit, quod si res possunt alio modo se habere ac ipse constituit, *ex nocte, & simul omnibus, & ex non ente erunt*: Sed dices.

Concessitne Arist. saltem creationem æternam, ita vt ex animo tenuerit, totum Mundum esse a Deo creatum et productum ex nihilo ab æterno, an etiam eiusmodi creationem ignorauerit?



Distinguunt nonnulli grauissimi nostri doctores creationem, quod alia quidem sit noua, quæ videl. de nouo XLVI.
facta est, aut etiam fit, alia verò sit æterna. Dein subdunt, Aristotelem negauisse quidem priorem creationem, concessisse autem posteriorem: quæ porrò nihil est aliud quàm æterna quædam emanatio, per quam Mundus, & quæ in eo sunt, a Deo tanquam a vero opifice & effectore ab omni æternitate ex nihilo prodiere: Quocirca ab eo etiam ipso *dependet Cælum & natura*, vt dicitur duodec. Metaph. tex. 38. Quam quidem sententiam rationabilem, & piam censeo.

Nihilominus mihi verisimilius ad mentem Philosophi dicendum videtur, quod is nullo vnquam pacto concessit etiam creationem æternam; sed ex animo tenuit, quod Mundus sit æternus, atque adeò careat principio & inceptione sui esse: dependeat autem verè, ac propriè a primo ente Deo non solum tanquam ab vltimo fine, sed tanquam etiam a vero conseruante ipsum effectiuè, & disponente, & prouidente, & principe, & rectore; & distributore optimo:

Non est quod omnia hæc attributa in præsentia probem: dabitur fortasse singulis suus locus: nunc XLVII.
quod incœpi, vrgeo opus; quod videl. Aristot. non admiserit æternam & vniuersalem rerum omnium creationem. Quæ assertio, quamuis ex hucusque dictis validissimè ostendatur (nam argumentis hactenus a nobis confectis, tollitur in sententia Aristotelis quæcunque creationem: vnde etiam rectè ait Piccol. lib. 2. de creat. cap. 3. quod repugnantia creationis in sententia Aristotelis non oritur ex tempore, quod ea sit noua, aut æterna, sed oritur ex intrinseca conditione creationis, quæ est, vt sit ex nihilo: & ex conditione efficientis, quod debet agere in aliud, vt aliud est:) adhuc tamen ita probatur.

Primò, Creatio, & factio ex nihilo est supra vi- XLVIII.
res naturæ: Quod ex eo constat, quia quod est possibile intra latitudinem naturæ, necessariò saltem

tem in aliquo agente naturali inuenitur. Non enim credibile est, quod in latitudine naturæ possit aliquid fieri, quod tamen in nullo indiuiduo fiat. At nullum vnquam agens naturale creat. Quæ minor sic etiam fit euidens: Omne agens naturale agit per actionem, quæ est accidens; proinde exigit subiectum in quo recipiatur, vt per eam aliquid fiat: sed in creatione nullum sopperit subiectum, quare creatio est supra vires, siue extra latitudinem naturæ. Hinc etiam S. Thom. in prim. part. quæst. 45. art. 8. ex instituto probat, quod *in operibus naturæ non miscetur creatio*: ratione subde.

Sed Arist. vtpote superno fidei lumine destitutus, versabatur intra vnius ac solius naturæ cancellos, & contemplabatur naturam ipsam, eiusq; nuda opera, adeò vt in primo de ort. & inter. tex. 7. reprehendat eos, qui in alijs disciplinis occupati, haud rectè philosophantur in scientia naturali propter inexperientiam. Non itaque video, quomodo ipse potuerit eleuari, vt cognosceret tam grande opus, quod omnem naturam excedit, quale est creatio, & factio Vniuersi ex nihilo.

Adde, quod duæ sunt viæ, quibus in alicuius rei cognitionem, & scientiam pertingimus, vt docet
XLIX. idem Philosophus oct. Phys. tex. 15. demonstratio, & inductio. Æterna autem creatio totius Vniuersi nequit per demonstrationem haberi, cum demonstratio sit ex veris, primis &c. ante totum autem Mundum nihil fit ex parte Mundi. At neque inductione potest suaderi, quia omnia quę fiunt, cernimus fieri ex aliquo; & nihil apparet fieri ex nihilo. Re vera qui nuda ac naturali solũ cogitatione innixus audit, quod vniuersa terræ magnitudo, quod tota maris, reliquorumque elementorum ingens moles, quod omnium cælestium corporum immensitas, quod ipsa vniuersa Mundi immania vastitas facta sit ex mero ac puro nihilo, stupet, & vim magnam suo intellectui debet facere, vt assentiatur, Aristoteles autem id crederet? de quo Auerr. in proœmi Phys. & lib. primo de ort. & inter. tex. 38. & lib. secundo tex. 6. & lib. tertio de Anim. tex. 14. scribit, *quod Magister primus*, id est Aristoteles, *nunquam creditur aliquid dixisse sine forti probatione*.

Adde, quod ad articulos nostræ fidei non pertingit cogitatio naturalis, de quibus habes Eccle-
L. siast. 3. quod *plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi*. Modo Mundum esse a Deo Opt. Max. creatum, confitemur in sacro Symbolo, & credimus, *in Deum omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium*. Quomodo ergo homo nimia addictus sensibus, vt fuit Arist. qui vniuersam suam Philosophiam fundauit in sensu, ita vt in octau. Phys. tex. 22. existimet, *infirmitatem intellectus relinquere sensum, & quærere rationem*, potuit tam praclaram atque eximiam veritatem collimare? Et si vidit, ita ne fuit inuidus, vt eam nobis penitus supprimeret & occultaret, nec vnquam vel leui aliqua indicaret coniectura? Id porrò procul ab Aristotelis genio & candore abest.

Consimile argum. ad hanc rem attulit S. Thom. in prim. part. quæst. 46. art. 2. dum quærit. *Vtrum Mundum incæpisse sit articulus fidei*, & LI.
in argumento sed contra, ita scribit. *Fidei articuli demonstratiuè probari non possunt, quia fides de non apparentibus est, vt dicitur ad Hebr. 11. sed Deum esse creatorem Mundi, sic quod Mundus inceperit esse, est articulus fidei: Dicimus enim credo in vnum Deum &c. Et iterum Gregor. dicit in homil. 1. Ezech quod Moyses prophetizauit, de præterito dicens, in principio creauit Deus cælum, & terram, in quo nouitas Mundi traditur. ergo nouitas Mundi habetur tantum per reuelationem, & ideò non potest probari demonstratiuè*. Rationem huius istiusrei confectam a S. Thom. vide in corpore illius articuli.

Qui quidẽ in fine corporis aureã etiam adhibet admonitionem; Cum enim dixisset, vnde Mũdum incæpisse, est credibile, non autem demonstrabile, vel scibile, subdit, *Et hoc vtile est vt consideretur ne forte aliquis, quod fidei est demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus, existimantibus, nos propter huiusmodi rationes credere quæ fidei sunt*. Vtinam hæc S. Doctoris verba serió considerarent aliqui viri docti, qui arbitrantur, se magnum veritati fidei nostræ attulisse fulcimentum, si aoxiè patefecerint, quod Arist. ita senserit. Fuit quidem, fateor, Aristotelis ingenium ingens, & vt de eo Auerr. loquitur, fuit regula humani intellectus. Veruntamen fidei nostræ dogmata non egent opitulatione aut ab Aristotele, aut a Philosophia petita. Ita credo, quoniam Deus ita per Ecclesiam suam reuelauit. Sed vlterius pergo.

SECTIO TERTIA.

Tritum hoc dictum, (ex nihilo nihil fit; *siue*, ex non ente non fit ens: *siue* ex eo quod non est, non fit aliquid) *fuitne Aristotelis, an Veterum Physicorum? Et si fuit istorum, fuitne ab Aristotele absolutè approbatum, an absolutè reiectum, an verò distinctum, & quomodo?*



Icut inexercitati in prælio circumeuntes egregias plerumque plagas infligunt, quæ est similitudo Aristotelis in primo Metaph. cap 4. sic prisci Physici quasi cogitatione in natura circum- LII.
euntes egregia quædam dicta aliquando protule-

runt,

funt, quamuis eorum caufam & modum nefcirent: inter alia iactatum quoque fuit hoc effatum, quod ex non ente, fiue ex eo quod non eft, fiue ex nihilo, nihil fit. Ex quo deinde, quia nefciebant illud diftinguere, & affignare rectam illius intelligentiam, in ea abfurda compulfi funt, vt affeuerarent, nihil de nouo generari, nihil corrumpi, omnia effe vnum, æternum, infinitum, fibi vfquequaque fimile, & immobile.

LIII. Difficultas autem a qua illi femet expedire nequibant, refertur ab Ariftotele cùm alibi, tum in primo Phyf. tex. 71. quæ huiufmodi erat. Si ens, fine aliquid de nouo fit, aut fit ex ente, aut ex non ente. Ex ente fieri nequit: Tum quia tunc effet antequam fieret: Tum etiam, quia fic ens fierat ex fe ipfo. Neque poteft fieri ex non ente, quia ex non ente, fiue ex nihilo nihil fit: quare nihil de nouo fit: Eodem pacto, Si aliquid corrumperetur, aut defineret in eos, aut in non ens, & in nihilum. Non definit in ens, quoniam tunc effet, poftquam fuiffet corruptum. Neque definit in non ens, & in nihilum, quia ficut in generatione nihil fit ex nihilo, ita in corruptione nihil abit in nihilum. Nihil itaque de nouo neque generatur, neque corrumpitur.

LIV. Hæc eadem difficultas narratur extenfa vnà cum alijs fuis confequentijs in principio libelli, cuius infcriptio eft de Xenophane, Zenone, & Gorgia, & incipit, *Æternum effe ait, quicquid eft, fiquidem fieri non poteft, vt ex nihilo aliquid exiftat*. Ecce enthymema: Ex nihilo non fit aliquid, ergo omne quod eft, fiue omne ens, eft æternum: Proinde neque generatur, neque interit de nouo quicquam.

Pergit, *fi æternum eft, infinitum ait effe*. Quid ita? *quia cum neque principium, vnde extiterit, habeat, neque finem, in quem fieri aliquando defierit*, cum id quod eft, fiue ipfum ens, vtpote æternum, neque habeat principium, neque habeat finem, ergo eft infinitum.

Vlterius, *fi eft infinitum, vnum*, ait, *effe*. Annectitur huius etiam illationis ratio, quia fi effent duo, aut plura, tunc *ea fe fe mutatio terminarent*.

Adhæc, fi eft infinitum, & vnum, ergo *vnum fibi fimile vndequaque effe*. En etiam ratio, *eò quod fi diffimilia plura effent, non iam effet vnum, fed multa*.

Quod fi eft vnum, æternum, infinitum, fibique vndequaq; fimile, *immobile etiam effe*: *Non enim moueri poffit, nifi exceßerit*.

LV. Non eft hic finis: Subdit enim, *Sed fi res ita fe habeat, doloris quoque, & agritudinis, & morbi expers effe: atque eiufmodi, vt neque fitu tranfponi, neque forma diuerfificari, neque alteri poffit commifceri, eò quòd ex omnibus his, vt & vnum multa fiat, & quod non eft, procreetur, & quod eft intereat, neceffariò efficiatur: quæ fanè nullo modo fieri poffunt*. Hæc in prima parte primi capitis dicti libelli ex ordine referuntur. Vides ne ex vno illo principio, quod *ex nihilo non fit aliquid*, in quas illi abfurditates abierunt? vt meritò dixerit Arift. in primo Phyf. tex. 72. cum eam ipfam difficultatem recenfuiffet, quod *primi Philofophi quærentes veritatem, & naturam rerum quæ funt, aberrarunt veluti in aliam quandam viam depulfi propter inexperientiam*.

LVI. Quid ergo Eximius præceptor Ariftot. hac in re facit? Non negat abfolutè illud dictum: neque potiò in natura negari poteft: At neque ita pronè ac ofcitanter admittit: fed diftinguit, & explicat, in quonam fenfu fit verum, & in quo a veritate aberrat. Adhibet autem in primo Phyf. a tex. 73. duas diftinctiones. Vna eft, fieri aliquid per fe, aut fieri per accidens: Altera eft, fieri ex ente actu, aut ex ente potentia. Vnde in tex. 75. ait, *Nos autem & ipfi dicimus, fieri quidem nihil fimpliciter ex eo quod non eft: fed tamen fieri ex eo, quod non eft, vt fecundum accidens: ex priuatione enim, quæ eft per fe non ens, non ex eo, quod ineft, fit*.

LVII. Ante omnia illud, *fimpliciter*, refero ad *fieri*, & expono tripliciter. Primò, vt reddat propofitionem cõfentientem illi Veterum dicto: & Arift. dicat: Et nos etiam ipfi dicimus, videl. concedimus & fatemur, quod nihil fit *fimpliciter*, id eft per fe, & vt ex inexiftente, *ex eo quod non eft*: & tunc hæc verba funt vnum membrum diftinctionis. Et ftatim fubiungit alterum membrum, *fed tamen dicimus, fieri ex eo, quod non eft, vt fecundum accidens*.

Secundò expono, vt *fimpliciter* fignificet fubftantialiter: Etenim generari fimpliciter eft generari fubftantialiter, vt conftat ex primo de ort. & inter. cap. 3. Et in hac etiam acceptione propofitio Ariftotelis erit confentiens dicto Veterum, tamen cum diftinctione: & fic Ariftot. dicat, Nos etiam ipfi concedimus, nihil generari fubftantialiter, fimple per fe, & vt ex inexiftente, ex *eo, quod non eft*: nihilominus generatur aliquid fubftantialiter vt fecundum accidens *ex eo, quod non eft*. Et huius fecundæ partis annectit rationem, *quia fit ex priuatione, quæ eft per fe non ens*.

Tertiò expono, vt propofitio Philofophi non fit confentiens, fed aduerfatiua: id quod indicat particula (*autem*) & fenfus fit: Veteres ita dixerunt: Nos autem nihil quidem *dicimus fieri fimpliciter ex eo quod non eft*: videl. non afferimus fimpliciter, & fine diftinctione, & quafi rudiçer, aliquid fieri ex eo quod non eft: fed tamen cum diftinctione afferimus fieri aliquid ex eo quod non eft. Et ftatim fubiungit vnum diftinctionis membrum, quod eft, *fieri vt fecundum accidens ex eo, quod non eft*: & vult nos intelligere alterum diftinctionis membrum, videl. fieri per fe, & vt ex inexiftente ex eo quod non eft; quo pacto affentitur Arift. nihil fieri ex eo quod non eft. Hæc eft vna eius diftinctio ad illud dictum.

Altera adhibetur in tex. 78. quod nihil fit ex eo, quod LVIII.

Digitized by Google

quod neque actu, neque potentia est ens, verissimum est. Nihilominus fi aliquid ex eo, quod actu quidem non est ens, potentia autem est ens. Talis est materia prima, quæ est primum subiectum ex quo fiunt res naturales, & in quod, dum corrumpuntur, abeunt vltimò.

Quæ omnia quo penitius comprehendas, scito, quod Arist. consueuit quædam Veterum dicta, quę illi, vt dicitur in primo Physic. tex. 48. & primo Metaphys. cap. 5. *ab ipsa veritate coacti* protulere, cādidè corrigere adhibita aliqua distinctione, & quo ad eos fieri potest, redigere ad bonam frugem. Ita Veteres V.G. hi quidem contendebant dari infinitū, illi verò perfracté inficiabantur: ipse distinguit in tertio Phys. tex. 56. quod datur infinitum potentia: non datur infinitum actu. Sic erat Platonis, & quorundam aliorum effatum, quod anima fit locus formarum: ipse huic dicto assentitur in tertio de Anim. tex. 6. cum ait, *& benè vtique qui dicunt, animam esse locum formarum*, sed assentitur cum duplici distinctione & limitatione. Prima est, quod *non tota* anima est locus formarum, *sed intellectus*: Secunda est, *neque actu, sed potentia*. Sic alibi sæpe apud eum obseruabis.

Sic itaque in præsenti non respuit commune il-
LIX. lud effatum, quod ex non ente non fit aliquid, siue ex nihilo nihil fit: quin verò approbat, sed cum distinctione & explicatione a se adhibita: quia sic tolluntur difficultates, a quibus Veteres explicare se neutiquam poterant. Et propterea in quarto Metaph. tex. 20. hæc eadem de re ita scribit. *Ad illos itaq; qui ex his ita arbitrātur, dicemus, quod quodam modo quidem verè dicunt: quodammodo verò ignorant. Ens namque dupliciter dicitur. Quare aliquo modo quidem possibile est aliquid ex non ente fieri, aliquo verò modo non est: simulque idem ens, & non ens esse, sed non secundum idem ens: potentia enim,* (ecce distinctio) *contingit simul idem contraria esse, actu verò minimè*. Ex his quæ hucusque attuli, duo colligimus. Vnum est, quod illud dictum, *ex nihilo nihil fit &c.* re vera non fuit ab ipso Aristotele excogitatum, aut ab eo primò prolatum, sed erat inter Veteres Physicos commune ac tritum. Alterum est, quod illud non fuit ab Aristotele reiectū, sed approbatum cum distinctione & legitima eius intelligentia, & si vis, etiam cum limitatione, eo modo quo vidimus.

Sed hic sedulò animaduertito, quod illud di-
LX. ctum ita distinctum & limitatum nihil iuuat ad creationem, & ad factionem ex nihilo in sententia ipsius Aristotelis: Imò verò eam aufert euertitque ex fundamentis: Nam si spectes primam distinctionem, tollitur creatio, quia fieri aliquid vt secundum accidens ex eo quod non est, siue ex nihilo, est fieri ex priuatione, vt ipsemet Stagirites exponit: Priuatio autem præsupponit subiectum in quo est. Vbi autem præsupponitur subiectum, ibi repugnat esse creationem: in hac enim nullum supponitur subiectum. Secunda etiam distinctio, & explicatio eiusdem dicti penitus labefactat creationem: Nam quod ex potentia fit actu, clarissimè constat, quod non creatur, cum creatio nullam vnquam supponat potentiam, videl. potentiam passiuam. Hem, in qua vnquam potentia passiua erat Mundus antequam crearetur? in nulla.

SECTIO QVARTA.

Diluitur præcipuum argumentum oppositæ sententiæ. Et discutitur, vtrumne opusculum de Xenophane, Zenone, & Gorgia sit ligitimum, & elaboratum Aristotelis Stagiritæ opus, an non?



VI opinantur, Aristotelem agnouisse, quin verò & admisisse creationem & factionem ex nihilo;
hunc potissimum fundamento innituntur, quo- LXI.
niam Arist. in libello de Xenophane, Zenone, & Gorgia negat hanc propositionem, *ex nihilo nihil fit*: ergo concedit eius contradictoriam, *ex nihilo aliquid fit*: quare in eius sententia verè datur creatio, & factio alicuius ex nihilo. Assumptum probant, quia Philosophus eo loci ait, opinionem, & propositionem asserentem, *ex nihilo nihil fit*, esse vnam ex non rectis: & esse talem, cui non acquiescimus. Quod si est vna ex non rectis, ergo falsa: Et si illi non acquiescimus, ergo falsa: Quippe propositionibus rectis ac veris acquiescimus: nam veritas est veluti centrum, in quo mens humana conquiescit. Ecce Philosophi verba. *Quare si omnia quæ in opinionem veniunt & apparent, non rectè existimantur, nihil fortasse conuenit, vt huic etiam opinioni, & dogmati acquiescamus, quod nihil ex nihilo fieri statuit: quippe quæ vna etiam quædam ex non rectis hæc opinio sit, quam ex sentiendo quodammodo, cum in multis essemus, existimauimus.*

Ad quod argum. respondeo, quod Arist. non ne-
gat illam propositionem *ex nihilo nihil fit*, sed non LXII.
approbat modū, quo illa ab antiquis intelligebatur: quo pacto ea accepta illos ad diuersa absurda compellebat, vt in sect. præced. vel ex illo ipso libello de Xenophane vidimus. Vnde etiam in primo de ort. & inter. tex. 12. dicitur, *quod maximè timentes erant, qui primi philosophati sunt, ex nullo generari præexistente*. Et propterea illo modo prolata ast

vna

vna ex non rectis enunciationibus, quia nimirum quamuis in se habeat veritatem, tamen ea non recte accipitur, nec recte explicatur. Proinde non est quod illi ita reddit, & absque distinctione acquiescamus. Vt autem fuit distincta & explicata ab Aristotele, sicut in eadem Sect. vidimus, est verissime.

Porrò si Arist. illam propositionem existimasset falsam, cur non ait, quod ea est falsa, & abijcienda, sed *est vna quadam ex non rectis*? Cur addit *fortasse*? quid est, quod *ei non acquiescimus*? Vide, quod tunc mens dicitur alicui propositioni non acquiescere, non quando illa absolutè falsa est, & negenda, sed quando illi deest aliquid vt in ea mens acquiescat. Illi autem propositioni deerat distinctio, & explicatio, quam dedit Arist. adhibuit. Sic euacuata est eius argumenti vis, supposito quod libellus ille sit germanus, ac genuinus Stagiritæ liber.

LXIII. Quid si dicam, opusculum illud de Xenophane, Zenone, & Gorgia haud esse legitimum & syncerum Aristotelis Stagiritæ fœtum, sed temerè illi adscriptum?

Hoc, dices, ferri non potest, quia communis auctorum consensus opusculum illud agnoscit vt legitimum Aristotelis. Primò, quia Diogen. Laertius auctor grauis, & antiquissimus in vita Aristotelis testatur, conscriptos esse ab Aristotele tres libros, vnum aduersus Gorgiam, vnum aduersus Xenocratem, & vnum aduersus Zenonis secte. Deinde idem auctor discernens eosdem Aristotelis libros legitimos a suspectis, reponit præfatos tres libros inter maximè propria Aristotelis opera. Quos quidem tres libros postea Ioannes Bernardus Feliciensis e græcis latinos fecit, & in hoc vnum redegit opusculum. Non est igitur quod ambigas, quin illud opus sit proprium Aristotelis.

Secundò, Franc. Patritius, acer, ne quid amplius dicam, Aristotelicorum librorum censor, cum

LXIV. in lib. 2 Discuss. Peripatet. scripsisset, quod libri Aristotelis *septingentorum quadraginta septem numerum adimplent*. Deinde in lib. 3 reliquis Aristotelis libris habuit quod opponeret; de hoc opusculo, quin sit legitimum Aristotelis, nihil dubitauit, sed concludit, *Ad hunc ergo modum de tot Aristotelicorum librorum numero soli superfunt quatuor, qui omnem controuersiam effugerunt. Hi sunt Mechanica, & libelli tres contra Xenophanem, contra Gorgiam, contra Zenonem.*

Tertiò Iulius Pacius auctor integer, omnia Stagiritæ opera sedula diligentia conquisita, græcè simul ac latinè excudenda curauit. Dicerunt autem in sua Præfatione legitimos Aristotelis libros ab adulterinis, & hos tres libros de Xenocrate, Zenone, & Gorgia agnoscit vt veros Aristotelis fœtus. Nullus itaque relinquitur embigendi locus, quia opusculum illud sit Aristotelis.

Auctoris opinio de opusculo inscripto de Xenophane, Zenone, & Gorgia.



Go in ea sum opinione, quod opusculum, de quo verba fecimus, re vera non est legitimum Aristotelis Stagiritæ, sed temerè illi adscriptum: Vel si est Aristotelis, certè non LXV. eo modo illud habemus, quo ab eximio eo viro fuit conscriptum & elaboratum, sed multa in eo sunt turbata, multa immutata, multa inepsere falsa.

Subijciam quæ me mouent, vt ita existimem; Primò in hoc opusculo locutio græca alicubi est impropria, inuoluta, ac penè dixerim distorta. Perpenda, ne longè abeam, illa ipsa verba superius adducta, quæ in latina versione sic iacent. *Quare si omnia quæ in opinionem veniunt, & apparent, non rectè existimantur*; Hæc duo *venire in opinionem*, & *apparere* sunt opposita. Etenim quæ in opinionem cadunt, ea sunt opinabilia, & cum formidine alterius partis: quæ verò apparent, ac dicunt apparentem & euidentem certitudinem; Quocirca hæc duo de vna ac eadem re non nisi distortè proferentur. Auctor verò huius opusculi ea iungit, *quæ in opinionem veniunt & apparent*. Hoc Arist. non faceret.

Deinde, auctor huius lib. in referenda opinione Hesiodi committit multiplex errata: In primo versu mutat duas dictiones: adiungit vnam aliam; & LXVI. corrumpit versum. Versus relatus ab hoc auctore hic est.

πρῶτον μὲν πάντων (φασὶ) χάος ἐγένετ᾽, αὐτὰρ ἔπειτα.

Prima voce *πρῶτον primum* in Hesiodi carmine non est, sed est *ἤτοι*, quæ voce in carmine heroico nequit in primo loco collocari, nisi vltima eius littera (a) elidatur ab alia subsequenta: & propterea Hesiodus in suo carmine eam non ponit in primo, sed in secundo peda.

Deinde, idem auctor adiungit *πάντων omnium*, quæ etiam dictio in carmine Hesiodi nō est: quamuis in aliqua latina versione Hesiodi legatur. Et cum hac ipse dictione *πάντων* retulit Aristot. idem carmen in primo Metaph. cap. 4.

Postea, auctor huius lib. mutat aliud verbum, LXVII. *ἐγένετ᾽* in qua voce primum erratum est, quia *ἐγένετ᾽* est pes *τρίβραχυς*, constans ex tribus syllabis breuibus, qui pes in carmine heroico locum non habet, nisi aut elidatur vltima, si elidi potest, aut fiat longa positione.

Secundum erratum est, quia Hesiodus ait *γένετ᾽* absque incremento syllabico (*) vt solent

poetæ loqui: Hic verò auctor ait, ἐγένετ', apposito incremento (e). Et ne quispiè mihi objiciat, quod auctor huius libri ponit ἐγένετ' cum suo solito incremento, sicuti hac voce vtimur in prosa & pedestri oratione, qua scil. oratione hic auctor in præsenti opusculo loquitur. Hic qui ita dicit, nihil dicit. Nam hic auctor statim ponit vocem αὐτάρ, quæ ita est poetica, vt ea nemo possit in prosa oratione vti vnquam.

Ex quo sequitur tertiū errorū. quod hic auctor corrumpit Hesiodi versum. Nam e voce χάος vsque ad ἐγένετ' sunt quinque syllabæ omnes breues. Si autē demas incrementum (ε), & dicas γένετ', vt habet Hesiod. tunc vltima vocis χάος redditur longa positione, & carmen constet ex hac vltima parte; Adhac, auctor huius libri dictam carmen corrūperet ex anteriori parte eiusdem vocis χάος, si diceret γένετ' sine incremento, quia prima eius syllaba est breuis: Hic autem ponit post πάντων. Hæccine errata, dices vnquam esse ab sagitte commissa? maxe forat impudentiæ. Vide nunc carmen Hesiodi:

ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα.

Atque vt veritas magis appareat, appono eundem Hesiodi versum, vt ipsum refert Arist. in primo Metap. cap. 4. qui est.

πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα.

Quid ergo? hic Arist. scivit Hesiodi versum, in opusculo autem illo nesciuit?

LXVIII. At nolo te in eius id genus animaduersionibus, minutis fortasse detinere: Venio ad id, in quo rei de qua agimus, vertitur cardo: & detegam magnum, (dicamne? pellit veritas) an aratum, an mendacium in auctoris huius opusculi de Xenophane. Ait hic, quod Hesiodus dixit, primum extitisse Chaos, inde terram, & amorem: atque alia quidē entia esse facta, videl. ex his: hæc verò esse facta ex nihilo: En eius verba: *Iam verò Hesiodus.*

Primum ante omne aliud (inquit) chaos extitit, inde patenti
Pectore cunctorum sedes firmissima tellus,
Atque amor, is cunctis specie immortalibus exstit.
Ex quibus alia genita fuisse: ipsa autem hæc ex nihilo.

τἆλλ' ἄλλα φησὶ γενέσθαι, ταῦτα δὲ ἐξ οὐδενός.

Peccant mihi tai manca, quisquis es auctor huius opusculi. Hesiodus hoc vltimum ταῦτα δὲ ἐξ οὐδενός *ipsa autem hæc ex nihilo*, non dicit. Imò verò neque quisquam Veterum auctorum ita Hesiodi sententiam retulit. Ecca Hesiodi verba, ea ipsa quæ ab eo relata sunt, & quæ ibi sequuntur. omitto græca, ne paginas impleam: apponam autem duplicem versionem: Vnam pedestri oratione: Alteram carminibus illigatam, vt possis candide lector integrè iudicare. Prior sic habet.

LXIX. *Hæc mihi dicite Musæ, cælestes domos inhabitantes,*
Ab initio, & dicite, quodnam primum fuerit illorum.
Primò omnium quidem Chaos fuit, at deinde
Tellus lata pectore prædita omnium fundamentum solidum semper,
Immortalium, qui tenent iuga niuosi olympi,
Tartaraque tenebricosa in recessu terræ spatiosa,
Atque amor, qui pulcherrimus inter immortales Deos
Soluens curas, & omnium Deorum, & omnium hominum.
Domat in pectoribus animum, & prudens consilium,
Ex Chao verò Erebusque, Nigraque Nox editi sunt.
Noctē porrò tam Aether, quàm Dies progenati sunt:
Quos peperit vbi concepisset Erebo amore mixta.
Terra verò primùm quidem genuit parem sibi
Cælum stellis ornatum, vt ipsam totam obtegat,
Vtque esset beatis Dijs sedes tuta semper.
Genuit præterea montes altos, dearum gratas speluncas
Nympharum, quæ habitant per montes cauernosos:
Atque etiam infrugiferum pelagus peperit, vnda concitatum
Pontum, absque amore desiderabili. Cæterùm deinde
Cælo concumbens peperit Oceanum profundos vortices habentem
Caeumque, Creumque, Hyperionemque, Iapetumque,
Theamque, Rheamque, Theminque, Mnemosynenque,
Phœbenque, aurea corona insignem, Thetyaq; amabilem.
Hos verò post natu minimus natus est Saturnus vafer.
Acerrimus inter liberos &c.

In quibus ego non video illam propositionem, quod *ipsa autem hæc facta sint ex nihilo*. Accipe iam alteram eorundem carminum versionem, carminibus comprehensam a Bonino Mombritio Mediolanensi factam, quæ sic habet. LXX.

Dum licet, ista mihi Cæli narrate colonæ,
Et mundo quæcunque prius sint edita rerum,
Principio confusa Chaos sine imagine moles
Extitit, hinc tellus magnis apparuit armis,
Nam prius ipsorum pauimentum facta Deorum est,
Quondam qui cælo sedes habuere suprema:
Tartara dehinc vadi sunt visa dehiscere terra.
Et mox pulcher amor surgit, mediusque Deorum
Cernitur, hic illos forma supereminet omnes,
Membra deus latè soluit diuumque virumque:
Consilium, atque ipsam domitat sub pectore mentem.
Deq; Chao, lucus Erebus, Noxq; atra resultant:
Athera

Digitized by Google

Athera Nox ipsumque Diem aussse putatur:
Quos Erebo coniunx peperit laetiua marito.
Tum quoque syderenm tellus g nuis edidit ex hem
Par sib pra cust s Cal'um quo tegmen haberet,
Magnorum & her t pauimentum sola Deorũ,
Hinc montes, gratasque tulit conua libus umis,
Rediens Nympha sedet vbi saepe tentes
Quid mare non domitum memorem, iaunumque procellis;
Aspersumque metu? Stetit hoc quoque pignore tellus
Nec mora concubuit caelo: bis sena repente
Sti ps oritur: tu n dis magnus prius emicat vnd s
Oceanus subit Ir petus nec defuit ingens
Caus umque ipjo iu as est Hyperione Creon t
Nat que Mn mosyne, Themis & Rhea, pulel maque Theyst.
Quique micas serta Phrbae spectabilis auro;
O taq. Thes grauis, demum Saturnus is arma
Consiliumq; gerit tacito sub pectore vafrum
Omnibus hic grauior natis; teneruniqne parentem
Carpit & hũc multa fel t incusare querela &c.

N ne hic vid a tu n propositum o, quod
LXXI. Ch s, terra, & amor f cta sint ex nihilo. Quo n odo e g a auctor e us opusculi illius adscribit H iodo? E tae qui dicat id esse commissum ab A isto ele? nemo planè? ooo ignue illud opusculum esi Aristotelis.

Sed vlterius videamus, num quisquam alius Veterum auctorum ita Hesiodi opinionem retulit. Plato in Symposio in laudatione Phedri in amorem, sic ait. *Magnus Deus est amor, & apud deos, hominesque mirandus, cùm propter alia multa, tum maximè propter eius originem Cum enim ex antiquissimorum deorum numero sit, honore dignus apparet. Id autem ex eo cuettet, quod parentes amoris a nullo vel poeta vel alio quouis traduntur Sed et Hesiodus principio chaos extitisse his verbis, ferit. Terra ampla stabilisque semper omnium sedes, atque amor: post hos. videlices asserit duo haec extitisse, Terram, atque Amorem.* Neque hic video illam propositionem. Sequitur Plato, *Parmenides autem de generatione amoris inquit, Ante Deos omnes primùm generum t amorem. Acusileus quoque cum Hesiodo sentire videtur. Atque ita p plum Amorem ex antiquissimis esse conceditur Cum vero talis ita maximo: um bonorum nobis est causa* Hac Plato. Scio eundem Platonem in eodem Sy pos. paulo inferius scribere, quod Amor sit filius Pori, & Peniç, quod ad rem praesentem non spectat.

LXXII. Accedit multiscius Plutarchus in libello de Iside, & Osiride post medium, qui de Hesiodo haec scribit. *Videtur autem & Hesiodus prima omnium Chaos, & terram, & tartara, & amorem facere, non alia accepisse principia, sed ea porrò videl. esse principia aliorum.*

Natalis Comes in poetarum fabulis scriptor festiuus, ac diligens in sua Mythologia. cap. de Cupidine ait, *quod Hesiod s in sua Theogonia videtur Amorem siue Cupidinem ante omnes ex illa informi materia, qua Chaos dicta est, in lucem exisse.* Aristophanes verò in Auibus in ea est opinione, quod primùm erat Chaos, & Nox, & Erebus, & tartarus E N x peperit in limbris Erebi, ὑπηνέμιον ᾠὸν Z p yrium ouum, ex quo natus est Amor. In qua opi on fuit etiam O ph us; V ta sque carmina refert Na al s Comes loco quem dixi, Ita Sappho poetria, & in rebus amatoriis appri è exercitata, Amorem cæli, & terræ filium ex sti nauit: Si onides Martis & Veneris, Alcæus Contentione, & Zephyri, Al alio modo sunt; at nemo dixit eum esse natum ex nihilo.

Quae si vera sunt, quomodo auctor libelli de Xenophane scribit, H siodum dixisse, quod Chaos, & terra, & amor facta sint ex nihilo? Itane Aristot. prodig aliter esse iret? Nemo id mihi persuaserit: S d firmo animo assevero, aut hunc librum non esse germanum Aristotelis Sagittæ, aut si est, esse quodda n fragmen eum perfractionè ab eo sibi notatum, in quod postea temporum iniuria, et p oremue inserta permulta irrepsere men daqueret quæ est etiam prop si io, de qua loquimur. LXXIII

Ex his vide etiam quam veru e n habet id quod auctor eiusdem opusculi subdit, quod *multi praeterea aly dicant, esse nihil, sed fieri omnia asserant ex us, qua non sunt, omnia qua sunt, extitere affirmantes* Ego sanè inter antiquos Philosophos non inuenio nisi eorum quidem, oedum multos, qui dixerint, omnia quæ sunt, fieri, aut esse facta ἐξ οὐκ ὄντων ex non entibus, si e ex ys qua non sunt. Imò inuenio apud Aristotelem in primo de ort. & inter. tex. *ea quod maximè timent s erant, qui primi philosophati sunt, ex nullo g nerari praexistente*

Q od verò illud, quod hic dem auctor subiongit? *Pt nonnullis videri, etiam ex ys qua non sunt, g gnomnia qua fiunt perspicuum iam sit* itane? ia est perip cuum. LXXIV

Hac circa primum caput illius libri de Xenophane, Zenone, & Gorgia te igisse satis. Expectas fortasse vt idem exacien prosequar de reliquo libro? Ap g sis. Nolo tempus conterere: Et quæ hucusq; attuli, me planè commouent, vt teneam meam assertionem. Omitto etiam alia de causa examinare subsequeo è parte eius libri, quia ipsemet auctor dimittit in principio secundi capitis examinata, virum ea quæ Xenophanes dicit, possint esse, necne, sed accingitur considerare illius consequentias.

Ad ista autem illa argumenta ab opposita leota superius adducta, sic respondeo. Et quidem ad LXXV. Laert. dico, quod ille to vna Aristotel s non ait, ab Aristotele esse conscriptum librum de Xenophane, siue contra Xenophanem. Immò in toto catalogo Aristotelicorum librorum, quem ibi ponit, non nominat hunc auctorē. Xenophanem, cuius nomē est in inscriptione opusculi quod examinamus, sed

ait, Aristotelem scripsisse librum *de Gorgia*, siue aduersus dogmata Gorgiæ: *vnum de Xenocrate vnū*: *de Zenone vnum*. Inquit enim πρὸς τὰ γοργίου ά, πρὸς τὰ ξενοκράτους ά, πρὸς τὰ ζήνωνος ά. Hem, Xenocrates, & Xenophanes distant vt æra lupinis. Vnde etiam ex hoc capite eruo argumentum pro mea opinione. Nam si opusculum de quo loquimur, est aduersus Xenophanem, & re vera ita inscribitur: Et Laert. in recensendis Aristotelis operibus nullam facit mentionem Xenophanis, euidens est, opus isthuc haud esse Aristotelis.

Patritius verò erat liuidus Aristotelicorum operum examinator: Illius examini, & opinioni non
LXXVI. acquiesco. Iulius autem Pacius etiam alia opuscula agnouit vt legitima Aristotelis, de quibus inter viros doctos lis est, de qua re alio loco fortasse dabitur dicendi occasio. Quid ergo mirum, si etiam libellum de Xenophane agnoscit vt Aristotelis? Quid verò? Non defuere qui malitiosè quibusdam alienis operibus addiderunt præclarum nomen Aristotelis, eo animo, vt operis, quod aut vendere, aut donare parabant, pretium & dignitatem augerent.

Hæc sunt, qualiacunque sunt, quæ mihi cælitus concessum est scribere in octo libros Aristotelis de Physica auscultatione: In quibus omnibus tantum assertum esse volo, quantum a Sancta, & Catholica Ecclesia comprobatur. Quæ porrò omnia diuturnissima æternaque sint, ex intimo animi recessu optauerim, vt æternam Dei, Optimi, Maximi gloriam, & misericordiam (si ea vel duo, vel pauci aliqui legerint) enarrent, prædicent, exaltent, *a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum.*

Finis Commentariorum, & Quæstionum in octo libros Aristotelis de Physico auditu, auctore Ioanne Cottunio. Ad maiorem Dei gloriam, ac Beatissimæ semper Virginis Mariæ.



BIBLIO. NAZ. VITTORIO EMANUELE

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HISCE COMMENTARIIS.

A

B

C

defini-

Digitized by Google

Aliter

Yyyy Naphtha

N

O

P

Pri.

Digitized by Google

Digitized by Google

F I N I S.



Patauij Typis Io: Baptistæ Pasquati. M DC XLVIII.
SVPERIORVM PERMISSV.







Google